IMPRESSION ANASTALTIQUE
CULTURE ET CIVILISATION
115, AVENUE GABRIEL LEBON
BRUXELLES
1969

ACTA
SANCTORUM
JUNII
TOMUS SEPTIMUS.


ACTA
SANCTO
RVM
IVNII
Philibertus Bouttats junior sculp: Antverp.

ACTA SANCTORUM JUNII

Ex Latinis & Græcis, aliarumque gentium monumentis, ſervatâ primigeniâ ſcriptorum phraſi,

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariis & Obſervationibus

ILLUSTRATA

A

CONRADO JANNINGO

E SOCIETATE JESU PRESBYTERO THEOLOGO.

TOMUS VII SEU PARS II

Supplementi addendorum, mutandorum, corrigendorum in primis V Tomis de Actis Sanctorum ejuſdem Menſis.

ITEM PARS ALTERA

MARTYROLOGII

USUARDI MONACHI

A B

Additamentis expurgati, caſtigati & quotidianis obſervationibus illuſtrati.

OPERA ET STUDIO

JOANNIS BAPTISTÆ SOLLERII

EJUSDEM SOCIETATIS PRESBYTERI THEOLOGI.

ANTVERPIÆ,

APUD JOANNEM PAULUM ROBYNS.

M D C C X V I I.

CÆSARIS ORA VIDEN' CAROLI? SIC SPIRAT, ET ARDET.
NOMINIS EST SEXTUS: QUINTUM SUPERABIT, AVITÂ
AUSTRIADUM PIETATE PATRUM, ET VICTRICIBUS ARMIS.



van Loÿbos delin. *Henri. Cause' Sculp.*

CAROLO VI

ROMANORUM IMPERATORI

AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO, INVICTISSIMO.

REGI

GERMANIÆ, HISPANIARUM, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ &c.

ARCHIDUCI AUSTRIÆ.

DUCI

BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ &c.

MARCHIONI MORAVIÆ.

COMITI

HABSBURGI, TYROLIS, GORITIÆ &c.

Omum hunc Auſtriaci Junii totiusque de Actis Sanctorum prioris Semeſtris ultimum, in bina volumina diſpertiti ſumus, menſis iſtius ſextum & ſeptimum; quorum primum non ita pridem in ſacras manus Tuas, AUGUSTISSIME, POTENTISSIME, ET CLEMENTISSIME IMPERATOR ATQUE REX NOSTER, ad thronum Tuum proſtrati tradidimus, ea clementia & benignitate ſuſceptum, ut hoc alterum, invictiſſimo Tuo nomini eodem jure inſcribendum, dici poſſit, moras impatientiſſime tuliſſe, quibus à priori ob nimiam molem tantisper debuit ſeparari. Ea tunc præfati ſumus, quæ SACRAM TUAM CÆSAREAM ET CATHOLICO-REGIAM MAJESTATEM ſcire oportebat, de vaſto hoc noſtro Actorum opere, Auguſtiſſimæ & Archiducali familiæ, ſub Magni Leopoldi, immortalis memoriæ parentis Tui Auguſtiſſimi, auſpiciis pridem conſecrato; ea auſi vaticinari, quæ propitio Numine faventibusque Sanctis, toto Catholico orbe, ſed Tuis præſertim Auſtriacis ditionibus, ſumma voluptate perfuſis, completa vidimus. Silent oratores, CÆSAR AUGUSTISSIME, tacitique præterire ſolent ſubſecutam jacturam

cturam; nos eiſdem nixi patrociniis, non unam ſobolem alteram augurari pergimus, Auguſtiſſimæ domus æternùm perennaturæ fulcra perpetua. Confidenter dictum ſit, ſpem certam facientibus Superis, non poſſe non eſſe beatam fœcundamque progeniem, quam Auſtriaca Tua pietas fulciat, non poſſe non eſſe immortalem, quam tot Cælites pâtroni tueantur, Tuo favore, Tuis ſubſidiis, Tuâ clementiſſimâ munificentiâ in opere, Tuo dicam an noſtro, totis quinque & viginti magnis voluminibus illuſtrati. Fuêre hi olim, IMPERATOR AUGUSTISSIME, Divi parentis Tui, ſemper Pii, ſemper Auguſti, ſemper Felicis, non ſine prodigiis orbi univerſo explorata fiducia, dum ab ipſo diuturni juxta ac proſperi regiminis principio, eluſis adverſantium artibus, fractis ſubinde eorum viribus, auxiliis illis cæleſtibus fretus, nihil deinceps timêre didicit; tantum gloriæ conſecutus, ut hoſtium ſuorum omnium victor, Majorum Tuorum primus Ottomannici faſtûs domitor, ea ſola expugnanda reliquiſſe videatur, quæ hodie, patronis iiſdem bene proſperantibus, novâ gloriâ Cæſareum Tuum nomen, novis victoriis invictas Tuas acies, novis margaritis & unionibus diadema Tuum mirificè exornant. Priori noſtra nuncupatoria palam fecimus ſuſceptas olim graviſsimo bello arduas Tuas expeditiones, immenſos terra marique exantlatos labores, in laceſſendo hoſte fortitudinem, in retundendis quibuſvis conatibus conſtantiam, eas, ut hîc verbo repetamus, tirocinii Tui bellicas virtutes, quæ Te, CÆSAR INVICTISSIME,

Majoribus Tuis, quantâvis laude inclytis, & parem & ſuperiorem demonſtraſſe exiſtimamus. Hæc tum maximè animo obverſabantur, quæ per Germaniam, Bataviam, Britanniam, Luſitaniam, Hiſpaniam, Italiam, ac rurſus poſt reditum in patriam geſta, aut videramus ipſi, aut certis relationibus acceperamus; alia non procul poſita bella proſpicientes, quibus non minorem virtutum laudumque Tuarum ſegetem, eximia Tua in Deum Sanctoſque pietate confiſi, ſperabamus. Neque vero nos fefellit concepta exſpectatio: votis Superi favêre, bellantem Te depinximus variiſque fortunæ caſibus expoſitum, ubi perpetuas inter viciſſitudines, ſymboli Tui veritatem oſtendimus, utpote in quibus Tua Te conſtantia in rectè cœptis, Tua Te in adverſis fortitudo avitis regnis dignum, imperio natum, illuſtrioribus tropæis deſtinatum repræſentarunt. Hæc ibi proximorum Tuorum decorum præludia curſim delibata ſunt: nunc Te, CÆSAR AUGUSTISSIME, non bellatorem modò, ſed victorem, ſed triumphatorem orbi ſiſtimus: triumphantem inquam, triumpho Cæſare digniſſimo, non alio quam Chriſtiano triumpho, dum juratos iſtius nominis hoſtes, viciſti, fugaſti, ſuperaſti. Numquam ejus diei nos capiet oblivio, quâ totum Belgium noſtrum, gaudio exultans, in omnem lætitiam effuſum, gratâ memoriâ recordamur, accepto de cæſis ad internecionem apud Carlovitium Turcis nuncio, quem porro alter, non minus laureatus, excepit, extortâ iiſdem, incredibili copiarum Tuarum robore, quam inexpugnabilem jactabant, Temeſva-

variâ, ſeſquiſeculo & amplius immani jugo oppreſſâ. O! fortunatiſsimum vix inchoati belli principium, quod, ea arce feliciter erepta, omnem unà barbaris illis in Pannoniam redeundi & aditum & ſpem præcluſeris, trepidantibus ad ſigna Tua vicinis Walachorum Moldavorumque rupibus, Belgrado autem non aliam quam Temeſvariæ ſortem præſtolante. Viciſti, AUGUSTISSIME IMPERATOR, viciſti & triumphaſti, eâ, ut dicebam, victoriâ, eo triumpho, quem verè Chriſtianum magis mirabitur poſteritas, quam quidquid hactenus victoriarum aut triumphorum litteris conſignatum novimus. Unus eſt, iſque in longa Cæſarum Romanorum ſerie Cæſar unicus, idem ille Chriſtianorum primus, quem imitari Te voluiſſe, non vanâ conjecturâ perſpexiſſe videmur. Conſtantinum illum Magnum loquimur, in Chriſti ſigno, in Chriſti Cruce vincentem & triumphantem. Dicere liceat, tomum hunc noſtrum, ejuſmodi tropæis plenum, tales victorias, tàles triumphos exſpectaſſe, ut in ſacras Tuas manus deferretur. Exhibet is, quot fortiſsimorum Chriſti Martyrum certamina, tot laureatos eorumdem exitus; verum quod magis huc confert, exhibet & ea ipſa Chriſtianæ pietatis monumenta, quæ in Te, hac noſtra ætate renovata, neſcio utrum miranda magis, quam veneranda ſint. Habet in hoc noſtro volumine SACRA TUA CÆSAREA ET CATHOLICA REGIA MAJESTAS, quæ jam à tot ſeculis Romæ ad æternam memoriam conſervata ſunt Conſtantinianæ religionis argumenta, in templo veteri

Vaticano non uno loco exhibita & à nobis non indiligenter eruderata. Habet primam Chriſtianam teſſeram, veteri ritu, pro eorum temporum fidei libertate variè efformatam, myſticisque allegoriis inſignem. Habet primum Conſtantini labarum, prima Chriſti monogrammata, prima Chriſtiana ſigna, quibus Imperator ille Chriſtum ipſum Servatorem, non ſe, copiarum ſuarum ductorem conſtituit. Habet Crucem exercitibus prælatam, vincentem, triumphantem; æterna ſtupendi ſigni Conſtantino dum tyrannum Maxentium inſequeretur, commonſtrati certa veſtigia EN TOYTΩ NIKA IN HOC VINCE. Sic Tu viciſti, ſic triumphaſti, CÆSAR INVICTISSIME, dum ad aram proſtratus, Deo Servatori exercitus tuos commendatos voluiſti, quo ducente, ſervante, protegente, Ottomannicæ Lunæ infeſta Chriſtiano nomini cornua glorioſiſſimè præcidiſti. At enim, ne hæc à nobis excogitata potiùs aut exornata, quam à Te facta univerſus Chriſtianus orbis agnoſceret, ea dediſti ejus rei argumenta, quæ nulla umquam vetuſtate abolenda cenſemus. Quod elapſo proximè anno ſolis Tuis ardentiſſimis precibus & ſanctiſſimis votis conceperas, jam recens æterno Tuæ pietatis monumento declaratum iviſti, aureum Crucis ſimulacrum affabre factum & pretioſiſſimis gemmis concinnatum celeberrimo copiarum Tuarum Duci Eugenio Allobrogum Principi porrigens, cum hac Tuæ pietatis epigraphe JESUS CHRISTUS GENERALISSIMUS. O egregium munus! ô clariſſimum Chriſtianæ fiduciæ ſpecimen! ô di-

gnum

gnum pientiſſimo Carólo Cæſare humilitatis exemplum! Eſt in procinctu numeroſus ſelectuſque exercitus, Turcarum toties victor; collecti ſunt veterani milites, ſemper aſſueti vincere, cedere aut fugere neſcii; ſtant in acie fortiſsimi expertiſsimique centuriones, tribuni, legati, ductores omnes laureis graves, invicta hactenus Auſtriacæ militiæ robora; numquam antehac viſa claſsis Danubii fluctibus imperat, Turcarum terror imminenſque Iſtri oſtiis pernicies; omnia tripidantium hoſtium cædem, omnia cladem, certam omnia victoriam pollicentur. At memor ſacri eloquii: Niſi Dominus cuſtodierit, fruſtra vigilat qui cuſtodit; non in fortitudine Tua roboraris, CÆSAR AUGUSTISSIME, una Tua eſt in Sanctorum omnium Rege, glorioſiſſimoque eorum primipilo Chriſto Deo, Chriſto crucifixo certa fides, indubitata ſpes, fiducia inconcuſſa, JESUS CHRISTUS GENERALISSIMUS. Et erit qui de victoria dubitare auſit, ductore pro Cæſare Chriſto Domino Deo exercituum, certantibus Sanctorum legionibus, pugnante ſalutifero Crucis ſigno? Certa eſt ſpes Tua, IMPERATOR CHRISTIANISSIME, ita olim Conſtantinum viciſſe demonſtravimus; ita & primus Tuo nomine Cæſar, magnus ille Carolus, Sanctorum donatus honoribus; ita, inquam, terrorem olim barbaris tum adhuc gentibus incuſsit, ſemper victor, ſemper triumphator, ea nimirum toto iſto victoriarum curſu præditus Chriſtiani animi demiſsione, ut cum Apoſtolo fateretur, *Gratia Dei ſe eſſe quod erat*; *Chriſtum* porro *regnare, vincere, triumphare.* Ita vicit heros

c in-

incomparabilis Chriſtianorum agminum notiſsimo ſacro bello anteſignanus, regiam coronam promeritus; ita innumerabiles Saracenorum turmas prælato Crucis vexillo ad Antiochiam profligavit; ita expeditionis caput Hieroſolymam per Chriſtum Chriſto reſtituit. Quid reliquos, tum Imperatores, tum Reges Chriſtianos, illuſtres olim heroas commemoremus, Conrados, Fridericos, Ludovicos, Philippos, Richardos, ipſo illo ſacro bello, quale à Te adverſus Mahumeticam ſpurcitiam hodiedum geritur, immenſis ſuis laboribus, relatiſque de eodem jurato Chriſti hoſte victoriis, famam numquam intermorituram conſecutos? Et proavos Tuos ibidem bellantes quis ignorat? Vel ſcutum ipſum Auſtriacum, ſignum illud etiamnum refert, quo Dux iſte fortiſſimus, & proprio & Mahumetico ſanguine undequaque perfuſus, Tuam reliquit candidi baltei faſciam, in area coccinea expreſſam, heroici facinoris memoriam ſempiternam. Ramiros, Sancios, Alphonſos, Ferdinandos ex Hiſpania Tua, paribus triumphis nobiles, præterire cogimur, ut ad alterum Carolum, & ipſum Magnum, pertingat oratio, Imperatorem ordine Quintum, qui circumlatis per Europam victricibus Aquilis, Chriſti Crucem, inter occidentis Cæſares primus in Africam deportavit. Carolos adumbramus potiſsimum, quod horum maximè veſtigiis inſiſtas, CAROLE AUGUSTISSIME, utriuſque geſta, utriuſque victorias, nomen, famam, gloriam in Te transferens; ut rectiſsimè pridem luſerit poëta, magnitudinis Tuæ non vanus augur, qui in Te uno

&

& Primum & Quintum Carolos redivivos agnovit. Vera utique ceciniſſe credimus, dum JESUM CHRISTUM GENERALISSIMUM, & quæ eum in æterna gloria circumſtant, cæleſtes animas, preces noſtras exaudiſſe certò confidimus; audemuſque adeo imagini Tuæ alteram hanc epigraphen cum demiſſiſſimis votis noſtris ſubſcribere:

Ex Primo & Quinto componit gloria Sextum,
Majorem Carolo hoc orbis habere nequit.

Liceat & hanc aliam adjungere:

Maximus eſt Primus, Quintus quoque Maximus.
An non
Ter merito hos inter Maximus es Carole?

Vince igitur, CÆSAR TER MAXIME, EN TOYTΩι NIKA: Vince in hoc ſigno barbaris omnibus, & infidelibus formidando, in quo Eccleſia Chriſtum Dominum canit vel de ipſis etiam inferorum poteſtatibus triumphaſſe. Jam Turcas formidine correptos conſpicimus, jam cum Philiſtæis perturbatos, quod Deus in Tua caſtra venerit. Jam terga vertunt exclamantes: Væ nobis! quis nos ſalvabit de manu Chriſtianorum Dei? jam ſuperatis Danubio Savoque fluminibus, totius imperii Turcici propugnaculum aggrederis, mœnibus ad Tua ſigna ruituris. Vince, CÆSAR TER MAXIME, & quo ſigno Româ perfidum tyrannum Maxentium expulit, reliquoſque toto orbe Chriſti adverſarios ſuperavit Conſtantinus, eodem agminibus Tuis prælucente, di-

ctam ab Imperatore iſto metropolim, infidelium jugo liberatam, Chriſto Deo, Chriſto Duci, Chriſto generaliſſimo æternum erige pietatis Auſtriacæ monumentum. Sic augurantur

AUGUSTISSIME ET CLEMENTISSIME
PRINCEPS

MAJESTATIS TUÆ IMPERIALIS ET REGIÆ

Devotiſſimi clientes

CONRADUS JANNINGUS

JOANNES BAPTISTA SOLLERIUS &c.

Societatis Jeſu.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
SOCIETATIS IESU FLANDROBELGICÆ.
ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

CUm Edictis Philippi II Hiſpaniarum Regis, deinde Sereniſſimorum Archiducum Alberti & Iſabellæ, Belgii Principum, rurſumque Philippi III, ac noviſſime Caroli II, Regum, confirmatis die 11 *Decembris* MDCXCII, *&* XIX *Junii* MDCXCIV; *Provincialibus Societatis Jeſu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, poteſtas facta ſit eligendi Typographos & bibliopolas, qui, ad quorumcumque aliorum excluſionem, ſoli imprimere ac reimprimere poſſint libros & opera quælibet, ritè approbata, curantibuſque ejuſdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, ſub conſueto ſuæ Majeſtatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in ſcriptis obtentâ & præexhibitâ licentiâ prædicti Provincialis; idque ſub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impreſſa importantes ſtatutis, ut latius in ipſis patentibus litteris appare. Cum etiam Sacra Cæſarea Majeſtas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio ſubjectis,*

Ego infraſcriptus, Societatis Jeſu per Flandrobelgicam Provincialis, poteſtate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præpoſito Generali Michaële Angelo Tamburino, concedo Joanni Paulo Robyns *typographo Antverpienſi facultatem imprimendi, & per ſe alioſque vendendi infraſcriptum Opus, ex more Societatis noſtræ (quod hiſce atteſtor recognitum & approbatum; videlicet Tomum Septimum de Actis Sanctorum Junii, complectentem Supplementi ad quinque priores Tomos eiuſdem menſis Partem ſecundam, Auctore Conrado Janningo ocietatis noſtræ Presbytero heologo. Iſtam autem facultatem, una cum Privilegio Cæſareo, meæ diſpoſitioni commiſſo, tali conditione indulgeo, ut prædictus typographus* Joannes Paulus Robyns *teneatur eâ ſe uſum probare intra tres proximos ab harum data menſes, eademque ad unam ſolam impreſſionem vi harum utatur; ſic ut pro iteranda impreſſione, novo meo vel ſucceſſorum meorum conſenſu opus ſit. In quorum fidem haſce, manu propria ſubſcriptas, conſuetoque noſtri officii ſigillo munitas, dedi Antverpiæ die* XXX *Junii anno* MDCCXVII.

JACOBUS MATIN.

SUMMA PRIVILEGII REGII.

REgiæ Majeſtatis diplomate ſancitum eſt, ne quis, præter voluntatem Danielis Papebrochii è Societate Jeſu, ejuſve ad illuſtranda Sanctorum Acta Adjutorum & Succeſſorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem de argumento illo, vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excuſos excudendoſve invehat, venaleſve habeat: qui ſecus faxit, confiſcatione exemplarium, & aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis.

Signat LOYENS.

Et ego Conradus Janningus Societatis Jeſu, ſucceſſor P. Danielis Papebrochii ſupradicti, permitto Joanni Paulo Robyns Typographo Antverpienſi, ut Tomum Septimum de Actis Sanctorum Junii, meo permiſſu ab ipſo impreſſum, publicet. Datum Antverpiæ pridie Kalendas Julii MDCCXVII.

APPROBATIO ORDINARII.

EDitis jam ſex Tomis de Actis Sanctorum menſis Junii, prodit modo Septimus, complectens Partem alteram Supplementi, ad quinque primos ejuſdem Menſis Tomos, à P. Conrado Janningo Societatis Jeſu Presbytero Theologo illuſtratus; eſtque viceſimus quintus totius operis. Ego hunc æque approbo, atque approbati fuerunt reliqui omnes, tum per Approbationes & præconia Ordinariorum, tum per æſtimationem virorum ubique eruditorum; quæ talia ſunt, ut huic quoque applicari poſſint. Quamobrem nihil eſt, cur ego hic novas laudes accumulem, ſed fidenter in lucem ire præſentem Tomum permitto. Dabam Antverpiæ XXVI Junii MDCCXVII.

F. G. ULLENS
Can. Schol. Off. & Librorum Cenſor.

PROTESTATIO AUCTORIS.

QUod identidem proteſtati ſunt deceſſores noſtri, in hoc de Actis Sanctorum Opere, ſe ſervatas velle Urbani Papæ VIII Conſtitutiones; neque ſuis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam ſit hiſtoriæ, ab hominibus errori obnoxiis ſcriptæ: idem ante hunc Septimum Tomum Junii & ego proteſtor, Conradus Janningus.



SYNOPSIS ET ORDO ACTORUM ET SCRIPTORUM

HOC SEPTIMO JUNII TOMO,

Qui pars altera Supplementi ſeu Appendicis eſt, contentorum.

TOmus ſextus de Actis Sanctorum menſis Junii, continens addenda, mutanda, corrigenda in quinque prioribus Tomis, eò uſque excrevit, ut uno volumine compingi omnia non poſſent. Quapropter conſultius viſum eſt, opus diſpertiri in tomos duos, quorum alter, qui Sextus eſt ordine, prodiit ante biennium; nunc ſequitur Septimus, qui pars altera eſt Addendorum, continetque etiam partem alteram Martyrologii Uſuardini.

Primo loco ingreſſum pandunt Acta ſingula ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, certiore, quam quæ die XXIX Junii datæ ſunt Vitæ antiquæ, auctoritate ſuffulta, utpote è ſacris Scripturis collecta à viro erudito & pio Paulo Æmilio Sanctorio, primum archiepiſcopo Conſentino in Calabria, dein Urbinate in ducatu ejuſdem nominis. Edita olim fuerunt Romæ anno MDXCVII ex Auctoris authographo ab Aldo Manucio, Pauli filio, & mirifice laudata ob elegantiam ſtyli; nobis potius probata ob veritatem, quatenus fundantur in veracitate ſacrarum Scripturarum.

Sequitur pag. 34 Decretum ſacræ Inquiſitionis, per Hiſpanicas ditiones univerſalis, quo Decretum aliud, in quatuordecim tomos de Actis Sanctorum anno MDCXCV, quorumcumque demum æmulatione & auctoritate extortum (de quo & Innocentius Papa XII mihi, hæc ſcribenti, coram exclamans dixit, *Fiera Cenſura!*) tollitur, permittunturque iidem tomi ſubditis omnibus ubique legi ſub levi correctione, quæ nullam cum hæreſi aut ſuſpecta doctrina connexionem habet.

Poſt hæc, acturi diſtinctius de baſilica S. Petri Conſtantiniana antiqua in Vaticano Romæ, ad gloriam ejuſdem ſancti Apoſtolorum Principis, judicavimus, præmittenda eſſe opuſcula mss. duo, eódem facientia, alterum Petri Manlii ſeu Mallii, Canonici S. Petri & ſcriptoris ſeculi XII, *Beatiſſimo Patri Alexandro III Pontifici Maximo* inſcriptum; quod vendicaſſe putamus Auctori ſuo contra opinionem Pauli de Angelis, qui typis Romanis anno MDCXLVI, ſub nomine *Romani Canonici*, illud evulgavit.

Alterum opuſculum eſt Maphæi Vegii, non multo poſt medium ſeculi XV vitâ functi, quod mihi dudum fuerat deſideratum, quia crebro citabatur à ſcriptoribus Romanis poſteriorum temporum; nec poteram inde dijudicare, quid auctoritatis ſcriptor ille in ſuo illo opuſculo mereretur. Nactus tandem ipſum mss. cognovi, poſteriorem ſcripti partem magis ad rem præſentem ſpectare, quam priorem. Placuit tamen integrum dare, ut aliis quoque integrum foret de re tota certius judicare. Titulus eſt. *De rebus antiquis memorabilibus baſilicæ S. Petri Romæ:* diſpertiturque in libros quatuor Proſecuti ſumus in noſtra Præfatione geſta præcipua Auctoris, qui Antonium Patavinum Mediolani pro concione dicentem puer audivit ac laudavit; tranſlationi verò corporis S. Monicæ Oſtiâ Romam ſub Martino Papa V interfuiſſe, ut multorum fert opinio, non poſſumus probare.

Succedit à pag. 85 Commentarius noſter de eadem baſilica, ac præcipue de altaribus ejus; ubi inquiritur in ſitum, antiquitatem & fundatores ſingulorum, & in Sanctos, ſub quorum invocatione fuerunt dedicata. Statuitur etiam, quod primis Chriſtianis fuerint certa ad orandum loca & templa: quod à perſecutoribus deſtructa, mox fuerint elegantius ædificata, Tyri quidem ab epiſcopo loci Paulino; Nolæ verò ab alio Paulino ſancto, epiſcopo ejuſdem civitatis.

Pag. 90 agitur de ichnographia baſilicæ S. Petri antiquæ ejuſque portis in frontiſpicio. Item de inſtitutione Guidonum, ut vocant; ac de Diplomate Caroli Magni, ut putatur, illa ſuper re dato.

Dividitur nobis baſilica tota & circum poſita olim ædificia, ad faciliorem legentis captum, in Sectiones ſeptem, totidem primis Alphabeti litteris diſtinctas. SECTIO prima recenſet à pag. 93 altaria, quæ à frontiſpicio templi ad uſque medium ejus ſpatium, ubi Paulus Papa III murum tranſverſarium conſtruxit, tunc temporis, & aliquanto pòſt, in circuitu extiterunt.

SECTIO II (pag. 100) complectitur totum ſpatium, quod inter murum tranſverſarium & navim baſilicæ tranſverſam intercedit.

SECTIO III (pag. 102) circumducit per dictam navim tranſverſam. Et quia illic inter alia occurrit altare ac ſacellum S. Mariæ, de Prægnantibus vulgo dictum; adjungitur DISSERTATIO de vero illius ſitu. Item altera DISSERTATIO, An epitaphium Adriani Papæ I, quod in ſacello ejus extabat, & Carolo Magno imperatori, velut auctori, paſſim tribuitur, ab ipſomet compoſitum ſit, an potius à Flacco Albino Alcuino.

In hac eadem Sectione tertia, occurrunt alia, de quibus ſeorſim tractatur; puta (pag. 111) de Confeſſione S. Petri, de duplici ejus crypta ſubterranea; de monumento aheneo, ejuſque gravi pondere ac dimenſionibus, deque incluſo ei argenteo loculo: utrum in illo ſolius S. Petri corpus, an etiam dimidium S. Pauli reconditum ſit. Emendatur quoque textus Anaſtaſii de dimenſionibus monumenti, deque inſcriptione crucis aureæ, à Conſtantino illi ſuperpoſitæ, quæ alia non eſt, quam hæc, *Conſtantinus Auguſtus & Helena Auguſta.* Quæ ſequuntur in textu Anaſtaſii, aliò ſpectant. Oſtenditur, quod metallum, loculum argenteum includens, non fuerit circumfuſum, ſed ex maſſis variis ferruminatis inter ſe compoſitum. Agitur etiam de columnis porphyreticis ac vitineis, deque auri trimmate; de Presbyterio & choro; peribolique, cancellis, arcubus atque trabibus in choro; ac de Pharis ſeu lychnuchis, eorumque variis formis variiſque nominibus.

A pag. 131 tractatur de Apſide baſilicæ Vaticanæ, eaque cenſetur unica tantum fuiſſe in ſingulis eccleſiis temporibus Conſtantini: quid Apſis trichora. Explicatur pictura muſiva apſidis in ſegmento ſuperiori; item in inferiori.

Pag. 139. DISSERTATIO III, de manu & cruce quadrata ſummæ apſidis, in tabula Illuſtriſſimi Ciampini perperam delineatis, atque in aliam manûs formam & in columbam reformandis. Item DISSERTATIO IV, de cruce nuda, eaque duplici modo coronata: nec non, quod Chriſtus Dominus olim non tantum ſub figuris ſymbolicis, verum etiam in forma humana repræſentari ſolitus fuerit.

Pag. 144. Amplior explicatio apſidis & in ea crucis Vaticanæ. Item de crucibus, in antiquis apſidibus eccleſiarum Liberianæ, Lateranenſis & S. Clementis, opere muſivo olim depictis.

Pag 150. Reditur ad ſacella & altaria extra & circum baſilicam ædificata: & SECTIO quidem QUARTA percurrit oratoria, baſilicæ verſus meridiem contigua; ubi primo loco de Secretario antiquiſſimo, ad caput meridionale antiquæ porticûs ſito, quod à Gregorio PP. IV in oratorium S. Gregorii PP. Magni, illato in illud ejus corpore, commutatum fuit. Varii varia de oratorio hoc S. Gregorii deque tranſlatione corporis ejus ſcripſerunt, quæ nobis videntur non ſatis conformia veritati. Quapropter ſubnectitur DISSERTATIO V illo ſuper argumento.

Pag. 155. SECTIO QUINTA inſpicit ædificia, quæ muro baſilicæ ſeptemtrionali proxima fuerunt. SECTIO SEXTA perluſtrat antiqua duo ædificia rotunda, inſtar Panthei Romani, in quæ aditus patebat à capite meridionali navis tranſverſæ. SECTIO SEPTIMA circumit ædificia nonnulla paulo remotiora, quæ olim extiterunt tam ante quam circum baſilicam.

Pag. 161 Auctarium unum atque alterum ad apſidem antiquam Vaticanam, de poſitione imaginum ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, dextrâ lævâque inter ſe; ex Franciſco Mucantio & Joanne Chriſtophoro Battello.

Orta nobis ſubinde in Junio menſe dubitatio fuit de Chronicis Roberti de Monte, quid ipſe vere ſcripſerit; ac Joannis de Beka de Epiſcopis Ultrajectinis, quando ipſe ſuum finierit. Hinc per DISQUISITIONES duas ſingulares inquiritur, primum in auctorem & auctores dicti Chronici prioris, ſub nomine Roberti de Monte, poſt Sigebertum Gemblacenſem paſſim impreſſi. Deinde in annum, quo Beka ſuum abſolverit, & quid ab aliis poſtea adjunctum ſit. Habentur hæc à pag. 171.

Sequuntur pag. 176 KALENDARIA duo antiqua, columnatim ſimul impreſſa; alterum anno Chriſti CCCLIIII, alterum CCCCIIL conſcripta. Primum jam edidit Bucherius imperfectum, deficientibus quatuor menſibus; quod integrum exhibemus ex codice ms. bibliothecæ Cæſareæ ac editione Petri Lambecii. Secundum olim promiſit in Præfatione generali ad Acta Sanctorum Bollandus à ſe editum iri: quod nunc præſtamus ex codice noſtro ms. In priori quidem Natales aliquot imperatorum, etiam Chriſtianorum immiſcentur; in poſteriori vero Natales quoque Sanctorum Chriſti Martyrum.

Poſt hæc ſuccedunt pag. 185 duo quaſi MARTYROLOGIA parva, & ipſa ſub medium ſeculi IV conſcripta, edita quidem à Bucherio, ſed leviter emendata; quæ hîc ex duobus mss. uti in illis ſunt, nullâ re mutatâ, denuo exhibentur.

Denique prodeunt nunc primùm, à pag. 186, NATALES aliquot Sanctorum, & alia nonnulla, ad hiſtoriam Cæſarum ſpectantia, ex Catalogo ms. Romanorum Conſulum, quibus immiſcentur geſta illa, ſingulariter ad ſingula annotatis Kalendis, Nonis ac Idibus, quibus contigere.

Accedunt deinde INDICES duo in totum Opus de Actis Sanctorum, huc uſque per ſex menſes editum, quorum primus inſcribitur, *Ephemerides univerſales Sanctorum*, quorum ibi nomina, ſingulis ordine diebus, enumerantur cum epithetis, *Martyris*, *Epiſcopi*, *Abbatis*, *Virginis*, *Viduæ* &c. prout ſingulis competunt. Additur *locus*, ubi præcipue coluntur aut obierunt, nec non *Codex ms. Auctores*, *Martyrologia* vel *Menæa*, è quibus Acta ſunt deprompta.

Alter INDEX eſt Alphabeticus univerſalis eorumdem Sanctorum, qui & dignitatem cuique ſuam adſcribit ac diem menſis, quo Acta referuntur, quærendum in ſuo cujuſque diei aſſignati Tomo.

Denique monendi ſunt bibliopegi, quod in opere, hactenus explicato, inſerendæ veniant figuræ majores, præter frontalem quinque, ſic ut reſpiciant numerum paginarum, ut infra deſignantur. Et prima quidem imago Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli VI obverti debet Titulo Dedicationis, ejus glorioſo nomini inſcriptæ. Altera, quæ ichnographiam baſilicæ S. Petri antiquæ repræſentat, pag. 91. Tertia, quæ apſidem muſivam ejuſdem baſilicæ depictam habet, pag. 135. Quarta, quæ apſidem, ſimiliter muſivam, Triclinii Leonis III Papæ exhibet, pag. 137. Quinta denique, quæ varias crucis figuras conjungit, pag. 141.

Poſt hæc omnia, viſum eſt adjungere MARTYROLOGIA aliquot Hieronymiana contracta, ex pluribus ſelecta, de quibus fuſius meminit præfatio Uſuardina cap. 1, art. 1, § 2. Ibi non obſcure promittitur ipſorum editio, hîc vero talis ſingulorum codicum expreſſa notitia, ut cimeliorum id genus æſtimatores nihil habeant quod deſiderent.

Sequitur demum alterum Uſuardini Martyrologii ſemeſtre, à 1 die Julii ad finem anni eâdem prorſus ratione & methodo illuſtratum, qua pars prior, jam vulgata. Porro in lectorum commodum adjecti bini INDICES, quorum prior Sanctos omnes, in genuinis, per totum anni decurſum, Uſuardi textibus contentos, exhibet; alter reliquos colligit, qui in Auctariis ex variarum eccleſiarum codicibus ſuperadditi ſunt.

A

DE SANCTIS APOSTOLORUM PRINCIPIBUS PETRO ET PAULO.

D

PRÆFATIO DE AUCTORE VITARUM.

C 1.

Gesta Apostolorum Petri & Pauli,

è Sacris Scripturis collecta.

B

Multa de Sanctis hisce Apostolis commentati sumus tomo quinto Junii, die XXIX, *& Acta quidem dedimus, quæ visa fuerunt antiquiora & multis aliis ejus generis probabiliora; non tamen talia, ut in omnibus firmam fidem ac certitudinem faciant lectori, de illorum gestis, qui præcones veritatis fideique divinæ fuerunt præcipui. Hinc mihi venerat in mentem, ex ipso veritatis fonte divinisque scripturis, quæ multa de utroque Apostolo referunt, haurire atque in unum colligere continuata serie, quæ certò vera sunt. Dum autem hoc meditor, venit mihi in manus liber Pauli Æmilii Sanctorii, qui simili methodo pridem concinnavit* Vitas beatorum Apostolorum Petri & Pauli, *impressas Romæ anno* MDXCVII, *typis Antonii Zannetti; visas & approbatas à Fr. Jo. Saragosa, Magistro, & Socio Reverendissimi P. Magistri Sacri Palatii. Illis inspectis perlectisque, ne actum agam, putavi parcendum labori, atque illum ipsum librum, qui non adeo obvius est, hîc recudere; atque quod ipse meditabar, ex illo repræsentare.*

per Paulum Sanctorium,

2 *Fuit Paulus Æmilius Sanctorius, patria Cafertanus, anno* MDLX *natus, Julii Antonii Sanctorii Cardinalis eminentissimi, ab eruditione atque magnanimitate & constantia in prosperis æque ac adversis celebrati, nepos ex fratre, studiosus bonarum litterarum ad exemplum patrui, & ab Aldo Manucio, Pauli filio, ob elegantiam styli in his ipsis Sanctorum Apostolorum Vitis laudatus. Merita illum sua, in curia Romana Paulo PP. V probata, sublevarant anno* MDCXVII *ad archiepiscopatum Consentinum in Calabria; unde post sexennium translatus fuit ab Urbano PP. VIII ad ecclesiam Urbinatem, ab egregiis animi dotibus gestisque ab eodem Papa Urbinatium Duci Francisco Mariæ mirifice commendatus, litteris* XI *Decembris anno* MDCXXIII *datis. Ibi inter alia sic memorat Papa,*

C

litteris Urbani VIII *Papæ*

3 Urbinatis civitatis archiepiscopum creavimus venerabilem fratrem Paulum Æmilium Sanctorium, qui Cusentinam ecclesiam singulari cum laude administrabat. Inest in eo animus, ejus gloriæ appetens, quæ divini cultus incremento & crediti gregis felicitate comparatur. Ingenium maximis negotiis par, quod in hac Urbis luce nationum universarum oculos in se convertit litterarum famâ, qua universam pene Europam peragravit; & de posteritate meruisse existimatur: proinde quæ ei Urbis plausum & pontificium patrocinium jam pridem compararunt, facile conciliatura sunt benevolentiam Nobilitatis tuæ; ad quam adipiscendam maximum in virtutis & pietatis artibus momentum esse, accepimus ..... Cum autem ille arbitretur, ecclesiasticas opes esse pauperum patrimonium, integrum Urbinatis archiepiscopatus censum, nullis pensionibus imminutum, ejus fidei credidimus, quo facilius Alpinos illos populos apostolicæ liberalitatis fructibus alere posset. *Obiit Urbini anno Domini* MDCXXXV, *ætatis suæ* LXXV, *uti signat epitaphium sane honorificum, quod ei in metropolitana sua erectum conspicitur.*

4 *Editor Vitarum, quem dixi, Aldus Manu-*

& Aldi Manucii laudatum,

cius, in Nuncupatione sua ad Augustinum Valerium S. R. Ecclesiæ Cardinalem doctissimum, ita auctorem illarum ipsumque ejus opusculum commendat, postquam de Julio Antonio Sanctorio Cardinali nonnulla commemoraverat cum laude: Vel unus Paulus Æmilius, ejusdem Illustrissimi Cardinalis, fratris filius, cujus ego familiaritate Pisis maximâ fum usus, cujusque inexhaustam benignitatem, Familiæ propriam, quotidie Romæ experior, me suis ad omnem laudem directis sermonibus exhilarat. Scripta vero multorum voluminum, inter enarrationem sacrarum profanarumque rerum, quid habent quod illi cum aliis sit commune? Iis ego mirifice capior; & optimè tunc mecum agi existimo, cum ea legere datur. Superioribus diebus impetravi, vel potius è manibus ipsius extorsi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli Vitas. Eas diu in scamno neglectas, veluti pubescentis partum ætatis, animo majoribus jam voluminibus distento; cum pluries legendo contrivissem, neque umquam è sinu deponerem; ne invidiæ crimen, à quo longe absum, mihi quisquam objiceret; aliis communicare statui, ad reprimendam eorum maxime opinionem atque sententiam, qui futili atque inani prorsus judicio negant, insigni eloquentiæ stylo celebrari posse res sacras. *Hæc Aldus.*

olim Romæ edita, hic recuduntur

E

cum approbatione Henschenii.

5 *Laudat Henschenius hoc ipsum opus & Auctorem in suo de Apostolis Commentario prævio num.* 8, *atque aliis ejusdem argumenti scriptis scriptoribusque præfert; ratus etiam, Auctorem (quem Julii Antonii Sanctorii Cardinalis, patruelem vocat, cum ejus ex fratre nepos fuerit)* vel ideo in hoc opere nomen mereri, ut de præcipuis istis Sanctis, *Petro & Paulo*, de quibus Anonymus Græcus (*quem Henschenius edidit*) succinctius egit, saltem hoc extaret documentum, quo refutarentur qui negant, insigni elegantiæ stylo celebrari posse res sacras. *Interea editum ab Henschenio opusculum non fuit, causante prolixitatem: ob quam aliis videbitur fortassis edendum esse; ut explicet Anonymum Græcum, qui succinctius egit. Nec prolixitas tanta est, ut propterea ab hoc Opere excludi debeat, in quo passim prolixiora de Sanctis minus celebribus Acta, eaque non ex sacris Scripturis collecta, leguntur.*

F

Stylus & veracitas Scriptoris.

6 *Dixi, Acta hæc è Scripturis Sacris concinnata esse: eaque inde continua serie atque ordine ita prosequitur laudatus Auctor, ut ex profana Romanorum historia, sanctorumque Patrum scriptis intermisceat alia, quæ ad elucidandam magis historiam Sacram, ei visa fuerunt opportuna. In his tamen, quamquam ex antiquis scriptis pleraque desumpta, & juxta sensum ætatis, qua Sanctorius hæc composuit, explicata sunt; non ubique tam certa veritas est, ut nunc ei contradici non possit ex sententia virorum eruditorum, qui aliter sentiunt. Sed hæc nolim prosequi, aut etiam in decursu operis annotare quidquam; quia scriptor non antiquus est & per se satis clarus, nisi forte alicubi in elegantia sua per multiplicata verba & longiores periodos obscurus fiat; quod juvenili ætati, qua scripsit hæc, condonandum.*

ACTA
SANCTI PETRI APOSTOLI

Ex Sacris Scripturis collecta

Auctore Paulo Æmilio Sanctorio, dein Archiep. Urbinate.

Ex impreſſo Romæ.

ISAGOGE.

Felicitatem Auguſti Cæſaris

NAſcentis primordia Eccleſiæ, Romana excepit felicitas magnitudoque; ſiquidem terrarum orbe devicto, gentibusque ſubactis, Pompeio Cæſareque occiſis, deinde Caſſio, Brutoque, demum M. Antonio navali ad Actium prælio fugato & Alexandriæ ferro cadente, Octavianus Cæſar, Magni Cæſaris ex ſorore nepos, Auguſti cognomento honeſtatus, ſumma rerum capeſcit; ſedatiſque tot procellarum fluctibus, qui paulo ante Romanum nomen civili rabie prope ad interitum agitarant, domi militiæque ita Remp. inſtituit, ut Populo Romano nequaquam pœnitendus exſtiterit. Cujus felicitatem in tam longe lateque fuſis opibus, annumque XLI ejus imperii Chriſti ortus mire auxit illuſtravitque, cum in cenſu Romani orbis IIX Kal. Januarii, Cn. Cornelio Lentulo & M. Valerio Meſſallino Conſulibus, ab Urbe condita DCCLI, Olympiadis CXCIV anno II, Bethlehem parvo in oppido in lucem fuerit editus immortalis Deus, mortali carne veſtitus, ut genus humanum, primi parentis ſcelere funeſtatum mortuumque, ſuo mactato corpore, ab interitu vindicaret, inferorumque principem late regnantem, & opimis ſpoliis cum tropæo deceptæ mulieris tumentem, proſterneret. Igitur, jam grandis, ad confluentem Jordanis à Joanne Baptiſta lotus aquâ (non quod ipſe ea expiatione indigeret, quippe integerrimus & Deus; ſed tradito nobis præcepto, trinæ in hypoſtaſis nomine, ſacra ut aqua ad abluenda crimina, fruendamque ſimul ſempiterni auram ævi abſtergeremur) duodecim ſibi auditores elegit, quos vocari Apoſtolos voluit, viles quidem animas, & nullo in terris nobilitatis ſuco turgentes, ſed cæleſti fulgore clariſſimas, ita ut ad earum nomen proſtratus Cæſarum Regumque faſtus inhorreſceret, pieque ſubmiſſis faſcibus veneraretur. Nihil illo ordine præclarius, nihil ſanctius, nihil auguſtius: veluti qui ſocii Chriſti in laboribus, comites in itinere, ſodaleſque fuere. Infirma ante Chriſti mortem fides; obtuſum ingenium; fracti animi; ſed ab anaſtaſi lymphati almo ſpiritu nulla pericula expavere. Quorum inſignem cum pietate gloriam Simon Cephas, à Chriſto Petri cognomine inſignitus, longe tranſcendit, & claritate virtutum, & dignitatis prærogativa: cum ab ipſo Jeſu, adhuc in humanis agente, omnium Princeps & Paſtor ſit appellatus. Sed hæc poſtea ſuo loco dicentur.

B

C

auxit nativitas Chriſti

mundum per Apoſtolos converſuri.

D

CAPUT I.

Patria, cognatio, vocatio, geſta alia uſque ad Reſurrectionem Chriſti Domini.

Petri patria

PEtrus igitur natus eſt Juliæ, ad lacum Geneſarenum (quæ & Bethſaida nuncupatur, à Philippo Dynaſta condita) Joanne patre, ex tribu Zabulon, aut Nephtalim, loco humili, veluti qui piſcatoriam egerit. Veſtitus illi obſcurus, nec ſordidus tamen; unica ſubſtricta contentus tunica pallioque: in victu oleam, lupinos, aut herbas adhibere: & ſitim aqua ſedabat. Hæc illi in cibis voluptas, hi menſarum apparatus: & nunc variis irritata gula ſaporibus, ſpernit Aſſyricos luxus & Canopeiam mollitiem, nec Cleopatræ Verique Aurelii cœnis acquieſcit: tantum nos à priſtina morum ſanctitate degeneravimus: at præterita cum præconio celebramus, nec amplexari enitimur; ſpernimus præſentia, & futura anhelamus. Sed Petrus, ſimplicitate ciborum commendatus, parem in rebus omnibus abſtinentiam ſervavit.

vivendi ratio,

E

2 Habuit & uxorem (quæ præſtantiſſimo animo datis poſtea cervicibus Chriſtianam gloriam auxit, ipſo adhortante videnteque viro) filiam Ariſtobuli, veteri Hebræorum more, cum cælibatus minime in tanta exiſtimatione eſſet, ignotaque apud eam gentem tantæ virtutis gloria ſordeſceret, præterquam apud Eſſenos, qua mortalis beatarum mentium naturam tranſcendit. Ex quo matrimonio geminus illi natus eſt partus: ſed Petronillà filia præcipuâ in famâ eſt, ob inſignem corporis formam, miramque ſuavitatem morum, quæ paternam ſanctimoniam imitata, perſancte vixit, adamataque à Flacco comite cælebs migravit in cælum. Sic tradidere majores: licet apud peritos antiquitatis ſuſpicio oboriatur, fueritne illi Petronilla filia ex tædis progenita, an ob pietatem in jus filiæ adſcita. Nos certe placitis majorum pie inſiſtentes, Petronillam inter cælites adſcriptam, ac Chriſtianis Faſtis memoratam, illuſtratamque cœmeterii memoria, ſancte religioſeque veneramur.

uxor,

liberi,

3 Erat Petrus (ut ex imaginibus & ſignis perſpicere licet) corpore haud indecoro, nec tamen exiguo, erecta cervice, ore ſubpallido & albicanti, atris ac vivacibus oculis, ſanguineam tamen redolentibus aciem, evulſis ſuperciliis, prælongo naſo & ſimo preſſoque ad extrema, denſo criſpatoque capillo, animo haud verſuto, & ante datam terrarum orbi legem, nondum immenſâ illâ Dei magnitudine virgineo reſtrictâ utero, Moſaicæ legis non contemptor (cum quota gentis pars ſpoliata libertate, extero ſub Rege vetuſtos etiam pioſque mores abjiceret) diſcendi avidus, & ingenio pugnaci, ex Galilæorum natura ac moribus, ſemper arma poſcentium; & juſti tenax.

forma,

F

religio,

4 Fratrem habuit Andream, majorem natu, pari animi candore, parique in quæritando victu ſtudio: ſed, cum ille Joannem Baptiſtam (cujus mira elucebat morum ſanctitas, quique poſtea datis Machærunte cervicibus immanem Antipæ Herodis feritatem teſtatur) ſectaretur, audiviſſetque à doctore, Jeſum eſſe, de quo vates tam alte cecinerant, quique cruore ſuo noſtra ſcelera lavaturus erat, ſtatim ad Chriſtum ſe applicuit, Simonemque fratrem ad illum adducen-

frater,

A ducendum curavit, qui, Petri cognomen sortitus, non tamen apud eum tunc remansit; sed, Genesarenum ad lacum, piscium nobilitate celebrem, quadragintaque stadiis in latitudinem patentem, centumque excurrentem in longitudinem, tota nocte esset piscatus, nullamque prædam feciſſet; Jesus, dimissa populi concione, cum Petro dimittere retia imperasset, paruisſetque Petrus, tantam piscium copiam cepit, ut rete pene dirumperetur. Quod alte in pectus demissum cum diu volvisset Petrus cogitasſetque, & supra humanas vires reputasset, stricto pietate animo, ad Christi pedes se abjecit, illique ita adhæsit, ut ne cubito postea ab eo discesserit. Quem benigne Christus affatus consolatusque, ait, irretisse eum quondam pisces, tracturum mox ad retia homines, hoc est ad Christi ditionem, precibus ac corporis afflictione.

primus cum Christo congressus,

alter in piscatione.

Sequitur Christum & baptizatur,

B ſ Hinc, relictis omnibus, Apostoli Christum sequuntur. Inter Sacramenta Baptismatis Petrus ad æternum decus Christi manu abluitur, ipse reliquos, jam expiatus, pari beneficio beavit. Inde orta de edendo Eucharistiæ Corpore, hauriendoque Sanguine mentione, cum id perperam nonnulli accepissent, abiissentque, id incredibile prorsus opinantes, divinam haudquaquam metientes potentiam, conversus ad duodecim Christus, percunctatus ab illis est; num & ipsi discedere vellent. Tunc Petrus, Domine, ad quem ibimus? confessusque est, illum esse verum Deum. Hinc cum Christus quinque millia hominum, præter parvulos & mulieres, trans mare Galilææ, ad consulatum Tiberii Augusti quintum, & Aelii Seani, quinque panibus & piscibus duobus satiasset, oratumque in montem secessisset, stantibus in scaphis Apostolis, mare gravi atrocique ventorum impulsu tumuisset, Apostolis summum in terrorem conjectis, nec Christo ignotum periculum foret, quartâ noctis vigiliâ ad eos accessit, pedibus mare premens Quem conspicatus Petrus, cum se in undas dejecisset, properabat ad illum, cumque suo pondere in ima traheretur, Christi contacta manu, periculo eximitur, à Doctore castigatus, quod eo in discrimine fide labasset.

ipsumque confitetur esse Deum,

& pedes ambulat super mare.

C 6 Inde, cum Christus Cæsaream accessisset, quæsivisſetque à discipulis, quæ de ipso apud mortales opinio esset; cum respondissent illi, aliis Hieremiam, aliis Eliam, aut Joannem Baptistam videri; rursus Jesus, ii vero quid sentirent expostulat: tamen Petrus, illum filium Dei vivi esse respondit. Quamobrem Christus ipsum beatum esse dixit, quando ei non caro aut sanguis, sed Pater ejus, qui in cælestium domorum solio regnaret, talem de eo opinionem scientiamque aperuisset, eumque Petrum esse professus, supraque petram illam ædificaturum se Ecclesiam suam, quam nec vis inferorum, nec mortalium invidia labefactare atque convellere posset, pollicitus est. Deinde, cum multa Christus de morte supplicioque suo differeret, nosceretque Petrus, Hierosolymorum urbem illi in exitium stare, cupiebat avertere magistrum, & discrimini eximere, nescius mortalis & nimio amore obcæcatus, quantum in Christi nece ad salutem gentium momenti staret. Quod Christus indigne ferens, hostem eum appellavit, seque ei ut sequeretur, imperavit.

Expressior fidei confessio,

confirmata privilegiis à Christo.

7 Sexto post die hominem, cum Jacobo atque Joanne, Itaburium in montem, inter Scythopolim magnumque campum, xxx stadiis se in altitudinem attollentem, Baraci quondam nobilitatum victoriâ, Sisarâ infeliciter cadente sub Hebræo mucrone, ad Iabim, Cananæi Regis infamiam clademque secum duxit, cum repente tantus vultum fulgor, tantusque vestes candor occupavit, ut nihil in terris glorioſius, nihilque augustius conspici posset: eodemque tempore Moses & Elias, duo Judaici populi decora, colloqui cum Christo visi sunt. Tunc Petrus loci amœnitate captus, & eo jucundissimo aspectu mire exhilaratus, rogavit Magistrum, ut ibi commoraretur, statutisque tribus tabernaculis, ibi reliquum ævum degeret. Nullo responso dato, cælo emissa vox intonuit, Christum filium patri carissimum ut audirent, imperans. Quo audito, attoniti, humi strati, procubuere. Ad quos Jesus accedens, ut surgerent, nec paverent, imperavit, remque in præsentia pectoribus occluderent. Illi stupidi, cum circumtulissent oculos, præter Jesum videre neminem. Eo postea in vertice montis (xx quippe stadiorum planities expanditur) tria erecta sunt templa, in clarissimi memoriam mysterii sempiternam.

A. SANCTORIO. *Spectaculum in monte Tabor.*

E 8 At Petri in Christum amor cum fide in dies major pubescebat; summa in Magistrum fiducia, summum studium illius spectabatur; in illum, Joannemque, ceterorum ora atque oculi conjecti; illos fama vehere, & admirari tamquam Christo carissimos adamatosque; illum auctoritate ac canitie venerandum; alterum decorâ juventâ, augusta facie, & in flore roboris ætatisque castimonia singulari, animo atque amore in Christum, supra quam credi potest, constantissimo atque firmissimo, adeo ut illi Christus in dolore cruciatuum tormentorumque matrem commendaret, daretque matri illum in filium. At, post solutum Capharrai Cæsari tributum per Petrum, nummo piscis in ore reperto (quippe Judæa Mithridatico bello in eo cursu victoriarum M. Tullio Cicerone, & C. Antonio Consulibus, Olympiade CLXXIX, infestis illuc cum signis illato Pompeio, abductoque in triumphum Aristobulo cum finitimis Provinciis, Romana jura susceperat) cum sermo apud Christum de contemnendis fortunis esset, exsurgens audacter Petrus, quæsivit ab eo, quæ tandem præmia, abjectâ hujus præsentis vitæ cum voluptatibus fortunisque cupidine, apud illum essent consecuturi. Cui Christus, perennem cælestium orbium sedem, ferendamque mortali de genere, novissimo die, sententiam pollicetur

Petri favores

& interrogatio de præmio obtinendo.

F

Sinistra opinio Judæorum de Christo;

9 Atrox interea ac dira prorsus in Christi caput conjuratio coquitur, facto initio à potentum invidentia, ac peculiari inveterataque in sanctos viros grassandi consuetudine. Gentem avaram atque nefariam, tot virorum cruore funestam, nullum umquam beneficium parcarat: quippe Isaiam, gravissimum sanctissimumque vatem, crudelissime dissecaverant, Zachariam ferro conciderant, & alios aut lapidibus obruerant, aut alio teterrimo mortis genere affecerant: & tum Christi stupenda ac prorsus divina signa efferatis in animis ambitioneque vastatis, altam irarum jecerant molem. Nam tot mortuos ab inferis excitatos, tot cæcis redditam lucem, paucis cum pane piscibus saturata tot hominum millia, claudos & vario alios morbi genere conflictatos, ad valetudinem revocatos, sui in contumeliam, Mosaicæque

A. SANCTORIO.

obitum legis, fieri interpretabantur. Simul coarguta à Chriſto diu animis inhærentia ſcelera ac fictâ pietate velata; & palam populo facta, vitæ ſanctitas, morum integritas, concurſuſque gentium (cum jam tantorum fama prodigiorum nequaquam Palæſtinæ finibus terminata, trans Euphratem late volitaret) elatos animos obæratoſque ſceleribus exangebant: vereri ſimul ſeditionem, ſi forte is regiam poteſtatem, paratis populi ad ſerviendum animis, cuperet; quaſi ablaturus, non daturus regna hominibus, cælo eſſet delapſus.

deliberantium de ipſo interficiendo.

10 Cæca hominum mens & ſuo commodo prorſus inſaniens, pavere ſimul Romana arma, ne Cæſarum majeſtate abolita funeſtas aquilas & ſigna, tot gentium cruore madentia, patria ante mœnia conſpicerent. Et hæc in vulgus. Sed altior cogitatio inſederat privatas amittendi fortunas, ſpoliandique dignitate, acerrimoque invidiæ telo transfigi. Itaque in immenſum ſe attollentem Chriſti gloriam oppreſſuri, in conſilium occidendi hominis deſcendunt: cumque inter eos diſpari animorum motu certaretur (alii

B

enim nequaquam in aperto, præ favore tumultuque populari, interficiendum; alii publice, & in conventu populi accuſatum; alii dolo mactandum cenſere) exſurgens Joſephus Caiphas è Principibus unus, auctoritate dignitateque ingens, majorque ſcelere, acriter in Chriſtum invectus, multa cum elocutus eſſet, eam in ſententiam ceteros oratione traduxit ſua, ut Chriſtum omnino occidendum decernerent; addens etiam in curſu orationis, mentis inops & ſcelere vecors, in morte unius ſtaturam univerſi populi ſalutem.

Motus animi in his Petri,

11 Hoc igitur probato conſilio, occaſionem opperiundam rati, tempus locumque circumſpectare. Nec fugiebant ea Chriſtum. Itaque multis argumentis firmare auditorum animos, & blandis orationibus mulcere non deſtitit; neceſſe, ad ſalutem humani generis, ipſum occidi; ſed triduo poſt, propria potentia, triumphato cacodæmone morteque devicta, revicturum prædicans: colligerent ſe modo, & forti animo adverſa perferrent, neve timori ſuccumberent: quando ſita in arduis ſumma ſit virtus, & periculis ac diſcriminibus probetur; in proſperis nulla laus, niſi moderationis fama, datumque rerum faſtigium, vitæque tranquillitas, ne in faſtum, alteriuſque verſa contemptum. Intremiſcere ad hæc auditores, & magno periculi metu circumveniri: amor, reverentia, metuſque omnia raptare: ſed Petri maxime mens nulla conſolatione erigi; triſtabaturque, uno ex duodecim, uti prædixerat Chriſtus, hoſti magiſtrum prodituro, & amore amens, & ſceleris magnitudine attonitus, inſtanteque diſcrimine pavidus animum diverſas in partes trahere, variaque moliri, atque incerto vehementique curarum æſtu fluctuare, modo Chriſti Majeſtatis tam fœde proculcandæ ab inimicis reminiſci; modo nefarias manus, & ſceleſtiſſimum proditorem ante oculos ſibi proponere; modo magiſtri amore flagrare, hiſcere, atque mori.

C

inquirentis in auctorem proditionis Chriſti,

12 Impatiens ergo & dolore commotus, ſilentio Joannem precatur, ut eum, qui tanti tamque execrandi ſceleris (nam omne facinus in homine turpe, ſed dolus atrociſſimum atque indigniſſimum) auctor eſſet futurus, Chriſti ore excerperet. Igitur Joannes, obſecuturus Petro, à Salvatoris ſedens latere, quippe torus, Chriſtum, Joannem, ac Petrum accubantes ſuſtentabat, ex adverſo Chriſti diſcumbente Juda: noſcit proditorem, & ſummi pariter Dei arcana haurit. Sed Petrus haud quaquam voti compos factus: nam obtegitur impia manus, dum Chriſti epulas tangit, veſciturque. Hoc Chriſtus ſigno proditorem notarat, verum occulte, ne notus ceteris, communi furore ad piandum inexpiabile ſcelus diſcerperetur.

D

& in Cœna ægre obtemperantis lotioni:

13 In ea ſacratiſſima cœna quiſque ex diſcipulis caſtitatem vovit, etiam uxoratus: nec epulæ illæ feſtivo celebratæ ſunt carmine, non magno illuſtres apparatu, ſed triſtibus exceptæ pectoribus, propter ſuſpicionem facinoris, magnitudinemque diſcriminis. Ab epulis Chriſtus ita ſuos ad ſubmiſſionis charitatiſque munia edocens, abjectis veſtimentis, cœnatoria dumtaxat opertus (hæc candica ſindon erat & demiſſa ad talos) linteo ſuccinctus, ad abluendos abſtergendoſque auditorum pedes ſe accingit, ab Juda (ut nonnulli tradunt) incipiens, ſi forte furibunda mens tanto favore miteſceret, revocaretur-que ab infando conſilio ad priſtina obſequia amoremque Magiſtri. Sed ubi ad Petrum eſt ventum, tanti motus ipſe dignitate imperantis, exemploque tam immenſæ demiſſionis attonitus, recuſare & vehementer obſiſtere, nec ullo pacto ſe paſſurum inclamare. Sed flammatam Petri mentem, & erga Magiſtrum obſervantiam compeſcuit exuitque Salvator, nequaquam illum cæleſti potiturum aula, niſi auctoritati parêret, referens. Qua voce perculſus Petrus, non pedes modo, ſed manus ac caput ut lavaret, annuit.

E

obteſtatur, ſe Chriſtum nuſquam deſerturum,

14 His peractis, inſtante jam mortis hora, iterum Chriſtus apud ſuos concionatur; & eorum conſtantem fore neminem in ipſo diſcrimine, ſed fuga protinus omnes dilapſuros, prænuntiat. Sed Petrus præſenti animo reſpondit in veſtigio ſe prius moriturum, quam digito ab ejus latere diſceſſurum: cumque inſtaret, & bis terque id polliceretur, Chriſtus intuitus hominem, ter, antequam Gallus caneret, ſe ab illo abnegatum iri aſſeruit. Inde trajiciens torrentem Cedron, qui ad ima decurrit Oliveti, alte ipſis in ſaxis pedum impreſſo veſtigio, in ipſum perrexit Olivetum, ab Oriente ſpectantem Hieroſolyma, ſexto diſcreta ſtadio, ſubſeditque ad ipſius radices, ubi defixa genu veſtigia remanſere petra cedente (erexere pii, in loci factique memoriam, ſacram poſtea ædem) ac ſecum abductis Petro, Jacobo & Joanne, & noctem illam inſomnem traducere interque preces juſſis, ipſe ſtratus humi fundebat Deo preces: paulo-que poſt, tres illos diſcipulos à ſomno excitat; & denuo in precationes ſe effundit; ut hoc ſuo nos doceret exemplo, à precibus numquam ceſſandum eſſe; quando & ſæpe peccamus, ſæpeque oratione erigendi ſumus.

F

& negat ipſum ad interrogationem mulierculæ,

15 At armatorum cohors, circumdato ſtatione loco, multis luminibus accenſis, vaſto clamore irrupit in hortum, ardenſque rabie, Chriſto, proditoris jam oſculo noto, propinquat, jam jamque manus in illum injicere tentat. Non tulit audaciam Petrus, ſtrictoque emicans cultro, Malco, Pontificiæ famulanti aulæ, vim primo inferenti, obtruncat aurem; & inimico ſanguine deguſtato generoſeque ferocientem inhibuit Chriſtus, ſua ſe tutum potentia, & innumeris cæleſtium militum legionibus ſuccinctum, cedere in præſentia inimicorum

A rum furori oſtendens. Itaque, diſcipulorum fuga paſſim facta, devincîtur Chriſtus, trahiturque ad Annæ, magno LXXII Seniorum præpoſiti conſilio, quod erat ſanctiſſimum auguſtiſſimumque apud Hebræos, unius è Principibus conjuratiſque, ædes; non deſerit eum Petrus, ſequiturque cum Joanne, multo tamen interjecto ſpatio: intranſque demum Pontificis ædes, quid fieret, circumſpectabat; quando excelſus ille animus, immenſuſque amor, nullo antea turbine, nec tot armatorum adſpectu quaſſatus, unius mulierculæ voce infringitur, abnegato Magiſtro.

& aliorum, iterum ac tertio;

16 Nec multo poſt ad focum ſtans (quippe frigente bruma) bis eumdem in errorem delabitur: ſed ad tertiam vocem galli cantus, intentique in illum Chriſti oculi, palam homini fecere ſcelus: recordatuſque Magiſtri vaticinii, rubore perfuſus, & gravi ſimul mœrore anxius, deſerta Pontificis domo, lacrymabundus ſeceſſit; tantuſque mentem horror cum pœnitentia ſubiit, ut confitendo ſcelus mori percuperet. Fama etiam tenet, poſt conceptum illud ſcelus, infauſtamque cæca in nocte vocem, ad galli ſonitum, ingentem ſemper vim lacrymarum effudiſſe Petrum, adeo ut ora lacrymis rigata ſemper madeſcerent.

B

reſipiſcens, reſurrectionem Chriſti cognoſcit,

17 At Chriſtus, cum ſtupenda virtute ab inferis excitatus, mulieribus ſeſe oſtendiſſet, id Petro nuntiari mandavit, qui ſtatim veloci curſu ad tumulum cum Joanne cucurrit, hærenteque foris Joanne, atque ad ſecundam non intrante ſpeluncam, intravit audacter ipſe, procumbenſque ad Aquilonarem partem (quippe ſepulturæ locus, tribus in marmore palmis erat exciſus, proclinatis nonniſi corporibus in aſpectu cadens) adſpexit diffuſa linteamina ac ſudarium. Quibus viſis anceps diu ſtetit, inter ſpem metumque. Nec multo poſt, eo ipſo die, Chriſtus ſe illi viventem, & glorioſe triumphantem exhibuit, depulſo Petri ex pectore angore, & deleto illius noctis erratu, quo priſtinæ oblitus reverentiæ, tam impie in Magiſtrum peccarat. Sed ſic ſinebant cæleſtia, ut Princeps Eccleſiæ labaretur, quo facilius ceterorum criminibus indulgeret. At ſemel jactatus timoris undis animus, nullo poſtea hoſtium impetu fuit labefactatus atque convulſus: non Judæorum fraudes, non ſtricta Romana ſecuris, non crux alte ſublata, multiplici virtutum robore firmatam illius à Chriſto abduxere mentem.

inſpectumque it ſepulcrum,

D

CAPUT II.

Acta poſt reſurrectionem Domini.

Conſtituitur Petrus Eccleſiæ caput,

IGitur cum Chriſtus ſuos perſæpe divino aſpectu, alloquioque conſolatus exhilaraſſet, uni præſertim Petro divinæ mentis ardores large rorabat, tradito imperio aperiundi claudendique oſtia ſuperni Regni, ejuſque vigilantiæ atque diligentiæ Eccleſia commendata, adoraturis mox gentibus Numen, & thura laturis in omnem æternitatem. Nec multo poſt, cum XL dies fuiſſet in terris commoratus, evolavit ad cælum. Itaque Apoſtoli, ceteris cum auditoribus ad centum viginti, in unum coivere, cumque illis Maria Deipara. Ingens in illam cunctorum benevolentia, mirum obſequium. Nam decus oris illud eximium, totius corporis dignitas, ſumma venuſtas, ſumma caſtimonia, miA. SANCTORIO.

tiſſimi mores, ſuave alloquium, uteruſque non tactus, elargitus Chriſto lucem, demiſſaque cervix nullo faſtu præcincta, cunctos in ſe traxerant.

ac alium loco Judæ eligendum curat apoſtolum:

19 At, cum univerſi conſediſſent in Senatu, erectus Petrus, divina afflatus aura, oſtendit Collegis, oportere, ut veterum implerentur Patrum vaticinia, & in proditoris locum ex ipſo numero ſufficeretur aliquis, ne ſella inanis illa perenne dedecus ſacro in ordine teſtaretur. Prævidiſſe Davidem mille & amplius ante annis cum ſcelere etiam expiationem peccati, abſtergendamque communem maculam edocet. Quibus verbis ceteri aſſenſi, duorum nomina in ſitellam projecere, ut is forte duceretur, qui ſedem proditoris impleret. Hi fuere Joſephus, qui Barſabas dicitur, & Mathias; ſed Mathias felicior. Is igitur in duodecim Apoſtolorum Senatum cooptatur.

accipit cum reliquis Diſcipulis Spiritum Sanctum:

20 Poſtea, octo conſequentibus diebus, unanimes almi Spiritus adventum præſtolantur, omnibus corpora afflictantibus, in preceſque effuſis. Itaque momento temporis quati domus, & vehementer flare aura, & in unumquemque ignitæ linguæ cælo delabi viſæ, adeo ut almo omnes Spiritu implerentur, altiſſimaque intelligerent nudarentque myſteria. Obſtupeſceres, cuncta illis conceſſa gentium eloquia, ſummam dicendi vim, ita ut omnes Athenis natos educatoſque crederes. Augebatur admiratio, à perſonis tam antea inſciis ac rudibus, ſimulque in ſonitu vocis multarum linguis gentium auditis, notatiſque. Civitas ipſa Hieroſolyma, tunc florentiſſima, Judææque Regina, par quondam Suſis Ecbataniſque, & concurſu nationum clariſſima, ſtupida, Chriſti diſcipulos concionantes & ita ſubtiliter ſacrorum arcana librorum interpretantes, admirari. Par omnium ſtupor, inæqualis animorum jactatio, & diſpares ſententiæ erant: laudare alii & cælo factum tribuere; irridere alii, & vino languidos gravatoſque ea effutire jactantes: indigena cuncta in deterius, peregrinus pie accipere credereque.

E

increpat perverſitatem Judæorum

21 Quod ubi ſenſit Petrus, eundum arrogantiæ obviam, & premendam Judæorum impietatem ratus, ita in conſpectu populi cœpit: Si vobis ad cœtum, viri Judæi, mendacium adornandum eſſet, ne ſim, niſi longius accerſita verborum ornamenta, & lenociniis omnibus fucatas ſententias exquirere præſtaret: nunc, quando pro veritate ſtandum eſt, quid orationem calamiſtrem? nudam illam, & ſic elegantiorem, nulliſque ornamentis phaleratam excipite. Par erat, Auditores, vos in re poſt homines natos inaudita, & in omnem poſteritatem prædicanda, quia ſupra noſtram humanitatem fieret, facti divinitatem agnoſcere: non omnia per invidiam obcæcatos in deteriorem partem interpretari.

F

& ſanctiora docet

22 Modo paullo ante cives veſtros, convictores & fratres meos, quod ex omnibus gentibus convenæ audientiam feciſſent, omnium regionum ſermonibus divinitus perceptis, veritatem inſinuare videbatis: audiebant ſingulæ gentes civitatis ſuæ voces ſuas. Hieroſolymis peregrini, ſe eſſe apud ſuos putabant, &, ſi fateri vera ſineret odium, illi nobis ſecus rem accipere, quam vos, videbantur, cum unuſquiſque, attonito ſimilis, locutos profiteretur ſocios meos humano more majora; divino illa motu fieri, non humanitus illa patrari, cæloque reddebat, quæ

A. SANCTORIO. mei, afflatu cæleſtis & præpotentis auræ inſtincti, dixiſſent. Furere nos exiſtimabatis, & muſtum ſcilicet exſpumare jejunos; eos ipſos, quos ſuo judicio gentes exteræ collaudaſſent; eos ipſos, quos divina vobis, diſſimilibus quidem vocum ſonis, ſenſu tamen plane ſimillimo, enuntiare audiebatis; eos ipſos, quos luculentiſſima ſacrarum litterarum teſtimonia futuros, quos vates divino afflati ſpiritu ceciniſſent, quos Joëlis in primis ſanctiſſimi animus numine aperiente vidiſſet, quos ſuis omnibus coloribus ad vivum vaticinando expinxiſſet; vos callidi rerum æſtimatores, vino languentes per ludibrium edormire crapulam & exhalare vinum temulentos videbatis.

ex prodigiis factis 23 Quid? Num vobis veri confeſſio fulminibus excutienda eſt? Num naturæ voces inclamantis exſpectatis? Atqui, ſiquidem vobis liceret per malevolentiam meridie videre, non mutarum rerum voces, non fulmina defuerunt. Quid illa ſignificabant, cum impia nuper efferatiſſimæ immanitatis exempla apud vos edebantur? Cum magiſtrum meum, ducem veſtrum, vitæ lumen, rerum parentem, mundi moderatorem, per inauditam crudelitatem verberibus divexatum, & in crucem etiam (Præſide Romano diu recuſante, cum vos, offendi Cæſarum majeſtatem, & proculcari Romanum nomen vociferabamini) actum, etiamnum verbis lacerabitis? Quid illa lamentantis naturæ fluctuatio? quid diei lumen interdiu vel extinctum ſubito, vel in noctem abditum? quid maris, ſceleribus veſtris irati, concitatio? quid montium nutationes, ſuccuſſioneſque terrarum? quid emota ſedibus ſuis Hieroſolyma? quid auguſtiſſimi templi tamquam horror, atque jactatio? Quid (infandum dictu) functorum luce corporum è tumulis exſilientium in vulgus, & vobis audientibus, videntibus vobis, ad deteſtandi facinoris immanitatem ingemiſcentium, emiſſæ voces, quid ſignificabant?

in ſideribus, 24 Miſerum me, lugebant Solem ſuum extinctum pullata ſidera, atratum cælum Regi ſuo mortuo parentabat, & tamquam parenti ſuo funus natura produceret, lamentatrices ad cenotaphii, hoc eſt mundi luctuoſiſſimi, molem, aquam, terram, res omnes adhibere: &, ut vivorum lacrymas exprimeret, vi propulſos divinâ ab inferis mortuos excitabat. Vos interea, ſecuri rerum, obſeſſo, tamquam vallo, præſidiis buſto, fulgentibus ſignis, teſſera data, excubantibus cohortibus, tonanteque claſſico, ad ſpectaculum ſedebatis; &, ne nihil omnino agere videremini, tripudiabatis in luctu rerum omnium; & immaniſſimi ſceleris reliquias exſequentes, Deum infra mortuos amandabatis; eum ipſum, cujus occaſu, deſiderioque cælum, terra, maria, natura, orbata luce, fluctuare: atque veſtræ immanitatis machinamenta in irritum cecidiſſe, modo ſaperet, quivis intelligebat; modo oculos haberet, videbat.

in miraculis antiquitus prædictis. 25 Ille ſcilicet interiret, cujus interitum ſaxa lamentabantur? Ille apud inferos detineretur, qui ad ſuperos inferos expelleret? Non ſe vivum exhiberet poſt triumphatam mortem, qui vivere homines à morte juſſiſſet? Luce perfunctos luce donare, quo donarat alios, ipſe careret? Quo igitur modo illa vobis toties decantata, audita, & intellecta numquam Dauid vates egregius tueri poſſet, quæ divinitus edoctus ea de re cecinit? Quoniam (inquit) non derelinques animam meam in inferno. Quis non derelinquet? Deus, & rerum omnium, & ipſius parens. Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Quinam Sanctus? Qui mortuus per immanitatem veſtram ſepulturæ, non corrumpendus, ſed paullo poſt iterum victurus, traditus eſt. Enimvero libere, quæ novi, dicam, & quanta maxima voce contendam (facit audacem veritas) Illum ipſum, quem vos ex humanis rebus exegiſtis, quem corpore ſpoliaſtis, quem vos interemptum apud inferos eſſe putatis, illum ipſum vivum ſpirantemque, & longe diviniore luce renidentem, morte devicta, Deus ad ſuperos revocatum, nobis rurſus videndum tractandumque objecit: objectum ipſi inter oculos, interque manus habuimus; ſupra modum humanitatis noſtræ vigentes oculos, vultum, corpus denique totum agnovimus, & incredibili voluptate delibuti exoſculati ſumus. Itaque deponite iſtum, quæſo, furorem, voſque colligite; confitemini ſcelus, veniamque depoſcite; nullum enim tam grave ſcelus, quin pœnitentiâ expietur.

Tria hominum millia convertit, 26 Hac oratione, repreſſa nobilium arrogantia, & redditus noſtris animus, ſimulque ingens fiducia popularibus addita. Quamobrem tria millia hominum, Petri hortatu commota, eo ipſo die Chriſto adhærent. Hinc poſtea conceſſâ ad ſpecioſam templi januam, quæ ex ære Corinthio mirabili artificio inter fulgorem auri argentique, & operis præſtantiam omnibus anteferebatur aliis, ſedenti inopi, aſſiduo membrorum horrore correpto, ſtipem expoſcenti valetudine Chriſti nomine, major terror nobilitatem invaſit, quando nec Magiſtri morte reſciſſam legem, frenatave ora conſpiceret. Fremere igitur, ac tormenta reſpicere, apprehenſumque cum Joanne Petrum (quinque aliis hominum millibus Chriſtianam religionem amplexantibus) in Annæ ædes trahunt, ſtatimque Synedri advocati, Anna, Caipha, Alexandro, Lyſimacho, & Joanne Annæ filio præſidentibus conſilio, produci Apoſtolos, rationemque reddere jubent, cujus invocato nomine ea admiranda opera efficerent.

paralyticum ad portam templi ſanat, 27 Tunc Petrus, magna animi fiducia, mirari ſe quidem magnopere aiebat, quando tam vulgata ex ſe potius, quam ab aliis, quos publice docuiſſet, ſcire mallent. Sed, quoniam ſic illis libuiſſet, haud recuſaturum ſe, quo minus tantarum rerum redderet rationem. Omnia igitur illa prodigia haud exigui ſtuporis, fieri Jeſu nomine atque virtute, quem ipſi immaniſſime cruciatum, fœdiſſime interemiſſent, ac tamen tertia illum die ab inferis ad lucem à Patre revocatum, & cuncta illi tradita, abjectumque modo lapidem apud eos in capite anguli locatum: ſtare præterea in illo omnem ſpem, omnia bona, ſalutemque. Obturbavit Auditores Piſcatoris oratio & perculit ſimul, non clandeſtina cum magnitudine ſceleris veritas, quam ipſi variis involucris circumdare ac ſupprimere nitebantur, & libera vox elatis ſontibuſque in animis ſtomachum cum admiratione movit.

ſuaque, in Synagogam tractus, ſtrenue defendit *& abſolvitur.* 28 Itaque, amotis conſilio aliquantiſper Apoſtolis, quid agendum foret, ipſi conſultant: non ultra celari illuſtrem populo rem, nec ſe ire inficias; cecidiſſe in irritum tot labores; fruſtra ſuſceptas vigilias, aut machinamenta exquiſita; concuſſos Magiſtri morte iterum vigere animos, ſedatoſque efferveſcere; nec pulſum

ex

A ex hominum memoria exſtincti deſiderium; abſciſſo uno capite plura enaſci ac pullulare; nec novarum rerum finem umquam futurum; abjectiſſimæ conditionis hominibus divina conceſſa eloquia, cunctas diſciplinas; contra, ſua muteſcere & obſtrui objectâ ora veritate, ingemiſcebat. At ne omnino victi viderentur, cum in Gamalielis ſententiam, præclari ſenis, & licet Chriſtiana pietate inſignis, nondum in confeſſu ſeniorum Chriſtiani deprehenſi, ab univerſis itum eſſet, flagris cæſos, propoſita gravi pœna, ſi quis Chriſtum nominaret, aut concionibus, illius facta jactaret, Apoſtolos minaciter increpitos, nullâ in eos inventâ acerbius ſæviendi cauſsâ, dimittunt, haud ſtratis Apoſtolorum animis, quin Chriſti doctrinam populo enudarent, publiceque profiterentur, inter tormenta ſua & victorias magnanimi lætique.

Conſtituit Hieroſolymis Epiſcopum Jacobum juſtum.

29 Interea Eccleſia mirâ virtutum indole pubeſcere, latiuſque tot millibus in ejus complexum ruentibus propagari. Declaratur à Petro Jacobus, cognomento Juſtus, Hieroſolymorum Antiſtes, ſummo omnium aſſenſu, nulla ambitione perturbante ſuffragia aut Principis mentem, capite conſecrati bractea aurea fulgente ad inſignia majeſtatis ac ſacerdotalis decoris: aſſiduæ jam preces, ingens demiſſio, corpora jejunio fatigata, compreſſus veſtium luxus, quas tam profuſis ſumptibus parari noſtra vidit ætas: non fulgere oſtrum, aut fluitare toga, non palmata conſpici, non caudis verri humus, non urgeri bombyces, non ſollicitari maria, non effodi viſcera telluris, non è Panchaia accerſiri odores, nihil privata cupiditate poſſeſſum: tenues epulæ, communis ſtratus, communeque domicilium erant.

B

Ananiam cum uxore pugit.

30 Sed tam glorioſa religionis exordia, nixa virtutibus, admotis infeſtiſſimi hoſtis machinamentis obtremuere. Enimvero, cum avaritia (ex qua omnia propemodum mala mortalium in animos irrepſere, quamque furibundam victricemque noſtro exſultantem ſæculo vidimus) virum quemdam Ananiam invaſiſſet, conſcia etiam Sapphira uxore, ita ut, diminuto agri pretio, partem ſurripuiſſet pecuniæ, Petrus (cui magna ex parte cæleſtia arcana patebant) fraudem intelligens, accerſitum hominem, ac pertinaciter negantem, coarguit (raro quippe mortalis perpetratum contractumque perverſitate ingenii ſcelus gaudet eſſe in aperto, aut fatetur: fortuitum vero, ſi non ſpernit, haud magni æſtimat) ſimulque graviter reprehendit. Quibus auditis Ananias ſtatim corruit, atque animam exhalat, eâdem etiam infelici morte ſubtracta uxore, quæ, par ſcelere viro, eâdem pervicaciâ agitabatur. Horum inopinata morte tremefacti ceterorum animi, omnem penitus abjecere ſimulandi artem, lucrique cupidinem. Ita ex metu redintegrata virtus, auctumque obſequium.

C

Petri ſanctitas & miracula.

31 At Petri ſanctitas, cunctorum præconio celebrata, ac mira in curandis morbis felicitas, ingenique nominis fama, Judæam genteſque finitimas pervagata, ſummum omnibus videndi hominis deſiderium fecerat: ægroti, debileſque in vias paſſim deferri, ut non tactu, ſed umbra illius, valetudini redderentur. Ingens favorum prærogativa, ſed digna vertice Apoſtolorum, omnium ore Petri laudes decantari celebrarique. Lyddæ, ad mediterranei litus id oppidum maris ſitum, Dioſpolis inde dictum, Æneas, octo annorum curſu morbo fatigatus, ejus precibus in priſtinam valetudinem reſtituitur; & Joppæ Tabita, multis nominibus commendata mulier, & in egenos ſatis liberalis, à Petro ad vitam revocatur, ita ut momento temporis ſciſſæ mulierum comæ, flebiles voces luctuſque in lætitiam verterentur, tractis etiam illo prodigio quingentis ad Chriſtianam religionem mortalibus. A. SANCTORIO.

Mittit in Gallias diſcipulos.

32 Illud quoque miraculum ſumma in fama eſt. Nam, cum duos ipſe ex diſcipulis, Gregorium & Martialem (etſi alii Frontonem dicunt, qui Gallicarum victor ſuperſtitionum terrorque Druadum, frementes Rhodani ac Iſaræ undas compeſcuit, Chriſti vexillis prope Oceanum erectis, vel pallente Rheno ac trepidante Moſa) ad enuntiandam populis Chriſti veritatem dimiſiſſet, vellentque ii & exemplo & verbo docere mortales juxta Apoſtolica præcepta, Gregorius, cum inediam ferre non poſſet, itineris labore exanimatus, fato fungitur; triſtiſque Martialis, cariſſimo orbatus comite, fleniſque ad Petrum revertitur, remque illi, ut geſta erat, enarrat; quem Petrus ſtatim repetere iter, ſcipionemque, cui inniteatur, admovere defuncti cadaveri jubet: qui, nulla rerum tardatus difficultate, libentiſſime parens, revertitur; factoque ut illi Petrus injunxerat, ſtatim Gregorius jam XL dierum intervallo, è vivis exemptus, lucem ſolemque adſpexit. Tantos Eccleſiæ ejuſque Principi Petro cælum favores fuerat elargitum. Enimvero, quid tale umquam Judæus vidit? commemoret licet Eliæ atque Eliſei miracula. Quid? nulla hic circumplicatio manuum, non flatus in ora ingeſtus, non pectora calcata pectoribus, non præſentia cantuſve verborum, nec madefacta lymphis corpora; ſed ſiccâ virgâ vitales in exſtinctos afflantur auræ.

E

Simonis magi perverſitas,

33 At Sebaſten (quæ & Samaria nuncupatur) nobilem urbem, & vetuſtate illuſtrem, Simon, ex Gyttho vico quidam magus, ita præſtigiis diroque murmurum carmine, ſui in admirationem allexerat, ut cælo illum miſſum plerique venerarentur. Aſtutus homo & ſuo tumens ingenio arteque, eloquentia non ſpernendus, rudes accolas fama nominis eventuque rerum, quò lubebat, circumducere: nam elicere manes, quatere ſolum, immutare effigiem, cælumque obtegere nubibus, inductiſque fulgoribus turbare, aut grandinem ſuperfundere, micante etiam ſole. Sed Sebaſten accedente Philippo, profugo à Judæa, poſt Stephani necem graſſante in noſtros Judæorum crudelitate, confutatâ ejus doctrinâ, & ignotis antea præſtigiis detectis, multi cum ipſo Mago Chriſtum confitentur, & baptiſma ſuſcipiunt.

F

à Petro caſtigata

34 Qua re perlata, Hieroſolymâ læti Chriſtiani, eò Petrum Joannemque delegarunt: ſiquidem ſurgens jam inter infeſtiſſimos hoſtes res Chriſtiana, ad ſtabilienda Sacramenta, Capite & Principe Chriſtiani dogmatis indigebat; utque Petrus fundamentum æternum in ſoliditate & duritie petræ attollentem ſuæ hæreſis venena, ac colla ſerpentem confringeret, & primus Chriſtiani nominis Imperator, primum hæreſeos inventorem auctoremque, detecta & triumphata impietate proſterneret ad reliquorum terrorem atque ignominiam.

35 Igi-

A. SANCTORIO. *& correcta ad pœnitentiam:*

35 Igitur Petrus Sebaſtenos, poſt ſolitas preces injectis capiti manibus, almo Spiritu, quem obſtinate negarant, inſignivit. Quod ubi vidit Magus, miratus eo modo concedi almi Spiritus gratiam, ab Apoſtolis enititur, quod virtute ac ſanctimoniâ nequiret, vi pecuniarum ad tam grande donum accedere, oblato Apoſtolis pretio. Quod indigniſſime ferens Piſcator, converſus ad hominem, Pecunia, inquit, tua ſit tibi exitio, quando Dei immortalis munus pecunia æſtimari ſtareque tibi perſuaſiſti. Nefanda merces detegit impia vota, & male ſanus animus impio ſcelere fœdatur: ficta pietas; exſecrabile ſcelus. Armari ergo adverſus Deum tu poſtulas, ipſius opibus, ipſius virtute? Commonefecit etiam hominem ſceleris, ut pœniteret, rogaretque Deum, ſi forte precibus lenitus, tam dirum præpoſterumque judicium remitteret. Ille, mire territus, cæleſtemque veritus iram, quam aſſidua ſcelerum conſuetudine irritarat, exoravit Apoſtolos, uti ſui apud Deum meminiſſent, ne, quod ipſi vaticinati eſſent, ſibi contingeret. Hinc dirus ille mos mercandi eccleſiaſticos honores ac commoda, qui univerſam fere maculavit Europam; nataque hæreſis illa, quæ non à Deo, ſed à ſuperna quadam virtute provenire humanum genus, ſimulque gratia, non operibus beatum effici, affirmabat.

B

qui mox relapſus, cum ſcorto Romam tendit,

36 At non mediocris animi Magum ea repulſa diu noctuque ſollicitum habere; modo artibus ſuis inflari; modo veteres furoris atque arrogantiæ ignes, quibus paulo ante impatientiſſime deflagrarat, excitare; modo ſuum eo in ſolo nomen, paucorum egentiſſimorumque auctoritate hominum, ad ima proſtratum, indignari. Ergo cum cælo mutandam vitam, prius attentatis Judæorum animis, mire in noſtros crudeſcentibus, ratus, Romam adnavigare conſtituit, maxime lætus Claudii Cæſaris ſocordia atque inſcitia, qui facile cunctas in impietates impellebatur; cum & ignarus rerum, ad nutumque uxoris circumductus, & facilis ad credendum eſſet. In comitatum inſuper ſibi Magus ſocietatemque Helenam Tyriam, impuriſſimum, ſed egregiâ formâ miriſque artibus ſcortum, adſciverat: quam homo leviſſimus impudentiſſimuſque, abductam à proſtibulo, redemptamque à lenonibus, mentem rerum, & genitricem omnium, ac Troici illam belli excidiique decantatam Græcorum paginis, Helenam eſſe, per corpora vivorum ex Pythagoræorum diſciplina transfuſam, totque per æva ſervatam incolumem, inverecunde nefarieque jactabat: ut duabus rebus, audacia aſtui commiſta, & efflorescente meretricia gratia, ad facinus aptiſſimis, mortale genus pronum in voluptatem traheretur mollireturque.

C

gravioraque meditatur ſcelera.

37 Quid enim ſimulata adumbrataque veritatis ſpecie doctrina apud imperitos; aut quid gratioſa leporibus Venus in perfricata petulantiſſimæ mulieris fronte, & in illa quidem erudita ſcortatoriis laſciviis, excultaque munditiis lubricam æſtuantemque ſua vi juvenum apud ætatem non aſſequitur? Aderant apud illum venenata tela, ſcilicet impuri libri, adverſus Chriſtum conſcripti: ſimul præcepta de vitando martyrio, colendiſque idolis: cernebantur & impura ſacrificia & pollutæ aræ, muliebribus menſtruis ſemini virorum admiſtis, in diro carminum ſonitu, inter infandos amplexus, circumlata effigie Minervæ Joviſque inter vaporem thuris, & profanas voces.

D

CAPUT III.

Alia Petri opera.

Petrus Joppæ videt deſcendens è cælo linteum,

AT Petrus, peragrata Judæa, finitimiſque aditis gentibus, cum Joppæ apud Simonem ſutorem commoraretur, eſurienti jam veſcique cupienti ad ſextam diei horam (quippe nefas apud Judæos ad ſolennia feſtorum dierum, prius edere & gulæ indulgere) mirum cælo prodigium viſum: videre namque ſibi viſus eſt expanſum cælum, ex eoque magnum linteum quatuor initiis oriſque in terras dimitti, omni beſtiarum, quadrupedum, volucrum, atque ſerpentum copia refertum, inſecuta mox voce, ſeu monentis, ſeu imperantis, ut ea occideret veſcereturque: cumque ſe attrectaturum immunda negaret, tum vocem audire viſus dicentis, quod Deus ſacraſſet expiaſſetque, profanum ne duceret. Quod cum iterum ac tertio factum eſſet, vas illud, ſpecimen lintei præferens, cælo recipitur. Colligenti ſe Piſcatori, verſantique animo, quid oſtentum illud portenderet, multa occurſare.

E

mox à Cornelio centurione, viro bono,

39 Interim Cornelius Romanus, Italicæ cohortis ex ſexta legione Centurio, Cæſaream præſidio obtinens urbem inſignem Phœniciæ, Joppen inter Doramque ſecundum pelagus ad Ægyptum vergens, ab Herode Idumæo in Cæſaris honorem conditam Olympiade CXCII; plurimum apud ſuos, indigenaſque auctoritate pollebat, habebaturque cùm virtutum concurſu eximius, tum liberalitate in inopes vir illuſtris, tantóque populo gratior, quantò immanior ceterorum Præſidum avaritia exſtabat, cum, emergente jam Judaico bello (quod ſumma pertinacia ſumptum, funeſtiſſime, cum tot urbium excidio luctuque populorum, deſiit) magnæ crebræque cædes Judæam viduarent, certarentque cum Præfectis libidine milites, Alexandrinis Babyloniiſque apertam in cædem Judæorum ruentibus, minitante etiam Caio, inter cruorem & ſtragem læto, & extremum illis moliente excidium clariſſimi animi Principe, & omni flagitiorum genere infami, nec inter venerem, & voluptates mitigato ad dedecus penatium, mœroremque clariſſimarum familiæ imaginum; jam ex tunc infandi ſceleris pœnas vel invita Chriſto Judæa pendebat, cujus tam miſerando crudeliſſimoque facto indoluerat Cornelius.

F

per viſionem monito, accerſitur Cæſaream,

40 Huic tam pie viventi, & ad nonam Deo fundenti horam preces, divina juvenis forma, niveo candore præfulgens, viſus eſt, qui & preces ejus, erogataſque pauperibus ſtipes Deo acceptas fuiſſe commemorat: proinde accerſiret Joppâ Petrum, & quidquid ille imperaret, efficeret. Itaque ſtatim tres armigeros Joppen ad evocandum Petrum dimittit, qui ingreſſi urbem, adſtanteſque ad Sutoris fores, num ibi Petrus eſſet, exquirunt. Quibus Piſcator, divina præmonitus aura, ultro ſe illis offert, & quem quærerent, ſe eſſe confirmat; cumque his una Cæſaream contendit, excipiturque à Cornelio, obviam illi progreſſo; magno verborum honore & ſumma veneratione, adeò ut ſe ad illius pedes adorans proſterneret. Sed inhibuit hominem Piſcator, ſe quoque mortalem eſſe demonſtrans, edoctuſque de oſtento Centu-

A Centurioni oblato, ſuumque in linteo præmonſtratum intelligens: etſi ipſe Judæus lege, cum Ethnicis ſocietatem communicare prohiberetur, parendum Chriſto, impertiendamque cunctis gentibus gratiam ratus, Cornelium cum univerſa familia in Chriſti militiam adſciſcit, domumque ejus in templum erigit; multa de Chriſti ſignis, multa de virtute, de potentia, de anaſtaſi, adventuque in terras Sancti Spiritus præfatus: concionanteque adhuc Piſcatore, alma aura in omnes flavit, magna eorum, qui cum Piſcatore venerant, admiratione, quoniam exteræ quoque gentes tam præclaro munere ditarentur.

ipſum cum familia gentilem convertit ad Chriſtum;

41 Revertenti poſtmodum Hieroſolyma Piſcatori graviter objurgato ſuccenſuere Judæi Chriſtiani, Cerinthio præſertim oblatrante; homine profligatiſſimo, & poſt Simonem Magum hæreſis inventore, quoniam exteras ad gentes deſcendiſſet, uſque adeo Apella tumuerat, tantis in illum uſque diem immortalis Dei nobilitatus bonis, ut favorem, ſanctiſſimumque roratum in ligno cruorem, aliis cum gentibus communicatum indignaretur, quaſi Judææ anguſto in angulo, & in ſolo tot ſanctiſſimorum ſanguine virorum funeſto, ſervientibuſque Hieroſolymis, & non in Vaticano, æternaque Urbe, ſtatura habituraque perennem imperii ſedem, Chriſti nomen, atque majeſtas, & non in luce triumphiſque Martiæ gentis, aut in tam latis opibus, terroreque faſcium tam ſublimis, excelſique Dei humano cum genere fœderis pignus ſervandum foret. Sed Piſcator (cujus cruore æternum ſtabilienda in ævum Pontificia Romæ majeſtas erat) reddita ratione, quoniam Chriſtus pro omnium gentium nationumque ſalute mortem objiſſet, continuo mitigavit.

& ob idin dignatos ex Judaiſmo Chriſtianos

B

facile pacat.

42 Sed ad Conſulatum Claudii Auguſti ſecundum, & C. Licinii Largi, Eccleſia Judæorum, ſcelere turbata, grave vulnus accepit; Hieroſolymis, ſub Herodis ditione, occiſo Jacobo, Joannis fratre, & Piſcatore in dubio verſato capitis diſcrimine. Sed quoniam ad hunc locum eſt deventum, quot fuerint Herodes, ad claritatem hiſtoriæ pauca facere, non abs re fuerit. Antipater Idumæus, inter ſuos nobiliſſimus, commendatuſque propter egregii nominis opinionem à Cæſare Dictatore, occiſo jam Ptolomæo, profligatoque Alexandrino bello, luſtrante Aſiam; Cyprim Arabum Regis filiam matrimonio ſibi junxit, ut per paternas ejus opes clarius eniteſceret, potireturque Judæâ, cum jam diu in eam conjeciſſet oculos, ſocordiâ Hircani & gentis pervicaciâ levitateque adductus.

Digreſſio de Herodianis,

Antipatro Idumæo,

C

43 Huic inter alios Herodes filius naſcitur, inſignis virtutis prudentiæque haud ſpernendæ, veluti qui in robore juventæ conſtitutus, Parthicis Euphrâtem Romanas in Provincias [tranſgreſſis] Junioris Labieni auſpiciis, effuſi & late Judæam vaſtantis, fruſtratus iram; civiliumque inter armorum fragorem, in colluctatione Aſiæ Europæque, evitatis Cleopatræ inſidiis (quæ famoſa illa pulchritudine venuſtateque & Canopeis illecebris evertere hominem nitebatur) ab Antonio in Cyrrheſtica regione, ductu L. Ventidii legati, viliſſimi quidem hominis, ſed ad illam diem unici Parthicarum ſtratoris opum faſtûſque, & Craſſorum non ignobilis cinerum ultoris; profligato Partho occiſoque inſuper Pacoro, Orodis regis filio præſtantiſſimo, juvene haud infelici, jam antea Marte Romanæ virtuti luctato; Judææ regnum accepit, confirmatumque illi poſtea ab Auguſto in præmium tranſitionis, terribile finitimis & eventu & virtute reddiderit ſua, ſtratis ſæpe latronibus, & Arabe obtrito, Judæorumque faſtu (qui, nulla prope in Deum reverentia obſtricti, beneficiorum immemores, conculcatiſque patriis legibus, poſtquam Romana ſub arma ſervitum ierant, pervicacia animorum, & multo odiorum incendio vaſtabantur) compreſſo; ſed, domeſtico diſſidio infelix & multorum cruore ſaginatus, penitus exſecrandus. Nam Mariamnem, nobiliſſimam pulcherrimamque totius Orientis feminarum, fulmine ſuſpicionis irritatus, cum tot liberis, totque millibus inſontium occidit; ſuſtuliſſetque pari immanitate Judæorum nobiliſſimos, niſi peracerbe ſibimet infeſtus exoſuſque periiſſet.

Herode Aſcaonita, ejus filio.

A. SANCTORIO.

44 Huic Herodes Antipas ſucceſſit, pari crudelitatis nota infamis, ſed virtutibus inferior, cujus ſcelus, & atrocem deteſtandamque feritatem Joannis Baptiſtæ in flore juventæ detruncata cervix oſtendit, quando inceſto pudendoque Herodiadis, Philippi fratris quondam conjugis, amore inflammatus, ad exſaturandam ſceleſtiſſimæ nuptæ pruriginem, in puellæ ſaltu obligata temere dextera, inter pocula, ac feralem menſam ſanctiſſimi Vatum principis cruorem exſorbuit, eluſa quoque in Chriſti divinitate inter ludicra purpuræ, & dedecoroſum ſceptrum inter cachinnum aulæ exercituſque. Sed, in eum brevi poſt tempore juſta fulminante Superum ira, magnis Arabe ab hoſte incommodis affectus, dejectuſque regno ab Romano, tamquam Sejani conſiliorum particeps, Parthique fautor Artabani; Lugduni in Gallia emoritur.

Succeſſit ei Herodes Antipas,

E

illuſor Chriſti Domini:

45 Tertius Agrippa dicitur Romæ diu Tiberio imperante catenis oneratus, ſed mox, re Romana in Caii, Germanici Druſi filii, nutum tranſlata, in Judæam cum ſceptro dimittitur, addita Lyſaniæ etiam Tetrarchia, in bubone facta illi quondam ſpe regni, cui per ſeptennium imperio graſſato, Agrippa, Berenices, nuptiis Herodi patruo juncta, & Mariamne, & Druſilla liberi fuere. Druſilla à patre ſeptennis deſponſata Julio Archelao, Chelſiæ filio; Mariamne decennis Epiphani, Comageni Antiochiæ Regis filio, nupſerat. Igitur Agrippa cum occidiſſet Jacobum (quamquam ea cædes non omnibus grata fuiſſet, tamen ad mulcendos nobilium animos, quos Chriſtianis iratos infeſtoſque intelligebat, & ad comprimenda novæ religionis incrementa, uti terrore, & aliis bacchari cædibus ſtatuit.

huic vero Herodes Agrippa,

qui occidit Jacobum, fratrem Joannis,

F

46 Quamobrem in celebritate panis, fermento diſcreti (Paſcha Judæi nuncupant) comprehendi Piſcatorem, & ſtringi vinculis jubet, ut illius cruciatu corporis Judæorum ora oculoſque exſaturaret: nec in vinculis piorum preces deſtitutum apud Deum Piſcatorem ſinebant, cum nocte quam ſpectaculi dies ſubſequebatur, duobus militibus ſeptus, geminaque revinctus catena Piſcator dormiret, ſeu malorum oblitus, ſeu in Deo ſpem collocans ſuam, ſeu anxia periculo mente victus torpore futuros angores leniret, cuſtodeſque alii carceris oſtia obſervarent, mens è beatis una cælo miſſa experrectum Piſcatorem ſurgere, veſteque circumdare, & ſe ſequi jubet: ille, decidentibus catenis (quas

& Petrum carceri inclusit:

A. SANCTORIO *sed hic inde per Angelum eductus*

(quas nunc pictatis ergo tangimus ore, veneramurque insigne donum Eudoxiæ Augustæ, doctissimæ sapientissimæque feminæ, Theodosii junioris conjugis, Romam transmissum, concessaque illis in Exquiliis augustalia, deleto auctoris nomine) libera dextera veluti objectum oculis ostentum sequi cœpit, nec prius illi eximitur dubitationi, quam, primis secundisque præteritis excubiis, portaque ferrea, quæ ultro se illis expandit, tuto in loco, abeunte jam Angelo, constitit.

ad suos incolumis redit.

47 Quamobrem, recollecto animo, summas Deo gratias agens, quod se ab Herodis impietate, Judæorumque exspectatione eripuisset, domum Mariæ Joannis (qui Marcus dictus est, ipsi Apostolorum Principi perquam carus) petit, in qua pia familia subsedens in precationibus afflictabatur: nec pulsanti ostia nota voce, Rhode puella è fenestra prospectans, adaperuit, sed elata gaudio, rem ceteris enuntiat, nequaquam habita illi fide: nam id mortalibus insitum, ut, cum maximo alicujus desiderio tenemur, præ potiundi libidine minime nos assecuturos procul à spe positos credamus, animusque in plura distractus metu, spe, ac cupidine agitur, nec uni umquam firmiter inhæret. Lugebant nostri Piscatorem, nec illius tantum, sed suam quoque vicem dolebant, quoniam, in ea enascentis furoris acie, amisso Principe, summa virtute, efferatissimis cum hostibus, res futura esset. Passim lacrymæ, & squalor cernebantur: quisque puellam insanire, & sopore perfusam objurgare, cum, expansis demum foribus, in medium incolumis illatus Piscator, dubium mœroremque pepulit, simul læta plaudente turba, Christumque pio cantu concelebrante: nam, quo propior periculo metus, eo major lætitia fuit, illuso Herode cum impia Judæorum libidine.

B

Antiochiæ fideles appellati Christiani.

48 At nostri, cum Antiochiæ ad Orontem (quippe duodecim sunt hujus nominis urbes) Christianorum sibi cognomen adsciviſſent, cum antea Nazaræi dicerentur, ingens sibi peperere nomen: quippe florens opibus & pietate illustris civitas per plures annos Pontificia insignita sede, nostros benigne fovit, profugo extorreque Simone Mago, qui, antequam Romam contendisset, incredibili versutia usus, diu mortalium mentes obsederat, multisque scelerum portentorumque machinis quassarat, affecto injuriis Piscatore, ad ludibrium abraso circa verticem in orbem crine; seu ad lugubrem mœrentis animi statum id pertinere, seu in usu fuerat apud veteres in Sacerdotali ministerio, profecto apud nos venerationi datum, & sanctum ac venerabile visum, ad decorem, gloriamque Sacerdotalis dignitatis. Cum interim per Asiam reboante Christi classico, Romanam ad Urbem Religionis imperiique gradus fierent, quando, eâ perdomitâ, explicatoque Tarpeia in rupe Crucis vexillo, ceteræ orbis gentes haud cunctanter Christiana amplexaturæ jura forent.

C

Apostoli quas provincias sortiti ad prædicandum.

49 Jamque Apostoli sortiti inter se Provincias erant; Petro, Gallogræcia, Pontusque, Bithynia, Cappadocia, cum Catanoum gentibus; Andreæ, Scythia Europæa; Asiatica, Philippo; Palæstina, Jacobo; Asia, Joanni; Hispania, alteri Jacobo; Thomæ, Parthia, Arriana, Persis, Margiana, Susiana, quæque introrsus ad Bactra, ortumque Gangis extenduntur nationes; Matthæo, Regia solis, & ultima Æthiopum; Bartholomæo, India, ad Sapolum usque urbem, radicesque Imavi; Simoni Chananæo, Ægyptus, Thebes, & quæ illi proxima; Thadæo, Mesopotamia, Pontusque; Mathiæ, gentes Macedonum, Dardanorum, Triballorum, Bastarnarumque, & aliis aliæ obvenerant Provinciæ. Itaque divulgando passim Euangelio, mirisque ostentandis signis terrarum orbem implere, associante se illis præsertim Paulo Tarsensi (de quo suo loco memorabimus) viro clarissimo eloquentissimoque, paullo ante Damasci Judæorum ritu damnato, sese ad Christiana sacra conferente, cujus eloquentia, Judæis ingens terror, cunctorum ore celebrabatur.

D

Sententia Petri in concilio Hierosol. probata;

50 Hunc una cum Barnaba Antiocheni Christiani (exorta dubitatione, num Ethnici, qui in Christi complexum venirent, præputio mutilandi forent) Hierosolyma ad Petrum ceterosque Apostolos miserant, ut hac de re controversia, eorum judicio tolleretur: cumque in consilio diu disceptatum esset, vicerat Petri sententia, stante pro Ethnicis Paulo, qui nequaquam Ethnicos Judaico non necessario onere premendos asseruerat, quando Christus morte sua Moseos legi finem attulerit. In hanc igitur sententiam pedibus frequenti ordine, multa post Petrum elocuto Jacobo, itum erat: atque ita scribi Antiochenis placuerat.

E

eidem Antiochiæ contradictum.

51 Inde Piscator, Cœlesyria, Ponto, Asia, Bithyniaque lustratis, multisque creatis Episcopis, Antiochiam accessit, ubi acriter est à Paulo objurgatus, tamquam callide modo cum Ethnicis, jam ad Christi ductum applicitis, modo cum Judæis versaretur & modo hos modo illos auctoritate foveret sua, non quod ipse fide labaret, aut diversos mores imbiberet, ad jacturam nascentis dogmatis, fundamentum, & petra Ecclesiæ firmissima, atque Apostolici Senatus Princeps, rectorque terrarum; sed miti natura Christianorum mores tacito judicio arguere malebat, quam Principis in corrigendo locum implere; simul ad tollendas discordias, inter Judæum Ethnicumque suborituras, firmandamque soboleſcentem in tironum pectoribus religionem auctis incrementis, augendaque Rep serviendum tempori judicabat: quæ Paulo ingentissimi animi viro haudquaquam probabantur.

F

Petrus Romam cogitat,

52 At Piscatorem novus ardor videndæ Urbis, infandoque idolorum abraso cultu ad piam religionem traducendæ, incessit, subsecuturus simul Magum Simonem, quem fictis ingentem signis jam Romæ esse fama vulgarat; tanta Petro fiducia in Deo pari cum animi celsitudine inerat, ut vilis homo, & nullo virium robore munitus, claruſve nomine, Romanos fasces moliretur, contemneretque Romani nominis majestatem, cujus fulgur fragoremque, trans Hydaspem Gangemque vulgata, Indorum gentes horrebant, subactusque cum Oceano Rhenus demississime venerabatur. Itaque, quod nec armatæ consensus Italiæ, nec feritas Germanorum, non Gallorum ferocia, non Punici doli sexdecim per annos Italiæ viscеribus in stratarum cinere urbium, strageque exercituum bacchati sperarunt, ausus est, vicitque Piscator, adeo ut Romanam civitatem, tot impietatum nubibus offusam, elatissimeque gentibus imperitantem, cruore suo expiatam, Christo æternam in terris fecerit sedem, ejectis procul superstitionibus, calcataque prætumida fastu cervice.

53 Hac

A *gestisque per viam multis,*

53 Hac igitur spe concepta Piscator in Europam enavigat, passim Græcis gentibus Christi nomen enuntians : traductoque Athenis ad Christum Clemente, Faustini filio, insigni viro, illuc antea tempestate delato, provectus Tyrrheno freto, inviſa Sicilia, in Campaniam, Italicarum omnium regionum situ cæloque clarissimam, Neapolim accedit, mediocre olim oppidum, quod nunc, magnitudine sua Memphim ac Babylona æmulatum, transgressumque Carthaginis Corinthique magnificentiam, triumphanti victricique gentium vix cedit Urbi, par fortasse, si libertate sua frueretur, opulentis bellicosisque in Italia regionibus imperitans. Quam Piscator civitatem sacro adspectu honestavit, & plurimo splendoris ibi relicto, Asprenatem in Episcopum urbis consecravit ; operatusque sacra, stupendis cum signis suum in illam civitatem ostendit studium benevolentiamque. Cujus recordationem beneficii venerata posteritas, ipsum præcipuo in honore peculiari studio habet, nequaquam Romæ in illo percolendo, pietate officioque concedens.

B *Romam ingreditur anno 2 Claudii Imp. 18 Ian.*

54 Inde Piscator Urbem anno Imperii Claudii secundo ingreditur. Patruus hic Caii, in ejus locum, milite nitente, suffectus est contra Senatus auctoritatem, cum percupide veterem libertatem respiceret, qua magni Cæsaris virtute astuque spoliatus ; Augusti primum, deinde Tiberii sævitiam, & Caji mox infame nomen & diram Reip. pestem fuerat perpessus. Igitur Piscator xv Kal. Februarii Urbem intrat, qui dies apud posteros celebris exstitit, quo Roma patronum suum tutelaremque, fugando mox dæmonum cultu, vidit, supraque trabeam curulemque & Augustorum tremendam majestatem veneratura erat : datum id Romanæ pietati, etsi non immortali Deo exhibitæ, ut Capitolia, præter armorum terrorem gloriamque, cruore magni Petri expiata, Christianâ augustius majestate insignirentur, neque Calvariæ inviderent, cujus in cacumine signum salutis effulserat, sanctissimumque bustum cernebatur.

ubi aram in domo Pudentis Senatoris consecrat. C

55 Quamobrem Piscator, cum divertisset ad contribules suos in regionem Transtiberinam, & inde in ædes Pudentis Senatoris ad Viminalem in vico Patricio, ubi postea erexere pii aras, inter sacrificiorum solennia ab ipso Petro sacratas, magno studio, assidua diligentia, miroque ardore, Christi nomen religionemque Romæ prædicat, instituitque duos episcopos Linum & Cletum, quorum clarissimum nomen exstitit, ut unus in Urbe, alter extra Urbem in administranda Rep. ipsum adjuvaret : quando tanta rerum moles, unius nixa humeris, nutaret, tantique labores æque cum aliis communicandi partiundique forent, pluresque in eo rerum exordio desiderarentur Atlantes, qui non cælum (ut Poëtarum fabulæ voluere) natura sua perenne, nec humanis adminiculis egens, sed prolabantem atrocitate scelerum, fugatisque virtutibus, terrarum orbem sustinerent, mundumque alterum, juxta Christi imperium condendum, sanctimonia ac pietate attollerent.

Mittit suos, ipseque tendit, ut fertur,

56 At Petrus, non modo Romæ Christi ipse nomen enuntiare, sed per universam Italiam, destinatis etiam ad ultimas Ponti oras margines-que Cappadocum, & ad ipsam Meroën Alexandriamque Legatis atque Episcopis summæ sanctitatis summæque prudentiæ ; inde, exactis ad Claudii Augusti nonum annum, C. Pompeio & Q. Veranio Consulatum capessenti bus, ab Urbe Judæis (quorum contumaces animi multa rixarum materia alebantur) in Hispanias Britanniamque transmisisse fertur, ut eas gentes, feritate barbaras, diris erroribus imbutas, & majora sidera venerantes, armorumque aviditate truces, prorsusque ab omni humanitate remotas, ad veræ cultum religionis traduceret. Nec ingentem animum & Christi amore flagrantia pectora, locorum difficultates, nec alta alpium glacies, vix olim pervia Romanis, multum prius eluctato difficultatibus Hannibale Pœnorum maximo ; aut asperitas Pyrenæi saltus cautesque horrendæ ; non regiones frigoribus infames ipsoque situ terrarum enormes ; marique gentium discreta nomina, vix mortalibus nota, fregêre, quin non illas adiret, & intuta lustraret Oceani.

A. SANCTORIO.

in extimas mundi plagas,

57 Itaque in Britannia multos labores sustinet : nam ea Provincia, circumflua Oceano, & ferociâ accolarum terribilis, Romanorum avaritia atque libidine plusquam immodicâ, concitata in arma, veterem libertatem volvere, proculque secures & fasces depellere parata, atrox bellum Romanis moliri, Claudioque Augusto tertium, & Vitellio Consulibus, ingentes adierat calamitates. At Piscator, Britannia Hispaniisque remeans, trajecit in Africam ; passimque Numidis Massæsulisque enuntiata veritate, Carthaginem devenit, Africæ quondam Reginam, Urbis æmulam, & terrorem Italiæ, femineum opus, sed celebre memoratumque, cum sua, tum victorum pernicie ; inde in Ægyptum, servientem Legææ olim familiæ, provinciam Nili beneficio fertilissimam, structuraque pyramidum, Cariæ fastum æmulantium, Memphi Alexandriaque urbibus clarissimam, sed prodigiosis cæremoniis dirisque prorsus infamem, atque ridendam ; mox Thebas, nobilissimam illam urbem centum portis & tam numeroso populo acervatisque divitiis, scriptorum tot vocibus præconiisque decoratam, accessit ; visurus etiam Memnonis domum & secreta Auroræ extremaque Æthiopum.

Britanniam E

Hispaniam,

Africam,

Ægyptum,

Æthiopiam,

atque in Italiam redit.

58 Sed retro, gravioribus urgentibus rebus, revocatus, mox per Paretonium (qua Africa tellus prospicitur) in Libyam regreditur, & ea, circumjectisque insulis invisis, egregiisque Episcopis commendatâ gregis curâ ; in Italiam adnavigavit, Pisarum ora pressa, ubi nunc pervetustum sacellum adspicitur, in quo sacrificasse illum indigenæ perantiqua traditione accepere, consecratum à Clemente, dum Romæ litaret ad Vaticana, eò rapto per spiritum. Rursusque inde Romam concessit, majorem periculi molem adversus crudelissimum monstrum subiturus. Etsi non sum insçius, fuisse multos haud spernendæ auctoritatis scriptores, qui asseruerunt, Petrum cum universo Apostolorum Senatu ad decorandum Mariæ Deiparæ funus iterum accessisse Hierosolyma, prodigioseque hominem ex Europæo solo sublatum, nullâ contactâ Asiaticæ telluris (quæ Europam prospectat) arenâ, aut calcatis undarum fluctibus, nascenti redditum soli : satis id creditum, & posteritati transmissum.

F

A. SANCTORIO.

CAPUT IV.

Congressus Petri cum Simone Mago Romæ.

Simonis Magi artes ac veneratio Romæ

INterea Juliæ Agrippinæ, Druſi Germanici clariſſimi Imperatoris filiæ, dolis ſublato Claudio, qui per XIV annos rem Romanam obtinuit, potitur rerum Domitius Nero privignus, inclytâ familiâ, modeſtâ juventâ, & quinquennio tolerabilis Princeps; deinde, plurimis inauditiſque ſceleribus infamis, Romano nomini ſempiternum dedecus. Hunc, ſæve regnantem, vanitate ventoſum, incredibilium cupitorem, ſocordem & plurimis illecebris turgentem, Simon Samarita (de quo ſuperius docuimus) aggreſſus, ita ad ſui venerationem convertit, ut Nero, hominem adorans, jam aras illi erigeret, cæderet victimas, litaretque conſecratis flaminibus, Claudii vitrici levitatem æmulatus. Auget ſui admirationem ſpectris Samarita, varias in formas ſuam mutando effigiem;
B & modo Neroni inopinato ſe oſtendendo, modo divinam ſibi aſſerendo naturam, fictis ſignis.

apud ipſum Neronem Imp.

60 Nihil non creditum apud ignavum Principem, & majus augeri illius in Simonem cum veneratione ſtudium: illum Jove natum præſidere Capitolio, nobilitare Palatium, tueri faſces, ſervare aquilas, & Romanum fovere nomen; incolumitatem mortemque ab illo pendêre aſſerebat. Cæſaris impudentiam ſequuntur Romani: nam, quibus moribus Principem videris, iiſdem addictam civitatem propone. Nec pudebat nobiliſſimas animas, mortalium contemptrices, & ab innato faſtu terribiles, humilem, abjectumque Sebaſtenum, è latebris Judææ erumpentem, & magicis artibus famoſum, tanto ſtudio venerari celebrareque, ut nihil ſupra; vel invidente Jove in tantis ſpoliorum acervis ad externi hominis coaleſcentem favorem apud mortales, vel uſurpato nomine. Helena quoque ſocia, in Minervæ transfuſa numen, erectis ſimulacris poſt Troïca funera ac cineres, Tritonide virginale decus lugente, ſibi ereptum in Virginum pugna, ad Libyæ mœrorem atque juſtitium.
C

Petrus & Paulus Neronem aggrediuntur ſuper Mago,

61 Hanc impietatem, latius ſerpentem extollentemque non tulit Piſcator; ſed confirmato animo, adveniente ad Urbem Paulo (quem in laboribus & in ſummo cruentiſſimorum certaminum æſtu ſocium adjutoremque Petro ſponderat Deus; brevique triumphata Cæſaris impietate, ſtratiſque magicis præſtigiis ad cælum evolaturum prædixerat) Neronem adiit, graviſſimeque hominem objurgavit, quoniam Simonis infatuatus fallaciis, oblitus nominis majeſtatiſque, tam ſceleſtè illius juſſa capeſſeret; ſimulque in Magum invectus, ejus fucos arteſque nefarias eludat. Angunt ea verba Neronem, & non viſus antea Piſcator obturbat, quoniam tanta animi fiducia loqueretur, ut Cæſarem ipſum, & Romanos faſces moderantem obliviſceretur. At notus fama ac litteris Paulus in admirationem hominem conjecerat: ſiquidem Pauli nomen, latè gentibus illuſtre, Romæ etiam extollebatur, cum admiratione Auguſti ac Senatus. Pie fabulatur antiquitas, Paulum junctum Annæo Senecæ, cum Afranio Burrho, juventæ Principis moderatore amicitia, ejus auctoritate innotuiſſe Auguſto, D
ſæpe in Senatu ejus litteris recitatis, modo probante, modo muſſitante Nerone; recitat & epiſtolas ultro citroque miſſas.

qui trepidans ad conſpectum Apoſtolorum,

62 At Magum gravior cura premere, & notam Petri ſanctimoniam & victricia eadem arma formidare: ceſſiſſe illius virtuti in Judæa, ceſſurum etiam Romæ; caſuras in irritum artes, nec fucos valituros: non Neronem Poppææ Sabinæ, pulcherrimi ſcorti, criſpantem cæſariem, legentemque capillum, ac per magicos amfractus, & nefanda ſecreta provolutum in omne flagitium, aut Romanos cunctis ſuperſtitionibus in funeſtiſſimo deorum cultu ſervientes; ſed duo illa Chriſtiani nominis decora, duo clariſſima ſidera, duo fulgura virtutum, duas victrices animas & cælo ſelectas augurabatur, & ſtare ante oculos conſpiciebat, metu ſimul & vecordia agitari. Itaque, audaciam vultu præferens, & quaſi nihili Apoſtolus faciens, dicendi mora cuncta in longinquum tempus trahere, modo ſepulturum injurias, modo ſe miſereſcere illorum conditionis, aiebat. E

paſciſcitur tamen, de mortuo ad vitam revocando,

63 Sed, urgente Petro & aciem oſtentante, commotus Magus (ne apud Cæſarem infamiæ notam ſubiret, duorum hominum verbis convictus cum paulò antè ſe naturæ parentem, ſe Dei filium, ſe cuſtodem terrarum jactaſſet) in eam conditionem cum Petro deſcendit, ut, ſi quis mortuum ex inferis excire nequiret, morte multaretur. Placet Petro conditio; lætatur & Paulus. Quamobrem, cum nobilis quidam adoleſcens, gentilis Neronis, funere efferretur, ad eum excitandum ambo conveniunt: adeſt & Nero pronus in favorem venefici (quippe ſimilitudo morum ſceleruntque arctaverat amicitiam) concurrunt & nobiles, tota denique civitas in ſpectaculum ruit: diſpares animorum motus, incertæ ſpes & diverſus vulgi favor, diſſonum murmur, & nuſquam ſilentium erant: cerneres tumido greſſu Magum, elata cervice, & mortalia prorſus faſtidientem; è contra, Petrum, ipſa canitie venerandum, hilari ore, & moderata animi æquabilitate ac ſubmiſſione conſpicuum, & neſcio quo divino fulgore micantem: hæc eadem & Paulum honeſtare.

quod fruſtra conatus eſt præſtigiator, F

64 Accedentes cadaveri, princeps Simon ſuas experitur artes, admotoque auri adoleſcentuli ore, cum profana carmine & diro murmure inſonuiſſet, qui defunctus jacebat, tollere & quatere ſimul caput incepit. Tunc, exorto cum clamore circumſtantium fremitu, quiſque ad aſtra Simonem evehit; vivere adoleſcentem vociferatur; poſcit ad ſupplicia Piſcatorem, & irarum flammis ebullit: ſtrepunt animi & dira minantur. Inflatur ea, ad breve tempus duratura aura, Magus: jam manu aſtra tangit; jam deſpectat Apoſtolos. Non obruitur ea tumentis undæ procella Piſcator, & impavidus manu ſilentium (cum incalerent geminarenturque populi voces) expoſcit. Ubi vero, ſedato populi clamore, univerſi ſilentium tenuere; nequaquam, ait Petrus, illud, quod omnium oculis magicis ſuperſtitionibus ſubjiceretur, veritate niti, ſed fucatum eſſe, & ſpeciem veri imitari. Quod ſi certum eſſet adoleſcentem ſpiritum ducere & hac communi aura frui, ſurgeret, ambularet, loquereturque. Sed, quo facilius Simonis artes deprehendatis (inquit) quam ſint fallaces, quam vanæ, quam ineptæ, ſecedere illum

illum pauliſper à cadavere ſinite; & tunc innotuerit, utrum adoleſcens vivat. Quo facto, adoleſcens numquam moveri viſus eſt.

Petrus vero, fuſis ad Deum precibus, præſtat.

65 Tunc Petrus, aliquamdiu precatus Deum, adoleſcentulo, nomine Jeſu Chriſti ſurgere imperavit. Reddita luce, adoleſcentulus loqui, cibum capere & deambulare incepit. Quo miraculo attonita Civitate, mutata ſententia (ut ſunt mobiles vulgi animi) omnes laudare, extollere, admirari, percolereque Petrum; contra, Simoni maledicere & dira precari: arreptiſque ſaxis obrutura illum concitata multitudo erat, niſi obſtitiſſet Petrus, hoc ex devicto hoſte trophæum referens, ut invitus ille Chriſtianæ religionis incrementa diffundi latius, cæloque attolli conſpiceret. Lætis animis Chriſtiani eam victoriam celebravere: contra, Simon, dolore ignominiæ, & Petri gloria inſaniens mœrenſque, ceſſit Urbe, multa de ſorte conqueſtus; quoniam ad illum uſque diem ſemper victorem, & artibus ſuis mirificum, Martiæque gloriam gentis majeſtatemque calcantem, momento temporis obſcuro ab homine funditus everti ſiviſſet, & non niſi in latebris ac fuga locum ſibi reliquiſſet.

Hinc in illum

66 Et Neronem pares irarum ſtimuli & hauriendi cruoris ſitis vecordem agebant, nec impurum illum animum, materniſque furiis exagitatum, tot peremptorum virorum funeſtus adſpectus, facies Urbis diro incendio fœdatæ atque convulſæ, non conſcientia quietum ſinebant: modo furore quati, modo ira turgere, & Petri admirandis ſignis abſterrebatur; modo in vindictam procul fugientis Simonis inardeſcere, quem ſibi cariſſimum, & ſalutis auſpicem ſuæ, Petri virtus Romanis penatibus extruſerat; temeratam ſimul religionem, offenſos patrios deos, & Romana templa polluta Apoſtolorum præſentia credere. Ideo, ne Statoris ædem, ab Romulo Urbis conditore fundatam, & ſubacti orbis trophæis nobilitatam aut Junonis Capitolinæ cuſtodis Arcis ignotorum hominum verbis exſcindi atque aboleri; ſimul Martis Dianæque numen, quo ſtare militiam, ſtare Aquilas, & cuncta in terrorem hoſtium verſa putarat; aut bellantem pro mœnibus Palladem Urbe pelli; & Chriſtum Romana ſub ſecuri cadentem & Crucis ſupplicio mactatum, in Capitolio adſpicere calcantem Romanas opes, & in ſe cuncta trahentem, aut vilem hominem in excelſiſſimo Cæſarum ſolio ſedentem, graviſſime indignari triſtarique, quando id Patroclus, Pauli virtute ad vitam revocatus, ei nuntiaſſet.

s in Paum

67 Nec minor hominem à Pauli concionibus cum terrore admiratio circumſederat: ſtupebat magnitudinem animi, & eximiam doctrinam, ac tonantem fulgurantemque eloquentiam: nam univerſa fere Aſiâ luſtratâ, & inviſis, ſi non præſentia, attamen famâ, Ecbatanis, Canopi enaſcentiſque guſtato Nili principio, & per magnam Europæ partem evagatus, cunctis gentibus admirabilis exſtiterat; Academiæ doctrinâ confutatâ; Areopagi fractâ pertinaciâ, & ipſis Athenis, rerum ac ſapientiæ inventricibus, doctrinæ illius fulgore perſtrictis: & tunc in togato terrore, illius voce Romana roſtra circumſonabant, admirante Curia, obſtupeſcente foro.

68 His de cauſis Nero acriter Apoſtolorum imminebat exitio, atrox ipſe, & aſſentatores perpetuum aulæ malum, gravius inhumanam illam feritatem, ingeniumque etiam in voluptatibus ac Venere præceps, in cædem ſtragemque inflammantes, præcipue Agrippa Urbis Præfectus, divitiis potens, dicendi artifex, aſtutus & apud Principem gratioſus, cum ignominiæ ac repulſæ dolore cruciatus infeſtiſſime in Apoſtolos inveheretur: nam nonnullæ illius pellices Petri cohortationibus illius amplexus reſpuerant; nec minis, aut promiſſis, aut blanditiis lacrymiſve (quibus maxime muliebris animus tunditur frangiturque) flecti potuerant: ſimul multorum ſcelera patefacta, & reprehenſi laſcivientis civitatis mores, magnam equitum manum in Apoſtolos armaverant, ſociatiſque arrogantia cum prurigine armis, infenſiſſime crudeliſſimeque adverſus Apoſtolos dimicare, nam tota fere nobilitas, ſelecta ex pube Romana, aſſueta Neronis illecebris, à priſtina integritate degenerans, & in omnem provoluta libidinem, abduci à complexu ſcorta pelliceſque, peracerbe ferebat.

A. SANCTORIO. *indignatio Neronis,*

aucta ex odio Judæorum,

69 Enimvero Petrus, etſi antea uxoratus, caſtimoniam tamen præcipue amplexandam colendamque aſſiduis concionibus perſuaſerat laudaveratque; & Paulus cælibi vita ſe ipſo major auguſtiorque apparebat, quando plus exemplo, quam verbis auctoritatis inſit: multùm inſuper Petro officere, quod Judæus eſſet, quando illorum nomen vile ſemper apud Romanos maximeque exoſum, flagrante tunc Judaico bello, ubique terrarum explodebatur. Quare Judæi graviſſima mala & inexplebilem Præfectorum avaritiam, intolerandamque libidinem perpeſſi, illatis nocturno tempore intra mœnia Romanis aquilis, & ipſa Cæſarum effigie, mirum in modum exacerbati (Divino numine atrociſſimas, & jamdiu debitas tot ſcelerum pœnas repetente) adverſus Romanos ceperant arma.

armis Romanos laceſſentium.

70 Itaque ſummis viribus, ſumma contentione, apertoque Marte bellari cœptum, adeo, ut pulſus Ceſtius Dux Romanarum copiarum, belli ignarus, pecuniis inhians, & ſuis ac hoſtibus juxta deſpiciendus, terga dederit. Nec multo poſt miſſus à Nerone ex Urbe Flavius Veſpaſianus, inſignis nominis Imperator, diuque Britannico exercitus bello, advenit; qui veteri Romana diſciplina, patriaque virtute, contundere Judæorum audaciam (qui ex proſperis ſucceſſibus, ac tumultuariis feliciter concertatis prœliis arrogantiſſime intumuerant) aggreſſus, pulſo ſæpe hoſte, expugnatis exciſiſque oppidis, devaſtataque provincia, victoriæ jam prope compos, crudeſcente civili ſeditione, tribus Cæſaribus occiſis, ad Romana bella, Tito filio, egregiæ indolis virtutiſque adoleſcentulo, ad profligandas Judaici belli reliquias, in Aſia relicto, deſcendit. Sed hæc poſtea obvenere.

Magus Romam redit

71 At Simonem Magum, annuo exſilio multatum, nudatumque caterva auditorum, veterem refricantem injuriam, & in fuga terribilem impatientemque, & Petri gloria anxium, repetendæ Urbis, alloquendique Cæſaris (quem facilem promptumque ad omne nefas haudquaquam priſtinæ conſuetudinis oblitum exiſtimabat) ingens occupat libido. Quamobrem, Romam reverſus, iterata familiaritate Neroni jungitur, gratus illi acceptuſque. Enimvero Magus, mira calliditate, & variis gentium moribus edoctus, Neronis ingenium rimatus, ita adula-

A. SANCTORIO.

adulatione illud aſſequi inſinuareque ſe illi, ut Cæſari & terribilis & gratus, ac mirificus appareret, videbaturque Neronianæ crudelitatis victor poſt domeſtica funera crematamque patriam unicus ac ſingularis, cum invidia multorum ad nobilitatis aulæque ludibrium, inter aggeſtos cæſorum Magiſtratuum cumulos, & fumantes templorum ruinas, in publico ſqualore diroque excidio.

ſeque, ait, volaturum in cælum ſtatuto die & loco.

72 Quamobrem Magus, Neronis totus, advocato in concionem Populo Romano, permittente Cæſare, luculentam orationem exorſus, ait, ſe multis & graviſſimis Galilæorum (ſic enim noſtros vocitabat) injuriis offenſum, nullam poſthac tuendi Romani orbis conſervandæque Urbis curam ſuſcepturum; ſed fordeſcentibus ſibi terris in cælum evolaturum, ſeſſurumque in Jovis curuli in concilio deorum, cœtuque felicium animarum, calcatâ ſiderum pulchritudine, & penetralibus Olympi ad æternam quietem. Proinde ſtatuturum diem locumque, quando id faciendum eſſet, ſtupente populo & ipſo Cæſare Simonem ſupra cæleſtia reputante. Statuitur igitur ſimul dies locuſque:

B

theatrum nonnulli, Capitolium alii, ad id electum referunt; ſeu propter celſitudinem Capitolini clivi, ſeu propter loci nobilitatem, cum nihil in terris fuerit auguſtius: nam totius orbis manubiæ & ſtratorum opes regum ibi ſuſpenſæ cernebantur, rupeſque illa ſæpiſſime regio cruore maduerat, videratque catenatos reges, calcatam purpuram, & nobiliſſimarum arma gentium, victorum pedibus ſubſtrata; penateſque demum dii deæque, & quidquid cæremoniarum ſuperſtitioſa vetuſtas venerabatur, ibi, tamquam in tutiſſima arce, in ſignum æterni imperii perſancte religioſeque ſervari.

Incipit volatum è Capitolio

73 At Petrum ferunt, præſcium jam mortis, in Clementis favorem animum vertiſſe, cedenda illi curuli rerumque faſtigio, & Clementem tantæ exſtitiſſe demiſſionis, ut ſe indignum hoc munere prædicarit & alteri ceſſerit. Quod poſteriores Principes admirati ſunt potius, quam imitati. Nos, Clementem ſediſſe tertium à Petro, ſcimus, adoratis in Eccleſiaſticis Faſtis Lino ac Cleto. Sic majorum firmavit auctoritas, conſenſuſque clariorum virorum. Interim Simon jactantiâ prætumidus,

C

laurea redimitus, ne fortè Jovi aut Apollini inferior Romanæ ſuperſtitioni videretur, & quaſi ſuperna vectus ad regna, ibi triumphaturus, Capitolina in culmina adſcendit, expanſiſque lacertis, ſe præcipitem dedit, & ſecare auras, ſeque altius cælum verſus ſuſtollere incepit. Cachinnari ad Apoſtolos Nero, miro perfundi gaudio, affirmareque, Simonem divinum hominem; eos vero veneficos & ſeductores: plaudere nobilitas, quiſque hiſcere & obſtupeſcere, volitantemque per aëra Simonem intueri contemplarique: quis tantum mortali conceſſum crederet? Verſa naturæ jura: non minus hominem gloriari pennis, quam aves: nihil illi arduum: nec plus licere Jovi. Caſum Icari & Dædala ingenia, vulgata olim fabulis, in memoriam revocare, & pro veris habere.

tolliturque in aëra ſtupentibus turbis;

74 Vulgus in tanta inopinataque re attonitum concuſſumque, intentis hominem oculis proſequi, ſolem illi brevi ceſſurum, aut laxatum iri cæli clauſtra exſpectare: nulla vox ſtrepituſve in tanta multitudine exaudiri; nec frequentiorem umquam, nec ex omni miſtam ætate antea viderat Capitolium tantam mortalium copiam. Adſcenderat Scipio Africanus inſigni antea curru, confecto ſecundo Punico bello; Macedonica, Gallica, ac Pontica trophæa, ſexcentaque carpenta, victarum gravata manubiis gentium, honeſtarant; mille duces lauream Jovi tulerant: & Simon tantos labores, egregiique nominis exiſtimationem gloriamque, una hora tenebris obduxerat, & vilem Romanis oculis fecerat, unicumque pro tot triumphis æterni nominis monumentum, Romanorum in mentibus fixerat.

D

cum Petri juſſu fugientibus dæmonibus,

75 Sed Petrus, tempus adeſſe ratus, quo Chriſti Dei magnitudo oſtenderetur, altaque Romanorum ex oculis caligo pelleretur, & magica ſcelera cunctis pateſcerent, ac nemo in poſterum divinos ſibi honores arrogaret; alta voce cum oraſſet, reſpexiſſetque bis cælum Paulus; Jubeo vos (inquit) miniſtros inferos, qui Simonem per auras avehitis, nomine Jeſu Chriſti filii Dei vivi, Simonem in terras dejicere:

præceps cadit fractus crure,

cum ſubito magus gravi pondere (ceſſante inferorum auxilio) labitur fractoque crure, ſumma ignominia affectus, vehementiſſimoque cruciatus angore, Ariciam conceſſit, ibique moritur, homo certe ſuis artibus ingens & Zoroaſtris gloriæ non cedens, Aſiæ quondam victor, & in Neronis comitatu Princeps, illuſorque populi Romani, vix orbe contentus, ſolumque dedignatus, ac cæli menſor & ſiderum, ad pœnam ſceleris & arrogantiæ, claudus inceſſerat,

E

ac moritur.

videntibus populis, nec jam admirantibus Phaëthontis exitum & decantatas ore Poëtico fabulas, proſpecto infelicis excidio. Simone hoc pacto è vivis exempto, perculſus Nero, amici caſum indigne ferens, cum ſe quoque illâ victoriâ victum ſpretumque crederet, exoptatam jamdiu in Apoſtolos occaſionem arripit, ſimul & ut crematæ patriæ & funeſtorum ignium infamiam à ſe averteret, ſupra inſitum odium ſitimque cruoris in noſtros exſurgere.

CAPUT V.

Comprehenſio Petri, condemnatio & Martyrium.

F

Oratio Neronis ad Apoſtolos,

QUamobrem prehendi homines, vinctoſque ante tribunal ſtatui jubet: quos elato geſtu trucique vultu ſic affatur: Si ſcelerata veſtra audacia, & acerbiſſimus amici interitus, nos uti clementiâ & reſpicere mortales caſus ſinerent, nequaquam in cruciatu veſtrûm atrociſſimiſque ſuppliciis, communem dolorem communemque civitatis gemitum leniremus: verum in tot criminum atrocitate ſordeſceret clementiæ laus, & conceſſus vobis ſpirirus ſumma crudelitas haberetur, quando effrenata iſta ora, ſupra mortalia tranſgreſſa veterum ſacra, cælo auſpicata, temeraverint; inductaque vos hac exitiabili ſuperſtione, Cæſarum majeſtatem contempſiſtis; maledictis Romanum nomen proſciciſtis; tot nobiliſſimorum virorum geniales toros abductis uxoribus viduaſtis; & modo in conſpectu populi Romani, videntibus nobis, ante deos penates veſtris maleficiis occidiſtis Præſidem Capitolii, auſpicem vitæ noſtræ, ſalutem civitatis, & Romani nominis ſoterem.

77 Superbas animas [veſtras] & egeſtate confectas, ſceleribus efferatas, communique

gentium

A gentium diſſidio gaudentes, & machinatas modo (ſi mortali ope ſtaret) interitum Urbis, jam morti deſtinatas, num ex manu noſtra Deus ille veſter eripiet? Ubi nunc, Petre Pauleque, arrogantes illæ voces, ubi jactantia, ubi numeratæ Dei veſtri maximæ perenneſque opes? en teterrima ſuperſtitionis capita, terrarum orbis dedecora, & in cœtu illo nefario perditiſſimorum hominum principes, quibus nunc auxiliis mens iſta veſtra confidit? nulla vos vota, non Deus ille veſter, nec magicæ fallaciæ juverint: decepiſtis atque infatuaſtis Aſiaticas gentes, natas ſervituti; præbuiſtis admirationem rudibus, atque inſciis Africæ populis; & Europæos eâdem ſceleris maculâ polluiſtis; Sed Romanis nota Galilæorum ignobiliſſimæ gentis veneficia, nota piacula, noti errores impietateſque.

quos verbis caſtigat

78 Teſtor, Quirites, illum diem populo Romano funeſtum, & illum ipſum divinum cælo labentem hominem (qui mihi ſummi numinis inſtar erit) nihil hac ſuperſtitione, nihil hoc contaminatiſſimorum hominum grege in toto terrarum orbe aut turpius aut ſceleſtius reperiri, aut dari fœdius atque miſerius. Moriendum nunc vobis, Galilæi, eſt & morte veſtra piandum, ne quis in cruce laniatum hominem adoret, aut ultricia Romana numina contemnat: nullum hinc effugium. Nec enim dira veſtra murmura aut magica carmina, quibus ad terrorem utimini, pavet Romana ſecuris. Itaque, lictores, abripite iſtos nefarios, ſentinam Urbis, deceptores hominum; & dignis cruciatibus mactate.

ac mortis damnat.

B

79 Ut ſubticuit Tyrannus, catenati Apoſtoli Mamertinum in carcerem, ad ima Capitolinæ arcis defoſſum, truduntur. Haud terruit invictos animos, & jamdiu pro Chriſti amore neci devotos, Neronis immanitas mortiſve horror: ſed admirarereris animi celſitudinem & Divinam prorſus conſtantiam; & hilara illa ora conſpiceres non ſecus, acſi curru, ſexcentis hoſtibus ſtratis, Capitolia ſcanderent. Ita piis juſtiſque haud ingrata mors, ſceleſtis tremenda ac formidanda; illis felicitatem, iſtis ſempiternos cruciatus mœroreſque parit. Igitur Apoſtoli, traditi in cuſtodiam Paulino, clariſſimo viro; mox Mamertino, ſub duorum ductu Tribunorum, Proceſſi & Martiniani, præſenti animo mortem exſpectare: ſed ambo Tribuni, Apoſtolorum concionibus ad Chriſti religionem traducti expiatique ſacra unda, quæ repente ex imis humi viſceribus eruperat, eos incolumes dimiſere, haud veriti Cæſaris immanitatem; quem à perforandi Iſthmi incepto, difficultatibus natura revocans, in ipſis Olympiis projecerant in omne ludibrium, principem mimorum cytharœdorumque, ac aurigarum magiſtrum, non Romanæ moderatorem Reip., miſerante orbe ac lugentibus manibus Majorum.

Includuntur carcere Mamertino

& baptizant ejus cuſtodes.

C

80 Igitur piorum turba Petrum circumfuſa orare obſecrareque, ne cruciatibus, ne morte ſua Neronis feritatem ſatiaret. Repugnat Petrus & exceſſurum ſe Urbe negat; verſuſque ad eos: Num, inquit, turpi me pavore conſternatum capeſſere fugam, Romana tecta deſerere, alias adire gentes, & Neronem meo in tergo ludentem vultis adſpicere? Siccine Petrus tot laboribus perfunctus, jam ſenio gravis, dux Chriſtianæ militiæ, commiſſa ab Imperatore vexilla, in ipſo prælii ardore terroreque minarum, deſeruerit; nec Imperatoris reverentia, nec communicata virtus, nec traditæ bellandi artes, ingenſque in illo fiducia, mihi vadenti in aciem adverſus flammarum globos, crepituſque virgarum, horrenteſve mucrones, fecerint animos?

Petrus rogatus exire carcere,

A. SANCTORIO.

81 Quantum profecto à commilitonibus degenerarem, ſi immortali illorum virtuti cederem, egregiaque facinora imitari deſiſterem? Ideone flos ille eximius, Chriſtiani nominis gloria, & prima Chriſto victima data, Stephanus, in florentiſſima ætate præſtantiſſime pugnans, occiditur, ut Petrus, jam ſenex in Chriſti contubernio factus, abjectis turpiter ſignis, fremenți Neroni cedat? Turpe exemplum, gravi pœna puniendum; breves dolores cruciatuſve perenne gaudium, & ingentia præmia ſubſequuntur: nulla umquam ſine cruore victoria, & ea pernobilis, quæ ex ancipiti pugna. Itaque fratres, de fuga cogitare deſinite: omne animi robur, omnis virtus, in diſcrimen danda; decoro exitu vitam honeſtabo: nam naſci cum laude, nemini; cum decore mori, paucis à natura conceſſum. Plura dicere volentem prohibuere cum obortis lacrymis circumſtantium ejulatus clamorque.

generoſe id negat facturum ſe;

E

82 Etenim, ſi vitam ipſe nihili faceret, & cæleſti deſiderio teneretur, ac in tironum ſolatium tutaretur eam, quorum infirmi imbelleſque animi tot in fluctibus tempeſtatum, & inſtanti periculorum mole nutarent ſternerenturque, inſtantem teterrimum gladiatorem humano ſanguine bacchatum, imminenteſque Judæorum dolos, & lætos cædibus animos, & ſe undique periculis cinctos circumſpectare: & una eademque toto conſilio perſonabat vox, ex Petri ſpiritu pendere ceterorum animas. Quibus diu obluctatus Petrus, ceſſit tandem fratrum pertinaciæ. Quamobrem fauſta omnibus precatus, collucentibus ſtellis, ad vaſtum noctis ſilentium ab Urbe proficiſcitur: cumque haud multo interjecto itineris ſpatio, Capenam extra portam proceſſiſſet, ubi nunc eſt ſacellum ſub ſcriptione S. Mariæ ad tranſitum; Chriſtum obvium habet; provolutuſque ad ejus genua, ait: Domine, quo vadis? Romam (inquit ille) iterato Crucis ſupplicio afficiendus. Ergone, iterum Petrus, tu in Cruce paſſurus venis? Et ille dictum Petri confirmat. Tunc Petrus, intelligens, oraculum illud ad ſe pertinere; Regrediar ipſe & Cruci affigar. His dictis, Chriſtus evanuit.

tandem lacrymis ſuorum coactus, exit,

at Chriſto ſibi obviam facto,

F

83 Tum Petrus, repetita Urbe, reque fratribus nuntiata, iterum à Cæſaris ſatellite capitur, & ad Agrippam Præfectum adducitur: quem his Præfectus, ira fervens, compellat: Tune ille, quem popularis aura vehit, & abſtractæ toris puellæ decantant? Tune ille veneficus, & maleficiis gloriabundus elatuſque? Sed Petrus, interrito vultu, retuſa hominis veſania, ſola ſe Cruce gloriari, aiebat; eamque ſibi trabeam, eam ſibi faſces, eam ſibi curulem eſſe. Quapropter Præfectus, magis magiſque irritatus, Petrum, tamquam alienigenam ac barbarum, prius fuſtibus cæſum, in Crucem agi; Paulum vero, civitate Romana donatum, capite plecti jubet, lege Valeria ac Porcia; Romanorum civium præſidiis, propter impietatis crimen (id noſtris adſcribebatur, illudentibus deos) per centuriata comitia ſublatis, in exitium hominis.

mox regreditur

damnaturque Cruci.

84 Jam Nerone inter ludibria Magorum eluſo, non niſi cædes & ſtrages meditante, recitatâ

A. SANCTORIO. *varii inde variorum sensus,*

tatâ ex tabella sententiâ, sublatum est ab Ethnicis Judæisque murmur, festæ voces, plaususque ; ovans acerbius volitabat Judæorum impietas, conviciisque in Apostolos grassabatur ; & nondum Romano mucrone disruptis Apostolorum venis, cruorem anhelare : contra, apud Christianos lacrymæ in oculis, tremor in corpore, hæsitatio in lingua cerni, mœstissimos animos, præter Principum supplicium metumque sui, Judæorum lætitia ac tripudia atrocius fodere. Enimvero Judæi Ethnicique, demptis duobus illis Christiani nominis fulminibus, rem nostram infirmam, quassatam atque exsanguem fururam sperare ; nec litatis imperatoribus, imbelle vulgus timendum asserere.

at in Apostolis æquabilitas vultus,

85 At in Apostolorum vultu videre licebat summam gravitatem, summam sanctimoniam, summam majestatem, nihil de pristina hilaritate mutatum ; idem decus, eumdem colorem, eamdemque vocem. Itaque diu complexui mutuo inhærere : cumque jam segregarentur (accelerante supplicium satellite) Paulus ad Petrum versus, Salve, inquit, templorum fundator, Christiani populi pastor, & summe gentium parens. Ad quem Petrus, Tu quoque, buccina Christi, decus militiæ fiduque populorum, lætus ad superna proficiscere. Hac die ingens nobis merces parata ; æternoque una simul gaudebimus ævo. Ita se invicem cohortati, segregantur.

B

inter sese valedicentibus

86 Cernitur locus hodie, in sacellum erectus, extra Tergeminam portam, ubi ambo Apostoli noviſſimam sibi pacem salutemque dedere : quem locum indigena exterusque mira pietate adit veneraturque. At Petrus in Janiculum, Naumachiæ, deorsum juxta amnem positæ, imminentem (Paulo ad Salvias aquas ferro occidente) ductus, contemplatusque Crucem, Ave, inquit, salus gentium, Christi vexillum, cariſſima Crux, & nostro generi favens : per te patefactum est ad sidera iter, apertumque cæli limen, tu, quam nuper Integerrimi cruore madentem vidi, occumbenti hodie mihi ad salutem salutaris existe. Inde rogavit ministros, ut inverso se corpore in Crucem agerent, ne servus Principi æquaretur. His libenter paruere carnifices. Quamobrem, multa de Cruce concionatus, totus cruore madens, commendata Deo auditoribusque Ecclesia, tertio Kal. Julii feliciter exspiravit, Fonteio Capitone & C. Julio Rufo Consulibus, post Christum natum anno LXIIX, Imperii Neronis XIII.

atque generose occumbentibus.

C

Cædes Neronis.

87 Sed brevi subsequitur in monstrum ultio, erumpente enim ex Hispania Sergio Galba, Augustoque, ab exercitu ac Senatu acclamato, Nero conscientia scelerum pavidus, abjecto Cæsarum cultu fugiens, semet interemit. At, si de Petri ætate conjectari licet, octogesimum, aut paullo minus, illum attigisse annum crederem ; quando vergente jam ætate, Christo se junxerit, vixeritque triginta & sex annos ab excessu Christi. Undecim enim Antiochenam, quinque & viginti (mensibus sex & diebus XIX detractis) Romanam rexit Ecclesiam. Corpus ejus, à Marcello Appuleioque fratribus, magna veneratione & piis lacrymis decoratum, multoque unguentorum delibutum odore, in Vaticano, haud procul via Triumphali, ad Neronianos hortos circumque sepelitur : ubi Constantino Magno imperante ; sedatis jam Ecclesiæ fluctibus (qui per XXX Cæsares religionem nostram sæviſſime exagitarant) ingens illi templum construitur, bidente ligoneque ipsâ Augustâ solum fodiente manu. Sed recentiores Pontifices, sordescente illis veteri illa structura, longe majorem augustioremque, & tanto dignam Principe attollunt ædem. Cœpta stupendi operis moles à magno Julio II, cujus invicta admirandaque prorsus animi magnitudo, præter armorum gloriam restitutumque ampliſſimæ majestatis, fœde antea conculcatæ obscuratæque scelere Tyrannorum, decus ; pacis etiam artibus nobilitata est.

templum ei structum à Constantino Magno,

D

ossaque ibidem condita.

88 At, ut ad rem revertamur, Petri ossa una cum Pauli mista fuerunt, seu quia Superis id cordi erat, ut qui hanc captantes auram, familiariſſime simul vixerant seque adamaverant unice, mortui eodem busto clauderentur ; seu Asiaticorum invidia factum. Enimvero Asiatici, eo ipso anno, seu recurrente festi anniversaria die, pietate erga suos adducti, ac tanto Italiæ bono, tantæque felicitati invidentes, cum surripuissent illa corpora, detectique fuissent, concurrentibus ad arma indigenis perculsi, in puteum quendam ad Catacumbas (duobus aut paullo minus, passuum millibus extra portam Capenam locus hic est) dejecere ; inde cæleſti voce monstratâ, grandiora Concionatoris, minora autem Piscatoris, attestante ; mox à Silvestro Summo Pontifice (in Thraciam, ad occasum Romanæ magnitudinis, abscedente ad incolendum Byzantium Constantino) æque ponderata anno à Christi ortu CCCXIX supra porphyreticum lapidem divisaque, partim Vaticana, partim Pauli delubra habent : amborum autem capita, quæ surripere olim ausa feminea manus, mactatis sontium corporibus, diram exsecrandamque audaciam testata est ; in nobilem ac celebrem locum translata, summo cultu Laterano in templo asservari videmus.

E

ACTA
SANCTI PAULI APOSTOLI
Ex Sacris Scripturis collecta

Auctore Paulo Æmilio Sanctorio dein Archiepiscopo Urbinate ex impresso Romæ.

F

CAPUT I.

Pauli patria, statura, magistri, conversio, insidiæ à Judæis.

Genus Pauli

PAulus Pharisæus, familiâ Benjamin illustri ac clara ; quippe primo Judæorum Rege, ex ea progenito, enascitur, Cosso Cornelio Lentulo & L. Calpurnio Pisone Consulibus. Ipsius vero parentes jus Romanæ civitatis (quo nihil florente re Romana insignius habebatur) obtinuere, incoluereque Tarsum, urbem in Cilicia campestri nobiliſſimam : quippe Cilicia duas in partes scinditur, campestram acmontanam. Urbs ipsa Tarsus parvulo in tumulo exsurgens, Cyndo lavatur amne. Auctor illi originis Perseus, Danaës filius, vel (ut aliis placet) Sardanapalus, Assyricum dedecus, opere unius

cum

A cum Anchialon diei. Tantæ quondam Aſſyriæ fuere opes, ut per xxxvi Reges late Aſiam inumbraverint, pluresque condiderint urbes; demum, *& ſtatura,* epulis ac Venere flagrante in rogo ſemiviro, corruere. Erat Saulus corpore mediocri, alii brevi fuiſſe ſcribunt & incurvo; naſo, ad votum Perſarum, quod auguſtum in Regibus credunt, adunco & longiori, albo colore, hilari oculo, ſupercilio humi demiſſo, raro capillo, barba denſiori & promiſſa, pulchra & decora facie, & in ſe unumquemque trahente: ad hæc acri vehementique ingenio, præclaro animo & in ar- *Magiſtri,* dua prono. Cum hac virtutum indole à parentibus Hieroſolymam perdiſcendi cauſa mittitur, in Ethnicorum diſciplinis non mediocriter verſatus; ubi diu audiendo Gamaliele, ſingulari modeſtia & præſtanti doctrina viro, & Moſeos peritiſſimo legis, commoratur, tantumque vivido ingenio ediſcendique ardore in diſciplinis profecit, ut longe multumque contubernalibus ſuperatis, appareret omnibus illius doctrinam vimque in dicendo, Aſiæ terminis haudquaquam contentam fore, afferebatque parem ad patrios ritus defendendos animum atque audaciam.

B 2 Quamobrem juventâ & moribus terribilis, *ardor animi,* Stephano, condiſcipulo ſuo, perniciem non obſcure machinatur, reliquorum ipſe incitator & anteſignanus. Itaque, cum Judæi, mira Stephani contuſi virtute, hominem, patriis à legibus deſciſcentem convellentemque vetera dogmata, lapidibus ad Aquilonarem portam, Cn. Domitio Ahenobarbo & M. Furio Camillo Scriboniano Conſulibus mactarent, illorum veſtimenta cuſtodiens, ſuorum ictus oculis juvare, ſaxorumque in crepitu exſultabat, ipſius innocentiſſimi eludens cum riſu, precantis voces. Hinc guſtata ſæviendi in noſtros licentia, & tactis pollutiſque ſemel cruore faucibus, non quieſcere, ſed diriſſimo odii telo ſaucius, furere, omnia agitare, omnia quatere, globoque æqualium facto, noſtrorum in ædes irrumpere evaſtareque, miſeros in publicum trahere & graviſſimis affectos contumeliis diverberare & tradere ſuppliciis. In imbellem quoque ſexum, vel tutum contemptu ſui, apud hoſtem ferox; nihil denique illis pacatum ſinere, cælum illis crudele, infenſam terram exoptare, in gladiorum ſumma impunitate pulſatis ariete mœnibus, aut foribus ferro ſtratis, inter gemitus cadentum & cruorem acerbus immitiſque.

C 3 Magnum vulnus Eccleſiæ per hos dies illa- *perſecutio mota* tum: vulnerantur alii, in fugam alii vertuntur, alii fortunis ſpoliantur, poſt acerbitatem verberum & ſqualorem penatium. Quippe juvenis, gloriæ avidus, & nondum adverſis rebus jactatus, patriis in defendendis ritibus veram laudem ſe adepturum, & immortalitati nomen commendaturum credere ſperareque: nam immoderata vaſto præfervidoque in animo virtus, nequaquam ſolidæ aurâ laudis contenta, late ultra modeſtiæ decoriſque fines evagatur, rerumque pervertit ordinem, & Principes gentis & æmula nobilium cohors laudando adulandoque ferociam attollere, prorſuſque indomitis juvenem animis contumaci pugnacique ingenio, inſueſcere cædibus gaudebant, ac veluti noſtrorum in exitium natum admirari. Sed concepta non diu illis ſpes arriſit, multa cogitante mortali, & aliò ea Deo vertente.

4 At Saulus, cum propagari latius religionem noſtram, nec ullo pœnarum metu coërceri vi-

deret, impetravit à Principe Sacerdotum, Damaſcenorum ad conventus litteras, quibus fieret illi facultas cujuſque mortalis, Chriſti numen venerantis, devinciundi attrahendique Hieroſolyma. Hoc conſilio auctoritateque munitus (eodem etiam tempore Cajo diriſſimo monſtro, Romanos penates infandis cædibus depaſcente) nulla interpoſita mora, feſtinus, noſtrorum in excidium Damaſcum properabat. Qua divulgata fama, ingens noſtris terror incutitur: noverant enim, juvenem per ſe ferocem, inhiantem cædibus, ſæpe noxium, & jamdiu vincula ac ſtrages, cruoremque machinatum, & ſupra pervicaciam atque inſitum odium, acerrimum adverſarium, publiciſque nunc vallatum opibus horrendum, non ætati, non ſexui parſurum, ſed omnia immani rabie evaſtaturum. A. SANCTORIO. *contra diſcipulos Chriſti,*

ſ At Saulus, Chriſtianum ſanguinem anhelans, ſcelere amens, & furore vecors, jam magnam itineris partem confecerat, cum ſubito (Paullo Fabio Perſico & L. Vitellio Nepote Conſulibus, IIX Kal. Februarii, à Stephani cæde recurrente anno ac menſe) ſcindi cælum & ingens micare fulgur, obductaque face, Sauli in ora vibrare; adeo ut perſtricta oculorum acie animoque deficiens, equo decideret, inſecutâ mox voce, Saule, Saule, quid me perſequeris? Cumque pavidus ille quæſiſſet, Quis es Domine? & ille dixiſſet, ſe Jeſum eſſe, quem oppugnaret perſequereturque, durumque ac grave illi eſſe, ſtimulo calces opponere: tunc Saulus quærere incepit, quid ſibi facere imperaret. At ille, ut Damaſcum contenderet, admonuit: ibi enim, quid faciendum foret, auditurum. Comites vero Sauli par terror ſtuporque pervaſerat, concrepante voce, viſo nemine, ſtratum ante ſe cernentes Ducem. *cælitus tangitur* E

6 Quamobrem cum diu hæſiſſent, recollecto demum animo, hominem Damaſcum perduxere; ibique triduo, nullo guſtato cibo, luceque carentem, Ananias, à Chriſto præmonitus confirmatuſque, in priſtinum redigit robur, ſacraque lavat aqua, trepida etiam manu: tantum ſibi fecerat nomen Sauli ferocitas, ut etiam corpore languens, & luminibus orbatus, aſpicientibus terrori foret. Sed ingens ille bellator, uſque adeo Chriſtiano nomini infeſtus, ſexcenta pericula pro Chriſto ſubiturus erat, nomenque ejus Regibus coram, ac Cæſaribus intrepide tutaturus, vas electionis, decus Chriſtianæ militiæ, terror hoſtium, victorque gentium. Hoc pacto Saulus, Chriſti ſignis mancipatus, omnes ingenii vires ad amplificandam Imperatoris gloriam, omnemque animum ad abolendam impietatis notam convertit; palam jam Chriſtum confitetur; manaſſe jam bona, effulſiſſe numen, non ultra evolvendis libris terendum tempus eſſe, prædicat. Quare repentina mutatio ſumma omnes admiratione affecit. *atque Damaſcum cæcus deducitur,* F

7 Enimvero increbuerat jam fama, armatum minis & peculiari odio ſævum, ad Chriſti delendum nomen Damaſco appropinquare; & tunc, non illud non perſequentem modo, ſed ultro laudantem attollentemque audiebant; ſævum murmur, diſſonus cantus, incertæque voces exaudiri, & non dubius metus, acrius odium cum rabie, Judæorum pectora quaſſare. Fervere igitur animi inſontiſque in cædem impelli, florentemque ætate juvenem, promptumque manu, ea ingenii præſtantia, ea facundia, abnegato patrio turpiſſimè ritu, externa ad ſacra *converſuſque inſidias patitur à Judæis,*

A. SANCTORIO. prolapsum, acerrimèque pro his stare indignabantur, ideóne hausisse dogmatum mysteria, ita insudasse disciplinis, ad hæc tradita arma, patrias ut ea in leges diffulminaret abutereturque? Vociferari itaque, structis insidiis, ne posset elabi; faxque illa ingens, brevi excitatura incendium, ipso in ortu exstingueretur, Dineam, Arabum Regis Præfectum, illuc ab Rege delegatum, ad Romanam mitigandam ferociam (cum haud dubie Romani ipse belli metu quateretur, addictusque siderum scientiæ, non nisi ex cæli benignitate salutem speraret) adeunt, obtestanturque, ut vigiles portarum ad limina stare, cauteque custodire juberet, cum transcendere mœnia nefas apud Romanos, & semper morte piatum ipso Urbis conditoris fratre cruore suo jura sanciunte.

quibus elusis evadit

8 Sed Sauli auditores, præcognitis insidiis cum fallere excubias nequirent, hominem intempesta nocte è specula in sporta dimittunt, qui statim in Arabiam evulgandi Euangelii gratia proficiscitur: quamquam id Lucas memoriæ non mandarit: sed ipse Saulus in Epistola ad Gallogræcos se alio intendisse ab illa fuga iter, B invisisseque triennio post Hierosolyma, rediisseque Damascum, affirmat. Arabum gentes, feritate barbaras, & corporum animorumque mollitie infames, soli fertilitate, odorum copia, cælique salubritate beatas, partim Romana potentia, partim indigenæ Reges, & ipsi socii, vectigalesque Romanorum imperio frenabant, Nabathæi, Agræi, Sceniti & Chaulotei multas colunt urbes, sed plerumque vastis campis inerrant, & sub dio, Scythico more degunt, incondita multitudo, certis parens Ducibus, discors ac contumax, quorum crescente sobole ac colluvione, nostro seculo ab Euphrate, qua Palmyreorum termini rigantur, usque ad Atlanticum Oceanum, Ægyptum, Africamque, occupata videmus.

& Christum prædicat,

9 Has gentes concionibus Saulus aggressus, fracta sæpe impietate, multisque acquisitis Christo militibus, Damascum repetit, moxque Hierosolyma, Apostolorum videndorum gratia, Petri præcipue: cujus fama sanctitatis finitimas gentes occuparat, ad exhibendum Principi Ecclesiæ obsequium, & quodammodo ad accipiendum præstandumque juramentum, apud signa summumque militiæ Ducem, petiit; sed eo desiderio fraudatur; nam præter Petrum Jacobumque fratrem Domini, vidit neminem. Quintodecimo post die, in Syriam Ciliciamque descendit, frustratus inimicorum insidias, & rabidas animas, uni ipsi præcipue truces, ubique Christi nomen enuntians, duciturque à Barnaba (quicum vetus intercedebat consuetudo, amboque sub uno eodemque instituti fuerant præceptore, & sæpe inter se de religione disceptarant) Antiochiam, nondum ex omnium Apostolorum ceterorumque animis depulso pavore: sed Barnabæ auctoritate omnibus carus exstitit. Tanta enim Saulo ad conciliandum sibi mortalium favorem captandosque animos, dexteritas inerat, ut nihil supra: quisque hominem celebrare, stupebatque cum oris dignitatem, tum suaves mores, procul scurrilitate & risu atque facetiis, & quanto truculentiorem sibi animo vultuque effinxerat, tanto leniorem mitioremque expertus, carius diligebat. Igitur Saulus una cum Barnaba integro anno Antiochiæ commoratur, ibiq. nostri Christiano cognomine, cum antea Nazareni nuncuparentur, honestantur: deinde, cum maxima rerum penuria, Agabi ex ore multo antea denuntiata, anno secundo Claudii Cæsaris, quo rebellionem, stragem, & pugnas Romana res sensit, Judæam finitimasque Provincias urgeret, eaque mire Christiani in his Provinciis versantes afflictarentur, Antiochensis conventus in medium pro rata facultatibus prolatis occursavit piorum necessitati, munusque Saulo ac Barnabæ injunctum, quos universo in conventu virtutum concursu admirandaque pietate præcellentes intelligebant. Re feliciter pieque expleta, ambo Antiochiam, Joanne (quem & Marcum appellari alias diximus) adscito repetunt. D

Antiochiam tendit.

CAPUT II.

Itinera varia, persecutio continuata & lapidatio à Judæis.

Inde aliò FLorebat illa civitas multis ac præstantibus viris, & Christianæ disciplinæ observantissimis: hi multis fusis ad Deum antea precibus, E Saulum & Barnabam ad opus, ad quod vocati erant, implendum dimiserant: qui almo ducti spiritu, Seleuciam Cilicienſem, ad Calycandum situm amnem, venerunt; deinde in Cyprum, uno adjuncto comite Joanne trajecere, insulam miræ fertilitatis, cælo felicem & amœnitate illustrem, adeo ut Poëtæ in illa Veneris domicilium finxerint. Paphus inclitum templum habet, condente Aëria, seu Cynara sacrante, nulla Deæ humanæ corporis effigies, perpetuo ambitu formam in metæ turget; thure ac precibus numen exposci credebant, nec cruore madescere ara, hædorum fibris haud incerta fides, nec ulla superrorantis vis imbris in ignem sub dio flagrantem, ratio occulta, fœdi mores, crebra stupra, succumbente exteris passim adveniſque muliere, nullus pudor, nulla modestia, quo forma augustior, eo in libidinem & obscœna profusior mulier; summa laus in stupri patientia.

usque in Cyprum,

12 Igitur Saulus, Cypro, Papho tenus peragrata, à Sergio Paulo, insulæ procuratore, audiendi verbi Dei percupido, accersitur, multum contradicente Elyma Mago, qui, obscurus genere, malitia notus, dolis ac fallaciis creverat, verebaturque Apostolorum adventum, ne detectis maleficiis, eo deceptorum opimo animorum spolio nudaretur, & lueret simul pœnas. Quod intelligens Saulus, in conspectu Præsidis in hominem invectus, ita oratione perstrinxit sua, ut mutesceret ille, & cælesti ira punitus, omnem videndi usum amiserit. Quo miraculo adductus Sergius, cum multis accolis ac tota familia, sacro baptismate abluitur, vir bellica laude insignis, & in administranda Rep. justus, nec animi aut consilii inops, non minus Saulo carus, quam illius ipse cupidus. Hinc Saulo inditum Pauli nomen ferunt: & sic deinceps vocitabitur. F

Antiochiam Pisidiæ,

13 His igitur Paulus gestis, una cum Barnaba, relicta Papho, Pergen Pamphiliæ urbem, Dianæ Pergeæ delubro memoratam, Cestro flumine subvehitur: inde Antiochiam in Pisidia (revertente Joanne Hierosolyma) accessit, ibique dies noctesque Christianam religionem prædicabat: tantumque erat ingenii illius acumen, tanta vis dicendi, tanta ubertas summo cum

A cum in Christum amore, ut nec umquam illi verba defecerint, aut exaruerit oratio, nec corpus ullo labore fuerit devictum : à gallicinio usque ad quintam horam manibus opus facere, ad nonam usque in docendis instruendisque populis, aut curando corpore, fovendisque egentibus defatigari : magnificus illi animus, excelsus & numquam à rationis sede dejectus : mira submissio, & ad brevissimum tempus ira (quod plerumque in alti animi viro reperies) nulla morositas, nulla elatio inerat ; acerrimo, in ipso juventæ robore, jactari æstuareque fervore pruriginis : sed creberrimis ad Deum precibus, miraque corporis afflictatione tundere effervescentem venerem, ancipitique in discrimine sæpe triumphare.

ubi docet ex Scripturis,

14 Igitur in Pisidia Antiochiæ commorans, cum in Judæorum conventum intrasset, lectisque sacrorum capitibus librorum, rogatur ab Optimatibus, num quid effari vellet. Tunc Paulus, gravem exorsus orationem, cuncta, quæ à Deo ipsi, Patresque beneficia accepissent, commemorat : Abrahamum, virum integerrimum, gentis patrem, eductum Chaldæorum è regione, multis periculis exemptum, illustrique sobole nobilitatum ; ejusque posteritatem Canopum Nilumque moderatam, mox à summa dignitate, fractis fascibus, in ima miseriarum dejectam, rursusque spretâ Memphitici populi arrogantiâ, depulsâque servitute ; fertilissimâ Provinciâ septem deletis gentium nominibus, scisso bifariam mari, obrutis ac fluitantibus hostium corporibus, sepultis aquarum mole Ægyptiorum iris, sepultisque furoribus, micante illis nocturna solis instar face, roratis

& conversis multis,

in solitudine desuper cibariis, curatis vulneribus, enatis mirabiliter fontibus, interrupto perenni in cursu solis itinere, potitam, illatamque ad uber beatumque solum, per populorum ruinam stragesque ferrum tepuisse cruore, irroraſse saxa, maduisse solum, exundasse amnes, bellicoque strepente, concussos prolapsosque urbium muros, oppidaque arte ac naturâ munitissima, circumvallata, oppugnata, excisa, populataque flammis, versaque in cineres strata armatorum agmina, stratasque phalanges, ostentata simul judicum jura, regale ostrum, Euphratemque plus æquo tumentem atque immodicos evibrantem fluctus irarum, ad unius oculorum ictum puellæ expalluisse, adorasse majestatem Susa, horruisse femineos ausus Ecbatana, Persidaque contremuisse, referebat : & tamen nullo supplicio mitigatam eorum rabiem exsaturatamve libidinem, occisum ab illis Christum, à Davide ducentem genus, tot vaticiniis designatum atque promissum, passim æmulatione ad illum mactandum Optimates certasse, pro concessa vita mortem, pro beneficio iniuriam, pro gloria infamiam ac teterrimum supplicium retulisse ab illis, gravissimè concionari.

inde ejicitur à Judæis ;

15 Cum dicendo finem imposuisset, dimissaque concione, ipse, una cum Barnaba, exiret, Judæi eum orant, ut proximo die, qui solennis apud illos habendis concionibus erat (Sabbatum ipsi nuncupant) iisdem de rebus verba faceret. Multi se Paulo à concione associavere, moti cum viri doctrina, tum percepta veritate. Insequentibus diebus, cum tota civitas ad audiendam Pauli orationem convenisset, Judæi, id indigne ferentes, obsistere, miscere seditionem, & vastis undique clamoribus, huc illuc concursare, modo in concione Paulo obstrepere, modo jactare maledicta, modo ambages proponere : victa tamen ab Apostolo pervicacia, ad dolos vireſque vertebatur, incitantando populo, & aptam seditioni subito miscendæ in medium producendo mulierem. Itaque glisscente tumultu, Paulus multa elocutus, se Iconium, Lycaoniæ urbem præcipuam, & ætate nostra duabus funestissimam pugnis, proripuit, ubi par illum seditio, Judæorum dolo conflata, excepit, affectusque calamitate oppidoque ejectus, traductâ ad Christi cultum Thecla nobilissimâ puellâ, Lystras Derbamque, eadem in Provincia oppida, se contulit ; jacentique [Lystris] ad portæ limen inopi pedibus debilitato & curari magnopere cupienti, valetudinem impertitur, ita ut valens ille ac vegetus surgeret ambularetque.

A. SANCTORIO

idem fit Iconii.

Lystris sanato claudo habetur pro deo à gentibus,

16 Quo prodigio stupidâ civitate, maxima omnium in Paulum ac Barnabam veneratio cultusque, adeo ut Lycaonice inclamaretur, advenisse deos, Jovem in Barnaba, Mercurium in Paulo designatos, jam datam genti salutem, jam terras numinibus lustratas credere. Stabat vittatus interim sacerdos, sacra canens, thure fumare aras, & mugire juvenci, spectari coronæ infulæque, & omnia holocausti in modum parata erant ; sed prohibetur non debitus mortali cultus ab Apostolis ; & Deo exhiberi (cujus clementia funduntur imbres, omniaque bona rorantur) jubetur : sed Judæorum non quievere doli, aut cessavit invidia. Nam quanto in clariori fama, propter virtutes & ingentia prodigia, Christianos videbant, eo acrius eorum in animis exardebat incendium : ea præcipua gentem cura angebat, cum Christianum nomen adeo brevi tempore in immensum attolli, ex Cruce ortum, & Crucis nomine fundi, & Moseos dogmata tantis nobilitata miraculis, tot annorum cursibus Palæstinæ terminis coërcita, ceterisque gentibus exsecranda, conspiceret.

lapidatur à Judæis.

17 Itaque consternata multitudine in Paulum ruunt & multo saxorum ictu convulnerant, adeo ut diu intermortuus jacuerit : quem sublatum cum Barnaba discipuli Derbam perduxerunt : qui, brevi recepta valetudine, obductoque vulnere, haud quaquam periculis deterritus, iterum Antiochiam, Lystras, Iconiumque lustravit ; confirmatisque Christianorum animis, lætus jam Theclæ pernobili fama, in flammarum globis, tormentorumque atrocitate victricis, peragratâ Pisidiâ, Pamphiliam tenuit ; inde in Attaliam, mox Antiochiam ad Orontem cum Barnaba devenit, benigneque è cunctis excipitur : quid ipse ac Barnabas effecissent in Asia, Concilium edocent. Mittitur inde Hierosolyma, per Phœnicem Samariamque iter faciens, enata quæstione inter Ethnicos, jam Christi militiæ adscriptos, ac Judæos ; Cerinthio antesignano, sceleratissimo homine, quæstionem movente, num ad Ecclesiam accedentibus pellem (quod præputium Judæi dicunt) abscindi oporteret. Vicit Pauli sententia (multa concionantibus Petro atque Jacobo hac super re) qui nequaquam eo onere premendos Christianos judicabat.

Redit Antiochiam & Hierosolymam

ac denuo Lystras,

18 Ita cum hoc decreto Antiochiam remissus, & aliquamdiu ibi moratus, repudiato Joanne, multum obsistente Barnaba, & exorta dissensione, adjuncto sibi Syla, invisere Christianos, & confirmare eorum animos aggressus,

A. SANCTORIO.

ubi assumit Timotheum.

Lystras devenit, ibique Timotheum, insigni florentem fama, semijudæum (quippe Ethnico patre, Judæa Christiana matre, Eunice nomine, erat ortus) in comitatum adscivit, præputioque mutilandum curavit ad captandam Judæorum benevolentiam: qui Ephesinorum Antistes declaratus, in infandis Dianæ sacris à furente populo postea occiditur, dira in impietate, sacra atque illustris Deo victima litata. At Paulus hoc comite, peragratis Phrygibus ac Gallogræcis gentibus, in Mysiam contendit, prohibituſque Bithyniâ in Troadem descendit, ubi ad vastum noctis silentium mira illa species visa: vir quidam Macedo ejus oculis objicitur, qui illum demisse precabatur, ut in Macedoniam transiret seque adjuvaret. Movit Paulum cum species viri & justa petitio, tum claritas gentis. Nam triginta Regibus & CLIV annorum imperio, fractis Thracibus, frenata Græcia, stratis Persarum opibus, victoriis India Æthiopiâque percursis, inclytum nomen astris terminarat: sed AsiæEuropæque ingens terror, nulla majestate tutus, Romanæ virtuti succubuit: ita rerum vicissitudine ferente, modo Assyriorum per M & CCC annos evehente imperium; modo Medorum per CCCL, modo Persarum per CCXXX extollente prostranteque.

B

Paulus in carcere apud Cyzicum,

19 Igitur Paulus relicta Troade, apud Cyzycum teterrimo carcere afflictus per aliquot dies, si recte intelligamus ipsius sententiam epistolæ, in qua infortunia commemorat, de triduanis in imo pelagi tenebris reminiscens; recto cursu Samothraciam, adjacentem Thraciæ (qua Hebrus in pontum evolvitur) insulam, appliciuit, deinde Neapolim, mox Philippos tenuit urbem, prærupto in tumulo sitam, Crenidem olim & postea Datum appellatam, illustrem muniente Philippo Amyntæ filio, & duarum Romanarum cladium cruore luctuque memorabilem. Itaque per aliquot ibi dies Euangelium concionatus, Zygastem ad flumen (ibi olim post raptam legentem Proserpinam flores, jugum fregisse currûs Plutonem, fabulantur) oratum descendit; Lydiæque mulieris, purpurarum venditricis ex civitate Thyatirenorum, quæ Pauli doctrinam secuta erat, precibus fatigatus in ædes divertit.

C

ministram Apollinis dæmone liberat;

20 Cum progrederetur, fit illi obviam haud indecoro adspectu puella, Apollinis devota sacris (cujus inclytum Delphis templum ea tempestate conspiciebatur) quæ & dare responsa, & affari mortales, futuraque prædicere tr pode percussio solebat, & dominis ingens vectigal: quæ conspicata Paulum comitesque, illos Dei servos, & salutis monstrantes iter, prædicabat: cujus ex corpore Paulus cacodæmonem ejecit,

accusatur

magno dominorum mœrore Quamobrem quotidiano redditu fraudati, coorti in Paulum sociosque, ad Magistratus pertraxere, accusantes, quod civitatem turbarent & sacra veterum, recenti superstitione inductâ, convellerent, deorumque simulacra polluerent. Quorum vocibus instigata multitudo, detractis Paulo ac

ac cæditur.

sociis vestibus, graviſſime illos virgis contudêre, & sic male habitos cæsosque in vincula conjecere; sed intempesta nocte, precantibus illis, adeo ut verborum sonus custodis ad aures perveniret, tantus exstitit repente terræ motus, ut plurimis convulsis ædificiis, ipsius carceris fundamenta vehementissime quaterentur, expansis foribus laxatisque nexorum vinculis.

21 Eo tremore excitus carceris custos, cum patefactas carceris januas conspiceret, vinctos abiisse ratus, pœnam veritus, enudatum ferrum in se convertit; cum statim Paulus, magnâ edita voce, damnare facinus & inhibere manus jubet, neminem fugisse testatus. Ille ad Pauli vocem, abjecto ferro accensaque face, carcerem ingressus, cum vinculis solutos illos videret, miratus magnitudinem animi, perculsus, ad illorum se pedes abjecit, salutemque precatus, dimittit; qui in illius domum se recipiunt, ubi expiato sacrâ aquâ cum universa familia custode carceris, curandis ictibus curam adhibent, quando Magistratus, missis lictoribus, ut dimitteret vinctos, custodi imperarunt, qui se cum indigne virgis cæsos, seq. Romanos esse inclamarent, injecto Magistratibus civibusque (recenti ante oculos Rhodiorum obversante calamitate, per scelus injuriamque contracta) terrore, extra urbem liberi emittuntur.

D

Carceris custodem cum suis baptizat.

Thessalonicæ prædicat ter in hebdomade.

22 Inde, salutatis fratribus, percursisque Amphipoli, Dianæ Tauropolon clarâ delubro, Apolloniâque, Thessalonicam insignem urbem, Achedori haud procul ostio amnis, ad Thermiacum sinum, calcata Thessalorum gentis gloria, virtute Amyntæi Philippi percelebrem, tenuere. Ibi multi nobiles Judæi negotiabantur, nec obscuri eorum conventus vilebantur. Usque adeo creverat numero ac sobole dira ista natio, ut per universam Asiam, magnamque Europæ partem sese effunderet. Ibi Paulus ter in hebdomada disputare, luctarique Judæis, eo totam ingenii vertens vim, docendo, Christum esse Deum, morique oportuisse nostra supplicio suo ad delenda scelera. Non intellectum id apud Judæos, & alienum penitus ab eorum animo cogitationeque, credere vecors illa gens, Christum regio fastu armataque manu venturum, Romanum ad depellendum Hierosolymis nomen, & glorioſe in terris triumphaturum; &, quantum supplicia cruceſque dedignari regale fastigium, tantum abesse Christum à Deo, quem in humanis abjecte viventem, vulgari vestitu, vulgari parente, vili familiaritate usum noviſſent, etsi stupenda illa, ac supra naturam prodigia, omnem penitus cæcis ex animis depellere caliginem potuissent. Sed Judæi mori potius in erratu malunt, quam cedere vel cum dignitate, aliorum voluntati. Nulla gens toto in terrarum orbe crudelitate sævior, aut luxuria fœdior, aut avaritia sceleſtior, aut pervicacia obstinatior, aut ingrato animo tetrior.

E

F

CAPUT III.

Alia itinera; peroratio Athenis in Areopago, & nonnullorum conversio: adit Corinthum.

Apud Jasonem diversatur;

AT Paulus cum multos Christo milites adjunxisset, commorareturque apud Jasonem, præpotentem urbis civem, Judæi qui in errore ac pervicacia permanserant, manu factâ communicatoque cum nonnullis sicariis consilio, qui turbatum potius quam pacatum civitatis statum malebant, in Jasonis domum irrumpunt, ut Paulum socioſque ad Magistratus ducerent. Quibus non inventis, Jasoni nonnulliſque aliis

ideo accusatum à Judæis.

è pia familia manus injicere, clamareque cœperunt, Jasonem præbere domicilium rerum novarum

A varum cupidis, fovere divitiis, & complecti auctoritate, fascium terrorem obliterari, sperni majestatem, & Divalia rescindi decreta, ac labefactari Cæsaris nomen, Jesumque ab illis regale in fastigium attolli. Excitur his vocibus civitas, Cæsaris majestati obstricta: jam vaga volitat, incertoque fremitu turget, ruit, ac ante tribunal Jasonem sistit, Paulo, Syla, ac Thimotheo ausugientibus; quando in eos tota effusura vis popularis fuisset. Sed Jason peroratâ summâ fiduciâ causâ, deprehensoque Judæorum dolo, liberatur.

Mittitur Berrhœam & Athenas,

24 Itaque Christiani Paulum cum Syla Berrhœam misere; ubi Paulus, multis concionibus habitis, nusquam periculis concussus fractusve labore, multos ex Judæis, plures ex Ethnicis ad Christiana juga mittit. Quæ res Thessalonicâ Judæos Berrhœam ad perturbandam religionem nostram excivit; statimque impletâ seditionibus urbe, nostri evitandi tumultûs causa, Athenas Paulum dimittunt: qui ut Atticam attigit, properare ad se Sylam ac Timotheum jubet. Enimvero ingens instare discrimen, nec rudi cum gente pugnandum B erat. Hinc Athenas intrat: cepit hominem primo occursu cùm magnitudo sceleris, tùm urbis reputatio nobilitatis; stantem quippe cum titulo vel ignoto Deo cernebat aram, cuncta Minervæ arcis præsidis in venerationem concessa, victimas torreri flammis, idolorumque nomina passim vario sonitu cani. Hinc postea subibat animum, inclytam illam urbem Solonis legibus, Græciæ quondam lumen, Marathonia ac Salamina laurea clarissimam, tot molitam classes, Asiæ terrorem, Europæque ornamentum, amputatis lacertis, sublatisque opibus, tremere secures, horrere togam, curulemque, & servire fascibus, solaque tantum lingua ferocientem contemplari.

ubi multa disputat

25 His agitatus Paulus, non terendum tempus, aut cunctandum ratus, magno studio Christi doctrinam edocet. Multa illi cum Stoicis, multa cum Epicureis luctatio: illos magno, sed falso virtutis amore flagrantes, & dempta superstitione, haud abhorrentes à Christiana disciplina; hos non divinam naturam, non immortales animos, sed cuncta occasu sempiterno tolli existimantes, veneri addictos, cibis, somno cunctisque illece- C bris pollutos, ad bonam frugem revocare Christi miles conabatur. Crebra disputatio, eædem artes; par in differendo cerni acumen ingenii; res summam in contentionem deducitur. Philosophi, innato fastu prætumidi, & sua doctrina ventosi, in animum inducunt, ignoto homini, & nova prorsus in medium afferenti, non cedere: & Paulum, verissima sentientem, nulli syllogismi, nulla cavillatio, vulgatæque fabulæ, aut acuta ratiocinatio absterrent. Ergo ad Areopagum decurritur, gravissimum sanctissimumque apud Athenienses consilium: ubi Paulus dicere jussus, in hanc sententiam locutus fertur.

& in Ariopago perorat

26 Multa sane, atque ea præclara de Athenarum urbe vel legeram ante, viri Athenienses, vel auditione acceperam, quibus veneram in eam mentem, ut hanc ipsam urbem lumen esse Græciæ arbitrarer: quod quanti sit, illi profecto intelligent, qui de ipsius Græciæ laudibus vere atque integrè judicare potuerunt. Nam maria tot adita classibus, vestris exercitibus exteræ edomitæ nationes, tot singulares partæ victoriæ, vestris à cervicibus parva sæpe manu depulsa Persarum vis, quorum innume A. SAN- rabilibus copiis angustum solum, quorumque CTORIO. volantibus telis angustus aër videbatur, simul & Thebana ferocitas, duritiesque evicta Spartana, vestram cumulate gloriam extollunt. Sed tamen, cum primum videre licuit, quæ prius me vel fama vel lectione in admirationem rapiebant, cum illis prope omnibus res ac facta consentire animadverti: ita enim sunt recto apud vos pleraque digesta, atque eo ordine descripta, ut nulla sit mirandi causa, cur à vobis leges dicantur ac jura ortum habuisse. Unum tamen (ut fatear) admirari non potui, quid sit, cur Deum aliquem veneremini, quem vobis ignotum esse dicitis? Quo ergo tot philosophorum disciplinæ, quo monumenta, quo disputationes, quo acumen versa ingeniorum? juvat lustrare terras, metiri cælum, recensere astra, cursusque indagare, & illorum omnium opificem non pudet ignorare? Cum enim vestrorum imagines & simulacra præterirem modo, & perlegerem oculis, incidi in quamdam inscriptionem, quæ aram positam esse indicabat Ignoto Deo. E

de ignoto ipsis Deo,

27 Mitto jam, fueritne id effectum operâ alicujus Athenienſis, an (ut fert multorum opinio) Cretensis Epimenidæ: illud tamen dico, nec vereor suspicionem temeritatis, posse me vobis indicare, quis sit Deus, quem vos ignari veneramini, si modo non anticipatam illam in animo habeatis sententiam, ut rebus etiam veris obsistere ac repugnare velitis. Deus igitur, quem *quem docet,* vos ignoratis, & quem non ignorare debetis, *conditorem* is est, qui è nihilo totum hunc terrarum orbem *rerum omnium,* condidit, qui terram suo stabilivit pondere, & circum eam fudit aquam, aëra tenuem fecit ac spirabilem, cælum denique explicavit, pulcherrimo cujus quasi amictu omnia tegerentur. Hic autem rerum omnium procreator & dominus, non templis ullis, quæ hominum sit architectata manus, continetur, nec opere comprehenditur humano, cum rei nullius indigens, vitam per sese ducat felicissimam beatissimamque: ab eo potius omnia quasi apta pendent ipsius opis indigentia: ab eo enim spiritum ducunt omnia, ex quo fit ut hoc cæli adspectu & vita fruantur: procreavit ipse stirpem ipsam & progeniem hominum, quos immisit in terram universam, F eisque certa quædam vivendi tempora ac spatia, suo ipse arbitratu nutuque præscripsit. Quæ omnia fecit incredibili quadam permotus voluntate, ut cognosci posset ab omnibus. Incurrit in oculos omnium etiam aliud agentium (si modo agant aliquid) tanta Dei liberalitas, tanta magnificentia, ut manibus prope tangatur, non tantum oculis videatur: ita sunt ipsius omnia plena.

non simulacrum esse,

28 Nec vero id latuit quemdam vestrorum Poëtarum, quos magno vos interdum honore dignamini, cum illud quasi oraculum edidit ac responsum; Dei genus sumus: nimirum quod vivimus, quod movemur, quod sumus, id uni Deo acceptum referri debet, quod si effatum illud verum esse intelligitis, quod prædicat, nos esse Dei genus, illud profecto sequitur, ut intelligatis, non quod è lapide cæditur, aut cælatur auro atque argento, quod elaborant manus, fingendi cælandique artifices, id esse divinum, aut Dei simile: tenui namque filo Dei apud vos auctoritas pendet, si tam infirmis nititur adminiculis: quin vos ipsi expergefaci-

A. SANCTORIO.

tis, mentemque extollitis ad majora Pellantur tandem iſtæ tenebræ, quæ vos obſederunt nimium diu: cedant aliquando luci tenebræ, nox diei, ignoratio ſcientiæ, umbra ſoli: Deum ſequamini: quod unus è veſtris dixit Sapientibus, turpe eſſet, Athenienſes, ſi, cum diſcere poſſitis, quod eſt maximum, pulchrrimum, utiliſſimumque in vita, id addiſcere defugeritis, aut ignorantia quadam aut pudore: nec enim Ægypti portenta, aut Syrorum miracula ac fabulas canimus, non Apim aut Anubim, fœda animalia, velut numina exculta; non Babylonis fœditates in medium adducimus: abſint iſta à veſtra doctrina, à veſtro ingeniorum acumine: loquimur Athenis, & in graviſſimo iſto conſilio apud ſapientiſſimos homines.

judicaturumque munaum.

29 Itaque audite, audite, quid Deus, Deus, inquam, ipſe, qui, cum ſit ſumma veritas, neminem poteſt fallere, quaſi vociferans admonet, nobiſque denuntiat: Corrigite, mortales, ſi quid eſt in vobis pravum, emendate pererratum, fugite nefarium, abigite vitia virtutibus, maleficia obruite beneficiis Veniet dies aliquando, quam ſolus ipſe conſtituit ab omni æternitate, qua die omnium hominum, qui ſunt, erunt, fuerunt, diſceptabuntur cauſæ jure æquiſſimo; dabit judicem virum ſummæ integritatis, ſummæ innocentiæ, incredibilis ſapientiæ, quem nec prece inflectere poſſis, nec pretio labefactare; quem quidem ipſe delegit ex omnibus ſibi cariſſimum: atque hujus egregiæ erga eum voluntatis hoc nimirum voluit eſſe argumentum, quod eum, crudeliſſimos acerbiſſimoſque perpeſſum cruciatus mortuumque ſuſcitavit, atque è ſepulcro reduxit Quid tumultuamini, quid ſtrepitis, viri Athenienſes, cum auditis excitatum aliquem ab inferis? Non vobis Platonicæ alicujus fabulæ veniat in mentem, ſed ſummæ & divinæ poteſtatis: quid enim non poteſt Deus, qui quæ ipſe voluit, fecit omnia? Rerum eſt omnium præpotens Deus, & nihil eſt, quod ſi velit efficere, non poſſit: quin vos ita vitam inſtituite, ut Deum agnoſcentes, recte pieque vivatis: quod cum feceritis, illud ſequitur, ut præclare moriamini, & ſpes erit poſtea, cum redieritis ad vitam, non pro ſceleribus, pro maleficiis, ignominias, ſupplicia & ignem perpetuum ac ſempiternum; ſed pro benefactis, pro virtutibus, honores & illuſtria præmia conſequamini, quæ ad memoriam exſtabunt ſempiternam.

B

C

Convertitur Dionyſius ac Damaris.

30 Ut Paulus dicendi finem fecit movit admirationem audientibus: nemoque ex Senatu præter Dionyſium Paulo eſt aſſenſus: is excellenti doctrina, magnoque ingenio, in Ægypto apud Heliopolim ſedem quondam Philoſophorum, cæleſtia perſcrutantium, Apollophanis auditor; quo die Chriſtus mortem ſubiit, ingenti inuſitatoque mundo tremore quaſſato, omniumque animis mortalium panico terrore concuſſis, ac tacito mœrore occupatis, cæloque abſcedente ſole, & vaſta nubium mole tellure operta, eam in ſententiam deſcenderat, ut diceret, aut naturæ pati Deum, aut machinam diſrumpi ſolvique terrarum. Hujus poſtea inſigne nomen fuit Gallicanis gentibus tutelare. Credidit etiam eodem die Damaris, non ignobilis femina, ipſius uxor Dionyſii. Memorant etiam, in eo certamine à Paulo ad religionem, Apollinem clariſſimum juvenem fuiſſe attractum, cæci cujuſdam ex oculis demptis tenebris, cum inſigni intuentium admiratione.

D

Corinthum adit v tis immerjam,

31 Hinc, relictis Athenis, Corinthum acceſſit, Achaiæ lumen, urbem clariſſimam magnificentiâ ædificiorum & elegantioris ſupellectilis. Sed poſtquam Romana arma Mummio imperatore eò illata ſunt, tunc Corinthus, ingemiſcente Græcia, denudata ornamentis, ferre jugum coacta eſt: ſed illa victoria victori, quam victo, funeſtior fuit, peregrinis illecebris emollitâ Romanâ ferociâ, & contuſa virtute; adeo pronum in voluptates humanum ingenium. Sed Corinthus in adventum Pauli omnis penitus decoris oblita, cunctas in impietates ac turpitudines effuſa, non indigenis modo, ſed peregrinis etiam moribus ſacriſque fœdabatur, famoſa non ſecus, ac Oriens, in ſacrorum Anaitidis ſcelere, quæſtum corporibus muliere Deæ faciente, adeo ut mille quondam ſcorta famulata ei fuerint. En celebrata apud veteres Græcorum prudentia atque integritas, quid Academia, quid Lyceo, quid Areopago, quid Prytaneo, quid Ephororum conſilio profectum? gens leviſſima atque obſcena, ceterarum gloriam nationum carpit; dum fœditates ſuas non conſpicit. Sed ſemper id mortali inſitum, ſcelerato præſertim, aliena perſcrutari, neſcire ſua.

E

docetque meliora ad ſalutem.

32 Hos igitur ſceleſtos mores diraque ſcelera, atque impietates retundere Paulus aggreſſus, variis artibus, miroque uti ingenio, & quotidie in foro, & Judæorum in conventibus, de virtute noſtraque religione diſſerere; auctuſque Timothei Sylæque adventu, acrius perſtringere civitatis mores. Græcum inſita ignavia, inveterata debacchandi licentia, intolerandus ille faſtus; Judæum acre odium, ſumma invidia ac inſita pervicacia, angebant. Sed in crebris illis quotidianiſque pugnis ſemper Paulus victor, fracta Judæorum audacia, hiſque graviſſime caſtigatis, Criſpum illuſtrem genere auctoritateque inter Judæos, cum univerſa familia, multoſque Corinthios ad Chriſtianam religionem pertraxit: noctu autem Chriſtus Paulum viſus admonere, ne mortalium perturbaretur inſidiis: ſtare ſe pro illo, & multos etiam eâdem in urbe ſibi militare confirmat. Quo oſtenſo terribilior hoſtibus Paulus, integro anno ſexque menſibus in Achaia commoratur.

F

Fruſtra accuſatur apud conſulem à Judæis

33 Præerat tum Achaiæ, demptæ à Tiberio Senatui, & rurſus illi à Claudio reſtitutæ, Proconſul L. Junius Gellio, Senecæ Annæi germanus, vir interitu major, quam vita, funeſtis in familia ominibus ad excidia virtutum per alienum flagitium: ad cujus ſuggeſtum Judæi Paulum attraxere tamquam legis Moſaicæ dogmata evertentem, novamque perſuadentem religionem: quibus Paulus reſpondere paratus, prohibetur à Proconſule: nam de facinore injuriisve; non de lege patria ritibuſve Judæorum ſe laturum ſententiam; Romanam non illis offendi majeſtatem, nec ſumma peti, pulſarique faſces, annuit. Quo reſponſo illuſi Judæi, omiſſo Paulo, in Soſthenem toto impetu feruntur, eumque vidente Gellione cædere cœperunt, nullo Proconſuli, ſegni viro, ſtomacho facto: tanta homini ſocordia atque ignavia inerat, ut ſeu faſcium dignitatis, terroriſque obliviſceretur, ſeu injuſtum exiſtimaret de aliena religione judicare, Hebraicarum traditionum ignarus; & Judæos tanta, cum impudentia, ceperat arrogantia, ut in conſpectu Proconſulis ante tribunal

Cæſaris

A Cæſaris viliſſima ipſi ſervitia indemnatum verberare auſi fuerint. Refert Joannes Chryſoſtomus, Pauli ſtudioſiſſimus, eodem etiam furore illum à Judæis fuiſſe virgis contuſum ac affectum injuria.

apud Aquilam & Priſcillam commoratur.

34 At Paulus multis ibi abſumptis diebus, Aquila & Priſcilla Synopenſibus civibus, ex Italia decedere coactis ex edicto Claudii, Judæis ſubinfenſi ob contumaciam & rixas; comitibus adjunctis; in Syriam (ad Cenchreas, prius navale Corinthiorum ad orientem, ex voto depoſita coma, ſanctum id olim apud Nazaræos, & religioſiſſimum) adnavigare conſtituit. Corinthi apud eos fuerat benigne ſuſceptus, unaque cum illis opus facere aſſuetus ex vetuſta Rabbinorum conſuetudine, qua addiſcentes ſacras litteras mechanicis etiam aſſueſcere opificiis jubebantur, ad otii peſtem vitandam, & jam ſemper ſub pellibus erat confector earum, qui, nulla habita ſtationum vice, perpetuo degebat armatus, hoſtium complexus & ora anhelans.

CAPUT IV.

B

Epheſi ac Troade geſta atque miracula: Hieroſolymis Paulo obventuræ calamitates prædicuntur.

Proficiſcitur Epheſum, Cæſaream, Antiochiam &c.

1 Gitur Epheſum pervenit, ſæpeque cum Judæis conflictatus, Cæſaream, invitis etiam Chriſtianis, diſceſſit, quamquam brevi ſe reverſurum pollicitus eſſet: inde Antiochiam applicuit: mox Phrygas, Gallogræcoſque obivit, eo conſilio, ut Chriſtianos in religione confirmaret, ingenti à cunctis hilaritate exceptus, ovanſque veluti urbes intrans; peragratiſque ſuperioribus Provinciis, rurſus Epheſum contendit: ibique repertis quibuſdam Chriſtianis, quæſivit ab eis, num Spiritum ſanctum credentes accepiſſent. Cumque reſpondiſſent, ne auditione quidem accepiſſe, num almus Spiritus reperiretur; rogavit iterum illos Paulus, cujus igitur nomine eſſent baptiſmate loti: reſponſum, Joannis ſe baptiſmate expiatos eſſe. Tum Paulus addidit, Joannem quidem pœnitentiæ lavacro expiaſſe populos, eos admonentem, ut in eum, qui ipſum ſubſequeretur, id eſt in Jeſum, crederent. Tunc omnes, duodecim numero, Jeſu nomine baptizantur, ditanturque almo Spiritu, conceſſis gentium linguis & vaticinandi munere: ibique Paulus per trimeſtre cum Judæis diſputavit, multa ac peracerba ob religionem perpeſſus, & objectus etiam feris, niſi ferarum nomine immitis homines ingenii & efferati intelligamus: biennioque Aſiam Græciamque multis ad illum confluentibus edocuit, non verbis modo ſed operibus, cum nihil in eo Chriſtianâ diſciplinâ indignum reperiri potuiſſet: adeo diligens ſolicituſque Magiſtri veſtigia preſſit.

docens & baptizans,

C

etiam feris objectus.

Miracula ad Chriſti nominis gloriam declarandam.

36 Ejus interim fama ac ſanctitas ſtupendis prodigiis creſcebat, tractis in venerationem admirationemque agminibus populorum inter ignominiam Cybelis & Phrygum Vatum ac dolorem Flaminum in cultu deorum; ſiquidem baltea ac lintea, illius tactu oris ſacrata, & debilibus atque ægrotis admota, valetudinem impertiebantur, lateque dæmones fugabant, mugientibus ſimulacris in ararum ſqualore. Movit miraculum invidiam & cupidinem ſimul ſeptem Scævæ ſacerdotis filiis ad experiunda arcana. Adſtabat Apella, indignatus & ægerrime ferens, occulta Salomonis hæſiſſe ad famam inimici hominis pectori. Placet juvenibus tentari ſecreta ac revolvi, facto periculo, num id quoque ſibi liceret in gloriam ſui. Itaque Jeſu nomen in eos (qui inferno ſpiritu agitabantur) invocare his verbis: Adjuro vos per Jeſum, quem Paulus adorat ac prædicat. Reſponſum ab inferis, Se & Jeſum & Paulum noſſe; illos qui eſſent, ignorare; ruenteque in eos homine tetro ſpiritu exagitato, multis icti vulneribus domum profugiunt. Hinc ingenti terrore incolis Judæisque injecto, omnes Chriſti nomen ad aſtra tollunt; multi Chriſtianæ militiæ mancipantur; multi anteacta ſcelera flebiliter confitentur; alii in inveſtigandis naturæ arcanis, in multa librorum farragine diu diſtenti, libros in conſpectu populi comburunt, quinquaginta millibus in pretio denariis jam olim abſumptis. A. SANCTORIO.

Turbæ Epheſi contra Paulum,

37 His ita Paulus geſtis, divino numine præmonitus, Macedonia atque Achaia luſtratis, ire decreverat Hieroſolyma, quod intelligeret, cum eo acceſſiſſet, Romam ſibi eundum fore: ſed in hoc decreto, orbata Aſia Proconſulari auctoritate, juſſu Agrippinæ, Junio Silano interempto, duobuſque graſſatoribus, P. Celere & P. Ælio, res Cæſaris procurantibus in detrimentum ac perniciem Provincialium, noſtros ingens Epheſi terror circumvenit, ſtimulata petulantium civium audacia, ac concitata per Demetrium quemdam Argentarium, vilem quidem hominem, ſed truci eloquentia præcipitem & avaritia infamem. Itaque tota urbe proclamari cœptum, à Paulo quotidiano redditu exui inopes, improbante ſimulacra deorum mortali fabricata manu, revocari ab Dianæ cultu non Epheſinos modo, ſed univerſam Aſiam: nihil hoc Aſiæ gravius, nihil luctuoſius, privari vetuſtiſſimo numine nobiliſſimam urbem, virginea fundatam manu, emporiumque populorum cis Taurum incolentium Aſiam, conculcari Ortygiam, fœdari Cenchrium amnem, nudarique gemino ſplendore Aſiam, non aquam partûs ad dolores pellendos, non oleam incumbente Latona ſacram, non Curetum cantum in honore futura; corruiſſe quondam inclitum templum, Cherſiphori opus, inſania Heroſtrati; rurſus majori magnificentia cuncta ab Aſia D & xx annorum ſpatio reſtitutum Chrimocratis ingenio, ad illam uſque diem tot in bellis, in commotione rerum inviolatum, & nunc unius hominis ſcelere ac voce dehoneſtari, pollui, temerari, exſcindique.

E

F

quod Dianæ ſimulacra damnaret,

38 Phœbo gloriari Delphos, Junone Samum, Venere Paphum, Marte Æmum, Oſyride Memphim, Cretam Jove, Sole Perſepolim, Pallade Athenas, Hercule Tyrum, nulla Dei effigie Hieroſolyma, Æſculapio Pergamum, Quirino Romam; ſe vero tantam injuriam Dianæo numini inferri, Perſarum quondam tuto à majeſtate, intactoque Macedonum inter Romanaque arma, ignoto ab homine paſſuros fremere. Quibus vocibus exarſere audientium animi, vaſtoque murmure, magna Diana Epheſinorum invocata, conſternati proruere; factoque impetu, Cajum atque Ariſtarchum Macedones, Pauli comites, in theatrum attraxere: quorum infortunium graviter ferens Paulus, indignitateque permotus, prodire in publicum & alloqui populum voluit, ſed non tulere auditores

A. SANCTORIO.

res & nota multorum nobilium auctoritas, qui juncti Paulo familiaritate, popularem impetum extimescebant; trahendam moram, & injiciendam cunctationem, dum concitata rudibus in animis rabies langueſceret, judicare: contra nonnulli, eundum obviam furori, & devoto pectore excipienda tela, nec inermem plebem timendam ſentire: plures, rem ignorantes, fluctuare animis; univerſos ingens metus occuparat: cum in medium tractus quidam Alexander & ſilentium manu poſcens, rationem facti reddere enititur: quem ut Judæum eſſe comperêre, iterato per duas horas clamore vociferari, Magna Diana Epheſinorum.

quæ modeſtiâ ſedantur.

39 Ceterum ad populi conſpectum deſcendente apparitore, Romana geſtante inſignia, languentibus jam multitudinis animis, defervescenteque tumultu, rurſus Alexander, permodeſte locutus, noſtros nihil in Dianam peccaſſe, præſidem urbis, Joviſque prolem, nec ullo eos attineri piaculo, ait: atque ita frenatis populi motibus, noſtri haud incerto diſcrimini eximuntur: quos ad ſe evocatos Paulus, cum ad bene vivendum eſſet adhortatus; in Macedoniam proficiſcitur: qua luſtrata, confirmatiſque Chriſtianorum animis, per Ægeum mare, inviſis Cycladibus, in Cretam primum, ubi relicto Tito, in Græciam inde deſcendit, treſque ibi menſes demoratus, cum Syriam cogitaret, ſtructæ illi à Judæis inſidiæ, commutato conſilio in Macedoniam avertere. Quamobrem Philippos acceſſit & paucis poſt diebus Soſipatre, Ariſtarcho, Secundo, Caio, Berbeo, Timotheo, Tychico Trophimoque ſibi adjunctis, Troademque præmiſſis, uno ſecum Luca (cujus magna conſcribendo in Euangelio Apoſtolorumque rebus geſtis exſtitit, præter ſanctitatem, gloria) retento, Philippis ſolvens, Troadem, Helleſponto adjacentem, inſignem urbem, pervenit: ſeptemque ibi dies commoratus, ut oppidanorum ardori ſatisfaceret, cum ſodalibus à cœna cum diſputaſſet, in longum protracto ſermone, Eutychium adoleſcentem, oppreſſum ſomno, prolapſumque è celſo in terram loco, exanimatumque complexus medium, à morte revocavit, viventemque ſociis reddidit.

B

Aliò peregrinatur;

Troade mortuum revocat in vitam.

C

Pauli gratia dicendi

40 Tanta Paulo dicendi majeſtas atque ſuavitas inerat, ut vel invitos atque nolentes ad ſeſe audiendum mortales raperet; adeo ut optime ei, quæ de Neſtore Græcæ fabulæ retulerunt, conveniant. Erat enim Pauli oratio gravis, ac vehemens illa quidem, non aſoto ac pingui Aſiatico dicendi genere, nec Spartana brevitate ſubſtricta, ſed Chriſtiana eloquentia effulgens, dicendi perſuadendique dignitate, nulli gentium ipſe oratori comparandus; caſtimonia omnibus inſignior, religione præſtantior, ſanctimonia ac moribus auguſtior. Igitur Antigoniæ pænula libriſque, ad leniundum oppidanorum dolorem ex diſceſſu ſuo, relictis, tamquam brevi reverſurus, Luca ſociiſque Jaſſon appulſis, cum pedibus ipſe iter feciſſet, navim conſcendit, rectoque curſu Mitylenem contendit, Pythaci ortu, ac Sapphi, nobiliſſimæ pulcherrimæque puellæ illuſtrem carmine; inde Chium, è regione, quadringentis fere ſtadiis à Lesbo diſtantem, prætervectus; Samum in Inſulam ambitu ſexcentorum ſtadiorum, Neptuni Junoniſque claram delubris, attigit; inde Trogillium ad inſulam, in Trogillio ſitam promontorio, adverſus Samum quadraginta diſſitam ſtadiis; mox Miletum (cum Paulus præterire Epheſum, ne qua ei mora in Aſia afferretur, quo minus ante Pentecoſtes diem Hieroſolyma devenire poſſet, ſtatuiſſet) itum eſt, urbem nobilem Didymæi Apollinis fano.

atque alia itinera

D

ejuſque oratio Mileti ad ſuos,

41 Eo accerſiri Epheſinos majores natu placuit, qui ubi ad eum convenere, multa de diſceſſu, multa etiam de caritate, qua per tot in Aſia moratus annos, uſus fuiſſet, verba fecit, commemoratis paſſim inſidiis, ab Judæis vitæ ſuæ paratis, totque laboribus ſuſceptis; prædicaſſe ubique Chriſti nomen, docuiſſe Judæos Ethnicoſque, nec in alterius fortunas umquam conjeciſſe oculos, aut aliquid abſtuliſſe; ita cunctis ſe exhibuiſſe, ut nemo jure de eo queri poſſit: modo petiturum Hieroſolyma; etſi probe noſceret infeſtiſſimos ſibi Judæorum animos, nihil tamen ſe formidare illorum inſidias aut cruciatus: ſcire etiam ſe, poſt diſceſſum ſuum ruituros in gregem lupos rapaces, & non mediocre diſcrimen piis mentibus allaturos: cernere etiam futuram tempeſtatem, exſurgentemque ambitionem: proinde excubare eos & communi ſaluti proſpicere, ſubmiſſeque Deo ſervire oportere referebat, adhortarique: nec ſe umquam poſthac ab eis viſum iri confirmat: moxque humi proſtratus, fuſis ad Deum precibus, fauſta Eccleſiæ precatur. Tunc ſublato circumſtantium gemitu, obortiſque lacrymis (in ima quippe pectoris Pauli verba penetrarant, illaque præcipue vox audientium animos veluti telum perſtrinxerat, cum ſe numquam ab illis viſum iri confirmaſſet) ire omnes in amplexus, exoſculari, & ſe demiſſe commendare.

conſternatos quod eum amplius non eſſent viſuri.

E

Iter Hieroſolymam inſtituit:

42 At Paulus, nequaquam lacrymantibus illis motus, cum ſociis conſcenſa navi, Coum devenit; non magnam quidem urbem, ſed opportuno in loco & fertili ora ſitam, appellentibus jucundiſſimam. Ibi è mari emerſiſſe Venerem fabulantur, ſeu ob loci amœnitatem, ſeu laſcivos ob accolarum mores. Relicta Coo, Rhodum, inſignem cum inſula urbem, Demetrio & Mithridate oppugnantibus, ſoliſque Coloſſo centum viginti ſex pedum, ſeptem inter miracula mundi ingenti, quem Chares Lyndii quondam opus poſt quingentos & ſex annos motu terræ divulſum proſtratumque, Conſtante Conſtantini junioris filio regnante, Saracenorum rapacitas in Aſiam nongentis camelis onuſtis abſtraxit. Inde Arſinoen, quæ & Patera, poſt Xanthum nobiliſſima, appellit: ibique inventa navi, quæ in Phœniciam curſum habebat, in Syriam diſceſſit, applicuitque Tyrum, cum Sydone, gloriâ vetuſtatis & magnitudine, tot in Africa Europaque gentium matre, contendentem; ibique ſeptem abſumptis diebus (cum à diſcipulis propter haud incertum mortis metum Hieroſolymis prohiberetur) Ptolemaida, inde Cæſaream devenit, habitavitque apud Philippum Euangeliſtam.

F

pericula ipſum illic manentia prædicente Agabo.

43 Eo Agabus, inſigni fama & vaticinandi munere illuſtris vir, ex Judæa acceſſit; detractaque Pauli zona, pedes ac manus alligavit, dixitque, Spiritum ſanctum hoc prædicere prænuntiareque, virum cujus zona illa eſſet, ita Hieroſolymis à Judæis vinctum, Ethnicis tradendum eſſe. Qua periculi denuntiatione abſterriti amici, obniti illi, exorare obteſtarique, ne Hieroſolyma peteret, ne Judæorum furorem cruciatibus expleret; cunctandum, & dandum præ-

A præfervidis animis intentiſque in vindictam, languendi ſpatium; multa impetu, plura conſilio agi dicunt. Sed Pauli invicta animi magnitudo nullo periculo frangitur: ſed, læta diſcrimine, mortem contemnere, quis enim mortalium manus, & non longum ad tempus duratura tormenta extimuiſſet, quem ſupplicio excarnificatum æterna felicitas exceptura erat? Viderat Paulus non orbem lacteum, nec ſe perenni in curſu vertentia ſidera, ſed polum empyreum in ipſa trini Dei incomprehenſibili majeſtate, hauſeratque oculis perenne decus beatarum agmina mentium, totque fulgentia patrum ora, & quæ nefas humanis auribus ingeri, propter claritatem majeſtatemque myſterii.

nihilominus pergit fiduciâ plenus.

44 Quamobrem flentibus amicis, Hieroſolyma accedit, excipiturque à Jacobo ceteriſque Apoſtolis, magna gratulatione: omnium voce illius virtus effertur; vicit præſentia exſpectationem; vicere res geſtæ famam; & trophæa, tot devictis ex gentibus detracta, Cruciſque ad pedes dejecta, hominis dignationem augebant. Poſtero die Paulus, quatuor cum comitibus

B expiatus, ne eludere Judæorum cærimonias videretur, & antiqua ſacra, tamquam æternus hoſtis oſorque gentis, Templum Salomonis intrat, ingens ac ſtupendum opus, magnificentia ædificii donorumque opulentia, quod nec Aſſyricus late pollens in terris horror, nec Perſarum luxuria, Græcorumque invidia temeratum ſæpe ſivere; demum in cinere deflagratæ urbis plus civili rabie ac ſcelere, quam vi Romana, ſolo æquatum, Pompeius, Romanorum Imperatorum princeps, captis Hieroſolymis, intravit, adſpexitque perſcrutatus adyta arcanorum; ſpoliavit pecunia; ac ornamentorum parte M. Craſſus, bello Parthos petiturus, horum infeliciſſimus exitus fuit, nullo buſto cadavera tegente, Herodes Idumæus ſplendidiſſimè reſtituerat, hoc opere Romanæ magnitudini non inferior, appetentiſſimus famæ & nominis apud poſteros, ad claritudinem penatium.

CAPUT V.

Quæſitus Hieroſolymis ad mortem à Judæis, defenditur à Tribuno militum ac mittitur Cæſaream ad Feſtum Provinciæ Præſidem.

C

A Judæis ad mortem quæſitus,

AT Paulum Aſiani Judæi, captata loci temporiſque occaſione, factiſque inſidiis, circumvenere, tamquam Trophimum Epheſinum in templum induxiſſet; quippe arcebantur aditu peregrini. Itaque perſtrepere & incitare plebem, aſſerentes templum jam eſſe pollutum, temeratam Religionem, & fœdata ſacra majorum, inſtare univerſæ genti ruinam: ſic patres majoreſque ex contempta Religione inexpiabiles ſenſiſſe clades, pertuliſſe Aſſyricum jugum, Medorum rabiem, & finitimorum incurſiones populationeſque: fugiendam Superum iram, & auctorem diri exempli mactandum inclamare. Ingens ſtatim credulam civitatem, internis concuſſam odiis, in alteriuſque cædem præproperam, occupat cum rumore indignatio: incertæ truceſque paſſim jactari voces; magna perturbatio, concurſus, iræque in vultibus cerni; ruere omnes in Paulum, ac calcibus pugniſque contudêre. Sed Tribunus civitatis, incaleſcente tumultu, cum jam ad arma iretur, armari cohortes (valido enim præſidio diſcors civitas, & avida novarum rerum, ab Romanis obtinebatur) proferri ſigna, & claſſicum cani jubet, princeps ipſe in furentis globum ſe multitudinis injecit, Paulumque jam malè habitum invenit. Romanis conſpectis ſignis, Tribunique præſentia, Judæis cecidere ſpiritus, haudquaquam deſiſtente ira. Tunc Tribunus, per apparitores ſubmota turba, Paulum, gemina catena revinctum, rogat, quiſnam eſſet, quidve feciſſet, ſed, perſtrepentibus terribili atque incerto ſonitu populi vocibus, nihil certi cognoſcens, ad caſtra duci mandat, non ceſſante Judæorum multitudine, quo minus à tergo vociferaretur, ut Paulus omnino occideretur: tantaque ad gradus vis eſt orta, ut à militibus portari cogeretur.

A. SANCTORIO. *ſalvatur per Romanos;*

quibus rationem reddit factorum ſuorum,

46 Paulus verò, cum jam in caſtra abduci cœpiſſet, rogavit Tribunum, num cum eo paucis agere liceret: cumque quæſiviſſet ab eo Tribunus, Græcène ſciret, an num is Ægyptius eſſet, qui paucis ante diebus tumultum conciviſſet, abduxiſſetque in ſolitudinem quatuor millia ſicariorum; Paulus reſpondit, Judæum ſe eſſe Tarſi genitum, quod eſſet non ignotum Ciliciæ oppidum: rogare autem Tribunum, ut populum ſibi alloqui liceret. Permittente Tribuno, viri fortaſſe conſtantia moto, graviſſimam Hebraice orationem exorſus, retulit, ſe Judæum eſſe, Tarſi natum; ſtuduiſſe Hieroſolymis, docente Gamaliele; noſcere inter ipſos multorum ora habituſque commilitonum; mactati ſaxorum deinde ictibus Stephani oculis guſtaſſe ſpectaculum; perſecutum Chriſtianum nomen, armaſſe in illud animos ac manus, exacuiſſe mucronem; ad hoc epiſtolas à principibus Sacerdotum impetraſſe; attamen in itinere, volventem animo Chriſtianorum ſtrages, attollentemque iras, ingenti ſtatim offuſum ſplendore, equo proſtratum, audiviſſe è cælo Jeſum præcipientem ſibi, quid faciundum foret; expiatum ſalutari ab Anania aqua, aliàs inviſiſſe Hieroſolyma, prævidiſſe cruciatus ac perſecutiones, quæ ei eveniſſent: præcepiſſe præterea ſibi Chriſtum, exteras ut ad gentes iret, non recipiente gratiam Judæo, ajebat.

E

F

& virgis cædendus, ipſos monet, civem Romanum eſſe ſe;

47 Ad hanc vocem (cum modeſte antea ſiluiſſet, ſeu verecundia Tribuni, ſeu quod hominem ſuſceptæ religionis pertæſum, fractumque calamitate, rediturum ad Judaica crederet ſperaretque ſacra) concitata multitudo, ingeminatis clamoribus, Tolle, tolle hominem, vociferatur, ſcindi veſtimenta, ſimul offenſari ora, in altumque pulveris jactatio (haud dubium acris mœroris ſignum) cerni. Quod cum Tribunus animadvertiſſet, ad caſtra raptum jubet torqueri, ut ſciret, quam ob cauſam tanto illi clamore Judæi obſtreperent. Jam capeſſere miles juſſa, jam expediri virgæ, & prope intentari ictus, cum adſtantem Paulus Centurionem interrogat, num civem Romanum indicta cauſa atque indemnatum, illis virgis cædi liceret? Perculſus ad inſperatam vocem Centurio, illico admonet Tribunum, ut etiam atque etiam videret, quid faceret: eum enim hominem, quem ſtare ad palum virgiſque contundi juſſiſſet, Romanum eſſe. Tunc accedens Tribunus ſciſcitatur ab eo, num Romanus eſſet? Quod cum Paulus annuiſſet; Ego (inquit Centurio) grandi pecunia jus Civitatis ſum adeptus.

D

Ego

A. SANCTORIO

Ego vero (Paulus inquit) & natus civis ſum. Ita ea ignominia periculoque Paulus liberatur, haud mediocriter conterrito Tribuno, deprehenſa veritate. Itaque ſolvit hominem; &, quo certius aliquid de illo cognoſceret, ſatisfacturus etiam Judæis, producit in publicum.

productuſque ad Judæos, cauſam ſuam defendit.

48 Paulus autem, cum oculos in circumſpectantes conjeciſſet, retulit, ad illum uſque diem ſincere ſe egiſſe, Deique ab legibus non retorſiſſe iter. Quo verbo offenſus Ananias Pontifex, ut erat contumaci elatoque ingenio, quique ſubmiſſe deprecaturum ſupplicium, & haudquaquam tantos ineſſe homini ſpiritus credere, circumſtantibus præcepit, ut ei os affligerent. Tunc Paulus, indignitatem rei non ferens, percutiet te Deus, paries dealbate, qui, cum ſedens, ex lege me judices, tamen os meum contra patria jura tundi jubes. Tum qui aderant, objurgare Paulum, quod ſummo Sacerdoti malediceret. Ille vero, neſcire ſe, illum Sacerdotum principem eſſe, ait: traditum à majoribus, Principi populi tui ne maledicito. Sed cum animadverteret, in ſe Judæorum atrocitatem non molleſcere, ſed acrius furere, intelligens audientes duplici

B

hominum genere diſtinctos (quippe pars Phariſæorum, pars Sadducæorum erat) clamare in conſilio, ſe Phariſæum Phariſæi filium, inſontem circumveniri, quod ſpem vitamque mortuorum poneret tuereturque.

Triplex Judæorum ſecta, diverſa opinantium,

49 Etenim apud Judæos triplex mortalium genus inter patricios fuiſſe legimus, Eſſenorum, Phariſæorum, Sadducæorumque. Præſtant vitæ integritate, religione, ac caſtimonia Eſſeni. Phariſæorum ſimulata religio, cuncta fucoſa, aſtutiæ, fraudes, elata jactantia, incerti mores, patriis in diſcutiendis declarandiſque legibus, plurima auctoritas, & acumen, procacitas, dominandique haud modica libido ſunt, fato & Deo cuncta tribuunt, animos immortales credunt, quiſque nobilis, aut potens opibus illi præcipue ordini adſcribitur. Sadducæi vero mortalem animam exiſtimant, nullas præter jura patria

quarum una contra aliam, dictis Pauli aſſentitur,

obſervationes cuſtodiunt, adverſus ipſos ſuæ philoſophiæ doctores contumaces, inter ſe diſcordes, adverſus exteros tetri ferique. Igitur, hoc aſtu Paulo graſſato, Phariſæi dimiſſa multitudine prona in malum, adverſari Sadducæis, & minaciter fremere, nihil ſceleris in Paulo compertum

C

aſſerentes. Quid (inquiunt) ſi almus Spiritus, aut mens aliqua beata cum eo ſint locuta?

quem, vitæ ejus in tumultu timens Tribunus, abducit in caſtra.

50 At Tribunus, veritus, ne Paulus in concione furenti a populo diſcerperetur, quippe truces vultus, infeſta ora, & diros animos cernebat, jamque diſſonum clamorem, & poſcentem arma exaudire cunctaque in exitium innocentis parata apud adverſarios animadvertebat, militibus imperat, ut eum de medio raptum Romana in caſtra perducant, tuta vallo & ferro tremenda. Proxima nocte Paulum Deus viſus eſt admonere, uti bono præſentique animo foret: ſicut Hieroſolymis ipſius propugnator defenſorque nominis fuiſſet, ſic fore, ut Romæ etiam exiſteret. Digna quidem illa Pauli eloquentiâ ac magnitudine ſedes erat, ut eo funeſto ſeculo, potito jam opibus Nerone, tot luminibus orbatâ civitate, & obſcurata veterum gloriâ Oratorum, in eo vaſto fori ſilentio, conticentibus roſtris, & mutâ terrore Curiâ, Pauli claritas emicaret, concreparetque oratio. Sed Judæi uſque adeo fuerant exacerbati, ut vel devotione quadraginta & eo amplus capitum, in perniciem hominis conjurarint.

D

Nuſquam enim acrius, aut amarius, atrociuſve in quemquam noſtrorum, quam in Paulum, Judæorum exarſerat odium: tantam homini invidiam inſignes virtutes, & diſpares mores propugnatori quondam Judæorum, & tunc acerrimo hoſti, conflarant, ut morte illius ſublatum iri Chriſti nomen putarent.

Conjurant Judæi 40 in necem Pauli;

51 Igitur amplius quadraginta juvenes, electa pubes & avida cruoris & ſpiritibus ingentibus, in Pauli caput animos ferrumque devovent, nihil cibi potioniſque ſe antea capturos, quam, trucidato Paulo, vulneribus cruoreque paviſſent oculos, jurejurando affirmant. Rem ſtatim ad Pontificem natuque ſeniores deferunt; rogantque, ut Tribunum ad producendum in concionem Paulum inducant, ſe ſtatim facta exſecuturos, pollicentur. Probant facinus illi, & ferali exſultant audacia, multoque verborum honore collaudant juvenes & immoderatos eorum ſpiritus efferunt: non adeo vilem nudatamque auxiliis rem Judaicam eſſe, ut abjectiſſimorum hominum verba diſputationeſque pertimeſcat: ſatis jam in his perferendis audiendiſque ignominiæ toleratum: adeſſe nunc adverſus rebelles Superum iram, conjuraſſe in illos aſtra, habere patria jura

E

inſperatos ultores; arma in manibus eſſe; victam jam patientiam, victam ſeniorum ſocordiam atque ignaviam juvenili virtute: omneſque in adverſariorum excidium ſentire gloriantur.

quare Pauli nepote ad Tribunum delata,

52 At Pauli ex ſorore nepos, egregiæ indolis adoleſcens, rem rimatus, Paulo dolum enudat: ille accerſitum Centurionem multis verbis obſecrat, ut adoleſcentem ad Tribunum ducendum curaret: habere aliquid, quod ei nuntiaret. Introductum adoleſcentem, apprehenſum dextera interrogat Tribunus, quidnam indicare ſibi vellet? Ille inſidiarum ordinem aperit, & à quibus parantur, edocet, obteſtaturque Tribunum, uti dolos averteret, neve pateretur tantum facinus Romanis in caſtris ante ſigna, temeratis auſpiciis, committi in altiſſima pace, à petulantiſſima juventute: functum ſe optimo jam officio; ſatisfeciſſe caritati gentilis ac patriæ: ipſum jam, præcognita vecordia Judæorum, ſapere debere ac prævidere, quid opus ſit in tanto diſcrimine, nec incerta Pauli cæde convelli civitatis ſtatum, & trahi in diſcrimen Remp. patefactis bellorum initiis; obtendi interim religionis prætextum, & jura patria, ſacraque perpetua, quo ſcelerata vota innoxii cruore expleantur, occupetque impia pectora Romani amor belli, rerumque commotio, animoſe præfatur.

F

hic vinctum ſuum cum tuto comitatu ac litteris

53 Tribunus, dimiſſo perhumaniter adoleſcente, juſſoque cuncta quæ acta eſſent, ſilentio obvolvere, duos confeſtim Centuriones ad ſe vocat; quibus imperat, ut duas centurias, equites galeatos LXX, haſtatoſque CC contrahant, & jumenta, in quæ impoſitum Paulum ad tertiam buccinam, ſalvum incolumemque ad Antonium Felicem, Provinciæ Rectorem, Cæſaream perducerent (verebatur enim, ne vita interceptus Paulus ſibi in crimen atque infamiam verteretur, tamquam pecuniâ labefactatus fuiſſet) deditque equitibus ad Prætorem epiſtolam, in hanc ſententiam. Virum, quem ad te mitto, à Judæis

mittit Cæſaream ad Proconſulem,

comprehenſum, cum jam interficeretur, adventu meo vix periculo exemi, cum Romanum eum eſſe comperiſſem. Cum vero ſcire cupiens, quid ei adverſarii objicerent, illum in eorum conſilium perduxiſſem, ei objectari comperi, quæ ad gentiles Judæorum ritus pertinerent,

quæ

A quæ nec vinculis nec morte essent pianda. Quoniam autem cognovi hominem, propter præpotentum insidias, in non vero versari capitis discrimine, eum ad te misi, ut accusatores apud te agant, si quid in eum velint dicere.

quo etiam ipsum sequuntur Judæi,

54 Equites noctu Paulum Antipatridem, postera vero die Cæsaream (repetentibus castra cohortibus) ad Felicem perduxerunt; reddunt & illi epistolam: quam cum ille perlegisset, Paulum, cujus provinciæ esset, rogavit; cumque Cilicem illum esse deprehendisset, illius causam accusatoribus coram ab se auditum iri, dixit: interim asservari eum in Herodis Prætorio, jubet. Quinto post die, Ananias Pontifex, gravi mœrore animi exulceratus, atrocissimeque in vindictam exardescens, cum manu nobilium, Cæsaream accessit, cumque eo Tertullus quidam orator, haud spernendæ facundiæ, qui facta dicendi à Præside potestate, in hanc sententiam locutus. Maximas tibi gratias agimus, optime Felix, quod benignitate tua summaque virtute, bellico procul terrore depulso, omnique compresso tumultu, læti pacatique vivimus, proque incredibili tua sapientia multa, quæ superiores Præsides, quibus successisti, neglexerant, correctione adhibita, feliciter geruntur. Nam jura, ancipitis inter belli metum silentia, prostrataque justitia, atque æquitate revaluere tua; dissectisque latronum globis, & retusa sicariorum audacia, cuncta Judæa, cum soli mira ubertate, tranquillo otio potitur, tibique uni excusum manibus ferrum, conservatos lares, patria jura, templum, & carissimos liberos conjugesque ex vastitate belli, à fortunarum direptione, à flammis excidioque refert; plusque ipse clementia, quam ceteri minis terroque profecisti, novisti animos nostros, majestatem populi Romani venerantes, Cæsaris nomen maximo applausu prosequentes & felicissima precantes.

ac denuo accusant

longa oratione,

55 Itaque tantam de te spem universa Judæorum natio concepit, ut propter tuam insignem nobilitatem, sapientiam, animi magnitudinem humanitatemque, te gubernante, felicem se beatamque fore existimet: jamque hujus nostri voti obsidem ac vadimonium habemus mansuetudinem tuam, qua maxime fidelium pacatorumque sociorum animi evinciundi fovendique sunt. Sed non hic locus tuarum laudum est. C Obruerer profecto magnitudine, & numerando percensendoque deficerem. Quamobrem, ne te longa oratione traham, à te peto majorem in modum, ut nos breviter dicentes, ut facis, benigne attenteque audias. Non ignotam tibi esse arbitror Nazareorum sectam, qui novis quibusdam inusitatisque religionibus atque insomniis, mentes hominum imbuere vexareque, ac in nostros ritus armare non desistunt; utunturque multis fallaciis, multisque maleficiis. Crescit scelere superstitio (plerisque mortalium semper in deteriora labantibus, seu vitio naturæ, seu ampliori laxiorique vivendi licentia) & malis artibus clarescit. Itaque vereor, ne aliquando in omnium exitium perniciemque redundet: quippe semper enascentia mala in ipso exordio opprimenda sunt: nam incredibili & nonnumquam irrito labore, cum sese effuderint, cum evastarint hominum animos, cumque radices fixerint, evelluntur. Hic igitur, quem vides, adstantem eâ oris contumaciâ, eo truci silentio, homo nefarius, id præteritis diebus est ausus, quod improbissimorum hominum refugisset audacia. Tem-

plum enim nostrum, tantis ornamentis, tanto nomine, tantaque sanctimonia vel exteris gentibus venerandum, polluere ac violare est aggressus. A. SANCTORIO.

in speciem comptâ.

56 Pepercistis vos illi, Romani, expugnatis Hierosolymis, in tanta victoria, in eaque dira calamitate (quam revocare in memoriam perhorresco) & ad præsentem usque diem mirificis, ut par est magnitudini vestræ, donis auxistis, ubi litantur victimæ, ubi thura adolentur, ubi vota pro Romani nominis felicitate amplitudineque quotidie nuncupantur; & iste nullo Dei metu, nulla religione (sed quæ scelerato in homine potest esse religio?) nullis pœnis, quæ vel nefarios profligatissimosque mortales à scelere absterrent, contaminare voluit: nec stetit per eum, quo minus verenda sacra, adytis occlusa, & vetustate ævi augusta, corruerent. Quid præterita istius scelera commemorem? Solum, tecta, cælum, & quidquid inanimum est, istius infecta veneno horrenda scelera eloquuntur. Doluimus, tot in Syria seditiones conflatas? Istius exarsere dolo. Vidimus, & quanto cum dolore, tot per oppida eductos gladios? Isto impulsore micuere. Omnes denique rapinas, omnem agrorum populationem, & cetera funestæ pacis mala, iste consilio, manu & opera excitavit, impulit, juvit ac fovit. Obtinet non modicam apud sceleratos auctoritatem: princeps est in audacia, princeps in furore, princeps in cohortibus grassatorum. Itaque, optime Felix, hæc hominem patrantem, tanta obrutum mole scelerum, nefario piaculo obstrictum, & violatæ religionis reum, punire è patriæ instituto voluimus: sed prohibuit Lysias, magnaque eum nobis vi eripuit, jussitque ejus accusatores ad te venire: ex quo facile tu poteris ea crimina cognoscere, quibus eum in judicium adducimus. E

Respondet Paulus, seque purgat.

57 Subticente Tertullo, à cunctis qui adstabant Judæis, confirmatur oratio. Paulus dicere ac respondere jussus, præsenti animo ac gravi & luculenta oratione, Judæorum maledictis occurrit, docendo, se compotem brevi à Felice propter æquissimam causam, & ejus benignitatem, factum iri; nec se peccasse in Cæsarem, patriave jura; confiteri tamen, in religione cultuque, quem sectam Judæi nuncuparent, se non negligentem esse, & omni studio Deo inservire, attamen nullam ab se excitatam seditionem, non pollutum templum, non Augustorum nomen offensum; sed Judæos invidia obcæcatos, & resurrectionis mentione gravatos, adeo infeste truculenterque in se coortos esse, asserebat. His dictis, rejecta ad Lysiæ adventum Judæorum querimonia, Felix custodiendum Centurioni Paulum attribuit, satis laxamenti dato. Interjectis aliquot diebus, cupido hominem incessit audiendi Pauli, una cum Drusilla uxore, quæ M. Antonii Cleopatræque neptis, senioris Agrippæ filia, junioriisque soror, formæ eximiæ, nec moribus inculta, projectæ libidinis, primoque à toro Azizi Emesenorum regis profuga, in Romani hominis complexus, Simone Cyprio Judæo suadente, se conjecerat. Itaque, cum luculenter Paulus peroraset, injecto Felici tremore, cum novissimum judicium & funestum diem repetiisset, dimittitur; sæpe postea à Prætore accersitus ac liberaliter tractatus. F

Felicis prædecessoris mores

58 Enimvero Felix, Pallantis fratris (qui Julia Agrippina, vetus ob meritum adactæ ad necem Claudiæ Messallinæ, Claudii Cæsaris quon-

A. SANCTORIO. quondam uxoris, cunctis illecebris notatissimæ, simulque propter stupri consuetudinem, perample fovebatur) fretus opibus, cunctis latè impietatibus grassari, fœdus libidine, avaritia exsecrandus, crudelitate immanis, nihil apud eum fas, mutæ leges, & cuncta in libidine sita, alterius fortunarum depeculator, ac veluti Judaicæ gentis in exitium ab Urbe missus: nam deflagrasset haud dubie Romano bello Provincia, paribus sceleribus illi juncto Ventidio Cumano, nisi Numidius Quadratus labantibus rebus succurrisset, & stricta jam tela è partium manibus extorsisset inhibuissetque virtute atque industria ad eam deletæ Judaicæ gentis palmam, orbisque imperium Vespasianum vocantibus, qui in Occidente multo sudore, & imperatoriis virtutibus Principatus inchoabat initia, quæ, fota deinde Oriente, ad fastigium summæ majestatis coaluere.

& avaritia. 59 Igitur Felix, etsi virtutem Pauli fortasse admiraretur, avaritiâ ad benè illum tractandum agebatur. Nam grande donum ab illo sperabat, quem Hierosolymis ingentem pecuniarum vim in pauperes prodegisse cognorat. Interim exacto biennio, Felici Romam revocato Porcius Festus succedit, haud Felice innocentior, virtutumve claritate insignior. Huic Felix, gratificaturus Judæis (quos atroci in se odio inardescentes, & graves in Urbe aliquando futuros hostes, suspicabatur) Paulum vinctum reliquit. At Festus, triduo postquam iniit Provinciam, victimis Jovi litatis votisque rite nuncupatis, Cæsareâ accedit Hierosolyma, nondum spiritibus pacata, & haud dubium agitantia bellum, prorsusque ab Romana societate aversa, scisså in seditionem parteque plebe, atque optimatibus infensa; optimatibusque justo ferè servitio plebem opprimentibus, utriusque iras exasperante militari Romanorum licentia atque avaritia.

CAPUT IV.

Gesta Pauli coram Festo Præside & Agrippa Rege. Navigatio Romana: tempestates: appulsus in Melitam.

C *Illi succedit Festus* AUdito Hierosolymis adventu Præsidis, statim ad illum fit hominum concursus: pars ruere in servitium, pars suo commodo consulere, pars adulatione gratari Præsidi, nemo publicum decus salutemque civitatis, quæ jam jam in excidium trahebatur, respicere; omnes tamen Pauli perniciem anhelare: illum circumfusa Prætori caterva criminibus onerare deposcereque ad supplicium, & ut Hierosolyma perduceretur, deprecari prehensareque Festum, certi jam de nece illi in itinere inferenda, cum haudquaquam refrixissent animi, dextræque sceleri assuetæ, sæpeque innocentium sanguine cruentatæ, obtorpuissent, ultoresque trucidatorum manes infanda pectora assidue obturbarent, in certumque exitium impellerent. Sed Festus, Cæsareæ Paulum asservari, dixit: si quid de eo quererentur, eò illis accedendum esse: quo propediem ipse venturus esset.

æque lentus in liberationem Pauli, 61 Hoc adverso inexspectatoque responso, elusa Judæorum fraus; occluditur tamen pectore dolor, & adulatione, & vindictæ spe lenitur. At Festus, octo aut decem non amplius Hierosolymis dies moratus, Cæsaream repetit, subsequente Judæorum turba, peracerbius in ipsa repulsa in Paulum conjurata. Eum igitur Festus, pro suggestu sedens, in conspectum produci jubet: vetera crimina in illum Judæi ingerunt, quorum tortuosos animos & invidiam, sapientissima Paulus oratione reprimit, tanto cum ipsorum dolore, ut prope insanirent. Tum Festus, aucupaturus popularem auram, quæsivit à Paulo, num Hierosolyma ire, atque illic de his criminibus apud ipsum judicari vellet? Paulus, se ad Cæsaris tribunal, ubi judicandus esset, stare dixit: Judæis nullam se intulisse injuriam, quod melius ipse intelligeret, si quid in eos peccasset, se quo minus morte afficeretur, non recusaturum: sed e contra, nullo reperto scelere, neminem esse, qui illorum furori posset dedere. Quamobrem Cæsarem, inquit, appello.

ipsum ire ad Cæsarem jubet. 62 Tunc Festus, miratus constantiam hominis, de consilii sententia; Cæsarem, inquit, appellasti, ad Cæsarem ibis. Ea quippe ratione eversum iri ab se Judæorum dolos, & mitius secum acturam Romanam lenitatem, ab excelso quodam, augustoque nascentem animo, fortasse ipse opinari; etsi fœdi mores, & à veteri illa, laudataque disciplina degenerantes, in Græcorumque ignaviam mollitiemque Asiaticam prolapsi, nobilissimum imperium moderatione olim terribilius, quam armis, paullatim everterent, principibus, expulsa virtute; libidine, avaritia, fastu, ac venere turpissime grassantibus, & milite nulla modestia, nulla disciplina, in exteros segni, ferox in suos, illecebrisque enervato, plus in excidium, quam in salutem dignitatemque imperii opimis alito stipendiis: jam frugalitas Cincinnati, Fabricii, Coruncanii, Catonum, Tuberonumque excesserat memoria, nec Duillii aut Fabii, aut quatuor victrices Scipionum animæ, aut Marcelli Æmiliique memorabantur: crescere vitia & usurpari; passimque pro virtutibus haberi: nulla umquam toto in orbe terrarum civitas adeo primis imperiis in ortu splendoris pluribus vallata virtutibus, aut consilio, continentia, morumque integritate insignior fuit; adulto demum imperio & latissime propagato, cuncta omnium gentium vitia ac turpitudines, avidissime hausit, ita ut non de imperio ac gloria, sed de adsciscendis sceleribus pugnasse cum gentibus videretur: & his moribus Romana tunc aula stare, egereque profecto Pauli virtutibus, cujus una in Deo fiducia, ac spes erat, non quod cruciatus subterfugeret, quippe mori & esse cum Christo cupiebat; sed ut Deo in evastandis idolorum impietatibus operam quam diligentissime navaret, notus ipse Romanæ aulæ multis disciplinis & fama sanctitatis vel apud Domitium Neronem.

Interea Rex Agrippa cum uxore, salutaturus Festum jupervenit, 63 Etenim Agrippina, indomitis animis & inflammata prorsus imperitandi libidine mulier, sublata Messallina, Claudii torum implerat, evictoque illecebris viro, cuncta ad se trahens, imperium Neroni filio miris artibus struere, mox accelerata veneno Principi morte, filium ad imperium evexit, infausto exitu. Eodem ferme tempore Herodes Agrippa, Aristobuli filius & Berenices uxor neptisque, magna opum ostentatione, magnoque rerum apparatu, Cæsaream Festi salutandi gratia, accedunt: etenim muneribus mulcebantur Præfecti, mitigabaturque immanis illa avaritia, deprædandique gentes ac fana libido: comitabantur Reges lectissima juvenum corpora,

A pora, & nobiliſſimus quiſque. Sed Regina, cultu corporis, gemmata cæſarie, auguſta forma, artibuſque pluſquam ſcortatoriis, licet à prioris obitu viri Polemoni, Cilicum Regi nupta, prætextu laterum atque immodicæ veneris, cum illo divortium fecerit, quaſi caſta, in Titi Cæſaris poſtea effuſa amplexus, Oriente mirante, inter funera ſui interitumque Judææ, ſupra ceteros conſpicua, omnium ora oculoſque in ſe rapuerat. Itum à Prætore Regibus in occurſum, adſtante circum legionum agmine, & fulgentibus ſignis, juncta dextera: ceſſere ſtatim ſceptra ſecuribus, curuli ſolium. Exinde humanitate (poſtquam Romanus faſtum explerat) certatur. Plus in Reginæ vultum, quam in faſces ornatumque Regium, cunctorum exitit veneratio. Tanta vis formæ ineſt ad alliciendos promerendoſque ſpectantium animos.

64 Poſt hæc Feſtus, cum lautis epulis Reges excepiſſet, caſu facta de Paulo mentione, narrat inſontem illum, quantaque invidiæ procella fuiſſe jactatum, quæve illi crimina fuiſſe objecta: ſed nihil certe ſceleris in eo deprehenſum & quo modo ad Cæſarem provocaſſet; & ideo non dimitti ab ſe; cupere tamen, cum nihil haberet, quod ad Cæſarem ſcriberet de illo, ut ipſi hominem audirent, quo certius aliquid Cæſari ſignificaret. Grata Regibus Feſti voluntas fuit, quippe qui non mediocri audiendi hominis deſiderio tenebantur, fama & præconio gentium cognitis Pauli virtutibus. Quæ enim gens, aut quæ natio tam citima ſoli, aut tam ab illo remota exſtabat, cujus aures non Pauli vox famave percuſſerat? Siquidem nec fervens cælum, aut exuſta perenni ſole humus Æthiopas, nec Caucaſus vaſtitate ſua & cacumine, perpetuo nivium rigore poſſeſſo, Indos; nec Parthorum regna rapido curſu Tygris Euphrateſque; aut ſuo Ægyptios, & introrſus Africanam barbariem ſomitu Nilus; nec felicia Sabæos ac Nabathæos cælum terræque ſunt tutata, prohibuereque, quin Pauli bellico intremuerint.

cupidus alloquendi Paulum,

B

65 Poſtera igitur die exſtructus ſuggeſtus Prætorem Regeſque ſeſſum accepit, adſtante Centurionum Tribunorumque ordine, tutaque ſex faſcibus concione. Tunc Paulus, annuente Rege, orationem orſus, beatum ſe primum dixit, quod apud eum eſſet verba facturus, qui omnem Judæorum diſciplinam, omnia inſtituta, omnes ritus teneret, eademque ſacra veneraretur: deinde ea expoſuit, quæ paullò ante de Judæorum obtrectationibus, & de cauſæ æquitate commemoravimus, initio longe petito ab eo tempore, cum primum à Chriſto è cælo vocatus ſit, eoque ſuperiore, cum Moſaicæ legi parendum eſſe cenſeret. Quæ cum Paulus coram Rege ſuo, magna voce Romanus, inſito faſtu cuncta deſpiciens, & diris deditus ſuperſtitionibus, haud quaquam anguſto pectore veritatem amplectens, inſanire hominem, multaſque (quibus eſſet præditus) diſciplinas ad inſaniam adigere, dixit. Paulus vero, delirare ſe negat, ſed verba veritatis ac prudentiæ pleniſſima eloqui, nec ea Regem, ad quem verba faceret, ſubterfugere: rogavitque Agrippam, num Vatibus fidem haberet? Qua de re nullum apud ſe dubitationi locum relinqui, annuit. Tunc Rex modicum ſibi reſtare, illius ſuaſu, ad ſacra ſuſcipienda, faſſus eſt. At vero Paulus optabat & modicum, & immenſum non tantum Regem, ſed omnes, qui audiebant, tales evadere, qualis ipſe erat, exceptis vinculis ſuis.

quem & audiri pro ſe præclare dicentem,

C

66 Quam conſtantiam Prætor Regeſque admirati, dimiſſa concione, ſummum virum, & inſontem judicant: potuiſſetque dimitti, niſi ad Cæſarem provocaſſet. Paucis poſt diebus, æſtuante jam Parthico bello Aſiâ; magnâque apparatus famâ Armeniam quatiente Tiridate; Syriæque minitante Vologeſo fratre, Parthorum Rege; Agrippa cum conjuge Hieroſolyma abſceſſit. Enimvero decedente Armeniorum rege Artaxa, juſſu Cæſaris Tigranes Armeniis præficitur: quæ res anhelantem Romanas Provincias Vologeſum ad arma excivit, quando Armeniacam ditionem ſibi convenire, Arſacidarumque faſtigio addictam judicaret. Itaque in conſpectu Satraparum Tiridatis fratris capite evincto diademate, magnam equitum manum pergere in Armeniam, ad exturbandum Tigranem, & cuncta depopulari jubet; ipſe cum exercitus mole tranſire Euphratem, & invadere Syriam decrevit, ut duplici maximoque bello diſtentæ Romanæ vires facilius obrererentur: ſed, ſingulari Domitii Corbulonis, Syriæ Proconſulis, virtute atque præſtantia deterrito Partho, ab eoque itinere avocato, omnis belli vis impetuſque in Armeniam verſus, & vario belli eventu, multis invicem illatis acceptiſque cladibus, inter Romanum Parthumque certatum: demum Tiridate, Cæſaris effigiem & Romana ſigna venerante, bellum pactione dirimitur. Quæ omnia haud multo poſt evenere.

A. SANCTORIO. mirantibus conſtantiam ejus Regem ac Feſto.

E

67 Igitur Paulus, à diſceſſu Regum conſtituta navigationis die, Julio, Auguſtæ cohortis Centurioni, cum multis aliis nexis traditur: qui Hadrumetina navi vectus, Sidonem oppidum, totius Phœniciæ longe maximum clariſſimumque, applicuit; illectuſque Pauli virtute ac comitate, adire & contalutare amicos homini permittit: quos ad bene ſanctèque vivendum Paulus cohortatus, in navim regreditur, quæ Cypro, propter adverſos ventos, prohibita, prætervectaque Lyciæ Pamphiliæque oras, Myram Lyciæ oppidum tenuit: ibique Centurio, Alexandrinam navim curſu Italiam petentem nactus, in eam omnes vinctos traducit: cumque ſatis multis diebus tarda navigatione vix Cnidum, quod ventus non ſineret, tenuiſſet, Cretam per Salmonem, ad Orientem Cretæ Promontorium, præternavigavit Inſulam, centum florentem oppidis, & arcu ac telo minacem; ſed avaro, ſævo, mendacique accola frequentem; tenuitque locum, qui Boniportus dicitur, Thalaſſia haud multum diſtans ab urbe. Ibi Paulus cohortatur Centurionem, nautaſque, ne altum petant; proſpicere ſe ingruentem tempeſtatem; & non dubium capitis rerumque diſcrimen inſtare affirmat: ſed portus minime ad hiemandum idoneus, ſpeſque in propinquo potiundi per hiemem Phœnice Cretæ portu, ad Africum Corumque ſpectante, Paulo fidem abrogarunt.

Paulus Julio centurioni commiſſus,

navigare incipit Italiam verſus;

F

68 Itaque Centurio, explicatis ad auram velis, altum petit, cum ſubito deſiſtente Auſtro, incumbenteque Euro Aquilone, tumeſcere mare, attollique undis, vaſtiſque ſpumis caneſcere incepit, & navis huc illuc jactari, nec ſiſti anchoris, aut arte regi; cælum inſuper atrox, & nubium mole ſuffuſum, crebriſque ignibus fulgens, reboanteque interdum fulmine minax, ingeminare terrores. Ergo ſqualenti ore, trepidis animis, nulla ſalutis ſpe, non conſilia, non vires, ſed tumultum pavoremque in medium afferre, quiſque ingemiſcere, & infanda vota

tempeſtatem prædicit,

mox graviter navi incumbentem

A. SANCTORIO

Neptuno concipere, Jovemque invocare, jactatiſque in mare mercibus, & abruptis armamentariis, omnia truci murmure & lamentatione repleri; cum Paulus in corona ait, Deum ſibi viſum, cæloque promiſſum, incolumibus omnibus ſe ſiſti ante Cæſarem oportere. Data in ſumma deſperatione certoque diſcrimine homini fides, factuſque unicuique animus: nam tempeſtas multo antea denuntiata, prævisumque periculum, ipſaque morum ſanctitas divinum apud illos Paulum effecerant. Hinc Hadriaticum in mare illata ventorum procellis navis, criſpantibus mugientibuſque adhuc horribili ſonitu undis, veriti nautæ ne violentia pelagi in ſcopulos impingerent, quatuor ex puppi jactis anchoris, lucem exſpectare: cumque denſiſſimis illis tenebris ſcaphâ confiderent, & fugere è navi conſtituerent, Paulus Centurionem commonefecit, in navi niſi manerent, ſalvos eſſe non poſſe. Itaque milites, illico ſcaphæ funibus abſciſſis, eam obrui paſſi ſunt undis.

promittitque divinitus,

neminem vehentium periturum;

69 Adhortator cunctis Paulus lucis in exſpectatione adeſt, non verbis modo, ſed cibo languentes fovere (quorum corpora, enervatis animis ipſaque maris procellarumque atrocitate ſtomachum ciente, intermortua jacebant) & omnia magni in adverſitate viri munia implere. Illuceſcente demum ſole, cum nec continentem cognoſcerent, animadvertunt ſinum quemdam litus habentem, in quem conſtituebant impellere, ſi poſſent, navim. Itaque ſublatis anchoris, mari ſe committunt; laxatiſque gubernaculorum funibus, flante aura in litus contendunt: ſed cum prope continentem applicarent, hæret navis, & prora fixa immobilis ſtat, puppi undarum vi eluctante. Qua re animadverſa, miles ſceleratum ex temeritate, inſitaque crudelitate mutuatur conſilium, trucidandi nexos, ne litore potiti diffugerent: ſed centurionis prudentia, & erga Paulum humanitas, prohibet facinus. Itaque pars, nandi perita, ſe in mare dejicit, vique lacertorum terram tenet; pars tabulatis vehitur: major extra diſcrimen, quam in ipſa fuerat deſperatione, trepidatio: redditur clamor & confuſio cernitur; nec minus æmulationis, ſi qui primi ſolum apprehenderent, omnes incolumes (cum CCLXX eſſent) ſolum attigere. Cherſoneſſus locus fuit, qui nunc Pauli nomen habet, ſacellumque illius in honorem erectum adſpicimus: cognitumque, Melitam eam inſulam nuncupari, à Poenis cultam, inter Siculum Libycumque jacentem mare, milliariiſque LX in circuitum patentem.

qui ſalvi ex naufragio omnes terram attingunt

B

inſulam Melitam,

C

70 Igitur frigus minante cælo, inſtanteque imbre (quippe ea Inſula, flantibus Aquilonibus, non tam algores, quam pluvias ſentit) paſſim à barbaris ad fovendos artus excitantur flammæ: & Paulus, cum vim magnam ſarmentorum collegiſſet conjeciſſetque in ignem, vipera, occluſa vepribus, torpida algore, cum ſenſiſſet flammam, egreditur, manumque Pauli morſu arripit: quam ut barbari è manu illius pendentem viderunt, colloqui inter ſe, plane illum ſanie, haud incertaque morte contaminatum eſſe, quem maris rabiem effugientem dii non ſinerent vivere, communique aura frui, nullamque ineſſe haud dubie pectori religionem, jactare. At Paulus excuſſo in ignem ſerpente, nihil omnino mali ſenſit: ſed barbari tumorem livoremque in corpore exſpectare, ociuſque col-

& ab incolis humaniter foventur.

Hic Paulus à vipera morſus abſque noxa,

lapſurum credere. Quod cum diu fruſtra exſpectaſſent, mutatâ ſententiâ, Deum eſſe hominem exiſtimarunt, cum retundere rabiem, ſupprimere vim veneni, non niſi cælitus dari crederent, Pſyllorum eluſis miraculis, & arte famoſa curandi veneni.

D

71 Itaque, Paulus multis concionibus cum eos doceret, multi ſalutari lavacro expiantur: confitetur & Chriſtum Publius, Inſulæ primarius, recipiente illius patre valetudinem Pauli virtutibus, cum febre & alvei profluvio diu laboraſſet. Hinc nulla poſthac Junoni aut Herculi (quorum vetuſtiſſima fana in Inſula cernebantur) habita fides; in Chriſtum mira religio; & ex cælitibus in Paulum ſummum ſtudium; illum Inſulæ patronum, illum tutelarem habent; illius virtuti cuncta tribuunt. Ex eo enim tempore exarmatos veneno ſerpentes ferunt, &, ſicut aliis in terris crudeſcere atque mordere; contra in Melita miteſcere, puerorumque manibus attrectari mulcerique: & Inſulani paſſim per Europam lapillorum fragmenta, Pauli calcata veſtigiis, ad depellenda venena circumferunt. Paulus Melita in Inſula tribus moratus menſibus, inſigni fama ſanctitatis apud accolas relicta, exoriente Pleiadum ſidere felici navigantibus, conſcendit Alexandrinam navim, Caſtoris Polluciſque fratrum præferentem inſignia, ſueta navigantibus; quæ in Inſula hiemarat, ſolvenſque Syracuſas devenit, opus olim ante Marcelli victoriam ingens memoratumque, quod nunc proſtratum ruinis adſpicitur: tantum cuilibet rei mortali tempus officit.

prædicat inſulanis Chriſtum cum fructu.

E

72 Triduo moratus in oppido, navigavit inde Rhegium, in Calabria ſitam urbem, Siciliam reſpectantem; mox Puteolos, Campaniæ oppidum, Cumis Neapolique interjacens, aquarum ſalubritate, amœnitateque loci pernobile, ſed crebris quotidianiſque terræ motibus intutum, defertur. Nihil illo ſinu, qua Miſenum promontorium, Bajas, Cumas, Neapolimque Surrento tenus mare lambit, in Italia amœnius ſalubriuſve. Ergo cum ſeptem Paulus diebus Puteolis, noſtræ religionis hominibus gratificatus, deſediſſet, tandem Romam acceſſit. Sed B. Hieronymus ſcriptor præſtantiſſimus, auctor eſt, Paulum nondum adulto Neronis imperio (quod primis imperii menſibus, agente adhuc in humanis Britannico fratre, contigiſſe par eſt) inviſiſſe Urbem, & à Nerone liberatum, Occidentalem orbem concionibus impleſſe, adita Provincia Hiſpaniiſque peragratis. A primo diſſentiunt ceteri, ſecundum amplexantur, & prodigia in illis terris ſtupenda admirandaque famam hominis extollunt teſtanturque. Et re vera decebat illam Pauli divinam virtutem, atque incredibilem animi magnitudinem; calcato Orientis faſtu, obtritaque ab Euphrate Thracia, Illyrioque tenus gentium gloria, Euphratem Bæti, & Hircanum commiſcere Oceano, tantaque trophæa ad Orcadum, Pictonumque conſpectum in ultima figere Europa.

Venit Regium ac Puteolos,

F

CAPUT

CAPUT VII.

Acta Romæ à Paulo cum Judæis & cum Nerone, resuscitato Patroclo. Martyrium.

Romam occurrentibus Christianis ingreditur;

AT vero in Urbem ut adventare Paulum nuntiatum est, effusa piorum turba, ad Appii forum in Setino agro, tresque Tabernas, tertio & trigesimo lapide ab Urbe discretas, in conspectu Antii obviam procedit. Mira lætitia omnium mentes perstrinxit, auctam jam robore & auctoritate Christianam militiam, jam nobilissimos duces præstantissimosque imperatores, tanto victoriarum fulgore micantes, Occidentis Orientisque victores, coivisse in unum: recensere triumphos, & fusas prostratasque hostium acies memoria repetere, simulque augustiora animo concipere: adesse jam extremum discrimen; & totis viribus certandum. Ingens omnium in Paulo fiducia, quem modo per Orientem, veluti fulmen, evagatum tanta sanctitatis fama, tantoque virtutis nomine florentem, sanctimonia æqualem Petro, inferiorem dignitate, electione superiorem, oculis contemplari, quisque haud incertam sibi victoriam polliceri. Igitur Paulus, uno cum milite tantum dimissus, Urbem ingreditur, anno à Christi ortu LIX, imperii Neronis secundo, ab Urbe vero condita DCCCIX, Q. Volusio Saturnino, & P. Cornelio Scipione Consulibus, Julio mense: datum illi, ut quidam volunt, ad Mariæ in via lata hospitium. In somniis jam illum Deus Petro adjutorem spoponderat, acerrime jam cum Simone Sebasteno dimicanti, qui infamia Neronis & flagrantissimis libidinibus crescens, populum Romanum variis præstigiis ac cantaminibus infatuarat.

primarios Judeorum ibi accersit & comiter alloquitur,

74 Sed Paulus, triduo post, quam Urbem intravit, nobilissimos Judæorum accitos, quorum effrenata rabies in Petrum mire ignescere, cum sæpe certamine fracti acciside fuissent, leniter affatur: nequaquam ab se gentem Judæorum accusatum iri, aut se deprecaturum injurias, quas omni tempore sibi Judæi intulissent; non ita raptari ultionis cupidine, aut ita iratos sibi animos esse; longeque id alienum à Christi præcepto, ait. Responsum à Judæis; nihil litterarum his de rebus ab Judæa sibi allatum, eum tamen propter claritudinem nominis à se libenter auditum iri; etsi intelligerent, sectam, quam ipse sequeretur, ubique explodi atque ejici. Constituta disputationis die, Pauli oratio cum murmure excipitur. Sed Paulus, legatione Judæorum ab Hierosolymis nuper adversus se missâ, & infeste, per Aliturum mimorum actorem, Poppæamque Sabinam, potentissimam apud Principem per meretriciam procacitatem & oscula, convulsis tori decore atque concordia; exulcerato Augusti animo; haud trepide ipsum adiit Neronem, nec Poppææ conspectum refugit, ad mitigandos mulieris spiritus adorato fastigio, non benigne exceptus ab Augusto, dimissus tamen per Urbem. Ferunt etiam, eum in Senatu & apud Collegium Pontificum causam gravissime perorasse, monstratis Christi cunabulis & occultis mysteriorum, non sine insigni audientium stupore, revocatis in memoriam Sibyllinis carminibus, & veterum ambagibus.

A. SANCTORIO.

multos gentilium baptizat.

75 Interim Paulus absentes socios litteris cohortari, cælestem gratiam præsentibus impertiri: sed surdis Judæorum auribus crescebat in religione gentilium numerus; confluebantque ad baptisma externorum greges Siquidem non solum ipsa veritas, magnis semper pectoribus accepta, & improbis gravis; verum etiam illa divina Pauli facundia, illa morum integritas, illa comitas, illa denique oris majestas cum summa hilaritare ac submissione, omnes in se trahebant. Itaque magnum statim in Urbe nomen, majus per Italiam, implente aures famâ concilianteque benevolentiam, volitare; quisque pius ad Urbem videndi hominis studio properare; defixisque in illum oculis obstupescere: non alloquio adspectuque satiari: sublevatæ ærumnæ ac hominis miseriæ, inter sævas Principis iras gentisque odium, largitate Philippensium Epaphrodito legato cum pecunia misso, simulque Onesiphori, multorumque discipulorum adventu, qui ad Paulum, tamquam ex naufragio evadentes, veluti ad tutum portum decurrebant

Neronis zelus in supplicia Christianorum.

76 At Paulus semper docere domi, disputare, nostramque religionem per celeberrimos frequentissimosque Urbis locos evulgare, tanta animi fiducia, tanta vultus constantia, tantaque libertate dicendi, ut miserrimas truculentissimasque temporum conditiones minime perhorresceret. Nam Nero in infanda quæque prorumpens, tanta scelerum mole eam ætatem deturparat, ut satius fuisset (si dici fas) mortalibus, non nasci, quam ea conspicere. Siquidem Julia Agrippina mater apud Bajas, intuentibus facinus sideribus, occiditur, teterrimo gladiatore nec utero, nec uberi, maternæque parcente majestati, ad ipsa Festa quinquatria. Trucidantur passim tot millia nobilium; vastantur Provinciæ; diripitur Urbs, & ad XIV Kal. Sextiles sævo incendio universa fere absumitur, ne tanta immanitas in mortales dumtaxat grassaretur. Tales infandi partus, infaustæque monstro datæ lucis pœnas altrix patria luit. Sed Nero sumpta hinc crudescendi libidine, in Christianos omnem furorem effudit suum, illis incensam Urbem attribuens. Itaque atrocissimis pœnis Christiani affligi atque interimi: pars in crucem agitur, pars capite mulctatur, pars flammis torretur, pars bestiarum dentibus laniatur, gemente popu'o execranteque teterrimum Principis ingenium: fessi tortores, fessæ in constantia martyrum & in delicatulis puellarum corporibus iræ. Nihil nostrorum in mentibus pavoris, cohortantibus Petro Pauloque. Stabant quippe ingentes animæ, paratæ neci, adversus pericula impavidæ, non tela, non faces horrentes: quarum in conspectu non modo lacryma, sed ne gemitus quidem morientium exaudiebatur.

glorioso martyrio ementium cælum.

77 Jactet modo ventosa Græcorum dicacitas puerili in patientia nocentem cruore Spartam, dum templorum ad aras Eurotamque tenellos artus edurat. Nulla illis certe laus, quippe sine sensu enatis; & nondum cæli serenitate fruentibus: at martyrum in flore juventæ trucidatorum constantia, quibus est celebranda præconiis? Etenim fuit incredibilis, glorioſa atque divina, non pro levi aura moriturove extemplo rumore; sed ad decus sempiternum & numquam

A. SANCTORIO. quam finitura gaudia contendens. Torquebatur his igitur Nero: & ſe illudi ratus, acriora tormenta moliri, multum excitante ſtimulanteque hominem Simone, qui ſuapte libidine & perverſitate animi, vecors amenſque, totus in Apoſtolos ferebatur: quorum ſi disjeciſſet vires (quas tremendas & invictas judicabat) abſque dubio terrarum victorem ſe fore, & jura gentibus daturum, ſua jam Nerone juſſa amplexante, depulſurumque ex arce rerum Statorem ſperare Jovem. Igitur omnia miſcere, omnia inſtigare, tentare nobilium animos, accuſare Apoſtolos, inflammareque Neronem ad evertendam Chriſtianam religionem: ſed duplici fractus acie, cum ſumma ignominia ſceleratam vitam turpiſſimo exitu clauſit.

Patrocli Neroni familiaris reſuſcitatio;

78 Sed Paulo tantæ, ſed inviſæ ſceleratiſſimo Principi virtutes; & Patroclus ad vitam revocatus, acceleravere exitium. Siquidem concionante Paulo, occupato multitudine foro, Patroclus à Cæſaris poculis, illique percarus, tractus fama Pauli & audiendi hominis cupidus, ſuperiorem in locum adſcendit, ut commodius & ſonitum vocis corpuſque aure oculiſque hauriret. Qui ſuavitate orationis diu delectatus, ſomno corripitur prolabiturque, & ſpiritum exhalat: nam locus, quem corpore occuparat, alte aſſurgebat; quod præmonſtrante Deo ſtatim Paulus cognovit. Igitur attollente gemitum populo, introferri ad ſe cadaver jubet; cohortaturque omnes, ut in commune id à Deo precarentur: excitat ex inferis, ſtatimque ad Neronem dimittit, ſi forte eo admirando prodigio ſeſe ad bonam frugem recipiens, infandam ſuperſtitionem ex animo demeret, Chriſtumque Dominum fateretur.

ex qua major indignatio Principis in Paulum,

79 Mœſtam interea infortunio lugubremque aulam (quippe haud incerte Patrocli de morte fuerat allatum) vagus pervadit rumor, vivere Patroclum & exſultantem ad Cæſarem properare: mox feſtini nuntii (cum haud mediocriter adoleſcens ab omnibus amaretur, virtute pulchritudinem, decuſque oris ac corporis comitante) accedunt: ipſeque demum in medium Patroclus invectus, dubium exemit, cuncta in gaudium vertentibus amicis. Quem Cæſar accitum, perculſus atque attonitus, adſpicere, totumque legere oculis, & tantum inopinatumque miraculum vix ad animum tranſmittere: ſcortum impuriſſimum, cunctis coopertum illecebris, cruore civium ſaginatum, moribus infame, alteriuſque prodigum animæ hiſcere, nec Dei magnitudinem metiri, cujus potentia inſigne prodigium eveniſſet, & veluti in toro accubans inſomnia agitare. Detruſo demum ſtupore, quærit à Patroclo, num viveret, & cujus benignitate & opera, qui mortuus fuiſſet? Ille, ſe Jeſu Chriſti Domini ſui, Regis ſeculorum omnium, beneficio ac munere, & captare auras, & intueri ſolem, reſpondit. Cæſar, cum Chriſtum ſeculorum omnium Regem dici audiviſſet, conturbatus eſt, auxitque animi angorem, accedente tacito & haudquaquam ſpernendo timore. Id quod deinceps Patroclus addidit, fore, ut Chriſtus omnia orbis imperia deleret, ejuſque voluntati, quidquid hæc univerſitas rerum amplecteretur, ſubjiceret, cum omnium ipſe Regum maximus atque opulentiſſimus eſſet.

80 Tunc Nero expanſa dextra, genam illi contundit cum exprobratione: Ei ergo nomen dediſti? Quod cum annuiſſet, nonnulli, qui aderant ex ſuis, graviter obliti dedecoris, & Romanæ memores generoſitatis, priſtinos jam dudum ſpiritus, fœdo oppreſſos ſervitio, in libertatem vindicantes, urgere oratione & animi fortutudine Auguſtum cœpere, quod ſapienter loquentem adoleſcentem intempeſtiva ſeveritate ultus eſſet, ad veritatis injuriam: nimis ſibi hoc acerbum, nimis crudele viſum: ideoque, devotis animis ſe illi quoque Regi parere dixerunt. Tunc Nero tumens ira, fremere, minitari, oſtentareque terrorem, & ire ultum arrogantiam. Itaque omnes Chriſtiani conquiſiti una cum Paulo, ad Neronis conſpectum rapiuntur: omnium grave ſilentium & in Paulum verſa ora, adeo ut facile intelligeret Nero, illum omnium Imperatorem eſſe. Ad quem verſus, interrogat; qua fronte animorumque fiducia adverſus Romanas opes, & in ipſam rerum arcem irrepere auſus eſſet, ut agmina populorum Chriſto, quem Regem ſuum attolleret venerareturque, inde avulſa conciliaret, ad dedecus penatium, conturbato Reipublicæ ſtatu.

timenſque progreſſum Religionis majorem,

81 Paulus non ex illo dumtaxat fere orbis angulo, ſed ex omnibus provinciis gentibuſque, centuriari ab ſe militem, & pro Chriſto evocari ad ſigna, reſpondit: ſic imperatum, ſic placitum, neminem à ſignis, & à prætorio, caſtriſque avelli, præbito militari ſacramento, depulſiſque piaculis per pœnitentiæ lavacrum; nec jam intercluſum illi aditum à tam præſtanti generoſiſſimorum virorum militia, ſacratiſque vexillis, præclariſſima ſpolia relaturo cum ſempiterno gaudio in conſpectu regnantis æterna in æva, orbemque terrarum diſceptatis libratiſque ſcelerum meritorumque cauſis judicaturi, vel ambiente hanc molem flamma & ſæve depaſcente cum excidio rerum omnium interituque. Qua denuntiatione, veluti facibus admotis, geminata amittendorum faſcium formidine, ſæva regnantium peſte; ad æternas ærumnas rurſus furere & inardeſcere animo Auguſtus; turgentibuſque venis, & rigente coma horrendus: Ergone (inquit) terrarum orbem, cum tot clariſſimorum virorum inſignibus divulſum ruentemque, & depaſta flammis Capitolia, uſtoſque cum toga faſces fractaſque curules, adſpiciam? Tot Cæſarum decora, tot trophæa, torque monumenta rerum, tuta fulmine Jovis, Martiſque terrore, ignotus homo vaſtabit? Pro dolor! Eóne miſeriarum terribilis etiam cælo pubes, & vere Romana progenies devenit, ut vilis laniatique in Cruce hominis inanes minas & dira vota paveſcat? Tantumne, Paule, Deus iſte tuus in nos audebit? Deſine, miſer, has jactare nugas. Ceſſabunt ſtatim verba aniles fabulæ ac ſtolida ferocia, ubi virgarum crepitus, & horridam in necem ſecurim adſpexeris; quantumque inter me tuumque Deum interſit, intelliges. Itaque, lictores, iſtius cervicem, abſcindite, in contumeliam illius magni Dei, ſuo cruore offenſa Romana numina placabit, & altera mactabitur digna Simoni victima.

ſententiam mortis in illum fert.

Exultat inter hæc Paulus

82 Cui Paulus: Pœnæ, Cæſar, quas nobis minaris, quaſque atrociſſimas credis, perexiguæ ac ſummopere jucundæ acceptæque apud nos ſunt; quippe quæ non incertam nobis, præcellentemque æterni triumphi materiam gignunt. Tuam equidem vicem doleo, quem ſempiterno interiturum occaſu intelligo; & ne pro inani fabula (ſic enim tu veritatem nuncupas) quæ antea

A antea protulimus, videantur; ſimulque intelligas, Chriſti potentiam nec morte, nec vita finiri; etiam poſt datam cervicem me tibi viventem oſtendam. Excepta inter riſum admirationemque Pauli à Cæſare oratio: inde Megiſto & Areſto (liberatus enim una cum Petro à Proceſſo Martinianoque fuerat, quos enato mirabiliter ſcaturientis aquæ fonte, in ipſo carcere baptiſmate expiarat) traditur, ut quamprimum extra Urbem ſecuri feriretur, eo illi ſupplicii genere irrogato, propter jus Romanæ civitatis. Tractus ad necem Paulus, haudquaquam priſtinæ virtutis ac conſuetudinis oblivi ſcitur: nam præclara oratione Cæſarianos armigeros aggreſſus, eo flexit, ut hi Chriſtianam religionem ociſſimè amplecterentur.

& milites aliquot convertit;

83 Cumque nuntius ejus mortis ac ſupplicii ſerius, quam Nero optaret (expavebat quippe viventem, ingentiaque exſpectabat) veniret, duos iterum e Prætorianis, Feregam atque Partemium mittit, qui viderent, an ſecuri concidiſſet. Hi Paulum, incredibili ardore in magna populi frequentia, de Chriſti virtutibus operibuſque diſſerentem, reperere. Quos, aulæ inſignibus notos, ut vidit Paulus, Venite (inquit) & vos filii: credite in Deum unum, filiumque ejus Jeſum Chriſtum, ut animorum veſtrorum ſalus ſtatuſque æterna, permaneant in perenni felicitate locata. Reſponſum à Prætorianis, de religione ac numinibus non ultra diſceptandum: ſpectatores mortis ipſius ſe à Principe miſſos; id ſibi nunc curæ eſſe; cæterum ad ignota numina, & cæleſtia externæ diſciplinæ arcana, à morte ejus reſurrecturi ab inferis, tunc ſtudium curamque applicaturos, referunt: ſeu id ab inſito aulæ faſtu ac militari deriſu, pronuntiatum, ſeu quod ita ſentirent, & incredibile his videretur, ut mortuus ad vitam revocaretur, exoptarentque religionem, quam eſſent culturi, hoc ſingulari confirmari prodigio. Paulus, eorum voces benigne excipiens, annuit, non ultra miraculum fore, quæ vellent: poſtera die viſuros ſpectaculum, audituroſque ex duorum virorum Titi & Lucæ ore haud incertæ rei ſeriem, reticendumve arcanum.

aliis ſupplicium urgentibus dicit fore

ut poſtridie ipſos reviſeret vivus.

B

C 84 Vix iſta elocuto alii duo à Cæſare miſſi ſuperveniunt, qui raptum hominem extra Tergeminam portam educunt, vadentique ad ſupplicium Paulo fit obviam Plautilla, matrona illuſtris & caſtitate morum, & ſpecie corporis, & natalium dignitate, & felix ſimul utero, quæ jam tota, Petri & Pauli operâ addicta Chriſto, graviter dolore vexari, cum paſſim tot Chriſtianorum corpora ferro ſternerentur, nulluſque cædium terminus fieret. Hanc muliebriter flentem placide conſolatus Paulus, velum ab ea, quo obtegebatur capillus, ad ſubſtringendos operiendoſque oculos, more majorum, petit: idem ſe illi velum redditurum confirmans. Inde ad Salvias aquas (tertio ab Urbe lapide locus diſſitus) eſt deventum, ubi ſatelles Paulum, aptare cervicem & protendere collum jubet. Igitur, extremum horam præſentiens, ſpectanſque Orientem, expanſis ad auras cælumque manibus, cum lacrimis diu oraſſe perhibetur: inde ſalutatis fratribus qui proſecuti eum fuerant, dataque his pace, ad genua procumbens, ſalutari Crucis ſigno effulgens munituſque, adigente ſatellite ferrum, cervicibus orbatur, ſanguine lacti miſto carnificis veſtem irrorante ad certum haud tactæ ſignum caſtimoniæ integritatiſque, qua in omni vitæ curſu ſupra ceteros excelluit. Abſciſſo autem Pauli capite, triplici ſaltu ſeſe ſuſtollente,

Ieni ad locum martyrii, ineumque indè ulnis à pia fœmina accipit,

cæſuſque ſanguinem lacteum fundit:

tres ſtatim perennis aquæ fontes emerſere, quam religionis ergo hodie potamus. A. SANCTORIO.

85 Ita & Pauli vita & mors illuſtrata miraculis. Corpus ejus Lucina, Senatorii ordinis matrona nobiliſſima, honorificentiſſimè ſuo in prædio via Oſtienſi tumulavit. Templum verò propius ad Urbem, illi, ingenti opere ac laxitate, dignâ Romanis animis, pietateque Conſtantini, Cæſarum Auguſtiſſimi; & Honorii ac Valentiniani III, erigitur, quo in loco caput, micanti ſuper illud face monſtratum eſt. Corpus autem & ipſum caput ubi aſſerventur, in Petro explicavimus: qui eo ipſo die ad Janiculum Crucis ſupplicio fuit affectus. Ambo præfulgenti corona nobilitati, junctis complicatiſque dextris Romam intrare viſi ſunt, ut quam viventes non obtinuerant, è corporum vinculis relaxati, obtinerent; pulſiſque procul ſuperſtitionibus disjectiſque inanium deorum ſimulacris, ibi tutelares haberentur.

corpus nobilis matrona in ſuo prædio honorifice condit.

86 Inclita profecto ac ſummopere fortunata Roma, quæ duorum ſanctiſſimorum virorum cæde cruenta, buſtiſque ſacrata, illorum auſpiciis ac patrocinio tuta conſedis, tantiſque preſſa ærumnis, in tanta ſeditionum lue prope ad occaſum prolabens, invicta illorum virtute permanens, hoſtibus tremenda, Oceanique tranſgreſſa undas, jam ad Antipodas; quos tuorum non viderant arma Cæſarum, nec illa, funeſta populorum cruore, perque barbariem circumlata gentium ſigna aquilæque, imperium ac jura extendiſti. At Paulus abſterſis Plautillæ lacrymis mitigatoque angore, & ſimul tradito, recenti adhuc ſanguine perfuſo velamine, cujus ergo a Cæſaris equitibus diu in contemptum Pauli irriſa matrona fuerat; occluſis foribus Neroni ſe inopinato oſtentaſſe dicitur, Cæſare ſummum in terrorem conjecto evanimatiſque amicis, quorum conſilio Patroclus multique alii Chriſtiani à tyranno dimittuntur.

Apoſtrophe ad Romam.

E

87 Et hæc de magno Paulo referuntur. Vixit annos ſexaginta octo ex auctoritate Joannis Antiocheni, cognomento Chryſoſtomi, ſapientiſſimi eloquentiſſimique Doctoris. Alii ſcribunt ſexaginta duos; tres & triginta poſtquam à Chriſto vocatus fuit: quinque autem & triginta annorum erat, quando Chriſto ſe adjunxit; etſi adoleſcens à ſacra nuncupetur hiſtoria. Scripſit quatuordecim quæ exſtant epiſtolas, in quibus mira pietas ſententiarumque ubertas, in ſtricto incitatoque dicendi genere elucent: quarum Eccleſia fulta præſidio efferveſcentes deſciſcentium impetus compeſcit, totque per orbem graſſatas impietates, diriſſimoſque per Europam noviſſimè hæreſeos volitantes errores contundit. Itaque furentes Arii, Sabellii, ceterorumque perditiſſimorum hominum impietates Pauli doctrina & mirificis ſcriptis ſtratas adſpicimus; Lutheri vero ac Calvini brevi ruituras ſperamus, quibus Germania internis concuſſa diſſidiis, multis à barbaris fracta cladibus, obſcurataque veteri gentis gloria, quæ quondam terribilis populo Romano exſtitit, prope interitum devenit; & Gallia tantis quondam clara nominibus, cum Britannia tetrum bellum & feralia arma, ſua in viſcera torquet, vel cum timore exteri ſervitii. Quapropter merito & divinitus à pictoribus ſculptoribuſque pictum fictumque cum nudato ferro Paulum contemplamur, cujus mucro nullo oppoſito ære ferroque hebeſcit retunditurque, nec hoſtium rebelliumque ſanguine exſaturatur atque miteſcit.

Ætas Pauli.

F

& Epiſtolæ.

ADMONITIO C. J.

De ſublatis in Acta Sanctorum cenſuris, quondam à ſacra Inquiſitione Generali Hiſpaniæ latis.

Solennes cenſuræ, an. 1695. in Acta Sanctorum editæ,

TErminamus hîc Acta Sanctorum (quamvis alia nonnulla eò ſpectantia, hoc ipſo tomo Supplementorum ſequantur) terminamus, inquam, hîc Acta Sanctorum menſis Iuni, atque ades totius primi Semeſtris Anni ſacri, Tomos univerſim viginti quinque prægrandes complexi; è quibus cum nonnullorum æmulatione & accuſatione Tomi omnino quatuordecim, nomen P. Danielis Papebrochii præferentes, ſimul uno Decreto ſacræ Inquiſitionis per Hiſpanias generalis, anno MDCXCV, *die* XXV *Octobris, proſcripti, & qua patet ampliſſima illius juriſdictio, prohibiti fuerint à piis ſubditis legi: quæ etiam decreta cum mox per reliquas univerſæ Europæ & extra eam, provincias ſumma æmulatorum contentione, ſparſa & divulgata fuerint, ut paſſim notum eſt: indoluimus quidem, non tam Papebrochii ſcriptorumve aliorum cauſa, quam artificum proſcriptionis, ac præcipue tot Catholicorum populorum, quibus Acta Sanctorum ad animæ ſuæ ſalutem & imitationem virtutum, vetabantur legi.*

Hinc, ut prioris Decreti memoria oblitteretur, ſuaque juſtitiæ gloria ſacræ Inquiſitioni integra ſit, ac ſimul norint ei ſubditi populi, quid tandem in lectione Actorum evitare debeant, juvabit Decretum illa de re ejuſdem Inquiſitionis Generalis ab anno circiter uno, videlicet milleſimo ſeptingenteſimo decimo quinto, die XX *Decembris, publicatum, hîc ad perpetuam memoriam & legentium inſtructionem apponere, lingua qua ſcriptum & impreſſum fuit Hiſpanâ, Hiſpanorum enim præcipue intereſt id ſcire.*

tolluntur per præſens Decretum Inquiſitionis generalis Hiſpaniæ

DON FRANCISCO JUDICE

Por la divina Miſericordia, Presbytero Cardenal del titulo de ſanta Sabina, arçobiſpo de Monreal, Protector del Reyno de Sicilia, Inquiſidor General en todos los Reynos, y Señorios de ſu Mageſtad, y de ſu Conſejo de Eſtado &c.

AViendoſe viſto y conſiderado con todo eſtudio y reflexion las Obras del Padre Godofrido Henſchenio y Daniel Papebrochio, de la Compañia de Jeſus, interviniendo para ſu expurgacion perſonas de literatura è integridad, con nombramiento de los ſeñores Inquiſidores Generales nueſtros anteceſſores y nueſtro: Hemos acordado levantar la prohibicion abſoluta de dichas Obras, que ſe hizo por Edicto del Señor Arçopiſpo de Valencia, Inquiſidor General, de 25 del mes de Octubre del año paſſado de mil ſeiſcientos y noventa y cinco, con tal, que en el Tomo 3 de Março, pag. 10, col. 2, num. 27, lin. penult. donde dize *Temerè*, ſe borre eſta palabra, y en ſu lugar ſe ponga *facilè*. Y en el Propileo de Mayo Tom. 8 in Apparatu, fol. 29, n. 16, col. 2, lin. 1, ſe borren las palabras, *ſed perfuntorio prorſus ratiocinio*. En el miſmo Tomo 8 y Apparatu, fol. 33, col. 1, § 5, n. 27, lin. 6, ſe borre la palabra *Temerè*, y en ſu lugar ſe ponga *Facilè*. En dicho Tomo 8 del Propileo de Mayo ſe prohibe todo el Tratado, que ſe intitula, *Conatus Chronici Hiſtorici ad Catalogum Romanorum Pontificum pars ſecunda à Jelaſio Papa II, ad Santun. D. N. Innocentium XI.* En el Tom. 3. de Março, fol. 10, col. 2, n. 27, lin. 6, ſe borre la palabra *Temerè*, y en ſu lugar ſe ponga *Facilè*. En el Tom. 1 de Abril, fol. 903, en la Diſſertacion, que ſe intitula, *Appendix de Officio Venerabilis Sacramenti*, en que niega, que ſanto Thomàs compuſo el Oficio del Corpus; ſe ponga al margen la nota de averſe retratado Papebrochio deſte ſentir. En el miſmo Tomo 1 de Abril, fol. 776, col. 2, n. 38, en que niega, que ſan Alberto Patriarca de Jeruſalen, huvieſſe tenido culto entre los Canonigos de ſu Igleſia; ſe ponga al margen la nota, que el Autor ſe retratò de eſta opinion. En el Tomo 1 de Mayo, fol. 245, num. 381, ſe borre deſde la palabra *Hanc vitam, quam periiſſe credebat Baronius*, haſta el fin del numero. En el Tomo 2 de Mayo fol. 461, col. 2, num. 2. deſpues de la palabra *Martyrem dici*, ſe añada inmediatamente *Minus propriè*. En el Tomo 2 de Mayo, fol. 626, col. 1 num. 1, en que habla del Arçopiſpo Senonenſe, ſe ponga al margen la nota, de que el Autor ſe retratò de lo que dize en orden ha aver ſido ſoſpechoſo en la Fè, y Janſeniſta. En el Tomo 7 de Mayo, fol. 8 *del Paralipomena addendorum*, col. 2, num. 35, ſe borre deſde las palabras *Non ſine apocryphis*, haſta el fin del numero. Y para que conſte, mandamos deſpachar el preſente Edicto, firmado de nueſtro nombre, ſellado con nueſtro Sello, y refrendado del infraſcripto Secretario del Rey nueſtro Señor, y de ſu Conſejo de la Santa y General Inquiſicion. Dado en Madrid à veinte de Diziembre de mil ſetecientos y quinze años.

COM-

A

COMMENTARIUS DE BASILICA S. PETRI APOSTOLI ANTIQUA IN VATICANO EJUSQUE SIGILLATIM ALTARIBUS.

Præmittuntur opuſcula duo, eodem ſpectantia, hactenus non edita,

PETRI MANLII ET MAPHÆI VEGII.

PRÆFATIO.

C. J.

QEperam pridem colligere Commentarium de Baſilica S. Petri Apoſtolorum Principis antiqua, per Conſtantinum Magnum ædificata Romæ in Vaticano; ac ſigillatim de altaribus, variis deinde temporibus ibi Deo in honorem Sanctorum ejus erectis atque ornatis. *In his frequenter uſus fui* Deſcriptione Baſilicæ veteris Vaticanæ, auctore Romano, ejuſdem Baſilicæ Canonico, *editâ Romæ anno* MDCXLVI *a Reverendiſſimo viro Paulo de Angelis, cum ejuſdem Notis qualibuſcumque; in quibus Editor Auctorem paſſim nominat* Romanum canonicum, *non appellativo aut gentili nomine* Romanum, *ſed proprio. Dum vero alios quoque ſcriptores, de eadem baſilica tractantes, luſtrabam, comperi ſæpius citari Codicem Ms. de illo ipſo argumento ſub nomine* Petri Mallii, *alias* Manlii, *qui etiam ipſe indicabatur canonicus baſilicæ Vaticanæ fuiſſe. Hæſitabam dubius, idémne* Romanus *&* Petrus Manlius *forent, ac utriuſque codex, idem an diverſus. Contuli citatos deſcriptoſque ab Auctoribus ex Manlio textus, cum editis a Paulo de Angelis; & obſervavi, pleroſque totidem verbis utrobique legi. Nondum tamen judicare potui, codices illos per omnia ſimiles eſſe & unius Auctoris*

An codex impreſſus Romani Canonici

B

2 *Accurri igitur per litteras Romam ad amicum meum virum eruditum, rerumque noſtrarum ſtudioſum, Juſtum Fontaninum, Eminentiſſ. Cardinalis Imperialis Bibliothecarium; qui primis litteris ſuis ad propoſitam à me quæſtionem non ſatis certa reſpondebat. At mox ſuperaddidit alteras, quibus conceptus meos de unico Auctore, non vanos fuiſſe oſtendit, in hæc verba ſcribens:* Vixdum poſtremam epiſtolam ad te miſeram, cum incidi in exemplar Canonici Romani de baſilica Vaticana, quod olim fuerat Felicis Contelorii, ſcriptis editis ſatis conſpicui. Is autem in fronte libri (quem nunc poſſidet D. Martorellus, celebris hîc in Urbe Juriſconſultus hæc manu ſua adnotaverat: [Hic liber non eſt Romani, ſed Petri Mallii, in cujus principio deſideratur epiſtola ſeu præfatio ad Alexandrum III Papam.] Apparet inſuper ex variis Notis marginalibus, idem exemplar à Contelorio diligenter collatum fuiſſe cum codice Ms Petri Mallii. Qua de re operæ pretium duxi te ſtatim admonere, ne pro duobus auctoribus Romanum & Mallium accipias: quemadmodum ego quoque putaveram accipiendos, dum unum tamquam ab alio diverſum tibi indicavi. *Hæc Fontaninus.*

& Petri Manlii Ms.

C

3 *Sed ſalva ejus pace necdum ſatis ſecure acquieſcebam; quia reſponſurus eſſet, ſi viveret, Paulus de Angelis, quod ſuo tempore reſpondit aliis, ei objicientibus ſui Romani canonici Hiſtoriam fuiſſe opus Petri Manlii, baſilicæ Vaticanæ canonici, qui vixit tempore Eugenii PP. III; illudque dedicavit Alexandro, item Papæ III, qui aſſumptus fuit ad ſummum Pontificatum anno* MCLIX. *His enim ad calcem editi à ſe codicis reſpondens Paulus, ita ſcribit:* Nos autem dicimus, hanc Hiſtoriam fuiſſe ſcriptam à Canonico Romano, qui tempore Cæleſtini III floruit, ipſomet in hæc verba atteſtante [Ego presbyter Romanus hujus ſacroſanctæ baſilicæ canonicus, ſcribo ad poſteritatis memoriam.] In fine autem capituli hæc habet [Sic vidi tempore Domini Cæleſtini III Papæ fieri; ſic etiam ſecundo anno ejuſdem Pontificis, Indictione decima, menſis Martii die xxx, quæ fuit tunc Feria ſecunda ante Paſcha.] *Tum pergit De Angelis & concludit:* Creatus autem fuit Cæleſtinus III anno MCXCI Itaque maxima differentia eſt inter ſcriptionem Romani & Mallii, qui ſuam Hiſtoriam, Alexandro III dicatam, ſcripſit circa annum MCLIX. At Romanus ſuam, ut ipſe fatetur, ad poſteritatis memoriam exaravit tempore Cæleſtini III, currente anno MCXCI ... Ut nihil ſit certius, quam hiſtoriam hanc, *quam edebat Paulus*, non eſſe Petri Mallii, quod quidam falsò exiſtimant; ſed canonici Romani; quod nos vere aſſerimus. Et hoc ſatis eſt.

D

E

4 *Verba hæc Editoris plane ſunt confidentiæ plena, jubentque opinari, ipſum, exemplar ſui Romani cum codice Ms. Manlii, qui Romæ exiſtit, ac paſſim ab aliis ibi ſcribentibus citatur, contuliſſe. Si id fecit diligenter, & ſingula utriuſque ſcriptoris capitula attente contulerit; mirum, quod manſerit in eadem opinione, opuſculum ſuum Romani, quod impreſſit, non eſſe Petri Manlii. Nihil interea judicare ego de illo argumento volui aut potui prudenter, quamdiu ſolum Romanum impreſſum præ oculis habui, in contradictione tot ſcriptorum, Manlium pro auctore citantium.*

an diverſorum.

F

5 *Accidit caſu, ut inciderem in Programma, quod olim Labbeus noſter vulgavit Pariſiis, enumerans in illo Scriptores, quos tomo tertio Novæ bibliothecæ ſuæ librorum Mss. editurus eſſet; & in illis recenſentur opera Petri Manlii & Maphæi Vegii de eccleſia Vaticana. Cœpit imprimi tomus ille, ſed vix cœperat, cum ſteterunt prælа, neſcio cur. Inquiſivi igitur apud P. Harduinum bibliothecarium Collegii Claromontani, ut, ſi ſupereſſent codices duo prædicti, ad me mittere vellet; iis in re præſenti uſurum; miſitque non multò poſt gratioſiſſime.*

Accepto Pariſiis codice Ms. Manlii,

6 *Nactus Manlii codicem Ms contuli cum impreſſa à Paulo de Angelis editione Romani canonici, ac facile deprehendi, ubi aqua hæreret, & cur Paulus induxerit in animum credere, totum opuſculum, quod imprimebat, eſſe Romani canonici;*

collatoque cum Romano impreſſo:

C. J. *hujuſque nomen in fronte præfixerit. Legerat nempe pag. ſua 5 ſub hoc titulo*, Quod in B. Petri Baſilica tantùm vigilantur Pallia, quæ Dominus Papæ mittit archiepiſcopis, *in medio capituli hæc verba, quæ ipſemet ſupra etiam pro parte citavit* : Qualiter debemus pannos laneos, unde fiunt Pontificalia, ad B. Petri corpus vigilare; ſicut vidi ego presbyter Romanus, hujus ſacroſanctæ baſilicæ canonicus, ad poſteritatis memoriam ſcribo. Acceptis de altari faculis, *&c. Et finita narratione, ſuperaddit* ; Sic vidi tempore Domini Cæleſtini III Papæ fieri. Sic ſcio factum per Socios & Dominos meos tempore Domini Clementis III Papæ. Sic etiam in ſecundo anno ejuſdem Pontificis, *videlicet Cæleſtini*, Indictione decima, menſis Martii die xxx, quæ fuit tunc Feria ſecunda ante Paſcha. *Notant hæc annum Chriſti vulgaris æræ* MCXCII, *quamquam annus ſecundus Cæleſtini tunc, die* XXX *Martii, nondum erat proprie loquendo inchoatus, utpote electi anno* MCXCI *die* XIV *Aprilis. Ex quo concluditur, Scriptorem illum annos Cæleſtini numerare non à die electionis ſuæ, ſed ab obitu deceſſoris Clementis III, qui incidit in diem* XXV *Martii. Sed hæc ad rem*

B *præſentem non magnopere faciunt : ſatis eſt conſtare è textu, auctorem ejus ſcripſiſſe illa anno* MCXCII.

dignoſcitur, Manlium vere auctorem eſſe

7 *Fatetur id quoque Editor Paulus, & totius operis Auctorem ex eodem hoc textu Romanum Canonicum facit. Sed debuiſſet ſimul conſideraſſe, Auctorem Codicis paulò pòſt in ſua ipſius editione pag.* 15 *dicere, ſe cum aliis Canonicis* tempore Domini Eugenii III Papæ, ejus præcepto erexiſſe ibi altare. *Ac rurſum pag.* 17 *ſic loqui :* In quo etiam ſepulcro, *Gregorii III Papæ*, deſuper recondimus venerabile corpus Domini Eugenii III Papæ, octavo Idus Julii; & fecimus ei ſepulcrum ex diverſis lapidibus. *Uterque textus invenietur in hac noſtra editione num.* 11 *&* 12 *Creatus fuit Papa, Eugenius III anno* MCXLV, *obiit vero* MCLIII. *Hoc igitur Pontifice vivente, Auctor iſte fuit Canonicus baſilicæ Vaticanæ, & mortuum ſepelivit, ſepulcrumque ejus ornavit : ut facile credi non poſſit, illum exinde ſuper vixiſſe uſque ad annum* MCXCII, *& tunc ſcripſiſſe hiſtoriam ſuam, eumdemque eſſe cum Romano canonico, qui ſe fatetur anno demum* MCXCII *ſua ſcripſiſſe; atque innuit, ſe tunc non diu canonicum fuiſſe, dum ait ſe* vidiſſe, *tamquam canonicum, quæ à canonicis fieri narraverat tempore Cæleſtini, quæ autem eâdem ün re à canonicis facta fuerant ſub deceſſore Cæleſtini Clemente, non ait ſe* vidiſſe, *ſed* ſciviſſe per ſocios

C Dominos ſuos, *videlicet canonicos, qui ſub Clemente ſacras cæremonias illas ex officio obſerant.*

tum ex differentia temporis, quo uterque ſcripſit.

8 *Hinc, & ex longo temporis intervallo, quod interceſſit inter utrumque Auctorem citatum (Alter enim ſe declarat Canonicum fuiſſe tempore Eugenii III ; alter vero, ſe etiam Canonicum, ſcripſiſſe tempore Cæleſtini III, intercurentibus à morte unius ad creationem alterius Pontificis annis triginta octo) cenſeri vix poteſt, illos unum eumdemque eſſe. Adde quod Codex, quem de Angelis in ſua ad lectorem Præfatione ait, a ſe Meſſanæ repertum eſſe, caruerit inſcriptione ſeu dedicatione Auctoris. Unde in ejus nomen inquirens, & toto opuſculo aliud non inveniens velut auctoris, quam* Romani canonici *uno quem citavi loco (quamquam in memorata Præfatione fateatur, parum conformiter loquens,* Opuſculum Eugenii III Pontificis tempore editum *fuiſſe) illud præpopere aſſumpſit & in frontiſpicio ſuæ editionis præfixit tamquam veri auctoris totius opuſculi.*

9 *Veritas ita ſe habet. Auctor opuſculi cenſeri debet atque eſt Petrus Manlius, baſilicæ Vaticanæ S. Petri jam tum canonicus, quando Eugenius III præſidebat Apoſtolicæ Sedi, ipſumque dedicavit Alexandro III Papæ, anno* MCLIX *creato; diu ante quam Romanus, Pauli de Angelis canonicus baſilicæ Vaticanæ, ibi canonicus fuerit. Et ne locus dubitandi relinquatur, comperi ex collatione Manlii noſtri Ms. cum Codice Pauli de Angelis impreſſo, totum illum textum, ex quo ſolo Paulus, Romanum canonicum totius Opuſculi auctorem fuiſſe concepit, deeſſe in Manlio Ms. Uti nonnulla alia, quæ ex impreſſo Romano curavimus Manlio addenda, nequid deſideretur in hac editione, ſed hiſce ſignis [ ] incluſa, ut à textu Auctoris noſtri diſcernantur ; & manifeſtius dignoſcantur poſt editum Manlium adjecta eſſe, ab illo utique, qui in primo additamento narrans quæ vidit ſuo tempore in baſilica Vaticana fieri, ſe ipſum vocat* Romanum Canonicum, *quod plane nihil attinebat ipſum facere, ſi totius operis fuiſſet auctor, & non interpolator tantum. Sunt tamen nonnulla, uno, alterove aut pauculis verbis conſtantia, prædictis ſignis diſpertita ; non quod addita ab interpolatore fuerint ; ſed quod rectius legebantur in impreſſo quam in Ms.*

D *Romanum vero interpolaſſe nonnulla.*

10 *Tota Dedicatio Operis ad Alexandrum PP. III deſideratur in editione Pauli, unde facile ei fuit halucinari in nomine veri auctoris : præfigitur autem tota in Ms. ſub nomine proprii auctoris, hoc titulo :* Præfatio Petri Mallii in opuſculum hiſtoriæ ſacræ ad beatiſſimum Patrem Alexandrum III Pont. Max. *Ita formatur nomen auctoris* Mallius *in Ms. quod alii, & nos quoque in hac Præfatione noſtra maluimus* Manlius *ſcribere, quia latinius videtur & originale. Ordo utriuſque codicis non ubique idem eſt, præſertim verſus finem, præpoſitis in uno, quæ in altero poſtponuntur ; additis etiam utrobique nonnullis, quæ in altero plane deſiderantur ; de quibus ſuis locis lector monebitur inter annotata. Sequimur in hac editione Manlii, ordinem codicis Ms. Et titulos Capitulorum ejus, ſubinde brevium, è medio transferimus ad marginem totidem verbis, quot ſcripti fuerunt, ſed litteris Romanis, ut diſtinguantur ab additionibus noſtris, quæ Italico charactere formantur. Capita, quæ in hac editione noſtra totum Opuſculum dividunt, eorumque titulos, è noſtro genio addidimus, ut ordinatior & æqualior operis totius diviſio fieret, quam eſt in codice Ms. atque etiam in impreſſo.*

E *Dedicatio & ordo operis.*

11 *Inter illa autem, quæ ab altero codice abſunt, in altero inſunt, reperiuntur in Ms. noſtro textus duo logiuſculi, alter de Stationibus per anni circulum, a num.* 140 ; *alter de Pontificibus Romanis eorumque ſucceſſione, à num.* 167 *uſque ad finem codicis. De priori textu Stationum, nihil habeo cur ſuſpicer, Manlii non eſſe ; cum alia ſequantur, quæ ipſi abjudicari non poſſunt, quia etiam in impreſſo leguntur. Eſt cur ſuſpicer, textum ſecundum, de ſucceſſione Pontificum Romanorum poſſe alterius eſſe Collectoris. Certe integer, ut jacet, Manlii non eſt : quia extendit ſe ad ſeſqui ſeculum ultra Manlii ætatem, deſinens in Benedicto* XI, *ex ordine Prædicatorum aſſumpto anno* MCCCIII. *Si quis velit Manlii eſſe, uſque ad Alexandrum PP. III, cujus tempore certò vixit : & reliqua ad Benedicti* XI *pontificatum ab alio deinde ſub finem codicis adjuncta fuiſſe, non refragor. Utut eſt, dabo totum Catalogum ut in eodem codice extat, nequid ejus lectores defraudem. Suum de illo cuique judicium & uſus, quem velit, eſto. Atque hæc de codice Ms. Petri Manlii. Subſequetur codex, item Ms. Maphæi Vegii de eodem argumento, in quem ſi quid animadvertendum veniat, notabimus in principio ejus.*

F *An catalogus Pontificum in fine codicis etiam Manlii ſit.*

PE-

PETRI MALLII
IN OPUSCULUM HISTORIÆ SACRÆ
AD BEATISSIMUM PATREM
ALEXANDRUM III PONT. MAX.

PRÆFATIO AUCTORIS.

a Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis Alexandro *a*, Dei gratia ſummo Pontifici & univerſali Papæ, Petrus Mallius, ſola Dei pietate beati Petri baſilicæ presbyter qualiſcumque, libellum ex archivo ejuſdem ſacroſanctæ baſilicæ compilatum.

B Icet hæc quæ ſequuntur in ſanctorum libro Pontificum & in eorum quoque ſepulcris pleniſſime ſcripta reperiantur; quia tamen Dominis & fratribus meis idoneum & utile viſum eſt, hæc me breviter in unum colligere, ut ad quorumlibet notitiam facilius pervenirent; quod fraterna mihi charitas imperavit, fideliter adimplere propoſui. Non quod ingenii vires mihi ſuppeterent, ſed quia me ad hoc illa virtus obedientiæ provocaret, quæ (ſicut venerando Samuelis teſtimonio dicitur) holocauſtis & victimis antefertur. Et quidem ſæpe corporis in me perpendens invaletudinem, & ſcientiæ conſiderans parvitatem, diu diffidendo factus ſum ut homo non audiens, dum me ad hoc opus ſufficere, non viderem.

2 Sed quia, teſte Apoſtolo, dilectio proximi plenitudo eſt legis, fraternæ dilectionis auctoritate compulſus, percepi confidentiam injunctorum; ne occaſione meæ invaletudinis arbitrium propriæ ſequerer voluntatis, & ita cum apoſtata Angelo & vetere homine, non Chriſti, ſed proprio placendo ſenſui, ſortitus eſſem
b [locum *b*; factuſque ut membrum corporis
C abſque capite, lucis ac vitæ participatione carerem. Quoniam igitur Deus diſſipat oſſa hominum, ſibi placentium; duxi non in hoc mihi, ſed charitati, quæ Deus eſt, potius complacendum; quatenus opus, ad Apoſtolatus veſtri judicium perventurum, tanto benigniorem in ſe reddat veſtræ majeſtatis intuitum, quanto de puriori intentionis fonte primum apparuit derivatum. Suſcipite itaque, Pater ſanctiſſime, ſuſcipite à me famulatum hujus opuſculi, veſtro ad divinam gloriam nomini dedicati. Ut de hoc nulli reſtet aliud ſentiendum, niſi quod probabitur ex veſtri beneplaciti ſignificatione
c firmatum *c*.

ANNOTATA.

a *Obtinuit Sedem Pontificiam Alexander PP. III ab anno* 1159 *ad* 81, *annorum fere viginti duorum Pontifex.*

b *Deficit hic quidpiam in codice noſtro Ms. Supplevi per τὸ* locum.

c *Et hæc quidem Præfatio abeſt ab impreſſo Pauli de Angelis, uti jam monuimus.*

HISTORIA
CAPUT I.

De ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum corporibus, Baſilicis, harum dedicatione & excellentia.

A quo & quomodo corpora Apoſtolorum Petri & Pauli de Catacumbis levata ſunt.

SIcut itaque in libro pontificali ſcriptum inveni, beatus Cornelius rogarus à quadam matrona, nomine Lucina, corpora ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli de Catacumbis noctu levavit: & primùm quidem corpus beati Pauli Apoſtoli prædicta Lucina in prædio ſuo poſuit via Hoſtienſi, ad latus ubi decollatus eſt: beati vero Petri Apoſtoli corpus accepit beatus Cornelius Papa, & cum magna devotione & reverentia poſuit illud prope locum ubi crucifixus eſt; inter corpora ſanctorum epiſcoporum; in templo ſcilicet Apollinis in monte Aureo in Vaticano palatii Neronis.

F

A quo baſilica beati Petri ædificata & dedicata ſit.

4 Poſtea vero tempore beati Silveſtri Papæ Conſtantinus Chriſtianiſſimus imperator rogatu ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis, cum magna devotione & diligentia (ut res ipſa docet) fecit eccleſiam beato Petro Apoſtolorum principian
te templum Apollinis [in Vaticano] Cujus fundamentum ipſe Imperator prius fodit & aſportavit inde duodecim cophinos ad honorem duodecim Apoſtolorum; cujus venerabile corpus una cum beato Silveſtro Papa ita recondidit. Loculum argenteum, continentem ſanctiſſimum corpus, omni parte ex ære & cupro *a* concluſit, quod eſt immobile; ad caput, pedes quinque; ad pedes, [pedes] quinque; [ad dextrum, pedes quinque *b*;] ad ſiniſtrum, pedes quinque; ſubtus, pedes quinque; ſuper, pedes quinque.

a

b

5 Sic incluſit corpus beati Petri & Pauli; & exornavit ſuperius altare ejus, & arcam ex auro fuſo, & fecit cyburrium *c* ex columnis porphireticis, & auro mundiſſimo; poſuitque ibi ante venerabile altare ejus, ad ornatum ejuſdem baſilicæ, duodecim columnas vitineas *d*, quas de Græcia portari fecit, quæ fuerunt de templo Apollinis Troiæ *e*. Poſuit & ſuper corpus beati Petri crucem ex auro pu-

c

d

e

A ro, habentem centum quinquaginta libras auri in qua eſt ſcriptum : Conſtantinus Auguſtus, f & Helena Auguſta *f.* Fecit & baſilicam beato Paulo Apoſtolo via Hoſtienſi & recondidit corpus ejus ſicut corpus beati Petri in ære & cupro. Quas itaque baſilicas beatus Silveſter Papa una die (quia una die coronati ſunt) ad honorem Jeſu Chriſti filii Dei vivi, & ejus Genitricis, & beatorum principum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſolenniter conſecravit, convocatis epiſcopis & ſacerdotibus & turbis fidelium per univerſum orbem.

De remiſſione dedicationis baſilicæ beati Petri. 6 Et quia ſolennitas maxima eſt, maximam remiſſionem [Apoſtolica] prudentia omnibus ad eam devote venientibus condonavit. [Quæ videlicet remiſſio, Apoſtolicâ providentiâ ſic tripartita diſtinguitur, ut Romanis & circum jacentibus, unius anni; Tuſcis, Lombardis & Apulis, & ceteris mare non tranſeuntibus, duorum annorum; ſed & his qui maria tranſmeare noſcuntur, trium annorum maneat remiſſio peccatorum. Similis eademque remiſſio facta probatur in hac beati Petri baſilica, in Cœna Domini, quando conſecratur ibi ſanctum Chriſma;

B in Aſcenſione Domini ſimiliter.]

Quod in B. Petri baſilica tantum vigilantur pallia, quæ Dominus Papa mittit archiepiſcopis. 7 Et quoniam hæc ſancta Dei & beati Petri baſilica eſt fundamentum & caput omnium eccleſiarum (dicente Domino beato Petro; Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; &, Tu vocaberis Cephas; id eſt caput) Quadam prærogativâ in ea tantùm vigilantur pallia, quæ Romanus Pontifex mittit patriarchis & archiepiſcopis, per univerſum orbem conſtitutis; & inde eſt, quod legatus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dicit: Accipe pallium, de corpore beati Petri ſumptum, in plenitudinem officii tui. Itaque cum vigilamus pallia, facimus ſolemnes vigilias in Confeſſione beati Petri, cantantes vigilias, quas conſuevimus cantare in feſtis ejuſdem Apoſtoli, & de antiqua conſuetudine habemus de Confeſſione ad bibendum abundanter optimum claretum *g*.

g

8 [Qualiter debemus pannos laneos, unde fiunt Pontificalia, ad beati Petri corpus vigilare *h*. Sicut vidi ego presbyter Romanus *i*, hujus ſacroſanctæ baſilicæ canonicus, ad poſteritatis memoriam ſcribo. Acceptis de altari faculis & cereis ad legendas lectiones & orationes

h i

C Vigiliarum, nec non incenſo; circa ſero conveniunt canonici ad altare S. Leonis Papæ; & presbyter Hebdomadarius accipit ipſos pannos complicatos & involutos in ſindone, præcedentibuſque tam manſionariis cum incenſo & faculis accenſis, quam canonicis, intrat ad corpus beati Petri, & ponit eos ſupra altare, & faculæ ante altare ponuntur. Tunc chorus, cujus eſt cantus, incipit antiphonam; Si diligis me Simon Petre, & reliqua cum ſuis pſalmis. Verſic. Tu es paſtor ovium. Tres lectiones leguntur in libro ſtationali; Petrus & Joannes aſcendebant in templum. Et cantatis duobus Reſponſoriis, quæ volvuntur de S. Petro; deinde ſequitur, Te decet laus; & oratio, Deus qui beato Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus. Sic reportantur ſicut allata fuerunt. Si altero die cantatur Miſſa ſuper majori altari, ponantur ibi; & poſt completam Miſſam tollantur. Sin autem, reddantur Miſſo Domini Papæ: & dantur canonicis, quoties has Vigilias celebrant, tres ſolidi Provinienſes *k* pro clareto: faculæ vero Camerario canonicorum remanent, quæ de

k

altari communi cum cereis & incenſo & Provinienſibus dantur. Sic vidi tempore Domini Cæleſtini III Papæ *l* fieri: ſic ſcio factum per ſocios & Dominos meos tempore Domini Clementis III Papæ *m*: ſic etiam in ſecundo anno ejuſdem *n* Pontificis, Indictione decima, menſis Martii die xxx, quæ fuit tunc Feria ſecunda ante Paſcha.]

D l m n

De excellentia hujus baſilicæ. 9 Quia igitur totus orbis terrarum huic ſanctiſſimæ Dei & beati Petri Apoſtoli baſilicæ; cui Chriſtus commiſit oves ſuas, dicens: Paſce oves meas; &, Tu vocaberis Cephas; debitæ ſubjectionis exhibet obſequium; multi ex diverſis mundi partibus ob reverentiam ejuſdem Apoſtoli hic conveniunt oratores, in tantum ſiquidem, quod multoties vix ad altare poſſumus accedere, quibus neſcientibus, vel ignorantibus, quot & quam pretioſæ reliquiæ in hac ſancta [beati Petri] baſilica requieſcunt, per iſtarum litterarum inſinuationem cognitum eſſe volumus. Saltem quando hic conveniunt ad exorandum Dei filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & ejus beatam genitricem ſemper virginem Mariam, & ſanctos Apoſtolos Chriſti, & alios ſanctos & ſanctas pro remiſſione peccatorum ſuorum; pro ſocietate ſupernorum civium & ſanctarum animarum, eos devote exorent.

E

ANNOTATA.

a *Impreſſus codex*, cypro, *tum hîc, tum alibi, Eódem redit, ſeu* cuprum *ſeu* cyprum *legas. Metallum eſt in Cypro inſula primitus inventum. Unde Plinio* æs cyprium, *aliis* cyprinum: *& Spartiano*, ex ære & cupro cancelli.

b *Hi duo loci* [ ] *per ſocordiam librarii, ut patet, deſunt: ſunt in impreſſo & apud Anaſtaſium in Sylveſtro Papa.*

c *In impreſſo rectius*, ciborium; *uti aliis quoque paſſim ſcribitur.*

d *Sic etiam Anaſtaſius. Impr. cod.* Vittineas.

e *Cod. impreſſus*, Trogæ.

f *Legebatur abſque interpunctione* Conſtantinus Auguſtus & Helena Auguſta fecit. *Et pejus in cod. impreſſo,* . . . Auguſta fecerunt *Patet ex contextu,* τὸ fecit *præmiſſa interpunctione ad ſequentia referendum eſſe, ut probus ſit ſenſus. Eodem modo apud Anaſtaſium in Silveſtro, locus iſte legendus erit prout hîc adſcribo; alioquin uti nunc quidem eſt, non intelligibilis*; Conſtantinus Auguſtus & Helena Auguſta. Hanc domum regali ſimili fulgore coruſcans aula circumdat.

F

g Claretum, *vinum melle & aromatibus conditum aut decoctum*, Aromatites.

h *Quamvis hæc continua ſerie impreſſa ſint à Paulo de Angelis editore; credidero tamen, huc uſque pro titulo debere reputari; & hinc initium narrationis duci.*

i *Hinc videri poteſt de Angelis auctorem operis quod edidit, baptizaſſe* Romanum *nomine proprio, cum appellativum ſumi poſſit à patria aut presbyteratu Romano.*

k *Monetæ genus Italis ſcriptoribus paſſim*, ſolidus Proviſinus *aut* Proviſinorum. *Cangius in Gloſſario reducit ad monetam* Pruvinenſem, *quam ait, Comitum Campaniæ Gallicæ fuiſſe, ſic dictam, quod* in oppido Pruvinenſi *dictæ Campaniæ* cuderetur. *Sit ita. Sed quod* Proviſina *moneta ſeu* Proviſinorum *in Italia inde appelletur, non tam facile aſſentior. Malim opinari, à* proviſionibus *ſeu redditibus eccleſiarum aut altarium, quibus eccleſiaſtici*

A *ſtici inſerviebant, & pro ſua quiſque opera ſtipendium accipiebant, derivatum nomen fuiſſe.*

l *Creatus fuit Cæleſtinus ille anno* 1191, *menſe Aprili.*

m *Clemens deceſſor fuit Cæleſtini, mortuus poſt triennii pontificatum anno eodem* 1191 *in Martio.*

n Ejuſdem Pontificis, *referendum non eſt ad proxime nominatum Clementem, ſed ad Cæleſtinum, cujus annus ſecundus in decima Indictione cœpit anno* 1192; *attamen die trigeſima Martii, quæ tunc vere incidit in Feriam ſecundam ante Paſcha, nondum inchoatus erat annus Cæleſtini ſecundus; ut hujus pontificatum non à creatione ejus, ſed ab obitu deceſſoris videatur computaſſe ſcriptor.*

CAPUT II.

Altaria, oratoria, reliquiæ, & dona variorum.

De ſancti, qui in beati Petri baſilica requieſcunt.

SUnt itaque in hac ſancta Dei & beati Petri Apoſtoli baſilica, præter ſanctiſſimum altare ejus, in quo ipſe requieſcit, quorumdam Sanctorum altaria, vel potius oratoria, quorum iſta ſunt nomina. In choro canonicorum eſt altare vel potius oratorium beatæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quo [oratorio beatæ recordationis Gregorius Papa III recondidit in honorem Salvatoris ſanctæque ejus genitricis, reliquias ſanctorum Apoſtolorum & multorum ſanctorum martyrum ac confeſſorum, perfectorum juſtorum, toto orbe terrarum requieſcentium: inter quas, ut à majoribus noſtris accepimus, recondidit corpus S. Gabinii presbyteri, cujus altare manſit ibi uſque ad tempora noſtra.

B *Altare B. Mariæ.*

corpus S. Gabinii presb.

11 Nam tempore Domini Eugenii III Papæ, quando ejus præcepto ereximus ibi iſtud altare, duo altaria ibi erant: altare videlicet S. Gabinii presbyteri, ad quod Sardinia & Corſica tributum annualiter mittebant, & altare beatæ Mariæ ſemper virginis, quod prænominatus Dominus Gregorius Papa III fecerat & conſecraverat: ſub quibus altaribus invenimus tres ſepulturas ferro & plumbo optime ligatas; quæ etiam altaria cancellis æreis circumdedit. In quo etiam oratorio imaginem beatæ Mariæ ſemper virginis, filium amplexantis, poſuit. Super quam imaginem fecimus loculum, [tempore Domini Alexandri tertii Papæ]; in quo honorifice cum Romano clero poſuimus dextrum armum beati Stephani protomartyris, quod Dominus Pelagius Papa huic baſilicæ donavit; ſicut in tranſlatione ejus, de Conſtantinopoli Romam factâ, habetur.

C

In quo loco requieſcat Gregorius 3 Papa.

12 Hic itaque ſanctiſſimus Papa Gregorius III requieſcit in loco illo, ubi modo felicis memoriæ beatus Eugenius III Papa requieſcit: ubi etiam ad honorem ejuſdem Gregorii fuit erectus arcus, optimo moſibo depictus, & permanſit ille arcus uſque ad tempora Domini Eugenii III Papæ; de quo habemus in epitaphio ejus hunc verſum.

Tertius hîc Papa Gregorius eſt tumulatus.

In quo etiam ſepulcro deſuper recondidimus venerabile corpus Domini Eugenii III Papæ, VIII Idus Julii; & fecimus ei ſepulcrum ex diverſis lapidibus. Requieſcit etiam eodem ſepulcro (ut audivimus) Petrus diaconus beati Gregorii I Papæ, ad quem fecit librum Dialogorum.

13 Hic ſanctiſſimus præſul Eugenius III, quando celebravit primam Miſſam in eccleſia beati Petri, obtulit ſuper venerabile ejus altare optimum ſarataſmum * ad altaris ornatum, & paſtorale ornamentum: & ſemper cum veniebat celebrare ſolemnia Miſſarum in hanc ſanctam Dei & beati Petri baſilicam, non vacua manu veniebat, ſed ſatis devote offerebat, vel veſtem ſuper altare, vel optimam Caſiſam *a*, vel aliud papale donum. Condidit quoque privilegium, in quo conceſſit canonicis hujus venerabilis baſilicæ quartam partem totius oblationis, quæ venit in eccleſia beati Petri, præter oblationem S. Leonis IX Papæ

D De beato Eugenio Papa.

**Cod. Impr.* ſerantaſmum

a

14 Juxta ſepulcrum Domini Eugenii requieſcit bonæ recordationis Dominus Adrianus IV Papa in optima conca. Hic benigniſſimus præſul donavit canonicis hujus venerabilis baſilicæ caſtrum Valeranum in perpetuum, in epiſcopatu civitatis Caſtellanæ poſitum. Condidit & privilegium canonicorum de confirmatione Confeſſionis: nec non & privilegium de libertate omnium noſtrarum eccleſiarum, tam in urbe, quam extra urbem poſitarum. Hic ſanctiſſimus Papa ſemper cum veniebat celebrare Miſſam ad S. Petrum, offerebat ſuper venerabile altare ejus, vel optimum pallium ad ornatum altaris, vel candelabra argentea, vel aliud papale donum. Ante hujus ſepulcrum invenimus duo corpora hominum in Chriſto quieſcentium, quorum nomina Deus ſcit.

Adriani 4,

E

15 Juxta ſepulcrum Domini Adriani [quarti] eſt altare S. Silveſtri Papæ, in quo (ſicut accepimus) brachium ejus eſt reconditum Requieſcit etiam ibidem Vigilius Papa, ſicut à majoribus noſtris accepimus, & etiam in pariete ſcriptum inveniinus

Silveſtri,

16 Juxta hoc altare per directum eſt altare S. Mauritii martyris, ad quod ſcilicet altare de antiqua conſuetudine Romanorum imperator à Dominis epiſcopis cardinalibus benedicitur & ungitur, ad altare vero majus beati Petri à Domino Papa benedicitur & coronatur, & de ſacroſancto altari ejus, per manus Romani Pontificis, ad defendendam Eccleſiam, gladium accipit.

Mauritii,

17 Ante altare S. Mauritii juxta aditum, qui vadit ad S. Martinum poſt S. Petrum, eſt oratorium S. Leonis IV Papæ; in quo (ſicut ſæpe accepimus à majoribus noſtris, videlicet præsbitero Cencio priore: & Domino Petro Chriſtiano) ſanctæ recordationis Paſchalis II Papa, corpus beati Leonis Papæ I & II & III & IV recondidit; ſicut etiam multi noſtrorum viderunt. Hic videlicet Leo Papa IV in monachali propoſito vixit longo tempore in monaſterio S. Martini poſt ſanctum Petrum, ad ſervitium ejuſdem Apoſtoli. At hinc aſſumptus, Presbyter Cardinalis eſt ordinatus de eccleſia ſanctorum quatuor Coronatorum. Poſt non multum tempus Apoſtolicus factus, eccleſiam beati Petri, quæ nutriverat eum à lacte, per omnia dilexit, magniſque beneficiis honoravit.

Leonis 4

F

18. Nam [optimum ciborium de argento ſuper ſacroſancto altari ejus ex columnis argenteis fieri fecit. Arcam quoque altaris intus & extra deargentavit: & non tantum ſacram B. Petri Confeſſionem, verum etiam frontem prædicti altaris ſatis decenter & honorifice perornavit. Nam tabulam de auro & ſmalto, penſantem ducentas & ſexdecim libras auri, fecit fieri, in qua

A qua vetus & novum Teſtamentum continebatur ; & poſuit eam in fronte altaris ; quam etiam & nos vidimus.] Crucem quoque de auro puriſſimo, ex diverſis gemmis, jacintis ſcilicet, & albis ſmaragdis ornatam , miræ magnitudinis ; & poſuit eam juxta ſanctiſſimum altare B. Petri parte dextra , penſantem mille libras optimi auri : & permanſit ibi uſque ad tempora noſtra. [Fecit & imaginem Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti in throno ſedentis cum duobus Angelis circa ſe ; nec non & viginti alias imagines de argento circa eam : & poſuit eas ante altare ſuper columnas vittineas. Fecit quoque quadraginta caniſtra argentea , id eſt coronas argenteas , in quibus lampades appenderentur , à pectoralibus ſcilicet ante altare uſque ad Crucifixos Nec non & crucem auream magnam ad altare ſanctorum Apoſtolorum Symonis & Judæ , penſantem ducentas libras. At alia parte eccleſiæ , ad altare , videlicet ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi , magnam crucem de argento , penſantem ducentas libras. Portam quoque medſam tabulis argenteis totam decoravit : unde uſque hodie dicitur porta Ar-

B gentea ; quam etiam & nos vidimus.]

19 Et præter alia bona , quæ ipſe devotus obtulit beato Petro ad ornatum venerabilis ejus altaris , fecit fieri tabulam de auro & ſmaragdo , penſantem ducentum ſexdecim auri libras , & poſuit eam in fronte altaris, quam etiam nos vidimus. Donavit etiam canonicis B Petri caſtrum

b Buccegiam *b* de ſuo patrimonio. [Condidit quoque magnum privilegium carticinium [donans] canonicis in perpetuum eccleſiam Salvatoris , quæ eſt poſita in Turrione : quam ſiquidem eccleſiam beatus Pontifex ad ſepulturam omnium peregrinorum ultramontanorum fecerat : & eccleſiam S. Juſtini , poſitam in monte Saccorum , quam fecerat ad ſepulturam omnium peregrinorum latinorum : nec non & eccleſiam S. Peregrini extra civitatem Leoninam poſitam , cum tenimentis ſuis : & eccleſiam beatæ Mariæ in Palazolo poſitam : & eccleſiam S. Georgii martyris , poſt S. Petrum poſitam.] Multa quoque alia , quæ in præfata B. Petri baſilica idem ſanctiſſimus Papa fecit , poſſumus ſcriptis mandare ; ſed non oportet , quoniam liber pontificalis manifeſtiſſime indicat. Hujus ſanctiſſimi

C Papæ corpus requieſcit in altari ſuo , quod eſt (ſicut ſupra diximus) juxta aditum , qui exit foras ad S. Martinum [poſt S. Petrum] ; in quo etiam altari [ut à noſtris majoribus ſæpe accepimus,] quieſcit Leo I, II, & III [& IV.]

20 Juxta hoc oratorium ſancti Leonis IV

Adriani 4. Papæ eſt oratorium [& fuit altare S. Adriani martyris & eſt ſepulcrum] beatæ recordationis Domini Adriani I Papæ , de quo habetur hoc Epitaphium.

Hic pater eccleſiæ , Romæ decus, inclitus auctor
Adrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui, vita, Deus; pietas, lex ; gloria, Chriſtus;
Paſtor Apoſtolicus, promptus ad omne bonum
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum ,
Sed ſacris longe nobilior meritis,
Exornare ſtudens devoto pectore paſtor
Semper ubique ſuo templa ſacrata Deo.
Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit & cunctos pandit ad aſtra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus;
Et pro plebe ſacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Urbs caput orbis, honos, inclita Roma, tuus. D
Hic ſanctiſſimus Præſul, præter multa alia bona, quæ fecit, donavit canonicis hujus eccleſiæ caſtrum Capracorum & à novo reſtauravit tectum tituli S. Clementis Papæ, in regione tertia poſiti.

21 Juxta hujus oratorium eſt ſepulcrum Do- *Urbani* 2.
mini Urbani II Papæ, ſatis pulcrum in Vaticano. Juxta ſepulcrum Domini Urbani eſt oratorium beatæ Mariæ matris Domini, quod conſtrui fecit *B. Mariæ.* Paulus I Papa, cujus parietes optimo moſibo ex diverſis metallis depinxit ; ubi & effigiem ſanctæ Dei genitricis in ſtatu ex argento deaurato depinxit. In quo oratorio etiam ſepulcrum ſibi conſtruxit; quod ſcilicet oratorium propter multa corpora ſanctorum , quæ ibi ſepulta ſunt [& quæ ipſe, ſicuti in tranſlatione ſanctarum Dignæ & Emeritæ legi, de cimiteriis levans, ibi poſuit] (nam Vaticanum locus ille dicitur) æneis cancellis clauſit. Inde uſque ad tempora noſtra locum illum mulieres non intrabant.

22 Hic prænominatus Papa Paulus, dum in *Mors Pauli* ecclesia beati Pauli æſtivo tempore [demora- *I Papæ.*
retur ,] præoccupatus corporali ægritudine , E illic vitam finivit ; ubi etiam ſepultus eſt : illicque fere trium menſium ſpatio ejus funus humatum permanſit. Poſtmodum vero congregati Romani cives, & aliæ nationes, ejus corpus per fluvium Tyberis navigio transfretantes ad beatum Petrum cum pſalmodiæ honore deportaverunt, & in præfato, ab eo conſtructo oratorio, eum ſepelierunt : ſuper cujus ſepulcrum eſt ſcriptum ; Hic requieſcit Paulus Papa. Qui locus uſque hodie dicitur ſancta Maria in oratorio.

23 Ante hoc oratorium , beatæ Mariæ ſcili- *Joannis*
cet in Vaticano , eſt quoddam ſepulcrum Joan- *Cardinalis,*
nis [Cardinalis S. Anaſtaſiæ *c*] cujus epitaphium eſt iſtud. c

Clauditur hoc tumulo venerabilis ille Joannes,
Qui legis ſacræ diffundere noverat annos ;
Egregius doctor, verbo quæcumque docebat,
Moribus & vitâ, tribuens exempla, gerebat.
Hunc à canonici diſtricto jure rigoris,
Non timor, aut lucrum , non gratia flexit amoris.
Det Deus æternus cælorum lumine paſci :
Cui dat Roma mori, dederat [Burgundia *d*] d
naſci ,
Quando vir iſte obiit, ſi vis cognoſcere verum, F
Septima lux Martis fuit illi meta dierum.

24 Ab alia parte juxta portam æneam , quæ *Proceſſi &*
vadit ad S. Petronillam , & ad S. Andream , *Martiniani,*
eſt oratorium SS. Proceſſi & Martiniani martyrum , moſibo & diverſis lapidibus decoratum : quod ſiquidem oratorium conſtrui fecit beatæ recordationis Paſchalis Papa primus, ad eorum honorem ; in quo ſiquidem oratorio honorifice recondidit eos in conca porphiretica ut apparet. Et pro reverentia eorum, locum illum cancellis æneis circumdedit. Qui locus in tanta veneratione eſt habitus , quod uſque ad noſtra tempora locum illum mulieres non intrabant. Nam & in loco illo ſunt ſepulturæ ſanctorum Pontificum. Et deinde per directum , ſcilicet per porticum Pontificum , & uſque ad portam Argenteam , ſunt ſepulturæ ſanctorum Pontificum. Eſt etiam ibi poſt chorum ca- *Martialis,*
nonicorum altare S. Martialis diſcipuli beati Petri Apoſtoli.

25 Intra Palatium vero Neronis eſt tem- *Petronillæ,*
plum Apollinis , quod nunc vocatur S. Petronilla ,

A nilla, in quo est reconditum corpus ejusdem Virginis, ante quod est basilica sancti Angeli, quæ vocatur Vaticanum, mirifico musibo laqueata auro & vitro. Ideo vero dicitur Vaticanum, quia vates, id est sacerdotes, antiquitus canebant ibi sua officia ante templum Apollinis; & ideo tota illa pars dextra basilicæ beati Petri, quæ vadit per porticum Pontificum & usque ad portam Argenteam, vocatur Vaticanum; ibique est aliud templum, quod fuit vestarium Neronis, quod modo vocatur Sanctus Andreas: in cujus altare beatus Gregorius Papa (ut à majoribus nostris accepimus) recondidit brachium S. Andreæ apostoli & beati Lucæ euangelistæ, quæ cum magna devotione detulit Constantinopoli.

quid vocetur Vaticanum.

SS. Andreæ ap & Lucæ euang.

ANNOTATA.

a *Codex impr.* Casulam, *Forte* Camisam *legi debet, quæ est alba sacerdotalis.*
b *Cod impr.* Buvegiam.
c *Noster hîc legebat*, Joannis Papæ.
d *Item hîc*, bene gaudia, *nullo sensu.*

B

CAPUT III.

Sepulcra Pontificum in parte dextera basilicæ, quæ meridiem respicit.

Sepulcra summorum Pontificum in Vaticano,

IN hac dextra parte basilicæ beati Petri, scilicet in Vaticano, & per directum per porticum Pontificum, quæ vadit ad S. Gregorium Papam, egregium doctorem, & usque ad portam Argenteam, sunt sepulturæ sanctorum Pontificum. In quibus nimirum sepulturis (sicut in libro Pontificum & in eorum quoque sepulcris scriptum inveni, vel à majoribus nostris sæpe accepi) requiescunt isti venerabiles subscripti Pontifices, videlicet.

Lini, 27 Linus Papa & martyr. Hic ex præceptò beati Petri constituit, ut mulier in ecclesiam velato capite introiret; sepultus juxta corpus beati Petri in Vaticano; nam multa corpora sanctorum episcoporum & sanctorum virorum ob reverentiam beati Petri ibidem sepulta sunt.

C

Cleti, 28 Cletus Papa & martyr. Hic tertius post Apostolum Petrum, cum rexisset ecclesiam annis XII, persecutione Domitiani martyrio coronatus est, & sepultus est in Vaticano.

Anacleti, 29 Anacletus Papa, qui fuit ordinatus presbiter à beato Petro Apostolo, & sepultus fuit in Vaticano.

Evaristi, 30 Euaristus Papa. Hic constituit septem diaconos, qui custodirent Romanum Pontificem.

Sixti, 31 Sixtus Papa & martyr, natione Romanus. Hic fuit sepultus juxta ferratam prope corpus beati Petri, ubi adhuc est arcus de mosibo, quem fecit fieri Paschalis Papa primus.

Telesphori, 32 Telesphorus Papa & martyr. Hic constituit, septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebrari; & in nocte Natalis Domini Missas celebrari, & Gloria in excelsis Deo, ante sacrificium dici.

Higini, 33 Iginus Papa & martyr. Hic composuit clerum & distribuit gradus.

Pii, 34 Pius Papa, frater beati Pastoris presbiteri. Sub hujus tempore Hermes librum scripsit, qui appellatur Pastor; quia in habitu Pastoris Angelus ei apparuit.

D

Eleutcrii, 35 Eleuterius Papa. Firmavit, ut nulla esca usualis à Christianis repudiaretur.

Victoris, 36 Victor Papa & martyr. Hic constituit, ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur. Hi omnes (sicut in Pontificali legitur) in Vaticano quiescunt.

Leonis I, 37 Leo Papa I, qui misit epistolam Flaviano episcopo de incarnatione Domini, & fecit sermones contra hæreticos. Hic jacet in altari S. Leonis IV Papæ, sicut supradictum est.

Simplicii, 38 Simplicius Papa. Hic constituit ad S Petrum, & ad S Paulum, & ad S. Laurentium, & ad S. Mariam Majorem, ut per hebdomadas presbiteri cardinale ibi manerent, propter pœnitentes & baptismum.

Gelasii, 39 Gelasius Papa I. Hic fuit amator cleri & pauperum.

Anastasii II, 40 Anastasius Papa II. Hic fecit confessionem beati Laurentii ex argento.

Hormisdæ, 41 Hormisda Papa. Hic composuit clerum & Psalmis erudivit.

Simmachi, 42. Simachus Papa. Hic fecit basilicam S. Andreæ Apostoli ad sanctum Petrum, [in qua & altaria statuit, ubi plura Sanctorum corpora, sicut carmina indicant, posuit;] & juxta fontem oratorium sanctæ Crucis, & recondidit in ejus confessione Crucem ex auro & gemmis, ubi inclusit lignum Crucis Domini, pensans decem libras. [Posuit & super Altare ejus, ut à nostris majoribus accepimus, in columnis scilicet porfireticis, venerabilem imaginem Apostolorum Petri, & Pauli, quam beatus Silvester Papa ostenderat Constantino ad repræsentandam formam eorum, quos ante baptisma in visione viderat.] Hic basilicam S. Petri marmoribus ornavit. Cantarum pulcrum in paradiso cum pinea ænea, cum quadriporticu marmoribus & musibo fecit; agnos & cruces & palmas decenter pinxit; gradus construxit, & cantarum in medio cortinæ composuit ad Chrismatis unctionem in Feria secunda post Pascha.

E

Joannis I, 43 Joannes Papa I. Hic ob Catholicam fidem Ravennæ in custodia defunctus est martyr XV Kalend Junias: cujus corpus translatum est de Ravenna, & sepultum est in basilica beati Petri in Vaticano.

F

Felicis, 44. Felix Papa, qui fecit ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani, & constituit, super sepulcrum martyrum Missas celebrari.

Bonifacii I, 45 Bonifacius Papa I. Hic requiescit in porticu Pontificum, de quo habetur hoc epitaphium.

Atria magnifici sunt membris plena sepulchri
Sedis Apostolicæ Bonifaci præsulis almi *a*.

a

Joannis 2, 46 Joannes Papa II, qui & Mercurius appellatus est; de quo habetur hoc epitaphium.

Hic tumulus vatis conservat membra Joannis,
Ordine Pontificum qui fertur jure secundus.
Licet *b* in extremis solers fidusque minister
Claruit, & primus jure levita fuit:
Missus ad Imperium vice præsulis, extitit auctor.
Hunc memorant Synodus, Pontificisque tomus *c*.

b

Cum titulis fidei vigilantia quanta regendi
Commissas animas, ne lupus hostis oves
Carperet ammixtus, premeretve potentior unam,

c

Justi-

A Juſtitiam cunctos nixus habere parem.
d Providus humanis *d*, ſummus veruſque ſacerdos,
Nil temere, atque nimis pondere cuncta gerens.

Agapiti I, 47 Agapitus Papa I Hic ſanctiſſimus Papa convicit Antemium Patriarcham Conſtantinopolitanum, duas naturas in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto eſſe negantem, & in loco ejus Mennam Catholicum conſecravit; cujus corpus de Conſtantinopoli tranſlatum eſt in loculo plumbeo, & ſepultus eſt in baſilica beati Petri Apoſtoli: de quo beatus Gregorius in Dialogo magna refert.

Pelagii I, 48 Pelagius Papa I. Hic cœpit conſtruere eccleſiam SS. Philippi & Jacobi. Hic ſepultus eſt ante Secretarium beati Petri; cujus epitaphium eſt iſtud.

Terrenum corpus claudant hæc forte ſepulcra,
Nil ſancti meritis derogatura viri.
Vivit in arce poli, cæleſti luce beatus;
Vivit & hic cunctis per pia facta locis.
B Surgere judicio certus, dextramque tenentem
e Angelicâ *e* partem ſe rapiente manu.
Virtutum numeret titulos Eccleſia Dei,
f Quos ventura ut *f* ſecula ferre queant.
g Rector *g* Apoſtolicæ fidei veneranda retexit
Dogmata, quæ clari conſtituere Patres.
Eloquio curans errorum ſchiſmate lapſos,
Ut veram teneant corda placata fidem.
Sacravit multos divina lege miniſtros,
Nil pretio faciens immaculata manus.
Captivos redimens, miſeris ſuccurrere promptus,
Pauperibus nunquam parta negare ſibi.
Triſtia participans, læti moderator opimus;
Alterius gemitus credidit eſſe ſuos.
Hic requieſcit Pelagius Papa, qui ſedit annos IV, menſes X, dies XVIII. Depoſitus IV Nonas Martii.

Joannis 3, 49 Joannes Papa III, qui complevit eccleſiam Philippi & Jacobi, ſicut habetur in hoc ſequenti verſu.

Pelagius cœpit; complevit Papa Joannes.

Benedicti I, 50 Benedictus Papa I. Hic ſepultus eſt in Secretario ad ſanctum Petrum.

h C *Bonifacii* 4, 51 Bonifacius Papa IV. *h* Hic requieſcit in porticu Pontificum; cujus epitaphium eſt iſtud.

Vita hominum brevis eſt; certâ hanc determinat hora;
i Sed vitæ æternæ inde *i* paratur iter;
Quo non indecora aut rurſum peritura videtur:
k Sed pulchrum atque decens jam *k* ſine fine manet.
Sic igitur quid mors ſtimulis agitaris iniquis?
Quid feris incaſſum, quid furibunda geris?
Commoda nulla tibi poterunt tua facta referre,
Nec prodeſſe poteſt impetus iſte tibi
Gregorii ſemper monita, atque exempla magiſtri,
Vita, opere, ac dignis moribus iſte ſequens.
l Quo hc terre reputans *l* ſunt hujus maxima vota
Mittere ad aſtra animam; reddere corpus humo.
Saucia multiplici ſiquid nam membra dolore,
Rurſus in antiquo pulvere verſa manent
Quæ conjuncta animæ ſtabilito in corpore ſurgant
Ad vitam æternam, te pereunte magis.
Sancta fides merito vitæ, clementiâ patris,
Spem certam hanc famulos juſſit habere ſuos.
m Hic requieſcit Bonifacius junior *m*, qui ſedit annos VI, menſes VIII, dies XII Depoſitus eſt VIII Idus Maii *n*, imperante Domino Eraclio anno ejus ſecundo *o*.

D n o

ANNOTATA.

a *Monet Aringus, hoc Epitaphium non eſſe Bonifacii primi, utpote qui in Vaticano ſepultus non fuit, ſed eſſe ſecundi.*

b *Fortaſſis*, Hic & in extremis.

c *Cod. impr. habet* thronus.

d *Cod. impr.* Providus, humanus *&c.*

e *Idem Cod.* Angelicam *&c.*

f *Ita Cod. ms. Impreſſus legit* velut. *Forſitan pro* ut, *debet* utinam *legi.*

g *Pro* Rector, *invenitur in Cod. impr.* Doctor.

h *Habet hîc Cod. impr.* Bonifacius Papa ſecundus, *cui ſubjunctum epitaphium aptari non poteſt. Cum et tempus ſedis, dies depoſitionis & imperium Heraclii, epitaphio ſubnotata, neutiquum conveniant. Conveniunt propius Bonifacio quarto; quorum hic facit Mallius noſter ms. Neque poteſt de Bonifacio* ſecundo *dici, quod* Grègorii, *nempe Magni*, ſemper monita atque exempla magiſtri *fuit ſecutus; cum tempore prior fuerit: poteſt dici de Bonifacio* quarto, *qui Gregorium poſt Sabinianum & Bonifacium tertium, proxime ſecutus eſt.*

i *Pro* inde, *ſcribit cod. impr.* idem. *Baronius tomo 9 pag.* 907 *idem epitaphium deſcribens ex Manlio*, deinde *fecit.*

k *Cod. impr. hîc pro* jam, *legit* &. *Atque mox pro*, Sic igitur, *habet*, Dic igitur. *Et verſu ſequenti pro* Quid feris; Quid fremis.

l *Ita quidem verſus iſte in Manlio noſtro ms. Cod. impr. ſic incipit*, Quo hoc terræ reputas *&c. Quid ſi legatur*, Quo hunc terrere putas, ſunt hujus maxima vota.

m Junior *hîc dictus ſit Bonifacius quartus, reſpectu deceſſoris ſui Bonifacii tertii, qui proxime præceſſit.*

n *Pro* Maii *habet Cod. impreſſus* Martii, *minus recte, uti quidem videtur.*

o *Baronius, quia obſervavit, mortem Bonifacii, in* anno ſecundo Heraclii, *aberrare à vera chronologia, ſubſtituit*, quinto.

CAPUT IV.

Sepulcrum & geſta Gregorii Magni aliorumque Pontificum.

F

Ubi requieſcit B. Gregorius Papa primus.

JUxta hoc ſepulcrum eſt oratorium beati Gregorii Papæ primi. Hic almificus præſul fuit ſepultus ante Secretarium inter columnas porticalium, cujus epitaphium eſt iſtud.

Suſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptum,
Reddere quod valeas vivificante Deo.
Spiritus aſtra petit; leti nil jura nocebunt,
Cui vitæ alterius, mors magis ipſa via eſt.
Pontificis ſummi [hoc] clauduntur membra ſepulcro,
Qui innumeris ſemper vixit ubique bonis.
Eſuriem dapibus ſuperavit, frigora veſte:
Atque animas monitis texit ab hoſte ſacris.
[Implebatque actu quidquid ſermone docebat,]*a*
Eſſet ut exemplum, myſtica verba loquens.
Ad Chriſtum Anglos convertit pietate magiſtra,
Acquirens fidei agmina gente nova.
Hic labor, hoc ſtudium, hæc tibi cura, hoc paſtor agebas,
Ut Domino offerres plurima lucra gregis.

a

Hiſque

A Hiſque Dei conſul factus, lætare triumphis;
Nam mercedem operum jam ſine fine tenes.
Hic requieſcit Gregorius Papa I, qui ſedit annos XIII, Menſes VI, dies X; depoſitus IV Idus Martii.

Ejus ſtatuta de celebratione Miſſarum.

53 Hic conſtituit toto orbe terrarum Miſſarum ſolennia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanctæque ejus Genitricis, ſanctorum Apoſtolorum, & omnium ſanctorum martyrum ac confeſſorum, perfectorum juſtorum, toto orbe terrarum requieſcentium, memoriam agere. Hic augmentavit prædicationem canonum fieri; *Dieſque noſtros in tua pace diſponas &c.* Hic conſtituit ſuper corpus beati Petri & beati Pauli à cardinalibus Miſſas jugiter celebrari. Hic fecit Romanum cantum & ordinavit primicerium & ſcholam cantorum, & docuit. Ordinavit etiam ſtationes propter pœnitentes; quas cum primicerio, & cantoribus, & regionariis, & acolitis, cruce ſtationali præcedente, faciebat. Nam al ter in Quadrageſima uſque ad Paſcha, & aliter in Albis & in Dominicis diebus, & feſtivitatibus ſanctorum: & ſtatuit has antiphonas proceſſionales in quatuor tempora *b* cantari; ſcilicet *deprecamur te, Domine; multa ſunt Domine peccata noſtra; parce, Domine, parce populo tuo.* Et in litanias majores has alias antiphonas; *Domine Deus noſter*, & ceteras.

b

B

de aſſiſtentibus Pontifici Rom.

54 Et fecit S. Stephanum orphanotrophium, ubi primicerius & cantores manerent; de quibus jugiter eſſent cum Pontifice; & de epiſcopis, cardinalibus, diaconibus, regionariis, & de acolitis, & cubiculariis, qui eum cuſtodirent, & eſſent ei bonum teſtimonium. Et conſtituit, ſicut beatus Papa Gelaſius I ordinaverat, ut eſſent per regiones de diaconibus cardinalibus, & ſubdiaconibus regionariis, ut ſiquod eccleſiaſticum negotium in regione oriretur, quod diffiniri non poſſet, archidiacono repræſentaretur, ut ipſe finem imponeret. Hic ſcripſit ordinem, qualiter eccleſia regeretur; & ſtatuit, ut quando Pontifex extra Urbem iret vel eſſet; archidiaconus, & archipresbiter cardinalis, & primicerius repræſentarent vicem ejus: & fecit xenodochium S. Gregorii juxta gradus B. Petri: & conſtituit ibi tres cantores cum primicerio, qui jugiter officiaret *c* Miſſam ad altare B. Petri, indutus pluviali, & mitra, & virga; ſtaretque juxta altare cum II & III & IV; & pro beneficio haberent, ſicut in privilegio ejus legitur.

c

C

& cantoribus.

55 Statuit etiam quatuor cantores ad S. Paulum, & quatuor ad S. Mariam Majorem, & quatuor ad S. Laurentium foris muros, pro ſervitio Miſſarum cardinalium cum beneficiis harum eccleſiarum. Et præcepit primicerio & cantoribus, ut nullo modo deviarent ab ordine, quem ipſe docuit in Romana eccleſia. Præcepit quoque, ut ad altare majus B. Petri nulla conſecratio fieret niſi Romani Pontificis, & quando Dominus Pontifex facit conſecrationem ibi, deſcendat ad S. Andream, & faciat ibi conſecrationem; qua expleta revertatur ad altare maius & expleat Miſſam. Et conſtituit quatuor diaconos cardinales ad S. Petrum, qui legerent Euangelium ad Miſſam & prædicaret unuſquiſque in hebdomada ſua. Et cardinalis hebdomadarius ſimiliter eſſet ibi propter pœnitentes, & baptiſmum, & propter Miſſas peregrinorum ad altare B. Petri. Similiter & ad S. Paulum ſtatuit.

Privilegium Gregorii I,

d

D

56 [*d* Hic ſanctiſſimus præſul Gregorius quantum dilexerit, & ditaverit Eccleſiam iſtam, in Privilegio, quod eſt ſcriptum in tabulis marmoreis, in pariete ante Eccleſiam fixis, ex parte habetur; quod ſic incipit: Dominis ſanctis & beatiſſimis, Petro & Paulo Apoſtolorum Principibus, Gregorius indignus ſervus. Quoties laudis veſtræ uſibus ſervitura quædam, licet parva conquirimus, veſtra vobis reddimus, non noſtra largimur: ut hæc agentes, non ſimus elati de munere, ſed de ſalvatione ſecuri Nam quid unquam ſine vobis noſtrum eſt? Qui non poſſumus accepta reddere, niſi quoniam per vos iterum & ipſum hoc, ut redderemus, accepimus. Unde ego veſter ſervus reducens ad animum, multum me vobis, beati Apoſtoli Petre & Paule, eſſe debitorem; propter quod ab uberibus matris meæ, divinæ potentiæ gratia protegente, intra gremium Eccleſiæ veſtræ aluiſtis, & ad incrementum per ſingulos gradus, uſque ad ſummum apicem Sacerdotii, licet immeritum, perducere eſtis dignati: ideoque hoc privilegii munuſculum humili interim offerre devotione prævidi.

fundantis pro lampadibus alendis,

E

57 Statuo enim, & à meis ſucceſſoribus ſervandum ſine aliqua refragatione, conſtituo, ut loca vel prædia cum olivetis, quæ inferius deſcribuntur, quæ pro concinnatione luminariorum veſtrorum, à diverſis, quibus detinebantur, recolligens, veſtra vobis dicavi immutilata permanere, id eſt, in patrimonio Appiæ maſſas victoriolas. Olivetum in fundo Rumeliano in integro. Olivet. in fundo Octaviano, in integro. Maſſa Trabatiana. Olivet. in fundo Burregano, ut ſupra. Olivet. in fundo Appiano, ut ſupra Olivet. in fundo Juliano in integro: Olivet. in fundo Biviano, ut ſupra. Olivetum in fundo Cattiano. Olivet. in fundo Solificiano, ut ſupra. Olivetum in fundo Palmis, ut ſupra Olivetum in fundo Sagaris, ut ſupra. Olivet in fundo Marano, ut ſupra. Olivetum in fundo Viliano, ut ſupra. Olivetum in fundo Cagnano & Carbonaria, ut ſupra. Maſſa Cæſariana. Olivet. in fundo Norano ut ſupra. Olivet. in fundo Priſciano, & Graſſiano, ut ſupra. Olivet. in fundo Paſcurano, ut ſupra. Olivetum in fundo Mariniano, ut ſupra. Olivetum in fundo Cæſariano, ut ſupra. Maſſa Pontiana ad Ponzanum. Olivetum in fundo Pontiano, ut ſupra. Olivetum in fundo Caſaromaniana, ut ſupra. Maſſa Steiana. Olivetum in fundo Beriano, ut ſupra. Olivetum in fundo Cacclano, ut ſupra. Olivetum in fundo Aquiliano, ut ſupra. Olivetum in fundo Steiano, ut ſupra. Olivetum in fundo Caſſi, ut ſupra. Maſſa Tertiana. Olivetum in fundo Camelliano & fundo Tortiliano, ut ſupra. Olivetum in fundo Caſacucul, ut ſupra. Maſſa Neviana. Olivetum in fundo Arcipiano, ut ſupra.

F

multa olivæta.

58 Olivetum in fundo Correliano, ut ſupra. Olivetum in fundo Urſano, ut ſupra. In Patrimonio Lambicanenſi, Maſſa Algiſtas. Olivetum, quod eſt ad tufum juxta Anagnia, in integro. Olivetum quod eſt in ſilvula, & modicas talias catagemulum à commiliti. Olivetum in Apineas, in integro. Olivetum quod eſt in Claviano, quod tenet Franculus colonus. Olivetum in fundo Ordiniano, in integro. Maſſa Pelagiana. Olivetum in fundo Caſamutis juxta Anagnias. Maſſa Pontiana. Olivetum in fundo Pacciano. Olivetum in fundo Ricianis. Maſſa

A Ruſcellens. Olivetum juxta Signias in fundo Perpiniano, in integro. Maſſa Hecteriana. Olivetum in fundo Raſiniano. Olivetum in fundo Cornatiano. Maſſa Fiſtis. Olivetum ibidem. Olivetum in Maſſa Silanis, in fundo Siliano cum factorio ſuo, in integro, cata Petrum Veſtararium in Patrimonio Tyburtino. Maſſa Alliana. Olivetum in fundo in Caſa Simiana; in vico Paſſiano, quod tenuere heredes Sergii Scriniarii. Olivetum in fundo Junianiello, quod Simon Abbas.... Maſſa Pollonis. Olivetum in fundo Tana & Prandiaria. Maſſa Cornutis. Olivetum in fundo Plautiano &c Olivetum in fundo Statiano, quod tenuit Claudius nepos Demetrii. Olivetum in fundo Surrio. Olivetum in fundo ſacroſancto, quod tenet Sergius gener Petri. Olivetum in fundo ſacroſancto, quod tenet familia &c. Olivetum in fundo paterno, quod tenet familia &c. Si quis autem temerario auſu infringere præſumpſerit &c. Datum Idibus Novembris. Imperante piiſſimo Leone.]

S. Ægidii, 59 Iuxta ſepulchrum, in quo beatus Gregorius Papa I, primo loco poſitus fuit, eſt venerabile altare S. Egidii abbatis.

B *Sabiniani*, 60 Sabinianus Papa I. Sub hujus tempore fuit fames gravis in civitate Romana; ſed facta pace cum gente Longobardorum, juſſit aperiri horrea eccleſiæ, & venumdari frumentum populo per unum ſolidum triginta modios tritici: cujus epitaphium eſt iſtud.

Hic hominum vitia blando ſermone removit;
Nec culpis judex, ſed medicina fuit.
Miſericordiæ enim viſceribus ultra quam dici poſſit, affluebat, & quantum in ſe, nullum à beneficio miſericordiæ excludebat.

Bonifacii 3, 61 Bonifacius III Papa. Hic requieſcit [in porticu Pontificum] ad S. Gregorium.

Bonifacii 4, 62 Bonifacius IV Papa, qui petiit templum Pantheon à Phoca Cæſare, & dedicavit illud in honorem B. Mariæ ſemper virginis & omnium ſanctorum, Kalendis Novembris. Hic ſepultus intra eccleſiam B. Petri juxta portam Ravinianam: cujus epitaphium eſt iſtud.

c Gregorio *e* quartus jacet hic Bonifacius almus,
Hujus qui ſedis fuit æquus rector & ædis:
f Tempore qui Focæ [cernens *f*] templum fore Romæ,
Delubra cunctorum fuerant quæ dæmoniorum,
C Hoc expurgavit Sanctis cunctiſque dicavit,
Cujus natalis ſolennia qui celebratis,
Primis Septembris fert hoc lux quarta Kalendis.

Deuſdedit, 63 Deuſdedit Papa. Hic benigniſſimus Pater clerum valde dilexit & ad priſtina loca revocavit.

Bonifacii 5, 64 Bonifacius Papa V. Hic beatiſſimus præſul, fuit (ut in Pontificali legitur) mitiſſimus & miſericors ſuper omnes qui fuerunt tempore ſuo.

Honorii 1, 65 Honorius Papa I. Hic cooperuit totum tectum baſilicæ B. Petri ex tabulis æneis, quas levavit de templo, quod appellatur Romuli, ex conſenſu Eraclei piiſſimi imperatoris. Fecit etiam eccleſiam in honorem S. Apollinaris martyris in urbe Romana in porticu B. Petri Apoſtoli, quæ appellatur Palmata. Hic fecit conſtitutum in eccleſia & decrevit, ut omni Sabbato exeat litania ab eccleſia S. Apollinaris ad ſanctum Petrum, niſi feſtum interveniat.

Severini, 66 Severinus Papa I. Hic renovavit abſidem B. Petri Apoſtoli ex optimo moſibo, quod dirutum erat [ſepultus eſt in eccleſia B. Petri in porticu Pontificum.]

D 67 Joannes Papa IV. Hic dimiſit in clerum rogam integram. [Sepultus in baſilica B. Petri in porticu Pontificum.] *Joannis* 4,

Theodori, 68 Theodorus I. Hic levavit corpora ſanctorum martyrum Primi & Feliciani de arenario via Numentana, & honorifice recondidit ea in eccleſia B. Stephani protomartyris in monte Cælio. Hic ſepultus eſt in porticu Pontificum, cujus epitaphium eſt iſtud.

Incubat egregii Theodori præſulis almi
Hoc tumulo corpus *g* & cetera.

Eugenii 1, 69 Eugenius Papa I. Hic fuit benignus, mitis, & omnibus affabilis & indigentibus eleemoſynam ſæpiſſime miniſtravit. [Sepultus eſt in eccleſia B Petri.]

Vitaliani, 70 Vitalianus Papa I. Hic regulam eccleſiaſticam atque vigorem, ut mos erat, omni modo conſervavit.

Adeodati, 71 Adeodatus Papa. Hic fecit monaſterium S. Eraſmi, ſitum in monte Cælio.

Doni, 72 Donus Papa. Hic atrium baſilicæ B. Petri Apoſtoli, quod eſt ante eccleſiam, magnis marmoribus ſtravit.

Agatonis, 73 Agato Papa. Hic in tantum benignus & manſuetus fuit, ut etiam omnibus hilaris & jucundus comprobaretur. E

Leonis 2, 74 Leo Papa II. Hic ſanctiſſimus vir in divina ſcriptura eloquentiſſimus fuit: [ſepultus in Vaticano juxta corpus Apoſtoli.]

Benedicti 2, 75 Benedictus Papa II. Hic ab ineunte ætate in eccleſia militavit, paupertatis ſemper amator, ſepultus apud S. Petrum.

Joannis 5, 78 Joannes Papa V. Hujus temporibus regnavit Juſtinianus ſanctiſſimus imperator.

Cononis, 79 Conon Papa. Hic dimiſit clero, monaſteriis videlicet, diaconis & manſionariis benedictionem in auro, ſicut prædeceſſor ejus Benedictus Papa II fecerat.

Sergii 1, 80 Sergius Papa I. Hic conſtituit, ut in Nativitate beatæ Mariæ, Annuntiatione & Purificatione, litania exeat à ſancto Adriano & ad ſanctam Mariam in præſepe populus occurrat. Hic ſepultus eſt in eccleſia B Petri inter portam Argenteam & portam Ravinianam, cujus epitaphium eſt iſtud.

Limina quiſquis adis Petri *h* metuenda beati, h
Cerne pii Sergii excubiaſque Petri.
Culmen Apoſtolicæ ſedis is, jure paterno
Electus, tenuit, ut Theodorus obit.
Pellitur urbe Pater, pervadit ſacra Joannes, F
Romuleoſque greges diſſipat ipſe lupus.
Exul erat patriâ ſeptem volventibus annis,
Pòſt multis populi urbe redit precibus.
Suſcipitur Papa, ſacratâ ſede receptâ
Gaudet, amat Paſtor agmina cuncta ſimul.
Hic invaſores ſanctorum falce ſubegit
Romanæ eccleſiæ judiciiſque Patrum.

ANNOTATA.

a *Deſideratur totus hic verſus in Ms. noſtro, ſuppletus ex impreſſo.*

b *Cod. impr. hìc addit*, in Quadrageſima.

c *Legebatur in Ms. noſtro*, officiarent. *Non convenit cum ſequentibus vocibus*, indutus, ſtaretque. *Mihi placuit* rò qui *referre ad ſolum* Primicerium: *rò autem (quod ſequitur)* haberent *referri ad* tres Cantores cum Primicerio. *In Cod. impreſſo ita legitur*; conſtituit ibi tres Cantores cum Primicerio, qui jugiter officiarent Miſſam ad altare B. Petri, induti pluviali & mitra & virga (*an hæc conveniant Cantoribus?*) ſtarentque juxta altare &c.

d *To-*

A

d *Totus ſequens textus deficit in Ms. noſtro Manlii; habetur in impreſſo Romani, à quo fuerit Manlio adjunctus.*

e Gregorio, *id eſt* à Gregorio *quartus, uti vere fuit hic Bonifacius, intercedentibus nempe Sabiniano & Bonifacio tertio. At vero cum ſupra locutus ſit Noſter de* Bonifacio quarto, *quem Codex impreſſus, ut ibi notavimus,* ſecundum *vocat; cur hic Noſter denuò agat de* quarto, *atque aliud hic, aliud illic epitaphium ſubnectat? Poteſt utrumque habuiſſe, non nego. Sed cum ille, Noſtro quartus, Romano impreſſo ſecundus ſit, & ab utroque dicatur* requieſcere in porticu Pontificum: *hic vero Bonifacius quartus ſepultus ſit* intra eccleſiam B. Petri juxta portam Ravinianam *ſeu* Ravennatem, *videri poſſit ex loco ſepulturæ non eumdem ſupra atque hîc Bonifacium eſſe: niſi porticus Pontificum concipiatur ſe extendiſſe ad portam uſque Ravinianam. Interim utrumque epitaphium uni Bonifacio quarto recte competit.*

f *Noſter legebat* cineres.

g *Cur Auctor noſter, atque etiam Romanus, qui epitaphia deſcribere integra conſueverunt, hoc loco, atque iterum infra in Stephano ſecundo, mutilum dederint? Opinor, quia reliqua legi non potuerint. Hujus igitur defectum aliquatenus ſuppleat alia inſcriptio de Theodoro, quæ in eccleſia rotunda S. Stephani protomartyris, cujus tectum renovaſſe dicitur, inventa, apud Janum Gruterum pag.* 1164. *num.* 18. *ſic legitur:*

B

Exquirens pietas tectum decorare ſacratum
Paſtoris ſummi Theodori corda direxit,
Qui ſtudio magno Sanctorum corpora cultu
Hoc dedicavit, non patris neglecta reliquit.

Per Sanctorum corpora *intelligas licet SS. Primi & Feliciani martyrum, quæ in arenariis inventa, Theodorus in dicta S. Stephani eccleſia honorifice condidit, uti habet Araſtaſius.*

h Petri *Cod. impr.* Papæ.

CAPUT V.

Aliorum Pontificum ſepulcra & elogia.

Joannis 6, JOannes Papa VI. Hic fecit in eccleſia B. Andreæ ad S. Petrum ambonem noviter conſtructum.

82 Joannes Papa VII, vir eloquentiſſimus.

Joannis 7, C Hic fecit oratorium, infra eccleſiam B. Petri, ſanctæ Dei genitricis virginis Mariæ in parte ſiniſtra juxta portam Guidaniam, cujus parietes muſibo depinxit: qui etiam ſepultus eſt ad B. Petrum juxta altare oratorii, quod ipſe conſtruxit, ſub die xv Kalendas Novembris: ante quod oratorium eſt etiam Sudarium Chriſti, quod vocatur Veronica.

83 Siſinnius papa I. Hic fuit conſtans animo,

Siſinnii 1, & curam agens pro clero & habitationibus hujus civitatis

84 Conſtantinus Papa I. Hic vir valde mitis

Conſtantini, fuit (ut in Pontificali habetur) cujus temporibus in urbe Roma fames magna facta eſt per annos tres: ſed poſtea per miſericordiam Dei tanta fertilitatis ubertas ſequuta eſt, ut ſterilitatis inopiam oblivioni mandaret.

85 Gregorius Papa II. Hic ſanctiſſimus præ-

Gregorii 2, ſul in divina ſcriptura valde eruditus fuit, facundus loquela, & conſtans animo; ſepultus apud B. Petrum Apoſtolum 11 Idus Februarii in porticu Pontificum.

86 Gregorius Papa III. Hic requieſcit in illo

Gregorii 3, loco, ubi Dominus Papa Eugenius III requieſcit.

87 Zacharias Papa. Hic in patriarchio Lateranenſi *a* B. Georgii martyris caput reperit in capſa reconditum; ſepultus apud B. Petrum in porticu Pontificum. *Zachariæ;* a D

88 Stephanus Papa II. Hic ſanctiſſimus præ- *Stephani* 2, ſul in ſua propria domo conſtruxit à fundamentis monaſterium in honorem S. Stephani Papæ & martyris atque pontificis: nec non & B. Silveſtri Papæ in regione columnæ. Hic ſepultus eſt in porticu Pontificum, cujus epitaphium eſt iſtud.

Subjacet hîc Stephanus Romanus Papa ſecundus. & cet.

89 Paulus Papa. Hic fuit germanus hujus *Pauli,* prædicti Stephani Papæ. Hic jacet in Vaticano juxta altare beatæ Mariæ.

90 Stephanus Papa III. Hic vir ſtrenuus *Stephani* 3, fuit & ſcripturis divinis eruditus & in earum obſervationibus conſtantiſſimus perſeverator.

91 Leo Papa III. Hic beatus præſul conſti- *Leonis* 3, tuit, ut ante tres dies Aſcenſionis Domini litaniæ celebrarentur; ſepultus in eccleſia B. Petri 11 Idus Junii.

92 Stephanus Papa IV. Hic præter multa *Stephani* 4, bona, quæ fecit, fecit & in eccleſia B. Petri ad Vincula optimam veſtem de chriſoclabo cum gemmis. E

93 Paſchalis Papa I. Hic beatiſſimus præ- *Paſchalis* 1; ſul detulit corpora ſanctorum Proceſſi & Martiniani martyrum de cimiterio S. Agathæ in eccleſiam B. Petri; in quorum honorem conſtruxit oratorium ſummæ pulchritudinis, in quo ſatis honorifice corpora eorum recondidit in conca porphyretica; ſepultus in Vaticano.

94 Gregorius Papa IV. Hic igne divini a- *Gregorii* 4, moris ſuccenſus, corpus B. Gregorii Papæ primi, egregii doctoris, de loco in quo prius ſepultus fuit, abſtulit, & non longe ab eo in alium locum noviter conſtructum intra eccleſiam B. Petri Apoſtoli ſummo honore perduxit: ejuſque ſacrum altare, vel potius oratorium, ſuo nomine titulavit. In quo nimirum oratorio ſanctorum corpora, beatorum martyrum Sebaſtiani, Gorgonii, & Tiburtii, filii Chromatii præfecti, ex cimiteriis, quibus ante jacuerant (ſicut in Pontificali legitur) honorifice perduxit, & unumquodque eorum ſeparatis altaribus collocavit. F

95 [In *b* atrio vero eccleſiæ ad Crucem, eſt b venerabile altare ſanctorum Apoſtolorum Symonis & Judæ: ubi, ut à noſtris majoribus accepimus, eorum corpora precioſa requieſcunt.]

96 Sergius Papa II. Hic renovavit à funda- *Sergii* 2, mentis eccleſiam ſanctorum Silveſtri & Martini Papæ, de quibus fuit presbyter cardinalis ordinatus; ſepultus in eccleſia B. Petri cum Sixto I Papa & martyre, & Fabiano pontifice, ut dicit ejus epitaphium.

Sergius en junior, præſul & plebis amator,
Hoc tegitur tumulo, qui bene pavit oves.
Spes patriæ, mundique decus, moderator opimus,
Divinis monitis non fuit ille piger.
Romanos proceres non tantum famine verbi,
Rebus & humanis nocte dieque favens.
Utque Leo ſanctus, Damaſus quoque ipſe *c* be- c
nignus;
Hic ritum tenuit, inſtituitque gregem.
Egentum ſemper ſtuduit recreare catervam.
Proque *d* poli ut caperet cælica regna libens. d
Jam jam pro tanto tundamus pectora pugnis
Paſtore amiſſo, vivat ut axe poli.

A Nectitur ecce piis, Flaviano & corpore Sixto
e Præſulibus, quorum ſpiritus aſtra micant *e*.
Hoc epitaphium inventum fuit in altari B. Sixti I, quod eſt in introitu baſilicæ B. Petri juxta ferratam, ſuper quod altare eſt arcus ex mirifico muſibo; ſicut legitur in vita Paſchalis I Papæ. Poſuit, inquit, corpus B. Sixti martyris ante corpus B. Petri juxta ferratam, ſuper quod fecit altare ex lapidibus ornatum, & ſuper altare arcum mirifico muſibo.

97 Leo Papa IX. Hic requieſcit infra eccle-
Leonis 9, ſiam B. Petri in pilo marmoreo prope portam Ravinianam, de quo ſunt apud nos multa & magna miracula. Hic condidit privilegium ca-
f nonicorum B. Petri, de libertate *f* ſuarum eccleſiarum.

98 Stephanus Papa V, de quo eſt iſtud epi-
Stephani 5, taphium.
Accedis quiſquis, magni ſuffragia Petri
Cæleſtis regni poſcere clavigeri;
Intentis oculis, compuncto corde, locellum
Conſpice perſpicuum, quo pia membra jacent.
Hic tumulus quinti ſacratos continet artus
Præſulis eximii Pontificis Stephani.
B Bis ternis annis populum qui rexit & Urbem,
Et geſſit, Domino quæ fuerant placita.
Suſcepit tellus conſumptum pulvere corpus,
Æthera ſed ſcandit ſpiritus almus ovans.
Unde peto, cuncti venientes, dicite, fratres;
Arbiter omnipotens, da veniam Stephano.
Hic prædictus Stephanus V requieſcit ante eccleſiam B. Petri.

99 Benedictus Papa III. Hic requieſcit juxta
Benedicti 3, portam Argenteam deforis; cujus epitaphium eſt iſtud.
Quiſquis huc properas, Chriſtum pro crimine poſcens,
Quam lacrymis dignus ſit, rogo, diſce locus.
Hæc gelida præſul Benedictus membra quiete
Tertius en claudit, quæ ſibi reddat humus.
Quodque fores tectus ſervat ſub tegmine ſaxi,
Indignum ſanxit ſe ſociare piis.

100 Inter portam Argenteam & portam
Joannis, Romanam, videlicet in porticali, fuit *g* ſepul-
g crum cujuſdam Joannis Papæ, bonæ memoriæ, cujus epitaphium eſt iſtud.
h Quam ſolers Domino placuit, qui *h* mente modeſta
C Præſul Apoſtolicus, orbis & omne decus.
Hic ſtatuit tumulo claudi ſua membra ſub iſto;
Hæc eadem, ſperans, ut ſibi reddat humus.
i Ardua qui ſulſit cunctis per ſydera cæli;
Auguſti charus gentibus & tribubus,
Doctrinis comptus ſacris, & dogmate claro,
Per patrias ſancta ſemina fudit oras.
Nam Graios ſuperans, Eois partibus unam,
Schiſmate pellendo, reddidit eccleſiam.
Principis hinc Petri ſed quiſquis tendis ad aulam,
Dic ſupplex, iſdem regnet ut arce poli.

101 Nicolaus Papa II. Hic requieſcit juxta
Nicolai, portam Judicii; cujus epitaphium eſt iſtud.
Conditur hoc antro ſacræ ſubſtantia carnis
Præſulis egregii Nicolai dogmate ſancto:
Qui fulſit cunctis, mundum replevit & orbem;
Intactis nituit membris, caſtoque pudore.
Quæ docuit verbis, actuque peregit opimo,
Sidereæ plenus manſit ſplendore Sophiæ,
Cælorum claris quem ſervant regna triumphis,
k Ut veneret ſoliis procerum per ſæcula Natum *k*.

102 Stephanus Papa VI. Hic requieſcit ante
Stephani 6, eccleſiam, cujus epitaphium eſt iſtud.
Hoc Stephani Papæ clauduntur membra ſacello *l* D
Sextus dictus erat ordine quippe Patrum. l
Hic primum repulit Formoſi ſpurca ſuperbi,
Culmina qui invaſit ſedis Apoſtolicæ.
Conſilium inſtituit, præſedit Paſtor & ipſi,
Lege ſatis feſſis jura dedit famulis.
Cumque Pater multum certaret dogmate ſancto,
Captus, & à ſede pulſus in ima fuit.
Carceris interea vinclis conſtrictus in imo,
Strangulatus nervo exuit & hominem *m*. m
Poſt decimumque Deo regnantis * tranſtulit annum ** legebatur*, diem regnanti
Sergius huc Papa, funera ſacra colens.

103 Joannes VIII Papa. Hic requieſcit ante *Joannis 8*,
eccleſiam juxta portam Judicii, cujus epitaphium eſt iſtud.
Præſulis octavi requieſcunt membra Joannis
Tegmine ſub gelido marmorei tumuli.
Moribus, ut paret, fulſit qui nempe beatus *n*, n
Altiſonis comptus actibus & meritis.
Judicii cuſtos manſit, pietatis amator,
Dogmatis & varii plurima verba docens.
De ſegete Chriſti pepulit zizania ſæpe;
Multaque per mundum ſemina fudit ovans.
Doctrinâ prudens, verbo linguaque peritus,
Solertem ſeſe omnibus exhibuit. E
Et nunc cælicolas cernit ſuper aſtra falanges.

104 Joannes nonus Papa. Hic requieſcit an- *Joannis 9*,
te eccleſiam prope portam Guidaneam, cujus epitaphium eſt iſtud.
Eccleſiæ ſpecimen, clariſſima gemma bonorum,
Et mundi Dominus, hic jacet eximius
Joannes meritis, qui fulſit in ordine nonus,
Inter Apoſtolicos quem vehit *o* Altitonans. o
Conciliis docuit ternis, quid dogma ſalutis
Obſervare, Deo munera ſacra ferens.
Temporibus cujus novitas abolita mali eſt *p*, p
Et firmata fides, quam ſtatuere Patres.
Qui moriturus eris, lector, dic, Papa Joannes
Cum Sanctis capiat regna beata Dei.

105 Joannes X Papa. Hic requieſcit ante ec- *Joannis 10*,
cleſiam juxta Joannem octavum; cujus epitaphium eſt iſtud.
Præſulis eximii requieſcunt membra Joannis,
Qui Petrus antea exſtiterat: quippe
Sedem Papiæ *q* blando moderamine rexit, q
Imperatori Othoni dulcis fuit atque præclarus.
Commiſſum populum Romanum moribus inſtruens F
Dulcis in eloquio, cunctis præclarus amicis,
Subjectis placidus, pauperibuſque pius.
Defunctus eſt Joannes Papa Romanus menſe Auguſti, die XX.

106 Benedictus Papa IV. Hic ſepultus fuit *Benedicti 4*,
juxta aditum, qui vadit ad S. Gregorium de palatio, cujus epitaphium eſt iſtud,
Membra Benedicti [hîc] quarti ſacrata quieſcunt
Pontificis magni, præſulis eximii.
Qui merito dignus, Benedictus nomine dictus;
Cum fuerit largus omnibus atque bonus.
Huic generis decus, ac pietatis ſplendor opimus:
Ornat opus cunctum, juſſa Dei meditans.
Prætulit hic generale bonum lucro ſpeciali:
Mercatus cælum cuncta ſua tribuit.
Deſpectas viduas, nec non inopeſque pupillos,
Ut natos proprios, aſſidue refovens.
Inſpector tumuli, compuncto dicito corde:
Cum Chriſto regnes, ô Benedicte, Deo.

107 Chriſtophorus Papa. Hic requieſcit in *Chriſtophe-*
eccleſia B. Petri, de quo habetur hoc epita- *ri*,
phium.

Hîc

A Hîc pia Chriſtophori requieſcunt membra ſepulti *r*.

108 Anaſtaſius Papa III. Cujus epitaphium *Anaſtaſii* 3, eſt iſtud.

Vatis Anaſtaſii requieſcunt membra ſepulchro;
Sed nunquam meritum parvula claudit humus.
Sedem Apoſtolicam blando moderamine rexit
Tertius exiſtens ordine Pontificum.
Ad Chriſtum pergens, peccati vincula ſperat
Solvere clementer omnia poſſe ſibi.

f Limina currentes ad templi undique hujus *f*,
Ut præſtet requiem, poſcite corde Deum.

109 Gregorius Papa V. Hic requieſcit in ec- *Gregorii* 5, cleſia B. Petri ante Secretarium, juxta Pelagium Papam, cujus epitaphium eſt hoc.

Hic, quem claudit humus, oculis vultuque decorus,
Papa fuit, quintus nomine Gregorius:
Ante tamen Bruno, Francorum regia proles,
Filius Othonis, de genitrice Judith.
Linguâ Theutonicus, Wangiâ doctus in urbe,
Sed juvenis cathedram ſedit Apoſtolicam
Ad binos annos & menſes circiter octo,
Ter ſenos Februo connumerante dies.

B Pauperibus dives per ſingula ſabbata veſtes
Diviſit numero cautus Apoſtolico.
Uſus Franciſca vulgari, & voce Latina,
t Inſtituit populos eloquio triplici *r*.
Tertius Otto ſibi Petri commiſit ovile,
Cognatis manibus unctus in imperium.
Exuit & poſtquam terrenæ vincula carnis,
Æquivoci dextro ſubſtituit lateri.

110 Requieſcit etiam ante portam Argen- In quo lo- team ſub rota ſcilicet porphiretica (ut à majo- co requie- ribus noſtris accepimus) venerabilis Beda preſcit Beda sbyter, qui fecit homilias, & ejus ob reveren- presbyter. tiam, antiqui noſtri penitus non tranſibant per eam, nec nobis tranſire permittebatur.

ANNOTATA.

a *Hæc in impreſſo ſic leguntur:* Hic in patriarchivo, ſcilicet ſub ſancto Laurentio de Palatio Lateranenſi-

b *Hæc uti ex appoſitis ſignis* [ ] *datur intelligi, adjuncta putari poſſunt à Romano; à quo & titulus fuerit præfixus;* De altare Apoſtolorum Simonis & Judæ.

C c *Pro* ipſe, *ſcribit Codex impreſſus*, Papa.

d *Ita etiam Baronius ad annum* 847. *pag.* 47. *Cod. impr.* Perque.

e *Concordat hoc diſtichon cum Cod. impreſſo. Baronius loco citato pro* corpore, *habet* compare; *pro* micant *vero*, tenent.

f *Legit Cod. imp.* de confirmatione *ſuarum eccleſiarum.*

g *In Cod. impr.* fuit ſepultus quidam Papa bonæ memoriæ.

h *Cod. impr. & alii, pro* qui, *legunt* quàm.

i *Cod. impr. loco* ut, *ſcribit* per. *Idem tertio abhinc verſu ſcribit* ſeminans, *pro* ſemina; *& in fine*, oras, *pro noſtro* ovans. *Atque mox* Græcos, *pro noſtro* Grajos.

k *Tres poſtremos verſus, ex Cod. impr. hîc appoſui, qui in noſtro Ms. leguntur hoc modo,*

Sidereo plenus manſit doctuſque Sophiæ,
Cælorum claris quæ ſervant regna triumphis,
Ut vernet ſoliis procerum per ſecula Natum.

l *Cod. impr. habet* locello, *pro* ſacello.

m *Appoſui hîc iterum è Cod. impr. penultimum diſtichon, quia magis clarum: & ultimum, utrobique ſimile, reformavi. Noſter mendoſe ſic legebat:*

Carceris interea vinci conſtrictus in uno, D
Strangulatus verbi exuerat homine;
Poſt decimumque diem regnanti tranſtulit annum
Sergius huc Papa, funera ſacra colens.

Cod. impr. penultimum ſaltem diſtichon facit intelligibile, non item ultimum Baronius. Hoc quidem ultimum diſtichon in utroque codice refertur iiſdem verbis, ſed in hexametro ſenſum aptum non facientibus. Baronius ad annum 900 *pag.* 648, *præfatus, ſe* Manlii codicem, imperitiâ ſcriptorum admodum depravatum, plurium exemplarium diligenti collatione, quantum licuit, emendaviſſe; *verſum iſtum hexametrum ſic formavit:*

Poſt decimumque regens Sedem, eum tranſtulit annum, Sergius huc Papa,

Senſus quidem hic eſt intelligibilis: an autem mutatio nitatur fide codicis melioris, quam ſint noſtri; anſolâ conjecturâ Baronii facta ſit, vehementer dubito. Potior videri poſſit conjectura noſtra, qua ſic legit eumdem verſum,

Poſt decimumque Deo regnantis tranſtulit annum, Sergius huc Papa,

Intellige cum Deo regnantis, *nempe Stephani defuncti, cujus corpus Sergius Papa vere decennio poſt obitum ejus tranſtulit, mortuo Stephano anno* 997, *& creato Sergio* 1005. E

n *Cod. impr.* qui mente beatis. *Idem verſu* 6, *pro* Dogmatis & varii; *habet* Dogmatis & veri. *Idem verſum nonum incipit*, Doctrinâ prudens, *quod ex ipſo huc tranſtulimus; cum noſter haberet,* Docti prudens.

o *Cod. impr.* Vexit.

p *Ita etiam Cod. impreſſus. Quid ſi legas?* Ablata maligni eſt; *aut*, ablata malorum eſt.

q *Sic habet uterque Codex noſter. Alibi epitaphium hoc qualequale, nondum inveni*) *Quid ſi pro*, quippe Sedem papiæ, *legatur?* qſique Sedem Papalem.

r *In Cod. impreſſo*, Hoc.... Sepulcro.

ſ *Rectius ſcribitur hic verſus in Cod. impr. tranſpoſitis dumtaxat vocibus,*

Undique currentes hujus ad limina templi,

t *Hîc ponebatur in ms.* Et cetera, *indicio, quod in codice, unde deſcripta ſunt, legi ſequentia non potuerint. Habet illa Romanus in Cod. impreſſo, ſuntque diſtichon unum*, Tertius Otto *&c. quod inde ſuo hîc loco inſerui. Verſu ult. legebatur* Æquivoce. *Poſui* Æquivoci, *nempe Gregorii I.* F

CAPUT VI.

Sacella atque altaria in baſilica S. Petri Vaticana. Conſuetudines item ejuſdem baſilicæ.

AB alia parte baſilicæ B Petri eſt (ut ſupra diximus) oratorium ſanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, quod vocatur Veronica, ubi ſine dubio eſt Sudarium Chriſti, in quo ante paſſionem ſuam ſanctiſſimam faciem ſuam [ut à noſtris majoribus accepimus,] exterſit; tunc ſcilicet, quando ſudor ejus factus eſt, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. *B. Mariæ, quod Veronica vocatur;*

112 Juxta hoc oratorium beatæ Mariæ, videlicet juxta portam Guidanecam, eſt oratorium S. Antonini martyris. Deinde inter portam Guidaneam & portam Romanam eſt altare S. Tridentii martyris. In atrio vero eccleſiæ ad Cru- *S. Antonini mart.* *S. Tridentii mart.*

cem

A cem eſt altare Apoſtolorum Philippi & Jacobi venerabile, [ad cujus ornatum fuit ibi poſita magna crux aurea.]

Philippi & Jacobi app.

S. Abundii manſionarii,

113 Ante hoc oratorium, ſcilicet juxta aditum, qui vadit in eccleſiam S. Vincentii, eſt altare S. Abundii, hujus ſanctiſſimæ baſilicæ quondam Manſionarii, de quo narrat B. Gregorius. Poſtea per directum eſt eccleſia S. Ambroſii confeſſoris atque pontificis. Deinde juxta arcum triumphalem eſt altare B. Paſtoris. [In quo ſiquidem arcu audivimus requieſcere beati Mathiæ Apoſtoli corpus.] Poſt hoc eſt altare S. Bartholomæi Apoſtoli. Ante aditum, qui intrat Confeſſionem B. Petri, eſt altare Apoſtolorum Petri & Pauli; [ubi eorum oſſa pretioſa, ut dicitur, ponderata fuere]

S. Ambroſii ep.

S. Paſtoris, Mathiæ ap.

Petri & Pauli app.

114 Poſtea vero ante eccleſiam S. Joannis ad fontes, eſt oratorium S. Luciæ, quod (ut à noſtris majoribus accepimus) conſecravit B. Gregorius Papa, & ejus venerabile brachium in eo recondidit, & parietes illius, ut appareret, muſibo depinxit. Ab alia parte eſt eccleſia ſanctæ Crucis, quam conſtrui fecit beatæ recordationis Simmachus Papa; cujus [abſidam] columnis prophireticis & optimo muſibo decoravit, & decem libras ligni ſanctæ Crucis in ea recondidit. Poſtea ſunt fontes, quos fieri fecit B. Damaſus Papa, ſicut in ſcriptis invenimus.

S. Luciæ V. M.

ſanctæ Crucis,

B

fontes Damaſi Papæ,

115 Quantam reverentiam huic ſanctiſſimæ B. Petri Apoſtolorum principis baſilicæ totus orbis exhibeat, in vita Vigilii Papæ aperte cognoſcitur. Nam Theodora Auguſta, mittens Anthemium ſcribonem ſuum Romam, ut Vigilium Papam comprehenderet, ait ei; excepto in baſilica B. Petri parce. Nam ſi in Lateranis, aut in palatio, aut in qualibet eccleſia Vigilium inveneris, mox impoſitum in navi perduc eum uſque ad nos. [Quod ſi non feceris] per viventem in ſecula excoriari te faciam.

In quanta reverentia beati Petri baſilica habeatur.

116 Hoc quoque non eſt parum, quod de inſtitutione ſanctorum Patrum, quâdam prærogativâ ſumitur de ſanctiſſimo altari B. Petri Crux dominica, quæ præcedat [populum pœnitentem *a*] per totam quadrageſimam ad ſtationes euntem. Quæ nimirum Crux ſtationalis ob Chriſti & ejus Apoſtoli reverentiam in tanta veneratione à cunctis eſt habita, quod ſicut cantores & regionarii aſſerunt, hac Cruce non delata, immunes à ſtatione ſæpe recedant.

a

C

117 Et B. Petrus fuit princeps & caput omnium Apoſtolorum, dicente Domino; Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et; Tu vocaberis Cephas, id eſt caput, quâdam prærogativâ: nullus patriarcha, nullus archiepiſcopus, nullus epiſcopus, ſive ſacerdos, ad ſacroſanctum altare ejuſdem Apoſtoli conſecraret, niſi tantum ſucceſſor ejus Romanus Pontifex. Primam quoque cathedram, ut præcipuus doctor & principalis intelligentiæ, beatus Petrus in Eccleſia Alexandriana habuiſſe dicitur: ſicut *b* quoque in Actibus Apoſtolorum legitur, omnes dubitationes ad B. Petrum, tamquam ad magiſtrum omnium, referebant.

b

Ratio quare baſilica Petri prædicat in proceſſione.

118 Non modicâ quoque B. Petri baſilica lætari debet prærogativâ, quod in majori Litania, tamquam navis prora & aliorum vexillifera, omnes de navi præcedit; Domino Papa, tamquam principali & præcipuo gubernatore, ex puppe veniente. In quo nimirum facto ſignificatur, beatum Petrum vexilliferum & totius Eccleſiæ eſſe præductorem & Chriſti reſurrectionis primum prædicatorem. Sicut enim in Paſchali proceſſione cruces & ſanctorum reliquias ad vitæ præparationem & munimenta [contra] hoſtes inviſibiles præmittimus; ita in hac generali proceſſione B. Petri baſilica, ut ductrix & rectrix ceterarum, præambula invenitur. Et hinc eſt, quod Crux Dominica, quadrageſimali videlicet tempore, ſumitur de ſanctiſſimo S. Petri altari, quæ præcedat populum pœnitentem, per totam quadrageſimam ad ſtationes euntem.

D

Ratio quare B. Petri baſilica cæteras eccleſias Urbis & orbis præcellat lumine lampadarum.

119 Quoniam hæc B. Petri baſilica omnium eccleſiarum eſt caput & ſpeculum (nam à B. Petro fidei lumen ſumpſit omnis eccleſia; fuit enim, ut dicit B. Gregorius in moralibus, Chriſti reſurrectionis primus prædicator) de inſtitutione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ad decorem & pulchritudinem hujus ſacroſanctæ baſilicæ, accenduntur quotidie quadraginta *c* lampades in prænominata B. Petri eccleſia, ſicut in ſequentibus notabitur. Et ſemper, cum novem lectiones facimus, ejus ſacroſanctum altare ad omne nocturnum incenſatur. Antiquitus tamen quotidie incenſabatur. In ſtationibus vero nocturnis ad omnem lectionem adhuc incenſatur. Decet namque B. Petrum, præſentis eccleſiæ principem, in Urbe, totius mundi dominâ, venerari; & ibi ſacroſanctæ fundamentum eccleſiæ fore, ubi erat mundanæ monarchiæ principatus; & ubi mundani erroris major excreverat morbus; ibi Chriſtianæ ſalutis potior inveniretur medicina. Ipſe nimirum B. Petrus Apoſtolorum princeps à Chriſto eſt conſtitutus, quem Dominus ſuæ poteſtatis Vicarium tanta plenitudinis auctoritate conſtituit, ut quidquid alter in terris gereret, totum alter in cæleſtibus approbaret.

c E

De conſuetudinibus Confeſſionis.

120 Hæc ſunt, quæ Dominus Papa de conſuetudine recepturus eſt ab illis, qui eunt ad Confeſſionem B. Petri, pro tribus partibus: canonici vero pro quarta parte. In primis planetas, camiſos, dalmaticas, tunicas, amictus, ſtolas, manulos*, cingulos, crucem, thuribulum, anulum aureum, qui ſit aptus ad cantandam Miſſam; libros & alia vaſa, quæ ad officium altaris ſpectant; candelabra, tualias friſatas & operatas; quæ totum altare colligant, ſine friſio tantum; friſatus [vero] parvus vel magnus. Tres denarios, ad pondus de balſamo; & decem libras ceræ, pro facula de ſabbato ſancto; & tres ampullas majores & tres minores, & tres fannones, & oleum pro Chriſmate, & duodecim denarios Papienſes pro palmis. Canonici B. Petri ſex ſolidos in ſex ſtationibus; in unaquaque, ſex; & ſex ſolidos in feſtivitate S. Andreæ, & duo aquaricia olei pro feſto ejuſdem.

**forte*, manipulos,

F

121 Ad luminaria ante altare B. Petri octo *d* lampades. In corpore [totidem *e*] diu noctuque. In virga, ante pectoralia tres lampades. In unoquoque capitulo, [id eſt] in unaquaque corona, una candela per totam noctem accendatur, donec Miſſa finiatur: quæ nimirum capitula ſunt ad minus XXXIV uſque ad Crucifixos. Omnes igitur lampades ab altari B. Petri uſque ad Crucifixum, ſunt quinquaginta omni nocte. In ſtationibus vero in unoquoque capitulo quatuor candelæ. In atrio, quod eſt in atrio eccleſiæ, duodecim. In virga, XVIII. Ante Veronicam, X die no[illegible]ue. Ante imaginem beatæ Mariæ,

d

e

Quot lampades ardeant quotidie in eccleſia B. Petri.

A Mariæ, quæ de mosibo post Veronicam, una. In S. Processo, una. Ad S Mariam de Cancellis, tres. In arcu majori, ubi audivimus requiescere corpus B. Mathiæ Apostoli, una, nocte & die; nocte vero sola, octo. Ad sanctam Crucem, una. In S. Joanne ad Fontes, una. In S. Lucia, una. Ad S. Pastorem, una. Ad S. Gregorium, una; nocte dieque in unoquoque istorum. In Vaticano, una In sancta Maria in Oratorio, una. Ad S. Leonem quartum, una. Petro & Paulo, una. Ad S. Bartholomæum, una. Ante Crucifixos, duæ. In rete tres. In virga, tres. Ante portas ecclesiæ deforis, quinque. In unoquoque porticalium, tres. In S. Petronilla, duæ. In S. Andrea, una.

Quot ardeant in stationibus.

122 Omnes igitur candelæ, quæ quotidie ardent in ecclesia B. Petri, sunt CXV ad minus, omni nocte. In Stationibus vero sunt, CCL. In Dedicatione, Ascensione & festo S. Petri & Octava ejus, retia accendantur: sed rete magnum, quod est in atrio ecclesiæ, scilicet ante portam Argenteam, in festo S. Petri & Octava tantum. Præterea quatuor funes de antiqua consuetudine extenduntur in festo S. Petri &

E Octava ejus, in atrio ejusdem ecclesiæ, id est Paradiso, in modum crucis, & ligantur de porticalibus ad pineam æneam, quæ est in Paradiso;

* *Cod. impr.* decem. & in unoquoque fune sex * candelæ suspenduntur. In gradibus vero, scilicet ante ecclesiam S. Mariæ in Turri [id est inter nolaria] extenditur unus magnus funis à porticali, quod est super gradus mortuorum, usque ad domum Petri Joannis de Pampano; in qua [nimirum domo] de jure debet ligari [funis] secundum tenorem

f locationis [ab angelo Scriniario factæ,] & suspenduntur in eo octodecim *f* candelæ.

Merces operariorum & officiantium

123 In resarciendo tecto & mutandis trabibus dantur duo denarii Papienses unicuique magistrorum & manualium: in unoquoque die Dominico, opus compleatur. Quando sandalarii capiunt trabes, duo soldi den. Pap. *g* &

g quatuor libræ ceræ. Quando Dominus Papa pergit ad S. Petrum in stationibus, viginti sol-

h di denariorum Pap. & duo [aquaria *h*] clareti. Cardinalibus & capellanis Domini Papæ cum aliis scholis, medietas altaris datur, ex quo tualia extenditur super altare: & in unaquaque

C statione unum par facularum de duabus libris ad vesperas & ad matutinas, & candelas pro lectionibus; & ad Missam similiter unum par facularum. Cardinalibus quinque soldi den. Pap. in statione, & quatuor soldi Lucens. pro responsoriis. In quatuor tempora, in unoquoque sabbato quinque soldi Lucens. Cardinali diacono, & subdiacono, cantoribus & acolitis. A festo S. Gregorii Papæ usque ad festum Pentecostes in unoquoque die duodecim denarii Pap. dantur Domino Papæ & mille libræ ceræ per singulos annos; & in unoquoque mense, una agricia olei, & una libra olibani, si est in urbe

i vel circa urbem per unum diem *i*.

in majori hebdomada,

124 Ex consuetudine, in Majori hebdomada Dominus episcopus sanctæ Ruffinæ jus, quod consuevit habere, videlicet & arcam & altare, ex quo pulsatur ad matutinum, & usque dum finitur officium, & ex quo pulsatur ad Missam usque ad finem, salva medietate canonicorum

k & cantorum, quam habent in altari cum Domino episcopo *k*. Tota namque medietas oblationis, quæ venit in altare, est altaris, id est Domini episcopi. Altera medietas est inter præ-

D dictum Dominum episcopum & canonicos ecclesiæ, & cantores æqualiter. Nam una pars est Domini episcopi; alia canonicorum, alia cantorum, si interfuerunt constitutis officiis: si enim [non interfuerint,] est canonicorum, servata prius consuetudine ad altare servientium; quæ [nimirum consuetudo] debet esse de communi omnium partium, & Domini episcopi & aliorum. Die Jovis sancto, ex quo pulsatur ad officium matutinale & ad Missam usque ad finem officiorum; similiter & in die Veneris sancto; similiter in Sabbato sancto, ex quo pulsatur ad officium matutinale, & ex quo pulsatur ad baptismale officium nocte & die tota; habent jus suum, & usque ad finem Missæ majoris in Pascha

& aliis festivitatibus

125 Canonici basilicæ B. Petri accipiunt decem libras ceræ pro facula de Sabbato sancto & tres denarios de balsamo ad pondus, & tres ampullas majores, & tres minores, & tres fanones, & oleum pro chrismate. Item Dominus Papa decem libras ceræ pro agnis. In S. Laurentio de palatio una agricia *l* olei & una li- l

E bra ceræ & dimidium de olibano per mensem: & in unaquaque hebdomada, quando Dominus Papa est Romæ, duo soldi Lucenses hostiariis. In Purificatione S. Mariæ virginis decem libras ceræ & quatuor denarii pro juncis: in Annuntiatione totidem. In Dominica Palmarum acolitis duodecim denarii pro palmis: mansionariis S. Petri totidem pro palmis In litaniis majoribus viginti septem libræ Lucenses pro presbiteris crucum, & lectis, & lobiis, episcopis cardinalibus, & omnibus scholis palatii. Pro eleemosyna sanctæ Ruffinæ, & sanctorum Quatuor, & sancti Clementis & sancti Pancratii una agricia olei, & quinque libræ ceræ, & dimidium de olibano: & in unaquaque hebdomada pro eleemosynis pauperum undecim sold. Lucenses, dum strata currit; extra id quod datur ejectis *m*. Et m de olibano abundanter serviant S. Petro, & omnia alia jura observent. Sententialibus *n* præ- n fecti, si suspendunt aliquem, quinque soldi: quando decollant, similiter: quando cæcant, duodecim denarii pro unoquoque oculo: quando truncant aliquod membrum, similiter. In stationibus, quando portant mansionarii crucem, unus denarius Papiensis.

ANNOTATA. F

a *Noster legit*, Papam pœnitentem.

b *Cod. impr. pro* sicut, *habet* sic.

c *Idem Cod. impressus ponit* centum quinquaginta. *Potest quidem tantillo intervallo triginta annorum, à Manlio ad Romanum, numerus lampadarum auctus fuisse; sed à* quadraginta *accrevisse ad* centum quinquaginta, *minus credibile est. Quid si Manlius scripserit*, centum quadraginta? *quibus accesserint interea* decem.

d *Cod. impr.* tredecim lampadæ. *Potest & tunc, quando Romanus hæc scripsit, auctus fuisse numerus.*

e Totidem *scribit editio Romani, id est* tredecim, *uti præmiserat. Noster ejus loco legebat* quotidie.

f *Romanus impressus* viginti.

g *Ab*, unicuique, *hucusque desunt in Cod. impr. & in hic positis non satis distinguitur sensus.*

h *Noster habebat hîc*, duo agricias, *quæ vox etiam infra recurrit. Cod. impr. habet hic*, duo aquaria. *Utrumque notat vas certæ mensuræ.*

i *Cod. impr.* per unam dietam.

k *Præcedentia, incipiendo à* pulsatur ad matutinum, *male transposita & confusa sunt in Cod. impr.*

l *Cod. impressus, qui supra scribebat* duo aquaria, *hic & infra habet* una acquaricia, & unum acquaricium.

m *An* ejecti *hic* leprosi *non sint?*

n *Cod. impressus*, Sorrentialibus Præfecti.

CAPUT VII.

Basilicæ portæ, alia ædificia, ornatus lectorii, Missæ Cardinalium hebdomadariæ, abbatiæ, stationes.

Nomina portarum basilicæ B. Petri Apostolorum Principis.

IN honorem basilicæ B. Petri Apostolorum principis scribimus nomina quinque portarum, quæ sunt in ingressu ejusdem basilicæ: quarum media, & major, vocatur porta Argentea, quoniam optimo argento tota deargentata fuit, & variis picturis à S. Leone Papa IV depicta. Porta vero quæ est juxta eam, & quæ vadit ad S Leonem IX Papam, vocatur porta Raviniana, quoniam antiquitus Ravennates, & omnes Lombardi, & Tusci de consuetudine per eam intrabant; vel quia Transtyberini per eam intrare solebant; cum Transtyberim civitas Ravennantium vocaretur. Tertia porta juxta eam, quæ vadit ad S. Gregorium, vocatur porta Judicii, quoniam per eam tantùm mortui, qui sepeliendi sunt in ecclesia B Petri, mittuntur à Domino judicandi. Ab alia parte supra, porta quæ est juxta portam Argenteam, dicitur porta Romana, quia (ut à nostris majoribus accepimus) Romanæ mulieres antiquitus & adhuc frequenter per eam intrant. Porta illa, quæ est juxta eam, & quæ vadit per porticale juxta Veronicam, dicitur porta Guidanea; quoniam Guidones, qui ducebant oratores venientes per porticale, quod est juxta nolarium maius, frequenter per eam intrabant. Unde usque ad tempora nostra faculæ vel cerei ibi vendebantur.

De dignitatibus B. Petri basilicæ.

127 In Paradiso S. Petri est cantharum, quod fecit fieri Symachus Papa, columnis porphyreticis ornatum. Quæ nimirum columnæ tabulis marmoreis cum grifonibus connexæ, pretioso cælo æneo coopertæ, cum foribus & delphinis deauratis, aquas fundentibus. In medio vero hujus canthari est pinea ænea, quæ fuit coopertorium cum sinino æneo & deaurato super statuam Cybelis matris deorum in foramine Pantheon. In qua videlicet pinea, subterranea fistula plombea subministrabat aquam ex forma Sabbatina, quæ toto tempore plena præbebat aquas, per foramina nucum, omnibus indigentibus eâ: & per subterraneam fistulam quædam pars fluebat ad balneum imperatoris juxta aguliam.

De eodem

128 In cortina B. Petri, scilicet in platea ante gradus, est quoddam cantharum cum conca porphyretica, quod construi fecit prænominatus Symachus Papa ad chrismatis unctionem in secunda feria Paschæ.

De eodem b

129 In eadem platea ante S. Petrum, videlicet ante ecclesiam S. Mariæ Ungariorum *b*, est quoddam aliud cantharum, in quo de consuetudine schola Ungariorum præpararet lectum Domino Papæ, in litania majori venienti ad S. Petrum.

130 In Naumachia juxta ecclesiam S. Mariæ in Transpadina, est sepulcrum Romuli, quod vocatur Meta, quæ fuit miro lapide tabulata, ex quibus opus graduum S. Petri peractum fuit. [Hæc] habuit circa se plateam Tiburtinam viginti pedum, cum cloaca, & floribus *c* suis. Habuit quoque circa se terebinthum Neronis, tantæ altitudinis; quantum est castellum Adriani imperatoris, miro lapide tabulatum: quod ædificium rotundum fuit [cum] duobus geronibus sicut castellum; quorum labia erant cooperta tabulis lapideis pro stillicidiis; & juxta hoc ædificium crucifixus fuit B Petrus Apostolus.

De eodem

131 Est & Castellum, quod fuit memoria Adriani imperatoris, sicut legitur in sermone S. Leonis Papæ de festivitate S. Petri, ubi dicit, memoria Adriani imperatoris, miræ magnitudinis templum constructum, quod totum lapidibus coopertum, & diversis historiis est perornatum: in circuitu vero cancellis æneis circumseptum, cum pavonibus aureis & tauro æneo; ex quibus [pavonibus] duo fuerunt de illis, qui sunt in cantharo Paradisi. In quatuor partes templi fuerunt quatuor Caballi ænei deaurati; in unaquaque fronte portæ æneæ: in medio giro fuit sepulcrum porphyreticum, quod nunc est Lateranis, in quo sepultus est Innocentius Papa II, cujus coopertorium est in Paradiso B Petri super sepulcrum Præfecti.

Quando lectorium B Petri ornatur.

132 In memoriam posterorum scribimus nos canonici basilicæ B. Petri, in quibus noctibus lectorium ejusdem basilicæ de consuetudine ornatur mappula & faculis duarum librarum in Confessione traditis; videlicet Dominica de Gaudete, Natale Domini, Epiphania Domini, de Septuagesima, Dominica de Carnelevatio, *d* Cathedra B. Petri, in Dedicatione altaris, facta à Papa Calisto; Dominica de Passione, Dominica Palmarum, Feria IV post Palmas, in Cœna Domini, Parasceve, Sabbato sancto, Pascha, Feria II post Pascha, Dominica de Pastor bonus, in Ascensione [Domini,] de Pentecoste, Festum S. Petri, Octava ejusdem, in Assumptione B Mariæ, in Litaniis majoribus, in Dedicatione basilicarum Petri & Pauli, in Festo omnium Sanctorum *e*.

133 Certum est, nos canonicos B. Petri, præter alias rationes & consuetudines, quas habemus, in oblatione Missæ altaris majoris B Petri, de antiqua consuetudine habere semper decimam hebdomadam de undecim hebdomadibus totius anni: quæ sic dividuntur. Septem primas hebdomadas accipiunt septem Cardinales S. Petri: octavam hebdomadam accipiunt diaconi Cardinales, præter dominicalia totius anni, quæ ad eos spectant, excepa Dominica Palmarum, & Pascha, nisi forte sit statio: nonam hebdomadam Cantores: decimam hebdomadam Canonici ecclesiæ: undecimam Schola basilicæ: qua finita reincipiunt prædicti Cardinales S. Petri à capite; & sic fit per totum annum. Oblatio itaque quæ spectat ad hebdomadam, est illa, quæ venit ad manus Cardinalis cantato Euangelio; & quæ venit ad altare posito calice & donec Missa cantata fuerit. Illa tamen Oblatio, quæ venit ad altare postquam Calix est positus, dividitur per medium. Medietas est altaris, & altera medietas est illius, cujus est hebdomada. Ille igitur cujus est hebdomada, primo loco dat tria capita, id est tres monetas de communi mansionariis, qui serviunt ad altare: deinde pro quantitate oblationis tri-

buit

A buit diaconis & ſubdiaconis, & illis qui ſerviunt de pluviali: poſtea datis piſcibus domino Cardinali, dat ſextam partem cantoribus, & duas
f de melioribus faculis *f*.

De epiſcopis Cardinalibus, per patriarchias diſpoſitis.

134 Septem Cardinales presbyteri, qui ad ſacroſanctum altare B. Petri per hebdomadas ſuas Miſſarum ſolennia celebrare debent, hi ſunt. S. Mariæ in Tranſtiberim; S. Chriſogoni; S. Cæciliæ; S. Anaſtaſiæ; S. Laurentii in Damaſo; S. Marci; SS. Martini Papæ & Silveſtri, quæ vocatur titulus Equitii.

155 Cardinales S. Pauli ſunt hi. S. Sabinæ, S. Priſcæ; S. Balbinæ; SS. Nerei & Achillei; S. Sixti; S. Marcelli; S. Suſannæ.

136 Cardinales S. Mariæ Majoris ſunt hi. Sanctorum Apoſtolorum; S. Ciriaci in Thermis; S. Euſebii; S. Pudentianæ; S. Vitalis; SS. Marcellini & Petri; S Clementis.

137 Cardinales S. Laurentii foris murum, ſunt hi. S. Praxedis; S. Petri ad Vincula, S. Laurentii in Lucina; ſanctæ Crucis in Hieruſalem; S. Stephani in Cœlio monte; SS. Joannis & Pauli; Sanctorum quatuor quoque Coronatorum.

B Diaconiæ.

138 Diaconiæ ſunt XVIII. S. Mariæ in Dominica, ubi debet eſſe Archidiaconus; S Luciæ in Circo juxta Septa ſolis; S. Mariæ Novæ; SS. Coſmæ & Damiani; S. Adriani; SS Sergii & Bacchi; S. Theodori; S. Georgii; S. Mariæ in Schola Græca; S. Mariæ in Porticu; S Nicolai in Carcere; S. Angeli; S. Euſtachii; S. Mariæ in Aquario; S. Mariæ in Via lata; S. Agathæ in Equo marmoreo; S. Luciæ in capite Suburræ; S Quirici.

Abbatiæ.

139 Abbatiæ ſunt iſtæ. S. Cæſarii in Palatio; S. Gregorii in Clivo Schauri; S. Mariæ in Aventino; S. Alexii; S. Sabæ, ubi dicitur Cella nova; S. Pancratii in via Aurelia; intra urbem Ravenantium, ſcilicet trans Tyberim, eſt abbatia SS. Coſmæ & Damiani in vico Aureo; intra urbem eſt abbatia S Silveſtri inter duos hortos, quam ædificare cœpit Stephanus Papa II; ſed Paulus Papa explevit. Hi duo Apoſtolici requieſcunt in eccleſia B. Petri. Eccleſia S. Mariæ in Capitolio, ubi eſt arca filii Dei; S. Baſilii juxta Palatium Traiani imperatoris; S. Agathæ virginis, quæ eſt Suburra monte; S. Laurentii in Paniſperna, ubi poſitus fuit in craticula; S.
C Thomæ juxta Formam Claudiam; S. Blaſii in Cantu ſecuto; Sanctæ Trinitatis Scottorum. Extra urbem in via Flaminia eſt abbatia Valentini. Ab alia parte Romæ in via Hoſtienſi, eſt abbatia S Anaſtaſii. Iterum in urbe eſt abbatia S Mariæ in Pallaria, ubi fuit ſagittatus S. Sebaſtianus; S. Mariæ in Monaſterio ad ſanctum Petrum ad Vincula; S. Mariæ in Caſtro aureo.

De ſtationibus Romani Pontficis in feſtivitatibus & in Quadrageſima

140 Dominica prima de Adventu Domini Statio ad S. Mariam Majorem.
Dominica ſecunda de Adventu, Statio ad Hieruſalem.
Dominica tertia de Adventu, Statio ad S. Petrum.
Feria quarta quatuor temporum ad S. Mariam Majorem.
Feria ſexta ad SS. Apoſtolos.
Sabbato in XII lectiones ad S. Petrum. In omnibus jejuniis quatuor temporum ſimiliter eædem ſunt Stationes.
Dominica quarta de Adventu vacat.
In Vigilia Natalis Domini, ad S. Mariam Majorem. In prima Miſſa ejuſdem noctis ad Præ-

ſepe. Mane, ad S. Anaſtaſiam. In Miſſa vero D
diei antiquitus, ſcilicet uſque ad tempora Gregorii VII Papæ, fuit Statio ad S. Petrum; unde adhuc habent Canonici pro presbyterio noctis, VIII ſoldos: ſed nunc celebratur Miſſa diei apud S. Mariam Majorem; quoniam via brevis eſt, & dies breves ſunt.

141 In feſto S. Stephani, ad eccleſiam ejus, quæ eſt Cœlio monte.
In feſto B Joannis Euangeliſtæ, Lateranis in baſilica Salvatoris.
In feſto Innocentium, ad S. Paulum, ubi ſunt reliquiæ ipſorum.
In octava Natalis Domini, Statio ad S. Mariam Tranſtyberim.
In Epiphania Domini, ad S. Petrum.
In Purificatione B. Mariæ, ad S. Mariam Majorem.
Dominica in Septuageſima, ad Laurentium foris murum.
Dominica in Sexageſima, ad S. Paulum.
Dominica in Quinquageſima, ad S. Petrum.
Feria quarta in caput jejunii, ad S. Sabinam.
Feria quinta, ad S. Georgium.
Feria ſexta, ad SS Joannem & Paulum.
Sabbato, ad S. Triſonem; antiquitus vero fuit E
ad S. Baſilium.

142 Dominica in Quadrageſima, Lateranis in baſilica Salvatoris
Feria ſecunda, ad S. Petrum ad Vincula.
Feria tertia, ad S. Anaſtaſiam.
Feria quarta, ad S. Mariam Majorem.
Feria quinta, ad S. Laurentium in Formoſo.
Feria ſexta, ad Apoſtolos.
Sabbato in XII Lectiones, ad S. Petrum.

143 Dominica vacat; ad S. Mariam in Dominica.
Feria ſecunda, ad S. Clementem.
Feria tertia, ad S. Balbinam.
Feria quarta, ad S. Cæciliam Tranſtyberim.
Feria quinta, ad S. Mariam Tranſtyberim, quæ dicitur titulus Caliſti.
Feria ſexta, ad S Vitalem.
Sabbato ad SS. Marcellinum & Petrum.

144 Dominica tertia, ad S. Laurentium foris murum.
Feria ſecunda, ad S. Marcum.
Feria tertia, ad S. Pudentianam.
Feria quarta, ad S. Sixtum.
Feria quinta, ad SS. Coſmam & Damianum. F
Feria ſexta, ad S. Laurentium in Lucina.
Sabbato, ad S. Suſannam.

145 Dominica quarta, ad ſanctam Hieruſalem, id eſt ad ſanctam Crucem.
Feria ſecunda, ad Sanctos quatuor Coronatorum.
Feria tertia, ad S. Laurentium in Damaſo.
Feria quarta, ad S. Paulum mediante.
Feria quinta, ad S. Silveſtrum.
Feria ſexta, ad S. Euſebium.
Sabbato, ad S. Nicolaum in Carcere.

146 Dominica de Paſſione Domini, ad S. Petrum.
Feria ſecunda, ad S. Chryſogonum.
Feria tertia, ad S. Ciriacum in Thermis.
Feria quarta, ad S. Marcellum.
Feria quinta, ad S. Apollinarem.
Feria ſexta, ad S Stephanum in Cœlio monte.
Sabbato, quando Dominus dat Eleemoſynam, ad S. Petrum.

147 Dominica in Ramis Palmarum, Lateranis in baſilica Salvatoris.

A Feria ſecunda, ad SS. Nereum & Achilleum.
Feria tertia, ad S. Priſcam.
Feria quarta, ad S. Mariam Majorem.
Feria quinta in cœna Domini, Lateranis in baſilica Salvatoris.
In Paraſceve, ad ſanctam Hieruſalem.
Sabbato, Lateranis in baſilica Salvatoris.
148 In Paſcha, ad S. Mariam Majorem: ſed in Veſperis, Lateranis.
Feria ſecunda, ad S. Petrum: ſed in Veſperis, Lateranis.
Feria tertia, ad S. Paulum.
Feria quarta, ad S. Laurentium foris murum.
Feria quinta, ad ſanctos Apoſtolos.
Feria ſexta, ad S. Mariam ad Martyres.
Sabbato in Albis, Lateranis in baſilica S. Salvatoris
149 Dominica poſt Paſcha, ad S Pancratium.
Feria ſecunda in Rogationibus, collecta ad S. Mariam Majorem. Statio Lateranis.
Feria tertia, collecta ad S. Sabinam. Statio ad S. Paulum.
Feria quarta, Collecta ad S. Euſebium. Statio ad S Laurentium foris murum.
B In Aſcenſione Domini, Statio ad S. Petrum.
Sabbato Pentecoſtes, Lateranis.
105 In Dominica Pentecoſtes, ad S. Petrum.
Feria ſecunda, ad S. Petrum ad Vincula.
Feria tertia, ad S. Anaſtaſiam.
Feria quarta, ad S. Mariam Majorem.
Feria quinta, ad S. Paulum.
Feria Sexta, ad Sanctos Apoſtolos.
Sabbato in XII lectiones ad S. Petrum.
In Feſtivitatibus ſanctæ Crucis, Lateranis in baſilica Salvatoris.

ANNOTATA.

a *Ante Capitulum hoc noſtrum, interponit Cod. impreſſus Capitulum*, De hebdomadis, qualiter dividuntur per ordines. *Noſter iſthæc ſubnectit infrà num.* 134, *poſt titulum ſuum*, Quando lectorium B. Petro ornatur: *nullo alio interpoſito titulo.*

b *Cod. impr.* Virgariorum, *& quidem bis eodem titulo.*

c *Ubi paulo ante Codex Ms. legit*, opus graduum; *impreſſus habet* opus gradarum. *Hic vero, ubi*, cum cloaca & floribus ſuis, *idem impreſſus ſcribit*, cum cloaca & floriali ſuo. *Neutra lectio placet. Quid enim floribus cum cloaca? quæ receptaculum ſordium. Quid ſi legas?* & foricis ſuis. *Per has quippe, ſeu publicæ ſint ſeu privatæ, dimitti ſolent ſordes alvi in cloacas, quo diluantur. Paulo etiam infra, ubi Noſter legit* ſicut Caſtellum; *Impreſſus habet* ſicut Caſtrum.

C d *Ita videtur vox illa, quæ aliquantulum breviata habetur in Cod. Ms., legenda eſſe, ac idem ſonare quod* Carnelevamen; *quæ vox apud Ughellum in Charta, anno* 1195 *ſignata, non ſemel legitur tomo* 7 *Italiæ ſacræ col.* 1321 *& ſeq. notatque Dominicam in Quinquageſima; aliis etiam æque barbare dictam* carni *&* Carniſprivium; *quia inde uſque ad Paſcha olim abſtinebatur à carnibus per dies quinquaginta Notare autem vocem illam noſtram* Carnelevatio, *dictam Dominicam Quinquageſimæ, colligitur tum ex ordine, quo dies illic enumerantur, tum ex Cod. impreſſo, ubi* Quinquageſima, *pro noſtra* Carnelevatio *legitur.*

e *Quæ hinc toto num.* 133 *ſequuntur, jam ante in Cod. impr. relata fuerunt pag ejus* 135. *præfixo titulo*, de hebdomadis, qualiter dividuntur per ordines. *in noſtro Ms. nullus erat.*

f *Sequentia a num.* 134. *uſque ad* 151; *deſunt in Cod. impr.* D

CAPUT VIII.

Quando coronetur Papa. Stationes nocturnæ & diurnæ: Loca Martyriis celebria, Theſaurus Baſilicæ Donatio Caroli M. Cœmeteria. Pontes.

De feſtivitatibus, in quibus Dominus Papa debet coronari.

HÆ ſunt feſtivitates in quibus Dominus Papa debet coronari. In feſto videlicet ſanctorum quatuor Coronatorum; in feſtivitate S. Martini Papæ, ubi dicitur titulus Equitii; in feſto S. Clementis; in Dominica de Adventu ad S. Mariam in Præſepe; in Dominica de Hieruſalem ad ſanctam Crucem; in Dominica de Gaudete ad S Petrum; in Natale Domini; in feſto S Stephani; in Epiphania Domini ad S. Petrum; in Dominica Lætare Hieruſalem; in Paſcha; in ſecunda feria poſt Paſcha, ad S. Petrum. [Nota, quia ſemper cum Dominus Papa coronatur ad S. Petrum, accipiunt Canonici pro presbyterio octo ſolidos Lucenſes & decem ſolidos pro veſtiario *a*] in Dominica, Ego ſum paſtor bonus; in Aſcenſione Domini; in Pentecoſte; in feſtivitate S. Petri; in feſtivitate S. Silveſtri; in ſuo Anniverſario. E a

Nocturnales Stationes.

152 Hæ ſunt nocturnales Stationes S. Petri; Dominica de Gaudete; Epiphania; Aſcenſio Domini; Pentecoſtes; feſtivitas S. Petri, & Octava ejus; feſtivitas S. Andreæ. In unaquaque iſtarum Stationum ſcholæ palatii, Cardinales ſcilicet presbyteri, diaconi Cardinales, ſubdiaconi, cantores, regionarii, acoliti debent habere quinque ſoldos denariorum Papienſium de altari B. Petri pro cænatica; archidiaconus debet habere decem & octo denarios Papienſes pro his qui cantant reſponſoria, [qui etiam denarii per manus ſuas exponuntur his qui incipiunt reſponſoria. Si vero curiales non interfuerint officiis, canonici eccleſiæ habent prædictos denarios, quoniam ipſi faciunt officium.] Et ad Miſſam, medietatem altaris prædictæ ſcholæ habent inter eos & capellanos Domini Papæ uique ad finem Miſſæ Canonici vero B. Petri duodecim ſoldos accipiebant antiquitus, ſed modo habent ſex [ſolidos Lucenſes] per ſtationem. Si vero abſens fuerit Pontifex & venerit Cardinalis ſolus cantare Miſſam, in quacumque ſtatione totam medietatem [altaris] habent prædictæ ſcholæ: Cardinalis vero qui cantat Miſſam, habet tertiam partem oblationis: ſed ſi habet aliquem ſocium Cardinalis, non fit ita, ſed oblatio (ſicut mos eſt) communiter dividatur per ſcholas. F

153 Hæ ſunt S. Petri diurnæ Stationes. In omnibus Sabbatis quatuor temporum; in Dominica de Quinquageſima; Dominica de Paſcha *b*; feria ſecunda poſt Paſcha; Dominica, Ego ſum Paſtor bonus; in Litaniis Majoribus; [Nota, quod in hac Statione habent Canonici pro presbyterio octo ſolidos Lucenſes, & decem ſolidos pro veſtiario.] In Dedicatione; in Cathedra. In unaquaque harum Stationum accipiunt ſcholæ v ſoldos den. Pap. & oblationes: ſed Dominus Pontifex accipit [per camerarium ſuum] xx ſoldos den. Pap. in nocturnis Stationibus, quando accenduntur retia; & in diurnis, quando accenduntur quatuor candelæ per capitulum, ſimiliter. b

154 Hæc

A 154 Hæc ſunt *c* loca, quæ inveniuntur in Paſſionibus Sanctorum. Foris poſt portam Appiam, ubi beatus Sixtus decollatus fuit, & ubi Dominus apparuit B. Petro, Domine quo vadis; templum Martis. Inter portam eſt arcus Stillæ; demum eſt regio Faſciolæ ad S. Nereum; vicus Canalium ad S. Georgium, ubi fuit domus Luculli; & eſt ibi Velum Aureum. Aqua Salina ad S. Anaſtaſium, ubi decollatus fuit B. Paulus. Hortus Lucinæ, ubi eſt eccleſia
c
d S. Pauli. Interlude *d*, id eſt inter duos ludos; id eſt Clivus Scauri, qui eſt inter Amphitheatrum & Stadium. Ante Septem ſolium, ubi eſt cloaca, in qua jactatus fuit S. Sebaſtianus, qui revelavit corpus ſuum Lucinæ, dicens; Invenies corpus meum, pendens in unco.

155 Gradus Eliogabali eſt in introitu Palatii,
e in inſula videlicet Caterata *e* poſt ſanctam Tri-
f nitatem. Arcus ſtillans *f* ante Septimum ſolium. Arcus Romanus inter Aventinum montem & Alliſto, ubi B. Silveſter & Conſtantinus oſculati ſunt, & diviſere ſe; qui videlicet arcus fuit in Trivio, quo itur ad S. Sabam & ad S. Paulum; & quo venit à ſeptem viis vel à S. Priſca.
B In Tellure id eſt in Cannapara, ubi fuit templum Telluris. Privata Mamertini eſt ſub Capitolium ante Martem. Via Cornelia eſt illa, quæ vadit per pontem Milvium & exiit in ſtradam. Via Aurelia eſt illa, quæ vadit juxta Girolum. Vicus Latricii eſt ad S. Praxedam. Vicus Patricii eſt ad S. Pudentianam. Baſilica Jovis ad S. Quiriacum. Thermæ Olimpiadis, ubi aſſatus fuit S. Laurentius, Paniſperna. Palatium Tiberianum, ubi Decius & Valerianus receſſere, mortuo B. Laurentio, eſt in monte Banionapuli qui nunc vocatur Palatium de Cornutis. Circus Flaminius eſt ad pontem Judæorum. In Transbyterim fuit templum Ravennantium, & fundens oleum, ubi modo eſt eccleſia S. Mariæ.

De theſauro & excellentia hujus ſacroſanctæ Baſilicæ.

156 Sicut in antiquis & probatis geſtis Romanorum Pontificum habetur & legitur, & à noſtris majoribus frequenter audivimus; beatiſſimi Romani Pontifices, quoniam B. Petri baſilicam præ ceteris eccleſiis dilexere, eam adornare præ ceteris ſtuduerunt. Inter quos beatiſſimus Leo Papa quartus (ſicut in Pontificali habetur) fecit fieri optimum Cyburium de argento ſuper ſacroſancto altari ejus, ex columnis argenteis: arcam quoque altaris intus & extra deargentavit; & non tantum ſacram B. Petri Confeſſionem, verum etiam frontem prædicti altaris, ſatis decenter & honorifice deornavit. Nam tabulam de auro & ſmalto, penſantem ducentas & ſexdecim libras auri, fecit fieri; in qua vetus & novum Teſtamentum continebatur, & poſuit eam in frontem altaris; quam & nos etiam vidimus. Crucem quoque de auro puriſſimo ex diverſis gemmis, jacinthis ſcilicet & albis & ſmaragdis ornatam, miræ magnitudinis, & poſuit eam juxta venerabile altare B. Petri parte dextra, penſantem mille libras auri optimi; & permanſit ibi uſque ad tempora noſtra.
C

157 Fecit & imaginem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in throno ſedentis, cum duobus Angelis circa ſe: nec non & viginti alias imagines de argento circa eam; & poſuit eas ante altare ſuper columnas vitineas. Fecit quoque quadraginta caniſtra argentea, id eſt Coronas argenteas, in quibus lampades appenderentur, à pectoralibus ſcilicet ante altare uſque ad Cru- D
cifixos: nec non & Crucem auream magnam ad altare ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ, penſantem ducentas libras. Ab alia parte eccleſiæ, ad altare videlicet Apoſtolorum Philippi & Jacobi, magnam Crucem de argento, penſantem ducentas libras. Portam quoque mediam tabulis argenteis totam decoravit, unde uſque hodie dicitur porta Argentea; quam etiam & nos vidimus, licet in puericia.

158 Donavit & canonicis B. Petri caſtrum Bucceiam de proprio patrimonio ſuo. Condidit quoque magnum privilegium carticineum Canonicis B. Petri, in quo præter multa alia dona, donavit ejuſdem Canonicis in perpetuum eccleſiam Salvatoris, quæ eſt poſita in Turrione, quam ſiquidem eccleſiam ipſe beatus Pontifex ad ſepulturam peregrinorum omnium Ultramontanorum fecerat; & eccleſiam S. Juſtini in monte Saccorum, quam fecerat ad ſepulturam omnium peregrinorum Latinorum; nec non & eccleſiam S. Peregrini, extra civitatem Leonianam poſitam, cum Confeſſione & tenimentis ſuis; & eccleſiam B. Mariæ in Pallazzolo cum pertinentiis ſuis; & eccleſiam S. Georgii martyris poſt ſanctum Petrum poſitam. Multa quoque alia, quæ in præfata B. Petri baſilica idem ſanctiſſimus Præſul fecit fieri, poſſemus ſcriptis mandare, ſed non expedit, quoniam liber Pontificalis manifeſtiſſime indicat *g*. E

g Donatio Caroli Imperatoris.

159 Quantam reverentiam, quam dilectionem totus orbis terrarum huic ſacroſanctæ baſilicæ B. Petri exhibeat, quantumque Chriſtianiſſimus Romanorum imperator Carolus eam ditavit & honoravit, in vita beatæ recordationis Domini Adriani primi Papæ manifeſtiſſime indicatur. Nam donationem B. Petro & ejus ſucceſſoribus per capellanum notarium ſuum Etherium, religioſum & prudentem virum, lætiſſime fecit: in qua conceſſit prænominato pontifici Domino Adriano & ejus ſucceſſoribus in perpetuum has urbes & Caſtella; id eſt Alunis cum inſula Corſica; deinde in Soriano; deinde in monte Bardone; deinde in Urbe veteri; deinde Parma; deinde in Regio, & exinde in Mantua; atque Montem Silicis, ſimiliter & univerſum Exarcatum Ravennantium, ſicut antiquitus erat; atque provincias Venetiam & Hiſtriam; nec non & cunctum ducatum Spoletanum ſeu Beneventanum: factaque eadem donatione, propria ſua manu eam ipſe Imperator corroborans, univerſos epiſcopos, abbates, duces, & grafiones in eam aſcribi fecit. F

160 Quam nimirum chartam donationis, prius ſuper altare B. Petri ſuperius, & poſtmodum intus in ſancta ejus Confeſſione ponentes, tam ipſe Francorum rex, quamque ejus principes, B. Petro & ejus Vicario ſanctiſſimo Adriano Papæ, ſub terribili ſacramento ſeſe omnia conſervaturos, quæ in eadem charta donationis continentur, promittentes, tradidere. Apparem quoque ipſius Donationis per eumdem Etherium ſcribi faciens intus ſuper corpus B. Petri, ſubtus poſitis Euangeliis, pro firmiſſima cautela & æterna nominis ſui ac regni Francorum memoria, propriis ſuis manibus poſuit: aliaque ejuſdem Donationis exempla per ſcriniarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ adſcripta, ejus excellentia ſecum deportavit; & ideo, ut putamus, in memoriam tam magnificæ Donationis; nomina civitatum, quæ

A prænominatus Romanus imperator huic ſacroſanctæ eccleſiæ contulit, in portis æneis, quæ ſuper gradus B. Petri fuere, videlicet in introitu eccleſiæ S. Mariæ inter Turres, argenteis litteris (ſicut nos vidimus & cum fratribus ſæpiſſime legimus) adnotata fuere, videlicet Perufium, Fefulæ, Cluſium, Bulſinum, Aſſiſium &c.

Caliſtus 2, renovat altare S Petri & conſecrat.

161 Beatæ recordationis dominus Caliſtus Papa II, quoniam decorem domus Domini, ſicut propheta, plurimum dilexit, altare B. Petri, quod nimia vetuſtate & lapidum percuſſionibus quodammodo violatum videbatur, optimis marmoribus veſtivit & decoravit; & in feſto Annuntiationis beatæ Mariæ cum toto Concilio lapidem altaris ſatis honorifice & devote conſecravit. In qua videlicet conſecratione (ſicut invenimus in libris noſtris ſcriptum) fecit remiſſionem trium annorum annualiter ad eam devote venientibus: [& *h* cancellis ferreis, ut appareret, prædictum ſacroſanctum altare circumſepſit; candelabra quoque argentea magna ad ornatum ejus ante altare poſuit; cortinis optimis & magnis eccleſiam adornavit.

h

B *Innocentius 2. ornat idem altare.*

162 Innocentius Papa Secundus ad ornatum altaris B. Petri fecit fieri magnam Crucem argenteam, penſantem centum libras, & deauratam poſuit juxta altare B. Petri manu dextra. Renovavit & Crucem ſtationalem, quæ vadit per Stationes; & B. Petri altare optimis & deauratis veſtibus veſtivit. Porticum quoque B. Petri uſque ad ſanctam Mariam in Tranſpadinam novis trabibus reſtauravit, & ex magna parte novis & optimis tegulis cooperuit. Condidit quoque Privilegium, in quo conceſſit canonicis baſilicæ B. Petri medietatem omnium miniſteriorum omnium altarium, quæ ſunt in eccleſia B. Petri & S. Mariæ in Turri, præter altare S. Leonis IX Papæ.

Quo tempore corpora SS. Apoſtolorum Petri & Pauli à Græcis de ſepulturis ſuis furata ſint, & ubi ſepulta.

C

163 Elapſis à paſſione ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ducentis fere & quinquaginta annis, dum à Græcis corpora eorum de ſepulturis ſuis ad Orientem ferenda tollerentur, videlicet S. Petri de Vaticano naumachiæ, & corpus B. Pauli de horto Lucinæ, ubi nunc eſt fabricata ejus eccleſia; extitit terræ motus nimius; cucurrit Populus Romanus & comprehenderunt eos in locum, qui dicitur Catacumba, via Appia, milliario tertio ab urbe Roma: & ibi cuſtodita ſunt corpora anno uno & menſibus ſeptem, quouſque fabricaverunt loca, in quibus poſita fuerant corpora eorum; & illuc revocata ſunt cum gloria hymnorum. Corpus ſcilicet B. Petri per Papam Cornelium, & portatum in Vaticano naumachiæ: beati vero Pauli per Lucinam Chriſti famulam, ſecundo ab Urbe miliario, in proprio ejuſdem Lucinæ prædio in via Oſtienſi.

164 Dehinc decurſis, ut diximus, ducentis fere & quinquaginta annis, cum divina clementia Dei eccleſiæ ſuæ pacem condonare decreviſſet, Conſtantinum Auguſtum miſericors Deus providentia ſua lepra percuſſit. Hic itaque Auguſtus, cum per revelationem commonitus, Silveſtrum Papam à monte Soracte adſciviſſet, atque per ejus prædicationem credens in Chriſto, baptiſmatis unda perfuſus eſſet, continuo ab ejus corpore univerſus languor fugatus eſt: moxque per univerſum orbem templa paganorum claudi imperans, Chriſtianis copiam divina conſtruendi domicilia conceſſit. Tunc cum ipſe per loca ſingula, plurima Chriſto ſacraria conſtruxiſſet, Romæ templum Apollinis, quod Vaticanum appellabatur, in divinum verſum oraculum, B. Petri nomine dedicavit, ibique ejus ſanctiſſimum corpus ſumma cum exultatione locavit: ac ne umquam à quolibet tam pretioſus inde theſaurus poſſit auferri, circa loculum ipſum, quo beatum corpus continetur, tantum æris ciprique liquorem præcepit effundi, ut ex omni undique latere, & tam ſupra, quam ſubter, ad quinque pedum craſſitudinem, vaſtam molem efficeret; quæ non ſolum minime reſcindi, ſed nec de loco, ullo modo moveri poſſit. Super æs ipſum autem poſuit Crucem ex auro puriſſimo centum quinquaginta librarum Pari etiam modo beatiſſimi quoque Pauli corpus venerabile in baſilica, quam ipſe ejus in honorem conſtruxerat, ſepelivit. Ad quorum ſacra veſtigia dum de toto undique mundo Fideles concurrunt, effectum ... præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Deo Patre & Filio & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.]

D

E

i

De Cœmeteriis, quæ inveniuntur in Paſſionibus.

165 Hæc *i* ſunt cœmeteria, quæ inveniuntur in Paſſionibus Sanctorum. Cœmeterium Calepodii ad S. Pancratium. Cœmeterium S. Agathæ ad Girulum. Cœmeterium Urſi ad Porteſam; & Cœmeterium S Felicis via Portuenſi. Cœmeterium Caliſti juxta Catacumbas. Cœmeterium Præteſtati, inter portam Appiam ad S. Appollinarem. Cœmeterium Gordianum foris portam Latinam. Cœmeterium inter duas Lauros ad S. Helenam. Cœmeterium ad Urſum Pileatum ad S. Vivianam. Cœmeterium in agrum Veranum ad S. Laurentium. Cœmeterium ad S. Agnetem. Cœmeterium Fontis S. Petri. Cœmeterium Priſcillæ ad pontem Salarium, & Cœmeterium Cucumeris. Cœmeterium Traſonis ad S. Saturninum. Cœmeterium S. Felicitatis. Cœmeterium S. Hermetis & Domitillæ, eſt foris portam Pincianam, ubi eſt eccleſia S. Hermetis martyris. Juxta cœmeterium S. Caliſti eſt cœmeterium Pontianum. Cœmeterium S. Ciriaci eſt via Hoſtienſi, ubi eſt eccleſia ſancti Ciriaci.

De Pontibus

F

166 Hi ſunt Pontes Romæ, qui in Legendis Sanctorum inveniuntur. Pons Milvius, qui eſt in via Flaminia. Pons Adrianus, qui nunc vocatur S. Petri. Pons Veronianus, qui nunc vocatur Pons fractus aſuria. Pons Antoninus, qui fuit in Arenula. Pons Fabricius. Pons Grannus. Pons Senatoris, qui nunc dicitur S. Mariæ. Pons Marmoreus Theodoſii aripammea; & Pons Valentinianus *k*.

k

ANNOTATA.

a *Hæc* Nota, *atque iterum alia num.* 153; *cum abſint à codice Ms. Manlii noſtri; ſint autem in impreſſo Romani, manifeſte conjicitur, ab hoc inſerta fuiſſe.*

b *Cod. impr.* Dominica de Paſſione.

c *Quæ hoc num.* 154, *& duobus ſeqq. referuntur, inſerta hîc ſunt ex ſolo Cod. impreſſo Romani per Paulum de Angelis; ſuntque illius finis. Quæ deinde ſequuntur, ſunt in Codice noſtro Ms. Manlii.*

d *Sic etiam ſcribit Floravantes Martinellus in Roma ſacra pag.* 46, *veroſimiliter ex ipſo Manlio, ponitque locum inter Amphitheatrum & Circum maximum, quod eodem redit.*

e *An forte legendum* Caminiana? *quæ Martinello eſt inſula in monte Cœlio.*

f Arcus ſtillans, *idem qui num. præcedenti* Arcus ſtillæ, *& in vita S. Stephani PP. I, apud Ana-*

A *Anaſtaſium* Arcus ſtellæ. *Ponitur etiam ab antiquo Scriptore apud Martinellum, ante Septiſolium.*

g *Hactenus dicta à num.* 160. *de donariis Leonis IV; etiam ſuprà à num.* 17 *relata fuerunt, tum à Manlio Ms. tum ex Romano impreſſo. Volui hæc tamen hic recudere, tum ut ne recedam à Cod. Ms. tum quia variantes lectiones ſenſum auctoris nonnullibi fortaſſis clariorem reddere poſſint; tum præcipue, quia priori loco, manifeſte deprehenditur erratum eſſe, ubi num* 10 *ſic legitur:* Condidit quoque *Leo* magnum privilegium Carticinium canonicis in perpetuum eccleſiam Salvatoris. *Leguntur autem hîc ſenſu integro:* Condidit quoque magnum privilegium Carticineum canonicis S. Petri, in quo, præter multa alia dona, donavit ejuſdem canonicis in perpetuum eccleſiam Salvatoris

h *Sequentia uſque ad num.* 165. *deſunt in noſtro Manlio Ms. Sunt autem in Romano impreſſo, & ſunt ejus poſtrema.*

i *Uti præmiſſa tribus quatuorve poſtremis numeris, in ſolo leguntur Codice impreſſo Romani canonici; ita quæ hinc ſequuntur, in ſolo noſtro habentur Manlio Ms.*

B k *In his voces quædam obſcuriores ſunt,* Aſaria, Aripammea; *item pontes* Veronianus & Grannus; *uti quidem in Ms. noſtro leguntur. Duas priores neſcio quo referam: poſteriores inter pontium nomina nuſquam reperi hactenus. Eruditus quiſpiam Romæ Antiquarius, aut ſcripturam emendet, ſi perperam exarata eſt; aut explicet ſi poſſit. Pontem* Veronianum, *non crediderο, urbem Veronam hîc reſpicere: legi poſſet* Neronianus, *ſi iſtius nominis pons aliquando Romæ fuerit.*

CAPUT IX.

Ordo & ſucceſſio Romanorum Pontificum.

BEatus Petrus Apoſtolus ſedit annos xxv, menſes vii, dies viii.
Linus ſedit annos xi, menſ. iii, dies xiii.
Cletus ſedit annos xi, menſ. i, dies xi.
Clemens I ſedit annos ix, menſ. ii, dies x.
Anacletus ſedit annos ix, menſ. ii, dies x.
Euariſtus ſedit annos x, menſ. vii, dies ii.
Alexander I ſedit annos viii, menſ. v, dies ii.
Sixtus I ſedit annos x, menſ. iii, dies xxi.
Theleſphorus ſedit annos xi, menſ. iii, dies xxii.
C Iginus ſedit annos iv, menſ. iii, dies vi.
Anicetus ſedit annos ix, menſ iii, dies iv.
Pius ſedit annos xi, menſ. iv, dies xxi.
Soter ſedit annos ix, menſ iii, dies xxi.
Eutherius ſedit annos xv, menſ vi, dies v.
Zepherinus ſedit annos ix, menſ. vi, dies x.
Victor I ſedit annos x, menſ vi, dies x.
Caliſtus I ſedit annos v, menſ. ii, dies x.
Urbanus I ſedit annos viii, menſ. xi, dies xii.
Pontianus ſedit annos v, menſ ii, dies ii.
Antheros ſedit menſ. i, dies xxv.
Fabianus ſedit annos xiv, menſ. xi, dies vi.
Cornelius ſedit annos iii, menſ. ii, dies iii.
Lucius I ſedit annos iii, menſ. v, dies
Stephanus I ſedit annos iv, menſ. ii, dies xv.
Sixtus II ſedit annos ii, menſ x, dies vi.
Dioniſius ſedit annos ii, menſ. iii, dies
Felix I ſedit annos ii, menſ. x, dies xxv.
Euticianus ſedit annos viii, menſ. x, dies iv.
Cajus ſedit annos xi, menſ. iv, dies xiv.
Marcellinus ſedit annos vii, menſ. ii, dies xv.
Marcellus ſedit annos vi, menſ. dies xxii.
Euſebius ſedit annos ii, menſ. ii, dies xxv. D
Milciades ſedit annos iii, menſ vi, dies viii.
Silveſter I ſedit annos xxiii, menſ. x, dies xi.
Marcus ſedit annos ii, menſ viii, dies xx.
Julius ſedit annos xi, menſ. ii, dies viii.
Liberius ſedit annos x, menſ. vii, dies vii.
Felix II ſedit annos i, menſ. dies
Iterum liberius ſedit annos v.
Damaſus I ſedit annos xviii, menſ. ii, dies x.
Siricius ſedit annos xv, menſ. xi, dies xxv.
Anaſtaſius I ſedit annos ii, dies xxvi.
Innocentius I ſedit annos xv, menſ. ii, dies xx.
Zoſimus ſedit annos i, menſ. viii, dies xxv.
Bonifacius I ſedit annos iii, menſ viii, dies xiii.
Cæleſtinus I ſedit annos viii, dies ix.
Sixtus III ſedit annos viii, dies ix.
Leo I ſedit annos xxi, menſ. i, dies xxvii.
Hilarius ſedit annos vi, menſ. ii, dies x.
Simplicius I ſedit annos xv, menſ. i dies xii.
Felix III ſedit annos v, menſ. xi, dies xvii.
Gelaſius ſedit annos iv, menſ. viii, dies xix.
Anaſtaſius II ſedit annos i, menſ. xi, dies xxiv.
Simachus ſedit annos xv, menſ. vii, dies xxviii.
Hormiſda ſedit annos ix, dies xvii. E
Joannes I ſedit annos ii, menſ. viii, dies xviii.
Felix IV ſedit annos iv, menſ. ii, dies xiii.
Bonifacius II ſedit annos ii, dies xxvi.
Joannes II ſedit annos ii, menſ. iv, dies vi.
Agapitus ſedit annos menſ xi, dies xviii.
Silverius ſedit annum i, menſ. v, dies xi.
Vigilius ſedit annos xvii, menſ vi, dies xxvi.
Pelagius I ſedit annos iv, menſ. x, dies xviii.
Joannes III ſedit annos xii, menſ. xi, dies xxvii.
Benedictus I ſedit annos iv, menſ i, dies xviii.
Pelagius II ſedit annos x, menſ. ii, dies x.
Gregorius I ſedit annos xiii, menſ. vi, dies x.
Savinianus ſedit annum i, menſ. v, dies x.
Bonifacius III ſedit menſ. viii, dies xxviii
Deuſdedit ſedit annos iii, dies xx.
Bonifacius IV ſedit annos v, dies xiii.
Honorius I ſedit annos xii, menſ. xi, dies xvii.
Severinus ſedit annum i.
Joannes IV ſedit annum i, menſ. ix, dies xviii.
Theodorus I ſedit annos vi, menſ. v, dies viii.
Martinus ſedit annos vi, menſ. i, dies xxvi.
Eugenius I ſedit annos ii, menſ. viii, dies xxii.
Vitalianus ſedit annos xiv, menſ. vi, dies
Adeodatus ſedit annos iv, menſ. ii, dies v.
Donus ſedit annum i, menſ. v, dies x. F
Agatho ſedit annos ii, menſ. vi, dies iii.
Leo II ſedit annum menſ. v, dies xvii.
Benedictus II ſedit annos menſ. x, dies xii.
Cono ſedit annum menſ. xi, dies ix.
Sergius I ſedit annos xiii, menſ. viii, dies xxiii.
Joannes V ſedit annos ii, menſ. vii, dies xvi.
Joannes VI ſedit annos ii, menſ. vii, dies xvi.
Siſinnius ſedit annum menſ. dies xx.
Conſtantinus I ſedit annos vii, dies xv.
Gregorius II ſedit annos xvi, menſ viii, dies xx.
Gregorius III ſedit annos x, menſ. viii, dies xix.
Zacharias ſedit annos x, menſ. iii, dies xv.
Stephanus II ſedit annos v, dies xviii.
Paulus ſedit annos x, menſ. i, dies
Conſtantinus II ſedit annum i, menſ. i, dies
Stephanus III ſedit annos iii, menſ. v, dies xxviii.
Adrianus ſedit annos xxiii, menſ. x, dies xviii.
Leo III ſedit annos xx, menſ. v, dies xvi.
Stephanus IV ſedit annum menſ. vii, dies
Paſchalis I ſedit annos vii, dies xxvii.
Eugenius II ſedit annos iii, menſ. ii.
Valentinus ſedit annum menſ. dies xl.

Gre-

A
Gregorius IV ſedit annos XVI.
Sergius II ſedit annos III, menſ. II.
Leo IV ſedit annos VIII, menſ. III, dies VI.
Benedictus III ſedit annos II, menſ. V.
Nicolaus I ſedit annos IX, menſ. II, dies XX.
Adrianus II ſedit annos V, menſ. III.
Joannes VII ſedit annos X, dies II.
Marinus I ſedit annum I, menſ. V.
Adrianus III ſedit annum I, menſ III.
Stephanus V ſedit annos VI, dies IX.
Formoſus ſedit annos V, menſ. VI.
Bonifacius VI ſedit dies XV.
Stephanus VI ſedit annum I, menſ. III.
Romanus ſedit menſ. III, dies XXIII.
Theodorus II ſedit dies XX.
Joannes VIII ſedit annos II, dies XV.
Benedictus III ſedit annos III, menſ. II.
Leo V ſedit dies XL.
Chriſtophorus I ſedit menſ. VIII.
Sergius III ſedit annos VII, menſ. III, dies XVI.
Anaſtaſius II ſedit annos II, menſ II.
Lando ſedit menſ. VI.
Joannes IX ſedit annos XIV, menſ. II, dies III.
Leo VI ſedit menſ. VI.
B
Stephanus VII ſedit annos II, menſ. I.
Leo VII ſedit annos III, menſ. VI, dies X.
Joannes X ſedit annos IV, menſ. X.
Stephanus VIII ſedit annos III, menſ. IV, dies XV.
Marinus II ſedit annos III, menſ. VI, dies XIV.
Agapitus II ſedit annos X, menſ. VI, dies X.
Joannes XI ſedit annos VII, menſ. X, dies V.
Benedictus V ſedit menſ. II, dies V.
Leo VIII ſedit annum I, menſ. IV.
Joannes XII ſedit annos VII, menſ. XI, dies V.
Benedictus VI ſedit annum I, menſ. VI.
Donus ſedit annum I, menſ. VI.
Bonifacius V ſedit menſ. I, dies XII.
Benedictus VII ſedit annos IX, menſ. VI.
Joannes XIII ſedit menſ. VIII.
Joannes XIV ſedit menſ. IV.
Joannes XV ſedit annos X, menſ. VII, dies X.
Gregorius V ſedit annos II, menſ. V.
Joannes XVI ſedit menſ. X.
Silveſter II ſedit annos IV, menſ I, dies VIII.
Joannes XVII ſedit menſ. V.
Joannes XVIII ſedit annos V.
Sergius IV ſedit annos II.
Benedictus VIII ſedit annos XI, menſ. XI, dies XXI.
C
Joannes XIX ſedit annos IX, menſ. IX.
Benedictus IX ſedit annos XIV.
Silveſter III ſedit dies LXVI.
Gregorius VI ſedit annos II.
Clemens II ſedit menſ. IX, dies VII.
Leo IX ſedit annos V, menſ. II, dies VI.
Damaſus II ſedit annos III, menſ. II, dies VI.
Victor II ſedit annos II, menſ. III, dies XIII.
Stephanus IX ſedit menſ. IX.
Benedictus X ſedit menſ. IX.
Nicolaus II ſedit annos II, menſ. VI.
Alexander II ſedit annos XI, menſ. VI, dies XXV.
Gregorius VII ſedit annos XII, menſ. I, dies IV. D
Victor III ſedit annum I.
Urbanus II ſedit annos XI, menſ. IV.
Paſchalis II ſedit annos XVIII, menſ. V, dies VII.
Gelaſius II ſedit annum I.
Caliſtus II ſedit annos V, menſ. X, dies XIII.
Honorius II ſedit annos V, menſ. II, dies IV.
Innocentius II ſedit annos XIII, menſ. VII, dies VII.
Cæleſtinus II ſedit menſ. V, dies VIII.
Lucius II ſedit menſ. XI, dies IV.
Eugenius III ſedit annos VIII, menſ, IV, dies X.
Anaſtaſius IV ſedit annum I, menſ. IV, dies XXIV.
Adrianus IV ſedit annos IV, menſ. VIII, dies XXVIII.
Hæc aliâ manu addita eſt nota in ms.
Qui ſequuntur, additi ſunt uſque ad Clemen-
mentem V poſt Mallii obitum. *Videlicet*,
Alexander III ſedit annos XXII.
Lucius III ſedit annos IV, menſ. II, dies XVIII.
Urbanus III natus Lombardus ſedit annum I, menſ. X, dies XV.
Gregorius VIII natus Beneventanus ſedit menſ. I, dies XXVII.
Clemens III natus Romanus ſedit annos III, menſ. III, dies X.
Cæleſtinus III natus Romanus ſedit annos VI, E
menſ. IX, dies X.
Innocentius III natus Romanus ſedit annos XIII, menſ. IV, dies X.
Honorius III natus Romanus ſedit annos X, menſ. VII, dies XX.
Gregorius IX natus Campanus ſedit
Cæleſtinus IV natus Mediolani, ſedit annos menſ. dies XIV.
Innocentius IV natus Lombardus ſedit annos XI, menſ. VI.
Alexander IV natus Campanus ſedit annos VII, menſ. III, dies IV.
Urbanus IV Ultramontanus ſedit annos IV, menſ. IV, dies IV.
Clemens IV Ultramontanus ſedit annos III, menſ. IX, dies XXI.
Gregorius X natus Placentinus ſedit annos IV, dies X.
Innocentius V Ultramontanus ſedit menſ. V, dies V.
Adrianus V Januenſis ſedit dies XL.
Joannes XX Hiſpanus ſedit menſ. VIII, dies I.
Nicolaus III Romanus ſedit duobus annis. F
Martinus Ultramont. ſedit annos IV, menſ. I, dies IV.
Honorius IV Roman. ſedit annos II.
Nicolaus IV Eſchulanus de Marchia, de Ordine Minorum, ſedit annos IV.
Cæleſtinus de Morrone, qui renuntiavit infra annum.
Bonifacius VIII natus Campanus ſedit annos VIII menſ. IX.
Benedictus de Ordine Prædicatorum ſedit menſes VIII.

ALTER

ALTER LIBELLUS
DE ANTIQUA S. PETRI AP. BASILICA
IN VATICANO,

A Maphæo Vegio ejuſdem baſilicæ canonico conſcriptus.

PRÆFATIO EDITORIS. C. I.

De Auctore ejuſque geſtis ac ſcriptis aliis.

B

Auctoris Natales,

PAuſcula hîc, *quam ſuprà ad libellum Petri Manlii, præfari de Auctore iſcebit, tum ex ipſiuſmet ſcriptis, in Magna Bibliotheca Patrum tomo* XV, *anno* MDCXXII *Coloniæ impreſſis; tum ex aliis, in noſtro de Actis Sanctorum opere primùm vulgatis loco non uno; tum etiam ex vitæ ejus compendio, quod extat cum ejuſdem libris de educatione liberorum & claris eorum moribus, in collectione variorum iſtiuſmodi opuſculorum, Baſileæ impreſſum anno* MDXLI *apud Robertum Winter; recuſum vero cum pluribus Maphæi opuſculis in citata Bibliotheca Colonienſi ex recognitione R. Andreæ Schotti Societatis noſtræ, qui & nonnulla in dicto vitæ compendio reformavit.*

parentes,

Maphæus itaque Vegius, orator & poëta inſignis, uti ejus opera teſtantur, civitatem in ducatu Mediolanenſi Laudenſem (quæ & Laus nova Pompeia multis dicitur, excitata ſeculo XII *ab imperatore Frederico Ænobarbo ex ruinis Laudis Pompeiæ veteris, à Bojis olim conditæ, & à Mediolanenſibus aliquot tunc ante annos deſtructæ, vulgo* Lodi) *patriam habuit, natus ex familia clara, patre Bellorio, matre Catharina Lauteria, anno Chriſti nati* MCCCCVI, *uti mox oſtendam ex ipſiuſmet ſcriptis. Non à matre, ſed à nutrice pia femina & moribus integra, verecundiâque præcipua, lactatus infans; una cum lacte mores quoque ejus ſuxit.*

C

nutrix,

Quales autem illi mores fuerint, ſic tradit ipſe lib. I. *de educatione liberorum cap.* 4 *in fine:* Me autem aluit nutrix tantæ verecundiæ, ut viris coram, ne oculos umquam attolleret: feminas vero ſæpius intuens erubeſceret: memorque ſum à matre accepiſſe, numquam ſe illam, quin rubore magno ſemper ſuffunderetur, alioqui potuiſſe. Erat præterea loquendi parciſſima, ſolitudinis apperentiſſima, turbæ inimiciſſima, adeo ut domi ferme ſemper, marito longe illam increpante, ſe contineret. Hujus ita nutricis meæ mores examuſſim me comitati ſunt, acſi cor ejus atque animam cum lacte ſimul imbibiſſem.

pueritia in ſtudiis Mediolani acta,

3 *Puer Mediolani in Grammaticæ diſciplinis pium ſenem inſtitutorem nactus, ibi anno* XII *ætatis ſuæ concionantem audivit S. Bernardinum Senenſem ex ordine Minorum, quatuordecim tunc annis continenter in prædicandi munere verſatum. Ex quo colligitur, nativitatem Maphæi referendam eſſe ad annum Chriſti* MCCCCVI. *Mundo quippe natus Bernardinus anno* MCCCLXXX *in feſto Nativitatis B. Mariæ* VIII *Septembris, primitias ſuas ſacerdos ordinatus Deo obtulit anno* MCCCCIV *in eodem feſto; & continuò concionari cœpit; ut poſt annos quatuordecim illo in labore tranſactos, debeat fluxiſſe annus* MCCCCXVIII, *quando Mediolanum concionator venit, ibique à Maphæo anno circiter duodecimo ætatis ejus auditus eſt: illis autem à decem & octo abſtractis, reducitur nativitas ejuſdem ad annum ſextum ſupra milleſimum & quadringenteſimum.*

ubi anno 12 ætatis ſuæ

4 *Pleraque hactenus dicta fundantur in ipſius Maphæi ſcriptis de vita S. Bernardini, apud nos die* XX *Maii impreſſis tomo* V, *à pag.* 287*, *cap.* 2, *num.* 17, *ubi de tempore ſuſcepti ab eo habitûs religionis, primæ Miſſæ & prædicationis initio: tum cap.* 5 *num.* 35, *ubi prædicationis Bernardini atque ætatis ſuæ annum ſimul indicat Maphæus, ſuamque etiam tunc temporis, indolem ac mores ſufficienter declarat.* Bernardinus, *inquit citato cap* 5 *num* 34, tandem venit Mediolanum, actis jam quatuordecim annis, quibus diſſeminando verbo Dei ſemper intenderat. Ego tum, dum puer eſſem duodecim circiter annos natus, recolo eum ibi vidiſſe, abſque ullo prorſus nomine & fama; audiviſſe etiam in populo loquentem.

E

F

Bernardinum Senenſem concionantem audivit

5 Nam erat mihi præceptor Grammaticæ optimus quidam ſenex, qui diebus feſtis cum verba faceret, audire eum avide, ac diſcipulos quoſdam, præcipue ſibi commendatos, quorum unus eram, audituros etiam ſimul ſecum ducere conſueverat, dicereque ad nos ſæpius; Eamus, filii, audituri bonum illum Fraterculum, tam vili ac trita indutum veſte, cui tanta linguæ gratia, tantus ſplendor eloquii, tam aptus dicendi modus, tanta verborum ſimul atque ſententiarum majeſtas. Hujuſmodi enim ſolebat ſermonem de illo proferre: nam magnifice egregieque eum ſemper commendabat atque extollebat, affirmans conſtanter, numquam ſimilem illi, aliquem vidiſſe. Ego judicio magiſtri mei fretus, non meo, quod nullum quidem erat propter breviorem ætatem, maximi faciebam hominem, audiebamque verba illius attente, licet minus capax eſſet ingenium ad accipiendum pondus ipſorum: ſed cum talem illum eſſe arbitrarer, qualem magiſter judicabat, videbantur mihi omnia quæcumque diceret, divino ore prolata. *Hæc uti ad commendationem S. Bernardini concionatoris multum faciunt, ita non parum*

A

indolem in pueritia facilem atque morigeram commendant ſcriptoris.

Quibus maximè incitatus ſit ad diſcendum

6 *Idem ſcriptor eodem in opere de Educ. liberorum libro* 2, *cap.* 8, *ait*, *ſe* pudoris (*quam virtutem a ſe cum lacte nutricis verecunda hauſtam dicit*) & laudis ſtudio *mirifice in litteris profeciſſe.* Quid verius, *inquit*, hac ſententia (*quod juventus, ex doctrina Lyconis Philoſophi, debeat pudore ſimul ac laude ad litterarum ſtudia incitari, ſicut equus calcaribus ac freno ad currendum*) quid præclarius? Ego ita eam veram & præclaram affirmare audeo; ut nihil in tenerioribus annis, quibus ſumma ſub magiſtri cura eruditus fui, ſenſerim, quod ad percipiendas magis litteras profuerit. Solebat enim Magiſter (ut recolo, ac recolens ſæpe rideo) dividere, quaſi in bellatorum acies, diſcipulos invicem diſceptaturos ſub judice eorum quopiam, qui doctior videbatur: atque ubi probe conflictatum eſſet; qui fortius præſtantiuſque pugnaſſent; & laudibus plurimum efferre, & ſedibus etiam dignioribus honeſtare. Id genus decertandi non poſſum ſatis dicere, quantum me, ne inferior aliis ſaltem judicarer, ad ſuſtinendam omnem vigiliarum ſtudiorumque molem, pluſquam ætas etiam illa pateretur, incendebat; quantumque incitabat, ut qui doctiores aliis videbantur, imitarer, excellentioreſque ſequens, tardiores minime attenderem. *Atque hæc ad primum Maphæi admodum pueri magiſtrum* (*duos quippe habuit in Grammaticæ ſtudiis*) *referenda ſint. Tranſiit inde undenis ad alterius, pii ſenis diſciplinam, uti ſequitur ex cap.* 9 *ejuſdem libri.*

B

ſub primo magiſtro,

item ſub ſecundo,

7 Narrabo, *inquit ibi*, & alterius præceptoris mei artificioſiorem erudiendi induſtriam, quæ cum & laudis amore & pudoris metu pueros magis ad litteras excitaret, eò convenientius & huic loco ſubjicienda eſt. Secundum itaque mihi pater præceptorem adhibuit; non quod primi doctrina aut cura aut mores illi diſplicerent, quem ſummo certe amore aſſiduaque familiaritate, convictu etiam frequenti, conjunctiſſimum habebat; ſed quod ex Mediolanenſi urbe, in qua educatus fui, in aliam patriam, cogente neſcio qua rerum ſuarum ratione, migravit. Traditus ergo fui ſeni cuidam, cujus me delectat memoria, propterea quod licet non multùm doctus eſſet, ſumma tamen humanitate morum, ſimplicitate quoque atque integritate vitæ eximia præſtabat. *Tum ſubdit, qua induſtria ille pueros inſtituebat, animabatque ad ſtudendum alacrius; & paulo poſt deſcribit, quomodo ipſe ſub ejus diſciplina profecerit, hac narratione.*

C

ſuavi ac induſtrioſene.

8 Quare cum de laudandis pueris ſermo ſuſceptus ſit, inſtabo etiam magis, atque alia, quæ mihi ſub eodem præceptore contigerunt, non omittam. Cum enim à primo doctore, à quo jam omnia Grammatices rudimenta perceperam, tranſiſſem in ſecundi magiſtri diſciplinam, ac propter breves annos (nondum enim undecimum annum attigeram) viderer ſibi, ea quæ minime ignorabam (præ pudore autem, non ignorare ſubticebam) edocendus: ubi ille animadvertit, & celeriter quæ me docebat ediſcere, & ſcite, priuſquam etiam doceret, ad omnia quæſita reſpondere; mirari adeo cœpit, ut & ſubdocentes, ultro advocans, in admirationem ſecum duceret; & magna ſæpius ac præclara de tanta ingenii bonitate (cum longe tamen falleretur) prædicaret: fineret multa proinde etiam mihi pro arbitrio licere. Ejus ego magiſtri amore atque humanitate, illis ego laudibus allectus, ad litterarum tantum ſtudia incenſus fui, quantum, ſi ſub primo præceptore perſtitiſſem, ſperandum de me nihil umquam prorſus fuiſſet. Erat enim aſper, rigidus, iracundus; qui & di igentius me curare exiſtimans, ſæviebat ſæpius plagis; etiam ubi opus non erat, miniſque deterrebat, terrore deprimebat, ſolitudine conſtringebat; animum vix umquam relaxare permittebat. Ex illius itaque diſciplina, tamquam è carcere liberatus; atque ad alterum humaniorem dulcioremque præceptorem tranſlatus, mirum eſt quàm erexi me animo, quam litteris toto me dedi ſtudio, quam laborem ultro omnem, diſcendi cauſa, ſuſcepi; adeo ut & nonnulla jam ipſe poëtarum volumina evolverem, & carminis aliquid novi (ad quod mira vi naturæ impellebar) quotidie ſemper excuderem, nemine etiam docente. Neque enim erat quiſquam ejus negotii gnarus. Ita profuit, lenem, blandum ac ipſius, qualecumque eſſet, ingenii laudatorem admiratoremque magiſtrum habuiſſe.

D

E

Mittitur ad Dialecticen

9 *Paria de ſuo in poëſim genio proſequitur lib.* 3, *cap.* 2; *prohibetur autem à patre ei indulgere, volente, utilioribus ſtudiis animum ut applicaret. Sic ibi loquitur:* Quæ experientia didici, nimirum rectè illa teſtari poſſum, qui à tenella uſque ætate, neque ducente neque docente quoquam, ſola autem tantum impellente natura, tam vehementi poëtarum amore inflammari cœpi, ut eorum comparatione cetera mihi parva viderentur: quibus, cùm ſecunda aura navigans, totis jam remis incumberem, prohibuit me pater, atque ad Dialecticen, tamquam ad graviorem honeſtioremque diſciplinam ut ſtudium converterem, juſſit. Parebam itaque paternæ voluntati: cum tandem naturæ longe majus imperium evicit, ut Muſas, quibus latenter ac furtim quidem, ne id pater præſentiret, vacabam, revocarem. Poſt Dialecticen vero, quam non minus certe quam peſtiferum quiddam exhorrebam, tranſlatus fui à patre in primo ipſo pubertatis limine ad ſtudia juriſconſultorum, quorum lectione, propter ſummam, quam in eis offendi & ingenii & eruditionis & eloquentiæ vim, plurimum ſemper delectatus fui. Ceterum quod ad exercendam eam facultatem ſpectat; nihil eſt, à quo umquam magis abhorruerim; nihil, quod naturæ meæ adverſum umquam repugnantiſque magis habuerim; ut (quod Naſo de ſe canit)

ac Juriſprudentiam diſcendam

F

Nec me verboſas leges ediſcere; nec me
Ingrato voces proſtituiſſe foro,

invitâ Minervâ.

licuerit. Quare poëtas, licet me multa inde violentiſſime retraherent, cogente tamen majore neſcio qua vi animi, inter ipſa legum ſtudia repetebam; in quibus quantulumcumque profecerim; illud certe non ambigo, parum me vel nihil in quavis alia diſciplina conſecuturum umquam fuiſſe. Tam invicta indomitaque eſt, tanto imperio dominatur ſua cuique natura.

Quando Remam profectus,

10 *A juriſprudentia quam didicit quidem non illubenter, ſed inducere animum non potuit, ut illam publice exerceret; videtur ſanctioribus ſtudiis applicuiſſe animum, ſeque Romam deinde contuliſſe. Quando autem? Sunt qui Maphæum Martini PP. V. anno* MCCCCXXXI *defuncti, Datarium faciunt, quos inter Waddingus in Annalibus ſuis ad annum* MCCCLXXX, *non uno loco: & ante ipſum, ad impreſſum Romæ an.* MDLXXXVI *Maphæi carmen de tranſ-*

A *translatione S. Monicæ, monetur lector, quod* Maphæus Vegius Martini Papæ V Datarius, ad recipiendas & honorifice collocandas S. Monicæ reliquias sacras, marmoreum sepulcrum, mira arte elaboratum, erigendum tunc curavit, cum illæ Romam transferrentur. *Alii etiam scribunt, Maphæum & translationem sacri corporis curasse, & suis impensis perfecisse. Quæ quamquam negare nolim posse omnia sic facta fuisse; cuperem tamen scriptorem habere ipsi tempori translationis propinquiorem, qui id asserat.*

& Datarius Papæ factus sit,

11 *Martinus Papa tam in suo Brevi de translatione corporis, quam in sermone ad Fratres Augustinianos, qui dicitur ex verbis ipsius Pontificis fuisse editus, nominat nonnullas, quorum rogatu consensit, corpus Ostiâ Romam transferri, & quorum opera id factum fuit; videlicet Petrum Electensem episcopum, Apostolicæ capellæ Sacristam & confessorem suum, Ordinis Eremitarum S. Augustini; qui* vocavit ad se alium Fratrem Augustinum, atque illi operam dat negotii deducendi: ille vero ut libenter suscepit, ita sine mora omnia parat, quæ viderentur opportuna negotio: idem ceteros *Ordinis sui* solicitat, ut in rem

B parati adsint: nam sibi in animo esse, ut in die Palmarum transveherentur. *Hæc in Sermone citato: in quo nulla uspiam mentio fit Maphæi, aut curæ ab ipso adhibitæ in translatione.*

sub Martino V,

12 *Præterea in vita Maphæi utriusque editionis indicatæ, legitur* Romam demum profectus Maphæus Eugenio Pontifice Maximo, adscitus est in scribarum Magistrum, in quo munere cùm summa integritate & modestia versaretur, ad majorem est evectus dignitatem, quam Datariam vulgo ibidem nominant. Post in canonicorum primariæ ædis Apostolorum collegium honorifice cooptatus est: qua contentus dignitate, episcopatum magni sane proventûs recusavit; cum se imparem & minus idoneum (tantæ erat modestiæ) tanto oneri prædicaret. Post Eugenii Papæ obitum non minori caritate & benevolentia illum Nicolaus quintus, qui Eugenio succesit, complexus est; à quo & res litteraria illustrabatur & litterati omnes liberalissime fovebantur. *Hactenus Vita, quæ Maphæi adventum Romam, post obitum Martini, sub Eugenio PP. IV signat, atque ab hoc primò magistrum scribarum, deinde Datarium ejus creatum fuisse, enuntiat. Ex quo concluditur, ipsum vivente Martino, neque Datarium ejus egisse neque translationem S Monicæ curasse, aut ei interfuisse; imo nec Romam sub Martino venisse.*

C

an sub Eugenio IV,

13 *Et vero ætas Maphæi, quæ moriente Martino Papa anno* MCCCCXXXI *mense Februario, annum* XXVI *poterat attigisse; dissuadet, ipsum fuisse sub Martino Datarium. Quippe officium illud, teste Dominico Macro in Hierolexico, est* magnæ æstimationis, estque prælatitium & aliquando cardinalitium: *ut vix credibile videri possit, sapientissimum Pontificem juveni, & Romæ quodammodo peregrino (si tamen tunc Romam venerat) & rerum curiæ Romanæ non perito, tantæ dignitatis munus, quod experientiæ virum requirit, statim contulisse. Prudenter Eugenius primo ipsum ad minora officia, in iisque probatum, ad Datariam promovit: nec vero illum ipse ad minora adhibuisset; si jam tum sub Decessore suo Datariam administrasset. Debuerit igitur Maphæus Datarii dignitatem Eugenio, non Martino.*

quem Maphæus herum suum agnoscit.

14 *Id quod ipsemet etiam gratus agnoscit in hoc ipso opusculo, quod edimus. In quo cum multos Pontifices Romanos celebret, eorumque gesta laudet, & sepulturæ loca frequenter designet; imprimis gratum animum suum effundit in Eugenium PP. IV & Nicolaum V, quorum Datarius fuerat; & utrique suo marte epitaphium condidit; nulla uspiam Martini V mentione facta, nedum signo gratitudinis suæ dato. De Eugenio quippe jam tum demortuo sic loquitur num* 132: Cujus dulcis heri mei memoriam, uti animo continuo gero, ita verbis libenter usurpo. *Et de Nicolao,* Qui fuit alter, numquam ex animo delendus mihi, optimus herus meus. *Tum utriusque animi dotes laudat; ac demum addit:* His nos ambobus etiam epitaphia condidimus, quæ sequuntur: *atque illic legi possunt. Inter hæc, adeóne oblitus fuerit Maphæus Martini Papæ & beneficiorum ejus, si ab illo peregrinus Romam veniens exceptus, honoribus affectus, Datariæ præfectus, translationem quoque S. Monicæ curare jussus fuisset; ut hoc loco, aut alibi in hoc suo tractatu, ubi frequens occasio erat, nusquam illius aut illorum meminerit? Cum tamen beneficia Martini in Maphæum longe pluris fuissent æstimanda, quam quæ deinde ei collata fuerunt ab Eugenio & Nicolao. Quia Martiniana fuissent prima, quæ facilem sternebant viam ad posteriora sub sequentibus Pontificibus.*

C. J.

E

An translationi S Monicæ adfuerit

15 *Igitur quod* tunc, *cum reliquiæ S. Monicæ Romam transferrentur anno* MCCCCXXX, *uti supra allegatum est, Maphæus, & Martini V Datarius fuerit, & ad recipiendas reliquias marmoreum sepulcrum mira arte elaboratum, erigendum curaverit, æque à vero alienum est. Ut non dicam, quod sepulcrum marmoreum, mira arte elaboratum, illo anno elaborari vix aut ne vix quidem potuerit. Vero similiora scribit Pancirolus Hippolytus, è Societate Jesu, in Thesauris absconditis urbis Romæ, sub nomine* Octavii Panciroli *Italice editus Romæ typis Zannettinis, primùm anno* MDC *in* 4, *deinde auctius recusus ibi in octavo; atque anno* MDCXXV *paulo post obitum Hippolyti, denuo editus. Ibi in Regione Urbis sexta, ecclesia prima, quæ est S. Augustini, dicit Auctor, sacellum S. Monicæ magnis impensis fuisse ornatum* anno MCCCCXL à Maphæo Vegio, celebri poëta illius temporis & Datario Eugenii IV. *Fecerit igitur Maphæus sepulcrum marmoreum S. Monicæ, quod ornavit anno* MCCCCXL, *decimo post corporis translationem anno.*

F

Opera ab ipso composita atque impressa;

16 *Sequitur in vita Maphæi post allegata à me supra num.* 12, *in editione Schotti:* Scripsit multa pedestri & equestri oratione. Carmine quidem librum de ultimis Æneæ gestis & obitu, quem tertium decimum Æneidos nuncupavit, non quasi imperfectum esse opus Maronis putaret; sed ut in Poëticis ingenium, ad quæ ferebatur, exerceret: idque ad exemplum Quinti Smyrnæi, qui Homero Παραλειπόμενα librum decimum quartum addere est ausus. Lusit & Vegius de morte Astyanactis librum unum, quem nuper Coloniæ in Ubiis Franc. Modius evulgavit. Antoniados item libros quatuor, de beatissimi anachoretæ Antonii vita conscripsit heroicis versibus, quibus excelluit: etsi epigrammata & elegos conscripsisse etiam adolescens fertur. Prosa seu soluta oratione scripsit hæc, quæ quidem extant; Terræ, Solis & Auri altercationem, opusculum elegans: item, de Perseverantia in Religione libros sex, ad sorores religiosas Elizabetham & Monicam: & de Quatuor novissimis librum singularem: Dialogum quoque Philalethen, de veritatis amore, ad Eustachium fratrem. Habuit & alterum fratrem Lau-

C. J. rentium. Denique de puerorum Inſtitutione, poſt Plutarchum Chæronenſem, ... eruditiſſimos atque utiliſſimos libros ſex reliquit; qui Pariſiis anno MDXL, *& Baſileæ anno ſequenti ex officina Roberti Winter, atque anno* MDCXXII *in Bibliotheca Patrum, tomo* XV, *Coloniæ Agrippinæ, prodierunt.*

alia deinde inventa.

17 *Et hæc quidem Maphæi opera, in citato Bibliotheca tomo impreſſa ſunt omnia; non tamen ſunt* omnia, *quæ (ut ibidem affirmatur)* reperiri potuerunt. *Repererunt poſtea Deceſſores noſtri anno* MDCLXI *alia Romæ in bibliotheca Altempſiana, videlicet* libros tres de vita & obitu B. Monicæ ex verbis S Auguſtini. *Item* Officium B. Monicæ & Officium tranſlationis ejuſdem. *Item* Vitam & Officium S. Auguſtini; & Officium converſionis ejuſdem. *Præterea* Vitam & Officium B Nicolai Tolentinatis. *Et hæc omnia indicantur tomo primo de Actis Sanctorum Maii pag.* 491 *num.* 16 *: iterumque tomo quinto pag.* 257 **, in* S. Barnardino Senenſi. *Atque hîc inſuper indicatur idem Auctor etiam ſcripſiſſe librum* de felicitate & miſeria Palinuri & Charonis: *item* Vitam B. Petri Cæleſtini *ſcripſiſſe* Romæ ad S Petrum anno 1444; *&* vitam S. Bernardini Senenſis *ibidem* anno 1453. *Additur etiam tractatus* de rebus antiquis memorabilibus baſilicæ S. Petri Romæ. *Ex his vita S. Bernardini, ante non edita, impreſſa eſt tomo* V *Maii noſtri pag.* 287 **: & hic ex mss. datur opuſculum de baſilica S. Petri; prout ſequitur. Quod felix fauſtumque ſit ad communem utilitatem.*

B

Obitus Maphæi,

18 Clauſit Maphæus Romæ diem extremum, *ut in vita à Schotto recognita,* anno primo pontificatûs Æneæ Silvii, qui Pius ſecundus eſt Pontifex nuncupatus; Chriſti vero MCCCCLVII ſecundum Trithemium; ſepultus in templo Auguſtini in ſacello, quod in honorem B. Monicæ, Auguſtini matris optimæ, dum viveret, ornatiſſime erexit: ubi oſſa ipſius Monicæ ab Oſtia in Urbem, impenſâ Maphæi, tranſlata ſunt, & opulento ſarcophago condita, cum illius tetraſticho;

Hîc Auguſtini ſanctam venerare parentem,
Votaque fer tumulo, quo jacet illa, ſacro.
Quæ quondam gnato, toti nunc Monica mundo
Succurrit, precibus præſtat opemque ſuis.

C A quo etiam Sacerdote divinum Officium in honorem S. Monicæ, quod in Urbe celebratur, compoſitum eſt; uti & S Nicolai Tolentinatis ejuſdem Ordinis Eremitarum Auguſtinianorum.

de illo quædam obſervanda,

19 *Si obiit Maphæus, uti hic dicitur, anno primo, pontificatûs Pii II, qui exordium habuit anno Chriſti* MCCCCLVIII *menſe Auguſto, mors ejus incidiſſe dicenda eſt in eumdem annum vel proxime ſequentem; quam Trithemius, ut ibidem notatur, ad* MCCCCLVII *refert. Scio, ſcriptorem hunc, libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, de Maphæo (cujus tamen mortis annum ibi tacet) varia tradere, quæ nobis minus probantur, quamvis alii paſſim poſt ipſum eadem ſcripſerint. Puta, quod Datariam adminiſtravit atque tranſlationem B. Monicæ curavit ſub Martino PP. V. Nihilominus potior videtur mihi quidem ſententia ejus, adſcribentis obitum Maphæi anno* MCCCCLVII, *qui fuit tertius Calliſti PP. tertii; quam altera, quæ illam differt ad annum primum Pii II. Ducor conjectura hac, quia, cum ſcripſerit Maphæus opuſculum ſuum de Memorabilibus Baſilicæ S. Petri ſub finem vitæ, utique de Papa Calliſto mentionem feciſſet aliquam, quemadmodum cum laude loquitur de deceſſoribus ejus Eugenio & Nicolao, quibus & epitaphia poſuit; ſi ipſe Calliſto ſupervixiſſet.*

D

item de templo S. Auguſtini

20 *Quæ ibidem leguntur, quod poſt obitum ſuum* in templo S. Auguſtini *ſepultus fuerit Maphæus, per proiepſin dicta ſunto. Anno quippe tertio Calliſti aut primo Pii, ac toto hujus pontificatu Eremitæ S. Auguſtini, ut ſcribitur, templum ſub ſancti iſtius nomine nondum habebant, obeuntes divina Officia in vicina domui ſuæ antiquæ eccleſiæ S. Tryphonis, donec* anno MCCCCLXX *inchoarunt Patres illi* majorem eccleſiam ſub titulo S. Auguſtini, *quam* poſt annos novem Güilielmus Eſtoutevilla Cardinalis archiepiſcopus Rotomagenſis, *Protector Ordinis*, à fundamentis ſub alia pulcriore & capaciore forma abſolvit, *uti ſcribit Panciroius de Eccleſiis Romanæ urbis. Ex quo conſtat, Maphæum ſtatim à morte in eccleſia S. Auguſtini tumulari non potuiſſe. Alterum quoque, quod oſſa S Monicæ ab Oſtia in Urbem* impenſa Maphæi tranſlata *fuerint, non facile credent illi, quibus quæ ſupra à num.* 10 *retulimus, probabuntur. Quod* impenſa ejus *eadem ſacra oſſa* opulento ſarcophago condita *deinde ſint, probatiſſimum eſt.*

ac tranſlatione S. Monicæ.

E

Verior de eccleſiæ S. Auguſtini initiis.

21 *Atque hæc quidem ſecundum auctoritates allegatas, ita videntur ſtatuenda eſſe. At vero ſcrupulum mihi movet lectio Maphæi in ſequenti tractatu num.* 89, *ubi loquens de antiquo Apollinis fano,* cujus etiam, *inquit,* ingentem quamdam teſtudinem ſubterraneam, multis magniſque demolitorum ædificiorum ruderibus obrutam, noviter vidimus, cum fundamenta, ubi nunc novum B. Auguſtini templum erectum eſt, jacerentur. *Ita Maphæus de viſu ac certa ſcientia ſua. Igitur vel ipſe multo diutius quam ad initium Pontificatus Pii II vixit; vel multo ante annum* MCCCCLXX *habuit ibi eccleſiam ſub nomine S. Auguſtini Ordo Eremitarum. Crediderim ego (ſalvo meliori) ad conciliandas diſſidentium ſententias; diu antè, commorante Maphæo Romæ, ibidem fuiſſe extructam ſub nomine S. Auguſtini eccleſiam minus nobilem, ad commodiorem uſum adhabitantium Religioſorum, quam erat eccleſia S. Tryphonis; cujus fundamenta jaci vidit Maphæus ipſe; & opus perfectum, S. Auguſtini templum appellari, audiverit quotidie. Et credi poſſit, ædificationem cœptam fuiſſe ex occaſione tranſlati corporis S. Monicæ Romam: in qua & Maphæus illi erexerit anno* MCCCCXL *uti ſupra num.* 15 *inſinuatum eſt, mauſoleum.*

F

Notanda de tractatu, quem edimus

22 *Ad præſentem tractatum Auctoris noſtri quod attinet, dabo ipſum prout accepi ex codice ms. Pariſiis, ut dixi, ſubmiſſo; qui à ſeſqui ſeculo Romæ tranſcriptus fuit, uti ad calcem librarius ipſe notatum reliquit his verbis:* Manu Chriſtophori Auveri hic liber ſcriptus fuit Romæ, ut plures alii, Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D Cardinali d'Armaignaco, Patrono ſuo obſervandiſſimo. *Creatus is fuit Cardinalis à Paulo PP. III. anno* MDXLIV, *& in illa dignitate pervixit annos omnino quadraginta, æſtimator ſingularis bonarum litterarum, ac litteratorum protector, qui & plures codices antiquos ſibi curavit deſcribi, & ſcriptores liberaliter aluit.*

ejuſque diviſione

23 *Diviſit Auctor opuſculum ſuum in libros quatuor. Primum & ſecundum diviſit item in capita, & ſingulis titulum ſuum præfixit: non tamen in tertio & quarto id præſtitit, qui uno tenore ſine diviſione decurrunt. Nihil in his mutare mihi viſum eſt, judicanti, gratiorem fore viris intelligentibus operam meam, ſi totum opuſculum proferam abſque ulla mutatione, prout eſt in codice ms. Tantummodo*

A

& halluci nationibus,

do adjiciam in margine notas breves, quæ indicent, quid quoquo loco tractetur in textu, quæ & supplere possint defectum titulorum, qui duobus ultimis libris, ut dictum est, nulli sunt. Nonnulla etiam per decursum deprehendo, quæ Auctor, aut per se, aut ex communi tunc opinione credidit vera esse, nunc autem minus credibilia sunt; quale est illud, quod libr. 4 num. 107, Paulinum vitæ S. Ambrosii scriptorem, facit S. Paulinum episcopum Nolanum. *Item quod paulo post subjungit, Anicium Probum, Prætorio Præfectum, qui anno* CCCLXIX *Ambrosio commisit administrandam Insubriam, adhuc* gentilem, electum fuisse à Constantino imperatore ad audiendas diversas Athanasii, Arii, Sabellii Photinique de fide Catholica opiniones, ferendamque de iis, quænam verior esset, sententiam. *Quæ, ut aliud non dicam, manifeste peccant in veram Chronologiam.*

item de omissionibus

24 *Denique dum lego attentius historiæ hujus librum* IV, *in quo multa memorantur ædificia & monumenta antiqua, quæ Auctor suo tempore adhuc vidit consistere atque item destrui, aut alio transferri, quorumque memoria absque ipso fortasse nulla ad posteros fuisset transmissa: dum, inquam, librum*

B

illum lego attentius, simul observo, posse opus hic non completum edi. Nonnullibi enim promittit Auctor, se de argumento, cujus forte ibi mentio incidebat, infrà suo loco *plura dicturum esse: uti num* 119 *& sequenti, de Leone PP. IV. Atque antea num.* 112, *de oratorio S. Mariæ in cancellis. Et num.* 114, *de hospitali S. Peregrini. Quorum tamen omnium promissorum nihil* infra *præstatur in ms. nostro. Idem manifestius etiam deprehenditur ex num.* 142, *ubi de quinque portis ecclesiæ S. Petri agendum proponit; & mox num. seq. descriptâ solâ mediâ, quæ Argentea appellatur, reliquarum ne verbo quidem mentione injectâ, transitur ad aliud argumentum longe diversum. Item eodem num.* 143 *denuo monet, uti supra, se, de Leone IV & porta Argentea ab ipso restituta,* suis infra locis dicturum: *cum tamen paulo post finiatur totum opusculum.*

C. J.

& promissionibus non impletis.

25 *Quid suspicer causam esse tot omissionum? Certum est, Auctorem sub finem vitæ suæ præsens opusculum composuisse. Meminit enim in illo Nicolai PP. V, anno* MCCCCLV *defuncti; ejusque epitaphium inserit à se conditum: & à morte illius supervixit ipse tantum biennio, ut supra insinuavi. Hinc aut mors aut extremus morbus potuerint ipsum impedire, quo minus quæ conceperat ac promiserat, compleverit omnia. Sed & alia mihi in mentem venit cogitatio, quod voluerit opusculum suum eatenus compositum, aliter formare; & quæ suprà jam sparsim tractaverat, ad calcem in unum colligere.*

E

Nam lib. 2, cap. 3, de Leonis IV gestis multa dixit; & de quinque portis basilicæ sigillatim egit; & ecclesiæ hospitalisque S. Peregrini meminit; aliaque tractat; quæ libro 4 promittit, se infrà prosecuturum.

MAFEI VEGII LAUDENSIS
DE REBUS ANTIQUIS MEMORABILIBUS
BASILICÆ S. PETRI ROMÆ
LIBER PRIMUS.

De summa dignitate & auctoritate Basilicæ S. Petri

Et magnis donis ac honorabilibus ei collatis.

C

Dignitas suscepti operis

MAgnam cepi animi recreationem, cum multa antiquitatis monumenta Romæ in basilica sancti Petri.... scripta ab aliis, legerem; quæ cum præclara ac memorabilia viderentur, recte me facturum putavi, si aliqua ex his, quæ digniora essent, in unum colligens, litteris mandarem; ut & multa, quæ jam ob incuriam deperierunt, nota fierent, & major omnibus, qui summam ejus dignitatem & excellentiam certius agnoscerent, amor & devotio augeretur. Sane tanta mihi, ea percurrenti, visa est ipsorum facies tantaque majestas, ac magnarum undique occurrentium rerum ubertas, ut nihil eximium & celebre Romæ actum esset, quod non basilicæ ipsius vel locus vel auctoritas totum pene sibi vendicaret: quo plane etiam major ejus constare dignitas videatur, apud quam glorioſa ac excelsa cuncta Romanorum gesta versarentur, quæ tot quidem & tanta suis inferius locis apparebunt; ut, cum de rebus antiquis memorabilibus basilicæ sancti Petri (cujusmodi titulus supra prænotatus est) nunc dicere aggrediar. At verius jam Romanæ historiæ, etsi præter præsens propositum, materia hîc suscepta credi possit.

F

& ecclesiæ S. Petri,

2 Tanta vero erga eam fuit summorum Pontificum magnorumque principum affectio, tantaque devotio, ut quæ ejus causa erexerint altaria templa, sepulcra, domos, palatia, balnea, formas, murosque urbium; quibusve ea ornaverint pavimentis, tectis, picturis, cælaturis, incrustationibus; quæ dehinc insuper dona ei sive serica, sive ænea, sive argentea aureaque contulerint; qualia quoque cum suis infra auctoribus explicabuntur, nullum finem invenire videantur: tanta, inquam, fuit, ut quamvis nullum apud eam, quod incolere Pontifices possent, esset habitaculum, utpote extra urbem, loco parum commodo parumque tuto positam; ad ipsam tamen illi ex Laterano (ubi non tam commode & tute, quam magnifice habitabant) cum quod magnum, cæremoniosum, solenne, dignumque memoria acturi essent, comitante

A omni clero populoque procederent, quasi nullum negotium earum rerum, quas agi oporteret, nisi in basilica S. Petri virtutem habere putarent.

in qua, quidquid Religionis erat, agebatur.

3 Inde sacramentum illud, quod magnum appellabant, ab electo statim Pontifice præstari solitum, publicaque deinde sacrosanctæ fidei, ac scriptis mandata Confessio; nec minus ejusdem ad Christianos omnes populos directa professio; inde consecratio simul & coronatio; non tam quidem Pontificum, quam & regum atque imperatorum: inde supremus sepulcrorum honos & religio; inde concilia de magnis ecclesiæ sanctæ rebus habita; inde supplicationum litaniarumque publica solennisque celebratio; palliorum quoque consecratio; inde & alia, quæ variis infra locis tradita, magna utique & præclara, sese offerent: quorum ut major illustriorque haberetur auctoritas, non abs re sapientissimi illi maximique antiqui Patres statuerunt, ut ea potius ibi celebrarentur, ubi requiesceret summus ipse sacratissimusque princeps Apostolorum Petrus, caput omnis Christianæ religionis, cujus causa jure merito etiam

B sacra ipsa basilica illi dedicata, cunctas alias, uti nomine & auctoritate, ita magnarum quoque rerum honoribus & privilegiis antecederet.

CAPUT PRIMUM.

De fundatore Basilicæ S. Petri Constantino Imperatore, & de modo & ratione scribendæ historiæ, & de admirabili visione Sanctæ Crucis, qua ad fidem Christi Constantinus ipse vocatus est.

Conditor ecclesiæ Constantinus Imp.

QUam talem merito ac tantam, sciendum est, primùm à Constantino imperatore extructam fuisse: quod etsi apud omnes jam percelebre sit; manifeste tamen id etiam demonstrant versus, in arcu ipsius majore ac triumphali scripti, hujusmodi.

Quòd duce te mundus surrexit in astra triumphans,
Hanc Constantinus victor tibi condidit aulam.

C Quorum characteres longe vetusti, peneque dixerim decrepiti, nullum etiam aliud, quam Constantini tempus, quo ibi conscripti sint, manifeste arguere videntur. Sunt & in alio arcu absidæ super altare majus aliæ litteræ, quæ non certius habitæ, majore ex parte corruerunt; sed ex paucis eis, quæ vix adhuc legi possunt, deprehenduntur, licet non integra verba hæc,

Constantini expiata hostili incursione.

de cujus conversione narrantur falsa,

5 Verum quo Dei nutu, quove divino spiritu afflatus id fecerit (cum ante eum omnes Romanos imperatores gentiles, præter Philippum, qui tamen Christianæ fidei nihil contulit; ipsum quoque gentilem fuisse constat) non est à præsenti proposito alienum intelligere. Nam si dixerimus, exhorruisse eum crudele medicamentum abluendi corporis in effuso sanguine puerorum, quod ad mundandam elephantiæ lepram, à pontificibus Capitolii consilio ei daretur; apparuisseque proinde illi in somnis imagines beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quæ ad Christi fidem suscipiendam eum evocarint, simulque à tanti morbi deformitate mundaverint, quod vulgo increbuit; Apochryphum est: illud certe nec ulla certa auctoritate consistit; videmurque nos Christiani Sacerdotes non aliter aliquando efficere, quam indocti quidam grammatici, qui repudiatis explosisque antiquis & veris, quæ non intelligunt, rerum vocabulis, nova quædam alia & numquam lecta verborum portenta subrogarunt. D

à viris eruditis veriora traduntur.

6 Siquidem tam magna sunt & illustria Christianæ fidei exempla, tamque admiranda ab antiquis, doctis sanctisque auctoribus relicta nobis ejus monumenta, ut mirum videatur, quod tam indocile hominum genus, quæ tam barbara gens sit, quæ ad cognoscendum Christum verum Deum, non facile flecti possit. Verum surrexerunt inepti quidam & penitus indocti, qui vanas quasdam & aniles prorsusque insulsas fabellas confinxerunt, quæ neque cultu, neque dignitate, neque sapientia, neque rerum gestarum sinceritate, neque divino ullo gustu cum illis ullo modo comparandæ sint; quas & ab hæreticis fabricatas, cum multi, & quidem eruditi, tum Hieronymus quam maxime & Augustinus, graviter deplorant, quo loco potissimum, quoniam hic historici officio fungimur, ad majorem innumerabilium, quæ infra exponemus, gestorum notitiam, admonendi sumus, non omnia passim, quæ scripta inveniuntur, suscipi debere: opus enim esse magno & acri judicio ad discernendam rerum, quæ traduntur, veritatem, cognoscendamque auctorum vel diligentiam, vel fidem, vel doctrinam vel auctoritatem. E

Cuique in una arte exercitato major ejus scientia,

7 Nam cum omnes doctrinæ & facultates suos quæque habeant professores, qui in eis versati probatique sint (neque enim theologiam nisi theologi; neque philosophiam nisi philosophi, neque dialecticam nisi dialectici; neque legum scientiam nisi juriperiti, ut alias bonas artes præteream, quidquam profitentur) ac duas, tantum ab imperitissimis vilissimisque quibusque, quasi violenter injecta manu, nescio qua infelicitate, usurpari quotidie conspicimus; medicinam scilicet & historiam: & sicut neminem, non rusticum aut stabularium, aut circulatorem, aut pharmacopolam, aut vilissimam etiam quamvis mulierculam videmus, medendi aliqua præcepta, quibus omnem bonam valetudinem polliceatur, semper in promptu habere: ita qui de re aliqua gesta, seu sacra seu profana, loqui præsumant, magna nimirum eorum colluvies sese offerat, quibus nec doctrinæ, nec ornatus, nec auctoritatis, nec sani judicii, rective affectus ulla prorsus gratia; ut jam quod quisque vel majoris addendæ iis, quæ dicenda sunt, dignitatis [gratia,] vel spe quæstûs, vel levitate animi ac jactantia, vel adulandi studio, vel amore ullo aut odio motus, in animum sibi induxerit; audacter ita id affirmet acsi oculis conspexerit; ut nec ullus sit jam nauta, nec caupo, nec tonsor, nec scurra, nec balbutiens ulla jam anicula, cui narrandæ magnæ alicujus rei gestæ ingens animus desit. F

quam duas profitentibus,

præsertim medicam & historicam.

8 Inde fit, ut plura quoque in ipsis, quam in ceteris facultatibus errata committantur, quod plures, utique ignari, exercitium magisteriumque earum suscipere audeant: cum nulla doctrinarum diligentius, nulla sincerius fideliusque, quam ambæ istæ tractandæ sint; utpote quæ humanam vitam ambæ quam maxime conservent: illa paucis, quos degimus annis; hæc omnibus, quas universi vixerunt, ætatibus serviens:

A viens: illa longævitati, hoc temporum perennitati conſulens, illa aliquando defecturam, hæc omni ævo duraturam opem conferens. Nam quemadmodum per illam corporum noſtrorum, ita per hanc cunctorum, quæ umquam fuerint, ſeculorum vita ſuſtentatur: quibus negligenter inſciteque habitis, ut utraque ſummo ſubjaceat periculo, neceſſe eſt.

Qualis debeat eſſe hiſtoricus;

9 Qua in re tenendum eſt, eum qui hiſtoriam ſcripturus eſt, & doctum & bonum ſimul virum eſſe oportere: doctum autem appello eum, qui humanitatis ſtudiis egregie pleneque inſtructus fuerit, qui multa ad mores, ad naturam rerum, ad vitam hominum, ad conditionem temporum locorumque pertinentia, viderit, ac diligenter examinaverit: non quemadmodum aliqui theologi aut juriſperiti, nullius alterius ſcientiæ, quam ejus in qua ſe exercuerunt, gnari, multas ſæpe res hiſtoricas ſcriptis ſuis interſeruerunt, quas cum parum intelligerent, exiſtimantes tamen ſe eas intelligere, non aliter ac alias facultatum ſuarum ſubtiliſſimas argumentationes; decepti errore ſuo, multa aliquando, longe à veritate aliena, tradiderunt; errantesque ipſi, multis etiam, qui eos ſecuti fuerunt, errandi cauſam præſtiterunt: qui ſi ita ut Auguſtinus & Hieronymus aliique plerique eximii ſanctique theologi; ſi ita ut Scævola & Ulpianus ceterique illuſtres antiqui juris conſulti, omnibus bonis artibus & diſciplinis exculti fuiſſent, non aliter ac ipſi, quorum dicta ſummâ ſunt in auctoritate, certiorem fidelioremque eorum, quæ ſcripſerunt, ſcientiam ferre potuiſſent.

B

nempe doctus, ſincerus, verax, chronologus, geographus: C

10 Cum itaque doctum, ita ut dictum eſt, hiſtoricum eſſe oporteat; ac certe, ſicut diximus, bonum etiam virum, & nihil ac geſtum eſt, ſcribens, vel addat vel minuat vel innovet, quo majorem ea quæ narrantur, acquirant dignitatem atque auctoritatem; & nihil, quod non veritate conſtet, pravo ullo aut perverſo affectu ductus, memoriæ tradat; quemadmodum à multis factitari ſupra dictum eſt. Peccat enim graviter, quiſquis impudenter affirmat alias, quam debeat, perſonas, propter majorem poteſtatis excellentiam; alia quoque tempora, propter venerabiliorem vetuſtatis dignitatem; alia item loca, propter clariorem ſitus nobilitatem; peccat, inquam, graviter, quiſquis ea, quæ numquam geſta fuerint, non erubeſcit litteris mandare, ut vel amicorum caſus conſoletur, vel patriam gentemque ſuam extollat, alienamque deprimat, vel ſectam ſimul ſuam pluris faciat, minoriſque adverſam; vel ut gratiorem jucundioremque eorum, quæ ſcribit, lectionem reddat, legentiumque proinde affectus magis provocet; vel ut aliquid, cum aliàs ignarus ſit, ſupra ceteros ſapere atque intelligere videatur.

qui tales non ſunt, paſſim aberrant

11 Quorum ex numero multi extiterint, at quam maxime hæretici, ſicuti & ante ex Auguſtini Hieronymique ſententia tradidimus; qui cum nec boni, nec docti fuerint, innumerabiles nimirum fabulas contexuerunt, ut veritatem Euangelii, quam negabant, facilius ex animis hominum, injectis his dulcioribus, tamquam venenis, averterent, ineſcantes adeo animas rudioris popelli, ut quanta ſit earum vanitas, multis etiam mediocriter eruditis vix perſuaderi poſſit. Neque inde fit, quod Hieronymus de Aſſumptione beatæ Virginis ſcribens, dicit, apocryphum quoddam opus de tranſitu ejus, quod, utpote incertum, minime approbat, multos tamen Latinorum, pietatis amore, ſtudio legendi, carius amplexos eſſe. D

alioſque decipiunt:

12 Neque vero manifeſtiore ullo indicio cognoſcere poſſumus, quæ repudianda ſint opera, quam ubi de nullo conſtat auctoris nomine. Unde & apochrypha dicta ſunt: quale eſt illud, quod modo de tranſitu beatæ Virginis diximus; quamquam & alia aliquando comperta ſunt, quæ falſo Sancti alicujus nomine prænotata ſunt; in quibus cum multi fallantur; at, qui egregie docti ſunt, guſtu quodam ea ſecuti, & cetera quæ nomine auctoris carent, optime intelligunt. Cujuſmodi eſt & idipſum, cujus cauſa, tanta hæc retuliſſe, non inutile aut ineptum fuerit; viſio ſcilicet imaginum beatorum Petri & Pauli, quam cum nullo auctore conſtare dixerim; nunc operæ pretium facturus videar, ſi oſtenderim, majore longe alia atque excellentiore viſione, nec incerto quidem aut improbato ſcriptore, Conſtantinum à Deo vocatum eſſe.

talis eſt narratio de converſione Conſtantini;

veriorá narrante Euſebio,

13 Etenim Euſebius Cæſarienſis, qui fuit doctiſſimus probatiſſimuſque auctor hiſtoriæ eccleſiaſticæ, in octavo ejus libro refert; cum adverſus Maxentium, urbis Romæ tyrannum, Conſtantinus bellum pararet, atque exercitum duceret, anxiuſque, multa ſecum de imminentis belli neceſſitate pervolvens, iter ageret, atque ad cœlum ſæpius oculos elevaret, & inde ſibi divinum precaretur auxilium; vidiſſe eum per ſoporem ad Orientis partem in cælo ſignum crucis igneo fulgore rutilare: cumque tanto viſu fuiſſet exterritus, ac novo perturbaretur aſpectu, aſtare ſibi viſos fuiſſe angelos, dicentes; Conſtantine, in hoc vince: quo lætatum eum, & de victoria jam ſecurum, ſignum Crucis, quod in cælo viderat; in fronte ſibi deſignaſſe, & ita cælitus invitatum ad fidem, non aliter ac illum, cui ſimiliter aliàs de cœlo dictum eſt; Saule, Saule, quid me perſequeris? Ego ſum Jeſus Nazarenus. E

Conſtantinum per Crucis in aëre conſpectum

14 Exinde ſignum ipſum in militaria vexilla transformaſſe, ac labarum, quod erat venerabile ante cetera & præcipuum ſignum imperatorum, in ſpeciem Crucis Dominicæ coaptaſſe; in dextra quoque manu, ſignum ipſum Crucis ex auro fabrefactum habuiſſe, & ita armis vexilliſque religionis ſanctæ inſtructum, adverſum impiorum arma profectum, victoriam adjuvante eo, cujus ſignum viderat, feliciter conſecutum fuiſſe. Poſt quæ optimus Deoque dilectiſſimus imperator Conſtantinus pacatis omnibus, non immemor tantorum Dei beneficiorum, hanc, de qua agimus, centum marmoreis nobilibuſque ſublimem columnis baſilicam B. Petro erexit; recte ex ejus nomine, quem omnibus mundi eccleſiis Deus præfeciſſet, oſtendens, ut ea utique ſupra ceteras præcipue baſilicas coleretur, præcipueque omni honore & veneratione digna apud poſteros haberetur. F

converſum fuiſſe ad religionem Chriſtianam.

A

CAPUT II.

De lætitia populi fidelis propter erectionem basilicæ S. Petri & propter facultatem datam cuique à Constantino erigendi alias basilicas ; & de dedicatione ipsius basilicæ per beatum Silvestrum Papam & de indulgentia ab eo illi concessa.

Lætitia Christianorum ex conversione Constantini,

OPeræ autem pretium erat videre lætantes passim ac Deum laudantes omnes fideles populos, non tam pro ipsius erectione basilicæ, quam quod & cunctis simul, qui Christum confiterentur, legem tulisset imperator, liberam concedens facultatem palam colendi ipsius veri Dei, extruendique ei ubicumque quisque eligeret aras & templa: nam (sicut ait Eusebius, in eo quem diximus libro, historiæ suæ ecclesiasticæ) aderat cunctis velut divino munere

B

infusa lætitia, maxime videntibus ea loca, quæ paulo ante impiis tyrannorum machinis fuerant destructa, rediviva constructione clariora & celsiora consurgere, templaque excelsa pro humilibus conventiculis elevari. Juvabat enim christianorum principum favor, & legislatione religiosa alacres nostrorum animos amplius animabat, dum ad personam episcoporum frequentius scriberent, & honorem sacerdotibus cum summa veneratione deferrent; sed & impendiorum sumptus benignius largirentur.

ecclesias ubique dedicantium,

16 Interea festivitates à nostris frequentissime gerebantur, cum omni lætitia & exultatione, per urbes & loca singula ecclesiarum dedicationibus celebratis, congregabantur in unum sacerdotes; nec pigebat etiam longe positos convenire, quia nullum longum videbatur spatium caritati; concurrebant etiam populi ad populos, & tamquam vere membra unius corporis Christi, jungi sibi invicem sociarique gaudebant. Post pauca quoque inquit; Igitur cum tali simplicitate ecclesiarum gloria apud Deum hominesque proficeret, & imago quædam cælestium haberetur in terris; super omnia quoque religiosus princeps Constantinus exultaret

C

in talibus, ac per dies singulos fide & religione crescens, inexplebili gaudio de ecclesiarum profectibus repleretur; sacerdotibus etiam Dei non crederet sufficere, si se æqualem præberet, nisi eos & longe præferret & ad imaginem quamdam veneraretur divinæ præsentiæ.

ipsiusque Constantini,

17 Post hæc iterum ita ait; Ecclesiarum vero gloria (incredibile memoratu est) quantum religiosi Imperatoris studio adoleverit, quantaque ejus cura etiam erga sumptus indigentium fuerit! Ardens namque in fide Dei animus, & benignum ingenium atque clemens, bonis operibus pascebatur: in tantum vero rerum præsentium bonitas & tranquillitas obtinebat, ut

multimodis fidem Catholicam promoventis.

oblivionem præteritorum parerent malorum. Edictis namque frequentibus per omnem locum propositis, non solum tyrannicas adversus Christianos depulerat leges, jusque civile reddiderat; verum & privilegia plurima ecclesiis, ac summos honores sacerdotibus detulit.

Cur singulariun ecclesiarum,

18 Hæc atque alia hujusmodi, quæ brevioris sermonis causa omittimus, scribit Eusebius, in quibus si quis miretur non facere eum speD

cialem aliquam mentionem ullius basilicæ, à Constantino erectæ; mirari etiam magis oportebit aliud, quia de beato Silvestro pontifice nec ullum ille verbum facit; cum tamen non *ab ipso conditarum* simile veri videatur, neque quisquam dubitaverit, principem & caput ecclesiæ in tanta, quantam diximus ecclesiarum gloria & exaltatione, in tanta populorum fidelium, sacerdotumque præsertim ac episcoporum lætitia & exultatione, non primas ipsum utique partes semper habuisse; non interfuisse ipsum primum *non meminerit Eusebius.* ante omnes cunctis, quæ in honorem christiani nominis agerentur; ita ut quæ pro omisso ejus nomine, excusatio recipitur, non alia etiam pro omissione basilicarum Constantini, recipi debere videatur. Nam credidit fortasse vir doctissimus, satis proposito suo fecisse, si cum præclara Constantini, in exaltatione christianæ fidei benefacta commendaret, generali tantum cuncta, quæ dicenda essent, sermone complecteretur: si multa, quæ omnibus palam constarent, cujusmodi hæc quæ diximus esse intelligebat, præteriret.

E

Ecclesiæ SS. Petri & Pauli construuntur & dedicantur,

19 Erexit ergo Constantinus basilicam S. Petri; ac tunc quidem reddita ab eo pace & quiete omnibus Christianis, positaque in tuto Catholica Ecclesia, reversus Romam beatus Silvester ex monte Soracte, ubi propter metum gentilium imperatorum latitabat, jam securus, jam lætus dedicavit eam, ac aliam pariter S. Pauli XIV Kal. Decembris, comitantibus multis qui ob id convenerant episcopis, exultante quoque ac laudes Deo decantante omni clero, omnique populo fideli; atque in primis præsente, & lætante ac summum ei honorem exhibente Constantino imperatore: fuitque dedicatio ipsa eo majoris gaudii, quo publica jam & aperta. Nam non nisi privatim & clanculum, timore principum, sanctæ hujusmodi celebrationes fieri antè consueverant.

concessis etiam Indulgentiis.

20 Ut vero uberior etiam cum profectu animarum, animis omnium lætitia esset (sicut in antiquis quibusdam monumentis comperimus) concessit indulgentiam pro peccatis perpetuum omnibus, qui pœnitentes & confessi convenirent ad eam, quotannis in ipsa solennitate usque ad octavam diem, Romanis quidem ac aliis vicina loca circumhabitantibus, unius anni; Italicis vero, duorum annorum; ac transfretantibus vel transmontes è longinquiore patria venientibus, trium. Neque enim tam prodigi tunc Pontifices erant, quam nunc sunt in laxandis indulgentiarum gratiis, profundendisque pretiosissimis cælestibus thesauris.

F

CAPUT III.

De circo Gai & Neronis, ubi nunc sita est Basilica sancti Petri, & de detestatione ludorum & libidinum illius, commendationeque Religionis & continentiæ hujus.

Locus aliàs infamis,

IN quo nec satis summam Dei bonitatem ac sapientiam admirari atque laudare possumus, qui locum, ubi omnium libidinum irritamenta, ubi omnia scelera omniaque mala & atrocia facinora exercebantur, mutatis contra longe contrariis conditionibus, omnium virtutum portum omnis-

A *ædificatione ecclesiæ B. Petri sanctificatus.*

omnisque religionis & sanctitatis columen esse voluerit. Nam ubi nunc basilica S. Petri est, Circus ante Gai & Neronis erat, cujus adhuc reliquiæ magna ex parte extant, ubi impiissimi impurissimique Imperatores nihil ad exsatiandas vesaniissimas voluptates immanissimasque crudelitates suas omiserunt; quam maxime Nero, qui primus omnium Christianos persecutus, tantis eos tamque gravibus suppliciis & mortibus affecit, permixtus etiam ipse ceteris carnificibus aurigantis habitu: ut Seneca licet gentilis, at modestus tamen homo, ad Paulum Apostolum scribens ac condolens ei, quod de innocentia Christianorum subinde supplicium sumeretur, dicat eam rem & populo gravem, & sibi admodum luctuosam esse. Cornelius quoque Tacitus, qui Christi sanctum nomen pessime impudentissimeque insectatur, asserat; tam diram & miserandam eorum sortem gentiles etiam ipsos, licet maxime illis infensos, tamen præ immanitate pœnarum atque horrore, longe commiseratos fuisse.

Digressio B

22 Qua in re, si liceat aliquanto digredi ab eo, quod suscepimus scribendarum rerum antiquarum basilicæ S. Petri proposito, instabimus acrius, etiam accusantes insaniam illorum temporum detestantesque luxum & fastum illius ævi imperatoris, quod etsi parum historici officio convenire videatur, non alienum tamen erit à gloria Apostoli Petri; proderit quoque plurimum cupientibus audire laudes ejus, quas prædicaturi huc concessimus, quæ longe, certe etiam melius, hoc dicendi genere atque aptius uberiusque explicabuntur.

per comparationem

23 Nam quanto indignior detestabiliorque apparuerit vesania libidinum, quas eo in loco Romani principes exercuerunt, tanto contra etiam illustrior comparatione eorum fiet & eminentior, quæ postmodum sub beato Petro devotionis & sanctitatis gloria emicuit, tam dispar fuit, tam diversa morum sub illis temporibus conditio, tanta eorum, non aliter ac stercoris in aurum, aut tenebrarum in lucem mutatio, ut felicior jure merito dici possit Vaticani locus, tam sacræ nunc basilicæ, quam execrandi tunc Circi structura; beatiorque psallentium nunc sacerdotum, exultantiumque Deo Christianorum devotione; quam decertantium tunc

C aurigarum acclamantiumque populorum insania: ubi nunc longe certe melius divinæ laudes; quam tunc ambitiosi personabant plausus: ubi dignius sacra nunc cantica; quam tunc spurcissima carmina audiebantur: ubi nunc sanctius Christo vero Deo nostro; quam tunc Jovi adultero venerabantur, voluptatibus horrendisque crudelitatibus.

veteris Vaticani tempore Neronis,

24 Omnis nunc morum sanctitas omnisque virtus colatur, ubi luxuriæ continentia, petulantiæ frugalitas, impudentiæ pudor, prodigalitati parcitas, iracundiæ mansuetudo, fastui humanitas, invidiæ caritas, successerit. Nec si tunc delectabat cursitantium equorum celebritas, nunc minor est spiritualis ea oblectatio, quam concipimus ex contemplatione currentis illius claudi ex utero matris, quem cum nunquam ambulasset, erexit Petrus. Nec si tunc pulcrum erat intueri aurigas, curruum ornatu equorumque agitatione & perniciore cursu exultantes; cessurus est illis, quem nunc præ cælesti pulcritudine non satis admirari possumus, sanctus auriga noster Helias propheta, qui quadrigæ igneæ invectus, tantum cucurrit, D ut metas comprehenderet cæli. Nec si tunc dulce erat pugnantium cum bestiis hominum spectaculo pasci, nunc desit nobis, quod multo dulcius est, contemplari certamen Danielis cum leonibus, quos sanctis suis orationibus superans, mitissimos fecit.

cum novo sub auspiciis S. Petri.

25 Felicem profecto & beatum jure dixerimus Vaticanum, quem licet ingens olim populorum turba, ludorum vanitati intenta, frequentaverit; nunc sanctissimo unius Apostoli Petri nomine excitata, ex omni terrarum orbe confluens, longe ingentior quotidie multitudo invisat omnis ætatis, omnis sexus, simul tenuis & præpotens, non ad explendas, quod illi factitabant, ebrias suas & pudendas voluptates, sed ad sanandas cupiditates promerendasque cælestium bonorum promissas retributiones. Felicem non falso eum iterum & beatum dixerimus, quem etsi Romani olim imperatores tanto studio & amore coluerint, nullum sumptum [curantes,] dum effrenes tantum suas libidines exsatiarent; nunc Romani sacratissimi Pontifices, multo illis & dignitate & auctoritate & majestate superiores, melius colant, totum orbem sua sum- E ma pontificia potestate moderantes; & Apostoli Petri, cujus sedi successerunt, mensis innitentes, omnibus leges & jura dent gentibus, dirigant vitam, componant mores & studia, quibus omnes pareant magistratus, obsequantur principes, inclinent se reges & colla submittant.

CAPUT IV.

De comparatione magnarum rerum, quæ olim in Vaticano ac Circo ejus fuerunt: & quæ nunc in basilica S. Petri, eodem in loco posita, habentur.

Spectacula gentilium profana in Vaticano,

QUod si magnum videatur, Neronem ipsum in primis, se aurigantem sæpius in Vaticano, spectari ab omnibus voluisse: Claudium quoque, cum & frequenter ibidem ipse Circenses committeret, interjectam etiam nonnumquam per quinos missus venationem habuisse; insuper quoque bovas (quod est genus prægrandium serpentium) novorum spectaculorum causa eodem induxisse, quæ tantæ sunt magnitudinis, ut cum occisæ fuissent, solidus aliquando in alvo spectatus sit infans. Sed & Heliogabalum in hoc ipso loco junxisse camelos quaternos ad currus, elephantorum quoque quatuor quadrigas agitasse, disruptis sepulcris quæ obsistebant. F

in sacra à christianis conversa.

27 Si hæc, inquam, magna videantur, longe magis videri debebit, nostri nunc ævi imperatores maximosque pontifices summa cum sacrarum cæremoniarum divinarumque laudum celebratione excelsa hic diademata ac sceptra suscipere: solennes item ac sacras res à summis his sæpe antistitibus cum digniore accurrentium faventiumque populorum lætitia fieri solere: conveniri hic insuper ab omnibus sacerdotum collegiis lætantibus ac Deum simul digne laudantibus, cum vel ad placandam ejus iram, vel ad agendas pro susceptis beneficiis gratias, publicæ per urbem supplicationes decernuntur.

Ubi equus Lucii Veri Imp. honoris causa olim,

28 Quod si eximium utique illud judicetur, quod de Lucio Vero imperatore legimus, tantam eum Circensium curam habuisse, ut volucri

A equo prasino (cui viventi aureum simulacrum fecerat, quod secum portabat; uvas etiam passas & nucleos in vicem hordei in præsepe ponebat) mortuo etiam sepulcrum in Vaticano fecerit; qua nos nunc eum laude efferemus, quo præconio extollemus, in quo tot tantorumque sanctorum martyrum corpora cæsa atque sepulta conquiescunt? Ut taceamus summos Pontifices, quorum vix quisquam sit, cujus non recondita apud se ossa ille contineat. Nam ut prætuerunt illi, tamquam veri sanctique patres, omnibus mundi ecclesiis; ita congrue visum est, ut non alibi defuncti jacerent, quam cum prædecessore suo Apostolo Petro in basilica ejus, quæ in ipso Vaticani Circo, Dei ita nutu fundata est, tamquam vera utique sanctaque mater omnium mundi ecclesiarum.

nunc summi Pontifices honorificentius sepeliuntur.

29 Si vero ingens illud etiam & insigne antiquitatis monumentum, quod ex tot tantisque aliis unicum adhuc, integrum, & incorruptum extat, attendere velimus, obeliscum scilicet, quem in Vaticani circo C. Caligula, consecratis ibi Patris Tiberii avique Augusti cineribus, admirandam certe & stupendam molem, B erexit; cujus erectio tanti æstimata fuit, ut nave, quæ illum ex Ægypto advexit, nihil admirabilius in mari umquam visum fuisse memoretur; nihil quoque abiete, arbore ejus navis; cujus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat.

Obeliscus C. Caligulæ

30 Si hæc, inquam, attendere velimus; quanto pluris nos æstimabimus, quod ex altera adversa illi parte extructum videmus nobile ac pretiosum sacrarium, non ad cineres, aut ad aliam principum vanitatem ostentandam, sed ad conservandum publicandumque aliquando sanctum Sudarium, impressamque illi imaginem Salvatoris nostri Jesu Christi; cujus dignitatis magnitudinem & excellentiam satius est nunc tacere, cum per se satis ipsa res loquatur, ac jam totus illud Christianus orbis, omnes passim populi, parvi simul & magni, ipsi etiam excelsi reges admirentur, venerentur, adorent, ac tamquam præcipuum & singulare omnium mundi reliquiarum thesaurum summa devotione complectantur.

cedit Sudario Christi Salvatoris;

C 31 Nec vero, si quis magnificiendam putaverit Naumachiam, quam proximam Circo Nero statuit; nos minoris faciemus nostrum, non tam piscatorem Petrum, quam contra etiam horrendos dæmones, pro cunctis mortalibus, in tam fluctuanti ærumnarum nostrarum salo, propugnatorem; cui ideo Salvator noster mittenti rete in mari, dixit; Veni post me, faciam te fieri piscatorem hominum; ut naufragans humanum genus, quod salvare ipse venerat, è manibus malignorum hostium liberandum, quasi in hac mundi naumachia pugnanti illi, ac omnibus successoribus ejus, ad id eodem in loco electis Pontificibus, committeret; ne quod dicit propheta, demergeret illud tempestas aquæ, neque absorberet profundum, neque urgeret super ipsum puteus os suum: quem ideo etiam jussum ad se super aquas venire, cum vento valido irruente cœpisset mergi & opem inclamare, extendens manum apprehendit & salvum faciens, dixit, Modicæ fidei, quare dubitasti? ut esset ceteris post eum exemplo, ne cum hujus mundi, quasi naumachiæ, fluctuantibus undis obruerentur; salvari posse tamen minime dubitarent,

& naumachia Neronis, Petro

super aquas ambulanti;

32 Quod si quisquam plurimi etiam se facere dixerit ilicem illam arborem antiquissimam, quæ in Vaticano sita, vetustior ipsâ utique urbe ferebatur, magnæ ob id apud populum Romanum religionis ac majestatis: velim altius consideret altissimam nostram & vivacissimam, perpetuoque duraturam salutiferæ Crucis arborem, cui neque religione, neque majestate par ulla, non dicam dici, sed ne excogitari quidem possit; per quam sub redemptore nostro Jesu Christo vere salutem & vitam consecuti sumus; sub cujus umbra læti tutique quiescimus, refrigerati ab omni æstu malarum libidinum, securi ab omni infestatione nequissimorum dæmonum, defensi ab omni persecutione inimicorum nostrorum, ut recte quidem Fortunatus Cenetensis, episcopusque demum Pictaviensis, qui hymnos Crucis edidit, persancte de ea inter cetera ceciniisse videatur.

D *ilex quoque arbor, gentilibus ibi culta,*

sacrosanctæ arbori Crucis dominicæ,

33 Arbor decora, fulgida, Ornata Regis purpura, Electa digno stipite Tam sancta membra tangere. Beata, cujus brachiis Cæli pependit pretium, Statera facta corporis, Prædam tulitque tartari. Item in alio carmine. Crux fidelis, inter omnes, Arbor una nobilis; Nulla silva talem profert, Fronde, flore, germine; Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet. Flecte ramos arbor alta, Tensa laxa viscera, Et rigor lentescat ille, Quem dedit nativitas; Ut superni membra Regis miti tendas stipite. Quæ talis ac tanta Crucis arbor, sicubi florere & uberrimos fructus suos proferre credenda est; at quam maxime in basilica S. Petri; ut intelligamus, Vaticanum ipsius basilicæ locum, cum olim ob ilicis illius antiquissimæ arborem, magnæ veneration haberetur, interieritque tandem illa penitus: quanto nunc honore & gloria dignum esse credere debeamus, cui dederit Deus tam sanctam Crucis arborem, nulla vetustate, nulloque externo & hostili umquam casu perituram.

quam Fortunatus hymnis celebravit,

E

34 Siquidem cum Constantino jam ad Christum reducto, florenteque Christianorum fide, Helena ejus mater, cujus piis precibus & meritis conversum illum fuisse, pie credendum est; divinis admonita visionibus, Hierosolymam adveniisset sanctissimæ Crucis causa, quam magnopere optabat, diligenter quæsivit, quæsitamque tandem invenit, inventamque partim thecis argenteis conditam reliquit in loco, partim Romam detulit filio, ut quæ diu neglecta Hierosolymis latuisset, Romæ dignius glorioiusque servata coleretur.

ac Helena Hierosolymis Romam attulit.

F

35 In quo non est prætereundum, nobilissimum aliud, quod in basilica S Petri habetur venerandæ ipsius Crucis ac certissimum pignus. Nam cum Symmachus Papa extruxisset in ipsa basilica oratorium sanctæ Crucis eximie mireque ornatum, sed noviter quidem dirutum, ad augendam etiam majorem ejus devotionem recondidit in absida ipsius, decem libras veri ligni sanctæ Crucis: quod cum apud idoneum quemdam auctorem forte legissem, notum id feci iis, ad quos cura basilicæ pertinebat; ut cum dirueretur, custodes ad id adhiberentur, ne incuria deperiret; quibus recte curantibus, ita ut legeram, compertum est, extatque nunc ipsum sacratissimum lignum, servaturque à canonicis summa cum veneratione.

Lignum Crucis à Symmacho PP. reconditum,

denuo inventum:

36 Illud quoque memoratu dignum videtur, quod Sergius Papa, sicuti divina ei visione revela-

alia ejus portio inventa à Sergio PP.

A velatum fuerat, inven t in ſacrario baſilicæ S. Petri, ac in loco quidem longe recondito & obſcuro, forulum argenteum, præ nimia vetuſtate deformatum; ita ut nec ex argenti materia factum videretur; quodam etiam ſigillo obſignatum, cum veſte ſacra holoſerica deſuper, atque intrà cluſam Crucem Domini noſtri, auro lapidibuſque pretioſis eximie ornatam, cum parte veri ligni ſanctæ Crucis ibidem repoſitâ, ſicuti additæ ibi litteræ ſignificabant; quod poſtmodum in die feſto exaltationis ſanctæ Crucis publice adorandum populo quotannis ex antiquo more oſtendebatur. Unde plane glorioſior videretur nunc Vaticanus pretioſo hujus Crucis, tam ſalutaris, numquamque perituræ arboris ligno; quam illius, de qua dictum eſt, antiquiſſimæ ilicis, quæ nihilum proderat, tandemque interiit.

Cincinnato olim in Vaticano aranti allata fuit Dictatura,

37 Certum, quod negari non poteſt, magnum continentiæ & frugalitatis argumentum attribuet fortaſſe quiſpiam laudi Vaticani, quod Cincinnato aranti in eo quatuor jugera, quæ prata Quintia appellarentur, viatorem attuliſſe Dictaturam, traditum ſit: qui locus etiam nunc

B extat, non longe à ponte Milvio, poſſideturque à canonicis S. Petri, utique vetuſtum illud nomen, quo & manifeſte edocemur, ad quos uſque fines Vaticanus extendebatur. Verum nolim certe ego fraudare laude ſua magnum illum Dictatorem, qui omnis expers avaritiæ, omnis ambitionis & luxus, contentus agello ſuo, arando ipſemet manu ſua victum quærebat. Sed quid arator ille cum piſcatore noſtro Petro commune habet, aut dignum ulla comparatione? Cujus fama pene interiit; &, ſi ulla eſt, apud pauciſſimos tantum ac ſolos quidem doctiſſimos eſt: cum piſcatoris Petri nomen, quo nunc mirifice Vaticanus illuſtratus, nemo ſit qui non cognoſcat, nemo ſit qui non veneretur & colat; ad cujus baſilicam ex toto orbe innumerabiles quotidie confluant turbæ, cui ſe incurvent omnes, ſupplicent omnes, cui ferant omnes vota, laudeſque decantent.

S. Petro ibidem ex toto orbe afferuntur munera.

CAPUT V.

De faſtu Romanorum Imperatorum, propter quem Deus tot eorum amplas opes

C *& poteſtates, totque ingentia opera funditus everti permiſit; & de humilitate Petri, quæ eum ac baſilicam ejus, urbemque Romanam ſimul longe illuſtravit.*

Gloria antiquorum Romanorum

QUo magis hoc loco etiam cogor altius mentem efferre, cogitans antiquam illam & ingentem urbis Romæ gloriam: tot tantaſque ex toto terrarum orbe confluentes ad eam divitias, tantas opes, luxus, pompas, dignitates, imperia, poteſtates, tot præſtantiſſimos fortiſſimoſque imperatores, qui tam feroces & innumeras ſubegerunt gentes, tantam prædam domum advexerunt, tot geſſerunt res præclaras, tot ſublimes conſecuti ſunt honores, tot glorioſos duxerunt triumphos; quique, ut rerum geſtarum ſuarum memoriam, indelebilem atque æternam facerent, tot etiam ac tantas extruxerunt arces, thermas, arcus, formas, fora, palatia, ſepulcra ac templa, miro cultu,

ob faſtum depreſſa:

inæſtimabili ſumptu, incredibili labore: quorum vel ex veſtigiis, quæ adhuc apparent, quanta illa jam extiterint, quamque glorioſa, ſatis admonemur. Quæ cuncta cum videam inſtar fumi penitus evaniſſe excelſa, ſed præſertim illa, quæ æterni nominis cauſa ſibi fabricaverunt opera, everſa nunc funditus, vel majore ſaltem ex parte diruta, ita ut nihil niſi violatum & corruptum, nihil niſi perditum deſolatumque intueri poſſimus. D

gloria Petri ob humilitatem exaltata;

39 Cum hæc nimirum animo volvens, attentius conſiderem, non poſſum non ſummopere admirari atque laudare alta Dei & inſcrutabilia ſanctaque ſemper judicia, qui everſis tot opibus, contritaque tot tantorumque principum potentia, confidentium, juxta prophetam, in virtute ſua, & gloriantium in multitudine divitiarum ſuarum; in ea, qua ipſi urbe regnabant, conſtituerit hominem, advenam, indoctum, ignobilem, neglectum, pauperculum, ſordidulum piſcatorem; volueritque majorem eum ibi, quam illi umquam cum omni imperio ſuo fuerint, ac glorioſiorem haberi · majora etiam ei ac glorioſiora, quam illi umquam conſecuti ſint, ab omnibus, quibus imperabant mundi nationibus, officia atque honores exhiberi; ſuſcitans, E ut propheta inquit, a terra inopem & de ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Neque alia certe ratione, ut arbitror, quam ut palam oſtenderet, divinæ nihil majeſtati inviſius eſſe quam faſtum; quem etſi ſurdis quaſi auribus clauſiſque oculis aliquando non advertere videatur; at quanto tamen tardius, tanto & gravius tandem atque acrius puniens, conterit prorſus.

juxta doctrinam & exemplum Chriſti.

40 Neque fruſtra ait propheta: Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum, ſicut cedros Libani; & tranſivi, & ecce non erat; quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus. Contra autem, nihil ei eſſe acceptius, quam animum demiſſum, humilem, modiciſque contentum; cui & majora demum, quam ſperarit umquam, conferre ſolet; ut recte cum Cantico etiam nos dicere poſſimus; Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui; depoſuit potentes de ſede & exaltavit humiles; eſurientes implevit bonis & divites dimiſit inanes. F Ad quod & ipſe, quid agere deberemus, docens, ſuo nos primum invitavit exemplo. Neque enim cum longiore nobilioreque famulatu, neque cum cultiore laxioreque veſtitu, neque cum magnificentiore equitatu, neque cum ſplendidiore apparatu, neque cum lautioribus conviviis, neque cum excelſioribus ædificiorum ſtructuris, neque cum amplioribus dignitatibus ac ſceptris, ad nos Jeſus Chriſtus ſalvator noſter venit; cujus veſtigia qui imitari recuſaverint, longe falluntur, ſi ſe evaſuros aliquando putant juſtum judicium ejus; qui ut nullum, quamvis tenue etiam peccatum, inultum umquam reliquit: at quam maxime hoc tam ingens, ac tam adverſum ei ante cetera, atque inviſum; faſtum dico.

A

CAPUT VI.

Quod Deus permiserit, tot insignia excelsaque, à Romanis imperatoribus extructa opera, non modo everti, sed & coinquinari, omnisque immunditiæ loca fieri, in majorem confusionem fastûs eorum: in quo pauca ex iis, quæ faciliorem aliorum intelligendorum viam aperiant, commemorantur.

QUantum vero Deus hujus tantæ perniciei mala, in Romanis præsertim principibus, ultus fuerit, ex eo etiam magis demonstratur, quod non modo tot ingentia ædificia, sublimesque domorum erectiones, quibus illi cælum gloriâ attingere putabant, dirui evertique passus sit; sed & insuper profanari, conspurcari, omnisque immunditiæ & horroris loca fieri voluerit; quo majori etiam dedecori stulta illorum gloriæ vanitas, quæ tanti eis constitit, haberetur. Cujus rei etsi multa passim appareant exempla, illud tamen quod insignius ceteris videatur, satis obscurum hactenus, in lucem proferemus.

Gloria veterum Romanorum etiam conspurcata

B

42 Constat quippe ex auctoritate Livii, sacellum Pudicitiæ patritiæ, quod nobiliores tantum matronæ intrabant colebantque magna cum veneratione; fuisse in foro boario ad ædem rotundam Herculis: porro forum boarium cum ex multis, tum ex epigrammate, quod adhuc extat, non dubitamus ibi fuisse, ubi nunc est templum S. Georgii ad Velum aureum: neque absonum videtur dicere, quod ædes illa rotunda Herculis, apud quam fuit sacellum illud Pudicitiæ patritiæ, sit ea, quam ibi vicinam adhuc videmus, dicatam beato Stephano, sitam juxta ripam Tiberis: sed & templum Vestæ, sicuti ex antiquis monumentis intelligere possumus, huic proximum erat, ubi virginitatem perpetuam electæ ad id ministræ colebant. Quod si dixerimus illud esse, quod situm juxta flumen ac pontem cernitur, consecratum nunc beatæ Mariæ Ægyptiacæ, non forte erraverimus; propterea quod similitudo frontis templi ejus, nihil differt à templo quodam, insculpto marmori, in quo virgines Vestales sacrificant, quod est in frontispicio magnæ domus, sitæ ante plateam S. Petri.

in templo suæ Pudicitiæ,

C

43 Quæ cum ita sint, atque iis in locis, quæ tunc pudicitiæ simul & virginitatis hospitia ac templa erant; nunc publicum, infame pudendumque lupanar sit, habitentque infelicissimæ illæ mulieres, publicarum libidinum miserabiles victimæ. Magna nimirum hinc nobis injecta est occasio cognoscendi divini alti consilii, terribilisque judicii Dei; qui ut fastum illorum temporum, perfidorumque dæmonum simul fallacias, quibus miserrimi illi mortales sub specie virtutis & sanctimoniæ decipiebantur, confunderet, non abs re tam pollutum obscœnumque ex pudico & sancto, qualem ipsi arbitrabantur, locum eum fieri permisit.

nunc in lupanar conversa.

Tria ab Augusto Cæsare constructa templa,

44 Quo magis ex tot tantisque Romanis imperatoribus, qui præclara multa & superba, nunc quidem penitus diruta, diis suis fana erexerunt; unius tantum Augusti Cæsaris (utpote qui majorem ceteris imperii sui felicitatem consecutus fuerit) dicenda sunt tria, quæ ipse nobilissima ædificavit templa, qualem tandem exitum habuerunt. Nam primum, quod Jovi Ultori cum foro simul extruxit, quod & bello Philippensi voverat; sordidus nunc admodum & despectus locus effectus est, cujus vix etiam vestigia ulla appareant, nisi ingens quoddam simulacrum marmoreum, quod jacet è regione ædiculæ beati Petri in carceribus, sub arce Capitolii; uti certo constat, forum ipsum ab eo simul extructum fuisse, & ex allusione vocabuli ipsius simulacri, satis colligi potest. Vocatur enim vulgo Marforum, abjectis paucis litteris, id est Martis forum.

D

Jovi Ultori,

45 Aliud vero templum, quod Apollini in palatio cum cortinis aureis, aliisque eximiis ornamentis consecravit, ita dirutum est, ut modicas tantum ejus reliquias, quæ Aventinum montem respiciunt, adhuc videamus; factumque sit nunc illud, habitaculum caprarum, ita ut ad prima antiqua tempora, quibus ante Romulum pascentes ibi capellæ & armenta agebantur, rediisse vere dici possit: nec quamvis multa ibi alia templa essent, ut difficile sit de iis certum ullum judicium ferre; dubitaverim tamen, hoc templum ipsum Apollinis fuisse; propterea quod dicat Suetonius, Augustum ibidem sub basi ejus libros Sybillinos, duobus forulis auratis clausos, recondidisse, rejectis crematisque ceteris fatidicis libris Græci Latinique generis; qui nullis vel parum idoneis auctoribus contracti, supra duo millia vulgo ferebantur Extat autem nunc basis ipsa, eidem templo subjecta, & ingens quidem, quam ego vidi ingenti etiam ac forti muro altera ex parte firmatam. Extat quoque pars pavimenti ipsius templi ruderibus obruta, sub quo basis ipsa fundata est.

Apollini,

E

46 Sed & tertium, quod Jovi Tonanti in Capitolio templum erexit (ob evitatum periculum, cum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque præducentem exanimasset) eò devenit, ut non modo penitus eversum sit, sed & insuper infamiæ horrorisque locus effectus fuerit: quippe cum ibi nunc rei mortis, publicæ cruci appendantur; quo quid dici potest ignominiosius? quid despectius? quid ludibriosius? Quod Deum, putem, providentissime ita permisisse in vituperium confusionemque nequitiæ pessimorum dæmoniorum, superbiæque magnorum illorum ac præpotentum virorum; ut ubi rex & pater eorum, quem Jovem appellarunt, tunc coleretur; ibi aliquando ignominiosa morte damnatorum crux, ne majus aliud ullum ludibrium addi posset, figeretur. Quod plane ita verum esse, ut dico, quisque confitebitur, si legat vitam beati Calixti Papæ; ubi traditur, temporibus Macrini & Alexandri imperatorum, incendio divino concrematam esse partem Capitolii à meridiano; & intra templum Jovis ruisse manum ejus sinistram auream: quod cum auruspices pro more eorum sacrificiis suis expiarent; iterum cælum turbari cœptum, ictamque fulmine aram Jovis conflagrasse, quatuorque ex ipsis idolorum sacerdotes interiisse.

Jovi Tonanti,

F

47 Cum igitur templum ipsum Jovis meridiem respiceret, atque in eodem nunc loco videamus

quid tandem devenerint.

A deamus furcas esse, propter appendendos mortis reos positas, recte dicemus, ibidem & templum illud fuisse, quod ab Augusto propter timorem fulminis, Jovi Tonanti consecratum, fulmine tandem concrematum est, quod, magno tunc in honore ac veneratione (illudentibus ita illi seculo nequissimis dæmonibus) habitum; ad tam triste demum & ludibriosum appendendorum furcis hominum ministerium, miro non nisi & alto Dei judicio devenerit. Neque objecerit quisquam, quasi ab Augusto ædificatum templum Jovis, quod in monte Tarpeio versus Orientem, præclarum olim ac solemne admodum extitit. Nam diversum illud longe ab isto est, quod & L. Tarquinium superbum ex præda de Volscis capta erexisse, Livius tradit. Hæc de iis, quæ extruxit Augustus templis.

Templum quoque Augusto,

48 Ceterum operæ pretium est etiam intelligere aliud, quod defuncto illi postmodum Tiberius templum inchoavit; C. Caligula absolvit; sacros illi uterque honores tamquam Deo exolvens, ne quid, ad declarandum majorem tumefactioremque eorum fastum, omitterent.

B Volui equidem & istud curiose investigare, quod nec difficile fuit, habita conjectura ejus, quod scribit Suetonius. Ait enim, C. Caligulam

tamquam Deo erectum,

super templum divi Augusti ponte transmisso, Palatium Capitoliumque conjunxisse. Cum diligenter igitur ipsum inquirerem, manifeste reperi positum loco, quo nullus est angustior inter Palatium & Capitolium, ut facilius pons ille utrumque transmitteret. Est autem nunc sepe & maceria clusum undique, ac circumquaque patentes horti. Cum primum vero illud vidi, extabat adhuc ingens pila, quæ demonstrabat excellentiam ejus ædificii: sed post mensem, cum illac iterum transitum facerem, demolitam ipsam penitus aspexi; ita ut nihil nunc

vindicante vero Deo penitus collapsum est.

præter fundamenta ac jacentia passim ejus rudera appareant, in manifestam certe, quam divina justitia ostendit, reprobationem confusionemque elationis & superbiæ eorum, qua adeo transgressi sunt modum, ut non modo ad superfluam profusamque omnem libidinem, tanta fecerint; sed & insuper honores, qui Deo soli debebantur, cum dæmonibus, tum mortalibus

C etiam attribuerint; qui juxta Prophetam, cum in honore essent, non intellexerunt, comparati sunt jumentis insipientibus & similes facti sunt illis.

CAPUT VII.

Quod deficiente jam vigore Romanorum imperatorum; claritudo & gloria urbis Romæ, quæ in tenebris erat, per Petrum tamen piscatorem postmodum longe emicuit.

Epilogus primi libri.

ATque ut unde non inepte discessimus, nunc redeamus, confudit Deus tantùm Romanos illos principes, sinens eorum omnem potestatem & gloriam deperire, evanescere opes, labefactari regna, ruereque, & omnibus immunditiis spurcitiisque coinquinari tam excelsa, quæ miro longe sumptu & labore, opera extruxerunt; demonstransque quod diximus, quam invisum haberet, quantoque odio persequeretur eorum fastum; ut, nisi exsurrexisset D vilis noster piscator Petrus (à quo postmodum in successores ejus Romanos Pontifices summa ea, quæ nunc constat [apud] omnes gentes, auctoritas & potestas derivavit) jam omnis prope urbis Romæ claritudo omnisque splendor in tenebras iisset. Ceterum tanto ille Romæ in honore ac gloria habitus est, tantumque ejus gratiâ Romanum nomen per omnes orbis terrarum [partes] longe lateque claruit, ut manifeste appareret, quam Deo chara esset humilitas, susceptaque sponte sui dejectio; quam placens illi cor, minime elatum, tenuisque & frugi vita. Quo factum est, ut Constantinus illi basilicam, de qua hæc dixisse satis sit (præter alia, quæ non est præsentis instituti ab eo edita narrare) tam insignem & glorioſam erexerit, longe feliciore voto, quam primi antè imperatores tot excelsa opera sua; quæ memorabili demùm elationis & fastus, cujus causa tantùm illa effecerunt, exemplo diruta sunt.

LIBER SECUNDUS

CAPUT PRIMUM.

De fundatione altaris majoris & translatione corporis B. Petri ex Catacumbis ad ejus basilicam.

Dedicatur altare majus S. Petro

ERectâ igitur basilicâ, Constantinus tum altare etiam majus fundavit, una semper cum beato Silvestro Papa, benedicente ea & consecrante, habito quoque magno episcoporum aliorumque sacerdotum conventu, concurrenteque simul plurima exultantium ac Deum laudantium Christianorum turba. Post quæ non minore etiam cum lætitia curavit corpus ejus illo transferri, quod jacebat prius in Catacumbis extra urbem porta Appia, ubi nunc est templum beati Sebastiani, sicut legimus in vita beati Damasi; ubi etiam ipse traditur dedicasse Platoniam, in honorem apostolorum Petri & Pauli,

corpore ejus ex catacumbis eò illato,

quorum corpora ibi jacuerunt: & aperte id testatur beatus Gregorius in epistola, quam scripsit ad Constantinam Augustam, cujus partem ad nos pertinentem his subjecimus hujusmodi. De corporibus vero beatorum Apostolorum ego quid

F dicturus sum, dum constet, quia eo tempore quo passi sunt, ex oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicut civium suorum, repeterent; quæ ducta usque ad secundum urbis miliarium, in loco, qui dicitur Catacumbæ, collocata sunt. Sed dum exinde levare omnis eorum multitudo conveniens, niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, ut talia denuo nullatenus tentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, & in locis quibus nunc sunt condita, posuerunt.

aut forte ex Monte aureo.

51 Hæc beatus Gregorius, quamquam non ignorem, fuisse aliam quorumdam sententiam, qui dixerint, translatuliſſe illud noctu beatum Cornelium Papam ex Catacumbis, rogatu matronæ cujusdam Lucinæ, in cujus hortis ædificata postea fuit basilica sancti Pauli, recondidisseque in Monte aureo, ubi templum Apollinis erat, nunc sancti Petri, ex nomine ejus, ubi & crucifixus est: atque inde rursum per bea-

A tum Silvestrum Papam & Constantinum imperatorem ad basilicam ejus, ubi nunc jacet, corpus ipsum translatum fuisse: quorum opinionem manifeste beati Gregorii auctoritas arguit: cui & ego, quod verius loqui videatur, assentior.

CAPUT II.

Quod beatus Petrus passus fuerit in Monte aureo sive Janiculo, portatumque corpus ejus ad Catacumbas, & ex Catacumbis postea ad basilicam ejus.

Passus est Petrus in Monte aureo,

ILlud tamen non negaverim, B. Petrum in Monte aureo crucifixum fuisse, quod & illi putant; verum in Catacumbis, ubi cetera & plurimùm Christianorum corpora recondebantur, semper sepultum mansisse, donec tandem ad basilicam, per Constantinum erectam, translatum fuit. Nam quod in Monte aureo crucifixus fuerit B. Petrus, comprobare satis videtur auctoritas Gai cujusdam antiqui scriptoris, quem in historia ecclesiastica Eusebius refert; qui & cum Zepherino episcopo Romano adversus Proculum quemdam Cataphrygam disputans, hæc de Apostolorum commemorat locis.

B

ex testimonio antiqui scriptoris;

53 Ego (inquit) habeo trophæa Apostolorum, quæ ostendam. Si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Ostiensi; invenies trophæa defixa, quibus ex utraque parte statutis, Romana communitur ecclesia. Est enim Mons aureus, in quo crucifixum ac tumulatum diximus B. Petrum, situs recte via ipsa regali, quæ ad Vaticanum ducit, & in qua trophæum beati Petri defixum esse, Gaius tradit: cujus auctoritatem retulisse, non fuerit inutile, propter quosdam alios, quorum adversa est his opinio; ut cognoscant se errare, cum existimant, apud molem Adriani imperatoris,

non ad molem Adriani,

ubi nunc est templum S. Mariæ in Transpadina, B. Petrum crucifixum fuisse; proindeque corpus ejus ibi quievisse, non alia ratione, quam quod scriptum inveniatur, inter duas metas mortem eum sustinuisse: templum autem S. Mariæ in Transpadina situm sit inter duas metas, quarum una est moles Adriani.

C

quæ tunc nulladum erat.

54 Quorum ratio nullo modo quadrat: quippe cum pons Adriani & moles ejus nondum extructa esset: neque enim adhuc ille mundo imperabat. Quod autem traditum sit, inter duas metas B. Petrum crucifixum fuisse (si tamen id verè traditum sit) dici potest eas metas esse, quarum una in Vaticano est, altera juxta montem Aventinum: inter quas verum est dicere, Montem aureum, in quo vere is crucifixus est, positum esse. Qui si tantum sententiæ suæ insistere pergant, respondeant velim Gai auctoritati, quæ dicit, trophæum ejus defixum esse via regali, quæ ad Vaticanum ducit. Neque enim templum S. Mariæ in Transpadina, via regali, sed in ipso Vaticano situm est. Nam via regalis ad S. Mariam in Saxea, quod nunc est hospitale sancti Spiritus, tantùm extenditur.

D

CAPUT III.

De theca argentea, in qua repositum fuit corpus B. Petri sub altari majori, & donis ei oblatis.

Corpus S. Petri thecæ argenteæ,

TRanstulit igitur Constantinus sacratissimum corpus B. Petri, quod summo quidem fecit ac merito cum honore, una cum beato Silvestro Papa. Tum fabricavit ei insignem thecam argenteam, ære undique & cupro concluſam, qua decentius conditum esset, omni ex

ære undique munitæ, incluſum est,

latere, in longum & in latum, sursum ac deorsum quinque pedes protensam, ac desuper arcam deauratam. Supra corpus quoque ejus posuit crucem ex puro auro factam, CL librarum auri, in qua exsculptum est, Constantinus Augustus & Helena Aug. Supra altare autem, cui

erecto desuper altari;

subjacet corpus, statuit nobile tegimen auratum, quatuor porphyreticis columnis erectum, quod postea Papa Leo IV argento puro eximie ornavit, vir sacris semper lectionibus, vigiliis quoque & orationibus vacans; qui mire etiam affectus fuit basilicæ S. Petri: cum [enim] à teneris usque annis monachalem vitam diu egisset in monasterio S. Martini, quod erat contiguum ipsi basilicæ; de quo etiam infra suo loco diceemus; ita memor tenellæ antiquæ educationis, numquam postea, id quod fieri solet, amorem ejus quem conceperat, ex animo delere potuit: quare & multis aliis magnis beneficiis eam prosecutus est.

E

cui varia à Leone 4 addita ornamenta;

56 Nam arcam altaris, quam Constantinus extruxerat deauraveratque, cum nonnihil sordiisset, ipse etiam intus & extra argento munivit. Crucem quoque fecit de auro purissimo, ornatam diversis gemmis, hyacinthis scilicet & albis smaragdis, miræ magnitudinis, ponderis mille librarum auri optimi, posuitque eam juxta altare parte dextra; quæ & duravit ibi usque ad longa tempora. Sed & tabulam de auro & smaragdo, ponderis CCLXVI librarum auri; quæ

tum argentea,

vetus & novum Testamentum continebat, quam & posuit in fronte altaris, visam etiam ibi tempore Alexandri tertii: præterea & imaginem Salvatoris nostri Jesu Christi in throno sedentis cum duobus angelis juxta se: simul quoque XX alias imagines argenteas circumquaque positas ante altare super columnas marmoreas intortas & vitibus pulcro opere insculptas; quarum uni, quæ proxima est altari S. Bartholomei, tantam Deus virtutem præstitit, ut qui à dæmonibus arrepti sint, apud eam divinis habitis supplicationibus liberentur: quod multis jam certis magnisque exemplis compertum habemus. Addidit insuper & XL receptacula argentea, instar coronarum fabricata, in quibus lampades ante altare appenduntur.

F

tum aurea.

57 Nec satis hæc, crucem quoque magnam auream fecit, quam posuit ad altare sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ, ducentarum librarum: è regione etiam ad altare sanctorum Philippi & Jacobi aliam magnam crucem argenteam, ponderis itidem ducentarum librarum. Portam vero mediam basilicæ antiquam (ubi etiam sub rotundo marmore porphyretico, traditum est, jacere corpus venerabilis Bedæ) per quam, utique ob ejus reverentiam, antiqui nostri [non] transibant; ornavit ipse præ-

A præmunivitque totam tabulis argenteis ac variis picturis; [quæ] inde & deinceps argentea appellata est: jacetque juxta eam in vestibulo Papa Benedictus tertius.

In templi frontispicio portæ sunt quinque,

58 Cujus rei gratia scire oportet, quinque portas esse basilicæ S. Petri, ante vestibulum sitas, suo quasque nomine appellatas; earum scilicet mediam, Argenteam, de qua nunc agimus, cujus & ornamentum duravit usque ad tempora Alexandri tertii; postmodum corrupta deformataque gravem in modum semper fuit; adeo

1, *Argentea in medio,* ut & nomen, quo Argentea vocabatur, amiserit; donec Eugenius quartus, qui fuit Pontifex omni virtute excellens, cum nihil umquam nisi magnum & glorioſum aggressus fuerit; ita hanc portam pristino decori restituit, ductam ex ære, magno sumptu, miro artificio, expressis ibi magnis ac præstantibus rebus gestis suis, non qnidem ex argento, prospiciens altius, ne forte aliquando, quemadmodum superioribus temporibus, nefanda prædonum cupiditate violaretur; cui & impressa sunt epigrammata in testimonium gestorum ejus, quæ nos edidimus hujusmodi.

B Hæc sunt Eugenii monimenta illustria quarti,
Excelsa hæc animi sunt monimenta sui.

Item aliud.

Ut Græci, Armeni, Æthiopes, hîc aspice, ut Indi,
Romanam amplexi sint Arabesque fidem.

2, *Romana;* 59 Plane huic alia proxima porta est ad dextram partem introitus, quam Romanam appellatam esse accepimus, ex eo quod Romanæ mulieres antiquitus per eam frequentius basilicam introirent; sepultusque est intra hanc portam & portam Argenteam in vestibulo, Joannes quidam

3, *Guidonea,* Papa. Quæ vero hanc contingit est & alia porta, quæ Guidonea, vulgari verbo à Guidonibus, qui venientes oratores per eam ducebant, vocata est: juxta quam etiam in vestibulo reconditus est Papa Joannes IX. Porro alia porta, per quam à sinistra parte basilicam introimus Argen-

4, *Ravenniana;* teæ proxima, Ravenniana dicebatur à Ravennatibus, qui trans Tiberim habitantes, per eam intrare consueverant, quorum nomine & Tusci, & Transpadani omnes simul significabantur. Intra has portas Ravennianam scilicet & Argenteam in vestibulo sepultus est Sergius Papa.

C 60 Ceterum alia huic contigua est, quæ Porta

5, *Judicii.* Judicii appellabatur, quod per eam tantùm mortui sepeliendi, quasi à Deo judicandi, portarentur; solaque nomen suum adhuc, cum ceteræ amiserint, servat: juxta quam in vestibulo situs est Nicolaus II, & Joannes VIII, & alter etiam Joannes X: cum intra eam & portam Ravennianam intus in basilica sepultus sit Bonifacius IV juxta oratorium, quod erexit Bonifacius VIII, in quo & ipse jacet, quod adhuc indicant versus ibi insculpti, parum tamen habentes dignitatis. Sed non indignus ille memoratu, propterea quod à Phoca imperatore impetravit, ut templum, quod antea Pantheon, à gentilibus cultum, dicebatur; in honorem B. Mariæ Virginis ac omnium Sanctorum, mutato feliciùs sanctiusque titulo, erigeretur: quem & vulgo tradunt ab eodem obtinuisse, ut Ecclesia Romana sub B. Petri nomine superior omnibus aliis haberetur; licet id verius legerim fuisse Bonifacium tertium; cujus error fortasse ideo ita invaluit, quod Bonifacio tertio, quartus, nullo alio interveniente, statim succesſit.

61 Nunc ut ad Leonis IV liberalitatem, unde necessario digressi sumus, revertamur: non contentus is tam insignibus sacrorum ornamentis; communi etiam canonicorum utilitati & commodo, quo melius ferventiusque divinis intenderent officiis consultum provisumque quam maxime iri, studuit. Nam Bucenia castrum, quod proprii erat patrimonii, illis donavit; pari modo & ecclesiam Salvatoris, quæ fita est in Torrione, quam & ad sepulturam peregrinorum omnium Ultramontanorum erexerat; nec non & ecclesiam S. Justini, sitam in monte Saccorum, quam & ad peregrinos omnes Latinos sepeliendos extruxerat; ecclesiam quoque S. Peregrini, quæ non longe distat à porta Viridaria; ac ecclesiam B. Mariæ in Palazolo, & S. Georgii martyris, quæ post S. Petrum posita erat: atque hæc omnia cum fructibus ac ceteris omnibus, quæ ad eam pertinent; cum & multa alia tamen eis contulerit. Sed hæc tantùm ex omnibus, quæ certiora apparuerunt, referenda dignius existimavi. D *Possessiones à Leone 4 ecclesiæ S. Petri oblatæ,*

62 Ipsam vero basilicam una cum alia S. Pauli, quas sub Sergio Papa Sarazeni irruentes, devastaverant, egregie reparavit, præter cetera, quæ magnificè etiam edidit. Nam & templum S. Mariæ novæ ædificavit, & basilicam sanctorum quatuor Coronatorum, cujus illi titulus Cardinalatus fuerat, amplius etiam auxit ornavitque. Muros etiam Ostienses simul ac Portuenses, à barbaris dirutos, non modico sumptu restauravit. Verum quid hæc ego tantopere minora prosequor? quasi oblitus videar glorioſi illius operis, quod in munimen defensionemque basilicæ S. Petri magno animo, magnaque simul impensa erexit, perfecit quoque sexto mense; muros scilicet, qui una ex parte ad arcem usque sancti Angeli, ex altera autem usque ad hospitale sancti Spiritus, cluso intrà superiore monte, protenduntur: unde & totum ipsum ambitum, civitatem postea Leoninam, à nomine conditoris, appellaverunt. *templa constructa,* E *urbs muris munita*

63 Hos cum semirutos noviter Nicolaus V denuo extrueret, aggressus rem longe etiam majoris animi atque impensæ; sed præstantem admodum, atque præstanti illo Pontifice vere dignam, interrupto medio ipso opere defunctus est. Cessit autem illud tantæ saluti, non modo basilicæ S. Petri, sed ipsius etiam urbis Romæ, ut barbaræ gentes, quæ multotiens illi insultantes, basilicam, tamquam aptiorem nequitiæ eorum nidum, occupare consueverant; erectis deinceps muris deterriti, à solita se excursione insultationeque abstinuerint: neque necesse fuerit Carolum Magnum, qui ad opem ferendam accersitus, egregie eam ab omni vi injuriaque tutatus est, aut alium quempiam præpotentem regem, defensionis causa advocare. Unde &, sicut memoriæ proditum est, recte videantur antiquiores Romani contra Hetruscorum impetum hunc locum, utpote hostili impugnationi aptum, ex responso vatum (unde & Vaticani nomen accepit) occupasse. *ad avertendas barbarorum incursiones,* F

64 Non sum vero ignarus, sculptos esse quosdam versus super porta, quæ tangit arcem sancti Angeli, atque alios super porta Viridaria, qui vulgo passim habentur, qui & ejus tanti operis ipsum Leonem quartum auctorem fuisse significant. Sed quoniam ineptissimi sunt, non dignos putavi, quos his insererem. Ceterum quoddam epigramma prosa solutum, minime contemnendum (quod ego, cum penitus igno- *ubi patet ex antiqua inscriptione;*

A ignoraretur, præ nimia pene vetuſtate corruptum, ac quaſi obcæcatum, ſolidum tamen integrumque exſcripſi inſculptum lapidibus Tyburtinis ſuper porta ipſorum murorum, contigua arci ſancti Angeli) dignius credidi hîc inſerendum; ex quo intelligemus, & muros ipſos tunc à Pontifice Leone erigi cœptos, & barbaros etiam, cum iterum inſultum feciſſent, victos, ſimulque in ipſo murorum opere erigendo damnatos. Verba ejus hæc ſunt.

hic allata; 65 Cum voluiſſet iterum contra Romanos malevola Saracenorum gens bella excitare ut prius, deprædationeſque inferre; quoſdam, Deo permittente, maris tempeſtas abſorbuit; quoſdam vero Romani milites vivos ceperunt, atque ob laudem æternamque memoriam, plures ferro vinctos, in hoc tam perhoneſto opere diverſos perferre labores coëgerunt.

Hoc ſiquidem novum miraculum ſanctiſſimi Leonis Papæ quarti temporibus, & invictiſſimi Domini Lotharii imperatoris ſemper Auguſti, Dominus fecit.

B *& alio vetuſto inſtrumento;* 66 Nec omittendum videtur decretum quoddam ipſius Leonis IV, inſculptum tabulæ marmoreæ in templo S. Michaëlis non longe à baſilica S. Petri; in quo non quidem erectionis murorum (nam nondum erigi cœperant) ſed inſultationis barbarorum, occupationiſque baſilicæ S. Petri, nec non & defenſionis à Carolo Magno factæ, inter cetera fit mentio: cujus partem, quæ propoſito noſtro conducit, huic quoque ſubdere dignum duxi hujuſmodi.

itidem hîc citato. 67 In nomine Domini. Tempore Leonis III Papæ, imperante Carolo Magno Imperatore, eo tempore, quo B. Petri baſilica à Saracenis capta fuerat; tunc denique pro totius mundi capite turbato totus mundus turbatus, omnis Gallia cum rege Carolo ad tuendum illam venerunt. Unde contra inimicos Domini decertando, quidam mortui ſunt, & in crypta juxta Neronis palatium ſepulti, eodemque tempore à Leone Papa & rege Carolo ad honorem Michaëlis archangeli ſuper illos facta eſt eccleſia iſta. Quibus peractis, Rex Apuliam abiit, eamque B Petro & Romæ ſubjugavit. Et reliqua, quæ quia nihil ad rem noſtram pertinent, conſulto omittimus.

C *Alii quoque Pontifices S. Petro munifici,* 68 Nec inutile fuerit hæc commemoraſſe, ut manifeſtior fieret hujus noſtri Leonis IV, non tam erga baſilicam S. Petri amor & beneficentia, quam ſumma etiam in agendis magnis rebus ſapientia, & animi magnitudo; cujus exemplum ſecuti ceteri Pontifices, quorum fuit ſemper ingens ſtudium, baſilicam S. Petri maximis & commodis & honoribus, & privilegiis augere, multa ei atque ampla dona pro ſuo quiſque captu contulerunt, quam ſummo, certe ante alias, utpote matrem ac principem omnium, & amore & favore complexi ſunt.

Eugenius 3, 69 Nam ut alios omittamus; Eugenius tertius, qui nullo pacto prætereundus eſt, privilegium edidit, quo jus factum eſt canonicis percipiendi quartam partem omnium oblationum, quæ baſilicæ obveniſſent. Tantæ præterea erga baſilicam devotionis & munificentiæ fuit, ut numquam illuc ſolennia Miſſarum celebraturus accederet (quod ſæpe faciebat) quin vel optima pallia, vel veſtes pretioſas, vel candelabra argentea, vel hujuſcemodi aliud nobile & Pontifice dignum munus offerret. Quod idem factitaſſe leginus Adrianum quartum, qui & caſtrum inſuper Valeranum in epiſcopatu civitatis Caſtellanæ poſitum, canonicis dono dedit. Privilegium quoque conceſſit libertatis omnium baſilicæ eccleſiarum, etiam earum, quæ extra urbem eſſent. Cujuſmodi conceſſum eſt etiam à Papa Leone IX, cujus & multa emicuerunt ac magna ſigna; jacetque corpus ejus intra portam Argenteam & Ravennianam intus ipſam baſilicam; ubi nunc eſt altare, ad quod memoria omnium defunctorum die ſuo quotannis celebratur.

D *Adrianus 4,* *Leo 9,*

70 Nec prætermittendus eſt Hormiſda Papa præ magna novitate rei: qui cum diverſis Romæ baſilicis diverſa ornamenta contuliſſet, ad baſilicæ S. Petri traditur, trabem argenteam pondo MXL librarum excellentius longe donum dediſſe. Non item beatus Gregorius, qui ad inſtruenda abundantius baſilicæ ipſius luminaria, multa prædia, multaque præſertim oliveta illi donavit, ſicut conſtat ex publico documento, inſcripto tabulis marmoreis: quæ cum primo ſeptem eſſent; nunc duæ tantum adhuc affixæ ſunt muro ante ingreſſum ejus. Sed hic quid diutius immoror, cum multa hujuſcemodi à multis certe Pontificibus baſilicæ conceſſa, atque ultro impenſa, paſſim inveniri poſſint. Neque vero fuit noſtri propoſiti hæc attingere. Quare eximia, quæ à ſingulis Pontificibus ei dona obtigerunt, narrent alii.

Hormiſda, *Gregorius,*

E *alii.*

71 Ego jam ad reliqua dicenda pergam, redeoque ad altare noſtrum maius, unde interjectis tantis verborum rationibus, diſceſſimus. Quod cum nimia poſtmodum vetuſtate, hominumque incuria, quaſi violatum videretur; optimus tandem pontifex Caliſtus ſecundus optimis, quæ adhuc apparent, marmoribus denuo extruxit atque ornavit, & in celebri die Annunciationis B. Mariæ magno cum epiſcoporum ſacerdotumque conventu, populorumque applauſu honorifice conſecravit; addita inſuper pro peccatis remiſſione, trium annorum, & quidem perpetuâ, omnibus qui eodem die illuc devote accederent. Apſida vero ipſius altaris, cum diruta eſſet, Severinus Papa ex optimo, quod adhuc cernitur, muſivo renovavit. Ac cratem ex metallo pulcre elaboratam, quæ ante arçam ſubtus altare poſita, à concurrentibus paſſim populis deoſculari ſolet, Papa Innocentius tertius, ſicuti inſculpti ibi verſiculi, licet non multum exculti, ſignificant, fabricavit. Sed & tectum, non tam altaris, quam totius etiam baſilicæ Honorius ex tabulis æneis cooperuit, quas de templo, quod appellabatur Romuli, & Heraclii etiam imperatoris conſenſu, tulit; cui & ſplendida alia multa auri argentique ornamenta addidit. Eam vero Formoſus Papa variis deciſque picturis eximie totam illuſtravit: Symmachus quoque marmoribus pulcre ornavit.

Item ornarunt altare majus, *Calliſtus 2,* *Severinus,*

F *Innocentius 3,* *Formoſus,* *Symmachus.*

72 Nec minus Donus Papa aream cælo liberam, ante veſtibulum baſilicæ ſitam, cui Paradiſo eſt nomen, candidis & magnis marmoribus magnifice ſtravit; præter Nicolaum tertium, qui totam eam renovavit, cum depictis etiam ſupra columnas omnium ſummorum Pontificum imaginibus; amplificato cultu divino; aucto item numero canonicorum reddituque prædiorum; additoque inſuper baſilicæ nobiliſſimo palatio ac pomerio, muris altis inſtar urbis circumdato: præter innumerabiles alios & antiquos & novos, qui multa in reparationem cul-

Donus Paradiſum marmoribus ſtravit; *Nicolaus 3 renovavit* *& palatium eccleſiæ adjecit,*

A cultumque ipſius, variis, uti cuique placuit, perfectis operibus, impenderunt; de quibus cum nec propoſuerim in præſentia ſigillatim dicere; ac magno ea illi ornamento ſemper & augmento ceſſerunt, magnam quoque apud omnes, quod tam ſingularis ejus cura ab illis haberetur, & dignitatem & auctoritatem attulerunt.

LIBER TERTIUS.

Veneratio altaris & reliquiarum S. Petri,

SUmma nimirum igitur fuit ſemper apud omnes Pontifices, cum Baſilicæ ipſius, tum præcipue altaris majoris veneratio, ac tanta quidem, ut B. Gregorius ad Conſtantiam Auguſtam, quæ capita beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ad ſe tranſmitti volebat, inter cetera ſcribens, dicat: Corpora ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum tantis in eccleſiis ſuis corruſcant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum ſine magno illuc timore poſſit accedi. Denique dum beatæ recordationis deceſſor meus, argentum, quod ſupra ſacratiſſimum corpus S. Petri Apoſtoli erat, longe tamen ab eodem corpore xv pedibus, mutare voluit; ſignum ei non parvi terroris apparuit: ſed & ego aliquid nuper ad ſacratiſſimum corpus ſancti Apoſtoli meliorare volui; & quia neceſſe erat, ut juxta ſepulcrum ejus effodi altius debuiſſet, præpoſitus loci ipſius oſſa aliqua, non quidem eidem ſepulcro conjuncta, reperit; quæ quoniam levare præſumpſit, atque in alio loco tranſponere, apparentibus quibuſdam triſtibus ſignis, ſubita morte defunctus eſt. Cognoſcat autem tranquiliſſima Domina, quod Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore, ſed tantummodo in pyxide mittitur, atque ad ſanctiſſima corpora Sanctorum ponitur.

ex Gregorio Magno

B

in Ep. 30 lib. 3, ad Conſtantiam Aug.

Brandeum S. Petri, forfice ſciſſum,

74 Quo loco, quid ipſi B. Gregorio ejus rei gratia, ſub ipſomet altari S. Petri admirabile quidem & obſtupendum acciderit; convenienter dicendum eſt. Cum enim rogatus aliquando fuiſſet à nobili quodam & magno viro per legatos ad id miſſos, ut aliquid reliquiarum ex ſanctis apoſtolis martyribuſque, qui Romæ conditi eſſent, ei tranſmitteret, dignum putans honeſto illius deſiderio, quantum licebat ſatisfacere; celebratis prius Miſſis, ſolennibuſque conſecrationum officiis, ſuper ſancta corpora eorum, ſicuti antiquis moris fuit, ſuſcepit pannos, ſuper quibus celebratio facta fuerat, diviſoſque, ac ſingulis Sanctorum corporum reliquiis impoſitos, conclufit ſuis quoſque thecis, annulo ſuo obſignatis, atque ita legatis deferendos domino eorum dedit. Legati autem, ut eſt curioſitas hominum, ad omnia ſemper, quæ non intelligit, prompta; ablatis ſignis, thecas aperuerunt: cumque nihil præter ſciſſa pannorum fruſta inveniſſent, quaſi deluſos ſe arbitrantes, ad Pontificem redierunt; conquerentes, non id, cujus cauſa tanta cum difficultate ac longitudine viarum veniſſent, deferendum domino ſuo datum eis eſſe.

C

ſanguinem fundit.

75 Pontifex vero ubi hæc intellexit, ſtatim ad Deum converſus, poſt celebrata iterum Miſſarum ſolennia, habitaſque Deo magnas & debitas preces, accepit cultellum de manu ejus, qui ſigna temeraverat thecaſque recluſerat, & ſub altari S. Petri palam omnibus conſpicientibus, unam illarum partium panni mediam ſcidit, quam ſanguis illico inde profluens, quaſi graviter vulnerata, cruentavit. Quo plane tam admirabili ac manifeſto ſigno exterriti legati, veniam commiſſi ſui ſupplices proſtratique in terram, petierunt: & admoniti demum à ſancto Pontifice Gregorio, quanta eſſet in ipſis fruſtis pannorum divina virtus, quantaque apoſtolorum ac martyrum merita effuſo ſanguine eorum, infuſoque in illa per vim & myſterium celebrati dominici ſacramenti, ſumma affecti devotione ſimul & lætitia, cum obſignatis cluſiſque ut antea thecis, regreſſi ſunt.

D

Clavis ejuſdem aureæ temere violata,

76 Magna hæc quæ geſſit B. Gregorius; nec minora, quæ de clave aurea S. Petri geſta Theotiſto & Adreæ ita ſcribit: Sancti Petri Apoſtoli clavem à ſacratiſſimo ejus corpore tranſmiſi: de qua videlicet clave hoc eſt geſtum, quod narro miraculum; dum eam quidam Longobardus, civitatem ingreſſus, in Tranſpadanis partibus inveniſſet, quia S. Petri clavis eſſet, deſpiciens; ſed pro eo quod eam auream vidit, facere ſibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum, ut illam incideret: qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per ſpiritum, ſibi in gutture defixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illic rex Longobardorum Antharicus, atque alii multi ejus homines adeſſent, & ipſe, qui ſe percuſſerat ſeorſum mortuus, clavis vero ſeorſum jaceret in terra, factus eſt omnibus vehementiſſimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nullus præſumeret. Tunc quidam Longobardus catholicus, qui ſciebatur orationi & eleemoſynis deditus, Minulfus nomine, vocatus eſt, & ipſe hanc levavit de terra; Antharicus vero pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter, ad ſanctæ memoriæ deceſſorem meum tranſmiſit, indicans, quale per eam miraculum magnum contigiſſet. Hæc Gregorius.

E

mortem affert.

Alia ferrea, morſus canum rabiorum ſanat

77 Verum quia in Tranſpadanis partibus eam clavem fuiſſe dicit, neque de ſpeciali ullo loco mentionem facit, non viſum fuit mihi, ut præterirem, quod apud Laudam veterem, quæ fuit colonia Romanorum à Pompeio Magno deducta, quæ & in Tranſpadana regione eſt, unde etiam mihi eſt origo; extat nunc clavis quædam ferrea, quæ ſancti utique Petri appellatur, ſummo habita in honore, ſummaque in veneratione, à viciniſque circumquaque gentibus admodum frequentata, propter ſummas, quas quotidie & admirabiles certa fide operatur virtutes in ſanandis peſtiferis morſibus luporum canumque rabidorum, atque id miro quidem & inaudito modo. Nam in ignem ardentem primo miſſa, poſtquam probe canduerit, applicatur poſtea carni, eo modo violatæ, ſine ulla prorſus ejus læſione, cum plena quoque incolumitatis ac optatæ ſalutis reſtitutione.

F

in urbe Laude veteri.

78 Eſt vero clavis hæc in baſilica S. Petri, quam ibi ædificavit beatus Baſſianus, ejus civitatis præſul & patronus, civiſque Syracuſanus, qui & multis ſæpe eximiis claruit ſignis, maxime in curatione leproſorum. A quo ſimile veri videri poteſt, profluxiſſe devotionem ejus clavis, quod & devotiſſimus beato Petro extiterit, & magna præ devotione baſilicam ſimul ipſam illi extruxerit, cujus quoque, cum erecta eſſet, in primo libro epiſtolarum ad ..... ſcribens, meminit B. Ambroſius, qui contemporaneus & maximæ illi amicitiæ [vinculo] conjunctus

A junctus fuit. Videbitur autem fortaſſe credibile, Tranſpadanas illas partes, in quibus prius clavem illam auream fuiſſe dicit Gregorius, non alias putandas eſſe, quam hanc, quam diximus Laudam veterem, utique Tranſpadanam, ubi remanſerint veſtigia ſimilis clavis, quæ & ſimili B. Petri nomine appelletur, & in baſilica etiam B. Petri ſimiliter ibi collocata ſit, & ſimiles inſuper admirabilium ſignorum virtutes operetur.

Apparet S. Petrus manſionario eccleſiæ ſuæ;

79 Porro ut ad alia deſcendamus, ait idem in libro 3 Dialogorum, tanta in baſilica S. Petri geſta ſe cognoviſſe, ut ſi cuncta evolvere conaretur, ab omnium jam procul dubio narratione conticeſcere oporteret. Quare duo tantum, quæ intra baſilicam S. Petri ipſam, longe magna & admirabilia contigerunt, refert; cujus verba ſicut ab ipſo ſcripta ſunt, hic ponere convenientius putavi. Adhuc, inquit, ſuperſunt aliqui, qui Theodorum ejus eccleſiæ cuſtodem noverunt; cujus narratione innotuit res, quæ ei contigit valde memorabilis. Quod quadam nocte, dum citius ad melioranda juxta januam luminaria ſurrexiſſet, ex more in ligneis gra-

B dibus, ſub lampade poſitis, ſtabat, & lampadis refovebat lumen. Tunc repente B. Petrus Apoſtolus in ſtola candida deorſum in pavimento conſtitit, eique dixit; Colliberte, quare tam citius ſurrexiſti? Quo dicto ab oculis aſpicientis evanuit; ſed tantus in eum pavor irruit, ut tota in eo corporis virtus deficeret, & per dies multos de ſtrato ſuo ſurgere non valeret. Qua in re, quid idem B. Petrus Apoſtolus ſervienti ſibi voluit, niſi præſentiâ ſui reſpectûs oſtenderet, quia, quicquid pro ejus veneratione ageret, ipſe hoc pro mercede retributionis ſine intermiſſione videret?

alteri ibidem mandat curare paralyticam.

80 Alius quoque illic non ante longa tempora, ſicut noſtri ſeniores referunt, cuſtos eccleſiæ, Abundius dictus eſt, magnæ humilitatis atque gravitatis vir, ita omnipotenti Deo fideliter ſerviens, ut idem B. Petrus Apoſtolus ſignis oſtenderet, quam de illo haberet æſtimationem. Nam cum quædam puella paralytica, in ejus eccleſia permanens, manibus reperet, & diſſolutis nervis corpus per terram traheretur, diuque ab eodem B. Petro Apoſtolo peteret; ut ſanari mereretur, nocte quadam ei per viſionem adſtitit & dixit: Vade ad Abundium manſionarium, & roga illum, atque ipſe te ſaluti reſtituet: cumque illa de tanta viſione certa eſſet, ſed quis eſſet Abundius, ignoraret; cœ-

C pit huc atque illuc per eccleſiæ loca ſe trahere, ut, quis eſſet Abundius inveſtigaret. Cui repente ipſe factus eſt obviam, quem quærebat, eique dixit: Rogo te, pater, indica mihi, quis eſt Abundius cuſtos? Cui ille reſpondit; Ego ſum. At illa inquit; Paſtor & nutritor noſter B. Petrus Apoſtolus ad te me miſit, ut ab infirmitate iſta liberare me debeas. Cui ille reſpondit; ſi ab ipſo miſſa es, ſurge; ejuſque manum tenuit, & ea in ſtatu ſuo protinus ſurrexit, ſicque ex illa hora omnes in ejus corpore nervi ac membra ſolidata ſunt, ut ſolutionis illius ſigna ulterius nulla remanerent.

Ibidem epiſcopus noctem pervigilans

81 Hæc retulimus ex beati Gregorii ſcriptis; quæ & præclara ſunt admodum, & humanam omnem virtutem, poteſtatemque longe excedunt. Quibus aliud etiam adjiciendum videtur, quod in eadem baſilica ad altare ipſius majus S. Petri, cujus cauſa nunc tanta dicere aggreſſi ſumus, non minus quidem, quam ſuperiora, aut rei geſtæ magnitudine, aut divinæ virtutis admiratione apparuit. Siquidem cum opus Moralium, quod B. Gregorius ediderat, editumque Leandro archiepiſcopo Hiſpalenſi inſcripſerat, defuncto illo ac ſucceſſore ejus beato Iſidoro, per totam Hiſpaniam incuriâ hominum deperiiſſet, placuit concilio Toletano, quod xxx epiſcoporum præſentiâ tunc habitum fuit, regique ſimul Hiſpanorum Vindeſindo, ut Tagio epiſcopus Cæſarauguſtanus, vir optimus, idemque ſacris litteris admodum eruditus, Romam ad ſummum Pontificem Joannem quartum, inqua rediret tranſcribendique ejus operis cauſa, mitteretur. Quam rem cum tardius difficiliuſque quam putaverat, aſſequeretur propter ſubitam mortem ipſius Pontificis, creationemque alterius Theodori, rebus aliis novis occupati; motus magna devotione baſilicæ S. Petri, petit interim, ut per noctem unam permitteretur ei in illa clauſis januis vigilias agere: neque aliter ac petit impetrat.

D

E

videt cum Petro turmam ſanctorum Pontificum,

82 Vigilanti autem & oranti, ac quam maxime ante omnia, ut opus, cujus cauſa venerat, aſſequi poſſet, Deum intento animo obſecranti, ſub intempeſtæ noctis tempore apparuit ingens Patrum multitudo, qui & vultu & veſtitu ſimul, atque inceſſu magnam præ ſe venerationem majeſtatemque ferentes, à porta baſilicæ ad altare uſque majus bini procedebant. Quos non ſine terrore ille aſpiciens, fixus tantum, ubi erat, perſtabat non quoquam egredi; donec progreſſa eſt turba illa, duo eorum ipſum adierunt percunctantes nomen ac patriam, & cauſam adventus ejus: quibus ab eo pariter redditis, alter eorum protenſo digito, locum, ubi opus Moralium, quod tantopere optabat, reconditum eſſet, demonſtravit.

à quibus liber diu quæſitus,

83 Quibus plane non tam ſecuro ille, quam læto animo factus, rogavit, ut quiſnam ipſe, qui cum eo loquebatur, ac reliquus tantò venerandorum Patrum cœtus eſſet, aperiret. Nec ſegnius ille: Scito, inquit, duos illos, quos præire omnes alios vides, inſerta manu ſe invicem complexos, Apoſtolos Petrum & Paulum eſſe: ceteros vero, qui ſubſequuntur, ſucceſſores eorum Romanos Pontifices, atque ordine quidem ſicuti ſuo quiſque alii loco ſucceſſit; me autem Gregorium ipſum, cujus Moralium opus tanta cura inquiris, cujuſque cauſa tantum itineris laborem ſuſcepiſti. Atque his etiam majore lætitia affectus: Dic iterum, inquit, ac oſtende mihi, ſi hic vobiſcum eſt beatus pater Auguſtinus, cujus eximiis operibus, non minus etiam quam tuis, ſemper delectatus ſum. Stetit ille audito tanti Patris nomine, ac nequaquam hic ipſe eſt, ait. Nam ſummum illum & excellentiſſimum virum altior longe à nobis tenet locus. Atque hæc ubi dixit, ocius cum ſocio ad alios, unde diſceſſerat, reverſus eſt. Nec mora, videt epiſcopus omnem illam ſanctiſſimam turbam ab altari majori poſt magnam exhibitam ei venerationem & adorationem, portas baſilicæ eodem, quo introierat ordine, egredientem. Quæ cuncta uti viderat, magna certe & admirabilia, ſummo Pontifici enarravit: ac quorum cauſa venerat Moralium libros lætus ſecum in Hiſpaniam tulit.

F

ei monſtratur.

Ibidem divinitus monſtratur,

84 Nec vero res tanta hoc loco prætereunda fuit, quam omnes maxime Moralium libri, ante ipſum prologum, in omni ferme Hiſpania ſcriptam

A

ſcriptam haberent. Cui conſentaneum eſt & aliud, quod ad demonſtrandam ſublimem ejuſdem beati patris Gregorii gloriam, ſuper ipſo etiam altari majori S. Petri, operatum fuiſſe Deum ingens quidem & memorabile, antiquæ tradunt hiſtoriæ. Nam cum Ambroſius & Gregorius ſummi ambo ſanctique doctores eccleſiæ, civeſque ambo Romani, pro ſuo quiſque ingenio divina officia edidiſſent, ortaque proinde inter ſacerdotes Chriſtianos magna eſſet diſceptatio; utrum eorum, quo magis uterentur, ſuſcipi deberet. Placuit concilio, quod tempore Adriani Papæ habitum eſt, aſſentiente etiam Carolo magno, ut bina officia ſuper altari S. Petri ponerentur, obſeratiſque baſilicæ portis, ac magna diligentique adhibita cuſtodia, per noctem ita manerent, non intermiſſis interim dignis devotiſque ad Deum orationibus, ut quod eorum potius eligendum eſſet, ſingulari aliquo ſigno oſtenderet. Nec ſecus, ac optabant, evenit. Mane enim cum introiſſent baſilicam, officium beati Gregorii diſſoluto codice, ſparſiſque hinc inde per pavimentum foliis, quaſi diſſeminatum: officium vero B. Ambroſii ſolum ſuper altari apertum invenerunt. Qua plane tam admirabili re cognita, altius mentem omnes efferentes, non aliud eis ſignificatum eſſe crediderunt, quam ut B. Ambroſii Officium in ſola eccleſia Mediolanenſi: beati autem Gregorii in univerſo paſſim orbe celebrari deberet.

Officia S. Gregorii ubique in eccleſiis legenda eſſe;

B

S. Ambroſii vero, Mediolani tantum.

85 Quare haud mirari etiam quemquam oportebit, ſi baſilicam S. Petri, quam Deus tantis tamque admirabilibus ſignis illuſtravit, ſummi utique Pontifices ſumme dilexerunt; ſummis quoque favoribus & privilegiis ſupra ceteras omnes extulerunt. Quo loco quod primum occurrit, non indignum illud memoratu videtur; quod cum Romani Pontifices archiepiſcopis & patriarchis pallium per omnem orbem miſſuri eſſent, non alium, quam hunc ipſius ſanctiſſimi altaris locum, ubi res tantæ dignitatis tantæque præeminentiæ conſecraretur, digniorem electioremque advertere potuerunt. Unde illud fit, quod legatus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dicit: Accipe pallium, de corpore beati Petri ſumptum, in plenitudine officii tui. Quorum conſecrationem, cùm locus ipſe, quem ſub altari poſitum, Confeſſionem B. Petri appellant; tùm proceſſionis devotio officiique ſolennitas, maximam jure merito ſanctiſſimamque videri facit. Nam præter pſalmos pœnitentiales & litanias ac cetera ſacrarum orationum myſteria, eædem etiam, quæ in Apoſtoli Petri die feſto ſolent, vigiliæ magna cum exultatione decantatæ, celebrantur. Cui accedebat aliud, quod nunc neſcio qua cauſa, exolevit, non modicum hilaritatis & lætitiæ monumentum. Nam perfectis divinis conſolationibus, tum conſolari corpora incipiebant; exhibebaturque omnibus abundanter optimum vinum, optimis aromatibus medicatum.

Ibidem ſub altari

conſecrantur pallia pontificalia.

C

86 Verum loquamur & alias ipſius altaris inſignes & eximias dotes, quas ſummi Pontifices, quaſi ſingulare de eo quiddam præ ceteris ſtatuentes, illi contulerunt. Nam conſtituit B. Gregorius Papa, ut nullius ibi etiam archiepiſcopi aut patriarchæ conſecratio fieret, niſi ſolius Romani Pontificis, quem & voluit, deſcendere ad altare S. Andreæ, atque ibidem conſecrari, demumque reverti ad altare majus, ac tunc Miſſæ ſacrificium explere. Idem quoque cum per totam Quadrageſimam ordinaſſet ſtationes propter pœnitentes, quas cum primicerio, & cantoribus, & regionariis, & acolythis, devotiſſime faciebat; illud etiam, quod maximo honori & prærogativæ baſilicæ S. Petri habitum eſt, ſtatuit; ut de majore altari ejus Crux dominica ſumeretur, quæ populum pœnitentem, ad ſtationes ipſas procedentem, ſemper præcederet; cujus tanta fuit apud omnes veneratio, ut ſi forte non deferri eam aliquando contingeret, diſcederent paſſim; exiſtimantes nihilo ſine ea acceptas Deo ſtationes ullas eſſe.

Ibidem conſecrantur ſoli Pontifices Romani,

D

Crux Stationum ſervatur,

87 Simplicium item Papam legimus, cum conſtituiſſet propter baptiſandos & pœnitentes, ut in baſilica S. Petri, ac in baſilica S. Pauli, quæ majoris apud omnes venerationis & devotionis eſſent, ſeptem continue presbyteri haberentur, quo commodius id fieret; ordinaſſe etiam totius urbis quinque Regiones, è quibus presbyteri ipſi, qui hujuſmodi myſterio ſuccederent, eligerentur, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Joannis Lateranenſis, S. Mariæ Majoris. Regioni autem S. Petri, utpote digniori, primum locum dediſſe. Cum vero Bonifacius VIII publicam toti orbi Jubilæi lætitiam, inſtar priſcorum apud Hebræos temporum, ſingulis centum annis, atque aureum, ut ita dixerim, ſeculum condere inſtituiſſet, baſilicas primum beatorum Petri & Pauli, quibus tantum honoris conferretur (quod poſtea ad alias etiam, quas videmus, laxatum eſt) dignas eſſe credidit.

ſelecti ſeptem presbyteri officia obeunt,

E

Jubilæi lætitia ibi inchoata:

88 Sed præter hæc, id, quod & primo ſupra libro diximus, maximum quidem & præclariſſimum videtur, quod à ſanctis Patribus noſtris conſtitutum ſit, omnes ſolennes majoreſque ſupplicationes & proceſſiones ad baſilicam S. Petri fieri. Et cùm jure cautum ſit, eam eſſe cujuſlibet civitatis primariam & cathedralem eccleſiam, ad quam in proceſſionibus ceteræ convenirent; manifeſtiſſimum hinc certe nobis conſtabit ac indubitatiſſimum argumentum ſummæ dignitatis & excellentiæ, qua eam ſupra ceteras cunctas, utpote unicam ſanctamque omnium matrem, Romani Pontifices eminere voluerunt. Quod ut evidentiore etiam ſigno demonſtraretur, decreverunt inſuper, ut omnibus, quotquot ad eam tunc convenirent, quaſi emeritum ſtipendium ex oblato ære majoris altaris, ſolidi xx darentur, ſicuti & publicum ejus rei cauſa confectum apoſtolicum documentum teſtatur.

ſupplicationes majores eò conveniunt omnes,

& ſtipendia accipiunt:

F

89 Atque de his nunc generalibus dixerim. Nam ſpeciali etiam decreto Honorius Papa ſtatuit, ut omni ſabbato exirent litaniæ à templo S. Apollinaris, precederentque ad baſilicam S. Petri, niſi dies feſtus interveniret. Extruxerat enim ipſe templum illud (licet id aliqui hujuſmodi confirmationum Adriano concedant) atque ex induſtria beato Apollinari conſecraverat, ut nomen Apollinis, cui antea erat dedicatum, ac maxime ab omnibus frequentatum, facilius propter alluſionem vocabuli ex animis populorum deleretur: cujus etiam ingentem quamdam teſtudinem ſubterraneam, multis magniſque demolitorum ædificiorum ruderibus obrutam, noviter vidimus, cum fundamenta, ubi nunc novum B. Auguſtini templum erectum eſt, jacerentur. Erat enim ibi templum illud Apollinis, ante quod prioribus temporibus, ait Livius, fuiſſe prata Flaminea; ubi poſtmodum etiam circus Fla-

litaniæ etiam quot Sabbatis è S. Apollinaris.

A Flamineus, inde ita appellatus, temploque proximus ipsi: ubi cum dicat, etiam conveniſſe aliquando Senatum Romanum ad audiendos, qui triumphaturi venerant, conſules.

Hinc eccleſia S. Petri, omnium meto præcitata eſt habenda.

90 Mirum certe in hoc videmus Dei judicium, qui eodem in templo poſtea ad celebrandos melius cæleſtes triumphos, decantandaſque divinas laudes, jubente Romano Pontifice, ſacerdotum conventum fieri voluerit. Jure autem merito baſilica S Petri electa eſt, quæ præcipuo ante alias ita honori haberetur. Cum enim ſuus cuique civitati epiſcopus & patronus ſit, qui primus & templi & ſedis, & omnium ceremoniarum, ad inſculpendam uſque numiſmatibus depingendamque vexillis ejus imaginem, honor exhibeatur: ita Roma præcipue epiſcopum & patronum ſuum Petrum habet; cujus baſilicam & primariam recognoſcat, & primo in omnibus honore extollat; imagine quoque numiſmata informet, vexillaque exornet. Quod & gentiles obſervarunt, tutelares deos (quos nos patronos dicimus) appellantes; tantaque iis religio à Romanis habita eſt, ut prius illos è civitatibus, quibus indicturi bellum eſſent, factis ſolen nibus ſacris evocare ſoliti fuerint: ac proinde Deum tutelarem ſuum, quem minime hoſtes evocare poſſent, ignotum eſſe voluerint; quamquam eum aliquando legerim Veſtam fuiſſe.

B

Ibidem canonizationes Sanctorum peraguntur;

91 Quod cum ita ſit, proſequamur & alia ipſius baſilicæ privilegia, quibus prælata aliis ex antiquorum Patrum inſtitutionibus magnâ ratione eſſe videatur Quid majus canonizatione Sanctorum, quæ ibi pro majore nimirum dignitate ac gloria celebratur? Quid item illuſtrius ſummis ipſis Pontificibus? Qui coronas pontificatus eorum, non alibi etiam, quam in ipſa baſilica ſuſcipiendas eſſe, decreverunt; cui & tamen detulerunt, ut cum electi fuerint, oporteat, etiamſi per trium dierum itinera diſtent, Urbem ingredi, & ad altare majus S. Petri adorantes, in throno novæ ſanctæ poteteſtatis poni. Dehinc cùm coronandi ſunt, ſtatuerint ſe à Canonicis ipſius baſilicæ, utpote primariis omnium aliarum, ſuſcipi, fidem quoque ac obedientiam ab eis præſtari Tum vero ubi cuncta ſolenniter acta fuerint, dignum etiam putarint, aſcenſo equo ad gaudium lætitiamque populorum in publicò prodire. Quo loco minime etiam tacendum videtur, quod Adrianum ſecundum & Stephanum quintum ſpecialiter legimus, cum alibi electi, ad Lateranumque, ubi tunc habitatio Pontificum erat, ducti fuiſſent; poſtmodum baſilicam S. Petri conſecrationis coronationiſque cauſa petiiſſe.

Ponti ces electi coronantur,

C

uti & imperatores

92 Quid verò inſignius imperatoribus? quibus nec alio in loco Romani Pontifices diademata imponant; ac tanta quidem cum baſilicæ ipſius veneratione ſummæ quoque ejus ante ceteras, quibus nihil tale contigit, præeminentiæ ſignificatione, ut neceſſe ſit prius imperatorem ab omni canonicorum cœtu, tamquam fratrem ſuſcipi, canonicalibuſque omnibus indumentis ornari, ac canonicum ſimul fieri. Et cum aliquando Fridericum primum propter diſcordiam, quæ illi cum ſummo Pontifice erat, alibi, licet Romæ, coronari forte contigiſſet, inita demum inter eos pace, voluit denuo in baſilica S. Petri & coronas ſuſcipere & canonicali ante habitu indui, canonicumque pariter cum ceteris haberi, adſcribens id majori auctoritati coronationis & imperii ſui Cum vero noſtris temporibus Fridericus tertius poſt ſuſceptas à Nicolao V coronas animum adhibuiſſet aſcendere in eum locum, ubi ſanctum Salvatoris Sudarium decentiſſime ac devotiſſime conſervatur, magno ejus videndi contingendique deſiderio accenſus, quod ſolis tantum canonicis conceſſum eſt, non alia id ratione obtinuit, quam quod canonicus baſilicæ S. Petri eſſet; neque aliter ei illò aſcenſus datus, quam cum pari habitu ornamentoque aliorum canonicorum.

D

& reges.

93 Quod nec aliter de regibus conſtat, qui conſueverant in baſilica etiam S. Petri & canonicalibus veſtimentis induti, in numerum aliorum canonicorum recipi, & à Romano Pontifice inungi. Cujuſmodi traditur Caroli magni filius Pipinus, qui ab Adriano Papa etiam in eadem baſilica baptizatus eſt, & duo alii filii ejus, ab ipſomet Pontifice inuncti reges; Pipinus videlicet alius, & Ludovicus: quorum primus Italiæ, ſecundus vero Aquitaniæ regnum obtinuit. Cujuſmodi etiam legimus Carolum primum, & item ſecundum reges Siciliæ ultra ac citra Farum, qui cum multa donaverint ipſi baſilicæ, illud etiam in donationum privilegiis gloriantes, quod canoniam in baſilica S. Petri haberent, addiderunt. Hæc de coronis attigimus.

E

Commendant etiam eccleſiam illam ſepulcra Pontificum

94 Nunc vero, cum vita exceſſerint, de ſepulcris, quæ nec minorem auctoritatem addere exiſtimantur, dicendum erit. Nam certò omnia corpora ſummorum Pontificum, niſi perpaucorum, in baſilica S Petri jacent; &, ſi quo caſu alibi forte recondita eſſent, ad eam demum magno cum honore tranſlata ſunt, ut agnoſcant filii veram matrem, quam veri patres eorum non alibi quam in ea requieſcere volentes, minime ignoraverint. In quo etiam non ignobile illud eſt canonicis tributum privilegium, ut ſoli ipſi libitinas, quibus ſuperjacent defuncti ſummi Pontifices, humeris ſuis portent Quos non tam ibi ſepultos eſſe dixerimus, quam maximos etiam reges & principes, qui forte Romam profecti, ibi deceſſerint.

& regum.

95 Cujuſmodi traditur de Ottone ſecundo, qui ſub Benedicto VII Romam venerat; ac de quodam rege Anglorum & Saxonum, qui cum gentilis adhuc multa bella fortiter geſſiſſet, ad Chriſti demum fidem converſus, Romam veniens, baptizatuſque à Sergio Papa in baſilica S. Petri, ac Petrus ejuſdem nomine appellatus; cum non multo poſt e vita migraſſet, ibidem etiam, ubi baptiſmum ſuſceperat, utpote digniore loco, ſepultus eſt. Cujuſmodi etiam de Agnete quadam imperatrice teſtatur epitaphium, quod adhuc cum ſepulcro ejus extat juxta altare S. Petronillæ, cujus verba, ut, quantum illa baſilicam S. Petri ceteris omnibus prætulit, certius quiſque intelligeret, hîc ſubdidimus. Anno MLXXVII ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, indictione prima, anno V pontificatus Domini Gregorii Papæ VII, Agnes Imperatrix Auguſta poſt mortem viri ſui Henrici Imperatoris ſecundi, anno XXII, XIV die menſis Decembris, animam bonis operibus fœcundam, Lateranis Salvatori ſuo atque omnium bonorum Deo reddidit: & hîc ubi antea imperaverat, Clavigero cæli, pro cujus amore ibidem peregrinata fuerat, VI die menſis Januarii, expectans ſpem beatæ reſurrectionis, & adventum gloriæ magni Dei, membra carnis commendavit in pace. Amen.

F

Epitaphium Agnetis imperatricis.

96 Exi-

A

Factum Theodoræ imperatricis,

96 Eximia certe fuit hujus Imperatricis, & viventis, & morientis simul, erga basilicam S. Petri veneratio, eximiumque, quod de magnitudine excellentiaque ejus videtur habuisse judicium. Sed nec minoris æstimandum est, quod à vivente altera imperatrice Theodora ad dignitatem gloriamque ipsius præclare actum legimus. Cum enim Vigilium Papam, quem insatiabili odio persequebatur, comprehendi & ad se perduci, misso ad id Romam Anthemio quodam, jussisset, speciali etiam mandato inhibuit; ne in basilica S. Petri, ob reverentiam tam electi à Deo loci, vis ulla ei inferretur; cum in ceteris quibusvis aliis sacris locis liberam comprehendendi ejus potestatem daret.

& Caroli M. imp.

97 Quale autem & quantum est illud, quod Carolum magnum, traditur, præ cunctis mundi sacris locis basilicam S. Petri summopere semper coluisse, adeo ut non modo eam, quod superiore libro diximus, ab omni vi hostili barbaricaque tutatus sit; sed & magnis insuper ac multis ornaverit ditaveritque donis auri & argenti pretiosorumque lapidum. Sub Adriano quoque Papa, quem postea summe coluit, cum plurimum aliquando cuperet Romam devotionis causa invisere, relicto exercitu, ita illo accessit, ut miliario forte distans, ex equo descenderit, dejiciens animum suum humiliter, ac pedibus vadens, petensque primum basilicam S. Petri, quam digniorem minime dubitabat; ingressus autem die sabbati sancti ita illam fuerit, ut prius omnes gradus, quibus ad illam ascenditur, singulatim devotissime deoscularetur, expectante eum Romano Pontifice Adriano, ac super illos gradus hilariter suscipiente.

B

gradus templigenibus ascendentis

& donationem optimam S. Petro facientis;

98 Quam vero præcipua laus est & gloria ipsius basilicæ, quod celebrata solennitate Paschali, cum facturus esset Carolus Adriano donationem multorum oppidorum & civitatum; inter cetera Perusii, Fesularum, Clusii, Vulsini, Asciſii, Suriani, Montis Bardonis, Parmæ, Regii, Mantuæ, Montis Silicis, totius Hexarchatus Ravennatium, in quo & Bononia, & provinciæ Venetiæ & Histriæ, omnisque ducatus Spoletini & Beneventani; insulæ etiam Corsicæ; eam B. Petro, in primis, dehinc successoribus ejus se facere professus est. Quodque majorem etiam longe addidit auctoritatem, super altare S. Petri superius, postmodumque subtus, in inferiore Confessionis ejus loco instrumentum ipsum donationis reponentes; Rex ipse simul ac ceteri ejus magni principes, B. Petro successoribusque ejus Adriano, omnia quæcumque in eo continerentur, perpetuo observaturos, terribili se sacramento obligantes, promiserunt: exemplum quoque ipsius documenti intus supra corpus B. Petri, suppositis Euangeliis, quo firmior eorum cautio ac memoria imposterum haberetur, suis ipsemet Carolus manibus posuit.

C

iterumque Jub Leone 3 idem fere præstantis.

99 Quam insigne quoque & præstans illud est, quod sub Leone tertio, cum Romam idem alia vice peregrinationis causa accederet, appropinquasletque jam ei ad mille circiter passus, non aliter ac sub Adriano gesserat, relicto statim cui insidebat equo, pedibus ad basilicam S. Petri primum profectus est, ob reverentiam Apostolorum aliorumque tot sanctorum Martyrum, quorum sanguine, ut ipse dicebat, illa consecrata sit, magno utique ibi cum honore ab ipso Papa Leone, Adriani successore susceptus; tum oblatis ei pretiosis ac ingentibus donis, postridie ceteras Urbis basilicas, quæ celebratiores essent, & visitavit, & uti quæque pro dignitate magis mereri videretur, etiam donavit. Quibus adjiciendum est, quod & superiore libro ex decreto Papæ Leonis IV ostendimus, ipsum utique Carolum magnum alio tempore, cum Romam ab obsidione Saracenorum liberasset, abiisse postmodum in Apuliam, eamque B. Petro & Romæ subjugasse.

D

Dona item Mathildis comitissæ,

100 Nec prætereundum aliud quod legimus; Comitissam Mathildim tanti basilicam S. Petri feciſſe, ut quo luminaribus adhibitis magis decoraretur, tamquam debitam ei dotem donaverit Flaminiam cum omnibus oppidis ac juribus ejus. Cujus gratia memorabile etiam tunc ejus dictum vulgo celebratur. Nam cum centum millibus passuum territorium ipsum, quod donabat, extenderetur; modicum tantum quid terræ illud appellavit. Neque omittendum utique est, quod Adolfus * rex Anglorum, qui prior obtinuit totius Galliæ regnum, cum sub Papa Leone quarto Romam aliquando, summâ eum ducente devotione, protectus esset, animadvertens quanta esset dignitas & excellentia basilicæ S. Petri, obtulit ei tributum ex qualibet domo regni sui, numisma scilicet unum argenteum, cui Strilingo est nomen. Cujus offerendi mos, cum longis temporibus perseveraverit, postea intermissus est. Quos secuti sunt etiam Hibernici, diu eumdem morem observantes; itidem & Daci; & nonnulli etiam vicini illis alii populi. Tanta fuit, quæ ubique gentium ejus basilicæ viguit maximeque semper habita est auctoritas.

Adolfi Regis

* Ethelwaldus *venit tunc Romam.*

E

& gentium aliarum.

Favores à Pontificibus collati:

101 Quid mirum, si summi postea Pontifices tot eam eximiis, quot ante diximus privilegiis, prosecuti sunt; si præterea, cum aliæ alios habeant, quibus pareant; at hanc solam, cui soli mandarent, speciali quodam jure sibi subesse decreverunt? Si item restaurandæ ejus, cum quid dirutum esset, necessariam sibi curam, singulari quadam obligatione, indixerint? cum ceterarum, nisi quantum animo eis sederet, reparationi obnoxios minime se esse voluerunt? Si, cum hujusmodi necessitatem sibi sponte susceperint, at quartam tamen partem stipis ejus, quæ altari majori offerretur, canonici ipsius, quod nec aliis umquam concesserunt, liberalissime, uti supra de Eugenio tertio diximus, donarunt? Quo factum puto, ut & Calixtus Papa, cum constitutionem faceret, interdicens laicis, ne auferrent oblationes, quæ altaribus basilicarum Urbis obvenissent, primam B. Petri basilicam nominans, ceteris antepositurit; ut Urbanus etiam Papa, cum immensa à Constantino imperatore donaria, ecclesiæ catholicæ collata, in constitutione quadam sua diceret, fabricam eum templi primæ Sedis B. Petri instituisse affirmaverit; adeo ut Sedem imperialem relinqueret, & B. Petro, suisque successoribus profuturam concederet.

F

item à Constantino imp.

Scripta Pontificum referunt omnia sua ad S. Petrum,

102 Hinc quoque arbitror, summos omnes Pontifices, cum de præeminentia Romanæ Ecclesiæ supra ceteras cujuslibet civitates mundi, promulgantes aliquid sancirent (quod & Foca imperator Bonifacio III concessit, ut superiore libro dictum est ad principium) id ad honorem semper retulisse B. Petri, utpote ejus, cui uni Christus Dominus noster omnem suam potestatem, omnemque principatum relinquens; primos procul dubio omnes; & sedis, quæ

A populis cunctis jura miniſtraret; & baſilicæ, in qua ſacra fierent, honores exhiberi voluerit. Neque injuria: quis enim, qui recte ſapiat, negaverit ejus urbis, quæ propter ſedem B. Petri, prima ante omnes conſenſu omnium habetur; baſilicam quoque nomini ejus & honori dedicatam, in qua & ſacratiſſimum ipſius corpus requieſcit, ceteris omnibus quibuſvis baſilicis anteferendam eſſe. Inde cum lege pontificali adſtringerentur epiſcopi jurare, ſingulis annis, aut per ſe aut per nuntium, viſitaturos Romanam Sedem, niſi ſpecialiter abſolverentur; recte vidimus, eam, ſub vocabulo Liminum Apoſtolicorum, quod dignius excellentiuſque ſit, appellatam eſſe. Inde illud etiam, quod Anacletus Papa; Prima, inquit, Sedes eſt cæleſti beneficio Romana Eccleſia; quam beatiſſimi Petrus & Paulus ſuo martyrio conſecraverunt.

tamquam omnium Apoſtolorum primum.

103 Nec immerito orientalibus eccleſiis Julius Papa inter cetera ita ſcribit: Sicut B Petrus Apoſtolus primus fuit omnium Apoſtolorum, ita & hæc Eccleſia ſuo nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima ſit, & caput cererarum; & ad eam, quaſi ad matrem atque ad apicem, omnes majores Eccleſiæ cauſæ & judicia epiſcoporum recurrant; & juxta ejus ſententiam terminum ſumant; nec extra Romanum quidquam ex his decerni debere Pontificem. Joannes quoque VIII, dum de præſcriptione annorum ad regem Ludovicum ſcriberet, Sanctæ, inquit, Romanæ eccleſiæ privilegia, quæ in firma Petri ſtabilitatis petra ſuſcepit, nullis temporibus anguſtiantur, nullis regnorum partitionibus præjudicantur. Quæ cuncta, cum magna ſint teſtimonia excellentiæ ipſius baſilicæ; at majoribus longe, etiam rerum, quæ quotidie conſpiciuntur, argumentis confirmare ea Deus atque augere voluit, mirum & ipſe ſuum, quod eſt ſemper benedictum & ſanctum, in exaltatione ejus oſtendens judicium, ut appareat, divino magis quam humano conſilio, baſilicam ejus, quem ſupra omnes elegit, Apoſtoli ſui, præ omnibus quoque aliis baſilicis, ſibi electam eſſe.

B

104 Nam cum antea nihil haberent ibi Pontifices, ubi habitare poſſent; propter nonnihil etiam apud quoſdam ejus diminueretur auctoritas; noviſſimis poſtea temporibus extructum eſt nobile & præſtans palatium habitationis eorum cauſa, quod primum â Nicolao III cœptum; ſicuti ſuperiore libro dictum eſt, & ab Eugenio IV poſtea magno ſumptu reparatum; Nicolaus demum V nobiliore etiam ac præſtantiore ſtructura & cultu auxit amplificavitque; additis etiam ad arcendam vim ventorum, vitreis ſpecularibus, eximie picturatis, quibus non tam palatium ipſum, quam totam inſuper baſilicam, præclaro certe opere, illuſtravit. Erecta quoque eſt moles Adriani in arcem, cui non alia in toto orbe comparatur Unde majore etiam præſidio munitus ſtatus ejus, ab extranea omni vi & injuria tutus illæſuſque conſervatur. Quo factum eſt, ut præſentiâ Pontificis ornata, innumerabilium quoque, qui Pontificem adeunt, omnis generis magnorum ſimul & tenuiorum hominum cœtu, admodum frequentata baſilica S. Petri; cum ceteræ vileſcere videantur, illuſtrior longe ipſa glorioſiorque appareat.

D

Habitatio Pontificum ad S. Petri exædificata.

cultus divinus in ea celebrior quam alibi.

105 Cui accedit cultus divinus, majore cum obſervatione ac dignitate, quam alibi habitus; majus quoque miniſtrorum collegium, ornatum pluribus doctis quidem ac gravibus viris, quibus annumerari pro ſummo voto nemo non optet; aucta etiam familia ac bona ſimul, quibus illa ſuſtentetur. Sed & res ſacræ, vel ornatus vel miniſterii cauſa paratæ, & numero, & decore, & pretio inſignes ac eximiæ, quibus plane majorem etiam apud omnes auctoritatem ac majeſtatem ſibi vindicare videatur: quamquam magnum etiam illud videri debeat, quod ſuperioribus temporibus, quibus alibi Pontifices habitabant, tanti ſemper tamen baſilica ipſa, quantum ſupra docuimus, habita atque æſtimata fuerit, totaque in ea ſemper ac tanta magnarum rerum exempla, pontificaliumque ac imperialium ceremoniarum & ſolennitatum momenta geſta fuerint, quæ ſingula quiſquis, ſicuti ea diſſeruimus, diligenter attenderit, ingentia nimirum glorioſaque, & excellentia præ magnitudine quoque eorum & dignitate ſummæ ipſius ſupra ceteras mundi baſilicas eminentiæ ſigna & argumenta apertiſſima eſſe judicabit.

E

C

MAFEI VEGII LAUDENSIS

DE REBUS ANTIQUIS MEMORABILIBUS

BASILICÆ SANCTI PETRI ROMÆ

Liber tertius finit: incipit quartus.

LIBER QUARTUS.

Templum Probi, baſilicæ capiti annexum,

NUnc ad alia ipſius baſilicæ (quæ dignitate quidem inferiora ſunt) vel altaria, vel oratoria deſcendamus. Ac illud primum videndum eſt, quod altari majori capitique baſilicæ connexum atque extrà porrectum erat, templum, majus præ magnitudine ejus, quam oratorium; quod noſtris temporibus vidimus; nunc autem dirutum Nam quoniam Nicolaus V, cujus ſumma in ædificando præ omnibus Pontificibus laus fuit novum & ingens ad caput baſilicæ (quod morte præventus imperfectum reliquit) ædificium fabricare cœpiſſet; hoc in primis templum demolitus eſt. Erat porro nobile, magnum, multiſque marmoreis columnis erectum, ſed negligentius habitum, nullique jam

ſub Nicolao V deſtructum.

F

A jam acceſſum: quod ignarum vulgus Confeſſionem B. Petri, ac viventis ejus etiam habitaculum, neſcio quo inſomnio, fuiſſe jactabat. Nam quis ſanæ mentis dixerit, ibi B. Petrum orationibus, ceteriſque ſanctis operibus vacaſſe, ubi antea Circus erat (quemadmodum & primo libro ſuprà ſatis de ea re dictum fuit) in quo Nero, portentum illud magnum naturæ, qui & ipſum morti tradidit, omnem laſciviam & inſaniam, omnemque crudelitatem inſuper & inhumanitatem præcipue in Chriſtianos exercuerit?

Probus ille Præfectus prætorio,

107 At vero fuerat ipſum templum extructum in memoriam Probi, ab uxore ejus Proba; qui vir fuit ſummus ætate ſua, multis functus in vita, magnis excelſiſque dignitatibus: à quo, cum eſſet præfectus prætorio, refert beatus Paulinus epiſcopus Nolanus, Ambroſium electum eſſe ad conſilium tribuendum: poſt quod conſularitatis etiam inſignia ſuſcepiſſe, ut regeret Liguriam Æmiliamque provincias, veniretque Mediolanum: cujus ſumma etiam illa laus eſt; quòd cum gentilis adhuc eſſet, ſed omnium litterarum genere imbutus, & philoſophicis diſciplinis admodum eruditus; electus eſt à Conſtantino Imperatore ad audiendas diverſas Athanaſii, Arii, Sabellii, Photinique de fide catholica opiniones, ferendamque de iis, quænam verior eſſet, ſententiam. Quos omnes ita ille audivit, intellexitque, ut quam Athanaſius confiteretur fidem, commendaret utique, probaret, atque ut veriorem ſuſcipiendam eſſe judicaret; judicanſque ſimul ipſe, quam antea contempſerat, libenter ultroque ſuſciperet. Tanti illum, ſinceriſſime ac fortiſſime argumentantem fecit, Athanaſium dico, qui cùm doctrina & fidei ſanctæ defenſione, tùm vitæ meritis etiam & ſanctitate ſummus fuit; qui & propter graves diraſque, quas ſuſtinendæ fidei cauſa, paſſus eſt, ac longas perſecutiones, ſanctis meritò martyribus comparandus videatur.

miſit Ambroſium Mediolanum,
B

hujus & S. Athanaſii doctrina ac virtus.

Prohi elogia ex inſcriptionibus dicti templi,

108 In hoc ergo ego templum ante ſex forte menſes quam dirueretur, neſcio quo ſpiritu agente, introivi. Videram enim characteres litterarum inſcriptos marmoribus, quæ columnis in fronte atque utroque ex latere ſuperpoſita erant, quos magno cum labore (nam nato ibi muſco undique pene obſcurati erant) excepi: & niſi tunc excepiſſem, inſcriptio eorum penitus deperiiſſet: quoniam paulo pòſt marmora illa propter magnitudinem & pulcritudinem eorum, in magnos uſus operum fabrilium converſa ſunt. Continebat vero inſcriptio illarum litterarum verſus in laudem & memoriam ejus, quem diximus, Probi; qui & eum, præfectum prætorio, & in ultima etiam ſenectute, ad fidem Chriſti converſum fuiſſe, ſicuti & ſuprà dictum eſt, apertè demonſtrant. Sepulcrum vero ejus marmoreum, imaginibus ſacris inſculptum, dum fundamenta altius effoderentur, inventum eſt ruderibus obſitum; ſed multo auro plenum, quod veſtibus ejus intextum erat. Nunc illud repoſitum eſt in oratorio S. Thomæ Apoſtoli baptiſmalis fontis cauſa: ſed etiam verſus ipſos audiamus:

C

à Maphæo ſervata.

Epitaphium Probi,

109 Exuviis reſolutus, in ætheris æquore tantum
Curris iter; cunctis integer à vitiis.
Nomine quod reſonas, imitatus moribus æque,
Jordane ablutus, nunc Probus es melior.
Dives opum, claruſque genus, præcelſus honore,
Faſcibus illuſtris, conſule dignus avo.
Bis geminâ populos, præfectus ſede gubernans,
Has mundi phaleras, hos procerum titulos
Tranſcendis, ſenior donatus munere Chriſti:
Hic eſt verus honos, hæc tua nobilitas.
Lætabare prius menſæ regalis honore,
Principis alloquio, Regis amicitia.
Nunc propior Chriſto, ſanctorum ſede potitus,
Luce nova frueris, lux tibi Chriſtus adeſt.
O numquam deflende tuis, cum vita maneret,
Corporis atque artus ſpiritus hos regeret;
Primus eras, nullique patrum virtute ſecundus;
Nunc renovatus, habes perpetuam requiem.
Candida fuſcatus nullâ velamina culpâ,
Et novus inſuetis incola liminibus.
His ſolare tuos; quamquam ſolatia mœſta
Gratia non quærat; gratia, Chriſte, tua.
Vivit in æterna paradiſi ſede beatus,
Qui nova decedens muneris ætherii
Veſtimenta tulit, quo demigrante, Belial
Ceſſit & ingemuit, hic nihil eſſe ſuum.
Hunc tu, Chriſte, choris jungas cæleſtibus, oro;
Te canat, & placidum jugiter aſpiciat,
Eque tuo ſemper dilectus pendeat ore,
Auxilium ſoboli conjugioque ferat.

D

110 Hoc erat Epitaphium Probi; quod ſequebatur & aliud, ejus ſimul ac Probæ uxoris, hujuſmodi.

aliud ejuſdem & Probæ conjugis ſimul.
E

Sublimes quiſquis tumuli miraberis arces,
Dices, quantus erat, qui Probus hîc ſitus eſt.
Conſulibus proavis, ſoceriſque & conſule major,
Quod geminas conſul reddidit ipſe domos,
Prætectus quartò, totum dilectus in orbem,
Sed fama emenſus quicquid in orbe hominum eſt.
Æternos, heu Roma, tibi qui poſceret annos,
Cur non vota tui vixit aduſque boni?
Nam cum ſex denos menſis ſuſpenderet annos,
Dilectæ gremio raptus in æthra Probæ.
Sed periiſſe Probum meritis pro talibus abſit,
Credas, Roma, tuus vivit & aſtra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
Parcus opum nulli, largus at ipſe fuit.
Solamen tanti conjux tamen optima luctûs
Hoc Proba ſortita eſt, jungat ut urna pares.
Felix, heu nimium felix, dum vita maneret:
Digno juncta viro, digna ſimul tumulo.

Poſt templum Probi fuit cœmeterium:
F

111 Poſt hoc vero templum erat altum quoddam & vetuſtum Chriſtianorum cœmeterium, colli ipſi, quem videmus, conjunctum cum oratorio, utique ſemiruto ſuperpoſito: ſubtus autem poſtquam dirutum fuit, repertus eſt inſignis locus, ſepulturæ gentilium cauſa, fabricatus, continens etiam urnulas more eorum cineribus plenas. Sed quod ad cœmeterium Chriſtianorum pertinet, reperti ſunt in eo plurimi nobiles marmorei tumuli; inter quos unus, dicatus Leoni Papæ. Quod ubi comperit magiſter, qui operi illi diruendo præerat, ſtatim id renunciavit Pontifici; Pontifexque tunc illò me ire juſſit, cupiens quid id eſſet, certius ex me intelligere. Porro ibi reperi tumulum, alio marmoreo lapide coopertum; inſcriptum quoque tumulo unicum verſum hujuſmodi,

Salvo Papa Leone Agnellus Presbyter ornat.

Putarim autem hunc Agnellum fuiſſe aliquem cariorem ejus & ſecretiorem contubernalem ac bonum virum, qui ultimum, quem debuit talis ac tanti heri oſſibus, honorem exhibuit, reconditumque ab illo prius ibi corpus ipſius, diu jacuiſſe crediderim propter epigramma, quod dixi, tumulo ejus inſcriptum. Nam certo conſtat,

A

ſtat à Sergio Papa, divinâ ita viſione quadam monito, poſtea ipſum tranſlatum fuiſſe.

ibidem templum S. Stephani;

112 Sequitur & hoc paulo poſt rectâ viâ aliud longe majus templum, poſitum & ipſum ad radices montis, ubi erat caput Circi, erectum quidem in honorem S. Stephani, quod Catafarfara Patricia dictum fuiſſe, apud antiquum quemdam hiſtoricum comperi; Benedictus autem X in quodam privilegio Catagalla Patricia appellat. Fuerat autem id prioribus temporibus tamen oratorium: ſed poſtea ita, ut videmus, auctum eſt & amplificatum. Ceterum nunc propter humanam injuriam magna ex parte disjectum prorſuſque inhabitatum. Neque vero, licet multis in locis antiquis de eo mentio fiat, aliquid tamen vetuſtius legi, quam duas tabulas marmoreas poſitas in utroque latere oratorii ſanctæ Mariæ in Cancellis, quarum auctor Gregorius III. Videmus ibi nonnulla quæ infra, cum ad oratorium ipſum vetuſtum [ventum] fuerit, dicemus, ſtatuiſſe obſervanda à congregationibus trium monaſteriorum, apud Baſilicam S. Petri poſitis, ipſique ſervientibus; ſanctorum ſcilicet Joannis & Pauli, ſancti Stephani & ſancti Martini.

B

item monaſteria aliquot canonicorum

113 Quocirca ſciendum eſt, tria monaſteria, ante eum inſtituta, fuiſſe juxta ipſam Baſilicam, in quibus habitabant ejus canonici, divina illi quotidie officia exhibentes, viventeſque in ſuo quique monaſterio & communibus redditibus; monaſterium ſcilicet ſanctorum Joannis & Pauli, de quo, ſuperiore ſatis capitulo dictum eſt; monaſterium S. Stephani, de quo nunc eſt ſermo: cujus fundatorem cum ſtudioſe inquiſierim, numquam tamen invenire potui, neque apud hiſtoricos, neque apud privilegia Pontificum, in quibus magna horum habetur notitia. Nam tot ex iis, quæ ad Baſilicam pertinebant, deperierunt, ut dolendum ſit, quantum vel negligentia, vel malignitas hominum omnia conſumat, omnia deleat & conficiat. Hoc autem tantum conſtat, Adrianum Pontificem, ut baſilicæ ſervitio melius provideret, cum dirutum illud deſtitutumque inveniſſet, non modo reparaſſe, ſed auxiſſe, multiſque & magnis bonis ditaſſe.

C

Beneficia Adriani & Leonis in monaſterium S. Stephani,

114 Siquidem donavit ei caſtrum Capracorum, quod ex paterna ſibi hereditate obvenerat; & fundum quemdam optimum, vocatum Bravi. Subdidit quoque & annexuit templum beatæ Petronillæ, & beati Stephani, quod Stephanus rex Pannoniorum, quos Hongaros appellamus, extruxerat. Unde poſtmodum etiam illud S. Stephani majoris, hoc minoris, ut magis diſcernerentur, nominata ſunt, ſicut hæc ſuis quæque melius locis tractabimus: [conceſſit] autem ea omnia cum omnibus bonis ſuis, quæ immenſi æſtimata ſunt redditus: cui poſt etiam Leo IV ſucceſſor ejus [mediatus] templum hoſpitaleque S. Peregrini, cujus infra mentionem faciemus, cum multis bonis ejus fundavit ſubjecitque

quod & archidiaconum habuit.

115 Tertium vero fuit monaſterium S. Martini, cujus etiam auctor ignoratur, de quo & infra paulo poſt dicturi ſumus. Plane horum omnium majus & inſignius erat monaſterium S. Stephani hoc, de quo nunc ſcribimus; quod præter ea quæ diximus, ſingulari etiam jure ſuo habebat archipresbyterum, qui præerat toti ſimul Baſilicæ, cum ſingula tamen Monaſteria ſuos Rectores ita appellatos haberent. Erant prærerea ædificia ejus, uti plures in eis habitantes, ita plura quoque & magnificentiora, ut nullam omnino cum eis aliorum domus comparationem habere viderentur. Cumque multa eorum diruta ſint, at nonnulla tamen adhuc extant; habitoque ego nunc recte in eis: neque aliud eſt atrium domus meæ, quam triclinium, in quo menſis illi ſimul accumbebant, quod multis è ſignis facile intelligere licet.

D

Sacella duo anonyma.

116 Verum ut ad reliqua pergamus, à dextra parte introitus Baſilicæ juxta altare majus, erant duo magnæ antiquitatis ſacella ſine ullo prorſus nomine, neglecta jam penitus, ita ut ſemper obſerata nemo umquam adiret. Ante hæc conſecratum fuit, quod adhuc videmus altare beatorum Petri & Pauli, vicinum altari majori S. Petri, quod è regione reſpicit aliud altare S. Bartholomæi, vetuſtum utique & magnæ olim devotionis: poſt quod juxta arcum triumphalem eſt etiam aliud altare antiquum S. Paſtoris. Juxta vero duo illa ſacella vetuſtiora, erat oratorium magnum ſanctæ Crucis, magnæ habitum devotionis teminiſque inacceſſum, quod Papam Symmachum, primo ſupra libro retulimus, eximio cum cultu extruxiſſe, in abſideque ejus decem libras ligni ſanctæ Crucis recondidiſſe; ac nunc, diruto eo inventum, à canonicis reverentiſſime cuſtodiri. Huic contiguum erat aliud majus etiam oratorium, multis altaribus munitum, quod ſacri fontis cauſa ſanctus Damaſus Papa extruxerat Quod etſi nunc dirutum ſit, extant tamen ſubterranei ipſi meatus, quibus per multa miliaria aqua ducebatur, magna arte atque impenſa fabricati.

Altare SS. Petri & Pauli, S. Bartholomæi,

S. Paſtoris.

Oratorium ſanctæ Crucis,

E

& fontis baptiſmalis

cum verſibus Damaſi:

117 Etſi conſtet tempore etiam Liberii Papæ, dum abſente eo, Vicarius ipſe loco ejus, Eccleſiæ neceſſitatibus intenderet, aquam ipſam duxiſſe, propter quod & Liberius in Urbem protectus, innumerabilem hominum turbam baptizavit. Ejus vero aquæ ductus gratia, Damaſus etiam ipſe elegantiſſimos edidit, lapide marmoreo ſculptos verſiculos, qui adhuc lateri Baſilicæ affixus eſt, ſubjecimuique eos hujuſmodi.

Cingebant latices montem, teneroque meatu
Corpora multorum, cineres atque oſſa rigabant.
Non tulit hoc Damaſus, communi lege ſepultos,
Poſt requiem triſtes iterum perſolvere pœnas.
Protinus aggreſſus magnum ſuperare laborem,
Aggeris immenſi dejecit culmina montis.
Intima ſolicitè ſcrutatus viſcera terræ,
Siccavit totum quicquid madefecerat humor;
Invenit fontem, præbet qui dona ſalutis,
Hæc curavit Mercurius levita fidelis.

F

S. Luciæ.

Huic proximum extructum fuit, quod adhuc extat, adhærens alteri lateri Baſilicæ oratorium, ſcilicet S. Luciæ; quod ſicut traditum eſt à majoribus, conſecravit beatus Gregorius Papa, recondito inſuper ibidem pretioſo ejus brachio.

Situs monaſterii S. Martini,

118 Sed diſcedamus hinc, & ad ſiniſtram partem ingreſſûs Baſilicæ veniamus, inveniemuſque primo ibi locum, quo nullus propinquior altari majori, ubi ſitum erat tertium monaſterium S. Martini, illud de quo ſupra, cum de monaſterio S. Stephani tractaremus, locuti ſumus; in quo habitabat tertia alia congregatio ſervientium Baſilicæ, cujus etiam oratorium cum aliquibus adjunctis domunculis paulo ante hæc tempora vidimus, nunc omnia (quod non ſine dolore magno ſcribimus, ſicuti & ſuperiora

A riora quæ commemoravimus) funditus disjecta ſunt.

ejuſque celebritas, ex ſtatua ænea S. Petri,

119 Erat ſane oratorium ipſum ſummæ apud omnes devotionis, quam maximeque poſita in eo imago ænea S. Petri, tranſportata poſtmodum ad aliud oratorium ſanctorum Proceſſi & Martiniani. Neque in tota Baſilica poſt altare majus, ullus locus erat, ad quem major præ devotione fieret concurſus populorum, majoraque oblatæ etiam ſtipis commoda ſuſciperentur; in cujus plane etiam monaſterio legimus, à primula uſque ætate enutritum fuiſſe Leonem IV; de quo cum multa ſuo loco infra dicturi ſumus, hoc in præſentia tantum ſatis ſit commemoraſſe, quod poſtquam ad Pontificatum evectus fuit, memor continue priorum temporum, priſtinæque tenellæ converſationis, ſummam ſemper augendæ ornandæque Baſilicæ ſuæ curam geſſit, præſertim ejus, in quo educatus fuerat monaſterii; cujus & nunc ſermonem ſuſcepimus. Cui quanta contulerit, docemur ex quodam tranſcripto ejus privilegio, quod convenientius infra, cum de Leone ipſo loquemur, explicabimus.

& educatione S. Leonis 4,

B

qui & multa eidem contulit.

120 Interim autem non videtur nunc illud prætereundum, quod inter cetera, quæ ibi traduntur, conceſſit huic monaſterio templum ſancti Salvatoris, in Torrione poſitum, quod ad ſepeliendos omnes Ultramontanos erexit, cui & à magnis patribus magna etiam multaque bona donata ſunt. Templum item S. Senonis, illi proximum; ac aliud S. Michaëlis, monti adjectum; omniaque ſimul bona & jura eorum; cum hiſque inſuper tria oratoria, quæ ſunt intra baſilicam S. Petri, illi proxima, ſancti ſcilicet Sixti, S. Leonis & S. Adriani; ſicut conſtat, non tam ex ipſo tantum ſcripto, quam & ex quodam, de quo etiam infrà ſuo loco dicetur, privilegio Leonis IX, confirmante aliud antiquum ipſius Leonis IV, affixoque muro baſilicæ ſupra portam, unde tunc acceſſus ad baſilicam ipſam patebat; nunc autem cluſam, dimiſſis antiquis lateribus marmoreis, qui adhuc apparent. Conceſſit vero ea cum omnibus bonis ac juribus eorum, duobus præſertim expreſſis hoſpitiis, quæ poſt ipſa oratoria ac baſilicam poſita erant. Ubi quod noviter vidimus, dicendum eſt.

C

Oratoria noviter detecta,

121 Siquidem dum fundamenta, ubi immenſa novi operis imperfecti moles requieſceret, à Nicolao V aperirentur, repertæ ſunt ibi ſubterraneæ cellæ ornatiſſimæ, quæ ſuperjectâ ingenti ruderum congerie, intra viſcera terræ abſconditæ, penitus gnotæ erant. San primum

S. Sixti,

ipſum oratorium S. Sixti eſt, quod reſpicit ſuggeſtum, ubi Euangelium cantatur; de quo dicit Paſchalis Papa, poſt deprædationem cœmeterii Calixti poſitum fuiſſe, ubi corpus B. Sixti martyris, ante corpus B. Petri juxta ſepta ferrea; ſuper quod & factum altare, lapidibus ornatum, & ſuper altare arcus ex miro moſivo; quæ ſicut ille dicit, adhuc hodie apparent. Sepulti ſunt autem ibi cum Sixto, & duo alii Pontifices, Fabianus ſcilicet & Sergius II, ſicut oſtendit epitaphium, inventum in ipſo altari; quod quoniam nimis ineptum ſit, omittemus.

S. Leonis,

Secundum vero oratorium S. Leonis, eſt propius ipſi loco, ubi erat monaſterium S. Martini juxta altare majus S. Petri; in quo recondidit Paſchalis II corpora beatorum Leonum II, III, & IV Nam primum à Sergio tranſlatum fuiſſe, ſupra diximus.

D

S. Adriani.

121 Sed & tertium oratorium S. Adriani, erat huic proximum. Nam nunc prorſus evanuit, cujus nec apparet aliud, niſi tantum affixum lateri baſilicæ inſigne quoddam marmor quadratum cum inſculptis ei verſibus, qui oſtendunt, ipſum ibi curante Carolo Magno ſepultum eſſe. Quem & adeo ille dilexit veneratuſque eſt, ut mortem ejus magnis cum lacrymis proſecutus fuerit, cum neminem tamen filiorum ſuorum umquam mortuum (quod præclarum de ipſo traditum eſt) fleverit. Eſt ſane marmor ipſum Numidicum & atrum, ac quale quidem rarum habeatur. Sed cujuſmodi tamen, refert Plinius, Lucullum Romam invexiſſe, in delitiis magnis ab eo habitum; Luculleumque eſt nomine ejus appellatum. Cujuſmodi etiam Peſcennius Niger, qui fuit fortiſſimus Dux Romanorum æmuluſque Severi Imperatoris, ſuperatuſque ab eo, demum occiſus, ſimulacrum Romæ marmoreum habuiſſe traditur, ut nomini ejus color marmoris etiam conveniret, ſicut epigramma illi additum ſignificabat. Quamquam & aliud, nec ab ipſo Plinio omiſſum, nigri coloris, Alabaſtrique ſpecie marmor fuerit, Alabandicum terræ ſuæ nomine: ex quo & concham pretioſiſſimam vidimus paucis ante annis, nobili & materia & arte elaboratam, poſitam ad os fiſtulæ, unde aqua derivabatur in baptiſterium. Cujus autorem Damaſum Papam fuiſſe, nunc autem penitus dirutum, ſatis ſupra diximus.

huius, in Numidico marmore,

Romanis æſtimatiſſimo,

E

123 Sed audire jam præſtat verſus ipſos, quos marmori inſculptos, Adriano Pontifici Carolus Magnus dedicavit: quos & propter Pontificis ac Imperatoris magis, quam carminis majeſtatem, hic addidimus.

inſculptum à Carolo magno epitaphium

Hic Pater Eccleſiæ, Romæ decus, inclytus auctor,
Adrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita Deus, pietas lex, gloria Chriſtus,
Paſtor Apoſtolicus, promptus ad omne bonum
Nobilis, ex magna genitus jam gente parentum,
Sed ſacris longè nobilior meritis.
Exornare ſtudens devoto pectore paſtor
Semper ubique ſuo templa ſacrata Deo.
Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam,
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,
Et pro plebe ſacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris, erexerat arces,
Urbs, caput orbis, honos, inclyta Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Chriſti quæ morte peremPta eſt,
Janua ſed vitæ mox melioris erat.
Poſt patrem Carolus lachrymans hæc carmina ſcripſi,
Tu mihi dulcis amor, te modò plango pater:
Tu memor eſto mei, ſequitur te meus mea ſemper,
Cum Chriſto teneas regna beata poli.
Te Clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, optime præſul, eras.
Nomina jungo ſimul titulis, Cariſſime, noſtra;
Adrianus, Carolus, Rex ego, tuque Pater.
Quiſque legas verſus devoto pectore, ſupplex,
Amborum mitis, dic, miſerere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies gratiſſima membra,
Cum ſanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro ſurge videre Deum.

F

Auditurus eris vocem, ſcio, judicis almam:
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tunc memor eſto tui nati, Pater optime, poſco
Cum Patre dic; natus pergat & iſte meus.
O pete regna Pater felix cæleſtia Chriſti,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum ſol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab axe,
Laus tua, ſancte Pater, ſemper in orbe manet.

Ejuſdem Adriani opera magnifica.

124 Sedit beatiſſimæ memoriæ Adrianus Papa annos XXIII, menſes decem, dies XVII, obiit VII Kalend. Januarii. Fuit vero hic Adrianus longe benignus & beneficus baſilicæ S. Petri, cui caſtrum Capracorum donavit; ne cetera, quæ ei multa dona contulit, referamus: ne item dicamus, monaſterii S. Stephani, quod ædificavit juxta ipſam baſilicam, nunc magna ex parte dirutum in quo habitantes monachi, cum aliis ſimul tribus monaſteriis, quæ Gregorius III inſtituerat, quotidie pſallentes B. Petro laudum officia exhibebant: ne & alia multa proſequamur, quæ & intra ſimul & extra Urbem templa reſtauravit: ne & ipſius quoque urbis muros attingamus, quos uſque ad fundamenta dirutos renovavit. Porro in ipſo altari S. Adriani factus eſt nunc alius locus, egregie ornatus, ubi collocata eſt cathedra, ſuper quam ſedere B. Petrus, dum ſolennia ageret, conſueverat.

B

Juxta eſt ſepulcrum Urbani 2,

& oratorium B. Mariæ;

quod Paulus I extruxit,

125 Alio vero ex latere juxta ipſum Adrianum, erat ſepulcrum Urbani II, pulcrum decenſque, cujus nec ulla nunc veſtigia apparent. Prope hunc ſequebatur, quod nunc etiam extat, oratorium beatæ Mariæ, quod feminæ olim nefas ducebant intrare Illud Pontifex Paulus primus extruxit, ornavitque pulcherrimis imaginibus, optimo moſivo depictis, appellatum etiam utque ad tempora noſtra locum ipſum ſanctæ Mariæ in Oratorio, ubi & is ſepultus eſt, non quod hic defunctus fuerit. Nam apud baſilicam S. Pauli, cum per æſtivos calores eò ſeceſſiſſet, vitâ exceſſit, ubi & circiter tres menſes jacuit, donec convenientes cives Romani cum multis aliis exteris gentilibus, ut cum ceteris Patribus prædeceſſoribus ſuis dignius requieſceret, per alveum Tiberis naviculæ impoſitum corpus ejus, ad baſilicam S. Petri magno cum honore, divinarumque laudum celebratione deduxerunt, atque in eo, quod ipſe fabricaverat oratorio, de quo nunc mentionem habemus, condiderunt. Hunc fuiſſe magnæ ſanctitatis tradunt, qui præter alia pia opera viduis quam maximè & pupillis, quantopere poterat, ſuccurrebat: per noctem quoque paucos ſecum ducens, inviſebat cellas ægrotantium, & compeditorum, ac omnium quos accepiſſet pauperum; miniſtrans eis, unde ali & recreari poſſent.

ibidem, tranſlato corpore ex S. Pauli, ſepultus.

C

Joannis Papæ ſepulcrum;

126 Ante vero hoc oratorium beatæ Mariæ erat ſepulcrum Joannis Papæ, cum epitaphio, quod legi, ſatis inepto, cujus nunc nihil videtur. Verum alio ex latere ultra portam æneam, quæ ducit ad altare ſanctæ Petronillæ, eſt eximium oratorium, quod ex moſivo egregie fabricatnm erexit Paſchalis Papa in honorem

Oratorium SS Proceſſi & Martiniani pere gregium,

Proceſſi & Martiniani, quorum corpora ex cœmeterio S. Agathæ magna cum ſacerdotum ac populorum devotione & exultatione tranſlata, ibi inſigni porphyritica concha recondidit, & ſepultus eſt ibi ipſe poſtmodum: habitumque fuit hoc oratorium magnæ ſemper veneratione, præſertim mulieribus, quæ nec eò olim intrare audebant: cujus etiam venerationem augebant multa alia ſummorum Pontificum corpora, qnæ ibidem ſepulta ſunt.

D

uti & S. Petronillæ

127 Quoniam vero mentionem fecimus altaris S. Petronillæ, ſciendum eſt, templum illud ubi ſitum eſt, fuiſſe antiquum, nobile, magnaque impenſa & miro cultu, ſicut adhuc reliquiæ oſtendunt, elaboratum, ac Apollini quidem. Quo autem tempore extructum, nihil umquam, quod certum conſtet, reperi. Nam Neronis illud opus fuiſſe, quod vulgo jactatur, procul dubio vanum eſt; quoniam non ſimile veri videtur, in eo loco templum illud fuiſſe, ubi Circenſes ille ludos inſanius exercebat; quod impedimentum magis ſpectaculorum & libidinis ejus extitiſſet. Proinde nec alium locum huic contiguum, ubi eſt altare S. Andreæ, à Papa ſymmacho extructum, magnæ ſemper apud omnes devotionis, & in quo ſummos Pontifices conſecrari ſolitos fuiſſe, ſupra diximus; recte credendum eſt veſtiarium Neronis extitiſſe. Ceterum, quia totus locus ipſe, qui uſque ad altare S. Michaëlis, vetuſtum utique, protenditur, veſtibulum fuit templi Apollinis, quod S. Petronillæ nomen accepit; credibilius videtur à veſtibulo veſtiarium appellatum eſſe. Nec vero omittendum eſt id, quod antiqua monumenta, ceterique auctores tradiderunt, in altari S. Petronillæ corpus ejus, ac pretioſo quidem in ſarcophago tranſlatum reconditumque fuiſſe à Paulo Papa, cujus paulo ante meminimus, cum titulo ſimul, quem B. Petrus eidem addiderat, hujuſcemodi; Aureæ Petronillæ dilectiſſimæ filiæ.

E

cujus ibi corpus.

Brachium S. Andreæ & S. Lucæ.

128 In altari quoque S Andreæ repoſitum eſſe brachium ipſius Apoſtoli, nec non & beati Lucæ Euangeliſtæ, ex Conſtantinopoli utrumque delatum, ac à B. Gregorio poſtmodum etiam illuc tranſlatum: quorum nunc alterum brachium, ſcilicet S. Andreæ, argento pulchre elaborato incluſum, honorifice à canonicis conſervatur. Pari modo & caput S. Lucæ, quod brachio ejus, de quo diximus, junctum erat.

S. Mariæ à Febribus,

Huic contiguum eſt aliud altare à ſiniſtra parte introitus, dicatum nomini ſanctæ Dei genitricis Mariæ, à Febribus appellatum, quod præcipuum quidem & à populis quam maxime præ ſumma devotione cultum frequentatumque eſt; propterea quod innumerabiles, vota illi facientes enixeque ſe commendantes, à febri quotidie ſanentur.

F

In ipſa Baſilica altare S. Mauritii,

129 Nunc ingrediamur baſilicam ipſam, & quod primum præter alia, quæ dicta ſunt, occurrit, altare B Mauritii martyris referamus; cujus illa ſingularis eſt dignitas, quod Imperator antequam ad altare S. Petri, à Romano Pontifice coronam imperii ac gladium defendendæ Eccleſiæ cauſa, ſuſcipiat; ibi primum ab epiſcopis & cardinalibus benedicitur & ungitur. Cui proximum eſt altare S. Silveſtri Papæ, in quo reconditum eſſe brachium [ejus,] antiquiores memoriæ reliquerunt; nec non & corpus Vigilii Papæ, quod in pariete ibi ſcriptum, inventum eſt. Juxta quoque eſt ſepulcrum Papæ Adriani IV, quod adhuc cernimus, nobili marmorea concha è terra ſublatum.

S. Silveſtri Papæ;

ſepulcra Vigilii & Adriani 4.

Oratorium B. Mariæ, cui multas reliquias intulit Gregorius 3.

130 Poſt quod eſt oratorium beatæ Mariæ, quod reſpondet choro canonicorum; in cujus altari Papa Gregorius III multorum ſanctorum martyrum ac confeſſorum, apoſtolorum etiam reliquias, ex variis mundi locis hinc inde collectas, recondidit. Inter quas traditum eſt à majo-

majoribus noſtris, repoſitum etiam eſſe corpus beati Gabini presbyteri, cujus altare ibi diu fuit; ad quod Sardinia & Corſica tributum quotannis mittebant. Cum quo & aliud altare ſimul erat beatæ Mariæ, quod ipſe, quem diximus, Papa Gregorius III, erexerat ac conſecraverat: ſub quibus etiam altaribus inventa ſunt tria ſepulcra, ferro & plumbo probe alligata. Erant plane æneis ambo [altaria] cratibus munita & circumſepta. Erat quoque ejus juſſu in pariete ipſius oratorii depicta imago beatæ Mariæ filium amplexantis, ſupra quam & locus factus, in quo, conveniente omnique pſallente clero Romano, reponi mandaverat dextrum armum B. Stephani protomartyris, quem Pelagius Papa, ſicut in tranſlatione ejus, de Conſtantinopoli Romam facta, traditur, baſilicæ S. Petri donavit, quem & nunc Canonici apud ſe habent, magnaque cum veneratione cuſtodiunt.

A *Altare S. Gabini presb.* *& aliud B. Mariæ,*

131 Ita primum ibi fuerunt illa duo altaria; quibus demum tempore Eugenii tertii disjectis, erectum eſt hoc, quod modo videmus, altare unicum, eidem beatæ Mariæ conſecratum, ubi nunc ab omni conventu eccleſiæ miſſarum officiorumque ſolennia quotidie celebrantur. Jacent vero horum amborum Pontificum corpora, ſimul tumulata, ante oſtium ſacrarii, à dextra parte introitus. Extat adhuc titulus Eugenii III, marmori impreſſus. Deperiit enim Gregorii III, & titulus, qui erat hujuſmodi (Tertius hîc Papa Gregorius eſt tumulatus) & arcus ſimul, qui illi erat erectus, ex nobili moſivo depictus. Quo in loco ſitus eſt etiam Adrianus III; ſed &, ut aliqui tradunt, Petrus Diaconus, quem B. Gregorius in Dialogo ſuo colloquentem ſecum inducit.

in unum ſub titulo B. Mariæ, ab Eugenio 3 mutata.

B *Sepulcra, Eugenii 3, Gregorii 3, Adriani 3,*

132 Juxta hunc locum noſtris quoque temporibus ſepultus eſt Eugenius IV, cujus dulcis heri mei memoriam, uti animo continue gero, ita verbis libenter uſurpo; extatque erectum illi inſigne & magno artificis ingenio elaboratum mauſoleum, non quod ille id aut mandaverit, aut concupierit. Nam ſum memor, dum Florentiæ ageret, incideretque forte mentio hujuſmodi ſumptuoſitatis ſepulcrorum, ab eo audiviſſe, nolle, ſi Romæ mori contingeret, alibi quam juxta Eugenium tertium tumulari, neque alio, quam illum, tumuli honore ac titulo decorari. Erat enim Princeps magnæ continentiæ & moderationis, & qui hujuſcemodi res mundi vanas & fluxas forti ſemperque alto animo contemneret. Penes hunc ex diverſo latere conditus eſt ſucceſſor ejus Nicolaus V; & alter, numquam ex animo delendus mihi, optimus herus meus, qui cum eſſet omnibus bonis litteris & ſtudiis longe edoctus, longeque excelſo ingenio præſtans; ita haſce funerum ſepulcrorumque vanitates non aliter ac is cui ſucceſſiſſet, callebat, callenſque deſpiciebat.

item Eugenii 4,

C *& Nicolai 5.*

133 His nos ambobus etiam epitaphia condidimus, quæ ſequuntur, hujuſmodi;

Epitaphium Eugenii à Maphæo poſitum;

Eugenius jacet hîc quartus, cor nobile cujus
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ.
Quem venerans adiit, ſeque incurvavit uterque,
Cæſar & Eous, Cæſar & Occiduus.
Hic diadema petens; ille almæ fœdera legis;
Ut fieret ſceptro major hic; ille fide.
Quo duce & Armenii, Grajorum exempla ſecuti,
Romanam agnorunt Æthiopeſque fidem.
Inde Syri ac Arabes, mundique è finibus Indi;
Magna, ſed hæc animo cuncta minora ſuo.

Nam valida rurſum Furcoſia * claſſe petebat;
Dum petit aſt, illum ſuſtulit atra dies.
Qui ſemper vanos tumuli contempſit honores,
Atque hac me preſſâ condite, dixit, humo.

D * *An.* Turcoſia?

Aliud Epitaphium.

134 Dum ſtudet Eccleſiam placida componere pace,
Actaque pars voti, pars quoque agenda ſui,
Eugenius quartus morieris, hîc oſſa reliquit:
Sic nece præruptum, quod bene cœpit, opus.
Debuerant duræ tantis perferre ſorores,
Tardius & vitæ ſolvere penſa brevis.
Tunc, ubi pax terris, quam miro ardebat amore,
Reddita, tunc cœlo reſtituendus erat.
Sed Deus actutum ſedes ornare beatas,
Conſultumque ſuis maluit ire bonis.

aliud ejuſdem.

Epitaphium Nicolai V.

135 Pontificis ſummi Nicolai hîc condita quinti
Oſſa cubant, liber ſpiritus aſtra colit.
Æmulus ille Numæ, pacem ſibi prætulit armis,
Prætulit & diris cantica ſancta tubis:
Miro idem ſtudio ritus cultuſque ſacrorum
Curavit, mirâ donaque ſacra fide.
Alter & Auguſtus doctos, doctiſſimus ipſe,
Excoluit, ſumma ſemper & auxit ope.
Extulit atque altæ renovavit mœnia Romæ,
Extulit ingentes & renovavit opes.
Secula qui magni jubilæi læta ſacravit,
Cæſareum rutilo cinxit & orbe caput.
Qui ſciſſum eccleſiæ Paſtor compegit ovile,
Ad ſuaque errantes clauſtra reduxit oves.

Item Nicolai.

E

136 Referri nunc poſſent & alii ſummi Pontifices, quorum corpora in hoc latere baſilicæ majore ex parte recondita ſunt. Lucius II ſcilicet & Cæleſtinus III, quos ſimul poſitos, litteræ pavimento inſculptæ demonſtrant. Unde & manifeſtus deprehenditur error eorum, qui aſſerunt, Lucium ſecundum Laterani eſſe ſepultum. Tum præter hos etiam Anacletus, Euariſtus, Teleſphorus, Iginius, Pius, Eleutherius, Victor, Symmachus, Hormiſda, Deuſdedit, Honorius, Severinus, Eugenius, Vitellianus, Deodatus, Donus, Conon, Siſinnius, Conſtantinus, Zacharias, Valentinus, Nicolaus, Formoſus, Lando, aliique, quorum longiorem turbam, non tam hic, quam per omnem paſſim baſilicam, atque in ipſo etiam veſtibulo ſepultam, conſulto præterimus, exiſtimantes ſuperflui id magis quam neceſſarii laboris fore: quippe cum ſatis ſit dicere, id quod ſuperiore libro memoratum eſt, Romanos omnes Pontifices, præter pauciſſimos, vel hic ſepultos, vel, ſi forte alibi vita functi jacuerint, demum eò tranſlatos eſſe.

Alii Pontifices ibidem tumulati,

F

137 Atque ut omittamus eos, qui ex Catacumbis, aliiſque variis Romæ locis illuc tranſlati ſunt, præclarius illud videtur, quod legimus, Joannem & Agapitum, quorum beatus Gregorius in tertio Dialogorum libro magna ſigna refert. Cum hic Conſtantinopoli, ille Ravennæ deceſſiſſet, utrumque poſtea ad ipſam Baſilicam tranſlatum fuiſſe. Enimvero cum ex antiquis, quæ traduntur monumentis conſtet, omnes ſummos Pontifices in ea reconditos; tum manifeſte id deprehenſum eſt, cum aliquando fundamenta ejus aperirentur, vel propter ſepelienda nova corpora Pontificum vel propter reficienda, quæ diſrumpi ſæpe contigit pavimenta. Siquidem ſunt multotiens inventi non pauci per totam hinc inde Baſilicam ſubterranei tumuli marmorei, nitidis & eximie politis tabulis conſtructi.

& eòdem aliunde poſt mortem tranſlati

A

etiam divina jussione:

138 Tanta autem fuit sepeliendorum ibi Pontificum auctoritas, tantique apud omnes habita, non tam humano quam divino judicio, ut sicut aliqui tradunt, cum Marcellinus Papa sub Diocletiano imperatore Christum, quia Petri æmulus, propter metum mortis abnegasset, tamenque postmodum habito etiam episcoporum ad id concilio, reatus sui pœnituisset, ut ad martyrium suscipiendum ultro pergens, ne à quoquam corpus ejus sepeliretur, sub anathematis pœna vetaret, mansissetque ita illud inhumatum triginta diebus, cum anathema ipsum nemo [non] formidaret, apparuit in somnis B. Petrus Marcello successori ejus, atque illi; Quid dormis, dixerit, Marcelle? aut quid me insepultum dimittis? Obstupefacto quoque ei talibus verbis subjunxerit; Legistine, eos qui se humiliant, exaltandos esse? Et, An non magna videtur tibi fuisse humilitas Marcellini, qui se etiam sepulcri honore indignum judicavit, ut bestiarum dentibus discerpturs, magis relinqueretur? Surge ocyus, & corpus ejus juxta meum reconde, ut qui eamdem gratiam veniæ apud Deum invenimus, eumdem locum etiam tumuli habeamus.

B

aliud eadem de re miraculum

139 Cui adjiciendum est aliud, quod de Gregorio VI traditum est, magnum utique & admirabile monumentum. Cum enim ita graviter aliquando ipse ægrotaret, ut vitæ ejus nulla jam spes supereset; inter Cardinales interim sermo habebatur, ne in basilica S. Petri cum ceteris Pontificibus sepeliretur, propter cædem multorum hominum, qua sanctum sacerdotium turpiter fœdasse videbatur. Id autem certo fecerat, ut tueretur libertatem Ecclesiæ, quam scelestissimi homines, prædæ ac novarum rerum avidi, non habentes qui eos punirent, passim infestabant; grassantes in peregrinos, qui ad Limina Apostolorum veniebant, oblata etiam S. Petro, ac cetera bona auferentes, insidiantesque vitæ cujusque, ac omnibus pessimè vim inferentes. Quos cum nullus metus sacrarum admonitionum excommunicationumve arcere posset, gladio tandem ultore eradicavit.

in Papa Nicolao sexto.

140 Itaque renuntiato ei consilio Cardinalium, conscriusque ipse sibi innocentiæ suæ, vocari ad se eos jussit, multa locutus de necessitate gravium illorum temporum infestationeque malorum hominum, deque proposito suo recto & sancto, utilitatisque ecclesiæ causa tamen suscepto; subjungens tandem, ac mira fiducia animi, speque in Deum, ita inquiens, Ponite, cum mortuus fuero, corpus meum ante portas basilicæ S. Petri, ipsasque seris fortiter occludite, ac nisi per sevi divina aperiantur, procul illinc abjicite. Cujus rei, sicut ille rogaverat, cum periculum fieret, exortus est subito ingens ventorum impetus & aëris turbo, quo apertis laxatisque violenter portis, stupefacti ac præ tanto signo exterriti Cardinales, reverenter ipsum, ut decebat, cum ceteris patribus sepeliri mandarunt.

C

Altare S. Martialis.

141 Sed pergamus ad referendum pauca, quæ adhuc restant altaria: quorum primum S. Martialis, quod est juxta chorum canonicorum, antiquum certe, & magnæ semper venerationis fuit. Dehinc flectamus nos ad latus, ubi sedent, qui pœnitentium peccata audiunt, procedamusque recta via, & inveniemus oratorium, quod

Oratorium S. Gregorii I.

Papa Gregorius IV erexit in honorem B. Gregorii primi, eximii doctoris ecclesiæ; cujus corpus eò transtulit, non longe illinc, atque unà corpora beatorum martyrum Sebastiani & Tyburtii, Chromatii præfecti [filii,] ex cœmeteriis, in quibus antea reposita erant; quibus & singulis sua altaria in eodem oratorio extruxit; juxta quod sepultus est Pelagius Papa & Bonifacius III & Gregorius etiam quintus cum epitaphio simul, quod adhuc apparet marmori insculptum, versibusque licet [non] multum dignis compositum

D

Sepulturæ Pelagii, Bonifacii 3, Gregorii 5.

142 Post ipsum oratorium est secretarium B. Petri, quod ita appellatum fuit; ante quod reconditus est Joannes III, intra vero Benedictus. Sed extra in vestibulo Bonifacius, Theodorus, Zacharias, Joannes II, Gregorius II, Stephanus II, & alius Stephanus V, ac VI etiam; nec non Benedictus IV. Proximum autem huic oratorio est altare SS. Simonis & Judæ; ad quod est accessus per portam Ravennianam; quod è regione respicit aliud altare SS. Philippi & Jacobi: ad quod per aliam portam Romanam introitur. Quoniam vero modò mentionem fecimus duarum portarum basilicæ; Ravennianæ scilicet & Romanæ, convenienter hic de omnibus ipsis, quæ in ingressu ejus sunt, agendum videtur, ut intelligamus, quænam sint, & quæ jam nominatæ sunt, & quæ deinceps aliæ etiam nominandæ sunt.

Secretarium ibique sepulti.

Altare SS. Simonis & Judæ, Philippi & Jacobi.

Portæ in frontispicio basilicæ quinque.

E

143 Quocirca sciendum est, quinque esse portas ipsas, quæ Medianæ dictæ, suo etiam specialiter quæque nomine appellatæ sunt. Primùm etenim, earum media, quæ dignior est, Argenteæ nomen accepit; juxta quam in vestibulo jacet Papa Benedictus III: ante quam etiam sub rotundo marmore porphyretico traditum est jacere corpus venerabilis Bedæ; cujus ob reverentiam antiqui utique per eam non transibant. Vocata autem Argentea primum ab Honorio Pontifice, qui cum omnes ipsas eximie argento munisset, at hanc mediam nobilius etiam tabulis totam argenteis variisque picturis ornavit; incitatus [ad] id, quod de templo Salomonis memoriæ proditum est, cujus portas, argento utique opertas, atque a Tito Imperatore postea bello, quod contra Judæos suscepit, igne succensas fuisse. Egesippus scribit: duravitque hujus ornamentum, usque ad tempora Alexandri III, licet à Saracenis interim in prædam actum ac subinde à Leone IV pulcrius etiam & pretiosius restitutum, sicut suis infra locis dicemus: postmodum autem corruptum paulatim in dies magis fuerit, adeo ut & porta ipsa nomen proprium, quo Argentea vocabatur, amiserit; & Eugenius IV, qui fuit Pontifex omni virtute excellens, enim, ut suprà libro 2 dictum est, æneam restauravit.

Argentea, juxta quam jacet Benedictus 3,

ab Honorio Pont sic dicta,

F

à Leone 4 restituta,

nunc ænea. Eugenii 4.

144 Nunc ad pauca alia quæ restant altaria veniamus. Post altare Philippi & Jacobi, juxta portam noviter clausam, quæ mittebat in templum S. Vincentii, est aliud altare S. Abundii, qui fuit mansionarius ipsius basilicæ, de quo & B. Gregorium, in Dialogo suo verba facientem, suprà satis retulimus: juxta quod etiam à dextra parte introitus, est oratorium insigne excultumque mosivo, dicatumque beatæ Virgini, cum altari, in quo prima Missa noctis Natalis semper celebratur: cujus auctor fuit Joannes Papa VII vir eloquentissimus; ubi & ipse apud altare sepultus est. In ejus medio est aliud altare coopertum desuper nobilissimo elaboratissimoque tegmine, ubi summa cum veneratione conservatur, & cum tempora sua postulant, ostenditur etiam

S. Abundii altare.

B. Mariæ oratorium elegans.

A etiam populis ſanctiſſimum Sudarium Chriſti, de quo ſupervacuum eſt amplius verba facere, cum ſuperiore libro ſatis de eo diſſeruerimus.

Sudarium Chriſti.

Oratorium S. Ambroſii

145 Verùm rectâ viâ, qua itur ad altare majus, eſt oratorium beati Ambroſii, magni doctoris Eccleſiæ, quod nunc nomen ſui omnino devotionemque amiſit. Inter altare autem beatæ Virginis, de quo modo diximus, & portam Guidoneam, erat oratorium S. Antonii martyris, cujus nomen longa vetuſtate exoletum eſt: nunc illud ſub nomine B. Brigidæ colitur. Sed & aliud, quod reſtat intra portam Guidoneam & portam Romanam, erat altare S. Tridentii martyris, nunc ipſum etiam ſine nomine ob poſterorum maxime incuriam.

& S. Antonii mart. nunc S. Brigidæ,

S. Tridentii mart.

146 Hactenus vetuſtiora Baſilicæ S. Petri templa oratoriaque, ſimul atque altaria perſcripſimus. Nam ſiqua nunc alia, præter quæ commemoravimus, appareant, omnia certe ea nova recentioribuſque poſt temporibus condita ſunt. Nunc ergo regrediamur in ipſam Baſilicam S. Petri, ſalutaturi Principem Apoſtolorum, & adoraturi eum, qui poſt tot imperatorum triumphos etiam ſoli divo Petro, ejuſque ſucceſſoribus eum locum divina ſua clementia & bonitate prædeſtinavit, & hactenus conſervavit, conſervaturus in perpetuum: cui laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. D

Apoſtrophe ad S. Petrum.

COMMENTARIUS C. I.

DE BASILICA SANCTI PETRI,

B # APOSTOLORUM PRINCIPIS ANTIQUA, E

A CONSTANTINO MAGNO FUNDATA

ROMÆ IN VATICANO,

AC PRÆCIPUE DE ALTARIBUS EJUSDEM.

§. I. De ſcriptoribus quorum operâ hîc utimur in multis.

NOn incongruum ſane videri poſſit, ſi in hiſce Sanctorum Actis de primo Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ capite, Chriſti Domini primo in terris Vicario, S. Petro Apoſtolorum Principe (quamvis jam multa de illo deceſſores noſtri Godefridus Henſchenius & Daniel Papebrochius tractarint tomo V Junii, addiderimque ego opellam aliquam) pluſcula adhuc ſuperaddamus, quæ perpetuam ejus memoriam in baſilica primaria, glorioſo ipſius nomini dedicata, renovare atque illuſtriorem reddere poſſint. Uti enim ipſe præcipuum Eccleſiæ Catholicæ & grande decus eſt; ita & baſilica ejus, quam Conſtantinus Magnus Imperator Chriſtianus magnifice ædificavit, præcipuum eſt religioſæ antiquitatis monumentum, quo Roma & univerſus orbis Catholicus merito gloriantur; & quotquot ab unitate Romanæ Eccleſiæ alieni ſunt, merito confunduntur.

Baſilica S. Petri antiqua Romæ, gloria chriſtianitatis,

C

2 *Hinc pridem cœpi verſare animo aliquam iſtius baſilicæ illuſtrationem; admovique manum operi. Sed mox fere pœnituit cœpti, conſiderantem, quam arduam rem, ac tenebris longæ vetuſtatis obductam, aggreſſus eſſem, deſtitutus neceſſariis ſcriptorum monumentis, quæ caecutienti in tenebris facem præferrent. Quam multa enim & varia attento illam perluſtranti animo occurrunt monumenta vetuſtæ pietatis, interque illa quam multa altaria diverſis temporibus fundata, deſtructa, reſtaurata, loco mota, aliò tranſlata? Horum rationem reddere, nomina prodere, ſitum indicare, mutationes noſcere, ornamenta deſcribere, ſiquis peregrinus & abſens velit; nam is fruſtra ſudabit, ſi ſine ductu peritorum & veteribus ſcripturis rem aggrediatur. Habuere quidem iſtiuſmodi ſcripturas, qui duobus ſeculis ſuperioribus non pauci Romæ animum eò appulere ac ſtudium, ut baſilicam antiquam, tunc demum aut parte aut totam ſolo æquatam, quaſi reſuſcitarent è pulvere, inciſamque in æs, deſcriptam in libris, illuſtratam commentariis, conſervarent poſteritati. Verum illi inter ſe frequenter diſcordant, & monumenta vetuſtiora mss. perparce communicant, ut qui alios non habet duces, neſciat quem tutò ſequatur.*

deſcriptu nunc difficilis,

3 *Convertebam animum ad Anaſtaſium Bibliothecarium, ſcriptorem antiquum, eoque uſus ſum ex editione Pariſienſi typographiæ regiæ, curata anno* MDCXLIX: *ſed is ultra ſeculum* IX *me ducere non potuit. Uſus deinde ſum Romano Canonico, quem anno* MDCXLVI *Romæ impreſſit Paulus de Angelis cum Annotationibus in illum ſuis qualibuſcumque. Nec alium ſcriptorem, paulo antiquiorem, qui argumentum, quod tractamus, proſequeretur, tunc habebam. Sciebam tamen à recentioribus crebro allegari ſcriptores duos mss. qui baſilicam Vaticanam illuſtravere, Petrum Manlium & Maphæum Vegium, utrumque eâdem in baſilica olim Canonicos. Illorum opuſcula duo mss. tandem nactus ſum (ſupra expoſui qua occaſione) quorum alterum Petri Manlii ſeu Mallii, quod inſcribitur* Hiſtoria ſacra, *videlicet antiquæ baſilicæ Vaticanæ, cum præfatione* ad beatiſſimum Patrem Alexandrum tertium Pontificem Maximum, *collectum ex ipſius baſilicæ antiquis monumentis ſub medium ſeculi* XII. *Alterum Maphæi Vegii Laudenſis, cui titulus,* De rebus antiquis memorabilibus baſilicæ S. Petri Romæ, *compoſitum libris quatuor ſub annum* MCCCCLVII. *Utrumque, quia hactenus, ut ſunt, in publicam lucem per typos non venerunt, & à multis talium ſtudioſis*

licet quadamtenus illuſtrata ab Anaſtaſio biblioth. F

Petro Manlio,

Maphæo Vegio,

C. J. *diosis desiderabantur; lubuit Commentario huic præmittere, tum ut aliis gratificarer, tum ut à nobis hic porro dicenda, inde comprobarentur confirmarenturque.*

& aliis recentioribus. 4 *Alii, illis recentiores, quorum operâ usi sumus, hi fere sunt. Onuphrius Panvinius de septem Urbis ecclesiis, impressus Romæ anno* 1570; *Marcus Attilius Serranus de eodem argumento, ex editione Colonensi, curata* 1600; *antea vero editus, Romæ* 1575, *uti testatur Floravantes Martinelli; & colligitur ex Dedicatione, Gregorio XIII inscripta. Pompeius Ugonius de Stationibus Romanis* 1588 *Joannes Severanus presbyter Oratorii Romani, in Memoriis sacris septem Ecclesiarum, vulgatis Romæ* 1630. *Augustinus Oldoinus in vitis Pontificum Romanorum & Philippus Bonannius in Historia templi Vaticani, ambo Societatis Jesu; ille anno* 1677, *hic* 1696 *atque iterum* 1700 *Romæ editi. Accedunt, Illustriss. Joannes Ciampinus & celebris architectus Carolus Fontana, nec non Franciscus Maria Turrigius de sacris cryptis Vaticanis, cujus editionem anni* 1635 *tantum habeo. Alios prætermitto hic, suis locis nominandos.*

B *Ichnographiæ ejus ex delineatione Alpharani,* 5 *Inter jam citatos nonnulli multa tum veteris tum novæ basilicæ opera, eleganter incisa in æs, scriptis suis inseruerunt, quæque apud ipsos videri possunt. Ego inde in primis huc adduco Ichnographiam veteris templi, ut maxime necessariam, quatenus designat suis locis oratoria atque altaria, quæ illic olim fuerunt; eáque alii paucis indicant, alii plusculis subinde describunt verbis; omnes ad hoc usi scriptoribus antiquioribus. Et ichnographiam quidem mutuati sunt ex delineatione ms. Tiberii Alpharani, qui sub Sixto PP V floruit, ejusdem basilicæ canonicus: de quo Bonannius cap.* 8 *hæc, nobis etiam notanda, scribit:*

Panvinium in nonnullis corrigentis. 6 Onuphrium Alpharanus lib. De antiquitate & præstantia basilicæ Vaticanæ (*utinam nobis quoque prodire videre licuisset!*) modeste refellit, excusatque scriptorem, alioquin eruditissimum, his verbis: [Onuphrius Panvinius Ordinis Heremitarum, in libro, quem scripsit de Antiquitatibus basilicæ Vaticanæ, valde quidem præ ceteris hujusmodi scriptoribus & laudandus & extollendus; quamvis omnia bene interpretatus fuerit, tamen situs aliquorum sacellorum, altarium & nonnullorum locorum C non bene intellexit. Nam sub organo corpus S. Petronillæ virginis translatum fuisse scripsit: & altaria SS Philippi & Jacobi; Simonis & Judæ; Abundii, hujus basilicæ mansionarii; & portam, quæ ducebat ad ecclesiam S. Vincentii, alibi fuisse docet. Quod quidem non est ita. Corpora SS. Processi & Martiniani martyrum sub organum; corpus vero S. Petronillæ in altare sanctissimi Crucifixi; & lancea, qua Christi latus perforatum fuit, ad cyborium Vultus sancti, translata fuere. Ita & de aliis quidem ei parcendum est. Nam de hujusmodi locorum spatiis & translationibus non habuit antiquiorem, quem consulere posset; sicut ego Jacobum Herculanum canonicum & altaristam ejusdem basilicæ antiquissimum, qui hujusmodi rerum & actionum doctissimus erat] Hæc de Panvinio Alpharanus, *inquit Bonannius.*

Numerus altarium ex opinione variorum 7 *Idem Bonannius eodem capite* 8, *in numerum altarium, qui in antiqua basilica extiterint, inquirens, ait; Petrum Manlium*, loquentem de Sanctis, qui in B. Petri basilica requiescunt, viginti septem numerasse *Raphaum Vegium* altaria viginti octo recensere. *Panvinium*, præter altare majus S. Petri in antiqua basilica viginti altaria, partim sacellis vel oratoriis inclusa, partim sine ædiculis, *ponere*; eorumque brevem epilogum addere; sed hunc sine ullo ordine fuisse, affirmari à Pompeio Ugonio. *Ugonium vero ipsum*, qui scripsit sub Sixto V circa annum 1588, ea tantùm recensuisse, quæ in templi veteris parte, *tunc adhuc subsistente*, vel inibi primùm erecta, vel ex alia jam tum diruta, illuc translata, sexdecim numerabantur. *Denique, Joannem Severanum* lib. de septem Urbis ecclesiis impresso anno 1630, viginti quinque partim oratoria, partim altaria descripsisse. D

& Alpharani. 8 *His istum in modum recensitis, pergit Bonannius:* Tiberius vero Alpharanus, antequam tota basilicæ veteris moles penitus solo æquaretur, ut Sixtus V meditabatur, ejus delineationem aggressus, peraccurate absolvit, eidem adjectis, cum exterioribus, interioribus sacellis, quæ summorum Pontificum aliorumque virorum pietas excitaverat. Servatur ipsa delineatio in archivo basilicæ; & in Vaticana itidem bibliotheca ejus autographum, duobus magnis foliis compactum; in quo altaria omnia recenset numero sexaginta novem; quæ tamen diversis E temporibus in eadem basilica extiterunt. Porro ille plenam templi notitiam, ut ipsemet asseruit, à Jacobo Herculano canonico habuit, ejusmodi rerum doctissimo; *imo* & altaristæ ejusdem basilicæ antiquissimo, *uti supra dixit idem Alpharanus: sed vellem distinctius expressisset tempus, quo vixit Herculanus ille, & quid scripto reliquerit. Non enim memini apud alios scriptores de illo quidquam legere.*

Ætas Jacobi Grimaldi 9 *Alium quoque reperio auctorem, Jacobum Grimaldum; qui de basilica S. Petri varia litteris consignavit, crebro citatum à Bonannio aliisque ex mss. Is, quantum ex citationibus aliorum scriptorum colligo, vixit cum Alpharano, atque etiam superaverit, ingressus seculum* XVII *ad annos non paucos. Citatur etiam a Bonannio cap.* 3, *Tractatus ejus ms. de Lancea Domini, in quo, quod supra querebar, ab Alpharano prætermissum esse, indicat; videlicet quod Jacobus Herculanus creatus & Herculani.* à Paulo IV canonicus S. Petri, antea beneficiatus & ædituus, animarum parochus, & summi Pontificis eleemosynarius, vitæ & conversationis sanctissimæ, obiit anno MDLXXIII; & veterem basilicam antequam Julius II eam deturbaret, descripserat, optime viderat, & multa notatu digna observaverat. F

§ II Fuerunt primis Christianis certa ad orandum loca & templa: horum forma, partes, ornatus, fons baptismalis & magnificentia.

Certa orationum loca fuere PRo comperto haberi debet (*quidquid aliter sentiant etiam Catholici scriptores*) *fuisse primis Christianis certa orationum loca: quod Scripturæ Sacræ frequenter indicant; atque ipsi Apostoli ac discipuli statim à Resurrectione Domini, erant congregati, utique ad orandum; quando foribus propter metum Judæorum clausis, venit ad eos semel iterumque Dominus, Joan.* 20. *Eodem quoque Domino ante ascensionem suam mandante, ut sederent in civitate, quoadusque induerentur virtute ex alto; discipuli adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno:* & erant semper in templo laudan-

A tes & benedicentes Deum, *Lucæ ultimo.* Et erant *fideles* perſeverantes in doctrina Apoſtolorum communicatione fractionis panis & orationibus, *Act.* 2. *Poſt tempora Apoſtolorum S. Juſtinus martyr in quæſtione poſitus, interrogatuſque à Præfecto, quem in locum Chriſtiani convenirent; reſpondit;* eò unumquemque quò vellet ac poſſet, *ut in ejus martyrii Actis legitur. Item S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium;* quivis, *inquit,* locus, in quo varias ærumnas ſigillatim pertulimus, ager, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer, inſtar templi ad ſacros conventus peragendos fuit. *Ut nihil dicam de cryptis & catacumbis Romanis, ubi Chriſtiani in oratoriis ſubterraneis, quæ adhuc viſuntur, multorum hominum capacia, ſuis temporibus conveniebant, orabant atque alia chriſtianæ pietatis officia peragebant. Et hæc certa orationum loca fuerunt, fidelibus paſſim nota: de quibus alia etiam legi poſſunt apud Baronium tom* 1 *Annal. ad an.* 57 *à num.* 98.

primis chriſtianis,

11 *Interceſſerunt ſubinde tempora, à perſecutionibus quietiora, quando, paulatim creſcente Chriſtianorum multitudine, & faventibus aut connivantibus urbium magiſtratibus, publica in conſpectu gentilium oratoria & templa chriſtiano ritu conſtruxerunt. Luculentus illa de re locus eſt apud Euſebium in Hiſtoria eccleſ. libr.* 8 *cap.* 1. *Ubi ille crudeliſſimam omnium Diocletiani perſecutionem deſcripturus, præmittit nonnulla de quiete ac majori libertate, qua ſubinde populus chriſtianus cœperat gaudere; additque de eorum templis ſequentia:* Jam vero, quis innumerabilium hominum, quotidie ad fidem Chriſti confugientium turbam; quis numerum eccleſiarum in ſingulis urbibus; quis illuſtres populorum concurſus in ædibus ſacris, cumulate poſſit deſcribere? Quo factum eſt, ut priſcis ædificiis jam non contenti (*igitur jam tum magis priſca erant ædificia, quo fideles conveniebant ad orandum*) in ſingulis urbibus ſpatioſas ab ipſis fundamentis extruerent eccleſias. *Inter iſtas numeres eccleſiam, quam Chriſtiani habebant Nicomediæ in ipſa tunc regia civitate,* editiſſimam, *quam primo perſecutionis ſuæ generalis die Diocletianus coràm ſolo adæquandam curavit; uti ſcribit Lactantius cap.* 12 *de Mortibus perſec.*

quæ paulatim in templa publica ſunt mutata

B

C

12 *Finita perſecutione illa, Conſtantino imperante, Chriſtiani certatim, & deſtructas eccleſias ſuas continuo reſtauraverunt & novas ubique exædificaverunt. Eò faciunt verba Euſebii, tunc viventis, libr.* 10, *cap.* 2: Loca cuncta, quæ tyrannorum impietas paulo ante ſubruerat, tamquam ex diuturna ac peſtifera labe reviviſcere vidimus: templaque rurſus à ſolo in immenſam altitudinem erigi, & longe majore cultu ac ſplendore, quam illa quæ prius expugnata fuiſſent, niteſcere. *Unum deinde, quod Paulinus Tyri epiſcopus in ſua civitate amplius ſplendidiuſque, quam antea fuerat, reſuſcitavit, copioſa oratione commemorat, ſitumque ejus, partes & ornamenta minutim deſcribit eodem lib.* 10, *cap.* 4: *ex quibus dignoſci quoquo modo poteſt, qualis eccleſias Chriſtianorum ſtruendi modus per illa tempora fuerit; ideoque, quia ſub idem fere tempus, quo Vaticana Romæ, ipſa Tyri ædificata ſit; operæ pretium duco deſcriptionem ejus huc adducere, ut per illam illuſtretur ædificium Vaticanæ noſtræ, ac viciſſim iſtius partes per ichnographiam noſtram Vaticanæ, quam mox dabimus, facilius intelligantur.*

& à tyrannis deſtructa, mox reſurrexerunt ſplendidiora.

13 *Accipe igitur deſcriptionis Euſebianæ verba, ex interpretatione Valeſii, quæ huc ſpectant,* *quæque ſtructorem templi Paulinum appellant, ejuſque magnificentiam in laudando opere celebrant.* Itaque, *inquit,* multò ampliorem locum *templi novi,* metatus, exteriorem quidem ambitum muro undique communivit, qui totius operis tutiſſimum eſſet propugnaculum. Magnum deinde atque excelſum veſtibulum ad ipſos ſolis orientis radios extendit, iis qui à ſacri loci ambitu longius remoti ſunt, conſpectum quemdam eorum, quæ intus reconduntur, abunde exhibens, & oculos eorum, qui à noſtra fide alieni ſunt, ad conſpicienda limina quodammodo invitans; ne quiſquam forte prætercurrat, qui non compungatur animo, tum ex memoria præteritæ ſolitudinis, tum ex ſtupendo præſentis operis miraculo. Hoc enim modo compunctos, attrahi & ad ingrediendum allici poſſe aſpectu ipſo, ſperavit. C. J. *Exemplum in eccleſia Tyria*

14 Ceterum ubi portas ingreſſus ſis, non ſtatim impuris & illotis pedibus in ſacrarium introire permiſit. Sed inter templum ac veſtibulum maximo intervallo relicto, hoc ſpatium in quadrati ſpeciem circumſeptum, quatuor obliquis porticibus circumquaque exornavit, quæ columnis undique attolluntur. Intercolumnia porro ipſa, ſeptis è ligno reticulatis, in mediocrem & congruam altitudinem elatis, circumcluſit. Medium autem ſpatium apertum & patere reliquit, ut & cæli aſpectum præberet, & aërem ſplendidum ſoliſque radiis colluſtratum præſtaret. Hîc ſacrarum expiationum ſigna poſuit, fontes ſcilicet, ex adverſo eccleſiæ ſtructos, qui interius ſacrarium ingreſſuris copioſos latices ad abluendum miniſtrarent. Atque hoc primum intrantium diverſorium eſt, cunctis quidem ornatum ac nitorem concilians; iis vero, qui inſtitutione adhuc opus habent, congruentem præbens manſionem. *cum quadriporticu,*

E

15 Jam vero hoc ſpectaculum prætervectus, pluribus aliis interioribus veſtibulis aditus ad templum patentes effecit; rurſus ad ipſos ſolis orientis radios tribus ordine januis in uno eodemque latere conſtructis: quarum mediam duabus aliis utrimque poſitis, & altitudine & latitudine, plurimum præſtare voluit, eamdemque æreis tabulis, ferro vinctis & ſculpturis variis præcipue decoravit, ei tamquam reginæ ſatellites aliquas adjungens. Ad eumdem modum cum, porticibus ad utrumque templi latus fabricatis, parem veſtibulorum numerum diſpoſuiſſet, diverſos aditus, quibus copioſum lumen ſuperne in ædem infunderetur, ſupra ipſas porticus excogitavit, eaſque feneſtras variis è ligno ſculpturis minutiſſimi operis ornavit. Ipſam vero ædem regiam opulentioribus magiſque pretioſis ſpeciebus inſtruxit, prolixâ ſumptuum magnificentiâ ad hoc uſus. *ac tribus in frontiſpicio portis*

F

16 Hic jam mihi ſuperfluum videtur ædis ipſius longitudinem ac latitudinem deſcribere, & hunc ſplendidiſſimum decorem atque inexplicabilem magnitudinem; radiantem operum ſpeciem ac ſplendorem; faſtigia ad cælum uſque tendentia; & ſupra hoc eminentes Libani pretioſiſſimas cedros; oratione proſequi. Quid jam attinet de ſolerti & ingenioſa totius fabricæ diſpoſitione, ac de excellenti ſingularum partium pulcritudine accuratius differere? Præſertim cum oculorum teſtimonium omnem, quæ auribus percipi poteſt, notitiam excludat. Porro cum templum in hunc modum abſolviſſet, throniſque altiſſimis in honorem Præſidentium, *& multiplicibus ornamentis:*

C. J. tium; ac præterea subselliis per universum templum ordine dispositis exornasset; postremo Sanctum Sanctorum, altare videlicet, in medio constituit. Utque hæc sacraria multitudini inaccessa essent; ea rursus ligneis cancellis munivit, minutissimo opere ad summum artis fastigium elaboratis, adeo ut admirabile intuentibus spectaculum exhibeant.

qualia etiam in templo Vaticano,

17 *Ex hac descriptione habemus, quod templum illud Tyrsum fuit peramplum; quod frontispicium ejus spectavit solem orientem & habuit portas plures; quod ante illud extitit atrium, quatuor porticibus columnatis circumductum; quod item fontes extra templum scaturierunt; quod in templo sedes episcoporum supereminuerunt alias presbyterorum; quod altare in medio constitutum fuit. Et hæc quidem omnia in antiqua S. Petri basilica Vaticana similiter inveniuntur, uti ex ichnographia ejus, ac porro dicendis, constabit. Sed & præmittamus hic aliqua de ejusdem Vaticanæ ecclesiæ situ & forma, ab antiquis scriptoribus Latinis memorata; atque in primis ex Gregorio Turonensi, qui Romam etiam visitavit & S. Petrum in ecclesia Vaticana veneratus est. Is libro de Gloria Martyrum, cap.* 28 *habet sequentia.*

B

cujus descriptio aliqua ex Gregorio Turon.

18 Sanctus Petrus Apostolus, ut præfati sumus, cum post Neroniana & Simoniaca bella, ad crucem venisset, impleto jam felicis trophæi certamine, resupinis ad cælum vestigiis se expetiit crucifigi, indignum se vociferans, ut Dominum exaltari: sicque dirigens spiritum vivacem in astra; sepultus est in templo, quod vocabatur antiquitus Vaticanum, quatuor ordines columnarum habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ sunt simul centum; præter illas, quæ ciborium sepulcri sustentant. Hoc enim sepulcrum, sub altari collocatum, valde rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum; & sic fenestellâ parvulâ patefactâ, immisso introrsum capite, quæ necessitas promit, efflagitat... Nec moratur effectus, si petitionis tantum justa proferatur oratio. Quod si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentanâ (*statera vel libra*) pensatum jacit intrinsecus, deinde vigilans ac jejunans, devotissime deprecatur, ut devotioni suæ virtus Apostolica suffragetur. Mirum dictu, si fides hominis prævaluerit, à tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam prius pensaverat, ponderet: & tunc scit qui levaverit, cum ejus gratia sumpsisse quod petiit. Multi etiam & claves aureas ad reserandos cancellos beati sepulcri faciunt, qui ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitati tribulatorum medeantur. Omnia enim fides integra præstat. Sunt ibi & columnæ miræ elegantiæ candore niveo, quatuor numero, quæ ciborium sepulcri sustinere dicuntur.

C

atque ex Prudentio

19 *Et Prudentius, longo ante Gregorium tempore, libro Peristephanôn, Hymno* XII, *postquam celebravit utriusque Apostoli martyrium, de locis sepulturæ ac templis eorumdem nonnulla canit, deque fonte baptismali in S. Petri, multa miscet, his versibus.*

Dividit ossa duum Tibris, sacer ex utraque ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulcra,
Dextra Petrum regio, tectis tenet aureis receptum,
Canens olivâ, murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus, excitavit
Frondem perennem chrismatis feracem. D
Nunc pretiosa ruit per marmora lubricatque clivum,
Donec viventi fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
Stagnum nivali volvitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas:
Musci relucent & viresci aurum,
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri;
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit ipse illic, gelidi rigore fontis,
Videt sitire quas fluenta Christi.

de utriusque Apostoli ecclesiis.

20 *Idem is continuo subdit nonnulla de templo S. Pauli seorsim: at mox ab his verbis;* Princeps bonus (*Constantinus*) has sacravit arces, *nempe Petri & Pauli; utriusque Apostoli basilicas simul describit, ponens in illis, uti suprà Gregorius Turonensis, quatuor ordines columnarum; qui in S. Pauli hodiedum consistunt, & in S. Petri fuisse, demonstrat ejus ichnographia: quamvis putem aliquanto longiores fuisse ordines columnarum in S. Petri quam S. Pauli. Miscet his etiam alia Prudentius de utriusque ecclesiæ ornatu. En ejus versus.* E

Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis,
Quâ stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est. Princeps bonus has sacravit arces,
Lusitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdidit & Parias fulvis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo:
Tum camuros hyalo insigni varie cucurrit arcus:
Sic prata vernis floribus renident.

In his vocum aliquot obscuriorum explicatio.

21 *Nequid lectorem in præmissis Prudentii versibus (sunt enim nonnulla minus obvia) retardet, explicationis aliquid, ex meo quidem sensu, subnecto. In primo carmine de S. Petri, versu* 6, Frondem perennem, *intelligo* oleam. *Versu* 8 *in fine,* colymbo; *sit,* canali *seu* aquæductu. *Versu* 12, Cyaneus latex; cærulea aqua. *In altero vero Carmine versu* 4, Lusitque magnis ambitum talentis. *Ubi* lusit, *pro* illusit, *id est* pinxit *ambitum templi magno auri pretio. Major obscuritas est in versu penultimo.* Tum camurus, *legitur in plerisque codicibus impressis. In nostro Prudentii antiquissimo ms. legitur* camiros; *& in editione Nicolai Heinsii, anno* 1667 *curata,* camuros. *Nemo hactenus aptam vocis etymologiam aut significationem, quod sciam, dedit. Noster citatus Cod. ms. in notis, quæ antiquissimâ itidem manu passim ad locos obscuriores per totum opus adscripta sunt, interpretatur* camirus, *seu* camyrus, *seu* camurus (*eodem quippe redeunt*) *pro* curvus: Hyalus, *uti vere sonat grace, pro* vitrum: cucurrit, *pro* pinxit. *Hinc totus versus penultimus apto sensu sic reddi possit, quod* Princeps bonus *Constantinus, qui utriusque basilicæ* ambitum magnis lusit, *illusit seu pinxit* talentis, ... *ita etiam* arcus camuros *id est curvos aut curvatos,* varie cucurrit, *percurrit, distinxit aut pinxit* hyalo *seu vitro* insigni. *Sed de his satis. Redeamus ad propositum.* F

Fons baptismalis à Damaso Papa excitatus.

22 *Inter alia de ecclesia S. Petri dicta Prudentius etiam mentionem fecit de fonte baptismali, qui ibidem ex aqua, è vicino colle per canales deducta, extabat; cujus auctor fuit S. Damasus Papa, uti indicant inter Poëmata ejus, à Sarazanio collecta & anno* 1638 *Romæ vulgata, hi versus, Carmine* 39

Cingebant latices (*al.* lacus) montem, teneroque meatu

Cor-

A Corpora multorum, cineres atque ossa rigabant.
Non tulit hoc Damasus, communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere pœnas.
Protinus adgressus magnum superare laborem
Aggeris immensi, dejecit culmina montis.
Intima solicite scrutatus viscera terræ,
Siccavit totum quidquid madefecerat humor.
Invenit fontem, præbet qui dona salutis.
Hæc curavit Mercurius levita fidelis.

§ III. Ecclesiarum S. Felicis Nolani descriptio, è S. Paulino Ep. cultore ejus singulari.

Ecclesiarum S. Felicis descriptio,

Distinctiora etiam de ecclesiis S. Felicis sui, earumque partibus & forma scribit, ineunte seculo V, *S. Paulinus episcopus Nolanus, Epistolâ* XII *ad Severum in editione Rosweidiana pag.* 140. *Inter alia sic ibi habet:* Basilica illa, quæ ad Dominædium (*id est, S. Felicem, tamquam Dominum adis*) nostrum communem Patronum, in nomine Domini Christi jam dedicata celebratur, quatuor ejus basilicis addita; reliquiis apostolorum & martyrum intra apsidem, trichora sub altaria sacratis; non solo beati Felicis honore venerabilis est. Apsidem, solo & parietibus marmoratam, camera musivo illusa clarificat; cujus picturæ hi versus sunt. *Praetermitto tum hîc, tum in sequentibus plerosque Paulini versus, in citata Epistola legendos. Deinde pergit:* Inferiore autem balteo, quo parietis & cameræ confinium interposita gypso crepido conjungit aut dividit, hic titulus indicat deposita sub altari Sancta sanctorum.... Tum vero extra concham basilicæ spatium, alto & lacunato culmine, geminis utrimque porticibus dilatatur, quibus duplex per singulos arcus columnarum ordo dirigitur. Cubicula (*id est sacella*) intra porticus quaterna, longis basilicæ lateribus inserta, secretis orantium vel in lege Domini meditantium; præterea memoriis religiosorum ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent. Omne cubiculum binis per liminum frontes versibus prænotatur....

unius, cum apside;

B

C

item alterius,

24 Alteri autem basilicæ, qua de hortulo vel pomario quasi privatus aperitur ingressus, hi versiculi hanc secretiorem forem pandunt... Hoc idem ostiolum aliis versibus ab interiore sui fronte signatur.... Prospectus vero basilicæ, non ut usitatior mos est, Orientem spectat, sed ad Domini mei beati Felicis basilicam pertinet, memoriam ejus (*id est sepulcrum, aut altare, aut etiam oratorium, ubi quiescit,*) aspiciens: tamen cùm duabus dextrâ lævâque conchulis intra spatiosum sui ambitum apsis sinuata laxetur, una earum immolanti hostias jubilationis Antistiti patet; altera post sacerdotem, capaci sinu receptat orantes. Lætissimo conspectu tota hæc basilica in basilicam memorati Confessoris aperitur tribus arcubus paribus, perlucente transennâ: per quam vicissim sibi tecta & spatia basilicæ utriusque junguntur. Nam quia novam à veteri paries, apside cujusdam monumenti interposita, obstructus excluderet, totidem januis patefactus à latere Confessoris, quot à fronte ingressûs sui foribus nova referabatur, quasi diatritam (*sonat mihi*, quasi perspicuam) speciem ab utraque in utramque spectantibus præbet; sicut datis inter utrasque januas titulis indicatur. Itaque in ipsis basilicæ novæ ingressibus hi versiculi sunt. *Duos subnecto, quia quæ modo dicta sunt, quadamtenus explicant.*

Orienti non obversæ,

cum triplici porta.

Alma domus triplici patet ingredientibus arcu,
Testaturque piam janua trina fidem....

C. J.

Intra ipsam vero transennam (qua breve illud, quod propinquas sibi basilicas potius * discludebat, intervallum continuatur) è regione basilicæ novæ super medianum arcum, hi versus sunt.

* *al.* prius

Quid sit transenna:

15 *Detinet me tantisper hîc* transenna. *Erat septum, quod tribus foribus è veteri basilica transmittebat adeuntes novam, per aliquam ambulationem aut aulam, superne tectam, qua amba ecclesiæ committebantur. Septum illud, aut potius fores, erant cancellatæ aut vitro pellucidæ: hinc supra Paulino* transenna perlucens. *Intra hanc igitur transennam, quæ scilicet novam basilicam spectabat, inscripti fuerunt supra arcum seu portam mediam, hi versus, qui, quæ dixi, clarius explicabunt, sumptâ similitudine Christi, duo Testamenta, vetus ac novum, conjungentis in unum; aut hominem Deo reconciliantis:*

Ut medium valli pax nostra resolvit Jesus,
Et cruce dissidium perimens, duo fecit in unum:
Sic nova, destructo veteris discrimine tecti,
Culmina conspicimus portarum fœdere jungi.
Sancta nitens famulis interluit atria limphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro.

E

Plebs geminâ Christum Felicis adorat in aula:
Paulus Apostolico quam temperat ore Sacerdos.
Paulus sit hîc ipse Paulinus, qui illic prædicabat ac populum docebat; uti infra clarius; Paulus in æternos antistes dedicat usus *ecclesiam, à se Paulino excitatam.*

26 *Hæc porro ibidem* notata versiculis epigrammata super arcus alios dextrâ lævaque sunt: *In uno quidem,*

Attonitis nova lux oculis aperitur, & uno
Limine consistens, geminas simul aspicit aulas.

In altero vero,

Ter geminis geminæ patuerunt arcubus aulæ;
Miranturque suos per mutua limina cultus.

Hinc transit Paulinus ad oppositos tres arcus seu portas, per quas ingressus in novam basilicam patebat, easque similis argumenti versibus insignivit; qui apud ipsum, ne longior hîc sim, legi possunt. Porro in secretariis duobus, *inquit*, quæ suprà dixi circa apsidem esse, hi versiculi indicant officia singulorum. *Secretaria duo, quæ hic vocat, sunt* duæ conchulæ, *quibus intra spatiosum sui ambitum apsis dextrâ lævâque laxatur, uti suprà num.* 24 *dicebat, addens:* Una earum immolanti hostias jubilationis Antistiti patet: altera post sacerdotem capaci sinu receptat orantes. *Quæ eumdem fere in sensum hîc per duo epigrammata explicat, in conchula quidem, seu, si vis, secretario,* à dextra apsidis:

quid secretarium.

F

Hic locus est, veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

A sinistra *vero* ejusdem apsidis:

Si quem sancta tenet meditanda in lege voluntas,
Hîc poterit residens sacris intendere libris.

27 Egrediamur jam (*ita prosequitur Paulinus*) *Nolanâ* hac Basilicâ, & in Fundanam transeamus. Fundis nomen oppido est, quod æque familiare mihi fuit dum maneret possessio, quam illic usitatiorem habui. Itaque vel

Tertiæ basilicæ descriptio,

C. J. ad pignus civicæ caritatis, vel ad memoriam præteriti patrimonii, basilicam dare in ipso oppido (quoniam & indigebat, ruinosam & parvam habens) voti fuit. Propterea & hos versiculos adjiciendos putavi, quos illi in hoc oppido dedicandæ basilicæ paravimus. Nam adhuc in opere est; sed propitio Deo, dedicationi propinqua. Quod tamen ea mihi maxime ratio persuasit, quia & in hujus apside designatam picturam meus Victor (*is qui Paulino litteras à Severo attulerat*,) adamavit, & portare tibi voluit, si forte & eam de duabus elegeris, in hac recentiore tua pingere, in qua æque apsidem factam indicavit. Sed de hac apsida, an absíde, magis dicere debuerim; tu videris: ego nescire me fateor; quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor. Verum hanc quoque basiliculam de benedictis apostolorum & martyrum reliquiis sacri cineres, in nomine Christi, sanctorum Sancti, & martyrum Martyris, & dominorum Domini, consecrabant. Ipse enim testatus est, se viciſſim confessorum suorum Confessorem futurum. Ideo super hac, præter * picturam, gratiâ geminatus est titulus. *Nempe, uti recte observavit Roswеidus, geminatum carmen; quorum primum celebrat Christum, pro ut in pictura expressum, & quidem tam distincte, ut ex carmine nova pictura delineari posset; alterum celebrat cineres martyrum, sub ara conditos.*

* *al.* propter

B

28 *Sic igitur carmen primum de pictura.*

ejusque in apside picturæ,

Sanctorum labor & merces sibi rite cohærent,
Ardua crux, pretiumque crucis sublime, corona.
Ipse Deus, nobis princeps crucis atque coronæ,
Inter floriferi cæleste nemus paradisi,
Sub cruce sanguineâ niveo stat Christus in agno;
Agnus, ut innocua injusto datus hostia leto:
Alite quem placidâ, sanctus perfundit hiantem
Spiritus, & rutilâ Genitor de nube coronat.
Et quia præcelsâ, quasi judex, rupe superstat,
Bis geminæ pecudis, discors agnis genus hædi,
Circumstant solium; lævos avertitur hædos
Pastor, & emeritos dextra complectitur agnos.

29 *Carmen alterum de reliquiis Sanctorum hoc est.*

cum carmine de reliquiis Sanctorum ibi conditis.

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum
Regia purpureo marmore crusta tegit.
Hic & apostolicas præsentat gratia vires
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas;
Martyr & illustris sanguine Nazarius:
Quosque suo Deus Ambrosio post longa revelat
Secula, Protasium cum pare Gervasio.
Hic simul una pium complectitur arcula cœtum,
Et capit exiguo nomina tanta sinu.

C

30 *Hæc Paulinus: quem priusquam aliò transeamus, audire etiam juvabit loquentem de ipsa S. Petri basilica Vaticana. In Epistola sua, quam Roswеidus pag.* 285 *inscribit* trigesimam tertiam ad Alethium. *Est autem illa ex duabus ad diversos, in unam conflata; ejusque pars posterior prolixiorque (uti nunc constat) missa fuit ad Pammachium, virum nobilissimum & christiana pietate percelebrem; quem hic consolatur Paulinus in obitu uxoris Paulinæ, S. Paulæ, Hieronymo multis titulis celebratæ, filiæ; pro cujus anima Pammachius epulum præbuerat omnibus Romæ pauperibus in basilica Apostolorum Principis; eaque occasione de ipsa basilica commemorat quæ sequuntur:* Videre mihi videor tota illa religiosa miserandæ plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos, tantis influere penitus agminibus in ampliſſimam glorioſi Petri basilicam per illam venerabilem regiam (*id est, portam,*) cærulea eminus fronte renidentem, ut tota & intra basilicam & pro januis atrii, & pro gradibus campi, spatia coarctentur. *Et non multo post:* Quanto ipsum Apostolum Petrum attollebas gaudio, cum totam ejus basilicam densis inopum cœtibus stipavisses, vel quâ, sub alto sui culminis, mediis ampla laquearibus, longum patet, & apostolico eminus solio coruscans, ingredientium lumina stringit & corda lætificat; vel quâ, sub eadem mole tectorum, geminis utrimque porticibus latera diffundit; quâve prætento nitens atrio, fusa vestibulo est; ubi cantharum, ministra manibus & oribus fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat & inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens. Decet enim ingressum ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari *per baptismum* geritur, spectabili pro foribus opere signetur.

D

Ex his S. Petri ecclesia etiam illustrabitur.

31 *Hæc pluribus, ex antiquis scriptoribus produxisse proderit; præcipue pro sequenti commentario, ad illustranda, quæ de templo, altaribus & apsidibus picturisque in basilica S. Petri Vaticana, deinceps commentanda erunt: tum etiam, ut si quis, ab Ecclesia Catholica Romana alienus, hæc forte legat, penitius consideret, depositâ tantisper pertinaciâ, quid de talibus tenuerint primitivæ Ecclesiæ Catholici; ac præsertim Paulinus, vir sapientissimus, atque tunc recens è gentilismo ad veram Religionem conversus, & per istiusmodi piarum exercitationum studia, sua merita auxit & sanctitatem consecutus fuit.*

E

§ IV. De usu Romani Canonici in hoc Commentario: de Portis templi veteris: de Institutione Guidonum; & Diplomate Caroli Magni, uti putatur, illa super re.

Quis usus hic sit Romani Canonici;

Antequam ad ipsum Commentarium nostrum de basilica antiqua S. Petri in Vaticano, accedamus, præmonendus mihi lector est, quod Commentarius iste à decem circiter annis majore sui parte concinnatus fuerit ex variis scriptoribus, tum antiquis, tum recentioribus, quos tunc habui; quodque Petrum Manlium & Mapheum Vegium, quos deinde acceptos hisce præmisimus, tunc in suis scriptis propriis nusquam viderim, sed tantum ab aliis citatos. Habui tamen opusculum Romani Canonici, à Paulo de Angelis sub ejus nomine editum, eoque frequenter usus sum; quod tamen nuper suo loco demonstravi ipsius Petri Manlii esse præter pauca, quæ Manlio Romanus, post annos circiter triginta ab illius editione, superaddidit, uti hoc ipso tomo supra pag. 35 *declaravimus. Sciat interim Lector, quod quæ ex Romano Canonico pridem in hoc Commentario non raro citavi, etiam nunc sub eadem citatione relicta esse; ne magno cum labore, & periculo errandi, uti pronum esset fieri, ad nostram Manlii editionem easdem citationes reduceremus. Romanus Canonicus Pauli de Angelis publicus est: si quis in citatione ejus, aliqua in parte dubitaverit, habet jam hic Manlium nostrum, quem consulere possit. Et hoc primum sit necessario observandum.*

F

& aliorum scriptorum.

33 *Desiderabit fortasse aliquis, in hoc Commentario etiam videre ichnographiam, orthographiam, scenographiam, aliasque antiqui templi Vaticani figuras, in æs incisas. Fateor decorum id esset. Verum*

Tomo 7 Junii pag. 91.



A rum quoniam non multis abhinc annis, ingenium suum & operam singularem eò contulerunt Romæ, Illustrissimus D. Joannes Ciampinus in volumine suo de sacris ædificiis, à Constantino Magno extructis, impresso anno 1693; Eques Carolus Fontana in suo de Templo Vaticano, cui tunc præerat architectus, opere regio, 1694; & post illos Philippus Bonannius Societatis nostræ in sua Templi Vaticani historia, primùm anno 1696, atque iterum quadriennio pòst, Romæ vulgata. Quoniam, inquam, edita sint illa opera tam nuper, & quidem latinâ linguâ, ut intelligi ubique terrarum possint, & figuris pluribus, iisque eleganter calatis, abundent; eò malumus curiosum lectorem remittere, exhibituri hîc fere solam ichnographiam ejusdem templi, tamquam maxime necessariam, ad dignoscendum situm, ubi altaria & sacella olim collocata steterunt. Repræsentabit autem ichnographia nostra, tum veteris, tum novi templi delineationem; veteris quidem lineolis incisam, novæ autem punctulis distinctam. Ex quo non tantum distinguentur situs antiquorum altarium inter se, verum etiam patebit oculis, Confessionem S. Petri, ubi sacrum ejus corpus olim reconditum & operose munitum fuit in veteri ecclesia; nunc quoque in eodem loco esse; licet nunc meditullium occupet ecclesiæ novæ, quæ in veteri prope aberat à tribuna.

Datur ichnographia templi,

B

34 *Ut autem in hac ichnographia, ob multiplicitatem altarium, ordo dilucidus servetur, ac facilius inveniatur quod quæritur, distribuemus tabulam universam in sectiones varias; & ne excrescat numerus notarum, debeantque in arctis sæpe spatiis duplicari ad rem unam indicandam; resumemus pro singulis Sectionibus singula Alphabeta, initium habitura ab una ex his majusculis* A, B, C *&c. à quibus etiam Sectiones singulæ denominabuntur, videlicet Sectio* A, *sive prima; sectio* B, *sive secunda; sectio* C, *sive tertia; atque sic porro. Et prædictæ quidem tres Sectiones dividunt corpus ecclesiæ qua patet intra muros, primitus à Constantino fundatos in formam crucis. Prima sectio sive* A *comprehendet dimidium quinque navium directarum spatium, à frontispicio usque ad lineam transversam, per intercolumnia duodecima, proxime columnis undecimis, à pariete uno laterali ad oppositum alterum ductam in tabula nostra, & notantem murum transversarium, qui, posteriore templi parte sub Julio PP. II dejici cœptâ, anteriorem ab illa sejunxit sub Paulo III, à quo erectus fuit, ut illam contra cæli injurias ad publicum populi usum servaret; servavitque reliquo illo seculo* XVI; *donec & illum & reliquum templum demolitus quoque est Paulus V. Quæ porro superfuerunt seculo* XVI *altaria, sive antiquitus ibi fundata, sive ex dejecta templi parte eò recens translata, hac prima sectione explicabuntur, prout tunc temporis fuerunt ac descripta inveniuntur apud auctores, qui quæ scribunt, oculis suis coràm videre potuerunt.*

In varias sectiones dispertitur.

Quæ Sectio prima,

C

35 *Altera Sectio sive* B *continebit ecclesiam dejectam post murum transversarium usque ad navim transversam, & quæ ibi stetêre altaria numerabit. Navim transversam totam complectetur sectio tertia sive* C, *exceptâ Confessione S. Petri & apside, de quibus seorsim tractabitur. Alias deinde Sectiones suo in loco designabimus. Nunc igitur hic initium ducamus à frontispicio templi ejusque portis, per quas ingressi altaria singula lustrabimus, eorumque situm, antiquitatem, fundatores, oblataque ibi dona, quantum per tenebras licebit, inquirere conabimur, tacite præterituri sepulcra, quæ etiam in tabula nostra variis locis, per templi intra muros circuitum, indicantur; tum quia non omnia illic ab initio posita fuerunt, sed ex posteriore ecclesia, quando demolienda erat, eò delata, prioris situs memoriam fere perdiderunt; tum quia ad institutum nostrum, sacras præcipue antiquitates revelare cupientium, illa non magnopere faciunt. Habebit tamen illorum expressio in tabula utilitatem aliquam, quia inde aliquando distinctius dignoscitur situs altarium vicinorum, & ipsa sepulcrorum nomina vicissim in descriptione altarium subinde memorantur.*

quæ secunda ac tertia.

C. I.

Portæ veteris templi,

36 *Portæ igitur, quæ in frontispicio veteris ecclesiæ patebant, fuerunt quinque, quibus tandem Sixtus PP. IV, solenne Jubilæum anno* MCCCCLXXV *celebraturus, sextam addidit versus septemtrionem, eamque* Portam sanctam *appellavit, singulis viginti quinque annis deinceps, recurrente solemni Jubilæo, aperiendam denuò. Nomina quinque aliarum portarum, quibus olim appellabantur, nunc vulgo ignota sunt. Illa autem ex Petro Manlio & Maphæo Vegio hîc resuscitamus. Porta media seu, ut architectonici loquuntur, mediana, ac regia, quæ valvis claudebatur, nomine ac re* Argentea *olim fuit: utpote quam Pontifices Romani,* *Argentea,*

E

Honorius I, anno DCXXVI *creatus, atque Leo IV, ducentis & aliquot annis pòst, laminis argenteis cooperuerunt; uti scribit Anastasius Bibliothecarius; in Honorio quidem, quod ille* investivit regias januas in ingressu ecclesiæ majores, quæ appellantur Medianæ, ex argento; quæ pensant libras nongentas septuaginta quinque: *in Leone verò, quod* Ipse, cum innumera summi decoris opera in basilica B. Petri cæli clavigeri perfeciſſet; portas ejus, quas destruxerat *anno* DCCCXLVI Saracena progenies, argentoque nudaverat, erexit multisque argenteis tabulis, licifluis salutiferisque historiis sculptis, decoravit & in meliorem speciem, quam pridem fuerant, reparavit; *impensis, uti paulo post sequitur, argenti libris* septuaginta: *pro quo tamen legendum puto,* septingentis. *Quomodo enim, cum opus magnum sit; ac Honorius ei vestiendo impendit libras argenti nongentas septuaginta quinque; Leo illud in meliorem speciem, quam ante fuerat, tantillo argento reparare potuerit?*

ab Honorio I

ac iterum à Leone 4 talis facta;

tandem ab Eugenio 4 ære obductas

F

37 *Easdem valvas multò pòst Eugenius PP. IV aheneas fecit cum variis figuris, quæ apud Ciampinum tomo* I, *Veterum monumentorum, videri possunt, insculptis hisce versibus, qui expressam ibi inter alia quorumdam orientalium atque Africanorum populorum cum Ecclesia Romana reconciliationem, nec non auctorem operis Eugenium indicant:*

Ut Græci, Armeni, Æthiopes, hîc aspice, ut ipsâ
Romanam amplexa est gens Jacobina fidem,
Sunt hæc Eugenii monimenta illustria quarti,
Excelsi hæc animi sunt monimenta sui.

Ipsas Paulus PP. V ad frontispicium novæ basilicæ translatas, ibidem in medio similiter ingressu appendi jussit, altas, uti notat citatus Ciampinus, palmis XXX, *latas* XVI *& quadrante; atque hodiedum ibi spectantur.*

Porta Ravenniana, & Romana,

38 *Proxima Argenteæ porta à sinistris (sinistram dextromque hic intelligo respectu ingredientium) appellabatur* Ravenniana; *uti proxima à dextris,* Romana: *quasi per hanc Romani, pontem Triumphalem aut Angelicum transgressi, potissimum intrarent; per illam vero intrarent qui Transtiberinam regionem incolebant, in nonnullis Sanctorum Actis* Ravennianam *quoque dictam, à militia, quæ à Cæsare Augusto Ravennæ in omnem eventum ali consueverat, uti putat Fulvius, & evo-*

C. J. *evocata quavis de causa Romam, in illa regione stativa habebat. Portam Ravennianam proxime sequebatur versus Orientem,* porta Judicii; *quia per illam, uti loquitur Severanus, mortui ad sepulturam inferebantur, tamquam à Domino judicandi Romanam portam proximè versus Boream excipiebat* Guidonea, *barbaro vocabulo, à* Guidonibus (*Italis* Guida *&* Guidone, *qui alteri ducatum præstat viamque præit*) *nominata: Guidones quippe illi, ut idem Severanus scribit, peregrinos ad Limina Apostolorum venientes, in & per ecclesiam ducebant, monstrabantque & indicabant celebriora quævis ibi sacraria. Hinc dextrorsum versus angulum septemtrionalem frontispicii aperiebatur statutis temporibus* Porta sancta, *qua intrandum erat lucraturis Indulgentias Anni sancti seu Jubilæi, nunc singulis quinque lustris solenniter concedi à Pontificibus Romanis solitas; sed hæc porta admodum antiqua non est, utpote à Sixto PP. IV primùm aperta, uti jam diximus.*

Judicii, *Guidonea,* *Sancta.*

De iisdem portis

B

39 *De prædictis portis ita loquitur Canonicus Romanus cap.* 44: In honorem basilicæ B. Petri Apostolorum Principis scribimus nomina quinque portarum, quæ sunt in ingressu B. Petri basilicæ: quarum media & major vocatur porta Argentea; quoniam optimo argento tota deargentata fuit & variis picturis à S. Leone Papa IV depicta. Porta vero, quæ est juxta eam, & quæ vadit ad S. Leonem IX Papam, vocatur porta Ravenniana, quoniam antiquitus Ravennates & omnes Lombardi & Tusci, de consuetudine *per eam intrabant; vel quia Transtiberim* (*subintellige*, habitantes) *per eam intrare solebant:* cum Transtiberim civitas Ravennatium vocaretur. Tertia porta juxta eam, quæ vadit ad S. Gregorium, vocatur porta Judicii, quoniam per eam tantum mortui, qui sepeliendi sunt in ecclesia B. Petri, mittuntur à Domino judicandi. Ab alia parte suprà, porta, quæ est juxta portam Argenteam, dicitur porta Romana; quoniam, ut à nostris majoribus accepimus, Romanæ mulieres antiquitùs, & adhuc frequenter per eam intrant. Porta illa, quæ est juxta eam, & quæ vadit per porticale juxta Veronicam, dicitur porta Guidonea; quoniam Guidones, qui ducebant oratores venientes per porticale, quod est juxta nolarium majus, frequenter per eam intrabant. Unde ad nostra usque tempora faculæ & cerei ibi vendebantur. *Hæc de portis frontispicii, suo tempore Romanus Canonicus.*

C

& de institutione Guidonum:

40 *In his autem obiter notari potest de* Guidonibus, *quod illorum institutionem referat Turrigius ad Carolum Magnum, qui in ecclesia Salvatoris Domini nostri Jesu Christi collocarit fundaveritque* in perpetuum tres Presbyteros & duodecim Clericos, scientes litteras; *per quos* cum obsequio sacerdotum *debitè tradantur sepulturæ* pauperes & divites, nobiles & ignobiles, quos de Ultramontanis partibus *contigerit Romæ mori: insuper, ut* quicumque causa orationis de Ultramontanis partibus venerint, ipsi sint ductores eorum ad orandum per limina Sanctorum. *Et paulo post repetitis breviter præmissis, mandatur iisdem Clericis, ut* ducant oratores, *id est peregrinos, qui ad orandum venerunt,* & hospitent, *ac* sepeliant omnes.

En hæc à Carolo Magno facta.

41 *Hujus institutionis ac fundationis Carolina Diploma tamquam datum Romæ anno ab Incarnatione Domini* DCCXCVII, *Indict.* VII, *gloriari potest Turrigius, in Ceptis Vaticanis, mihi pag.* 501, *se ex codice MS. ecclesiæ Vaticanæ primum proferre in lucem publicam. Non tamen profert ipsum absque metu, ne forte Caroli non sit, tum propter rusticitatem styli; tum propter annum dati Diplomatis, qui cum Indictione* VII *conciliari non potest, quique Carolum totâ Italiâ non vidit, nedum Romæ: tum denique, quia Leo Papa, qui debet esse* tertius, *in Diplomate vocatur* quartus, *& quidem bis; Alexander vero Pontifex, quem intelligi cupit Turrigius* primum *istius nominis, appellatur* quintus. *Sed hæc omnia, quæ alioquin per se sufficiant ad reddendum Diploma suppositionis suspectum, conjici posse putat Turrigius in ignorantiam* Scriniarii *seu Notarii* S. Rom. Ecclesiæ, *qui non intellexerit latinam linguam aut notas compendiarias multarum rerum, in originali, quod non extat, forte positas; licet testetur, se Diploma* sicut invenit in tomo carticineo, Imperiali sigillo bullato, scripto ab Alguino cancellario bonæ memoriæ supradicti Domini Caroli piissimi imperatoris; ita diligenter exemplavisse & scripsisse.

D

Diploma institutionis, quod affertur, Caroli non est

42 *Interea quæ ad substantiam fundationis spectant, & varia loca, de quibus in Diplomate mentio fit, ita explicat Turrigius, ut vera esse credi possint, à quocumque demum fundatio facta & conditum fictumve diploma sit. Nam Caroli Magni genuinum esse, ut credam, deberet, præter errata jam dicta, inde abesse pars posterior fere tota, præsertim quæ continet subscriptiones personarum & temporis & loci. Illa quippe vehementer abhorrent à stylo & ætate Caroli, qui in subscribendo consuevit uti paucis verbis, E. g.* Signum Caroli gloriosissimi Regis, *vel* Serenissimi Imperatoris. *Hic autem insolitus titulorum catalogus legitur attextus,* Signum manus Dompni Karoli Serenissimi, invictissimi ac triumphatoris, pacifici, magni, imperatoris. *Et sequitur alterior à vera subscriptio* Fredigarchi Cancellarii, ex vice Dompni Aug. potentissimi atque sanctissimi TT. orb. Imp. (id est totius orbis Imperii.) *Hanc parenthesin, Turrigii interpretationem esse arbitror. Sequitur vero alia subscriptio, nihilo melior præcedente:* Alcuinus Cancellarius sanctione imperatoria perfeci ad summum, omnino complevi, roboravi & absolvi.

E

propter varias formulas,

43 *Insolita hîc sunt pro ætate Caroli, quod duo Cancellarii post Principem subscribant, quodque vox* Cancellarius *exprimatur; quod prior nomen suum ponat in casu genitivo pro nominativo; quod scribat* vice Domni Augusti. *Solet Notarius subscribere vice Cancellarii, in hujus absentia; non Cancellarius vice Regis aut Imperatoris. Imo neuter prædictorum Cancellariorum, ut vocantur, hactenus reperti sunt subscripsisse ulli alii Diplomatum Caroli Magni, nec sciuntur Cancellarii ejus fuisse. Mabilio certe, qui lib.* 2 *de Re Diplomatica cap.* 12, *catalogum texit Cancellariorum Caroli, illos duos ignorat. Quî etiam* Augustus *subscriptus sit Carolus anno* DCCXCVII, *qui triennio post primùm coronatus Imperator fuit? Prætereo plura quæ notari possint. Nota temporis per* annum ab incarnatione Domini *omnino abesse debet à Diplomatibus Caroli Magni. Utitur hic in suis, post quam Imperator coronatus fuit, ut plurimum tribus epochis annorum, videlicet regni sui Francici, regni Italici, & Imperii; numquam usus anno ab Incarnatione Domini.*

F

Caroli tempore non usitatas.

44 *Ablegari quoque à Carolinis Diplomatibus debet principium quod hîc legitur:* In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina protegente clementiâ Augustus, magnus, à Deo coro-

A coronatus, Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum. *Carolus enim poſtquam Auguſtus ſive Imperator Romanorum coronatus fuit, abſtinuit inferiori titulo*, Patricius Romanorum, *quem eatenus adhibere conſueverat. Neque tum ſcribebat*, In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis; *ſed*, In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti: *neque addebat*, divina protegente clementia. *Sed Guidones noſtri nimium nos circumducunt, redeamus ad baſilicam, & deſcriptis jam frontiſpicii portis (præter quas in aliis templi parietibus aliæ plures fuerunt) convertamur ad altaria Sanctorum, ipſorumque nomina & ſitum inquirenda, quæ ad inſtitutum noſtrum propius ſpectant. Picturas, ſtatuas, alia artis miracula, eorùmque artifices, ſiquis noſſe deſiderat, adire poterit Bonannium, talia curioſius proſecutum in opere citato.*

SECTIO I, SIVE A

Quæ tendit à porta Argentea ſiniſtrorſum ad parietem meridionalem, inde ad murum tranſverſarium, ac redit per navim ſeptemtrionalem ad frontiſpicium prædictamque portam.

B

Demolitio veteris, & initium novæ baſilicæ.

Ejectâ poſteriori parte Conſtantinianæ in Vaticano baſilicæ, poſuit Julius Papa II anno Domini MDVI *die* XVIII *Aprilis, pridie Dominicæ in Albis, novæ baſilicæ primum lapidem, à ſe rite benedictum, in fundamento pilæ majoris ſeu paraſtatæ, quæ tholum ſuſtinet, qua reſpicit occaſum brumalem, cum hac epigrapha:* Ædem Principis Apoſtolorum in Vaticano, vetuſtate & ſitu ſqualentem, à fundamentis reſtituit Julius Ligur Pont. Max. an. MDVI. *Hinc ſtrenue incubitum fuit operi ſub eodem Julio, non item ſub conſecutis Pontificibus uſque ad Paulum III, qui ducto ab imo ad ſummum tranſverſario muro inter undecimas ac duodecimas ab ingreſſu columnas, anteriorem baſilicæ partem ad uſum populi commodiorem, à poſteriori, omnimode deſtruenda, ſeparavit, variaque altaria ex hac in illam tranſtulit conſervanda. Qualia autem illa fuerint, præter alia ibidem prius ædificata, patebit ex ſubjecta explicatione Sectionis* A, *quæ ſpatium baſilicæ, quod inter frontiſpicium ac prædictum murum interjacet, complectitur.*

C

Sectionis primæ ordo.

46 *Principium duco à porta Argentea ſive mediana, & flectens ſiniſtrorſum, juxta motum ſolis, circumeo Sectionem totam; reverſus vero ad eamdem portam Argenteam, progredior ad Altaria, quæ in medio conſiſtunt. Ordinem fere contrarium, à porta Argentea dextrorſum circumducens hîc tenet Ugonius, quem tamen ut oculatum teſtem, in hujus ſectionis explicatione præcipue ſequor. Attamen notandum venit, quod quæ ſcriptores ſeculi* XVI *memorant de altaribus hac in Sectione poſitis, non debeant tantum intelligi de iis, quæ antiquitus ibidem extiterunt, ſed de illis quoque, quæ poſt demolitionem poſterioris eccleſiæ ad hanc priorem tranſlata, & ubi locus inveniebatur, repoſita fuerunt. De illis porro quæ tunc tranſlata ſunt, hac Sectione paucis agemus, inquirentes in novum eorumdem ſitum: potiſſimum de iis tractaturi ſuis locis, ubi primitus fuerunt fundata.*

Altare Mortuorum,

47 A. *Hoc altare Ugonio, qui contra ſolis curſum ſua recenſet, eſt decimum ſextum, quod vulgo dicebatur* Mortuorum, *quia pro animabus fidelium defunctorum erat privilegiatum ab antiquis (non tamen nimis antiquis) temporibus. A Gregorio XIII hoc loco fuiſſe auguſtiore forma innovatum, ſanctiſque* Philippo & Jacobo *Apoſtolis, nec non* Hieronymo *Eccleſiæ Doctori conſecratum, privilegiis etiam ac indulgentiis, pro animarum ſuffragio, confirmatis; ſcribit Ciampinus, tacentibus Ugonio & aliis coævis Gregorio XIII. Prope ſepultus fuit Leo IX.* C. J.

S. Bonifacii mart.

48 b Capella S. Bonifacii (*inquit Ugonius, eamque loco decimo quinto ponit*) quæ antiquiſſimis temporibus dedicata fuit S. Bonifacio martyri, fuitque à Bonifacio VIII (quemadmodum patet ex inſignibus nobiliſſimæ familiæ Cajetanæ) reſtaurata & dotata multis Sanctorum Reliquiis. Prope capellam hanc, in navi tamen proximè laterali, ſepultus eſt Bonifacius IV, qui dedicavit Pantheon glorioſæ Virgini Mariæ atque omnibus Sanctis. *Ibidem in ipſo, ut opinor, ſacello à ſe conſtructo, prædictus Bonifacius VIII mauſoleum ſibi excitandum curavit, in quo & depoſitus fuit anno* MCCCIII; *& poſt annorum plus quam trecentorum curriculum ſub pontificatu Pauli V, cum & illa pars antiqui templi deſtruebatur, inventus eſt, incorruptus corpore & omni veſtitu pontificali, cum annulo in digito & thiara in capite. Ex quo palam arguuntur mendacii qui ſcripſerunt, ipſum, dolore animi in rabiem actum, ſibi præmordiſſe digitos, & manus voraſſe, ſicque mortuum eſſe: quandoquidem illa etiam membra inventa fuerunt integra. Tota inventionis hiſtoria, notarialiter deſcripta, extat in Annalibus Oderici Raynaldi ad annum* 1303. *Ego tantum inde obſervo, mauſoleum ejus*, palmis decem à terra *elevatum, ſtetiſſe* in majori navi, inter portas Ravennianam & Judicii. *Ergo in majori navi, ubi etiam erat ſacellum.* B

SS. Petri & Pauli Pereriorum,

49 c *Altare, quod* Pereriorum *dicebatur, à conditore ejus Guilielmo de Pereriis, Auditore Rotæ*, dedicatum fuiſſe ſanctis Petro & Paulo, ſed nullo fuiſſe in uſu, *ſaltem ſuo tempore, ait Ugonius, loco decimo tertio ipſum recenſens. Loco autem decimoquarto habet altare* B. Mariæ de Columna, *factumque dicit à Gregorio XIII, anno ſancto* MDLXXV, *per Ludovicum Blanchettum, ſuo præfectum cubiculo pontificio. Recentius igitur fuit ibi altare iſtud, nec ultra annos* XXX *ſtare potuit; propterea quod tunc partem illam eccleſiæ veteris etiam demolitus eſt Paulus V: & hinc forte non curarint ſcriptores ei locum in ichnographia ſua determinare. Eum deſignat citatus Ugonius inter altaria Pereriorum & Bonifacii VIII, de quibus modo: atque adeo ſtetiſſe videtur ad dexteram ingredientis per portam judicii, uti altare Pereriorum ſtabat ad ſiniſtram.* F

S. Andreæ Apoſt.

50 d *Altare hoc, duodecimum eſt Ugonio, ſub nomine* S. Andreæ, *uti tunc à tempore Pii ſecundi, qui caput iſtius Sancti ibi condiderat, vulgo appellabatur. Aliis potiſſimum vocatur* S. Gregorii, *ſive à S. Gregorio Magno, cujus eò corpus tranſlatum fuerit; ſive à S. Gregorio IV, qui ipſum extruxerat; ut quidem opinantur omnes, quos vidi, de altari iſto tractantes: à quorum tamen ſententia nobis recedendum putamus propter argumenta in Diſſertatione propria, Sectione* 4 *proponenda. Interea Ugonius, poſtquam appellari altare illud*, S. Andreæ *dixerat, ſic porro ſcribit:* Conſecratum fuit à Gregorio IV, qui ſub eo recondidit in concha marmorea corpus S. Gregorii Magni, uti & ſanctorum martyrum Gorgonii ac Tiburtii filii Chromatii. Pius Papa II ipſum reſtauravit, impoſito tabernaculo marmoreo, in quo

C. J. collocavit caput S. Andreæ Apoſtoli, allatum ex Peloponeſo. *Ita ille, ſubjungens etiam*, ibi fuiſſe antiquum ſecretarium eccleſiæ S. Petri, in quo Papa ſacro indui ornatu ſolebat ad peragendum officia divina; atque inde cum ſolenni pompa procedere ad altare ſanctorum Apoſtolorum.

51 *Hinc procedimus per hanc navim lateralem, ubi nihil notorum altarium eſt, ad murum tranſverſarium, qui totam interſecat eccleſiam, à Paulo III conſtructum: cujus antequam altaria explicem, præmitto diſtinctum de iis locum Onuphrii Panvinii è libro, quem impreſſit Romæ anno* MDLXX *de Septem eccleſiis, pag.* 46: In pariete novo, *inquit*, à Paulo III Papa facto inter baſilicam veterem & novam, ſunt quatuor altaria, duo ex parte dextra, ſcilicet beatæ Virginis & ſancti Crucifixi, qui eſt unum ex ſeptem: totidem lævâ, B. Mariæ & S. Luciæ virginis; cujus aediculam antiquiſſimam ea parte aliquando fuiſſe, conſtat. *Horum meminiſſe, in ſequentibus juverit.*

52 e *Locant hic, aut prope, Severanus, Paulus de Angelis, Ciampinus, altare* Crucifixi, *quod* & S. Petronillæ. *Illud Ugonius nonum faciens, ſcribit*, ſanctiſſimo Crucifixo dedicatum fuiſſe, vice alterius, quod olim Symmachus Papa conſtruxerat in parte ſiniſtra baſilicæ, eoque intulerat grandem è ligno ſanctæ Crucis portionem. *Addit*, huc etiam tranſportatum corpus S. Petronillæ virginis quod prius uerat in altari conſecrato à Paulo Papa I; ac reconditum fuiſſe in loculo plumbeo. Crucifixum autem qui ſuprà locatur, eſſe vetuſtiſſimum, ac ſtetiſſe antea ſuper altare SS. Simonis ac Judæ non procul ab ingreſſu eccleſiæ. *Bonannius altare hoc longe altius collocat, ultra ipſum tranſverſarium murum; non recte. Quia Ugonius de ſolis, quæ citra murum ſunt, tractat; ejuſque tempore nihil veteris eccleſiæ ultra murum ſupererat. Rectius illud conſtituit Ciampinus inter* undecimam ac duodecimam columnas, *inter quas ducitur etiam tranſverſarius murus. Dubitari tamen poteſt, utrum in hac navi penultima verſus meridiem, an vero potius in ultima locari debeat. Severanus certe contra quam notaverat in tabula ſua ichnographica, ſcribit pag.* 136, *ſitum fuiſſe in navi ultima. Textum ejus, quoniam de tranſlatione etiam S. Petronillæ diſtinctiora quædam refert, totum ex Italico interpretor.* Corpus, *inquit*, S. Petronillæ in demolitione eccleſiæ ſuæ portatum fuit in ſacrarium, ibique repoſitum ſub quodam altari, quievit uſque ad pontificatum Gregorii XIII; qui ipſum inde tranſtulit ad altare ſanctiſſimi Crucifixi, quod ſtabat in extrema navi, S. Andreæ appellata, ad murum, qui dividit eccleſiam veterem à nova. Demum Paulus V anno MDCVI die XV Januarii tranſtulit idem corpus ad altare ejuſdem Sanctæ in eccleſia nova. *Hæc videre potuit Severanus, nec facile potuit errare in ſitu altaris. Ugonius qui ſimiliter potuit videre, non diſtinguit utra in navi ſteterit. Stetiſſe tamen in alterutra, applicatum muro tranſverſario, monſtrat ordo, quem tenet in deſcribendo, dum octavum ſuum altare, de quo mox, ponit ad murum, in media navi, atque inde procedens in meridiem deſcribit nonum. Puto in navi penultima ſtetiſſe.*

Crucifixi & Petronillæ.

B

C

53 f *Eſt hoc altare Ugonio* octavum, poſitum, *ut ait*, ante murum, qui ſeparat eccleſiam veterem à nova; dedicatum in honorem Aſſumptionis B. Mariæ (*ab aliis hoc ipſum videtur dici*, B. Mariæ Prægnantium.) Imago quæ hic proſtat, olim ornavit altare, quod in eccleſia veteri (*intelligit poſteriorem ejus partem*) excitaverat Joannes Cardinalis Cajetanus de Urſinis, nepos Bonifacii VIII. *Ex his certo conſtat de præſenti ſitu hujus altaris: non item, de ſitu, quem ante habuit, quam transferretur, in illa parte veteris baſilicæ, quæ Ugonii ætate pridem dejecta fuerat. Aliquid tamen in re obſcura lucis afferunt ejus verba, quibus Joanni Cajetano cardinali de Urſinis adſcribit altare, unde huc tranſlata fuit imago Deiparæ. Sed hac de re naſcitur quæſtio intricata ex ſcriptis Ciampini; quæ in particulari Diſſertatione elucidabitur, ad calcem Sectionis C.*

S. Mariæ aſſumptæ, aut prægnantium.

D

54 *Altare atque ſacellum celeberrimum* ſanctorum Proceſſi ac Martiniani *ſtetiſſe primitus in cruce tranſverſa baſilicæ, anguloque ejus, qui reſpicit ortum ſolis hibernum, omnes pariter conſentiunt Scriptores; extructum (teſtibus Anaſtaſio & Manlio noſtro pag.* 45) *à Paſchale Papa I, ut ibi dicemus; quamvis aliqui recentiores auctorem ejus faciant Symmachum, annis facile trecentis majorem natu. Sed hi non ſatis probant quod affirmant. Symmachus certe nec tranſtulit eò, nec invenit uſpiam corpora ſanctorum Martyrum iſtorum, ſed Paſchalis. Qua de re Manlius noſter pag.* 45 *num.* 93: Paſchalis Papa I detulit corpora SS. Proceſſi & Martiniani martyrum de cœmeterio S. Agathæ in eccleſiam B. Petri: in quorum honorem conſtruxit oratorium ſummæ pulcritudinis, in quo corpora eorum recondidit in concha porphyretica. *Illud altare cum ſuis Sanctorum prædictorum corporibus, organo & ſtatua S. Petri ahenea, tranſtulit Paulus III anteriorem in partem baſilicæ ejuſque navim medianam. Sed ubi & ex quo latere navis collocavit? Non æque hic conſentiunt omnes ac de priori ſitu. Eſt magni nominis Scriptor, qui recentiſſime in ſua ichnographia num* 56, *altare illud notat in parte meridionali navis mediana, & quidem poſt intercolumnium ex parte frontiſpicii procedendo, duodecimum, tamquam ſi illuc à Paulo III tranſlatum foret. Quod ſane factum eſſe non poteſt; is quippe locus excludebatur à templo veteri per murum tranſverſarium, ab ipſo Paulo prope columnam undecimam à fundamentis elevatum. Præterea ſub organo ſtabat altare iſtud, etiam poſt tranſlationem, teſte Ugonio; qui ſeptimo ſuo loco pag.* 97, *ſic de illo loquitur:*

SS. Proceſſi & Martiniani.

E

55 Eſt ſub organo altare, in honorem viſitationis B. Mariæ Virginis & ſanctorum Martyrum Proceſſi ac Martiniani conſecratum. Horum corpora è veteri ara, quam conſecraverat Paſchalis I, huc tranſlata fuerunt *à Paulo III*; ſervanturque hodiedum in urna porphyretica admodum pulcra. *Illuſtrari poteſt hic textus Ugonii ex Franciſco Maria Turrigio, qui in Cryptis ſuis Vaticanis pag.* 125 *de eodem altari mentionem faciens, ipſum, ait, vocari*, S. Mariæ ſub organo; quia nempe ſub illo ſtabat, *tam poſt, quam ante tranſlationem ſui: ac dedicatum fuiſſe* Viſitationi B. Mariæ: ſub eoque in concha porphyretica quieviſſe corpora SS. Proceſſi & Martiniani.

S. Mariæ ſub organo, & Viſitationis.

F

56 *Unde colligitur & confirmatur, unum idemque fuiſſe altare, quod Ugonius ſub appellatione duplici, Viſitationis B. Mariæ, & SS. Proceſſi & Martiniani; tradit conſecratum fuiſſe; & ſtabat, ut diximus, ſub organo. Organum vero, inquit Severanus pag.* 103, erat contiguum muro tranſverſario inter decimam & undecimam columnas: & ſub organo erat altare cum corporibus SS. Proceſſi & Martiniani. *Loqui hic Severanum, qui illa videre potuit, ac Alpharanum etiam citat, de ordine columnarum, claudentium ſeptem-*

Quo loco fuerit organum.

A *ſeptemtrionale navis mediana latus, patet ex contextu. Poſtquam enim deſcripſerat altare SS. Philippi & Jacobi in eodem latere, procedit ſurſum ad murum tranſverſarium, eique contiguum, ait, ſuſpenſum fuiſſe organum inter columnas* X *&* XI. *Inſuper pag.* 105, *citato iterum Alpharano, ſic*

S. Joannis in Fonte, *loquitur:* Prope organum verſus meridiem in muro tranſverſario collocavit Paulus III altare S. Joannis Baptiſtæ in Fonte cum imagine B. Mariæ Virginis. *Quæ verba diſtincte ſignant ſitum organi à Paulo tranſlati. Quod pariter faciunt verba Ciampini, pag.* 63 *num.* 42 *ſcribentis, quod Paulus organum* tranſtulit *ac* ſiniſtro in latere *navis mediana*, ad aquilonem decimo tertio & quarto intercolumnio medium locavit. *Ubi intelligit ſiniſtrum latus reſpectu tribunæ, quia illud tali reſpectu eſt ad aquilonem; & intercolumnium, ducto indidem initio decimum quartum; eſt undecimum, ſi numerare incipias ex parte frontiſpicii.*

ubi ſteterit, 57 *Sed quæri poteſt, ubi præciſe muro tranſverſario appoſitum, & quo nomine deinceps appellatum fuerit poſt tranſlationem ſuam altare S. Joannis Baptiſtæ in Fonte cum imagine ſua B. Mariæ*

B *Virginis, de quo paulo ante Severanus. Ad prædictum quippe murum non reperio mentionem fieri ab ullo Auctore altaris S. Joannis in Fonte. Opinor, Severanum altare aliud non deſignare quam S. Mariæ Prægnantium, quod litt.* f *modo poſuimus ex Ugonio. Illud etenim eſt in muro tranſverſario, non procul quidem ab organo, ſed inde verſus meridiem. Atque eódem allatam fuiſſe imaginem B. Mariæ, quæ erat ſuper altare S. Joannis in Fonte, claris hiſce verbis aſſerit Ciampinus pag.* 63 *num* 43. Ab adverſa parte novi parietis in mediana navi in meridiem organo opponebatur

S. Mariæ Prægnantium. altare Virginis Mariæ de Prægnantibus, quod cum icone Dei Genitricis è ſacello S. Joannis ad Fontes huc tranſlatum fuit. *Legitur apud Scriptores, altare & ſacellum B. Mariæ Prægnantium (quod ſtetiſſe Sect.* C *litt.* p *in Diſſertatione peculiari probabimus) primo ædificatum fuiſſe à familia Urſina, & ſacellum S. Joannis in Fonte ab eadem familia fuiſſe reſtauratum, utrumque autem habuiſſe imaginem B. Mariæ, & exiguo ſpatio inter ſe disjuncta fuiſſe, ſolo altari S. Joannis Apoſtoli intercedente. Ex quo fieri potuit, ut altare B. Mariæ Prægnantium, muro tranſverſario applicatum, aut certe imaginem ejus, unus prædictorum Auctorum ex priſtino ejuſdem Virginis altari, alter verò è S. Joannis in Fonte putaverit allatum fuiſſe. Poteſt etiam utraque imago ibidem fuiſſe repoſita, ut quæ erant ejuſdem familiæ, in eodem quoque loco conſervarentur; atque inde utriuſque nomen eidem adhæſiſſe. Sed potiora dabit citata Diſſert.*

C 58 h *Alpharani ordinem ſequens Ciampinus, ſcribit pag.* 72 *num.* 90, *in pariete tranſverſario,*

S. Mariæ filium amplexantis imago. *qua penultimam ad ſeptemtrionem navim interſecat*, novum fuiſſe extructum altare, in quod beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, filium amplexantis, imago, quæ antiquitus in oratorio S. Leonis Papæ poſita erat, tranſlata fuit: ſub eodemque altari multa ſacra Lipſana recondita fuere; quæ ipſe Alpharanus recenſet. *Unde mirari non debet Bonannius*, Vegium, *qui centum circiter annis ante Paulum Papam, muri tranſverſarii ſtructorem, obiit*, nullam de altari illo feciſſe mentionem *hoc loco. Ejuſdem imaginis, ex oratorio S. Leonis cum aliis huc aut ſaltem in vicinum locum allatæ, meminit Severanus pag.* 108.

S. Lucia. 59 i *Altare* S. Luciæ Virginis & Martyris, *de quo Ugonius ſexto loco, pag.* 97 *versâ, ſcribit,* tranſlatum huc fuiſſe ex alio antiquo, quod olim dedicaverat S. Gregorius; in ipſoque aſſervari brachium Sanctæ. *Illud ipſum etiam in altari antiquo depoſitum fuiſſe à Gregorio, ſcripſit olim Petrus Manlius pag.* 48 *n.* 114 *his verbis:* Ante eccleſiam S. Joannis ad Fontes eſt oratorium S. Luciæ, quod ut à noſtris majoribus accepimus, conſecravit B. Gregorius Papa, & ejus venerabile brachium in eo recondidit, & parietes illius ut apparet, muſivo depinxit. *Situs ejus primus fuit Sect.* C *litt.* u, *in tranſverſa navi. Atque hæc ſunt quatuor altaria, quæ ſuprà notavimus ex Panvinio, appoſita fuiſſe muro tranſverſario: quorum duo extrema* e *&* i, *nominata fuerunt, meridionale quidem,* Sancti Crucifixi; *aliis* S. Petronillæ: *ſeptemtrionale vero,* S. Luciæ: *duo autem media* f *&* h, *primum quidem* S. Mariæ, *cum epitheto* de Prægnantibus, *aliis etiam,* Aſſumptionis & Angelorum; *ſecundum vero ſive* h, *non ſatis diſtincto nomine invenio appellatum, aliis alia opinantibus. Eò allatam fuiſſe ex oratorio S. Leonis* imaginem B. Mariæ, filium amplexantis, *ſupra dixit Ciampinus. Vide alia de* S. Lucia *Sect.* C. *litt.* u.

S. Agathæ. 60 k S. Agathæ Virginis & Martyris, *de quo aliud non comperio apud Ugonium; nihil etiam apud alios Scriptores, quam quod reſtauratum fuerit aliquando ab Ægidio de Roſſredis, & poſtea locum ceſſerit ſepulchro Marcelli PP. II.* E

S. Marci Euang. 61 l S. Marci Euangeliſtæ, *quod, inquit Ugonius*, erectum à Paulo II Veneto in veteri eccleſia, *tempore Ugonii deſtructa*; huc *autem* tranſportatum fuiſſe cum ejuſdem Pauli monumento ſepulcrali. *Addit*, Pium V huic altari contuliſſe omnes redditus eccleſiæ S. Mariæ Hungarorum in planitie S. Petri; quam Pius IV ſolo æquaverat, ut dilataret planitiem illam & amœniorem conſpectu redderet baſilicam. *Notat Ciampinus, hoc loco antiquitus ſtetiſſe aram* B. Mariæ de Miſericordia, *eamque à Nardo Catino; baſilicæ beneficiato refectam ac dotatam feciſſe.*

S. Abundii. 62 m S. Abundii, *baſilicæ Manſionarii, hic fuit* antiquitus *altare, inquit Ciampinus. Non fuerit amplius Ugonii tempore, quia is nullam ejus mentionem facit. De Sancto iſto vide Martyrologium Romanum* XIV *Aprilis, & S. Gregorium lib.* 3 *Dial. cap.* 25. *De ſitu ejus altaris certos nos reddit Manlius, quod fuit* juxta aditum, qui vadit in eccleſiam S. Vincentii.

F *S. Mariæ, renovatum ab Innocentio* 8. 63 n *Hic collocat Bonannius ſacellum* Innocentii VIII, *rectius fortaſſe, quam qui illud paulo altius ponendo, obſtruunt illic aditum ad templum S. Vincentii. Ugonius pag.* 97 *ipſum quarto loco recenſet in hunc modum:* Ædificavit illud per nepotem ſuum Laurentium cardinalem Beneventanum, Innocentius VIII è familia Cybo, ſtante adhuc tota baſilicâ, prope aram principem: ex quo loco huc tranſportatum fuit. Ornavit ipſum Innocentius tabernaculo marmoreo, in eoque repoſuit ferrum Lanceæ Domini noſtri, miſſum ſibi à Bajazete; quod tamen poſtea tranſlatum fuit ad tabernaculum Vultus ſancti, & è tabernaculo Innocentiano monſtrantur populo aliæ templi Reliquiæ. *Imo Paulus de Angelis ait in explicatione ſuæ ichnographiæ*, omnes templi Reliquias *in ſacello Innocentii ſervatas fuiſſe: quod intelligo de illis omnibus, quæ prius in eodem ſacello, alibi ſtante, conſervatæ fuerant plurimæ à tempore Gregorii III, quæque ſtatis temporibus aut omnes aut multæ populo oſtendi ſolebant. Vide Sect.* B *litt.* l

SS. Laurentii & Gregorii, 64 o *Altare* S. Laurentii, *aliis* SS. Laurentii & Gregorii, *Ugonio ignotum eſt. Bonannius numero ſuo*

C. J. *suo* 47 *ait* S. Laurentio & S. Georgio extructum fuisse, dotatumque à Jacobo Cajetano de Stephanescis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali. *Idem aliud altare numero suo* 64 *iisdem sanctis ab eodem Cardinali Jacobo Cajetano dicatum ait; addit tamen, hoc* dotatum à Lello de Miglis. *Sed Ciampinus, non hoc, sed primo loco nominatum dicit à Lello dotatum fuisse; in reliquis concordans utrobique cum Bonannio. Ego mihi egre persuaserο, diversa fuisse altaria ista, quæ eodem tempore simul extiterint, iisdem Sanctis ab uno eodemque fundatore dedicata. Potius dixero unum idemque fuisse, quod Jacobus Cajetanus extruxerit, primitus loco indicato per numerum Bonannii citatum* 64, *qui nobis est Sect.* B *litt.* n: *alii illud postea transtulerint ad locum, quo de hic agimus: ac esse desierit ante tempora Ugonii, quod etiam indicare videtur Ciampinus. Vide dictam Sect.* B *litt.* n.

S. Mariæ de Præsæpi. 65 p *Sacellum* Præsepis Domini, *alias* S. Mariæ de Præsepi. *De illo intelligendus est Anastasius in Joanne Papa VII, anno* DCCV *creato:* Hic fecit oratorium Dei Genitricis intra ecclesiam B. Petri Apostoli, cujus parietes musivo depinxit, illicque auri & argenti quantitatem multam expendit, & venerabilium Patrum dextra lævaque vultus erexit. *Pluribus de eodem Severanus pag.* 70, *inter alia*, situm fuisse intrantibus per portam Guidoneam *à dextris*, eo loco ubi Sixtus IV, anno MCCCCLXXI Papa factus, aperuit Portam sanctam altari ablato. Ædificatum vero fuisse, à Joanne VII prædicto, cum imagine B. Mariæ operis musivi, more Græcorum (*erat autem Joannes natione Græcus*) depicta castaneo colore.

B

66 A dextris ejus spectabatur imago ipsius Joannis, stantis pedibus suis, & appictum dexteræ manui suæ sacellum offerentis beatæ Virgini. Capitis ejus ornamentum erat diadema quadratum, uti solebant depingi, qui adhuc vivebant. Subtus autem sic legebatur scriptum; JOANNES INDIGNUS EPISCOPUS FECIT, BEATÆ DEI GENITRICIS SERVUS. Hinc & inde claudebant prædictam B. Mariæ imaginem columellæ duæ è marmore nigricante, è quibus suspensum pendebat velum, quo velari imago & revelari poterat. Sub ipsa extollebatur fornix, duabus aliis columnis è candido marmore sustentatus, circum quem conspiciebantur imagines, in medio quidem, ipsius Virginis cum filio suo in ulnis; ad sinistram vero, S. Petri; ad dextram, S. Pauli; addita epigraphe hac, DOMUS SANCTÆ DEI GENITRICIS MARIÆ. Sub fornice stabat altare ejusdem, à Sixto IV, ut dixi, sublatum, ad aperiendam ibi Portam sanctam *pro Jubilæo, quod Sixtus anno* MCCCCLXXV *celebravit. Plura addit Severanus de sacello illo S. Mariæ de Præsepi, citatis Alpharano & Grimaldo. Tunc ita pergit:*

C

S. Mariæ & Vultus sancti. 67 q Ante sacellum hoc fecit idem Joannes VII cyborium, septem columnis innixum, in quo conservaretur Vultus sanctus, *ut vocant*; & sub ipso fecit altare cum hac inscriptione; JOANNIS SERVI S. MARIÆ; quemadmodum vidimus usque dum destructa fuit ecclesia vetus *sub Paulo V*: & modo videri potest una cum altero sacello ejusdem beatæ Virginis, depictum, ad conservandam eorum memoriam, in cryptis Vaticanis. *Profert deinde idem Severanus hanc inscriptionem, quæ propè in muro ecclesiæ legebatur:* Dedicatio domus hujus sanctæ Dei Genitricis die XXI mensis Martii Indictione IV. *Habuit Indictionem hanc annus secundus Joannis, à die* I *Martii inchoatus, Christi septingentesimus sextus:* D *dies vero* XXI *Martii incidit tunc in Dominicam Passionis. Meminit hujus etiam sacelli Ugonius, non item præcedentis, utpote ante ætatem ejus sublati à Sixto IV, ut diximus. Meminit quoque* Vultus sancti (*qui &* Veronica *seu* Vera icon *Christi Domini, in sudario expressa*) *testaturque ibidem asservatum fuisse cum sacra lanceâ, diu pòst Romam allatâ sub Innocentio VIII, de qua vide sect.* B *litt.* l.

68 *Ante istos dudum scripsit de eodem sacello & Vultu sancto Romanus Canonicus cap.* 25 *in hunc modum:* Ab alia parte basilicæ, *videlicet septemtrionali*, est oratorium sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, quod vocatur Veronica; ubi sine dubio est sudarium Christi, in quo ante passionem, suam sanctissimam faciem, ut à nostris majoribus accepimus, extersit, quando sudor ejus factus est sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Ex quibus patet, tempore Canonici fuisse traditionem, quod in horto Olivveti sive Gethzemani, ubi nulla adfuerit matrona Veronica aut alia, Christus ipse, sanguineum sudorem extergens, sacrosanctam faciem suam sudario impressam reliquit. Quæ traditio secutis temporibus in aliam mutata fuerit, quod nempe matrona quædam Veronica*, dum Christus ad Calvarium ab impiis ministris trahebatur, sanguine & sudore aspersus, *vultum ejus in sudario exceperit; uti legere est in Annotatione Pauli de Angelis ad prædictum Canonici locum, & nunc vulgus passim credit. Certiora videri possunt in Responsionibus Papebrochii ad objecta ei à Sebastiano à S. Paulo art.* I, *à num.* 47. *De Veronica, seu vera icone.*

E

69 r *Prosequitur citatus Canonicus, subjungens Caput suum vigesimum sextum:* Juxta hoc oratorium B. Mariæ, videlicet juxta portam Guidoneam, est oratorium S. Antonini Martyris. Deinde inter portam Guidoneam & portam Romanam est altare S. Tridenti martyris. *Utrumque iisdem locis collocat Panvinius pag.* 45, *& de priori quidem sic scribit:* Inter Sudarii oratorium & portam Guidoneam *altare est*, quod S. Antonino Martyri olim dedicatum fuit; cujus nomine exolescente, ante centum annos B. Brigidæ honori colebatur: nunc S Erasmi dicitur. *Loquitur hic Panvinius de altari tamquam adhuc suo tempore existente: nihilominus, de illo tacente Ugonio, qui librum suum annis* XVIII *post impressit quam Panvinius suum, videri potest medio illo tempore sublatum omnino fuisse: quod & confirmatur ab Alpharano, qui sic scriptum reliquit apud Turrigium de Cryptis pag.* 236: Altare S. Antonini mart. ab Odone Lotta de Amatescis: nunc (*tempore Alpharani*) lapis, supra quem divisa fuerunt ossa beatorum Apostolorum Petri & Pauli à B. Silvestro Papa. *Confirmatur quoque à Severano pag.* 73, *ubi*, sublato altari isto, *dicit*, positum ejus loco fuisse lapidem alius altaris, quod appellabatur de Ossibus Apostolorum: *qui lapis, inquit*, nunc, *id est anno* MDCXXX (*tunc enim impressit librum suum Severanus*) spectatur in Cryptis Vaticanis. *S. Antonini mart. S. Tridenti mart. S. Erasmi mart.*

F

70 *Ibidem anno sequenti affixus fuit muro idem lapis, uti legitur in epigraphe apposita; in qua &* venerabilis & vetustissimus lapis porphyreticus *appellatur. Sed non diu affixus ibi mansit. Anno quippe* MDCXXXIX *jussu Cardinalis Barberini, ut scribit Turrigius, qui adfuit, in Sacris Tropheis suis cap.* 23, *inde relatus fuit in basilicam, & repositus* prope altare Crucifixi, *quod ingredienti novam basilicam occurrit primum ex parte septemtrionali; sive, ut aliquanto distinctius loquitur Ciam-* *Lapis de Ossibus Apostolorum,*

A *Ciampinus*, paraſtatæ, ad dexteram ingredientium, affixus fuit, ubi in præſentia aquæ luſtralis ſive benedictæ vas poſitum eſt. *Addit porro Turrigius, in hac tranſlatione inventas fuiſſe in ipſo lapide bene ferruminato nonnullas Sanctorum Reliquias cum duobus incenſi granis, nullo nomine addito cujus eſſent. Judicatum tamen fuiſſe, ſanctorum Petri & Pauli eſſe: quia lapis ſtabat olim ad* antiquiſſimum altare *de Oſſibus Apoſtolorum.* Ipſas Reliquias, *inquit idem Turrigius*, ego vidi & contrectavi ſingulas. Fuerunt autem in eodem loco repoſitæ juſſu Cardinalis, majoris reverentiæ ac venerationis cauſa.

ipſiuſque priſtinum altare.

71 *Quemadmodum autem lapidem iſtum epigraphe, in Cryptis appoſita, vocat* vetuſtiſſimum; *ita altare de Oſſibus Apoſtolorum, cui ille olim impoſitus fuiſſe ſcitur, appellat Turrigius hîc* antiquiſſimum; *quantumvis duo monumenta apud ipſum pag.* 235 *legantur, ex archivi baſilicæ codicibus mss. extracta, quæ docent, Franciſcum de Thebaldeſcis cardinalem, anno* MCCCLXXVIII *mortuum*, ædificaſſe; *item* conſtrui & erigi feciſſe ſacellum, *Oſſibus Apoſtolorum Principum dicatum.*

B *Quæ ſane ætas admodum longa non eſt. Sed fuerit antiquius ſacellum iſtud; & voces* ædificaſſe, conſtrui & erigi feciſſe, *κατ' ἐπιείκειαν accipi debebunt pro reſtauraſſe, reparaſſe, aut dejectum refeciſſe; quandoquidem Gregorii Papæ X, anno* MCCLXXVI *vita functi, Ceremoniale ms. apud Turrigium pag.* 234 *ſic habeat:* In Aſcenſione Domini venit Pontifex; celebrat, & incenſat altare majus; aliud, quod eſt infra in Confeſſione; & tertium, quod eſt extrà in exitu Confeſſionis; in quo ponderatæ fuerunt Reliquiæ beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. *Et Romanus Canonicus, qui annos centum ante Gregorium floruit, cap.* 31 *ſub titulo*, De altari SS. Petri & Pauli, *ſic ſcribit:* Ante aditum, qui vadit in Confeſſionem B. Petri, eſt altare Apoſtolorum Petri & Pauli; ubi eorum oſſa pretioſa, ponderata fuerunt. *Monumenta quæ Franciſcum de Thebaldeſcis auctorem aut potius reſtauratorem faciunt altaris de Oſſibus Apoſtolorum, videſis loco ſuo, ubi de illo altari, Sect.* C. *litt.* z. *Nomina Sanctorum, quæ altari S. Antonini martyris, de quo hic, ſucceſſive indita fuiſſe leguntur apud Panvinium, initio citatum; eidem adſcribit etiam Severanus, fortaſſe auctoritate Panvinii ductus; quamvis non videatur huc ſpectare* S. Eraſmus, *qui in altari S. Wenceſlai, de quo mox litt.* t, *certius oſtenditur cultum habuiſſe.*

C 72 f *Proximum ſtare inter portas Guidoneam &* *S. Tridenti.* *Romanam* S. Tridenti *altare, jam docuit nos Romanus Canonicus litt.* r. *Confirmat id etiam Panvinius, ac ſuperaddit, quod* nunc ſine nomine ob incuriam extat cum Urſinorum inſignibus. *Habuerit aliquando etiam aliud nomen: cum ſcribat Severanus pag.* 72 dicatum fuiſſe S. Antonio Patavino, *citans Alpharanum. Hujus tamen tempore jam erat ſublatum, æque ac præcedens: & poſitus ibidem fuerat lapis, ut vocatur*, Sceleratus; *Lapis ſceleratus, ubi.* *ſuper quo necati fuerunt multi martyres; & ibidem* permanſit uſque ad noſtra tempora, *inquit Severanus: quo adhuc vivente tranſlatus ad Cryptas, & inde relatus in baſilicam, eamdem fere fortunam expertus eſt, quam alter lapis de Oſſibus Apoſtolorum; è cujus regione, paraſtatæ primæ meridionali, quæ ingredienti à læva eſt, affixus ſpectatur.*

S. Wenceſlai Ducis Boh. & M. 73 t Subſequitur (*ita orationem ſuam, quam modo citavimus, continuat Panvinius*) inter eaſdem portas, *Guidoneam ac Romanam*, in navi

tamen majore, altare novum ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ex vetere baſilica, haud procul ab altari majori, *ubi antè dixerat ſtetiſſe*, tranſportatum. *Verum nemo iterum præter Panvinium, hocce loco* t, *collocat altare SS. Petri & Pauli. Fuit ibi altare S. Wenceſlai, Bohemiæ ducis & martyris*, ab Hyricone epiſcopo Olomucenſi dicatum atque dotatum, *teſte Ciampino; quod deinde* S. Eraſmi *fuit. Ugonius item ſcribit pag.* 97, *quod ingredientibus per portam Argenteam atque dextrorſum flectentibus occurrebat ſecundo loco altare, dedicatum* in honorem S. Wenceſlai regis Bohemiæ *& martyris. Illud* nunc, *inquit*, vocatur S. Eraſmi, iſtuc portatum è parte dejecta baſilicæ *in ſimulacro ejus* ligneo: *quod hîc* appoſitum fuiſſe, *ſcribit quoque Ciampinus. Hinc uti Panvinius loco altaris S. Wenceſlai hîc perperam poſuit altare ſanctorum Apoſtolorum; quod Ugonius & alii rectius ponunt ad latus ſiniſtrum portæ Judicii, ita ſupra litt.* r, *perperam poſuerit altare S. Eraſmi, quod hic collocandum erat.* C. J. *S. Eraſmi M.*

74 *Ait inſuper citatus Ciampinus, idem* altare poſtea in ipſorum (*Wenceſlai atque Eraſmi*) & S. Bartholomæi Apoſtoli honorem denuo excitatum fuiſſe; *additque etiam (quod notari meretur)* à tergo iconis ligneæ S. Eraſmi pictam fuiſſe antiquam imaginem præfati S. Wence ſlai (*quam & oculis ſubjicit in æs inciſam*) ubi in medio viſitur ipſe ſanctus, imperiali habitu indutus, dextrâ vexillum, in cujus medio nigra aquila in albi coloris area expreſſa erat; ſiniſtrâ vero gladium & clypeum tenens. Ad dextram Carolus IV Imperator, rex Bohemiæ: ad ſiniſtram idem Hyricon epiſcopus, indutus cappa rubra ſupra rocchetum cum cruce archiepiſcopali; ambo genuflexi, *& junctis manibus in actu adorantis ad S. Wenceſlaum converſi.* Poſt hos, duo ſtant viri, quorum unus in habitu regulari manum dextram ſuper dextrum humerum præfati Caroli imperatoris apponit, ac ſiniſtra baculum paſtoralem ſuſtentat. Alter vero, epiſcopali indumento conſpicuus, ſiniſtram tenet ſuper caput Hyriconis epiſcopi; in ejuſque dextra baculus pariter epiſcopalis apparet. Quinam ſint iſti duo epiſcopi, ignoro; reor ejuſdem Bohemiæ regni Patronos eſſe. *Ita Ciampinus, qui quidem viderit altare prædictum S. Wenceſlai, quod ſupereſt ſuis coloribus depictum in Criptis Vaticanis; & ſuam inde contexuerit deſcriptionem: non tamen legerit deſcriptionem, quam undidem hauſit & in ſuis Cryptis Vaticanis impreſſit pag.* 140 *Turrigius.* E *Imago S. Wenceſlai.* F

75 *Ibi enim legiſſet Ciampinus virum illum, qui in monachali habitu paſtorale pedum manu tenet, eſſe S. Adalbertum epiſcopum Pragenſem; alterum vero eſſe S. Joannem III epiſcopum Olomucenſem, cujus tempore S. Wenceſlaus martyrio coronatus fuit; quando necdum Reges habebat Bohemia. Quamobrem vocat ipſum Turrigius* Ducem, *ut erat, &* ducali, *non* imperiali *habitu indutum; notatque, gladium, quem ſiniſtrâ tenet Wenceſlaus, nudum eſſe & erectum ſtare mucrone terræ infixo, ex quo clypeus defendet. Addit etiam, ſimili forma ipſum videri hodiedum in porticu S. Mariæ Tranſtiberinæ cum diademate, quo ſolent ſanctis depingi, & pileo ducali; credique à ſimplice vulgo, ipſum eſſe Præfectum aliquem Romanum. Carolo inſuper veſtitum candidum & coronam imperialem tribuit. Hyriconem vero, quem ipſe* Inconem *vocat (Bohemis paſſim* Joannes Oczko *appellatur) etiam mitra ornat, creatumque fuiſſe dicit cardinalem* *Alia hujus altaris deſcriptio.*

C. J. *anno* MCCCLXXVI *ab Urbano Papa VI. Sed tunc nondum erat Pontifex Urbanus, utpote anno* MCCCLXXVIII *primùm creatus: quo etiam nominavit cardinales multos; & anno ſequenti hunc noſtrum Oczkonem, cum uno alterove ſocio. Pergit autem Turrigius:* Prope dictum altare conſpiciebantur imagines duæ ſanctorum Patricii & Columbi cum hac epigraphe, ARTURUS FRIGIL ME FIERI FECIT AD HONOREM SS. PATRICII ATQUE ABB. COLUMBI, QUI MULTA MIRACULA FECIT IN HIBERNIA ET SCOTIA, UT APOSTOLUS. ANNO MDXXXVII. Secutis temporibus idem altare dedicatum fuit S. Eraſmo, poſitaque ibidem tabula, hunc Sanctum repræſentans, depicta ab aliquo ſecretario cardinalis Enckenvortii, ab Adriano VI, in cubiculo ſuo ex infirmitate decumbente, ad illam dignitatem aſſumpti anno MDXXIII die X Septembris, diebus XIII ante obitum Papæ.

SS. Patricii & Columbi imagines.

76 Placuit Urbano VIII reſtituere S. Wenceſlai altare in nova baſilica, quod impoſitis ei ipſiuſmet Sancti Reliquiis, conſecratum fuit XVII Septembris MDCXXVIII à D. Antonio Ricciullo epiſcopo Belicaſtrenſi, Sanctiſſimi Domini noſtri in Urbe vices gerente, me (*loquitur Turrigius*) præſente: die vero XXVI Septembris, pervigilio ejuſdem S. Wenceſlai, anno MDCXXX imago ipſius, ab Angelo Caroſello depicta, ibidem poſita fuit: & legitur adſcriptum, ALTARE S. WENCESLAI DUCIS BOHEMIÆ AB HINCONE EPISCOPO OLMUCENSI. *Hactenus Turrigius ibi: qui etiam poſtea in Paralipomenis pag.* 547 *notat, eumdem Hinconem ſeu Oczkonem Romæ ſupremum diem obiiſſe, & quidem* XXVI *Decembris, ſepultumque fuiſſe in baſilica S. Petri; proferens, ad confirmandum ſua dicta, ex antiquo Martyrologio membraneo archivi S. Petri, in quo etiam memoria conſervatur quorumdam benefactorum, hanc ſcripturam:* Die XXVI Decembris obiit R. P. D. Hincho ep. Olomucen. de cujus bonis habuit Camera noſtra florenos auri ducentos.... pro cujus anniverſario expendantur duo floreni. *Sed nihil hîc de loco mortis aut ſepulturæ; quem ſibi Bohemi vendicant. Dies mortis tantummodo indicatur: de qua tamen alii aliter ſentiunt apud Oldoinum, ſic ſcribentem:* Pragæ in Bohemia rebus humanis exceſſit Joannes Oczko; ex Ciaconio quidem, menſe Februario anno MCCCLXXXI; ex Diplomatibus vero Urbani VI (datis die XXIX Aprilis, quæ ſe vidiſſe fatetur in Vaticano Felix Contelorius) menſe Martio MCCCLXXX. *Diſcrepant ab his ſcriptores Bohemi; & certiora videntur quæ habet Bohuſlaus Balbinus in Miſcellaneis hiſtoricis regni Bohemiæ lib.* 4 *Parte* 2 *Tit.* 37, *in Joanne Oczkone ſic ſcribens:* Obiit ſanctiſſimus Præſul anno MCCCLXXX die XIV Januarii (male alii I Januarii ponunt) anno ætatis ſuæ LXXVII, archiepiſcopatûs Pragenſis XVI: ſepultus in eccleſia Pragenſi in tumulo marmoreo, alabaſtrina ejus effigie ſuperne incumbente, in ſacrario S. Gerhardi & Ottiliæ, quod ipſemet erexerat & dotarat. *Hæc ille in patriis Bohemiæ ſcripturis ac monumentis verſatus, ſi quis alius. Neſcio cur ſcriptores Romani Joannem Oczkonem cardinalem, paſſim indigitent* epiſcopum Olomucenſem, *quam eccleſiam non multo tempore adminiſtravit, tranſlatus ad archiepiſcopatum Pragenſem multis ante annis, quam cardinalis renuntiatus fuit.*

S. Wenceſlai altare in nova baſilica.

Hinconis Ep. Olomucen. fata.

77 u *Ugonius, ab ingreſſu portæ Argenteæ dextrorſum, contrario nobis ordine, ut præfati ſumus, altaria enumerans, primo loco, id eſt inter portas Argenteam & Romanam ponit altare* S. Annæ, tranſlatum huc è veteri eccleſia, ubi aliud erat ejuſdem tituli; proprium *utroque loco* Parafrenariis (*ut vocant*) Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium; olim hîc ſacrum S. Antonio. *Paulo diſtinctiora habet Ciampinus,* Antonio Abbati *conſecratum fuiſſe* à Nicolao de Aſtallis baſilicæ canonico anno MCCCXLIII. *Deinde* Spiritus Sancti, *ac demum* S. Annæ *nomen obtinuiſſe,* eo quod Societas Parafrehariorum è veteri cruce tranſverſa, Sanctæ iſtius effigiem huc tranſtulit. *Spiritui ſancto tamen ſacrum aliquando fuiſſe, alibi non lego. Turrigius de Cryptis Vaticanis pag.* 130, *ait, illic depictum ſervari altare iſtud cum hac epigraphe;* Altare S. Antonii, erectum à Nicolao de Aſtallis Romano, hujus baſilicæ canonico, ornatum & dotatum, anno MCCCXLIV.

S. Annæ. *S. Antonii Abb.* *S. Spiritus.*

78 x *Ad ſexta utrimque intercolumnia navis mediæ, ducto à frontiſpicio templi initio, duo ſteterunt altaria, inter ſe oppoſita,* SS. Philippi & Jacobi *verſus boream;* Sanctorumque Simonis & Judæ *verſus meridiem. Utriuſque meminit Manlius noſter ſuprà pag.* 84 *num.* 142, *atque adeo etiam Romanus Canonicus & quidem pluribus. Meminit item, uti mox videbimus, Innocentius III, lib.* I *Epiſt.* 359 *editionis Baluſianæ, ſcribens Octaviano, Oſtienſi epiſcopo, & ſuo in Urbe Vicario, ut conſecranda curet altaria* SS. Philippi & Jacobi, *item* SS. Simonis & Judæ *Apoſtolorum; nec non* B. Gregorii & S. Andreæ; *non quod tunc primum extructa eſſent altaria illa, ſed quia S. Petrus per viſum tertiò apparens cuidam ſacerdoti, ætate gravi, mandaverat renuntiari Innocentio,* in eccleſiâ ſuâ pauca eſſe altaria conſecrata, & in diſſecratis divina myſteria celebrari. *Cauſa diſſecrationis non additur. Jubetur tamen Pontifex prædicta quatuor altaria nominatim conſecrare. Queritur Bonannius, ſe non reperiſſe, quis altare SS. Philippi & Jacobi extruendum curaverit. Idem queri etiam poſſet de altari SS. Simonis & Judæ. Ambo interim antiqua ſunt, utpote quæ ante Leonem IV extiterunt, & ab ipſo aureis argenteiſque donis magni ponderis ditata fuerunt; ſcribente Romano Canonico (quæ ab ipſo ſuperaddita ſunt Manlio) pag.* 23, *quod ille Pontifex* fecit crucem auream magnam ad altare ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ, penſantem ducentas libras: ab alia vero parte eccleſiæ, ad altare videlicet ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, fecit magnam crucem de argento, penſantem *ſimiliter* ducentas libras.

SS. Philippi & Jacobi,

79 *Indicat his etiam Auctor aliquem ſitum utriuſque altaris; unum nempe ab una parte eccleſiæ, puta mediæ navis; aliud ab alia, extitiſſe jam tum ſub pontificatu Leonis IV. Quem ſitum alibi etiam diſtinctius indicat, ſic ſcribens pag.* 121: In atrio eccleſiæ ad Crucem eſt venerabile altare Apoſtolorum Philippi & Jacobi: ad cujus ornatum fuit ibi poſita magna Crux aurea. *Pag. vero* 106 *ponit ſimiliter,* In atrio eccleſiæ altare SS. Simonis & Judæ; *de quo mox uti & de atrio. Clariora hæc fient ex Maphæo Vegio noſtro, pag.* 84 *num.* 142 *ita ſcribente:* Proximum huic oratorio *S. Gregorii,* eſt altare SS. Simonis & Judæ; ad quod eſt acceſſus per portam Ravennianam; quod è regione reſpicit aliud altare SS. Philippi & Jacobi; ad quod per aliam portam Romanam introitur. *Hæc diſtinctiſſime indicant, ſitum utriuſque altaris prædicti in media navi fuiſſe,*

ubi ſteterit.

A *ſe, ad quæ à ſiniſtra portæ Argenteæ intrabatur per portam Ravennianam; à dextra vero, per Romanam: utraque vero ducebat in mediam navim. Quandonam altare SS. Philippi & Jacobi illo loco eſſe deſierit, non habeo compertum. Videtur ſcribente Ugonio anno* MDLXXXVIII *non amplius ſuperfuiſſe: quia is omnia tunc extantia recenſens ac deſcribens; de iſto tacet. Panvinius, aliquot annis antiquior, ipſum locat inter portas Argenteam & Romanam: ſed merito in hoc, æque ac in aliis multis reprehenditur ab Alpharano.*

80 y *E regione jam dicti altaris, diutius ſuperfuit, quod ſub nomine ſanctorum* Simonis & Judæ *Apoſtolorum ibi conſecratum fuiſſe memoravimus, conſervans eorumdem ſacra corpora. De illo Romanus Canonicus ſic ſcribit pag.* 106. In atrio eccleſiæ ad Crucem eſt venerabile altare ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ: ubi, ut à noſtris majoribus accepimus, eorum corpora pretioſa requieſcunt. *Paulus de Angelis in Annotatione ſua ad hunc textum,* Exiſtebat, *inquit, tempore Canonici iſtius* hoc altare in veteri baſilica, à Conſtantino magno extructa. Poſtea vero demolitâ illius baſilicæ parte; à Sixto Papa IV fuit tranſlatum in mediam veterem baſilicam, ubi ſanctiſſima Euchariſtia ſervabatur; videlicet in reſiduum veteris baſilicæ, quod temporibus noſtris à Paulo V demolitum fuit. *Sixtum IV tranſtuliſſe hoc altare, ſcripſit ante Paulum de Angelis Onuphrius Panvinius, neſcio unde doctus talia. Non poteſt certe ipſum tranſtuliſſe Sixtus IV poſt* demolitam veteris baſilicæ partem; *cum tempore Sixti integra ſteterit baſilica ac perduraverit uſque ad Julium II: nec poteſt tranſtuliſſe* ad mediam veterem baſilicam, ubi ſanctiſſima Euchariſtia ſervabatur; *cum hanc primus ibi ſervari voluerit Paulus III, & quidem in altari SS. Simonis ac Judæ; quod illa de cauſa etiam innovandum atque ornandum curavit, uti mox videbimus. Adeo ut altare SS. Simonis & Judæ tranſlatum non ſit ad altare ubi ſervabatur ſacroſancta Euchariſtia; ſed hæc ad illud, jam antea in media baſilica, & (ut ego quidem opinor) ab initio fundationis ſuæ poſitum. Nondum enim inveni, qui alium, in quo fundatum fuerit, locum indicet; nequidem ipſe Onuphrius aut Paulus de Angelis.*

SS. Simonis & Judæ.

B

C *Ejuſque ſitus*

81 *Opinionem meam concepi ex citatis Canonici Romani verbis, altare iſtud ponentis* in atrio eccleſiæ ad Crucem. *Quæ verba Paulus intellexerit, de poſteriori baſilicæ veteris parte, à Julio II dejici cœpta, ubi & oratorium fuit ſanctæ Crucis: ego vero potiori jure refero ad partem anteriorem ejuſque navim mediam: quæ quia ampla, & eccleſiam ingredienti prima eſt, uti ſolent eſſe atria; videtur à Canonico* atrium eccleſiæ *appellata fuiſſe; diſtinguente ſcilicet atrium, quod eſt intra eccleſiam, ab illo quod erat ante vel extra; de quo loquitur in Dono Papæ pag.* 93: Hic atrium baſilicæ B. Petri, quod eſt ante eccleſiam, magnis marmoribus ſtravit. *Præterea ponit in atrio eccleſiæ altaria SS. Simonis ac Judæ, item SS. Philippi & Jacobi, quæ certo erant intra baſilicam; & ſignat eorum ſitum* ad Crucem. *Habebat autem ipſum altare SS. Simonis ac Judæ crucem magnam cum Crucifixo percelebri, à quo frequenter etiam nominabatur altare* Sanctiſſimi Crucifixi; *& aliquando* Ad Crucifixos, *à duplici Chriſti crucifixi effigie, quarum una in muro depicta, altera è ligno ſculpta, ibidem in veneratione erant; ut legitur apud Bonannium, qui citat codicem Ms. archivi baſilicæ, & apud Severanum pag.* 100. *Verum enimvero,*

etiam altare SS. Philippi & Jacobi ponit Canonicus in atrio eccleſiæ ad Crucem. *Per atrium hic eamdem navim mediam ſignificat quam ſupra.* Ad Crucem *dixerit, quia hic ſtetit crux magna argentea ducentorum pondo oblata olim à Leone IV. Vel poteſt ita cognominatum fuiſſe à vicinitate celeberrimi Crucifixi lignei, qui altari SS. Simonis & Judæ, in quo ſtetit, ſimile cognomen ſuperaddidit; niſi mavis opinari, Crucifixum, quem, teſte Anaſtaſio, Leo III* fecit in medio baſilicæ ex argento puriſſimo penſantem libras LXXII; *aut alium illo longe majorem, ſtetiſſe in media navi prope altaria tam SS. Simonis & Judæ, quam SS. Philippi & Jacobi: unde ambo pariter acceperint cognomen* Ad Crucem.

C. J.

82 *Quemadmodum enim inter eadem altaria, in medio pavimento, teſte Turrigio in Cryptis Vaticanis pag.* 124, *inſertus ſpectabatur ingens lapis, qui in Pontificali Romano aliiſque libris appellatur* Rota porphyretica, *videlicet à forma, quæ rotunda eſt; & materia, quæ eſt porphyretes; eratque celeberrimus inter alios ejuſdem nominis, propter varias ceremonias, quæ ſuper illo fiebant in Pontificum inauguratione atque Imperatorum coronatione: ita mirum non foret, etiam Crucifixum ibi prope ſtetiſſe. Rotæ illius pridem meminit in Chronicis Petrus Diaconus lib.* 4 *cap.* 37 *ſcribens, quod Paſchalis Papa II & Henricus IV Imperator baſilicam ingreſſi,* cum in Rotam porphyreticam veniſſent, poſitis utrique ſedibus, conſedere. *Et in Pontificali Romano, Venetiis anno* MDLXI *impreſſo pag.* 79 *verſâ, legitur, quod* Imperator, ſandalia, tunicellam & imperiale paludamentum *indutus,* procedens, venit ad medium eccleſiæ, ubi Rota eſt porphyretica; & ibi ab Epiſcopo Cardinali, ſibi aſſiſtente, dicitur ſuper eum *hæc oratio*: Deus inenarrabilis, auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui, Patriarchæ noſtri Abrahæ, præelegiſti Regem ſeculis præfuturum; tu præſentem Regem hunc cum exercitu ſuo, per interceſſionem Sanctorum uberi benedictione æternitatis circumda; ut ſemper maneant læti & triumphantes in pace victores. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

prope Crucifixum & Rotam porphyreticam.

E

83 *Redeo ad altare SS. Simonis ac Judæ.* Illud à Pelagio Papa I inceptum fuiſſe, quod poſtea Joannes III complevit, accepimus (*inquit Bonannius*) à Petro Manlio. *Si ita eſt, diſcrepat hîc Manlius à Romano Canonico, qui ſimilibus verbis dicit, Pelagium ac Joannem Pontifices incepiſſe & compleviſſe* eccleſiam SS. Philippi & Jacobi; *non altare SS. Simonis & Judæ in baſilica Vaticana. Eccleſia SS. Philippi & Jacobi, de qua loquitur Romanus Canonicus, uti & Manlius ipſe apud nos pag.* 42 *num.* 48; *vulgo indigitatur* Sanctorum Apoſtolorum, *eſtque percelebris Romæ, ſed longiſſime à Vaticano diſſita; cujus inceptionem & perfectionem Anaſtaſius quoque attribuit Pontificibus Pelagio & Joanni prædictis, nihil de altari SS. Simonis & Judæ memorans. Certiora habet Bonannius ex Ugonio de ſacroſancta Euchariſtia, quam Paulus III, quando altare, ubi prius conſervabatur, cum parte poſteriori baſilicæ deſtructum fuerat, collocari juſſit in altari SS. Simonis ac Judæ; tranſlato inde, uti docet Severanus pag.* 101, *Crucifixo ligneo una cum appellatione ſanctiſſimi Crucifixi, ad novum altare, quod ad murum tranſverſarium in alterutra duarum ex parte meridionali navium, erectum ſtetit; uti ſupra dictum eſt litt.* c.

Error de ſitu.

F

C. J.

SECTIO II, SIVE B

Recenſet quidquid fuit altarium inter murum tranſverſarium & navim tranſverſam.

B PRincipium Sectionis ſecundæ, hinc circumducentis juxta motum ſolis, *indicat hoc loco altaria duo, quæ aliis anonyma, videntur Ciampino, alterum* S. Euſtachio, *alterum* S. Georgio, *Martyribus ſacra fuiſſe: idque colligi, ait, ex vetuſtiſſimo baſilicæ Vaticanæ Martyrologio.*

S. Euſtachii M. S. Georgii M.

c Annuntiationis B. Mariæ, *quod Ciampinus* pulcherrimum *fuiſſe dicit, in eoque S. Margaritæ Virginis imaginem eximiam populo ſummæ veneration fuiſſe.*

Annuntiationis B. Mariæ.

d S. Blaſii epiſcopi & martyris, *à Porcello de Urſinis excitatum: qui juxtà, ſibi & familiæ ſuæ monumentum ſepulcrale habuit, teſte Ciampino.*

S. Blaſii Ep. M.

e S. Nicolai epiſcopi & confeſſoris, *à Nicolao Papa V conſtructum: qui & ſepulcrum ibidem ſub nobiliſſimo marmore habuit, eodem teſte qui ſuprà.*

S Nicolai Ep.

B

f *Extabat hîc olim altare* S. Mariæ de Miſericordia, *inquit Bonannius. Innovatum ac dedicatum deinde fuit* S. Marco Euangeliſtæ *à Marco Barbo Patriarcha Aquileienſi: ſed alii id maluni tribuere Paulo II.*

S. Mariæ de Miſericord. S. Marci Euang.

g B. Mariæ *ab Eugenio IV extructum, ut habet Bonannius ex Alpharano. Ciampinus verò ſcribit ab Eugenio reſtitutum,* & B. Mariæ ſanctiſque Apoſtolis Petro & Paulo *fuiſſe ſacratum.*

S. Mariæ, Petrique & Pauli.

h *Altare anonymum, ceteroquin non indecorum; ut idem ait Ciampinus.*

Duo anonyma.

i *Et hoc anonymum fuit, quamvis ipſum* S. Catharinæ *dicatum ab Ægidio de Gerla, ſcribat Bonannius, citans Ciampinum & numerum ejus* 21. *Sed is æque anonymum illud facit ac præcedens altare; citatumque numerum non habet hoc loco, ſed ubi nos litteram* f *in Sect.* C.

k S. Martialis, *quod perantiquum & magna in veneratione fuiſſe teſtari dicitur Vegius. Paulus de Angelis ipſum tribuit Neapolioni Cardinali anno* MCCLXXXVIII *creato. Sed is fundator ejus primus non fuit; quandoquidem idem Romanus Canonicus annis facile centum prius ſcribat,* poſt chorum canonicorum eſſe altare S. Martialis diſcipuli B. Petri. *Quibus iiſdem verbis etiam indicat ſitum, quem nos ei damus cum ichnographis ceteris, prope à choro canonicorum, contra Panvinium, qui illud altare collocat in navi tranſverſa.*

S. Martialis.

C

85 1 *Altaria olim duo,* S. Mariæ, & S. Gabini. *Primum ſaltem dicavit Gregorius III, illatis eò multis Sanctorum Reliquiis. De his Anaſtaſius in vita ejus pag.* 72 *ſic ſcribit:* Hic fecit oratorium intra baſilicam Vaticanam juxta arcum principalem, parte virorum. [In quo recondidit in honorem Salvatoris ſanctæque ejus Genitricis, Reliquias ſanctorum Apoſtolorum & omnium ſanctorum Martyrum & Confeſſorum, perfectorumque Juſtorum, toto orbe terrarum requieſcentium] quorum feſta Vigiliarum à monachis trium monaſteriorum, illic ſervientium quotidie per ordinem, atque Natalitiorum Miſſas, in eodem loco celebrari inſtituens, in Canone Miſſæ hoc adjecit, ita à ſacerdote dicendum; QUORUM SOLENNITAS HODIE IN CONSPECTU TUÆ MAJESTATIS CELEBRATUR, DOMINE DEUS NOSTER, IN TOTO ORBE TERRARUM. Quam inſtitutionem in eodem oratorio tabulis lapideis conſcribere fecit. *Ita Anaſtaſius, qui poſteà enumerat plurima munera ibidem à Gregorio oblata.*

S. Mariæ & S. Gabini.

D

86 *Petrus Manlius noſter pag.* 39 *collocat idem altare ſive oratorium* in choro canonicorum, *qui terminabatur juxta arcum principalem ex parte virorum; deſcriptiſque Anaſtaſii verbis, quæ his* [ ] *incluſimus, continuo ſubdit,* inter quas *Reliquias,* ut à noſtris majoribus accepimus, recondidit *Gregorius* corpus S. Gabinii Presbyteri (*imo Gabini martyrio affecti in Sardinia, non Gabinii, Patris S. Suſannæ*) cujus altare manſit ibi uſque ad tempora noſtra. Nam tempore Domini Eugenii III Papæ, quando ejus præcepto ereximus iſtud altare ibi, duo altaria ibi erant, altare videlicet S. Gabinii Presbyteri, ad quod Sardinia & Corſica tributum annualiter mittebant; & altare B. Mariæ ſemper Virginis, quod prænominatus Dominus Gregorius Papa III fecerat & conſecraverat. Sub quibus altaribus invenimus tres ſepulturas, ferro & plumbo optime ligatas. Quæ etiam altaria cancellis æneis circumdedit. In quo etiam oratorio imaginem B. Mariæ ſemper Virginis, filium amplexantis, poſuit. Supra quam imaginem fecimus loculum, in quo honorifice cum Romano Clero poſuimus dextrum armum B. Stephani Protomartyris, quod Dominus Pelagius Papa huic eccleſiæ donavit, ſicut in tranſlatione ejus de Conſtantinopoli Romam facta habetur.

Utrumque Manlius vidit

E

87 *Atque hæc, tam de prima, quam de ſecunda fundatione iſtius ſacelli, contemporaneus in parte auctor & oculatus teſtis: ex quibus conſtat, Eugenium III, loco duorum, quæ eatenus ibi ſteterant altarium, denuo excitaſſe ſacellum unum ſub titulo ſolius* B. Mariæ. *In eodem oratorio poſuit Gregorius apud Anaſtaſium;* imaginem ſanctæ Dei Genitricis, diadema aureum habentem cum gemmis; & collare aureum cum gemmis pendentibus, inaures habens hyacinthinas ſex: & faciem altaris & confeſſionem cum régulis, veſtivit argento: & in tribus lateribus altaris poſuit cruces argenteas tres, penſantes in unum libras triginta ſex. *Cetera dona, à Gregorio iſti ſacello oblata enumerat idem Anaſtaſius. Sed an imago ſanctæ Dei Genitricis, hîc ab Anaſtaſio deſcripta, ibidem ſuperfuerit uſque ad tempora Manlii noſtri & Alexandri Papæ III, dubito; nec facile credidero: tum quia Saraceni interea baſilicam S. Petri ſpoliaverant: tum, quia Manlius dicit, imaginem ſui temporis fuiſſe beatæ Mariæ* filium amplexantis; *de qua forma nihil habet Anaſtaſius. Fuerit igitur tempore Manlii alia illic, quam quæ à Gregorio poſita fuerat, imago Virginis, filium amplexantis; & quidem, uti Vegius ſcribit, non ſculpta aut calata, ſed depicta.*

mutari in unum,

F

88 *Stetit ſacellum hoc Eugenianum ſeculis fere tribus ac dimidio, uſque ad obitum Innocentii VIII, qui incidit in annum* MCCCCLXXXXII, & *menſem Julium. Acceperat hic Pontifex (uti narrat Jacobus Grimaldus in Tractatu Ms. de ſacra Lancea apud Bonannium) paulo ante mortem ſuam* ſacroſanctum ferrum Lanceæ, *qua Salvatoris noſtri latus in Cruce tranſfixum fuit, à magno Turcarum Sultano:* illudque die XXXI Maii feſto Aſcenſionis Domini, ſolenni pompa pedeſter detulit à porta Flaminia ad baſilicam S. Petri,

ad quod Lancea Domini

&

A *& ibi data populo benedictione secum intulit in palatium*, servaturus ipsum apud se, donec sacellum in eadem Vaticana basilica, cum cyborio ad id continendum, magnifico sumptu ædificaret. Verum vix elapso mense, incidit in gravem morbum: accitoque ad se Laurentio Cardinali Beneventano, suo ex fratre nepote, ferrum ipsum in eadem basilica perpetuo asservandum reliquit, sacellumque præfatum perficiendum mandavit.

delata fuit. 89 *Tum Domini Cardinales sacrum ferrum* devote è cubiculo Pontificis detulerunt *ad basilicam, atque* in cyborio Vultus sancti, *de quo sect.* A *litt.* q. *diximus, reposuerunt: mortuoque ipso, piam patrui voluntatem Laurentius diligenter executurus*, sacellum Dei Genitrici Mariæ sumptuose extruxit anno MCCCCLXXXXIII, *in loco, ubi steterat Gregorianum præditum, ab Eugenio III restauratum eo modo, quo diximus hîc*; *&* anno LXXXXV *absolvit, pulcherrime ornatum; sed non diu hîc duraturum. Interea tamen ad cyborium ejus*, anno Jubilæi MD, Dominica secunda Januarii, sacrum Lanceæ ferrum è cyborio Vultus sancti delatum fuit. *Verum septimo non amplius post anno, Christi* MDVII, pro

B fundanda *ibi* magna parastata, solo æquatum fuit dictum cyborium, & in tabernaculum Vultus sancti sacrum ferrum iterum delatum est die XXII Novembris. *Hactenus Grimaldus aut verbis suis aut sensu.*

Confirmatur situs sacelli, 90 *De situ hujus sacelli abunde certum est ex dictis; nec dubitari de illo potest propterea quod ab aliis collocetur* prope altare princeps, *ab aliis vero* in choro canonicorum. *Propius enim ad aram summam, extra navim transversam, nullum erat sacellum celebrius. Chorum quoque, sive cantorum sive potius canonicorum, infra illud fuisse, id est in media navi juxta arcum principalem, ut jam dixi & consentiunt plerique. Unde & Ciampinus, Severanum pag.* 107 *secutus, putat huic sacello etiam nomen adhæsisse* S. Mariæ de Conventu, *quia* antè ipsum Canonicorum chorus è ligno, vili artificio compactus jacebat (*imo ipsum sacellum videtur includisse*) in quem illi quotidie conveniebant ad psalmodiam. *Existimo ego talem chorum illic perpetuò mansisse, ex quo Gregorius III ibi jussit Monachos divina officia quotidie persolvere. Bonannius scribit, quod Vegius referat,*

C *chorum illum fuisse* supra oratorium B. Mariæ: *sed verba ex illo citata, nòn indicant locum chori, sed locum ubi dexter armus B. Stephani protomartyris repositus fuit, videlicet* supra imaginem B. Mariæ, filium amplexantis, depictam in pariete ipsius oratorii: *& dicti armi solennis ibi depositio facta fuit* conveniente & psallente omni clero Romano.

in quo & corpora, 91 *Supra hanc imaginem, ut in præmissis vidimus, ipse Petrus Manlius fecerat pridem loculum, in quo sacer armus Protomartyris honorifice inclusus fuit. Et de hac ipsa inclusione loqui Vegium, antequam altare istud Eugenianum destrueretur scribentem, indubitatum est. Denique idem Man-*
S. Gabini M. *lius docet, præter corpus S. Gabini Martyris, quod sub proprio altari honorabatur; in eodem sacello*
S. Gregorii 3, *quieviisse S. Gregorium III*, in loco, *inquit*, illo ubi nunc felicis memoriæ beatus Eugenius Papa III requiescit. Ubi etiam ad honorem ejusdem Gregorii Papæ fuit erectus arcus, optimo mosivo depictus, & permansit arcus ille usque ad tempora Domini Eugenii III Papæ: de quo habemus in epitaphio ejusdem Gregorii hunc versum.

Tertius hîc Papa Gregorius est tumulatus — C. J.
In quo etiam sepulcro desuper recondimus venerabile corpus Domini Eugenii III, VIII Idus *Eugenii 3,*
Julii; & fecimus ei sepulcrum ex diversis lapidibus. Requiescit etiam in eodem sepulcro, ut audivimus, Petrus Diaconus B. Gregorii I *Petri Diaconi,*
Papæ, ad quem fecit librum Dialogorum. *Imo qui in illis cum Gregorio collocutor inducitur; & à recentioribus* Beati *titulo honoratur; uti supra ipse etiam Manlius Eugenium post mortem similiter* beatum *appellat; neuter tamen sacris Romanorum fastis legitur adscriptus; uti nec Adrianus Papa IV, quem citatus Manlius ait, ibidem* requiescere juxta sepulcrum Domni Eugenii in optima concha.

92 *His autem tam claris sanctisque Pontificibus, etiam contumulatus fuit Innocentius Papa VIII, cujus jussu tertium innovatum aut denuo extructum* *Adriani 4. Item Innocentii 8, ejusque translatio.*
altare, vix ultra decennium ibi mansit. Mansitque ibi etiam breviori tempore cadaver ipsum, cum suo monumento sepulcrali, quod apud Oldoinum in æs incisum, videri potest, alìo translatum. Tempus primæ translationis distincte tradit idem Oldoinus tomo 3 col. 115, *ex quodam Diario, cujus verba tanto libentius hic adscribo, quod etiam distincte indicent, chorum canonicorum inde prope abfuisse, & à Sixto IV, Innocentii decessore, ad suum ipsius novum sacellum seu ecclesiam, ad parietem basilicæ meridionalem excitatam, migrasse.*

93 *En verba Diarii*: Anno MCCCCLXXXXVIII, *Translatio chori ad sacellum Sixtinum.*
feria III, die XXX Januarii, *extractum fuit è tumulo suo* corpus sive cadaver fel. rec. Innocentii Papæ VIII, quod post ejus obitum fuit juxta murum altaris B. Mariæ Virginis chori, (*ecce aliud nomen ejusdem altaris*) ubi canonici & clerus basilicæ S. Petri de Urbe, singulis diebus officium peragere consueverunt; antequam... Sixtus Papa IV capellam suam pro choro eorum erigeret ac ordinaret. *Igitur sub Sixto IV, anno* MCCCCLXXI, *tredecim annis post obitum Callisti III creato, remotus canonicorum chorus de media navi, ubi eatenus steterat ante arcum triumphalem, ut vocabant, inter altare B. Mariæ, de quo hic, & altare S. Pastoris, de quo mox, translatus fuit ad novum à Sixto excitatum sacellum; eodemque verosimiliter etiam transportatum fuit organum, quod paulo ante Callistus suspenderat prope altare S. Pastoris & chorum antiquum.*

94 m *Trans mediam navim, è regione jam dicti* *S. Pastoris altaris* F
altaris sive sacelli, ad partem septemtrionalem arcûs triumphalis, qui navim transversam à navi media templi dividebat; fuit antiquissimum altare S. Pastoris, *multo post tempore, à Cardinali Ursо Ursino magnifice restauratum: ita loquente Ciampino pag.* 62: Altare S. Pastoris, quod cum tam longa annorum serie dilaberetur, Ursus Ursinus S. R. E. Cardinalis & Vaticanæ basilicæ archipresbyter, splendide restituit dotavitque, excisо inibi tumulo, in quo ipse & ejus frater Matthæus diaconus cardinalis, funerati fuerunt. *Hæc in fide Ciampini. Manlius noster pag.* 48 *aliud non habet, quam*, juxta arcum triumphalem est altare B. Pastoris. *Quibus addidit Romanus Canonicus*; In quo siquidem arcu audivimus requiescere beati Mathiæ Apostoli corpus. *Videant Romani, an id confirmare possint alunde. Ut igitur antiquissimum fuerit altare S. Pastoris, ita paucissima quoque de illo (quod passim fieri solet) habentur monumenta scripturarum.*

95 *Constat tamen juxta illud stetisse organum, ubi & organum.*
sex columnis porphyreticis innixum; non illud quod

C. J. *ab Alexandro Papa VI curatum fuerat in ſacello SS. Proceſſi & Martiniani, quod deinde ſub Paulo III, cum corporibus eorumdem Sanctorum in concha porphyretica, & ſtatua ænea S. Petri, tranſlatum fuit in priorem veteris templi ſectionem prope murum tranſverſarium: ſed aliud, quod à Calliſto Papa III poſitum antea fuerat juxta dictum S. Paſtoris altare prope chorum canonicorum, antequam Sixtus IV illum chorum è media navi tranſtulit ad ſuum novum ſacellum in parte meridionali templi. De organo Innocentiano in oratorio SS. Proceſſi & Martiniani, ſcribit Ciampinus pag.* 57, *illud* ſumptuoſe factum, & à Muſca præſtantiſſimo artifice cælatum, ac totum inauratum, & ex concentu in magno pretio habitum fuiſſe. *De Calliſti autem organo pag.* 62 *ait, illud magnæ pulcherrimæque molis, juxta aram S. Paſtoris* ſuſpenſum fuiſſe, ſuffultum ſenis columnis è porphyrete; cujus tubos prægrandes, varia metalli ſpecie conflatos, ligna interſecabant, auro cælaturiſque inſignia. *Utriuſque organi ſchema exhibet Ciampinus, inciſum in æs, tabula ſua* XVI; *ex quibus etiam patet quod diximus, admodum diverſa fuiſſe organa illa.*

B SS. *Laurentii & Georgii.* 96 n *Severanus in ſua ichnographia exprimit quidem hic & duobus ſequentibus locis altaria, ſed nulli eorum adſcribit nomen. Huic tamen in ſua ichnographia adſcribit Paulus de Angelis hæcce verba:* Olim altare SS. Laurentii & Gregorii à Jacobo Cajetano de Stephaneſcis cardinali. *Fontana, Ciampinus, Bonannius pro* S. Gregorii, *ſcribunt* S. Georgii, *& rectius. Fuit quippe Jacobus iſte Cajetanus, Cardinalis titulo* S. Georgii in Velabro *ſeu* Velo aureo, *à Bonifacio PP. VIII creatus; ut videri poſſit, altare illud in honorem S. Georgii, tamquam Patroni ſui tituli cardinalitii, potius dedicaſſe; quam S. Gregorii. Addit Bonannius,* dotatum *fuiſſe* à Lello de Miglis. *Quod intelligi poſſit, ab illo poſt obitum fundatoris, nova beneficia altari collata fuiſſe: cum Ciampinus ſcribat,* extructum *pariter &* dotatum *fuiſſe ab eodem Jacobo Cajetano cardinali. Vide alia ſuprà Sect.* A *litt.* o.

Anonyma duo. o E regione (*imo ad latus*) *jam dicti altaris, ſeptemtrionem verſus,* viſebatur *inquit Ciampinus,* ara ſine nomine & cultu (*tunc credo, quando Alpharanus, quem ipſe & reliqui fere ſequuntur, ichnographiam ſuam delineabat*) ſua tamen ſimplicitate non indecora.

C p *Hic, eodem auctore,* perantiquum exſtabat altare: *ſed cui Sanctorum olim ſacrum fuerit, ignorari ait.*

S. Ægidii abb. 97 q S. Ægidii abbatis, *ut omnes Ichnographi unanimiter notant. Pulcherrimum & ampliſſimis redditibus dotatum fuiſſe à Joanne Tomacello, Comite Soræ, Bonifacii IX Papæ germano fratre, addit Ciampinus. Vixit Joannes ille anno* MCCCC. *Manlius noſter pag.* 44, *collocat* venerabile altare S. Ægidii Abbatis, juxta ſepulcrum, in quo B. Gregorius Papa I, primo loco poſitus fuit. *Quod ſi verum eſt, debet altare iſtud procul ab hoc loco remotum & prope angulum frontiſpicii meridionalem fuiſſe. Ibi enim prima Gregorii I ſepultura extitit; uti ſcribit poſt Joannem Diaconum in vita Gregorii ipſemet Manlius pag.* 42 *his verbis:* Hic almificus Præſul *Gregorius I,* fuit ſepultus ante ſecretarium inter columnas porticalium. *Cum autem nemo unus ponat in illa parte altare S. Ægidii, omnes vero illud collocent indicato à nobis loco, dicendum neceſſario eſt, in priorem Manlii textum irrepſiſſe errorem, & Gregorii I nomen pro alterius alicujus Pontificis nomine, qui hic ſepulcrum habuerit, ſubſtitutum fuiſſe; aut aliter conciliandus error erit.*

D r S. Nicolai epiſcopi, *à Nicolao Papa III extructum, ut notat Paulus de Angelis, addens, ejuſdem Nicolai Papæ, & Honorii IV ſepulcrum ibi extitiſſe.* *S. Nicolai ep.*

s S. Jacobi Apoſtoli, *ab Antonio de Calvis Cardinali ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtitutum.* *Jacobi ap.*

t S. Hieronymo, *Eccleſiæ Doctori, ab Acheruntio de Bovenis erectum atque dotatum fuiſſe hoc loco altare, teſtis eſt Ciampinus.* *S. Hieronymi.*

u S. Auguſtini, *item Doctoris Eccleſiæ & epiſcopi Hipponenſis, ab Altaruſio canonico reſtitutum & locupletatum, eodem Ciampino teſte.* *S. Auguſtini.*

98 x *Sequitur tertium, quod Eccleſiæ Doctori conſecratum ſit altare, videlicet* S. Ambroſio, *epiſcopo Mediolanenſi; ipſumque antiquiſſimum fuiſſe ferunt. Scribit Onuphrius Panvinius in libello de ſeptem eccleſiis pag.* 44: A ſiniſtro baſilicæ latere *ſive ſeptemtrionali,* fuit oratorium cum ara S. Ambroſii epiſcopi & doctoris, quod diu ante baſilicæ ruinam, ſui nomen & venerationem amiſerat (*Hæc ex Vegio noſtro pag.* 85 *n.* 145 *Panvinius: ſequentia ipſe, neſcio unde, adjungit.*) Nunc ejus loco, ex ruinis veteris templi tranſlata extant duo altaria, B. Virginis, Innocentii VIII, prope ejus æneum ſepulcrum cum ciborio, cui ipſe Lanceæ ferrum impoſuerat; & ſanctiſſimi Crucifixi, inter ſepulcra Pauli II & Nicolai V. *Ego, ut memor præmonitionis Alpharani de Onuphrio pag.* 86 *num.* 6, *de aliis hic relatis nihil dicam, tantùm obſervo, in ſitu oratorii B. Virginis Innocentiani, altare S. Ambroſii prius non fuiſſe. Illud quippe Innocentianum poſt ſui tranſlationem ſtetit in Sectione noſtra prima litt.* n, *non longe a frontiſpicio templi: altare vero S. Ambroſii deſignatur ab Alpharano & aliis poſt murum Pauli tertii tranſverſarium Sect. ſecunda litt.* x. E

y *Ultimum denique hujus Sectionis altare, quod aliqua ſui parte videtur à muro tranſverſario interceptum fuiſſe, colebatur ſub invocatione* S. Martini, *Turonenſis epiſcopi; ampliſſimis, ut ait Ciampinus, locupletatum proventibus à Joanne Gallo cardinali Vivarienſi, epiſcopo Oſtienſi ac vice-cancellario.* S. *Martini ep. Turon.*

SECTIO III, SIVE C

F

Circumducit per navim tranſverſam, incipiendo ab arcu triumphali ſiniſtrorſum.

C *Hoc ipſo loco, ubi* C, *ſtabat ſuggeſtus ſive ambo, in quo legebatur ſacroſanctum Euangelium & explicabatur populo. Prope adſtabat candelabrum grande, cui cereus Paſchalis imponebatur. Altare autem quod hic exprimitur, fuit* S. Sixti *Papæ I & Martyris, de quo Bibliothecarius in Paſchale I:* Hic *Paſchalis* in B. Petri baſilica ante aditum, qui ducit ad corpus, in loco ferrato altare conſtituit, in quo & venerandum B. Sixti Martyris atque Pontificis corpus honeſtiſſime collocavit: ubi & deſuper arcum, muſivo exornatum, decenter inſtruxit, *& quatuor columnis ſuffulſit. Eodem poſtea fuerunt etiam illata* SS. Fabiani *&* Sergii II *Pontificum corpora; idque* ex epigraphe tumuli liquido conſtabat, *teſte Ciampino: nec longe aberant, eodem teſte, corpora* SS. Peregrini *epiſcopi & martyris, ac* *Ambo & altare S. Sixti Papæ I.*

Ced-

A Cedwallæ *Anglo-ſaxonum regis huc tranſlatum è porticu baſilicæ, ubi primum ſepulcrum habuit, teſte Severano.*

100 d S. Silveſtri *Papæ*, in quo (*verba ſunt Manlii pag.* 39 *num.* 15) ſicut accepimus, brachium ejus eſt reconditum. Requeſcit etiam ibidem Vigilius Papa, ſicut à majoribus noſtris accepimus, & in pariete invenimus ſcriptum. *Illud ipſum veroſimiliter, quod Paulus de Angelis in ſuis ad hoc altare notis adduxit*; Altare S. Silveſtri Papæ: ubi Vigilii & Adriani IV ſepulcra. *Obiit Vigilius in Sicilia, & corpus ejus, teſte Anaſtaſio*, ductum eſt Romam & ſepultum eſt ad S. Marcellum via Salaria in cœmeterio Priſcillæ. *Hinc igitur poſtea debet delatum fuiſſe ad prædictum S. Silveſtri altare; prope quod etiam ſuum habuit monumentum Adrianus IV.*

S. Silveſtri Papæ.

101 e S. Mauritii *Martyris*; ad quod de antiqua conſuetudine Romanorum Imperator, à Dominis epiſcopis cardinalibus benedicitur & ungitur. Ad altare vero majus B. Petri, à Domino Papa benedicitur & coronatur: & de ſacroſancto altari ejus per manus Romani Pontificis ad defendendam Eccleſiam gladium accipit. *Verba ſunt Manlii: quibus conſonat hæc vetus inſcriptio, quam ſe legiſſe teſtatur Paulus de Angelis:* Imperator & Imperatrix ab epiſcopis cardinalibus benedicuntur, & in brachio dextero oleo ſancto unguntur, antequam à Romano Pontifice coronentur; *quod deinde fit ad altare B. Petri. Celebrem talis rei cæremoniam deſcribit Auguſtinus Pientinus epiſcopus in Rituali ſect.* 5, *& Goldaſtus in Conſtitutionibus imperialibus pag.* 412.

S. Mauritii M.

B

f S. Catharinæ *virginis martyris nomine omnibus notum eſt hoc altare, præterquam Severano. Ciampinus addit ab Ægidio Laurentio de Gerla dotatum, eumque & ſepulcrum tam ſibi, quam cardinali Tiburtino & familiæ ſuæ ibidem feciſſe. Hoc altare alibi poſuit Bonannius, ut dixi Sect.* B *litt.* i.

S. Catharinæ V.

102 g Sanctorum Proceſſi & Martiniani martyrum *altare & ſacellum, de quo Anaſtaſius in Paſchale I. Hic* in B. Petri Apoſtoli eccleſia juxta ingreſſum, qui ducit ad beatam Petronillam, oratorium ſummæ magnitudinis atque pulcritudinis decoranter conſtruxit; & ſuper columnas, in quadrificio camerantes, muſivo pulciſque metallis decoravit: in quo & corpora beatiſſimorum martyrum Proceſſi & Martiniani ad honorem & gloriam omnipotentis Dei, memorialiter honorificeque recondidit: in cujus abſida imaginem pulcherrimam de argento, exauratam, cum diverſis hiſtoriis inter marmorum conſtructiones ordinatas, infixit. *Enumerat deinde Anaſtaſius dona plurima, quæ Paſchalis obtulit ad hujus ipſius oratorii ornatum, interque ea unam* imaginem ex auro puriſſimo, penſantem libras XIII & uncias III: *argenteas vero tres inauratas*, unam *videlicet* Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, & duas beatorum martyrum Proceſſi & Martiniani. *Petrus Manlius pag.* 141 *illud ponit* juxta portam æneam, quæ vadit ad S. Petronillam, & ad S. Andream (*eſt hoc ſacellum S. Andreæ, inter extremam alam navis tranſverſa, qua meridiem ſpectat, & amplum S. Petronillæ oratorium, uti ſuo loco explicabimus*) *ejuſque ſtructorem facit, æque ac Anaſtaſius*, Paſchalem I, *nulla mentione facta Symmachi; cui apud Bonannium Alpharanus, recentiſſimus reſpectu illorum ſcriptor, eum honorem tribuit.*

SS. Proceſſi & Martiniani.

C

103 *Condidit autem ibi Paſchalis ſanctos martyres* in concha porphyretica, ut apparet (*verba ſunt citati Manlii*) & pro reverentia eorum, locum illum cancellis æneis circumdedit. Qui locus in tanta veneratione eſt habitus, quod uſque ad noſtra tempora illum mulieres non intrabant. *Quædam prædictorum repetit idem Manlius pag.* 45 *num.* 93, *quod nempe Paſchalis* conſtruxit oratorium ſummæ pulcritudinis in honorem prædictorum Martyrum, in quo ſatis honorifice corpora eorum recondidit in concha porphyreticâ, allata de cœmeterio S. Agathæ; *quod erat, uti porro explicat Severanus pag.* 90, viâ Aureliâ, ubi in loco, quæ dicitur Caſa Lardaria, ſtabat eccleſia prædictorum Martyrum, cujus hodiedum videre eſt parvum ſacellum priuſquam perveniatur ad domunculam Pii V: in qua eccleſia S. Gregorius dixit pro concione homiliam XXXII in Matthæum, qua commemorat, apparuiſſe Sanctos cuidam Matronæ, quæ multa cum devotione frequentabat illam ipſorum eccleſiam; eamque cum gratitudinis demonſtratione allocutos fuiſſe his verbis: Tu nos modo viſitas: nos te in die Judicii requiremus, & quidquid poſſumus, præſtabimus. *De tranſlatione hujus altaris ad anteriora baſilicæ navim medianam, à Paulo III facta, egimus ſect.* A *litt.* g.

C. J. *Eorumdem antiquior eccleſia.*

E

104 h *Altare* S. Mariæ de Prægnantibus *hic ponunt Ciampinus, & Bonannius, ipſumque tribuunt tamquam fundatori, Joanni Cajetano Urſino, cardinali diacono S. Theodori, qui obiit anno* MCCCXXXIX. *Addit Ciampinus, ab illo extructum à fundamentis atque nobiliter ornatum: deinde vero à Jordano Urſino, & ipſo cardinali epiſcopo Sabinenſi, qui centum fere poſt annis vivere deſiit, reſtitutum & magnifice dotatum: denique è loco iſto ſublatum & collocatum fuiſſe in navi mediana baſilicæ ad murum tranſverſarium, nobis Sect.* A *litt.* f; *ipſi vero num.* 43. *Ego, ut citatis Auctoribus alteram partem ſententiæ ſuæ, qua fundatorem prædicti altaris faciunt Joannem Cajetanum Urſinum, concedam; appellationem, quam altari dant*, S. Mariæ de Prægnantibus, *concedere non poſſum propter dicenda in Diſſertatione huic Sectioni ſubnectenda. Potius appellatum fuerit* S. Mariæ in cælos Aſſumptæ. *Sub tali quippe appellatione alicubi ſtetit in navi tranſverſa altare, fundatum à Joanne Cajetano prædicto, quod etiam ad murum tranſverſarium Pauli III tranſlatum fuit, ibique manſit ſub eadem appellatione tempore Ugonii: ut videre eſt ſupra Sect.* A *litt.* f.

S. Mariæ de Prægnantibus

aut potius Aſſumptionis.

F

105 i *Sacellum* S. Mariæ de Cancellis, *ſic appellatum quia cancellis circumdabatur, aliis* S. Mariæ in Oratorio *dictum. Ipſum in angulo navis tranſverſæ, occaſum brumalem reſpiciente, Paulus Papa I anno* DCCLVII *extruxit, & ſigno argenteo B. Mariæ virginis librarum centum ditavit. De illo Anaſtaſius in Paulo ſcribit, quod in eccleſia B. Petri Apoſtoli Vaticana* noviter *oratorium* conſtruxit in honorem ſanctæ Dei Genitricis, juxta oratorium S. Leonis Papæ, ſecus fores introitûs S. Petronillæ atque B. Andreæ Apoſtoli, muſivo & diverſis metallis ipſum adornans: ubi & effigiem ſanctæ Dei Genitricis in ſtatua (*Petrus Manlius hic ſcribit* in ſtatu) ex argento deaurato, quæ penſat libras centum, conſtituit: in quo & ſepulturam ſibi conſtruxit. *Proſecutus Anaſtaſii textum Manlius, ait pag.* 40 *num.* 21, *quod Paulus oratorium illud* propter multa corpora Sanctorum, quæ ibi ſepulta

S. Mariæ de Cancellis & in Oratorio

C. J. pulta ſunt, æneis cancellis clauſit. Unde, *inquit*, uſque ad tempora noſtra locum illum mulieres non intrabant. Qui locus, *ut num. ſequenti addit*, uſque hodie dicitur S. Maria in Oratorio. *Et hoc ipſo nomine etiam antiquitùs dictum fuerit illud ſacellum ; quod deinde vulgus* à cancellis, *quibus ipſum videbant cingi, appellaverit : certe nomen hoc nuſquam habet Manlius ; ſed neque Romanus Canonicus, quamvis hic Manlio ſuperaddat, quod ipſe Romanus* in tranſlatione SS. Dignæ & Emeritæ legerit, *Paulum multa Sanctorum corpora* de cœmeteriis levaſſe, *& in dicto ſacello ſuo* poſuiſſe. *Nihilominus etiam ante illorum ætatem & nomen* à Cancellis *& celebritatem ſingularem præ aliis ſacellis habuiſſe, colligitur ex Kalendario (ſi tamen ipſum tam vetuſtum eſt ac putatur) quod cum* Reſponſorialibus & Antiphonariis Romanæ eccleſiæ de circulo anni, juxta veterem uſum canonicorum baſilicæ Vaticanæ S. Petri, *non ita pridem è codicibus Mss. prodiit Romæ*, operâ & ſtudio Joſephi Mariæ Cari Presbyteri Theologi. *Illic enim* VIII *Idus Novembris inſcribitur* Conſecratio altaris S. Mariæ

B de Cancellis : *quod de nullo totius baſilicæ altari ibidem legitur, niſi tantum de altari S. Petri, cujus conſecratio* VIII *Kalendas Apriles notatur, id eſt die* XXV *Martii, quando & Deceſſores noſtri de hac Conſecratione mentionem faciunt inter Prætermiſſos ex Martyrologio Ms. Vaticanæ baſilicæ, his verbis :* S. Petri conſecratio majoris altaris in eccleſia Vaticana facta à Calixto Papa II, cum univerſo concilio, anno ejus V, Indictione I.

Adriani M. 106 k S. Adriani *oratorium atque altare, ſive à Martyre iſtius nominis, cui dicatum fuit, ſive ab Adriano Papa I, ibi ſepulto, ſic appellatum, hîc ſtetit inter oratoria S. Leonis & S. Mariæ de Cancellis. Recentiores plerique ab Adriano Papa prædicto excitatum fuiſſe ſcribunt. Sed Anaſtaſius Bibliothecarius plurima ejus ædificia & pia opera ſedulo enumerans, nullam talis oratorii aut altaris ab ipſo ædificati, mentionem facit. Et Manlius noſter pag.* 40 *num.* 20 (*quæ uncis incluſa, ſuperaddidit Romanus Canonicus*) *tantummodo ſcribit* ; Juxta oratorium S. Leonis IV Papæ eſt oratorium ; [& fuit altare S. Adriani Martyris ; & eſt ſepulcrum] beatæ recordationis Domini Adriani I Papæ. *Hujus epitaphium, quod ibidem legere fuit, argumentum nobis præbet Diſſertationis, ad calcem hujus Sectionis adjiciendæ. Interim notandum, hocce in altari olim conſervatum fuiſſe Cathedram S. Petri, ut ſupra diximus.*

cum ſepulcro Adriani Papæ I. C

S. Leonis 4, 107 l Ante altare S. Mauritii (*ita ſcribit Manlius pag.* 39 *n.* 17) juxta aditum, qui vadit ad S. Martinum poſt S. Petrum, eſt oratorium S. Leonis Papæ IV ; in quo (ſicut ſæpe à noſtris majoribus accepimus, videlicet à Domino presbytero Cencio Priore, & Domino Petro Chriſtiano) ſanctæ recordationis Dominus Paſchalis Papa II

ubi etiam depoſiti SS. *Leones* I, 2 & 3. corpus beati Leonis Papæ I, & II, & III, & IV recondidit : ſicut etiam multi noſtrorum viderunt. *Poteſt quidem ibidem loci altare extructum fuiſſe ab ipſo Leone I, & hujus corpus à Sergio Papa, anno* DCLXXXVIII *creato, è ſecretario illuc illatum fuiſſe ; quod ait Severanus citato Anaſtaſio in Sergio. Verumtamen Anaſtaſius aliud non habet, quam quod Sergius S. Leonis corpus, è ſecretario in baſilicam portatum*, publico loco (ut ſibi fuerat revelatum) repoſuit & locum ipſum ornavit. *Verius exiſtimo, à Leone IV & altare illud excitatum aut certe inſtauratum, & corpus Leonis I ſub eo poſitum fuiſſe, ſcribente in Vita ejus pag.* 181 *Anaſtaſio*, quod intra baſilicam B. Petri Apoſtoli oraculum *ſive oratorium*, miræ pulcritudinis ſummique decoris conſtruxit, quod pulcris marmoribus circumdans, ſplendide compſit, abſidamque ejus ex muſivo, aureo ſuperinducto colore, glorifice decoravit : in quo etiam venerabile corpus B. Leonis Confeſſoris atque Pontificis recondens, ſacrum deſuper conſtruxit altare ; & cyborium cum cruce exaurata ad laudem & gloriam Chriſti nominis perfecit. D

Duo anonyma. 108 m *Tranſilimus Confeſſionem atque aram majorem S. Petri, de quibus alibi, ipſamque tribunam ; ſive apſidem, cujus ſeptemtrionale latus claudunt duo fere conjuncta altaria, teſte Vegio, valde antiqua : ac propterea fortaſſis neglectu majorum obliteratæ dudum fuit memoria nominum, quibus olim appellata fuerunt.*

Sanctæ Crucis oratorium, 109 n Sanctæ Crucis, *magnificum Symmachi Papæ opus, de quo ſic loquitur Anaſtaſius :* Item *fecit* ad Fontem in baſilica B. Petri Apoſtoli oratorium ſanctæ Crucis ex argento, confeſſionem & crucem ex auro cum gemmis, ubi incluſit lignum dominicum. Ipſa crux aurea penſans libras decem. *Addit in Nicolao I, hunc ibi feciſſe* gabbatam de argento unam, penſantem libras duas. *Agnoſcit Manlius noſter pag.* 48 *n.* 114, *eumdem Symmachum fundatorem hujus oratorii*, cujus abſidam, *inquit*, columnis porphyreticis & optimo muſivo decoravit, & decem libras ligni ſanctæ Crucis in ea recondidit. *Non abeſt hic error, in pondere decem librarum ſacri ligni. Nempe*, ipſa crux aurea, *cui lignum incluſit Symmachus*, penſabat libras decem, *uti ſcribit Anaſtaſius ; quod idem pondus ſoli ligno male adſcribit Manlius ; & ſequaces habuit in errore ſuo quotquot deinde hoc de argumento ſcripſerunt ; ipſumque etiam Maphæum Vegium, cujus tempore, uti ipſe ſcribit pag.* 66 *n.* 35, *dirutum fuit oratorium Symmachi, & ipſo Vegio præmonente quæſitum inventumque eſt ſacroſanctum lignum. Sed poſt hanc inventionem non meminit amplius de pondere ejus aut magnitudine aut forma. Tantum dicit* ; Extatque nunc ipſum ſacratiſſimum lignum, ſervaturque à canonicis ſumma cum veneratione. *Si nunc etiam ſervatur, facile erit canonicis de pondere ejus certò cognoſcere, ac dijudicare, uter de illo veriora olim ſcripſerit, Anaſtaſius an Manlius.* E

utrum ibi pondo 10 *de ligno Crucis dominicæ.*

110 o S. Annæ, *ornatum à Mathia Paparonio baſilicæ canonico. Conveniebant eò ad exercenda officia ſua pietatis Parafrenarii, ut vocantur vulgo, Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium. Imaginem Sanctæ, hinc extractam, ſecum tranſtuliſſe etiam nomen altaris ad eccleſiæ frontiſpicium inter portas Argenteam & Romanam, diximus Sect.* A *litt.* u. F

S. Mariæ Virginis, 111 p *Pleraque ichnographiæ, Pauli de Angelis, Ciampini, Bonannii figunt hoc loco altare* B. Mariæ Virginis, *abſque alio nomine, quo à pluribus aliis ejuſdem Virginis diſtinguatur. Et Ciampinus quidem in explicatione ſua pag.* 60 *n.* 33, *ait :* Huic, *S. Joannis apoſtoli & euangeliſtæ altari*, in pariete ad Occidentem, præcipue à feminis Deipara colebatur ſuper altare, ornatu decorum & opibus, quarum copiam, in omnes beneficentiſſima Virgo comparaverat. *Sed quo titulo colebatur hîc Deipara à feminis præcipue ? Tacet Ciampinus, qui altare* S. Mariæ de Prægnantibus *collocaverat in littera noſtra* h *hujuſce Sectionis. Unum habeo Severanum, qui hoc loco, numero ſuo* 30, *qui eſt litt. noſtra* p, *collocat altare* B. Virginis, quod dicitur de Prægnantibus ; *& recte, ut mihi quidem videtur, ſecundum Diſſertatio-*

an de Prægnantibus?

A

tationem, quam ſub calcem hujuſce Sectionis dabo.

112 q S. Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ.

S. Joannis Ap. & S. Joannis Bapt.

r S. Joannis Baptiſtæ, *vulgo* ad Fontes. *Utrumque indicat Anaſtaſius his verbis in Symmacho:* Hic fecit oratoria duo S. Joannis Baptiſtæ & S. Joannis Euangeliſtæ, in quorum confeſſione arcus argenteos poſuit, penſantes libras XXX. *Prope ab altari S. Joannis Baptiſtæ aberat fons baptiſmalis, de quo loquitur Damaſus Papa, Carmine* 39, *& Prudentius libro* περὶ Στεφανῶν *Hymno* 12 *in medio. Eumdem fontem reſtauravit Leo III, uti narrat Anaſtaſius verbis ſequentibus:* Hic Pontifex, divinitus inſpiratus, baptiſterium conſpiciens, quia jam præ nimia vetuſtate ruinæ proximum erat, & quia anguſtior locus populo exiſtebat, qui ad baptiſmum veniebat; idem Præſul à fundamentis ipſum baptiſterium in rotundum ampla largitate conſtruens, in meliorem erexit ſtatum, atque ſacrum fontem in medio largiori ſpatio fundavit, & in circuitu columnis porphyreticis decoravit; & in medio fontis columnam poſuit, & ſuper columnam agnum ex argento puriſſimo, fundentem aquam, qui penſat libras XVIII & uncias X.

B

Trium Magorum.

113 s *Altare ſanctorum trium Magorum ac oratorium, fuit in angulo navis, qui reſpicit boream orientaliter; atque extitit, hiſtoriâ ipſorum Magorum inibi ſculptâ, ac* vetuſtate *ſua*, memorabile, *uti dicunt Ciampinus & Bonannius. Interim nihil alterutri de illo innotuerit è ſcriptoribus paulo vetuſtioribus: certe nullum citant.*

Mortuorum.

t *Altare* Mortuorum, *ſeu privilegiatum pro defunctis; quod teſte Ciampino, Gaius de Bartholinis locupletavit & ibidem familiæ ſuæ ſepulcrum elegit. Opinor ego, illud in demolitione poſterioris baſilicæ, tranſlatum inde fuiſſe ad frontiſpicium ac lævam Argenteæ portæ, ubi de illo locuti ſumus Sect. & litt.* A.

S. Luciæ V. M.

u S. Luciæ Virg. Mart. à B. Gregorio Papa *nobiliter hîc conſtructum & brachio ejuſdem Sanctæ ditatum fuit, auctore Petro Manlio pag.* 48, *cujus verba attulimus Sect.* A, *litt.* i. *Nullam de illo, quod ſciam, facit mentionem Anaſtaſius: ut dubitari poſſit, an inſcriptio hæc*, Altare S. Luciæ Virginis à Gregorio primo, *quam in veteri aliquo veſtigio baſilicæ inventam à ſe dicit Paulus de Angelis, huc ſpectet. Certe Gregorii Papæ primi tempore poſita inſcriptio non fuerit; quando neſciebatur, an Gregorius alter aut plures umquam Pontifices futuri eſſent. Nec moris tunc erat Pontificem quemvis ſui nominis* primum *appellare; niſi forte jam tum plures ejuſdem nominis extitiſſent. Manlius ſimpliciter dicit, altare* à B. Gregorio Papa conſecratum *fuiſſe; quod tamen ad Gregorium primum referri poteſt. Vide alia de ſitu hujus altaris poſt tranſlationem ejus, Sect.* A *litt.* i.

C

S. Antonii abbatis,

114 x S. Antonii Abbatis. *Extruxit illud nominis ſui Patrono* Antoniottus, *ita diminutive dictus*, de Pallavicinis, *apud Bonannium & alios. Fuit is S. R. Eccleſiæ Cardinalis, ibidemque, anno* MDVII *mortuus, primam habuit ſepulturam cum hac epigraphe:* Antoniottus Card. S. Praxedis, mortem præ oculis ſemper habens, vivens ſibi pos. anno MDI. *Utinam ſimilia agerent multi ac noviſſima præviderent!*

S. Bartholomæi ap.

y S. Bartholomæi Apoſtoli *altare hîc conſtituunt quotquot vidi ſcriptores, præter Bonannium, qui hîc locat altare de Oſſibus Apoſtolorum, de quo mox. Confirmat ſitum ejus jam tum ſeculo* XII *Petrus Manlius, pag.* 48 *n.* 113 *indicans, ſitum fuiſſe* poſt altare B. Paſtoris. Poſt *inquit, id eſt poſt*

tergum ejus. Terga enim illorum obvertebantur ſibi, interpoſito tantum muro ad latus ſeptemtrionale arcus triumphalis. An hoc in altari depoſitum conſervatumque tantiſper fuerit corpus S. Bartholomæi? quod conſtat, anno MDLVII, *dejectâ per inundationem Tiberis ejus eccleſiâ in inſula Lycaonia, in baſilicam Vaticanam tranſlatum & canonicis commiſſum, ibidem triennio quieviſſe, donec anno* MDLX *die* XXVII *Julii ad priſtinam eccleſiam ſuam, pulcrius ædificatam, relatum fuit; uti docent litteræ publicæ ea de re datæ apud Turrigium in Cryptis pag.* 545.

C. J.

SS. Petri & Pauli, ſive de Oſſibus Apoſtolorum,

115 z *Altare* SS. Petri & Pauli, *quod etiam* De Oſſibus Apoſtolorum *dictum, quia ibi poſitus fuit lapis quadratus porphyreticus, ſuper quo (uti fert antiqua traditio) diviſa fuerunt à S. Silveſtro ſacra oſſa Apoſtolorum Petri & Pauli, quando illa in utriuſque nova baſilica Conſtantiniana recondidit bipartita. Situm ejus deſignant, Petrus quidem Manlius pag.* 48, ante aditum, qui intrat Confeſſionem B. Petri; *Cæremoniale vero Gregorii X*, in exitu *ejuſdem* Confeſſionis, extra *illam; ut diximus Sect.* A *litt.* r. *Verba Manlii, quem ſuprà ſub nomine Romani Canonici citavimus Sect.* A, *hæc ſunt:* Ante aditum, qui intrat (*Romanus habet*, qui vadit ad) Confeſſionem B. Petri, eſt altare Apoſtolorum Petri & Pauli. *Quibus ſuperaddit idem Romanus iſta:* Ubi eorum oſſa pretioſa, ut dicitur, ponderata fuere. *Citata Sect.* A *litt.* r *num.* 71, *meminimus duarum ſcripturarum, ex archivo baſilicæ à Turrigio relatarum pag.* 234 *& ſeq. quibus Franciſcus cardinalis de Thebaldeſcis dicitur* ædificaſſe *aut potius, ut intelligendum ibi docuimus*, reſtauraſſe *hoc altare. Ipſas vero ſcripturas huc, tamquam ad locum magis proprium, rejecimus: &, quamvis totæ ad rem præſentem non ſpectent, lubet tamen totas, prout apud Turrigium leguntur, hic proferre; quia nonnulla in illis accurate & diſtincte narrantur, alibi non facile reperienda. Prima quidem ita habet:* Franciſcus de Tebaldeſcis Romanus, regionis Parionis; Jacobi de Stephaneſcis cardinalis S. Georgii ex ſorore nepos, ex Priore canonicorum S. Petri, S. R. Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, de S. Petro nuncupatus, titulo S. Sabinæ, ab Urbano V creatus, tenuit canonicatum annos XXXIV, ſcilicet ante aſſumptionem ſuam ad cardinalatum annos XXIV, & poſt aſſumptionem uſque ad obitum annos X &c. Sacellum, Oſſibus Apoſtolorum Principum dedicatum prope aram maximam, pulcherrimo ornatu, pecunia abs ſe teſtamento legata, ædificavit, in eoque lapidem porphyreticum, ſuper quem oſſa ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli à Silveſtro Papa diviſa fuerunt, magnificentius collocavit. *Indicant duæ voces ultimæ, lapidem, de quo agimus, antea illic extitiſſe, dum magnificentius à Cardinali collocatum eſſe dicunt, & confirmant, quod Sect.* A *litt.* r *ſuſtinuimus, non à Cardinali illo primitus ædificatum fuiſſe ſacellum, ſed reſtauratum.*

D

E

à Franc. de Thebaldeſcis innovatum.

116 *Nunc videſis alteram ſcripturam, extractam è libro membraneo, qui, inquit Turrigius*, vocatur Martyrologium aut liber Benefactorum, *ubi folio* 125 *ſic annotatur:* In nomine Domini, Amen. Anno nativitatis Domini MCCCLXXVIII, die vero VI menſis Septembris obiit bonæ mem. Reverendiſſimus Pater & Dominus, D. Franciſcus de Tebaldeſcis, titulo S. Sabinæ presbyter cardinalis, Prior & Concanonicus noſter, qui noſtram baſilicam multum dilexit. Nam juxta majus altare conſtrui & erigi fecit capellam ſuam

F

C. J. in qua requieſcit, quæ vocatur de Oſſibus Apoſtolorum: in qua inſtituit & ordinavit tres presbyteros clericos chori; ultra numerum viginti clericorum, inſtitutum per felicis recordationis Dominum Bonifacium Papam VIII; per quos voluit perpetuis temporibus omni die celebrari in dicto altari tres Miſſas pro anima ipſius Cardinalis, & Domini Theobaldi ejus fratris, concanonici noſtri, notarii Domini Papæ, & ſuorum. *Bonannius, quem altare hoc SS. Petri & Pauli, ſive de Oſſibus Apoſtolorum, collocare diximus, ad litt.* y; *huc transfert altare S. Bartholomæi, mutato inter ſe utriuſque ſitu; non recte, licet Alpharanum alleget teſtem: uti ex citatis antiquiorum ſcriptorum dictis conſtat, deſignantium altari de Oſſibus ſitum, majori altari & Confeſſioni proximum.*

DISSERTATIO INTERCALARIS

De ſitu ſacelli & altaris, S. Mariæ de Prægnantibus appellati.

B *Opinio Ciampini de ſitu hujus, altaris*

HUic *Diſſertationi occaſionem præbet Illuſtriſſimus D. Joannes Ciampinus, dum in* Synopſi hiſtorica, *ut vocat*, de ſacris ædificiis, à Conſtantino Magno conſtructis, *explicans ichnographiam ſuam baſilicæ veteris Vaticanæ, notat tria loca; ubi ſteterit ſacellum & altare* B. Mariæ de Prægnantibus. *Numero namque ſuo* 18 (*nobis Sect.* C *litt.* h) *ponit ſacellum Dei Genitricis*, cui peculiaria beneficia, prægnantibus feminis præſtita, S. Mariæ de Prægnantibus, nomen fecere: quod etiam denominatum fuit S. Mariæ Angelorum .... Erexit illud à fundamentis, & ornatu clariſſimo nobilitavit Joannes Cajetanus Urſinus S. R. E. Diaconus cardinalis S. Theodori. Deinde Jordanus, etiam Urſinus, epiſcopus Sabinenſis, S. R. E. cardinalis ac Vaticanæ hujus baſilicæ archipresbyter, prodigâ munificentiâ reſtituit dotavitque in majus. Idem altare in demolitione, facta à Julio II, tranſlatum fuit, ac poſitum in novo muro, ad navium capita erecto. *Huc uſque Ciampinus ibi. At num.* 43 (*nobis Sect.* A *litt.* f) *qui ſignat novum murum, ad navium capita erectum, ita ſcribit:* Ab adverſa parte novi parietis in mediana navi, in meridiem, organo opponebatur altare Virginis Mariæ de Prægnantibus, ut ſupra ſub num. 18; quod cum icone Dei Genitricis è ſacello S. Joannis ad Fontes huc tranſlatum fuit.

C

quod duobus locis ſimul non ſteterit.

118 *Habemus hic triplicem ſitum ejuſdem altaris, primum in cornu meridionali navis tranſverſæ Sect.* C *litt.* h, *ubi ſacellum B. Mariæ Prægnantium dicitur etiam vocatum fuiſſe* S. Mariæ Angelorum. *Alterum in ſacello S. Joannis ad Fontes, quod eſt in cornu ſeptemtrionali ejuſdem navis tranſverſæ, nobis litt.* r. *Tertium in pariete tranſverſario, quem Paulus III excitavit, Sect.* A *litt.* f. *Admitti quidem poſſet triplex iſte ſitus ejuſdem altaris, ſi poſſet oſtendi, ſucceſſive locis ſingulis illud ſtetiſſe. Verum Ciampinus dicit, tranſlatum fuiſſe ad parietem novum Pauli III è meridionali cornu tranſverſæ navis; atque iterum dicit, eódem tranſlatum fuiſſe è ſacello S. Joannis ad Fontes, quod eſt in cornu ſeptemtrionali, oppoſitum è diametro ſacello meridionali: tantumque inter ſe diſtant, quanta eſt navis ipſius longitudo; ac faciunt cum altari, quod adjacet parieti novo mediana navis, fere triangulum. Inter hæc dubia de ſitu altaris prædicti, illud indubitatum eſt, fieri non potuiſſe, ut idem altare duobus ſimul locis ſteterit, aut è duobus ſimul fuerit tranſlatum ad murum tranſverſarium in litt.* f, *ex oppoſito organi. Utro igitur loco ante ſteterit quam transferretur, examinandum eſt. Mea interim fert opinio (ut hoc claritatis cauſa præmittam) altare in loco* h, *fundatum quidem fuiſſe à Joanne Cajetano de Urſinis, diacono cardinali S. Theodori, ſed dedicatum* S. Mariæ in cælos Aſſumptæ, *atque etiam* Angelorum *fuiſſe dictum. Altare vero in loco* p; *antiquius fundatum à gente Urſina; ſeculo* XIV *à prædicto Joanne Cajetano, & ſeculo* XV *à Jordano, Urſinis, amplius fuiſſe dotatum & forte etiam innovatum, ſed nomen habuiſſe* S. Mariæ de Prægnantibus. *Utrumque poteſt in imaginibus ſuis poſtea ad murum tranſverſarium fuiſſe tranſlatum, & ibi hac de cauſa habuiſſe plura nomina*, S. Mariæ de Prægnantibus. S. Mariæ in cælos Aſſumptæ *ſeu* Aſſumptionis. *Item* Angelorum, *ab angelis tabulæ appictis, qui Virginem elevabant, uti myſterium illud ping- conſuevit.*

D

S. Mariæ prægnantium, antiquum familiæ Urſinæ,

E

119 *Conſtat, altare S. Mariæ Prægnantium ab Urſinis olim excitatum ornatumque fuiſſe: quemadmodum clare cognoſcitur ex prima duarum, quæ ſequuntur, Inſcriptionum, appoſitarum certis quibuſdam pietatis antiquæ monumentis, quæ Paulus V in demolitione partis baſilicæ anterioris conſervata volens, inferri in Cryptas juſſit. Inſcriptiones inde profert Turrigius; & primam quidem pag.* 91 *his verbis:* Hæc ſacra Deiparæ Virginis imago erat in antiquiſſimo ſacello, S. Mariæ Prægnantium nuncupato, dudum ab illuſtriſſima gente Urſinorum ſumptuoſe erecto, & aliquot poſt ſecula à Jordano Urſino cardinali Sabinenſi, majore Pœnitentiario, hujus baſilicæ archipresbytero anno MCCCCXXXIV magnifice dotato, è veteris templi ruinis ſervata, ſupra hanc aram (*in ipſis cryptis illa extat*) piæ venerationi exponitur anno Domini MDCXVI, Paulo V Pontifice Maximo. *Alteram vero ſic proponit pag.* 60: Chriſti Salvatoris imago marmorea, extans olim ad altare beatæ Virginis in cælum Aſſumptæ, erectum à cardinali Joanne Cajetano Urſino, Bonifacii VIII nepote. *Idem altare Turrigius ibidem dicit*, S. Mariæ Angelorum *vocitatum fuiſſe in antiqua baſilica. Opinor, quia tabula illic picta repræſentabat multitudinem Angelorum, ſuccollantium & ſublevantium Deiparam in cælum: unde vulgo, Angelorum altare dictum ſit, quod revera erat Aſſumptionis B. Mariæ in cælum.*

F

minus antiquum eſt altare B. Mariæ in cælos Aſſumptæ,

120 *Habemus hinc, quod dixi, excitatum olim fuiſſe, ab Urſinorum gente ſacellum S. Mariæ Prægnantium, & quidem* antiquiſſimum; *idque deinde*, poſt aliquot ſecula, *à Jordano Urſino anno* MCCCCXXXIV *fuiſſe dotatum. Habemus item, excitatum fuiſſe, à Joanne Cajetano Urſino, Bonifacii VIII nepote, altare B. Mariæ Virginis in cælum Aſſumptæ. Quæ utique ſacellum & altare diverſa ſunt & locis diverſis poſita fuerunt, ut colligi poteſt ex appellationibus, & fundatoribus, & fundationis temporibus diverſis. Primum quippe initio ſeculi* XV *à Jordano Urſino opulentius dotatum*, aliquot ante ſecula *excitatum fuerat: ſecundum vero vix* uno ante ſeculo *initium habuit à Joanne Cajetano Urſino. Opinor ego; ambo ſtetiſſe olim in navi tranſverſa, alterum ad murum ejus meridionalem, nobis litt.* h: *alterum in ala ſeptemtrionali ad murum, qui reſpicit occidentem, prope ſacellum S. Joannis in Fonte, nobis litt.* p: *& priori quidem loco ſtetiſſe altare B. Mariæ in cælos Aſſumptæ; poſteriori vero, B. Mariæ Prægnantium.*

quod fundavit ſect. 14 *Joannes Cajetanus Urſinus*

121 *Opi-*

A *Altare Prægnantium ſtetiſſe Sect C litt* p *oſtenditur ratione,*

121 *Opinationem meam, quatenus reſpicit altare Prægnantium, prius firmo hocce ratiocinio. Fuit altare iſtud, uti modo legimus, antiquiſſimum; atque, uti videre licet in tabula ichnographica, litt.* p, *ſtetit loco perquam apto ac libero: alterum vero eſt minus antiquum, & in loco minus apto, & quaſi intruſum in angulum, quem format aliud ſacellum cum muro ipſius baſilicæ. Sic igitur ſtatuo. Antiquiſſimis temporibus minus frequentia fuere altaria; atque ideo, novum exædificare volentes habuiſſe majorem copiam deligendi locum aptum; quam habuerint poſterioribus ſeculis, quando identidem altaria nova, veteribus addita, baſilicam paulatim ſic implevere, ut tandem locum amplius non eſſet invenire altari novo, quam in angulis ſacellorum prius extructorum. Jam vero ſacellum, litt.* p *indicatum, commodo loco & ordine, ſoli parieti uni applicatum, cetera circumcirca liberum, conſpicitur: non item ſacellum* h; *quod intruſum eſt, ut diximus, in angulum, extra ordinem, inter ſacellum S. Mariæ de Cancellis & portam, quæ ducit ad S. Andreæ: atque adeo illud prius extructum fuerit, quam hoc, & jure antiquitatis ſuæ ſibi vindicabit appellationem S. Mariæ Prægnantium.*

B *& auctoritate, etiam Ciampini, rectè explicati;*

122 *Auctoritas quoque ſcriptorum pro eadem militat opinione. Severanus enim qui primus, ut puto, ichnographiam baſilicæ veteris cum ſuis altaribus, ex delineatione Alpharani, in publicam lucem extulit anno* MDCXXX, *eodem loco* p *ſtatuit altare B. Mariæ Prægnantium: & poſt illum Paulus de Angelis, qui Deſcriptioni baſilicæ veteris, à ſe anno* MDCXLV *editæ, inſeruit eamdem fere ichnographiam paucis mutatis, ponit ibidem loci* altare B Mariæ virginis. *Non addit quidem* Prægnantium; *ſubintelligi tamen hîc id poteſt ac debet, quia nec loco* h, *uti mox videbimus, nec ullo alio illud Prægnantium habet. Sequitur Paulum totidem verbis in ſua ichnographia Oldoinus, anno* MDCLXXVII, *& Carolus Fontana, annis* XVII *poſt, impreſſi. Ciampinus (qui primus, quod ſciam, loco* h *conſtituit ſacellum* B. Mariæ de Prægnantibus, *à fundamentis erectum, ut ait,* à Joanne Cajetano Urſino S. R. E. Diacono cardinali S. Theodori) *altare* p *ſic deſcribit, ut merito ſuſpiceris, ipſummet Prægnantium eſſe: quandoquidem fateatur, & B. Mariæ ſacratum, & à feminis præcipue frequentatum, & plurimis donis locupletatum fuiſſe. Verba ejus hæc ſunt:* In pariete ad occidentem, proximè altari S. Ioannis Euangeliſtæ, præcipue à feminis Deipara colebatur ſuper altare, ornatu decorum & opibus; quarum copiam, in omnes beneficentiſſima Virgo, comparaverat. *Quæ verba Ciampini talia ſunt, ut accommodatius explicari poſſint de altari B. Mariæ Prægnantium, quam citata verba Pauli de Angelis: & vero debebunt de illo explicari, dummodo oſtendatur, ipſum loco* h *non ſtetiſſe. Id autem ſic oſtendo.*

C *qui tamen expreſſius, (at perperam) illud ponit litt* h,

123 *Primus omnium, ut dixi, ponit Ciampinus altare B. Mariæ Prægnantium loco* h, *nullum citans teſtem. Sequacem hîc tamen habet Bonannium, qui & citat Severanum de ſeptem Eccleſiis. Verum citatus Severanus contra Ciampinum & Bonannium facit, tam in libro de ſeptem Eccleſiis, quam in ichnographia, libro præfixa. Nam in ichnographia quidem, non litt. noſtra* h, *ſed* p, *collocat* altare B. Virginis, dictum de Prægnantibus. *In libro vero ipſo, pag. 79, tam clare ac diſtincte, quam quis poſſit, locum ejus deſcribit. Poſteaquam enim locutus fuerat de oratorio S. Joannis Baptiſtæ in Fonte, nobis litt.* r; *in extrema parte navis transverſæ ad ſeptemtrionem, procedit ad altare S. Joannis Euangeliſtæ, quod applicatur occidentaliter eidem parieti ſeptemtrionali litt.* q: *atque inde deflectens ad parietem occidentalem, primo ſtatim loco aſſignat altare S. Mariæ, dictum* de Prægnantibus, *& quidem ex cap. 4 Alpharani, quod citat, ſcribens in hunc ſenſum italice:* Ad alterum murum ejuſdem tranſverſæ navis, qui reſpicit occidentem, occurrebat poſt altare S. Joannis Euangeliſtæ (*erat illud, ut diximus, appoſitum muro ſeptemtrionali, ultimo verſus occidentem loco*) altare aliud ſanctiſſimæ Dei Genitricis; frequentabaturque multa cum pietate, præſertim à feminis uterum ferentibus: ac propterea appellabatur de Prægnantibus. *Nihil igitur præſidii affert citatus à prædictis ſcriptoribus Severanus, pro adſtruendo altari Prægnantium litt.* h, *cum ei toto templo diverſum aſſignet locum.*

C. J.

ubi poni debet altare B. Mariæ in cælos Aſſumptæ;

124 *Præterea altare* h *fundatum dicit Ciampinus æque ac Bonannius, à Joanne Cajetano Urſino cardinali, qui vixit ſeculo* XIV: *altare autem beatæ Mariæ Prægnantium longe antiquius fuit, uti ſupra vidimus in allatis Inſcriptionibus; & alios, licet ejuſdem familiæ Urſinæ, fundatores habuit; ut nullo modo illic poſſit poſitum fuiſſe. Fundavit quidem citatus Joannes Cajetanus, altare B. Mariæ, ſed conſtat ex iiſdem Inſcriptionibus, illud fuiſſe B. Mariæ in cælos Aſſumptæ. Ex his ego ita diſcurro. Ciampinus loco* h *conſtituit altare, fundatum à Joanne Cajetano Urſino, & vocat, B. Mariæ Prægnantium; quale nec fundatum ab Urſino illo fuit, nec illo ſtetit loco. Conſtat autem aliunde, Urſinum eumdem fundaſſe alicubi altare ſub invocatione B. Mariæ in cælos Aſſumptæ, quod ubi locorum fuerit, non ſatis certum eſt. At vero cum Ciampinus aſſerat, ſteriſſe loco* h *altare aliquod, à prædicto Urſino fundatum; illud utique fuerit B. Mariæ in cælos Aſſumptæ; tum quia neſcitur Joannes Cajetanus Urſinus aliud altare fundaſſe; tum quia ſcriptores alii, Paulus de Angelis, Oldoinus, & Fontana, altare loco* h *poſitum appellant etiam ipſi,* S. Mariæ; & à Joanne Cajetano de Urſinis cardinali *fundatum dicunt. Appellant, inquam, altare illud* S. Mariæ; *cumque addunt, à Joanne Cajetano fundatum eſſe, aliud concipi hîc non poteſt altare, quam B. Mariæ in cælos Aſſumptæ, quod unicum ſcitur ab illo Joanne Cajetano fundatum fuiſſe.*

E

F *& magis perperam ipſum ponit in ſacello S. Joannis ad Fontes.*

125 *Redeo ad Ciampinum ejuſque primum contextum, initio hujus Diſſertationis propoſitum; in quo, quia diverſi fundatores ejuſdem Familiæ Urſinæ, qui duo diverſa altaria B. Mariæ, alterum in cælos Aſſumptæ, alterum Prægnantium, excitarunt, referuntur ad unum tantum B. Mariæ Prægnantium altare; non levis ſuboritur difficultas, quam hactenus explicare conati ſumus. Illa tamen non parum adjugetur è contextu ejuſdem Ciampini ſecundo; ubi prædictum altare Prægnantium tranſlatum ſcribit, non è num.* 18, *nobis Sect.* C *litt.* h, *quod in contextu primo ſcripſerat; neque è litt.* p *ejuſdem Sectionis, unde revera tranſlatum fuiſſe docuimus; ſed è* ſacello S. Joannis ad Fontes: *quod dum ſcribit, iterum Lectorem in bivium ducit. Duobus quippe in locis, quæ à præmiſſis duobus* h & p *diverſa ſunt, meminit ſacelli S. Joannis ad Fontes, videlicet numero ſuo* 28 & 30, *nobis litt.* t & r, *in ala ſeptemtrionali navis tranſverſæ: nec tamen docet, utro ex loco tranſportatum altare Prægnantium ſit. Sed nec facile ei fuiſſet hîc vera docere: quandoquidem in præmiſſis jam oſtendimus, alio ab hiſce duobus loco altare illud ſtetiſſe: & Ciampinus ipſe, ubi de locis illis* t & r *ex profeſſo*

C. J. *feſſo tractat, neutri adſcribit iſtiuſmodi altare Prægnantium. Dicit enim num. ſuo* 28, *nobis litt.* t, *quod ibi* viſebatur olim oratorium S. Joannis ad Fontes cum baptiſterio, quod hujus tranſverſæ crucis angulo dederat nomen; *ubi alii præter altare* Mortuorum, *nullum agnoſcunt. Numero autem* 30, *nobis litt.* r, *ait, quod ibi valde pulcra* moles attollebatur cum vetuſtiſſimo altari, S. Joannis ad Fontes, vulgo appellato; *excitato* à Symmacho *Papa, & reſtituto a* duobus cardinalibus Urſinis: *quod omnes ibi admittunt ſcriptores, nullo admittente ibidem altare Prægnantium. Error Ciampini promanaſſe poteſt ex eo, quod memoria retinens, ut alibi ſcripſerat, duos familiæ Urſinæ Cardinales extruxiſſe reſtituiſſeque altare B. Mariæ Prægnantium; & hic reperiens duos ejuſdem familiæ Cardinales, qui hocce loco altare aliquod reſtituerunt; exiſtimaverit, minus ad rem attentus, ab his altare Prægnantium hocce loco reſtitutum fuiſſe.*

Quæ poſſit errandi cauſa fuiſſe.

126 *Poteſt etiam ipſi cauſam errandi dediſſe alia ſcriptura, quam apud Turrigium legerit pag.* 161, *extractam è Ms. membraneo archivi baſilicæ, in qua dicitur Joannes Cajetanus de Urſinis requieſcere* apud ſuam capellam S. Mariæ Prægnantium. *Sciens enim aliunde Ciampinus, Joannem illum Cajetanum excitaſſe ſacellum* h; *& apud Turrigium legens, capellam S. Mariæ Prægnantium ſuam ejuſdem eſſe, in eaque ipſum ſepulturam habuiſſe; nihil pronius illi fuerit, quam exiſtimare, capellam Prægnantium conſtitiſſe loco* h. *Quod abeſſe a vero, ſatis ſuperque dictum eſt. Dicatur itaque capella Prægnantium eſſe etiam ſua Joannis Cajetani de Urſinis, quia antiquiſſima erat familiæ ejus Urſinorum, & ipſe eamdem centum ante Jordanem Urſinum annis etiam ornaſſe dotaſſeque legitur; ac propterea voluerit illic apud alios majorum ſuorum condi. Non tamen dici propterea poteſt, ſacellum hoc B. Mariæ Prægnantium ſtetiſſe loco* h, *aut idem eſſe cum illo, quod ibi excitaſſe Joannem Cajetanum memoravimus. Scriptura de qua agimus, ſic legitur apud Turrigium pag. citata* 161: Tertia Kal. Septemb. anno Domini MCCCXXXIV, Indictione III, menſe Auguſto obiit reverendiſſimus pater Joannes Gayetanus de domo Urſinorum, S. Theodori Diaconus cardinalis, concanonicus noſter, cujus corpus requieſcit apud ſuam cappellam S. Mariæ Prægnantium, ſitam in noſtra baſilica; qui in vita ſua donavit noſtræ baſilicæ pro redemptione animarum patris, matris, fratrum, nepotis & ſua, terras vinearum Suvereti & totum tenimentum ipſius; de quibus per Cameram quolibet die octo Miſſæ dicantur, ſcilicet quatuor in altari S. Blaſii & quatuor in altari S. Mariæ Prægnantium.

B

C

Conditor altaris h, *ſepultus in* p,

uti plures familiæ Urſinæ,

127 *De hoc altari legitur ibidem ſcriptura alia, ex eodem archivo deprompta, quæ indicat, plures ibi cardinales Urſinorum ſepultos fuiſſe; ut videri poſſit commune illic familia conditorium habuiſſe. Verba ſcripturæ ſunt:* Altare cum ſacello nobiliſſimo ſub Julio II dejectum, à familia Urſinorum optime dotatum; in quo ſepulti erant cardinales de Urſinis, Jordanus & alii; & erat magnæ venerationis propter mulieres prægnantes. *Operæ pretium fuerit his etiam ſubnectere, quæ pagina antecedenti habet idem Turrigius cum recentiore alia inſcriptione in hunc ſenſum: Cernitur in cryptis altare, in eoque imago antiqua, perquam devota, S. Mariæ Prægnantium, quæ pridem colebatur in nobili ara antiquæ baſilicæ,* ornata ac dotata à cardinalibus Joanne (*nota* Joannem *quoque dotaſſe aram iſtam*) & Jordano Urſinis: quæ imago ſemper fuit magna in veneratione matronis uterum ferentibus, & tempore Pauli III tranſportata fuit è primævo ſitu ſuo ad aliud altare prope altare Crucifixi, appellabaturque S. Mariæ Angelorum. *Deinde ſub Paulo V fuit depoſita in Cryptis, ubi in marmore legitur inſcriptio,* quæ cum deperdita eſſet, à me (*Turrigio*) reperta & me urgente muro infixa fuit die x Februarii MDCXXXI; *eſtque hæc:* Imago Deiparæ Prægnantium, è ruinis ſacelli Jordani Card. Urſini, hujus baſilicæ Archipresbyteri, olim ſervata, piæ venerationi in hoc altari expoſita anno MDCXII. *Jordani Urſini ſacellum hoc, certò fuit in loco* p, *ex cujus ruinis* imago Deiparæ Prægnantium, *quæ ibi* olim ſervabatur, *alìò tranſlata fuit. Ergo ibi erat olim altare Deiparæ Prægnantium, ubi imago erat. Interea ex duabus præmiſſis inſcriptionibus duo iterum naſcuntur dubia. Alterum, quo jure Turrigius imaginem B. Mariæ Prægnantium hic vocet B. Mariæ Angelorum; cum pag. ſua* 60 *ſcripſerit, quod altare B. Mariæ in cælum Aſſumptæ, de quo ibi agitur; etiam B. Mariæ Angelorum habuerit nomen. Opinari mihi liceat, è ſacello S. Mariæ Prægnantium litt.* p *imaginem unam, & è ſacello S. Mariæ in cælos Aſſumptæ litt.* h (*quod & S. Mariæ Angelorum*) *alteram allatas fuiſſe ad idem altare, muro tranſverſario appoſitum: atque hinc eidem altari trina illa adhæſiſſe nomina. Certe id innuit Turrigius, dum altare S. Mariæ Angelorum cum utroque altero unum facit. Porro, quia tunc tria illa nomina uni conveniebant altari, factum videtur, ut, qui poſtea ſcripſerunt, putaverint, etiam ante tranſlationem unum tantummodo fuiſſe; aut certe confundunt duo altaria inter ſe.*

D

ibique vere fuit altare Prægnantium.

E

Dubia circa inſcriptiones à Turrigio productas,

128 *Alterum dubium eſt, quo conſilio Turrigius duas Inſcriptiones, fere ſimiles, de imagine eâdem S. Mariæ Prægnantium producat è Cryptis, alteram pag.* 91, *alteram pag.* 160. *Nos primam inde deſcriptam retulimus hac ipſa Diſſertatione num.* 119; *ſecundam num.* 127. *Hæc brevior eſt & tota continetur in prima, niſi quod in marmor inciſa notetur,* anno MDCXII; *cum illa quadriennio poſt, anno videlicet* MDCXVI *ſit poſita, indicans ibi etiam majorem antiquitatem dicti altaris, quam fuit ætas Jordani Urſini; quæ in breviori deſiderabantur. De hac breviori gloriatur Turrigius pag.* 160, *illam à ſe poſt annos fere viginti repertam & muro affigi curatam anno* MDCXXXI. *Verum quid opus erat hac inſcriptione, aut cur parieti affixa tandem fuit anno* MDCXXXI; *cum totidem verbis jam legebatur in alia ampliore, quam ipſe Turrigius pag.* 90 *fatetur, anno* MDCXVI *poſitam fuiſſe, & quidem prope novum altare, quod eodem anno in Cryptis excitatum, eique imago S. Mariæ Prægnantium impoſita fuit? Opinari liceat mihi Inſcriptionem illam breviorem, anno* MDCXII *ſculptam, tunc aut minus aptam fuiſſe viſam, ideoque ſepoſitam; aut cum ſola imagine alicubi collocatam fuiſſe uſque ad annum* MDCXVI; *quando novo altari perfecto, ei cum imagine S. Mariæ Prægnantium novam quoque & ampliorem appoſuerint inſcriptionem; rejectâ in angulum aliquem aut inter rudera inſcriptione breviore: quam poſt annos multos forte repererit Turrigius, & tamquam antiquitatis dignum ſervari monumentum, parieti, neſcio ubi, infigendam curaverit, immemor inſcriptionis alterius longioris pridem poſitæ loco ſuo. Certe præ oculis habuerit breviorem Inſcriptionem ille, qui prolixiorem poſuit, cum in hac apices fere omnes, qui in illa legebantur & leguntur, expreſſerit, præter*

F

A ter annum, *quem neceſſario mutare debuit, exprimendo illum, quo altari novo impoſita imago fuit.*

aberratio ejuſdem.

129 *Pergit loco citato, id eſt pag.* 91, *Turrigius, ac primo deſcribit ipſam imaginem S. Mariæ Prægnantium, inquiens, piam Matrem ibi tenêre filiolum ſuum pedibus inſiſtentem. Deinde ait, antiquitus illam ſtetiſſe in altari*, quod fecit Joannes Urſinus cardinalis, nepos Bonifacii VIII, epiſcopus Sabinenſis & Archipresbyter hujus baſilicæ Vaticanæ, anno MCCCXXXIV & liberaliter dotavit. *Sed in his aberrat Turrigius ab Inſcriptione, quam ex ipſo produximus ſuprà num.* 119, *confunditque Joannem Urſinum, Bonifacii VIII nepotem, Diaconum cardinalem S. Theodori, & Jordanum Urſinum cardinalem, epiſcopum Sabinenſem. Ille ſeculo integro vixit ante hunc. Ille fundavit ſacellum B. Mariæ in cælos Aſſumptæ, quod & Angelorum, litt. noſtra* h; *idemque etiam dotavit magis, ſacellum, à gente Urſina olim fundatum, B. Mariæ Prægnantium litt.* p; *hic vero, ſeu Jordanus Urſinus cardinalis epiſcopus, idem ſacellum Prægnantium ſeculo uno poſt, iterum dotavit anno* MCCCCXXXIV. *Neuter illorum fundavit ſacellum S. Mariæ de Prægnantibus litt.* p; *quod jam olim fundaverat familia Urſina: ipſi vero ambo ſuis temporibus fundationem ſeu dotem auxerunt.*

B

Concluſio.

Concludam igitur, altare, quod ad murum tranſverſarium ſub Paulo Papa III tranſlatum fuit, & nobis Sect. A *litt.* f *locum obtinuit; eò allatum, ſaltem in imaginibus ſuis, è Sect. noſtra* C *litt.* h, *quod à Joanne Cajetano fundatum fuit; & S. Mariam in cælos Aſſumptam, atque etiam Angelos, ipſam ſurſum elevantes, repræſentabat; inde utroque nomine* Aſſumptionis & Angelorum *fuiſſe denominatum: ab altero autem (B. Mariæ de Prægnantibus, quod gens Urſina olim fundaverat Sect. noſtra* C *litt.* p; *& prædictus Joannes Cajetanus amplius dotaverat) altari, ad murum tranſverſarium tranſlato, etiam denominationem obtinuiſſe* B. Mariæ de Prægnantibus.

DISSERTATIO INTERCALARIS ALTERA.

C

De epitaphiis Adriani Papæ primi, & an ipſum, quod Caroli Magni nomine circumfertur ab ipſo Carolo vere compoſitum fuerit.

Epitaphium, Adriano Papæ primo

Derivatur hæc Diſſertatio ex oratorio S. Adriani, de quo hac ipſa Sect. C *litt.* k, *occaſione monumenti ſepulcralis, inſculptique in illo Epitaphii S. Adriani Papæ I; quod ei magnum imperatorem Carolum, nondum tamen tunc imperatorem, tamquam amantiſſimo ſui Pontifici, atque ab ipſo viciſſim plurimum dilecto, compoſuiſſe creditum fuit hactenus ab eruditis æque ac à vulgo. Epitaphii partem, ſed tantum priorem, legere eſt apud Manlium ſuprà pag.* 40: *totum deſcripſit Vegius pag.* 81, *ex marmore Numidico, quod ſuo tempore adhuc ſupererat in oratorio S. Adriani, ſic præfatus:* Oratorium illud nunc prorſus evanuit, cujus nec apparet aliud, niſi tantum affixum lateri baſilicæ inſigne quoddam marmor quadratum cum inſculptis ei verſibus, qui oſtendunt, ipſum ibi curante Carolo Magno ſepultum eſſe. Quem & adeo ille dilexit veneratuſque eſt, ut mortem ejus magnis cum lacrymis proſecutus fuerit; cum neminem tamen filiorum ſuorum umquam mortuum (quod præclarum de ipſo traditum eſt) fleverit. *De eodem marmore ſcribit Severanus, ſua ipſum ætate conſervatum fuiſſe in porticu baſilicæ S. Petri, atque ut Baronius habet,* hodie extat pro foribus ejuſdem baſilicæ, his verſibus ſcriptum; Hic Pater Eccleſiæ &c.

C. J.

à Carolo Magno poſitum in baſilica Vaticana,

131 *Iidem verſus leguntur quoque inter poëmata Alcuini, cum reliquis ejus operibus edita Pariſiis anno* MDCXVII *ab Andrea Quercetano; ſed bipartiti, ſic ut prima tredecim diſticha ibi faciant capitulum* CCXVII; *reliqua verò ſex, capitulum ſequens.* Sed audire jam præſtat verſus ipſos (*loquor verbis Vegii citati*) quos marmori inſculptos, Adriano Pontifici Carolus Magnus dedicavit: quos & propter Pontificis ac Imperatoris magis, quam carminis majeſtatem hîc addidimus. *Sed & propter antiquitatem quoque & probitatem ipſius monumenti, nos hîc eoſdem addamus, ut certius de auctore ejus cognoſci poſſit.*

à Maphæo Vegio deſcriptum.

Hic Pater Eccleſiæ, Romæ decus, inclitus auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita, Deus; pietas, lex; gloria Chriſtus;
Paſtor apoſtolicus, promptus ad omne bonum.
Nobilis ex magna genitus jam gente parentum;
Sed ſacris longe nobilior meritis.
Exornare ſtudens devoto pectore Paſtor
Semper ubique ſuo templa ſacrata Deo.
Eccleſias donis, populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus,
Et pro plebe ſacris pervigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris, erexerat arces,
Urbs, caput orbis, honos, inclita Roma, tuas.
Mors cui nil nocuit, Chriſti quæ morte peremPta eſt:
Janua ſed vitæ mox melioris erat.
Poſt Patrem Carolus lacrymans hæc carmina ſcripſi;
Tu mihi dulcis amor, te modo plango, Pater.
Tu memor eſto mei, ſequitur te mens mea ſemper;
Cum Chriſto teneas regna beata poli.
Te clerus, populus, magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, maxime Præſul, eras.
Nomina jungo ſimul titulis, cariſſime, noſtra;
Adrianus, Carolus; Rex ego, tuque Pater.
Quiſque legas verſus, devoto pectore ſupplex,
Amborum mitis, dic, miſerere Deus.
Hæc tua, nunc teneat requies gratiſſima, membra;
Cum Sanctis anima gaudeat alma Dei.
Ultima quippe tuas donec tuba clamet in aures;
Principe cum Petro ſurge, videre Deum.
Auditurus eris vocem ſcio Judicis almam;
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tunc memor eſto tui nati, Pater optime, poſco:
Cum Patre, dic, natus pergat & iſte meus.
O pete regna, Pater felix, cæleſtia Chriſti;
Inde tuum precibus auxiliare gregem.
Dum ſol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab axe,
Laus tua, ſancte Pater, ſemper in orbe manet.

E

F

An Carolus vere auctor epitaphii.

132 *Subſcribitur inſculptum in eodem marmore,* Sedit beatæ mem. Hadrianus Papæ annos XXIII M. X. D. XVII. Obiit VII Kal. Jan. *Hæc ex marmore ipſe, ita a ſe deſcripta ſub medium ſeculi* XV, *protulit Maphæus Vegius: qui quidem non clare dicit, Carolum epitaphii auctorem eſſe, ſed* ipſum

C. J. dedicasse *Adriano. Clarius auctorem indicant Onuphrius Panvinius, ad suum Platinam notans, epitaphium à* Carolo editum *fuisse: & Baronius, de Carolo loquens, quod* regio ipsemet epitaphio *Adriani sepulcrum* decoravit *: Pagius vocat Carolum* epitaphii conditorem *: Ciampinus ait, à Carolo* amplæ tabulæ inciſum; *& in Indice libri sui*, à Carolo Magno compoſitum *fuisse. Eadem vox* compoſitum, *Lambecio & aliis passim communis est; nec temere assumpta videri potest, tum quia ipse Carolus in epitaphio loquitur in prima persona, tum quia se auctorem ipse prodit, clarissimis verbis dicens*, Carolus lacrymans hæc carmina ſcripſi. *Fateor hæc talia esse, ut suadere possint, Carolum Magnum revera & auctorem & conditorem & compositorem epitaphii per se fuisse. Interea antequam ego plenius declarem me aliter sentire super auctore hujus epitaphii; debeo aliud, quod Theodulfus, episcopus Aurelianensis, Carolo item coævus & carus, eidem Adriano condidit; huc etiam afferre, tum ad conservandam majori in splendore memoriam Adriani, tum etiam ad magis inde probandam opinionem meam, quam dixi. Extat ipsum, à Sirmundo nostro inter alia Theodulfi opera tom. 3, pag. 189 editum, ut sequitur.*

B 133 Aurea funereum complectit littera carmen,
Epitaphium aliud Adriani, Verba tonant fulvus, & lacrymoſa, color:
Promere quæ Carolum compellit amorque dolorque
Me tuus, Adriane Præſul amate nimis.
Pontificum ſpecimen, lux plebis, norma ſalutis,
Vir pie, vir ſapiens, vir venerande ſatis:
Mente nitens, formâque decens, ſenſuque renidens,
Inclito amore vigens, ſpeque fideque cluens.
Tu decus Eccleſiæ, fax ſplendens Urbis & orbis:
Carior, egregie, tu mihi luce, Pater;
Quem cum dira dies, non exhibitura ſequentem,
Eripuit vivis, res patuitque mihi;
Protinus agnovi veteris veſtigia luctus,
Morſque parentum oculis eſt revocata meis.
Tædia Pippini ſenſi venientia morte;
Bertradamque dolor (prô dolor!) iſte refert.
Cumque tui aſpectus, ſanctiſſime Papa, recordor;
Corque oculoſque meos nil niſi luctus habet.
Munera grata tibi incolumi mittenda parabam;
C Triſtia nunc mœſto pectore dona paro,
Marmora pro tunicis; proque auro flebile carmen,
Quæ gerat urna capax jam tua parva domus:
compoſitum à Theodulfo ep. Aurelianenſi. Quam quis ab occaſu properans, vel quiſquis ab ortu
Conſpicis; hîc munus, quod venereris, habes.
Sexus uterque, ſenex, juvenis, puer, advena, civis;
Quiſquis es, Adriano, dic, ſit amœna quies.
Præſulis iſtius ſemper tu, Roma, memento,
Qui tibi tutor opum, murus & arma fuit.
Tu quoque ſucceſſor reſidens in ſede ſacrata,
Sis memor, oro, hujus; ſit Deus ipſe tui.
Huic prece, grata quies detur Paulique Petrique,
Hunc quoque cælicolûm cuncta caterva juvet.
Huic lucem concede piam, concede quietam,
Rex Deus; atque operis tu miſerere tui.
En eſt, quod fuerat, pulvis de pulvere ſumptus,
Sed putres cineres tu reparare vales.
Credo quod hic pulvis tranſacta morte reſurget, D
Nec jam poſt tumulum ſic moriturus erit.
Hos apices quicumque legis; te noſce futurum
Hoc, quod hic eſt; omnis hoc caro pergit iter.
Inde tuam mentem venturis caſibus aptans,
Oratu & precibus ſis memor hujus; ave.

Epitaphium primum compoſuit, 134 *Dicam nunc ego quod ſentio, primum epitaphium Adriani, Carolo Magno communiter attributum, Carolum ipſum auctorem non habuiſſe, tametſi in illo dicat*; Carolus hæc carmina ſcripſi. *Si namque inde talis ſequela debeat deduci; æque debet Carolus cenſeri auctor epitaphii ſecundi, quod nemo hactenus putavit. Eodem quippe modo loquitur Carolus utrobique in prima perſona, & in priori quidem epitaphio*, Carolus lacrymans *non Carolus rex,* hæc carmina ſcripſi: *in poſteriori vero*; me Carolum promere *hæc verba* compellit amor dolorque tuus, Adriane. *Nulla igitur ſequela eſt, quod qui in poëmate aliquo loquitur ſuo nomine & in prima perſona, idem quoque auctor poëmatis ſit. Solent ita frequenter ſua fingere poëtæ alieno nomine, atque etiam oratores in Proſopopœiis. Ex hoc igitur capite, quod videbatur præcipuum eſſe, concludi non poteſt, Carolum primi epitaphii auctorem* E
esse, quod vulgo volunt; quin etiam sit secundi, sed Alcuinus abbas; *quod non volunt. Quis igitur auctor? Secundi jam dixi Theodulfum episcopum Aurelianensem. Primi agnosco Flaccum Albinum Alcuinum. Uterque in æstimatione ac familiaritate erant Carolo; cujus jussu aut desiderio uterque composuerint epitaphium Adriano defuncto, intimo Caroli amico; in consolationem Caroli majorem, ipsum facientes loquentem; mœstitiamque suam & amorem in Adrianum exquisitis verbis exprimentem.*

qui & mortuum facit loquentem in alio epitaphio suo. 135 *Idem Alcuinus inter Poëmata sua num.* CCLXII *habet etiam epitaphium cujusdam Pauli, ad S. Martinum Turonibus, & forte sub ipso Alcuino Abbate, Monachi. Ibi inter alia sic legitur....*
Et cum perveneris ad hæc mea carmina, quæſo;
Dic ſupplex, Paulo jam miſerere Deus.
Et Martine, decus mundi, Pater optime noſter,
Auxiliare piis, te precor, & precibus:
Cujus eram vivus ſemper devotus amore,
Inque Deo Chriſto ſpes mihi ſacra fuit.
Paulus eram dictus, Martini famulus almi,
Tranſcurri modicum tempus in orbe meum. F
Fraternis fueram manibus mox conditus iſtâ,
Quæ mihi perpetua eſt & domus & requies...
Inducitur hîc Paulus, & quidem mortuus ac ſepultus, loqui de ſe ſuiſque rebus in prima perſona; cum tamen ipſe carmen facere poſt mortem non potuerit: & conſtat vel ex ſolo ſtylo, Alcuini eſſe; Unde nulli mirum videri debet, quod ab eodem Carolus, qui adhuc vivebat, inductus ſit loqui cum Adriano mortuo, in ſua ipſius perſona. Ita placuit Poëtæ.

Caroli ſcripta propria non numeraſſet Alcuinus 136 *Ad hæc, ſi Caroli ipſius compoſitio forent epitaphia iſthæc ambo aut alterutrum; noluiſſent illa ſeu Theodulfus, ſeu Alcuinus vendicare ſibi; nec alienum poëma, præſertim Domini ſui Regis, voluiſſent inter ſua carmina referre tamquam ſuum, quod ſine injuria Auctoris proprii nequibant. Sed ut magis ſtudebant gloriæ Caroli, quam ſuæ; maluiſſent ei ſua ipſorum carmina attribuere etiam tamquam auctori; quam quæ ille compoſuerat, arrogare ſibi. Atque ex hoc ipſo ſtudio ſuo in Principem, ſuaque in ipſum benevolentia ſingulari (ut nihil adulationis acceſſerit) cenſeri auctores iſti poſſunt, epitaphiis & nomen Caroli inſeruiſſe & in* *inter poëmata ſua; per-*

A *persona ejus ſcripſiſſe ſua. Sed neque veriſimile eſt à collectoribus poëmatum Alcuini ac Theodulfi, illis immixta fuiſſe epitaphia, de quibus agimus; niſi illi ſciviſſent, ab auctoribus iſtis fuiſſe vere compoſita. Abſque tali quippe ſcientia, nihil fuit quod determinare potuerit collectores, cur illa potiſſimum ad Alcuini ac Theodulfi poëmata referrent. Quin imo, nomen Caroli, ac prima perſona, in qua loquitur, debuiſſent collectoribus ſuadere ac perſuadere, utriuſque poëmatis auctorem eſſe ipſum Carolum; uti id de uno epitaphio perſuaſerunt aliis, qui illud legerunt inciſum marmori in baſilica Vaticana. Cum autem illud factum non ſit, debent aliunde collectores habuiſſe ſcientiam, non Carolo, ſed Alcuino alterum, alterum Theodulfo, tamquam auctoribus tribuenda eſſe epitaphia prædicta.*

quæ etiam in epitaphio, eumdem ſtylum & auctorem ſapiunt

137 *Accedat etiam evidentius argumentum, quo demonſtratur epitaphium, quod extat apud Alcuinum (hujus enim ſolius cauſa diſſertationem orſi ſumus) ipſius Alcuini compoſitionem eſſe. Id enim manifeſte evincunt ſtylus & formulæ loquendi, quæ in epitaphio iſto æque ac in aliis Alcuini poëmatibus paſſim elucent eadem, iſdemque non raro verbis expreſſa. Ecce ſpecimen, aſſertum noſtrum abunde, uti ego quidem exiſtimo, probaturum. Epitaphium primo ſtatim verſu ſic habet de Adriano Pontifice:* Hic Pater Eccleſiæ, Romæ decus, inclitus Auctor. *Poëma vero Alcuini* CCXII *ſic de Paulino*; O lux Auſoniæ, patriæ decus, inclitus auctor. *Et* CCXVI; Salve Roma potens, mundi decus, inclita mater. *Item in poëmate* CCLXVII, *quod continet epitaphium Pauli, de quo ſupra, apud S. Martinum monachi (ut ſcias, etiam ibi elucere ſtylum Alcuini) loquitur Paulus*; Mox Martinus amor rapuit me inclitus auctor. *Alibi leges*, Inclite Paſtor. Doctor inclitus orbis. Inclita tecta. Plebs inclita. Soror inclita.

B

ex ſimilibus loquendi formulis.

138 *Redeo ad epitaphium Adriani, cujus verſus* XIV *hic eſt:* Urbs caput orbis, honor, inclita Roma. *Similia leguntur, Poëmate quidem* CCXVI; *Tu* caput orbis, honor, magne Leo Papa. CCXV *vero*, Urbs caput orbis habet te, maxima Roma. *Accedat huc è Poëmate* CLXXVIII Roma caput mundi, mundi decus, aurea Roma. *Familiaris eſt Alcuino particula* ubique, *conjuncta cum particula* ſemper *in uno eodemque verſu. Quod etiam in epitaphio Adriani obſervare licet. Verſu enim* VIII *ſic legitur*; Exornare ſtudet.... Semper ubique ſuo templa ſacrata Deo. *In Poëmate autem* CCLXVII, *quod dixi eſſe epitaphium Pauli monachi, verſu ultimo ſic is alloquitur Fratres ſuos*; Voſque valete, mei, ſemper ubique Deo. *Poëmate* CCXII; Cernit ubique ſuæ ſemper nova gaudia mentis. CCXVI Te precibus pariter conſervent ſemper ubique. CCXXIX Flagitamus ſemper ubique. CCXXII Tu fugis à nobis ſemper ubique ruens. *Similia vide Poëmate* CCLXXIV, CCLXX *&* CCLXXI. *In epitaphio ſic alloquitur Carolus Adrianum*; Tu mihi dulcis amor, te modo plango, Pater. *Et Poëmate* CCLX *ita ſermonem convertit Alcuinus ipſe ad ſororem ſuam*; Tu mihi dulcis amor ſemper, ſoror inclita ſalve. *Rurſus epitaphium de Adriano*, Pauperibus largus, nulli pietate ſecundus. *Poëma* CCXXXI *de S. Virgilio ep.* Vir pius & prudens nulli pietate ſecundus.

C

Sit igitur Carolus auctor in lata ſignificatione,

139 *Superſedeo pluribus exemplis, quandoquidem ex allatis ſufficienter concludi poſſe videtur, aut Carolum regem ita ſtylum imbibiſſe Alcuini, ut eodem ipſe, quo ille, ſcripſerit: aut epitaphium Adriani,* Hic Pater Eccleſiæ, *Alcuino tamquam auctori & compoſitori adjudicandum eſſe, licet honori Regis Domini ſui dederit, ut velut ab ipſo compoſitum extaret epitaphium iſtud Adriani, quem Carolus vivum ac mortuum ſummâ veneratione proſecutus fuit. Si quis interea Carolum, non auctorem proprie, aut conditorem aut compoſitorem; ſed auctorem latiore ſenſu dictum, epitaphii eſſe velit, quia ipſum juſſit componi & ſepulcro incîdi; per me licet. Sic enim & nos quæ fieri jubemus, eadem cenſemur feciſſe. Et miniſtri principum multa ſcribunt componuntque in perſona dominorum ſuorum; quæ hiſce adſcribuntur, quamquam ab his nec ſcripta nec compoſita ſint. Sed illo ſenſu æque Theodulfiani, quam Alcuiniani carminis auctor dici Carolus poterit.*

C. J.

non compoſitor epitaphii

quod etiam innuit eo ævi chronicon.

140 *In eodem ſenſu de Carolo ſcribit Chronicon breve Auctoris Carolo coævi, quod res ejus, ab anno* DCCXCIV *per decennium geſtas, tantummodo complectitur; atque à Petro Lambecio ex codice ms. bibliothecæ Auguſtiſſimi Cæſaris Vindobonianæ, in Commentariis de eadem bibliotheca, lib. 2. cap. 5 pag.* 378 *impreſſum legitur hunc in modum ſub anno* DCCXCV: Ipſo die VIII Kal. Januarii, ſanctæ memoriæ Domnus Adrianus ſummus Pontifex Romanus obiit, pro quo Domnus Rex, poſtquam à planctu ceſſavit, orationes per univerſum chriſtianum populum intra terminos ſuos fieri rogavit, & eleemoſyna ſua pro eo multipliciter tranſmiſit, & epitaphium, aureis litteris in marmore conſcriptum, juſſit in Francia fieri, ut illud partibus Romæ tranſmitteret ad ſepulturam ſummi Pontificis Adriani ornandam. *Juſſit epitaphium fieri, non compoſuit.*

E

DE CONFESSIONE S. PETRI IN BASILICA VATICANA.

§ I. De Confeſſione, ejuſque acceptione varia.

Confeſſio quid ſit,

Circum inſpectis altaribus ſacelliſque navis tranſverſæ, accedo propius ad cryptam ejus ſubterraneam ſeu Confeſſionem S. Petri, ad altare majus, & ad apſidem, quæ tantiſper tranſilivimus. Variæ varius in locis eccleſiæ fuerunt ac ſunt, quæ corpora aut Reliquias Sanctorum ſuorum, in cryptis ſubterraneis reconditas, adificato deſuper altari, religioſè conſervant: quæ conditoria, Græcis Martyrium, *Latinis* Confeſſio *appellari, etiam antiquiſſimis temporibus, conſueverunt, erantque ut plurimum ſubter altare princeps. Atque hinc Confeſſio S. Petri de qua loquimur, paſſim accipi ſolet, tam pro altari, quod in eccleſia conſpicuum eminet, quam pro crypta quæ ſubtus latet. Quibus aliqui velut tertium Confeſſionis membrum addunt* tabernaculum *ſive* cyborium, *quod quatuor columnis elevatum, altare deſuper tamquam umbella tegebat. Verum cum tale cyborium non in omnibus Confeſſionibus inveniatur, pars earum univerſim dici non poteſt. Imo ne altare quidem ipſum ſupra cryptam in eccleſia conſpicuum, proprie Confeſſio eſt. Ego certe in hâc lucubratiuncula de baſilica S. Petri, illud pro Confeſſione aut Confeſſionis membro nolim accipere, ſecutus Anaſtaſium alioſque veteres, quos obſervo altare illud crebro vocare* altare majus *aut* altare S. Petri, *atque per iſta epitheta ipſum diſtinguere ab alio altari, quod, ut mox dicam, in ipſa crypta fuit, & ſæpe appel-*

F

C. J. *appellatum lego* altare ſepulcri S. Petri, *altare* ſuper ſepulcrum S. Petri, *altare* intus in Confeſſione. *Perſpicuum hujus diſtinctionis exemplum dabit infra Benedictus Canonicus, ſeculi* XI *ſcriptor, inquiens, quod Papa ingreſſus Confeſſionem,* incenſat altare ſuper ſepulcrum S. Petri, *ibique ſedet in ſubſellio. Finito autem officio,* inde exiens, aſcendit ad majus *altare* & incenſat.

& quam multiplex.

142 *Interim ſciendum eſt, quod ampliorem longe notionem vox* Confeſſio *paſſim habeat apud Anaſtaſium, referaturque ad quodlibet altare, ſive intra cryptam, ſive extra ſitum; in aut ſub quo, corpora aut reliquiæ Sanctorum condita aſſervantur: imo ipſæ lipſanothecæ & ſepulcra Sanctorum, ſub altari poſita, Confeſſio quoque appellantur. Sciendum præterea, quod Anaſtaſio, de baſilica Vaticana loquenti, vox* Confeſſio *ſimpliciter ſumpta, aut* Confeſſio B. Petri, *ſonet cryptam ſubterraneam, modo totam; modo ſolum altare, quod in crypta eſt:* Confeſſio *vero* altaris *ſimpliciter, nullo addito Sancti aut oratorii nomine, ſonet eidem altare majus baſilicæ totius. Si tamen vox* Confeſſio *aut* Confeſſio altaris, *reſtringatur ad certum aliquod oratorium aut Sanctum; ſignificabit altare, quod in tali oratorio eſt, cum ſuis intibi reliquiis.*

B

Sumitur 1, *pro crypta ſubterranea,*

143 *Imprimis cryptam ſubterraneam totam ſignificari per vocem* Confeſſio, *oſtendi poteſt ex omnibus Anaſtaſii locis, ubi leguntur Pontifices, reges, canonici aliive Confeſſionem* ingreſſi fuiſſe, *in ea* ſediſſe *aut* manſiſſe. *Exempla frequentia occurrent infrà. Idem Anaſtaſius in Sixto III Papa ſcribit, Valentinianum Auguſtum, imaginem auream &c.* ſuper Confeſſionem B. Petri Apoſtoli obtuliſſe; *qua loquendi formula etiam alibi utitur: eâque, opinor, intelligendum eſſe altare, quod eſt ſuper Confeſſionem in ipſa crypta; non, quod eſt ſuprà in baſilica. Similem & clariorem textum ſubminiſtrat bulla Gregorii Papæ IV apud Lambecium in Originibus Hamburgenſibus pag.* 129; *ubi Pontifex,* poſito capite & pectore ſuper corpus & Confeſſionem S. Petri Apoſtoli, *tribuit Anſcharío publicam, ubique euangelizandi facultatem. Quæ poſitio capitis & pectoris utique in crypta facta eſt vel ſuper altare ejus, vel ſuper pavimentum ad oſtiolum ſepulcri, per quod etiam pallia pontificalia demitti ſolebant. Ad eamdem cryptam referri quoque debent loci ſequentes Anaſtaſii. Pag.* 46, inveſtivit *Honorius* Confeſſionem B. Petri ex argento puro, quod penſat libras CLXXXVII. *Pag.* 117, *Hadrianus* Confeſſionem B. Petri totam intus ex auro puriſſimo in laminis diverſiſque hiſtoriis compte ornavit, pondera trecentarum librarum ponens. *Sixtus III, pag.* 26, ornavit de argento Confeſſionem B. Petri Apoſtoli, quæ habet libras cccc.

C

2, pro altari majori,

144 *Oſtendi nunc debet,* Confeſſionem altaris *ſimpliciter, denotare altare majus. Leo IV, pag.* 188, *obtulit in baſilica B. Petri Apoſtoli* ante Confeſſionem ſacri altaris *à dextris & à ſiniſtris, ad decorem ipſius baſilicæ, Angelos ſex ex argento mundiſſimo, penſantes libras* LXIV. *Sermo hic Anaſtaſio eſt de altari majori; uti indicant verba ipſa, & mentio, quam ibidem ſubdit de cyborio ejuſdem altaris & presbyterio. Idem, pag.* 181, *cernens* altare B. Petri *violatum & ſpoliatum a perfidis Saracenis,* non tantum Confeſſionem ſacram, verum etiam frontem *ejus honorifice perornavit: & paulo poſt,* Confeſſionem crebro dicti altaris *majoris ex tabulis argenteis ad antiquum decus & ſtatum perduxit. Hæc de altari majori ejuſque Confeſſione, diſtincta à Confeſſione B. Petri ſeu crypta ejus ſubterranea in baſilica Vaticana,* D *accipi debere certum eſt.*

uti & aliorum Sanctorum:

145 *Colligo autem ex eodem Anaſtaſio, alia quoque altaria, tum in eadem baſilica tum alibi, iſtiuſmodi Confeſſionem habuiſſe, & hanc ſæpe appellatam fuiſſe, uti ex allatis jam teſtimoniis diſci poteſt,* Confeſſionem altaris. *Talis enim fuerit* Confeſſio, *quam* cum ſacro altari *ſuo argenteis tabulis decoravit, Sanctorumque effigiebus perornavit Leo IV in eccleſia Sanctorum quatuor Coronatorum, de qua Anaſtaſius pag.* 184. *Quid enim intereſt inter has duas loquendi formulas, quo minus idem ſignificent?* Confeſſio ſacri altaris, & Confeſſio cum ſacro altari. *Similiter pag.* 73 *Gregorius III in oratorio, quod fecit intra baſilicam S. Petri juxta arcum principalem (videri de illo poteſt ſuprà Sectio* B, *litt.* l.) veſtivit faciem altaris & Confeſſionem argento. *Item in baſilica S. Andreæ Apoſtoli* apud B. Petrum Apoſtolum *fecit Symmachus (qui ipſam conſtruxerat)* cyborium *altaris ex argento,* & Confeſſionem. *Eamdem Gregorius III poſtea veſtivit argento, quod deauravit auro puriſſimo. In his autem, uti cyborium eſt pars altaris, late ſumpti; ita pariter pars ejus erit* E *Confeſſio: illud, pars ſuperior; hæc, inferior. Atque hactenus allata ſufficiant ad perſuadendum cuivis non pervicaci, quod altaria quoque ſuas habuêre Confeſſiones, non ſubterraneas, ſed ſub altaris tabula excavatas, in quibus probe ornatis, ut plurimum deponebantur reliquiæ Sanctorum, quemadmodum Sergius II apud Anaſtaſium pag.* 173 *legitur, in* Confeſſione *(quam in baſilica Salvatoris conſtruxit mirificam, argenteiſque tabulis, auro perfuſis, fulgide compſit ac conſecravit)* propriis manibus reliquias potuiſſe.

3, pro lipſanotheca,

146 *Videtur interea Confeſſio etiam accipi poſſe pro* lipſanotheca, *quæ in prædicta Confeſſione, ſub tabula altaris excavatâ reponeretur. Quod dum commonſtro, ſimul etiam innoteſcet amplius, quod voces* Confeſſio & Confeſſio altaris, *non tantum ad cryptam hypogæam aut altare majus baſilicæ Vaticanæ referantur; verum etiam per additum Sancti aut oratorii alicujus nomen, reſtrictæ, ſignificent Confeſſionem talis Sancti aut oratorii, & quidem (uti ego exiſtimo) ſumptam pro lipſanotheca. Pluria talis ſignificationis exempla habet Anaſtaſius conglobata in Hilaro Papa, qui fecit, pag.* 28, oratoria tria *in baptiſterio baſilicæ Conſtantinianæ,* F S Joannis Baptiſtæ, & S. Joannis Euangeliſtæ, & ſanctæ Crucis; *omnia ex argento & lapidibus pretioſis.* Confeſſionem S Joannis Baptiſtæ fecit ex argento, quæ penſabat libras centum, & Crucem auream: & Confeſſionem S. Joannis Euangeliſtæ fecit ex argento, *quæ penſabat libras centum* & Crucem auream. In oratorio ſanctæ Crucis fecit Confeſſionem; ubi lignum dominicum poſuit incluſum (*uti legunt Mss. Regium & Thuanum*) in Cruce aurea cum gemmis, quæ penſabat pondus librarum xx. *Crux videlicet. Si enim relativum* quæ *reſpiceret Confeſſionem, uti priora duo; januæ Confeſſionis duplum & ſemis amplius ponderarent quam Confeſſio ipſa. Sequitur enim:* Fecit ex argento puriſſimo in Confeſſione januas, penſantes pondus librarum L. *Denique* ſupra Confeſſionem *fecit* aureum arcum, qui penſabat libras IV, quem portant columnæ Onychinæ; ubi ſtat agnus aureus, penſans libras duas.

147 *Liquet ex his, oratoria quoque particularia, qualia ſunt S. Joannis Baptiſtæ, S. Joannis Euangeliſtæ & ſanctæ Crucis; habuiſſe Confeſſiones ſuas*

A *quæ ſupponi altari, & inde amoveri poſſit;*

ſuas, & quidem argenteas. Sed an hæ fuerint thecæ argenteæ, quæ poni pro libitu ſub altari atque inde removeri potuerint; an vero ornamenta tantum argentea, per cavum altaris intus aut foris diſpoſita, unde Confeſſio denominetur argentea, *non ſatis conſtat. Primum videtur innuere particula* quæ, *ad* Confeſſionem *relata, quam indicat pependiſſe libras centum: videlicet totum illud, quod Confeſſio erat, centum libras pependiſſe innuit. Si uſus fuiſſet Anaſtaſius particulâ* quod, *& Confeſſionem Papa feciſſet ex argento,* quod *penſabat libras centum; mallem argentum illud ad ornatum Confeſſionis, quam ad ſolidam ex argento capſam referre. Nunc vero ſecus facio, eo etiam argumento motus, quod nullas habuerit Pontifex reliquias illorum Sanctorum, quibus Confeſſiones ibi curavit fieri; certe nullas legitur illis impoſuiſſe: &, ſi quas impoſuiſſet, non minus id videtur indicaturus fuiſſe Anaſtaſius, quam indicaverit, impoſuiſſe Cruci aureæ reliquias de ligno Dominico. Obtinuerit igitur jam tum uſus Eccleſiæ, qui deinde, & noſtra hac ætate perfrequens eſt, ut beatis ſanctiſve hominibus, quorum ſacra corpora, ſub altaribus humi defoſſa, aut poſt illa muro clauſa, latent; ſtatuantur in cavo altaris capſæ pretioſiores, aut omnino vacuæ, aut particulam tantum aliquam reliquiarum habentes, tamquam cenotaphia, quæ ſub aſpectum accedentium ad altare, cadant, latentis theſauri moneant, atque excitent ad venerationem Sanctorum.*

qualem vidimus in altari B. Aloyſii Romæ,

148 *Talem capſam ſeu cenotaphium (ut plura taceam) vidimus coram in baſilica Ignatiana Societatis Jeſu Romæ in altaris trunco, ſub quo defoſſa, cum capſa ſua plumbea, latebant oſſa B. Aloyſii Gonzagæ, priuſquam anno* MDCIC *transferrentur ad ſacellum novum, nomini ejus magnifice extructum ab illuſtriſſima familia Lancellotta, opem beati Juvenis non ſemel experta. Simile cenotaphium poſuerit etiam Doctori gentium Valentinianus Auguſtus, quando rogatu Sixti Papæ III, apud Anaſtaſium pag. 26, fecit* Confeſſionem B. Pauli Apoſtoli ex argento puriſſimo, quæ habet libras ducentas. *Qualis enim hæcce fuit Confeſſio? Non illud ſepulcrum, quod reliquias Apoſtoli condebat ſciturque æreum fuiſſe & in crypta latuiſſe jam tunc à tempore S. Silveſtri Papæ. Non etiam fuerit Confeſſio illa truncus altaris excavatus; non, quia illi ornando ducentæ argenti libræ impendi non potuerint; ſed quia tota Confeſſio dicitur ducentas libras pependiſſe; qui modus loquendi videtur indicare, Confeſſionem fuiſſe opus aliquod abſolutum per ſe, & aptum, cui reliquiæ Sanctorum committerentur: poteſtque poſitum fuiſſe ſub altari S. Pauli, ad renovandam accedentibus piis fidelibus recordationem latentium infra reliquiarum Apoſtoli; atque ita excitandum in animis eorum majorem pietatis ſenſum, & obtinendi quod petunt fiduciam: quas ob res expoſitum quoque ſub altari fuiſſe cenotaphium B. Aloyſii diximus. Iſtiuſmodi porro cenotaphia merito* Confeſſiones *appellata fuiſſe à loco, ubi poſita fuerint ſub altari, qui etiam ipſe* Confeſſio *dicebatur, neſcio cur negari debeat aut poſſit.*

qualem & fecerit Valentinianus Imp. S. Paulo via Oſtienſi.

C

An januæ in Confeſſionibus iſtiuſmodi.

149 *Sed quid* de Januis quinquaginta librarum, *quas* ex argento puriſſimo *fecit Hilarus* in Confeſſione? *Non opinor, ipſius thecæ ſeu cenotaphii fuiſſe januas illas. Quæ enim proportio januarum, pondo quinquaginta pendentium, ad Confeſſionem pendentem non amplius quam pondo centum? Ad hæc, dum Confeſſionis pondus ſimpliciter dicitur fuiſſe librarum centum, ſermo utique eſt de Confeſſione tota cum ſuis januis; ſi quas tamen januas habuit; & non potius ſuperne aperiebatur & claudebatur. Quod ſi etiam concedatur, habuiſſe januas; non potuerunt illæ, habita ratione totius operis, tanti ponderis fuiſſe, ut in textu memoratur. Quapropter exiſtimo, januas illas potius conſtitui debere, in ſepto, quod cavum altaris circumdederit, aut cancellis aut tabulis ſive ex argento ſive alia materia continuis munitum; in cujus medio fuerint portæ, per quas Confeſſio, ſumpta pro lipſanotheca, inferri in cavum & efferri potuerit. Denique* ſupra Confeſſionem *fecit Hilarus* aureum arcum *librarum* IV, quem portant columnæ onychinæ, ubi (*id eſt ſub arcu, uti ego quidem exiſtimo*) ſtat agnus aureus penſans libras duas. *Totus hîc ornatus, commodiſſime poteſt intelligi ſuperimpoſitus fuiſſe lipſanothecæ; quæ plana ſuperne fuerit, aut leniter ex omni parte elevata, formaverit in ſummo planum, in quo apte conſiſteret agnus ſub medio arcu, una aut duabus utrimque columellis ſuſtentato. Si aliam Confeſſionem hîc intelligas quam lipſanothecam, concipi debet arcus aureus cum ſuis columnis & agno fuiſſe poſitus ſuper altare. Sed an arcus quatuor tantum librarum auri & agnus librarum duarum, juſtam cenſeri poſſint habuiſſe proportionem cum totius magnitudine altaris? Ut-ut hæc ſunt, veniamus ad delineationem Confeſſionis antiquæ S. Petri, de qua initio hujus paragraphi.*

C

E

§ II. Quid Confeſſio S. Petri in baſilica Vaticana, ſumpta pro crypta hypogæa.

Deſcribitur Confeſſio S. Petri antiqua,

FUit *Confeſſio S. Petri (idem fere intelligi debet de Confeſſione S. Pauli) ædicula aut cubiculum ſubterraneum, imo duo cubicula talia, alterum altero depreſſius, ſubter majus altare baſilicæ, in medio navis tranſverſæ ante abſidem. Cubiculum ſuperius fuit juſtæ magnitudinis & plurium hominum capax, eóque è plano baſilicæ deſcendebatur per gradus, atque intrabatur per cancellos & portam, quæ pandi claudique poterant. Intus cooperiebatur fornice aut camera, columnis quatuor ſuſtentata. In medio ſtabat altare, quod ſubtus cavum erat uſque ad pavimentum, adinſtar arcæ ſeu ciſtæ; in cujus fundo ſeu pavimento fuit feneſtella, aut potius foramen, cum cooperculo ſuo, quod claudi etiam & aperiri poterat. Si quis vero per illud pronus deſpiciebat, alterum detegebat cubiculum, magis ſubterraneum, in eoque monumentum aheneum ingens, ſuperne ornatum cruce aurea, condens intra ſe loculum cum ſacris Apoſtolorum lipſanis. Atque hæc quidem forma erat Confeſſionis S. Petri propriè dictæ.*

F

& quæ illam circumſteterint.

151 *Altare majus, quod ſupra Confeſſionem eminere in medio navis tranſverſæ iam diximus, ſtabat in choro, ſeu potius in presbyterio, verſus tribunam ſeu abſidem eccleſiæ principem: & tam presbyterium, quam chorus (ſi hæc loca diſtinguas) ſepiebantur peribolo, ex utraque parte procurrente uſque ad murum anteriorem, qui frons Confeſſionis appellabatur. Dictus peribolus muniebatur cancellis: atque alii etiam cancelli videntur aliquando presbyterium ſeparaſſe à veſtibulo, quod dixi frontem Confeſſionis appellari. Ante veſtibulum aſſurgebant columnæ exquiſitduodecim, duplici ordine à meridie in ſeptemtrionem diſpoſitæ (prout videre eſt in ichnographia) formabantque porticum, veſtibulo Confeſſionis obtenſam portiſque tribus eò tranſmittentem. Harum ſingulæ erant in utroque capite porticus, qua meridiem ac ſeptemtrionem reſpiciebat: tertia vero in medio ejuſdem, qua reſpicit portam mediam baſilicæ. Per hanc mediam ingredientes tranſmittebantur rectà ad veſtibu-*

C. J. *ſtibulum & caput graduum Confeſſionis ; per illas autem laterales tranſmittebantur eódem obliquè. Media videtur raro , & Principibus tantùm , aut ſolenni pompa ad Officium faciendum progredientibus patuiſſe ; laterales vero quotidie & promiſcuæ turbæ. Reliqua iſtius porticûs intercolumnia , ſaltem extimi ordinis , habebant ſepta ſua , aditum prohibentia , qualia etiam continuabantur ab utroque porticûs capite ad uſque presbyterium & ultra , elevata pectore hominis tenus : quamobrem &* pectoralia *vocabantur , alicui* rugæ *, neſcio an rectè , dicta. Hiſce omnibus varius ac dives variis temporibus acceſſit ornatus , de quo poſtea.*

Similis magnâ parte ei fuit

152 *Huic Confeſſionis delineationi , licet diſtincta & clara , lucem alicubi fortaſſis affundet clariorem deſcriptio eccleſiæ Cantuarienſis vetuſtiſſimæ , prout illa olim fuit ; paulo ante archiepiſcopatum B. Lanfranci , cujus electio in annum* MLXX *incidit , flammis conſumpta. Deſcripſit illam Edmerus ſive Eadmerus , monachus Cantuarienſis , individuus S. Anſelmi , qui Lanfranco anno* MXC *archiepiſcopus ſucceſſit , in itineribus curiſque paſtoralibus ſocius & adjutor , quocum & Romæ diu fuit ,* B *& baſilicam S. Petri ejuſque Confeſſionem per otium vidit ; laudatus nobis tomo 2 Aprilis , ad Acta ejuſdem S. Anſelmi , quæ etiam ipſe ſcripſit. De Edmero illo Gervaſius , pariter monachus Cantuarienſis , dimidio forte poſt mortem ejus ſeculo , ſic ſcribit , inter decem Hiſtoriæ Anglicanæ Scriptores anno* MDCLII *Londini impreſſos , col.* 1291 : Edmerus , venerabilis Cantor , in opuſculis ſuis veterem eccleſiam , ex more Romanorum factam , deſcribit ; quam Lanfrancus Archiepiſcopus , cum archiepiſcopatum ſuſciperet , combuſtam inveniens , funditus evertit. *Et paulo poſt producit ejuſdem Edmeri verba , de eccleſia illa antiqua & forte à S. Auguſtino , Romanorum more , ſtructa.*

antiqua crypta eccleſiæ Cantuarienſis ,

153 Venerabilis Odo corpus B. Wilfridi pontificis Eboracenſium , de Rhipur ſublatum , Cantuarium tranſtulerat , & illud in editiore entheca , ut ipſemet ſcribit , hoc eſt in majori altari , quod in orientali presbyterii parte parieti contiguum , de impolitis lapidibus & cæmento extructum erat , digniter collocaverat. Erat enim ipſa eccleſia .... ſicut in hiſtoriis Beda teſtatur , Romanorum opere facta , & ex quadam parte ad imitationem eccleſiæ beati Apoſtolorum Principis Petri ; in qua ſacratiſſimæ reliquiæ totius orbis veneratione celebrantur , decenter compoſita. Porro aliud altare , congruo ſpatio antepoſitum prædicto altari erat , dedicatum in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti , ubi quotidie divina myſteria celebrantur. In quo altari B. Elfegus caput B. Swithuni.... cum multis aliorum Sanctorum reliquiis ſolenniter repoſuerat. Ad hæc altaria nonnullis gradibus aſcendebatur à choro cantorum , quam cryptam vel confeſſionem Romani vocant , ſubtus erat adinſtar Confeſſionis S Petri fabricata , cujus fornix eò in altum tendebatur , ut ſuperiora ejus non niſi per plures gradus poſſent adiri. Hæc intus ad orientem altare habebat ; *in quo* caput B. Furſei *aſſervabatur. Ad occidentem vero locus erat , ubi quieſcebat B. Dunſtanus* , qui maceria forti ab ipſa crypta dirimebatur. Jacebat namque humatus in magna profunditate terræ ante ipſos gradus , *quibus aſcendebatur ad presbyterium , monumento ſuper impoſito* in modum pyramidis grandi ſublimique ſtructurâ , habente ad caput Sancti , altare matutinale , *idem , opinor* , ubi *(ut paulo ante dixit)* quotidie divina myſteria celebrantur. Inde autem ad occidentem chorus pſallentium in aulam eccleſiæ porrigebatur , decenti fabrica à frequentia turbæ ſecluſus. *Addit poſt hæc Edmerus alia de ſitu ejuſdem antiquæ eccleſiæ , & de reſtauratione eius ; ac tandem concludit :* Quæ ita ſe habuiſſe ſine ulla ambiguitate fateri veraciter poſſum , quippe qui propriis oculis omnia cum fierent intuitus ſum & diligentiori ſtudio tenaci memoriæ commendavi. D

& ipſa ſub altari medio effoſſa ,

C

& altare aliud in ſe complexa.

154 *Varia hic ſunt , quæ præmiſſam delineationem ex parte veluti in tabula repræſentant ; puta , quod crypta hujus eccleſiæ fuit adinſtar Confeſſionis S. Petri : quod æque ac illa fuit ſubter altari in medio eccleſiæ conſpicuo : quod fornix ejus uti etiam in Confeſſione S. Petri , tam fuit elevatus ſuper pavimentum reliquæ eccleſiæ , ut hinc per plures gradus debuerit aſcendi ad presbyterium ejuſque altare : quod intus quoque in crypta altare fuit : quod prope cryptam (ſi minus infra altare ejus ut in S. Petri) ſolo muro inde diremptum jacuit corpus S. Dunſtani , totius regni religione celeberrimum , & quidem in magna profunditate terræ : quod denique chorus pſallentium (locum hunc nos in baſilica S. Petri veſtibulum Confeſſionis appellavimus) à presbyterio verſus aulam eccleſiæ utrobique porrectus , & decenti ſepto à turba populi circum ſecluſus fuit. Quæ & alia curioſus lector , ſi paulo attentius conſideraverit , comperiet , fere eadem fuiſſe in utraque eccleſia. Hæſitabit tamen fortaſſis ad verba Edmeri dicentis , quod Romani chorum cantorum* cryptam vel confeſſionem *vocant. Ego certe hîc hæſito , nec capio , quo ſenſu crypta ſit locus in eccleſia plano ſuperne apertus , qualis eſt chorus iſte ; licet* nonnullis gradibus *inde aſcendatur ad altaria presbyterii : & minus capio , quinam Romani & quando locum iſtiuſmodi vocaverint* Confeſſionem. *Imo dum mox Auctor vocem* Confeſſio *rectè ſumit pro crypta ſubterranea eaque fornicata , videntur præcedentia verba , tam diverſum ſonantia , è calamo ejus vix fluere potuiſſe. Opinor igitur aliquid ibi deficere , quod addita voce* domus *aut alia , ſupplori debeat , & ſic legi textus.* Ad hæc altaria nonnullis gradibus aſcendebatur à choro cantorum : domus vero , quam cryptam ſeu *&c. Sed quo abripimur à via noſtra propter ſcrupulos incidentes , qui calcari potius deberent , quam removeri cum diſpendio temporis & mora itineris noſtri cupientium progredi ad Confeſſionem B. Petri.* E

Presbyterium & chorus , loca diſtincta.

F

155 *Nihilominus unum adhuc per tranſennam obſervare hîc debeo , videlicet , quod locus , in multis eccleſiis muro continuo , altare majus includente , cinctus ; eoque ab ambitu ſeparatus , qui paſſim chorus appellari ſolet ; dividatur Edmero & Gervaſio prædictis , in* chorum pſallentium , *ſive* cantorum *&* presbyterium. *Edmerus quippe extendit presbyterium ab altari Jeſu Chriſti , quod in medio erat retrorſum verſus finem eccleſiæ ; chorum vero pſallentium extendit ab eodem altari antrorſum , verſus frontiſpicium , & chorum aliquot gradus presbyterio depreſſiorem facit. Gervaſius autem novam eccleſiam , à Lanfranco reſtauratam deſcribens , ambo illa loca , inter ſe diſtincta , uno eoque continuo muro cingit. Qui murus , inquit col.* 1294 , continebat chorum monachorum , presbyterium , & altare magnum .... De choro ad presbyterium tres erant gradus *in hac nova eccleſia , in antiqua videntur plures fuiſſe* ; de pavimento presbyterii uſque ad altare , gradus tres ; ad ſedem vero patriarchatus , *qui in fine presbyterii elevabatur* , gradus octo. *Anterior pars chori* , chorus pſallentium , & canentium , *& quandoque*

A *doque* Monachorum *appellatur; quia hi illic ſedilia habebant & pſallebant Deo officia divina. Pars poſterior ideo videtur appellari presbyterium; quia presbyteri illic ſolenniter operabantur ſacris, & officia eccleſiaſtica obibant, dum in choro monachi cantabant. In veteri baſilica S. Petri locus, qui à presbyterio antrorſum continuato ſepto includebatur, non chorus re aut nomine, ſed veſtibulum Confeſſionis (quod aliquando etiam* veſtibulum altaris, *&* presbyterii *appellatur) fuit; uti jam diximus & porro dicturi ſumus. Nunc eò, & ad Confeſſionem ipſam S. Petri redeamus; ſingula, quæ poſuimus, probaturi illuſtraturique pro modulo noſtro auctoritate antiquorum.*

§ III. De Confeſſionis S. Petri capacitate, altari, porta, cancellis, gradibus.

Probantur, quæ in titulo propoſita ſunt, B

FUit patrum noſtrorum memoria Confeſſio S. Petri plano muro ita obducta & clauſa, ut aditus eò non pateret; & Longus in ſua ad Urbanum VIII relatione ait, ſe illam taliter obſtructam aliduc vidiſſe, priuſquam a Clemente VIII renovaretur. An à Julio II, cum poſterior baſilicæ pars cœpta eſt dejici, ita obfirmata fuerit Confeſſio, quo ſecurius, quæ in illa ſunt, conſervarentur poſteritati; an alius deceſſorum ejus id fecerit, equidem definire nequeo. Illud interea certiſſimum eſt, olim multis ſeculis, inſtar ſacræ ædiculæ aut cubiculi, habuiſſe portam ſuam, & intus ſpatium ſatis amplum; frequentatumque fuiſſe officiorum divinorum & orationis cauſa. Duos textus ad hæc confirmanda ſubminiſtrant mihi duo canonici baſilicæ Vaticanæ; quorum alter, qui ſub nomine Romanus, *impreſſus eſt a Paulo de Angelis, floruit ſeculo* XII; *alter, qui ſub nomine* Benedictus *producitur à Lonigo e Mſs. ſeculo* XI *ſub Cæleſtino II, centum annos ante Romanum. Utriuſque oratio longiuſcula eſt. Quia tamen utraque paucis nota, multis placitura videatur, antiquorum Eccleſiæ rituum ſtudioſis; præterquam quod nobis hocce in argumento frequens earum futurus ſit uſus; lubet ambas deſcribere integras. Romanus Canonicus cap.* 3, *cui titulus,* Quod in B Petri baſilica tantùm, vigilantur Pallia, quæ Dominus Papa mittit Archiepiſcopis; *deſcribens vigilias ac ritus, qui ſuo tempore in conſecratione dictorum Palliorum adhibebantur; loquitur in hunc modum.*

ex contextu Romani, ſeculo 12,

C 157 Cum vigilamus Pallia, facimus ſolennes Vigilias in Confeſſione B. Petri, cantantes Vigilias, quas conſuevimus cantare in feſto ejuſdem Apoſtoli.... Qualiter *autem* debemus pannos laneos, unde fiunt pontificalia *Pallia*, ad B. Petri corpus vigilare, ſicut vidi ego presbyter Romanus, hujus ſacroſanctæ baſilicæ canonicus, ad poſteritatis memoriam ſcribo. Acceptis de altari faculis & cereis ad legendas lectiones & orationes Vigiliarum, nec non incenſo; circa ſero conveniunt canonici ad altare S. Leonis Papæ: & presbyter hebdomadarius accipit ipſos pannos complicatos & involutos in ſindone, præcedentibus tam manſionariis cum incenſo & faculis accenſis, quam canonicis; intrat ad corpus B. Petri & ponit eos ſupra altare, & faculæ ante altare ponuntur. Tunc chorus, cujus eſt cantus, incipit antiphonam; Si diligis me Simon Petre, & reliqua, cum ſuis Pſalmis. Verſic. Tu es Paſtor ovium. Tres Lectiones leguntur in libro ſtationali; Petrus & Joannes aſcendebant in templum. Et cantatis duobus Reſponſoriis, quæ volvuntur de S. Petro, deinde ſequitur; Te decet laus. Et oratio; Deus, qui B. Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus; ſic reportantur, ſicut allata fuerunt. Si altero die cantatur Miſſa ſuper majori altari, ponantur ibi; & poſt completam Miſſam tollantur: ſin autem; reddantur Miſſo Domini Papæ..... Sic vidi tempore Domini Cæleſtini III Papæ fieri. Sic ſcio factum per ſocios & Dominos meos, tempore Domini Clementis III Papæ. Sic etiam in ſecundo anno ejuſdem *Cæleſtini* Pontificis, Indictione x, menſis Martii die xxx, quæ fuit tunc feria II ante Paſcha. *Hæc notant annum* MCXCII: *cujus die* XXX *Martii elapſus quidem erat annus ab obitu Clementis III, nondum tamen inchoatus fuerat annus ſecundus Cæleſtini, ſi hic electus non fuit ante* XII *Aprilis, ut paſſim ſcriptores tenent.* C. J.

158 *Canonicus Benedictus in ſuo, uti vocat Lonigus,* pulcherrimo Rituali Ms. *ritum ſolennium Vigiliarum, quæ ejus ætate celebrari conſueverant à ſummo Pontifice in Vaticana baſilica nocte, Dominicam* Gaudete *præcedente; deſcribens, ſic habet:* Media nocte ſurgens, audito ſigno, Dominus Papa, cum omnibus ordinibus ad S. Leonem venire debet; ibique Manſionarius præparat thuribulum epiſcopo, & epiſcopus Pontifici omnibus indutis ſuis indumentis. Cubicularii vero cum duobus faculis accenſis in candelabris debent ire ante Pontificem. Pontifex autem incenſat altare S. Leonis; deinde cum proceſſione incedens per porticum Pontificum ad S. Gregorium, primùm incenſat altare ejus, & altare S. Sebaſtiani, & altare S. Tiburtii; deinde duo altaria in mediana ad Crucifixum, ubi ab antiquis patribus audivimus requieſcere Apoſtolum Simonem & Judam. Poſtea vadit ad Sudarium Chriſti, quod vocatur Veronica, & incenſat; & altare S. Mariæ ſimiliter. Poſtea accedit ad S. Paſtorem juxta arcum triumphalem, & incenſat. Deinde diſcedens ad corpus, incenſat altare ſuper ſepulcrum S. Petri; & ſic ſedet in ſubſellio cum candelabris ante ſe; Paraphoniſta cum Scholâ incipit Vigilias, Ex Ægypto vocavi filium meum. Pſalmus; Beatus vir. Secunda Antiphona; Ecce apparebit Dominus ſuper nubem candidam. Pſalmus; Quare fremuerunt gentes. Tertia Antiphona; Ecce veniet Dominus, quem Joannes prædixit. Pſalmus; Domine, quid multiplicati ſunt. Deinde duo ſubdiaconi baſilicarii dicunt verſum. Accolyti tenent librum ſtationalem; & cubicularii faculas; & baſilicarii legunt Lectiones; Gaudens gaudebo in Domino. Diaconus præcipit; Tu autem Domine. Primicerius cum ſtola cantat Reſponſorium. Finitis tribus Lectionibus, Primicerius dicit; Te Deum laudamus. Subdiaconus porrigit Sacramentarium epiſcopo; & epiſcopus tenet ante Pontificem; & baſilicarii levant candelabra, & Pontifex dicit orationem. Diaconus dicit; Benedicamus Domino. Et Dominus Pontifex benedicit. Deinde exiens inde, aſcendit ad altare majus, & incenſat. *& Benedicti ſec.* II, *Vaticanæ baſilicæ Canonicorum;* E F

159 *Habemus ex hiſce contextibus multimodam theſis propoſitæ confirmationem. Primùm, quod vigiliæ ſolennes ac pontificiæ celebrari conſueverunt ſtatis temporibus in ipſa Confeſſione hypogæa, de qua hîc ſermo eſt: quodque adeo patuerit in illam aditûs per portam aliquam. Secundùm, quod etiam juſta capacitatis fuit Confeſſio; quandoquidem eò intraverit presbyter hebdomadarius cum canonicis ac manſionariis; nec non ipſe Pontifex cum frequenti ſuo comitatu ac miniſtris; ibique manſerint uſque ad finem officii. Tertium, quod fuit in illa Confeſſione altare, & quidem ſuper ſepulcrum S. Petri. Ex quo conſequitur quartùm, quod corpus* *cum explicatione textuum.*

C. J. *S. Petri fuit infra altare Confeſſionis, nempe in cubiculo adhuc depreſſiore. Habemus indidem quintùm, quod altare Confeſſionis diſtinctum fuit ab altari majori baſilicæ. In priori enim adductorum textuum Hebdomadarius intrat* ad corpus B. Petri, *id eſt in Confeſſionem, ibique* ponit ſupra altare *pannos ſuos; qui inde ablati ponuntur* ſuper altari majori, *ſi ibi ſequenti die celebretur Miſſa. In ſecundo autem textu, Pontifex conferens ſe* ad corpus, *incenſat* altare ſuper ſepulcrum S. Petri, *ibique ſedet, donec finito Officio,* exiens inde, aſcendit ad altare majus. *Ex quo pariter notari poteſt ſexiùm, quod præter januam, gradus ibi fuerint, per quos exeuntes è Confeſſione* aſcendebant *ad templum &* altare majus. *Denique ſeptimùm conſtare poteſt ex dictis, quod Pontifex in eadem Confeſſione habuit ſedem ſuam, in qua ſedebat tempore Officii divini contra altare, cum candelabris ante ſe. Manifeſtiſſima hæc ſunt ex præmiſſis duobus Canonicis, & confirmabuntur pleraque è Petro Damiani cardinali atque Anaſtaſio Bibliothecario.*

Item è S. Petro Damiani ſec. 11 Cardinali, B

160 *Petrus Damiani, Benedicto Canonico coævus; & Agnetis, Henrici III Imperatoris viduæ, Pater ſpiritualis, in epiſtola ad ipſam ſcripta, apud Baronium tomo* XI *ad annum* MLXII, *legenda tota, Confeſſionem S. Petri, quia ſubterranea erat,* arcanam *vocat, in eaque altare fuiſſe declarat; tum, ſibi ibidem vitæ totius delicta confeſſam eſſe Imperatricem, indicat, tanta cum animi præparatione ac demiſſione, acſi illic ipſe beatus Apoſtolus præſideret. Sic loquitur num.* 97 : Sub arcana quoque B. Petri Confeſſione ante ſacrum altare me ſedere feciſti, ac per lugubres gemitus & amara ſuſpiria, ab ipſa quinquenni infantia, tenera adhuc & nuper ablactata, cœpiſti; & tamquam illic ipſe beatus Apoſtolus corporaliter præſideret, quidquid ſubtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare viſceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea ſubrepere potuit in ſermone ſuperfluum; fidelibus eſt relationibus evolutum. *Cognoſci hinc poteſt, quanta tunc etiam temporis in veneratione fuerit ſacra B. Petri Confeſſio, ut alio loco noluerit pia Imperatrix univerſa vitæ ſuæ delicta retexere ſacerdoti, quam ubi Petrus in corpore quieſcit, cui Chriſtus dedit claves regni cælorum & poteſtatem ſolvendi atque ligandi. Sed ad nos hinc ſpectat præcipue, quod Confeſſio tunc habuerit aditum ſuum & altare, & homines admiſerit, orationi & piis operibus ibi vacaturos.*

C

& Anaſtaſio ſeculo 9 Bibliothecario.

161 *Anaſtaſius duobus ſeculis præceſſit Damianum, natus (uti ego quidem exiſtimo) antequam diem obiret ſupremum Carolus Magnus: de quo, ejuſque Donationibus ſcribit in Adriano Papa pag.* 108, *quod tabulas Donationis ſuæ* prius ſuper altare B. Petri, & poſtmodum intus in ſancta ejus Confeſſione ponentes, tam ipſe rex, quam ejus judices, B. Petro & ejus Vicario ſanctiſſimo Hadriano Papæ (ſub terribili ſacramento ſeſe omnia conſervaturos, quæ in eadem Donatione continentur, promittentes) tradiderunt. Apparem *quoque (id eſt exemplum ſeu copiam, ut vulgus vocat)* ipſius Donationis... Chriſtianiſſimus rex intus ſuper corpus B. Petri, ſubtus Euangelia, quæ ibidem oſculantur, ... propriis manibus poſuit.

Tria ex prædictis notanda.

162 *Tria hîc ſunt conſideratione digna, quæ verſantur circa tria loca diverſa.* Prius *poſuit Carolus Donationem ſuam* ſuper altare B. Petri; *quod eſſe diximus altare majus in ipſa baſilica.* Poſtmodum *poſuit illam* intus in ſancta ejus Confeſſione. *Denique poſuit apographum ejuſdem (authenticum enim jam tradiderat Adriano Pontifici.)* D intus ſuper corpus B. Petri: *quod utique innuit aliquid amplius, quam quod dixerat ſecundo loco,* intus in ſancta Confeſſione. *Hoc enim ſimpliciter ſonat Confeſſionem, ſeu cubiculum ejus primum, ubi erat altare: illud vero notare videtur cubiculum ſecundum, ubi erat ſepulcrum, in eoque corpus Apoſtoli. Ibi nempe voluerit rex ipſe* propriis manibus pro firmiſſima cautela, *ut loquitur Anaſtaſius,* & æterna nominis ſui & regni Francorum memoria, *exemplum Donationis deponere. Simili modo loquendi utitur Anaſtaſius in Leone III, dicens ipſum miſiſſe thuribulum aureum* intus, ſuper corpus *B. Petri. Hîc autem conſtat, Anaſtaſio ſermonem eſſe de cubiculo ſecundo, ubi ſepulcrum: cur non igitur ibi ſermo quoque ſit de eodem? Poſſet tamen fortaſſis in facto Caroli ſalvari modus loquendi, ſi intelligatur, non in ſecundo cubiculo, ſed in eodem primo,* intus *altare ſive intra altare ejus, quod imminebat corpori, exemplum Donationis depoſuiſſe in pavimento prope foramen, per quod ſepulcrum conſpici poterat: ſed primum videtur verosimilius.*

Alii de eadem Confeſſione textus, E

163 *Idem Anaſtaſius in Conſtantino Papa, qui Carolum Magnum ſeculo uno præceſſit, loquens de profeſſione fidei, quam Felix Archiepiſcopus Ravennatium miſerat non legitimam; ait, illam* per Pontificem in ſacratiſſima Confeſſione poſitam, poſt non multos dies, *in* terra, & quaſi igne combuſtam, repertam fuiſſe. *Idem iterum in Adriano, meminit etiam* deſcenſus *in Confeſſionem, ejuſque capacitatis, ſcribens pag.* 107, *quod* cum Pontifice ipſe Francorum rex *Carolus,* ſimulque & omnes epiſcopi, abbates & judices, & univerſi Franci, qui cum eo advenerant, ad Confeſſionem B. Petri appropinquantes, ſeſe pronos ibidem *in plano veſtibuli* proſtraverunt: *deinde vero* deſcenderunt pariter *cum prædicto comitatu* ad corpus B. Petri. *De porta Confeſſionis per quam ingredi Rex cum ſuo comitatu debuit, audiri iterum poteſt Anaſtaſius in Leone III pag.* 132; *ubi & diſtinguit inter ſe ternos ingreſſus, videlicet presbyterii, veſtibuli & Confeſſionis. Et presbyterio quidem duos attribuit, nempe à dextra lævaque altaris majoris; veſtibuli vero, unius tantum hîc meminit, qui erat in medio interioris ordinis columnarum, & emittere egredi volentes poterat in reliquam baſilicam, vel rectà per portam oppoſitam in exteriore columnarum ordine, vel dextrorſum aut ſiniſtrorſum per portas minores ad capita portionis; quas, opinor, quotidie patuiſſe volentibus accedere ad Confeſſionem aut altare majus; non item portam majorem mediam in exteriore columnarum ordine, quæ aperta fuerit diebus tantum ſolemnioribus. Textus Anaſtaſii ſic ſe habet.* *de portis ipſius*

F

& ingreſſu

164 Fecit *Leo* cancellos fuſiles in ingreſſu Presbyterii, ſeu in dextra parte lævaque; nec non & in ingreſſu Veſtibuli, ex argento mundiſſimo, penſantes ſimul libras MDLXXIII: ſimulque & columnas tornatiles in ingreſſu corporis *ſive Confeſſionis,* dextrâ lævâque, ex parte virorum ac mulierum, paria octo, penſantes ſimul libras CXC; nec non & arcus argenteos octo, penſantes ſimul libras CXLIII. *Cancellos fuſiles in ingreſſu presbyterii, hîc ego intelligo, fuiſſe in ipſis presbyteris januis cancellatis. Columna vero tornatiles in ingreſſu corporis ſeu Confeſſionis, pariter ornaverint portas, per quas utrimque deſcendebatur in Confeſſionem. Si quis enim columnas iſtas cum ſuis arcubus velit ornaſſe Confeſſionem, quo modo cancelli ornarunt presbyterium; oportet illum in Confeſſione etiam concipere duas (uti re ipſa fuerint)*

A rint) portas: quæ columnæ in ingreſſu Confeſſionis, æque ac cancelli in ingreſſu presbyterii, dicuntur poſita fuiſſe dextra lævaque parte; ſive, quod idem ſonat, ex parte virorum & mulierum. *Reſpiciebat enim tunc temporis pars virorum in baſilica, meridiem; pars vero mulierum, ſeptemtrionem: & dextra Confeſſionis, quatenus hæc ſpectabat navim mediam ac frontiſpicium baſilicæ, erat pars virorum; læva, erat mulierum. Si quis maluerit, columnas tornatiles octo partis utrimque non portas ipſas, ſed ingreſſum ac deſcenſum ad corpus ornaſſe; non refragor. Imo & veroſimilius id videri poteſt. Quandoquidem & arcus argentei octo facti fuerunt; qui totidem partibus columnarum per deſcenſum impoſiti fuerint. Addamus & alia, quæ ibidem fecit Leo* intra Confeſſionem, *ornamenta*; *videlicet* Salvatorem ſtantem, *cujus* dextrâ lævâque *conſiſtunt* beati Apoſtoli Petrus & Paulus, habentes pariter coronas ex gemmis pretioſis. Pavimentum vero ipſius Confeſſionis inveſtivit ex auro fulvo nimis, penſante libras CCCCLIII; & ſuper ipſum ſacrum altare *ejuſdem Confeſſionis* fecit veſtem chryſoclavam.

B *& vario ornatu.* 165 *Addamus præterea in confirmationem ulteriorem etiam alium locum Anaſtaſii in Adriano pag.* 119, *huc apprime facientem: in quo diſtinguens altare majus a Confeſſione, illud extra Confeſſionem conſtituit; ante ipſam vero Confeſſionem ponit cancellos; meminitque liminis tam ſuperi quam inferi in porta, & ipſius etiam corporis Apoſtoli, ſic ſcribens:* In altari majori eccleſiæ B. Petri Apoſtoli fecit ex auro puriſſimo *Adrianus* diverſas hiſtorias, *ſive tabulas, quæ antiqui aut novi Teſtamenti hiſtorias repræſentabant*, penſantes libras DXCVII: & intus in Confeſſione imaginem in modum Euangeliorum ex auro obrizo, penſantem libras XX; ſimul & cancellos ante eamdem Confeſſionem ex auro puriſſimo, penſantes libras XVI. *Et dicta ſua quaſi ſummatim repetens, addit, quod* fecit *Adrianus* ſimul in altari intus in ſacra ultro citroque Confeſſione imaginem Euangeliorum, nec non & in poſtibus inferioribus & ſuperioribus, atque cancellis, ſimul etiam & circa corpus, ex auro obrizo libras MCCCXXVIII.

C § IV. De altera crypta, ubi monumentum Apoſtolicum, & ei imminente foramine ſubter altare.

Foramen unum erat in fundo ſubter altare,

U*Num cubiculum hypogæum ſive ſubterraneum cum ſuo altari, porta, veſtibulo, gradibuſque jam inſpeximus: quæramus alterum, quod eſt depreſſius: usque eò penetremus, inveniendæ prius eſt via per feneſtellam, ſeu malis dicere foramen, quod ſit ſubter altare Confeſſionis. Hoc nobis digito Monſtrat Gregorius Turonenſis cap.* 28 *de gloria Martyrum; ubi loquens de S. Petro, ejuſque eccleſia, & Confeſſione; ait,* ſepulcrum *Apoſtoli*, ſub altari collocatum, valde rarum haberi *ſeu valde æſtimatum eſſe:* & qui orare deſiderat, referatis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit ſuper ſepulcrum; & ſic feneſtellâ parvulâ patefactâ, immiſſo introrſum capite, quæ neceſſitas promit, efflagitat. *Concipit feneſtellam hanc Lonigus, in fronte altaris, diverſam à foramine, quod certò conſtat in fundo altaris fuiſſe ſupra ſepulcrum Apoſtolicum. Verum, quandoquidem unius tantum aperturæ hoc meminit Gregorius, qua pateat ſepulcrum; atque intelligi commodiſſime poſſit de apertura, quæ eſt in pavimento ſubter altare; præter hanc nulla,* illo ſaltem ex loco, neceſſitas cogit admittere aliam C. J. *in fronte ejuſdem altaris.*

167 *Poteſt enim illud altare columellis tantum non in fronte quatuor, ut ſæpe ſolet, nixum, aut certe tota fronte ejus, apertum fuiſſe, quo facilior ad foramen pavimenti patêret acceſſus. Certe, ſi anterius illud foramen in altari fuiſſet, non potuiſſet per illud Pontifex Gregorius IV, de quo ſupra num* 143, caput & pectus *ſuum pronus* ſuper corpus & Confeſſionem S. Petri Apoſtoli ponere. *Nec fuerit facile primùm per aperturam ſeu* feneſtellam parvulam *in fronte altaris, per quam vix caput inſeri poterat; deinde per foramen in fundo ejus, immittere ſuper ſepulcrum brandea, ſanctuaria, claves aureas, aliaque, per contactum ſepulcri apoſtolici quodammodo ſacranda: de quibus Lonigus & alii ſcriptores. Multo autem difficilius fuerit immittere eò per duas, quas dixi, aperturas thuribula, eaque intus ſuper ſepulcrum ex unco ſuſpendere. Longimanum enimverò fuiſſe oporteret, qui id potuerit. Et tamen factum fuit ac fieri conſuevit in Confeſſione S. Pauli Apoſtoli, teſte Benedicto Canonico, de quo ſupra, imo & in Confeſſione S. Petri teſte Centio Camerario. Benedictus enim Canonicus in Ms. quod Guidoni de Caſtello Cardinali dedicavit, apud Turrigium in Cryptis pag.* 470, *& apud Lonigum ex editione Bonannii pag.* 203, *ſic ſcribit in ſuo Rituali, pro feſto Commemorationis S. Pauli.*

168 In quarta Lectione ſurgit Pontifex & *ſupra ſepulcrum Apoſtolicum,* intrat ad arcam altaris S Pauli, ubi eſt foramen in fundo arcæ ſuper corpus Apoſtoli: & diſcooperto eo, mittit manum deorſum, & apprehendit thuribulum in (*Turrigius habet* ex) unco plenum carbonibus & incenſo; & trahit foras incenſum, & carbones dat Archidiacono: Archidiaconus autem dat per populum, hac ratione: ut quicumque febricitans devote in fide Apoſtoli ex iis biberit, ſanetur. Interim replet thuribulum de carbonibus, & ponit ſuper eos candelam vitream, plenam incenſo; accendit carbones, & candela incipit bullire; & reponit thuribulum (*addit Turrigius*, in prælibato unco) & cooperitur foramen arcæ à Pontifice ſuper corpus ejus. *Unica hic apertura eſt, ad quam recta accedit Pontifex, in* fundo arcæ ſuper corpus Apoſtoli, *ac per illam* mittens manum deorſum, *apprehendit thuribulum, in cubiculo inferiori pendulum; quod apprehendere non potuiſſet, ſi alia in fronte altaris apertura fuiſſet, per quam prius antrorſum, ac deinde per aliam aperturam deorſum mittere debuiſſet manum.* F

quod per illud conſpici peterat.

169 *Similiter fieri conſueviſſe in Confeſſione S. Petri, teſtatur, ut dixi, Centius Camerarius apud Turrigium loco citato ſic locutus:* Dominus Papa poſt quartam Lectionem Vigiliæ deſcendit ad arcam altaris B. Petri, & inde extrahit thuribulum cum candela, quæ alia feſtivitate à Domino Papa fuit repoſita cum carbonibus & incenſo; & poſtmodum thuribulum cum candela ibidem remittit. *Brevior quidem hic eſt Camerarius, quam fuit Benedictus Canonicus; eumdem tamen ille ritum indicat in Confeſſione S. Petri fieri ſolitum, quem pluribus ille deſcribit pro Confeſſione S. Pauli. Utrobique compâret Pontifex, & poſt Lectionem quartam vadit ad altare Confeſſionis: utrobique extrahit thuribulum & deinde reponit cum carbonibus & incenſo & candela. At Camerarius ſcribit, Pontificem deſcendere ad arcam* altaris B. Petri: *quod ex ſupradictis, eſt altare majus, in cujus fundo non fuit iſtiuſmodi foramen. Dixi ſupra,* crebro *per* altare S. Petri, *intelligi altare majus.*

C. J. *majus; non dixi*, semper & ubique *intelligi. Possunt enim adjuncta orationem illam aliò trahere, uti etiam hîc fit; dum dicitur Pontifex* descendere *ad altare B. Petri; quod utique non innuit altare majus, ad quod ascendendo perveniri poterat, non descendendo. Adde jam dictis etiam thuribulum, quod fecit Leo III, apud Anastasium pag.* 135, ex auro purissimo, *atque in Confessione S. Petri* misit intus super corpus ejus.

Utrum altare cinctum cancellis fuerit, habentibus in se fenestellam.

170 *Arcam altaris in præmissis intelligo truncum ejus, seu spatium illud, quod sub lapide seu mensa altaris usque ad fundum sæpe sæpius cavum est; in quo & corpora Sanctorum solent recondi, sic dictum à forma & similitudine arcæ, cujus etiam usum atque capacitatem habet, recipiendo in se & conservando impositas Sanctorum Reliquias, seu nudas, seu arcæ (unde & ipsum cavum altaris arca dici potuit) inclusas. Potest tamen hoc altare, aut potius arca ejus, non semper, nec omnibus promiscue, patuisse; sed potest fuisse circumdata cancellis, qui accedente Pontifice aliove ministro, aut persona principe, aperirentur; ut ad prædictam foramen in fundo arcæ commodior iis aditus pateret. Videntur huc referri posse citata Gregorii Turonensis verba,* B *inquientis, quod* sepulcrum *Apostoli* collocatum *est* sub altari: *&*, qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur (*quis locus, nisi arca altaris? Statim enim post*) accedit super sepulcrum; & fenestella parvula patefacta (*non in cancellis jam reseratis, sed in fundo arcæ*) immittit introrsum caput, *ac orat. Potest tamen etiam in his ipsis cancellis fenestella fuisse, quæ seorsim aperiretur, pro aliis, qui ad Confessionem orationis causa admittebantur; ut per illam inferentes caput, per subjectum foramen (si & illud in gratiam eorum aperiretur) cum maiori sua consolatione conspicerent ipsum monumentum aeneum ubi sancti Apostoli condantur. Et hæc fenestella cancellorum, potest fuisse prima cataracta respectu valvulæ, quæ cooperiebat foramen in fundo arcæ; &* cataracta secunda *potest appellata fuisse à S. Germano, episcopo Capuano ac Sedis Apostolicæ Legato Constantinopoli, dum petiit, Justiniano, postea Imperatori, reliquias Sanctorum ab Hormisda Pontifice Romano mitti, &* Sanctuaria beatorum Apostolorum Petri & Pauli, si fieri potest, ad secundam cataractam *deponi: nisi fortasse foramen, quod in fundo arcæ, pervadebat totum fornicem, concipiatur (uti concipit Turrigius pag.* 461) *habuisse valvulas binas, quas totidem cataractas vocaverit Germanus, unam in fundo foraminis, alteram in summo ejus. Et huic quidem admoveri facile à quovis potuerint sanctuaria ac brandea; non item valvulæ seu cataractæ secundæ; ad quam pro gratia singulari petit Germanus sua sanctuaria deponi.*

Quid hic cataractæ.

C

An foramen rotundum,

171 *Turrigius eâdem pag.* 461 *scribit etiam, quod in medio hodierni sacelli Confessionis, ab Urbano VIII præcipue ornati, existat* in terra antiquissimum foramen formæ quadratæ. *Sed idem Auctor, uti mox dicemus, in quibusdam Mss. suis notatum reliquit, foramen illud Clementis VIII jussu* cœmentis oppletum *fuisse. An igitur adhuc extet conspicuum subeuntibus sacellum istud? Fateor, me, cum olim locum venerabundus intravi, eò non reflexisse animum: opinari interim audeo, antiquis temporibus foramen istud non quadratum, sed rotundum fuisse, ac fortassis in meditullio fornicis, infimum cubiculum contegentis. Anastasius quippe in Benedicto III foramen illud vocat* billicum *sive umbilicum; inquiens, Pontificem istum* in ecclesia B. Petri feciſſe cooperculum ex auro purissimo, pensans libras tres, ad cooperiendum billicum Confessionis ejus. *Est autem bilicus, sive umbilicus, in fornicibus pars suprema, ubi coëunt paulatim in arctum cœmenta, & clauduntur majori lapide aliquo seu pertuso seu solido: estque idem fere quod tholus. Quam vocem explicans Hadrianus Junius,* Tholus *est, inquit,* testudinis umbilicus in medio tecto, in quem trabium capita (*idem dicendum de laterculis*) conveniunt. *Quod si pertusus est lapis, qui fornicem claudit, debet foramen ejus figuram habere circularem, ut aqualiter premi possit ex omni parte fornicis, eò urgentis. Quod & videmus factum esse in Pantheo Romano. Successit Benedicto in Pontificatu Nicolaus, qui legitur pag.* 109 *feciſſe in eadem Confessione* jugulum de auro mundissimo librarum duarum. *Difficilis sane conjecturæ hic sit interpretatio vocis Jugulus seu Jugulum. Quid si additamentum interpreter (donec alius verisimiliora produxerit) ad cooperculum, quo clausit Benedictus sæpe memoratum foramen; fueritque limbus quidam, circum foramen ductus, & coaptatus dimensione cooperculi Benedictini, quo hoc decentius ac firmius claudi posset: dictus autem fuerit Anastasio Jugulus, à rotunditate per quam in subjectum locum demitti aliquid poterat; qualis est jugulus in animantibus. Neque aliter decuit, quam ut cooperculo aureo aureus quoque jugulus sive circulus adderetur, quo scilicet aurea ibi essent omnia prope sepulcrum; aurea & ipsum cruce insignitum in superficie à Constantino.*

D

& in medio cubiculo fuerit.

E

Per illud foramen, quod vidisse dicitur Clemens 8 & alii,

172 *Huc etiam facit, quod Bonannius de foramine eodem eique subjecto monumento aneo refert ex opusculo quodam Ms. Turrigii his verbis:* Cum novi templi Vaticani pavimentum altius deduci & æquari opus esset anno MDXCIV, Jacobus à Porta celebris architectus, retulit Clementi VIII, detectum à se foramen per quod S. Petri monumentum apparebat. Quo audito Pontifex ipse, ductis secum Eminentissimis Cardinalibus, Bellarmino, Antoniano, & S. Cæciliæ; atque admotâ ab Architecto ardenti face, oculis perlustravit crucem auream sepulcro impositam: deinde jussit vetustissimam aram eodem in loco intactam relinqui; foramen se coram cœmentis oppleri; novumque postea desuper altare, & quidem magnificentius erigi ampliòris formæ: quod altare absolutum die Dominico, XXVI Julii, MDXCIV, Cardinalibus XXXVIII adstantibus, totius Romanæ curiæ interventu innumerabilique populi concursu, ipsemet Pontifex solenni ritu consecravit; & in eo omnium primus incruentum Missæ sacrificium obtulit; sicuti olim anno MCXXII Calistus II altare supradictum à B. Silvestro ædificatum, in celebri die Annuntiationis B. Mariæ consecraverat. Hæc affirmat Turrigius à Cardinali S. Cæciliæ enarrata fuisse Aloysio Cittadino, basilicæ canonico, & Joanni Barretto, ejusdem sacræ Confessionis custodi. *Hactenus ex Turrigio Ms. Bonannius.*

F

demittebantur ad sepulcrum brandea,

173 *Per illud ipsum foramen demittebantur olim, ut diximus, brandea sive vela quædam super sacrum sepulcrum, ejusque contactu imbuebantur divina virtute, ac donata etiam principibus viris, ecclesiastica secularive dignitate præfulgentibus, & in longinquas regiones dispersa, operabantur eadem fere prodigia, quæ solet Deus operari per reliquias, quarum contactu sacrata fuerant, sive illa sanctorum Apostolorum sive aliorum fuerint. Non enim tantummodo Apostolorum reliquiis, sed quorumcumque*

A *que miraculis ac veneratione populi celebriorum, admovebantur Brandea jam tum à temporibus Leonis Magni ſeculo* v. *Prætermittere non poſſum, quæ de his Magnus ſcribit Gregorius ad Conſtantinam Auguſtam lib.* 3 *Epiſt.* 30. *Poſtquam dixerat, Romanis tunc conſuetudinem non eſſe, ut quando Sanctorum reliquias dant, quidquam* tangere, *nedum dare*, præſumant de corpore; ſed tantummodo in pixide brandeum mittere atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponere. Quod levatum, in eccleſia, quæ eſt dedicanda (*petierat Auguſta reliquias, & quidem caput S. Pauli, pro nova eccleſia ipſi conſecranda*) debita cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt; acſi illuc ſpecialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit, ut beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, ſicut à majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent; prædictus Pontifex hoc ipſum brandeum altaris, allatis forficibus inciderit, & ex ipſa inciſione ſanguis effluxerit. *Ita Gregorius.*

ejus contactu ſacranda,

174 *Sed & ipſe illud Leonis miraculum renovavit, dum, Legatis quibuſdam, data ſibi ejuſmodi brandea contemnentibus, illa Gregorius altari impoſuit, & facta oratione* (ut Deus omnipotens, utrum quod à liminibus Apoſtolorum de more tranſmiſſum eſt, pro reliquiis martyrum venerari deberet, quantocyus indicaret) incredulos Legatos propius adſtare fecit, cultellum petiit, brandeum pupugit; de cujus punctionibus ſanguis protinus emanavit. *Hæc & alia, ad rei prodigium ſpectantia, legi poſſunt apud Joannem Diaconum in vita Gregorii, die* XII *Martii noſtri pag.* 154 *num.* 42.

ac deinde res miras operantia.

B

Gregorio Magno Papæ par ætate Gregorius Turonenſis modum quoque immittendi ad ſepulcrum brandea (quæ ipſe Palliola nominat) & ſolitum inde extracta comitari miraculum deſcribit libro & capite paulo ante citatis. Poſteaquam enim dixerat, illum, qui deſiderat orare ad ſepulcrum S. Petri, reſeratis cancellis ſuper illud accedere, & feneſtellâ parvulâ patefactâ, immittere introrſum caput, ac flagitare quod neceſſitas promit; ſic progreditur: ſi beata auferre deſiderat pignora (*reliquias vocat Gregorius Magnus*) palliolum aliquod momentanâ, *id eſt bilance*, penſatum, jacit intrinſecus: deinde vigilans ac jejunans devotiſſime deprecatur, ut devotioni ſuæ virtus Apoſtolica ſuffragetur. Mirum dictu! ſi fides hominis prævaluerit, à tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam prius penſaverat, ponderet: & tunc ſcit qui levaverit, cum ejus gratia ſumpſiſſe, quod petiit.

C

Demittebantur eôdem & claves aureæ, aliaque.

175 *Simili modo ad corpus Apoſtoli demittebantur claves aureæ, quales, ut ibidem ait Turonenſis*, multi faciebant ad referandos cancellos beati ſepulcri, *eaſque ferentes*, pro benedictione accipiebant priores; *quas credideram etiam per contactum ſepulcri imbutas fuiſſe ſuperna virtute: certe iis* medebantur infirmitati tribulatorum. *Iſtiuſmodi etiam clavibus, quæ ſepulcro ſuperimpoſitæ fuerant, ſæpe alia addebatur prærogativa, vel ab apertione cancellorum, illis facta; vel à ſcobe catenarum B. Petri, iis incluſa: è quibus unam Gregorius Papa ad Recaredum Viſigithorum in Hiſpania regem, recens tunc ab Arianiſmo converſum, dono mittens, lib.* 7 *epiſt.* 126 *ſic loquitur:* Clavim parvulam à ſacratiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore, pro ejus benedictione, tranſmiſimus; in qua ineſt ferrum de catenis ejus incluſum; ut quod collum illius, ad martyrium alligaverat; veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat. *Et infra:* Præterea tranſmiſimus clavim aliam à ſacratiſſimo B. Petri Apoſtoli corpore; quæ cum digno honore repoſita, quæque apud vos invenerit, benedicendo multiplicet. *Hæc clavis aliam prærogativam non exprimitur habuiſſe, quam quod ſumpta fuerit de Apoſtoli corpore ſive ſepulcro.* C. J.

Quam longe ſepulcrum abfuerit à laqueari,

176 *Hactenus ample oſtenſum eſt, quod propoſuimus in theſi, ſub primo cubiculo Confeſſionis, in quo altare erat, aliud depreſſius fuiſſe cubiculum, in eoque ſepulcrum Apoſtolicum, atque ex uno in aliud proſpectum patuiſſe per foramen. Quærere poſſet curioſus lector, quam depreſſum fuerit ſepulcrum, & ſuperficies ejus quam longe abfuerit à laqueari. Interceſſit ſaltem ſpatium tantum, quanta fuit longitudo thuribuli, quod Benedictus Canonicus ſupra citatus, meminit ex unco laquearis ſuſpendi & ſupra ſepulcrum pendêre ſolitum fuiſſe. Quod ſi argentum, de quo loquitur S. Gregorius in epiſtola ad Conſtantinam imperatricem, intelligatur fuiſſe valvula, qua claudebat foramen, ſepulcro imminens, interceſſerit inter illud & laqueare ſpatium pedum* XV. *Ait enim:* Beatæ recordationis deceſſor meus, quia argentum, quod ſupra ſacratiſſimum corpus B. Petri Apoſtoli erat, longe tamen ab eodem corpore fere quindecim pedum ſpatio, mutare voluit; ſignum ei non parvi timoris apparuit. *Loquitur Magnus Pontifex de veneratione, reliquiis Sanctorum debita: quas etiam tetigiſſe aut vidiſſe tantum, oſtendit ætate ſua multis non fuiſſe impune.* E

§ V. De monumento Apoſtolorum aheneo eique incluſo argenteo loculo.

Monumentum æneum, cui contra injurias aquarum & furum,

COnſpeximus per foramen in fundo altaris è cubiculo ſuperiori, monumentum ingens aheneum, cui loculum cum ſacris Apoſtolorum Petri & Pauli corporibus, uti mox oſtendemus, incluſit S. Silveſter, duabus præcipue (uti ego quidem exiſtimo) de cauſis, tum ut ſacer theſaurus ſic lateret tutius à rapacibus ac violentis manibus; quæ ſecutis temporibus non ſemel rapuerunt cetera quævis baſilicæ ornamenta, præſertim argentea aureaque: tum ut perpetuò munitus eſſet contra injurias aquarum, quæ ſciuntur per Vaticanam vallem quandoque ſtagnaſſe & aliorum Sanctorum corporibus ibi tumulatis perniciem attuliſſe, deplorante id ipſum, ac malo remedium afferente, Damaſo Papa in Carmine, quod ei cecinit Mercurius Levita, eſtque inter Poëmata Damaſi trigeſimum nonum, his verſibus:

F

Cingebant latices montem (*Vaticanum*) tenero-
que meatu
Corpora multorum, cineres, atque oſſa rigabant.
Non tulit hoc Damaſus, communi lege ſepultos
Poſt requiem triſtes iterum perſolvere pœnas:

ac protinus ſcrutari montem, indagare in fontes, aquam derivare alò aggreſſus fuit.

corpora Apoſtolorum cum loculo ſuo argenteo incluſa ſunt,

178 *Loculi, quibus corpora Apoſtolorum incluſit Silveſter tam in baſilica S. Petri, quam in S. Pauli, quales fuerint & è qua materia; non exprimit Anaſtaſius. Petrus Manlius ſuprà pag.* 37 *n.* 4, argenteum *facit illum ſaltem loculum, qui eſt S. Petri: quod & rationi perquam conſentaneum eſt. Quoniam enim perpetuitati ſacrarum reliquiarum conſulere meditabatur Silveſter, non debuit utique illas committere loculo, è ligno, quantumvis pretioſo; quia omne lignum diuturnitate atque edacitate temporis tandem corruptioni obnoxium eſt. Metallum*

C. J. *tallum igitur adhibuit; nec voluerit adhibere vilius, quam argentum. Quippe qui tantam ſupellectilis argenteæ aureæque vim, quantam deſcribit Anaſtaſius, incredibilem ſane, in ornatum baſilicæ, ejuſque Confeſſionis contulit, tribuente liberaliter & magnifice omnia Conſtantino; quique ipſi loculo ingens & magni pretii monumentum ex ære, circumpoſuiſſe, illudque extrinſecus cruce aurea centum quinquaginta pondo condecoraſſe legitur: quomodo ſuſtinuiſſet loculum, ipſa ſacratiſſima oſſa contingentem & ambientem, è viliori metallo componi quam argento?*

quale fuerit ex Anaſtaſio,

179 *Monumentum illud æneum, in quo loculus cum corporibus eſt reconditus, ſic deſcribit Anaſtaſius pag.* 154. Ipſum loculum undique ex ære Cyprio concluſit, quod eſt immobile. Ad caput, pedes V; ad pedes, pedes V; ad latus dexterum pedes V; ad latus ſiniſtrum, pedes V; ſubtus, pedes V; ſuprà, pedes V. Sic incluſit corpus B. Petri *&c. quæ ſeq.* § *dabimus. His plane conſonant, quæ habet eâdem de re Liber Pontificalis apud Schelſtratium tomo* I *Antiquitatis eccleſiaſticæ, impreſſo Romæ anno* MDCXCII. *Conſonat quoque Petrus Manlius plane in principio ſui opuſculi,*

B *ubi prædicta iisdem propemodum verbis adſtruit. Sed nemine horum trium, alterutrum aliorum clarius ibi explicante, ambigua manet intelligentia citatorum verborum, an videlicet in ænea mole, quæ loculum circumcludit, concipiendi ſint pedes* V *craſſitudinis, à qualibet ſuperficie loculi uſque ad extimas ſuperficies molis æneæ: an vero pedes* V *intelligi debeant de craſſitudine molis ſecundum ſe, ita ut ſuperficies ejus omnes & ſingulæ habeant pedes* V *extenſionis; atque adeo tota maſſa ſit perfecte cubica.*

180 *Primum videtur magis congruere citatis Anaſtaſii & aliorum verbis.* Undique *enim, id eſt omni ex parte, concluſit Imperator loculum ære, ponens ad caput ejus pedes* V *æris; ad pedes ejus, pedes* V; *ac totidem a ceteris argentei loculi ſuperficiebus uſque ad ceteras monumenti ænei ſuperficies. Nam cujus, quæſo, reſpectu concipi hîc poteſt caput, pedes, latus dextrum &c. quam reſpectu loculi argentei? qui habuerit formam oblongam, & ſo taſſis deſuper cælatam aut anaglypham figuram hominis, ſeu Petri tantum, ſeu Petri & Pauli ſimul; unde caput & pedes & latera dextrum ſiniſtrumque denominari potuerint. Imo niſi Anaſtaſius ejuſque ſequaces voluerint exprimere, undique à loculo argenteo extendere ſe craſſitiem molis æneæ circumfuſæ, in omnem partem pedibus* V; *quid attinebat, tam diſtincte & quodammodo ſcrupuloſe, ſingulas ejus ſuperficies annumerare; cum paucis abſolvere potuerint rem totam, dicendo, molem æneam loculo circumfuſam per omnem ſui dimenſionem habuiſſe pedes* V, *aut fuiſſe cubicam pedum* V. *Et hic quidem magis obvius videtur Anaſtaſii ſenſus.*

C 181 *Nihilominus ſenſum alterum, puto, præferendum eſſe, qui quamlibet molis æneæ ſuperficiem ad pedum* V, *non amplius, ſpatium reſtringit; tum quia primus ſenſus incomparabilem vim metalli requiſiviſſet; ſecundus autem moderatam, tantam tamen, quanta ſuffecit ad conſequendum effectum, intentum à Conſtantino atque Silveſtro, ut ſcilicet moles eſſet immobilis & auferri nullo unquam tempore poſſet: tum quia Romanus Canonicus, in illis quæ Manlio ſuperaddidit, uti mox videbimus, accipit molem quinquepedalem cubicam juxta ſenſum ſecundum. Quod & placet amico noſtro eruditiſſimo viro Juſto Fontanini, Eminentiſſimi Card. Imperialis Bibliothecario, qui à me dubii cujuſdam ſolutionem interrogatus, etiam ſuperaddidit in reſponſione Kal. Feb.* MDCCII *data, ſuam de monumento S. Petri æneo ſententiam, exiſtimans, ex ipſis etiam verbis Anaſtaſii ſuprà adductis, exploratiſſimum haberi debere, illud monumentum fuiſſe* quadratum; & pedum dimenſionem ad latitudinem cujuſque partis, non ad ſpiſſitudinem, *à ſuperficie monumenti æneiuſque ad ſuperficiem incluſi loculi argentei intercedentem, referri debere. Addit quoque firmiorem ſententiæ ſuæ auctoritatem è codice Ms. Maphæi Vegii, citans è libro ejus Ms. de baſilica Vaticana hæc verba:* Tum fabricavit *Conſtantinus corpori beati Apoſtoli* inſignem thecam argenteam, ære undique & cupro concluſam, qua decentius conditum eſſet; omni ex latere in longum & in latum, ſurſum ac deorſum, quinque pedes protenſam.

quale ex recentioribus;

182 *Hæc ille è codice Ms. Vegii (eadem verba leguntur in impreſſo noſtro pag.* 70, *n.* 55) *deſinentis, ut patet, thecam argenteam cum ære quo includitur, id eſt totam maſſam æris ſimul & thecæ, omni ex latere ſeu ſuperficie protendi pedes* V. *Vegio adjungere quoque poſſum auctoritatem vetuſtioris Romani Canonici, qui in editione Pauli de Angelis, pag.* 154 *multa Manlio addidit atque inter alia de loculo & mole metalli circumfuſi ſic* E *ſcribit:* Ac ne umquam à quolibet tam pretioſus theſaurus poſſit auferri, circa loculum ipſum, quo beatum corpus continetur, tantum æris cuprique liquorem præcepit effundi, ut ex omni undique latere *affuſi æris*; & tam ſupra quam ſubter, ad V pedum craſſitudinem vaſtam molem efficeret. *Manifeſte hîc ſignificatur, tantam æris copiam fuiſſe loculo circumfuſam, ut moles univerſa efficeretur, ad* V *pedum craſſitudinem, longitudinem, latitudinem & altitudinem, fueritque perfecte cubica quinque pedum.*

& ex Romano Canonico.

Non potuerit pedes 15 *eſſe longum,*

183 *Et vere huc etiam reduci debere ſenſum Anaſtaſii, ſuadet neceſſitas. Nam moles, quam conficit ſenſus Anaſtaſii, datus ſuprà primo loco, tantam vim æris complexa fuiſſet, quanta forte tunc in ipſa Roma non proſtabat venalis; præſertim cum æquale pondus haberi debuerit eodem tempore pro monumento ſimili in baſilica S. Pauli via Oſtienſi. Si enim concipiamus molem, ex qualibet ſuperficie loculi argentei incluſi extenſam craſſitudine ſua ad pedes geometricos* V; *addamuſque loculum argenteum, qui pro ſtatu corporis humani, fuerit pedes ſaltem quinque longus; duos latus, ac duos altus; tota longitudo monumenti æneiuſque contineret pedes* XV, *latitudo pedes* XII, *altitudo totidem; atque ita moles univerſa, ſi ſolida fuiſſet, continuiſſet pedes geometricos cubicos æris* 2160. *Pono autem, unciam unam eſſe partem lineæ pedalis duodecimam: atque indè conſequi, pedem cubicum unum continere uncias* 1728: *conſequetur porro, in tota maſſa pedum cubicorum* 2160, *contineri uncias cubicas* 3732480. *Pono iterum, unciam unam æris cubicam habere pondus libræ unius: & conſequetur, tot eſſe libras in pede uno cubico æris, quot ſunt unciæ; & ſimiliter tot libras in tota maſſa, quot unciæ ſunt; videlicet* 3732480, *id eſt milliones tres, ſeptingenta triginta duo millia, quadringenta octoginta pondo. Hinc autem ſi detrahantur pro cavitate, pedes* V *longâ, duos altâ ac totidem latâ, pedes cubici viginti, id eſt unciæ & pondo* 34560; *ſupereruntin mole illa uncia & pondo æris ſolidi* 3697920, *id eſt milliones tres,* 697 *millia, &* 920 *pondo.*

ſed neque duodecim;

184 *Si vero contrahere longitudinem loculi argentei eamque reducere malimus ad pedes duos, ut longitudo ejus par ſit latitudini & altitudini; longitudo molis æneæ reducetur pariter ad pedes* XII,

A XII, *quanta nempe est etiam latitudo & altitudo ejus juxta præmissam suppositionem, atque invenientur, tam moles, quam loculus, perfecte cubica, illa pedum* XII, *hic duorum: tota vero æris solidi massa, demptâ cavitate pedum octo cubicorum, continebit uncias, adeoque & pondo*, 2997140, *id est, milliones duos, nongenta nonaginta septem millia, centum & quadraginta; cederetque prædictæ moli, quæ supponebatur pedes* XV *longa esse, septingentis triginta quinque millibus, trecentis & quadraginta pondo. Quanta tamen, etiam sic, moles! quam ponderosa! quam vasta!*

quia ex comparatione aliarum machinarum

185 *Miramur æneas columnas cum suo cyborio, erectas ab Urbano Papa* VIII *supra altare S. Petri, quas scribit Bonannius pependisse universim pondo* 186392. *Miramur copiam metalli, quod idem Urbanus extraxit è porticu Panthei, nunc S. Mariæ Rotundæ, conflarique jussit in prædictum cyborium & tormenta bellica plus quam octoginta, ut scribit Turrigius in Cryptis pag.* 143; *adjungens, totam vim æris pependisse* 450251 *pondo. Multo autem magis miramur scapum obelisci, quem Dominicus Fontana sub Sixto V transtulit è loco pristino ad umbelicum intercolumnii, quod ante frontispicium basilicæ nunc panditur in aream ovatam, ibidemque erexit, pensantem eodem Fontana teste, pondo* 963537. *Quanto autem molimine steterit istiusmodi translatio & erectio, conjici ex eo potest, quod illis insudarint mille ducenti viri, & centum sexaginta equi; impensaque sint scuta Romana* 37975, *uti notat Bonannius ex Mutio Pansa de Bibl. Vatic. pag.* 120; *quodque annus integer insumptus fuerit conquirendis perficiendisque machinis ad opus tam arduum necessariis; ut idem Bonannius scribit pag. sua* 207.

talis fundi non potuerit,

186 *Sed hæc omnia non magnum pondus videri possunt, si cum ænea mole, seu illa, quæ pedes* XV *supponitur longa fuisse, sive cum altera, quæ pedes tantum* XII *habuerit, comparetur. In minima enim harum duarum æris massarum continetur totum pondus obelisci ter; totum pondus metalli, è porticu Panthei extracti, sexies; totum pondus columnarum & cyborii supra altare S. Petri, decies & quinquies, & amplius. Si modo quis consideret, quanti moliminis fuerit fundere & erigere columnas ac cyborium Urbanianum; aut potius, quanto labore, sumptibus, tempore transvectus fuerit ad spatium, non admodum longum, erectiusque sit obeliscus Sixtinus; facile concedet, humanis viribus atque arte moveri vix potuisse massam, triplo & amplius graviorem obelisco illo. At in loco ipso confessionis massa talis parata fuit. Dicit quippe Romanus Canonicus,* circa loculum, quo beatum corpus continetur, tantum æris cuprique liquorem fuisse effusum, ut ex omni undique latere.... vasta moles efficeretur.

C

saltem simul.

187 *Verum quis non animadvertat, crudiorem hanc esse orationem atque incredibilem, quatenus asserit, liquefactum æs cuprumque circumfusum loculo fuisse; præsertim si prætendatur fuisse circumfusum tanta copia, ut excreverit in massam alterutram ex supra descriptis? Imprimis enim notissimum est, eam esse vim liquidi æris, ut copiose circumfusum lipsanothecæ ligneæ, lapideæ, argenteæ aut etiam aureæ; illam cum suis reliquiis dissolvere penitus & consumere debeat. Deinde velim mihi explicet aliquis, artis fusoriæ peritus, quo vase tantum æris pondus capi, quo igne liquefieri, quibus machinis moveri, quo denique modo fundi & in talem formam conflari potuerit. Considero enim quanti laboris, artis ac moliminis sit fundi tormentum bellicum aut æs campanum, quod pendat tantummodo* 25000 *pondo; quantique fuerit, conflari columnas cyborii Urbaniani, de quibus supra; & statuas æreas quatuor sanctorum Ecclesiæ Doctorum, quæ sustentant cathedram S. Petri, opus Alexandri* VII *magnificentiâ dignum; cum tamen singulæ columnæ cum suis basibus & capitulis, teste Bonannio pag.* 159, *non pendant amplius quam* 27946 *pondo; statuæ vero singulæ, eodem teste pag.* 136, *pendant, Ambrosii quidem, pondo* 34023; *Augustini vero,* 30791; *Chrysostomi* 27791, *Athanasii,* 23652. *Considero, inquam, ista quam sint ardua, & fateri cogor me non capere, quo pacto massa, quæ viginti quinque millia pondo, centies, decies & octies in se complectitur (qualis est minima è duabus supra descriptis) liquefieri simul & fundi possit.*

C. J.

Fuerit igitur quinquepedale tantum per omnem superficiem;

188 *Quamobrem recurrendum mihi est ad alteram sententiam, quæ universo monumento æneo tribuit, juxta explicationem Maphæi Vegii, & Romani Canonici, formam cubicam, quavis superficie pedes* V *protensam, id est latam longamque & altam. Hanc eamdem explicationem videtur Onuphrius Panvinius pag.* 39 *descripsisse ex Maphæo Vegio, hisce suis verbis:* Silvester & Constantinus summo cum honore ita collocarunt *corpus S. Petri Apostoli.* Primo fabricarunt ei insignem thecam argenteam, ære undique & cupro conclusam, qua decentius conditum esset; omni ex latere in longum & in latum, sursum ac deorsum, pedes V protensam. *Hæc massa ænea, ut jam notavimus ad verba Vegii, fuit quadrata & perfecte cubica; in qua pedes quinque referendi sunt, non ad crassitudinem æris, undique loculum argenteum ambientis; sed ad latitudinem ac longitudinem superficierum totius molis. Crassitudo autem prædicta æris (si ponamus, loculum habuisse extensionem duorum pedum quaquaversum) non fuit major, quam unius ac dimidii pedis. Atque ita contineret hæc tota moles ænea quinquepedalis, si solida foret, pedes cubicos non amplius* 125, *qui numerus multiplicatus per uncias* 1728, *ut supra, produceret uncias* 341000 *pro tota mole ista. Detractis autem inde pro cavitate pedibus octo cubicis (tot enim insunt in loculo bipedali cubico) id est unciis* 14224, *supererunt in mole illa quinquepedali cubica, tam unciæ, quam pondo æris solidi* 326776.

E

non fusum simul & semel circum loculum,

F

189 *Hæc porro moles, quamvis decima quarta tantum pars sit unius, & decima sexta alterius, suprædictarum æris massarum; & fundi potuerit, non tamen existimo, circum loculum fusam fuisse, propter adductam rationem liquefactionis. Hæc quippe æris liquidi copia, tametsi exigua videri possit, illam comparanti cum præmissis multò majoribus massis, non minus tamen quam illæ, dissolveret consumeretque quidquid argenti alteriusve metalli in medio sui positum offenderet. Quamobrem opinari malim, fusam quidem fuisse molem prædictam, sed seorsim à loculo, & duabus fusionibus, quarum una conflaverit urnam, loculi capacem, ea crassitie & forma, qua diximus; altera vero effecerit cooperculum quinquepedale, urnæ & incluso ei loculo imponendum, atque uncis & ferrumine cum urna probe consolidandum. Aut potius concipio sex sesquipedali crassitudine massas, seorsim fusas singulas; quarum ima & suprema æquales sint, longæ latæque pedes* V: *quibus laterales, duos tantummodo pedes altæ, circum insertæ atque inter se commissæ, reliquerint in medio sui cavitatem pro recipiendo loculo, itidem duorum pedum: atque ita supposita primum fuerit ima, quam dixi, massa cum lateralibus; tum imposito in cavitate media loculo; denique superimposita sit massa reliqua; & junctura omnes uncis, ferrumine, chrysocollâ, aut alio tenaciori glutine*

sed seorsim massis duabus,

aut forte sex distinctis.

C. J. *ſic ſolidatæ fuerint, ut non modo penetrare aqua per illas nulla poſſit; ſed ipſæ etiam juncturæ nihilo facilius poſſint diſſolvi, quam qua ſolidiſſimum eſt metallum.*

190 *Denique quinquepedalis forma cubica monumenti ænei placebit præ oblongâ pedum duodecim aut quindecim, illis quoque, qui ægre poſſunt capere, quomodo tam longa maſſa, nullâ parte fuerit deprehenſa à molientibus fundamenta operum, illic ſæpe factorum, præſertim quando ſuperimpoſitum fuit ab Urbano VIII graviſſimum pondus æneorum columnarum & cyborii. Sed horum opinio ad ſummam rei non multum affert momenti; nec probatio ſubſiſtit, ſi fides habenda eſt relationi, quam deſcripſimus ex Bonannio, de deprehenſo ſub Clemente VIII per foramen tumulo; aut ſi verum eſt, quod notat Schelſtratius tomo I Antiquitatis Eccleſiæ pag. 453 ad librum Pontificalem in Silveſtro;* Porro, *inquiens*, etiamnum urna ærea, *quæ loculum cum ſacris reliquiis includit*, extat ſub altari S. Petri in baſilica Vaticana; quam forſan renovari juſſit Otto IV, qui tempore Innocentii III regnavit. Nam, ſi recte memini, Ottonis Imperatoris, & Innocentii III nomina in ea inciſa legi. *Sed non recte meminerit Illuſtriſſimus vir, nec poteſt eſſe verum quod ſcribit, niſi forte urna; ſuo ipſius pondere omnino immobilis, ſimul atque ab ipſo viſa fuit, inde ablata ſit, aut in fumum abierit. Certe qui cum Schelſtratio Romæ vixerunt ac vivunt, atque ex profeſſo de baſilica, Confeſſione ac tumulo S. Petri ſcripſerunt, nuſquam ejus urnam æream conſpexere, & rogati illa ſuper re eam plane ignorant. Neque vero debuit urna, à Conſtantino perpetuitati facta, ab Ottone, aut Innocentio, vel deinceps renovari; ære & pondere ſuo ab injuriis hominum temporumque tuta. Viderit igitur Schelſtratius aliquam urnam; non viderit quam putavit ſe videre urnam S. Petri: quam vidiſſe Clementem VIII magis veriſimile eſt.*

An viſum à Schelſtratio monumentum iſtud.

B

191 *Ut tamen etiam concedatur, neque Schelſtratium, neque Clementem Papam vidiſſe, neque ullos foſſores detexiſſe urnam æneam; nihilominus concludi recte non poteſt, urna ænea nuſquam deprehenſa fuit à molientibus fundamenta operum, illic ſæpe factorum, igitur non eſt pedes* XII *aut* XV *longa. Nam qualiacumque opera nova, ſucceſſu temporis illic excitata fuerint, non debuerunt illa tam alte fundari, ut tumulum contingerent, cum tam ſolida firmiterque cœmentata ſint omnia ſupra & circum, ut quodlibet pondus ſuperimpoſitum ferre poſſint. Imo, quod ad columnas cyborii Urbaniani attinet, illæ tam longe diſtant inter ſe, ut non modo urnam pedum* XV, *ſed etiam dimidio longiorem, includere poſſint. Magis ſolida ſunt igitur alia argumenta, quæ adduximus pro urna quinquepedali ærea, quam hoc ultimum, ex longitudine urnæ deſumptum.*

C

§ VI. Corpora Apoſtolorum, an ſingula ſeorſim, an dimidiata in Baſilicis Vaticana & Paulina ſerventur.

Textus Anaſtaſii, de incluſione corporis S. Petri corruptus,

PAragrapho præcedenti num. 179 *dedimus verba Anaſtaſii Bibliothecarii, quibus molem & formam monumenti ahenei S. Petri in Confeſſione ejus Vaticana deſcripſit. Quæ exinde ſequuntur de aliis loci operibus atque ornamentis hîc proponimus.*

Sic *Conſtantinus Auguſtus rogatu Silveſtri Epiſcopi*, incluſit corpus B. Petri Apoſtoli & recondidit, & ornavit ſupra ex columnis porphyreticis, & alias columnas vitineas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem & cameram Baſilicæ ex trimma auri fulgentem, & ſuper corpus B. Petri æs & quod concluſit. Fecit crucem ex auro puriſſimo penſantem libras centum quinquaginta. In menſuram loci, ubi ſcriptum eſt hoc. Conſtantinus Auguſtus & Helena Auguſta hanc domum regali ſimili fulgore coruſcans aula circumdat, ſcriptum ex litteris puris nigellis in cruce. *Ita Anaſtaſius in editione Pariſienſi; quæ ad præſens argumentum faciunt quidem, ſed tam contorta & obſcura ſunt, ut Œdipo opus ſit, qui explicet. Torquet certe oratio ingenia eruditorum, dum alii, addendo, alii demendo, alii mutando, intelligibilem reddere conantur.*

D

193 *Ego in ſubſidium advoco Petrum Manlium noſtrum, ſupra editum ex codice Ms. qui ſeculis quidem tribus poſterior Anaſtaſio, proximus tamen omnium, qui de eodem argumento ſciuntur ſcripſiſſe: quique Anaſtaſium ipſum, aut librum Pontificalem, aut utrumque, noſcitur in rebus antiquioribus, præ oculis habuiſſe, ipſiſmet eorum verbis frequenter uſus. Ille autem textum Anaſtaſii & libri Pontificalis, paulo antè deſcriptum, habet quidem, ſed aliter diſpoſitum, non ex ſuo, opinor, cerebro; ſed ex codice Anaſtaſiano, aut libri Pontificalis exemplo minus vitiato, quam quæ nunc paſſim habentur: locus exigit, ut ipſum ejus textum, tamquam Anaſtaſii atque Pontificalis libri interpretem, adſcribam. Poſtquam illorum verba de monumenti ænei dimenſionibus ac immobilitate citaverat, ita proſequitur planiore, quam ipſi, oratione, pag. noſtra 37 n. 5:* Sic incluſit corpus beati Petri & Pauli; & exornavit ſuperius altare ejus & arcam ex auro fulvo; & fecit cyborium ex columnis porphyreticis & auro mundiſſimo; poſuitque ibi ante venerabile altare ejus ad ornatum ejuſdem baſilicæ duodecim columnas vitineas, quas de Græcia portari fecit, quæ fuerunt de templo Apollinis Trojæ. Poſuit & ſuper corpus beati Petri crucem ex auro puro, habentem centum quinquaginta libras auri, in qua eſt ſcriptum CONSTANTINUS AUGUSTUS ET HELENA AUGUSTA. *Ita Manlius. Faciet huc etiam Maphæus Vegius, qui videri poteſt ſupra pag.* 70. *num.* 55.

collatus cum textu Manlii,

E

F

194 *Ex hiſce textum libri Pontificalis atque Anaſtaſii corruptiſſimum, uti ſæpe alibi, reformare in parte quivis per ſe poteſt. Ego hoc aut ſimili modo reddendum exiſtimo: ubi quæ ex Manlio inſeram talibus [ ] ſignis diſtinguentur; quæ ego claritatis cauſa interpono, charactere Italico ſcribentur:* Sic incluſit corpus B. Petri & recondidit; & ornavit ſupra [altare ejus ex auro fulvo; & fecit cyborium] ex columnis porphyreticis; & [poſuit ante altare ejus duodecim] alias columnas vitineas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem & cameram baſilicæ ex trimma auri fulgentem. Et ſuper corpus B. Petri, & æs, quo id concluſit, fecit crucem ex auro puriſſimo, penſantem libras centum quinquaginta, in menſuram loci, *videlicet ſepulchri ænei*; ubi ſcriptum eſt hoc, Conſtantinus Auguſtus & Helena Auguſta. *Hactenus mihi videor ſenſum Anaſtaſii & libri Pontificalis reddidiſſe intelligibilem. Jam enim ad textum Manlii pag.* 38. *notavi, Inſcriptionem*, Conſtantinus Auguſtus & Helena Auguſta, *ſic terminan-*

intelligibilis redditur

A *minandam: quod vero ſubſequitur ibidem*, fecit, *aut* fecerunt, *ſpectare ad ſequentia, videlicet*, Fecit & baſilicam B. Paulo Apoſtolo via Oſtienſi.

pro utraque parte. 195 *Quid jam porro de illis, quæ continuant in Anaſtaſio prædictam inſcriptionem crucis?* Conſtantinus Auguſtus & Helena Auguſta hanc domum regali ſimili fulgore coruſcans aula circumdat, ſcriptum ex litteris puris nigellis in cruce. *Hæc æque corrupta ſunt ac præcedentia. Obſervarunt corruptionem illi, qui in Conciliis Labbeanis tomo* I *in vita Silveſtri Papæ col.* 1411; *& apud Panvinium de ſeptem eccleſiis pag.* 40, *ita conati ſunt emendare:* Conſtantinus Auguſtus & Helena Auguſta hanc domum, regali ſimili fulgore coruſcantem, auro circumdant. *Correctio hæc planum quidem reddit ſenſum citatorum verborum; ſed minori mutatione reſtitui ſenſus Anaſtaſii poteſt per ſolam interpunctionem majorem poſt* TÒ Helena. *Sic ut ibi Inſcriptio terminetur, uti apud Manlium terminari diximus; & quæ ſequuntur, alìò ſpectent, ac tranſponantur poſt ultimum citati ex Anaſtaſio textûs membrum, hoc modo:* Fecit crucem ex auro puriſſimo,

B penſantem libras CL, in menſuram loci, ubi ſcriptum eſt hoc, CONSTANTINUS AUGUSTUS ET HELENA AUGUSTA. Scriptum ex litteris puris nigellis in cruce. Hanc domum regali ſimili fulgore coruſcans aula circumdat. *Per* hanc domum *intellige Confeſſionem, in cujus infimo cubiculo erat ſepulcrum cum ſua cruce aurea & inſcriptione: per* TÒ aula coruſcans, *intellige aut illud ipſum cubiculum aut etiam ſuperius, ubi erat foramen & altare, & ubi obibantur ceremoniæ ſolennes etiam ab ipſis Pontificibus: ut merito aula coruſcans appellari ex ornatu potuerit.*

Quod ſolius Petri corpus in baſilica Vaticana ſit, 196 *His præmiſſis, veniamus ad propoſitam quæſtionem, utrum corpus S. Petri totum in Confeſſione Vaticana incluſum fuerit; & S. Pauli totum in Paulina: an vero in utraque utriuſque corporis pars dimidia. Dicit Anaſtaſius*, ſic incluſit *Conſtantinus* corpus B. Petri *in Confeſſione Vaticana, nullam faciens mentionem corporis B. Pauli, nec corporum dimidiatorum. Et Cardinalis de Laurea in Indice ſuo ad Annales Baronii (quod opuſculum ejus poſtumum eſt) ſub voce* Petrus, *non uno loco innuit*, videri *ſibi* ſolum corpus S. Petri *eſſe in ejus eccleſia Vaticana. Nihilominus dimidiata utriuſque Apoſtoli corpora, quod ſupra diximus, in utriuſque baſilica quieſcere ſuadent traditio & inſcriptiones nonnullæ, non quidem antiquiſſimæ, tales tamen, ut veroſimiliorem reddant opinionem hanc, quam quæ ſuſtinet, ſolius Petri corpus in Vaticana, ſolius Pauli in Paulina baſilicis eſſe.*

C

non probatur ex Baronio. 197 *Loca Baronii, quæ in Indice Laureæ notantur, quantum hactenus deprehendere potui, aliud argumentum eo faciens non habent, quam quod omnia, quæ ibi de ſepulcro & Confeſſione in baſilica Vaticana exiſtentibus tractantur, ſolius Petri referantur nomine. Hinc autem conſequi nullo modo debet, ibidem dimidium quoque S. Pauli corpus non quieſcere. Quemadmodum non ſequitur, dimidium corpus S. Petri non quieſcere etiam in baſilica S. Pauli, ex eo quod Auctores, qui de ſepulcro & Confeſſione, in baſilica Paulina exiſtentibus, ſcribunt; ſolius Pauli utantur nomine, tametſi corpus quoque S. Petri ibidem quieſcere ipſi cenſeant. Ratio ſic loquendi & ſcribendi eſſe poteſt, quia cum una baſilica uni, altera vero altera Apoſtolo ſeorſim, ab iiſdem Imperatore atque Pontifice ædificatæ & dedicatæ fuerint, quidquid ad ſingulas attinet, ſub ſingulorum Apoſtolorum nomine, ſub quo conſecratæ fuerunt, referri ſolet; nulla Pauli aut corporis ejus inter ſcribendum de baſilica S. Petri, nulla Petri aut corporis ejus inter ſcribendum de baſilica S. Pauli, habita ratione, tametſi ſepulcra & Confeſſiones utrobique eis communia ſint. Non alia quoque de cauſa videtur Gregorius Magnus in epiſtola ſua ad Conſtantinam Auguſtam, tractans de ſepulcro, quod etiam tum S. Laurentio & S. Stephano Martyribus commune erat, aut certe putabatur eſſe; ſolius tamen Laurentii corporiſque ejus, nullam Stephani mentionem facere; quia nempe illi, non iſti, dedicata baſilica erat. Similiter credi poteſt, quod idem Gregorius in eadem epiſtola ſolius corporis S. Pauli meminerit, non Petri; quia agit ibi de ſepulcro, quod eſt in baſilica Paulina, ſoli Paulo dicata.*

C. J.

An utriuſque oſſa ſic fuerint inter ſe confuſa, 198 *Aliter à nobis recedunt alii, qui apud Paulum de Angelis pag.* 155 *opinantur, oſſa utriuſque Apoſtoli ita inter ſe confuſa & permixta fuiſſe, ut partituro illa Silveſtro, poſt indictas populo preces & jejunia, divinitus revelari debuerit;* oſſa majora, Prædicatoris; minora *vero*, Piſcatoris *eſſe: & hanc ipſam hiſtoriam ait citatus de Angelis*, E ſe deſcriptam vidiſſe in pariete porticus veteris baſilicæ S. Petri, quæ verſus pineæ atrium exiſtebat. *Nihilominus ad apocrypha ſcripta & picturas iſthæc puto referenda & neutiquam admittenda eſſe; contradicente illis S. Joanne Chryſoſtomo homilia de Principe Apoſt. tomo* 5 *col.* 1415, *appellante Paulum* tricubitalem: *& Nicephoro libro* 2 *cap.* 37, *qui eumdem* corpore parvum & contractum atque incurvum *deſcribit, id veroſimiliter edoctus ex antiquioribus monumentis. Eódem reduci etiam poterunt ipſius Pauli verba, referentis* 2 *Corinth.* 10 ℣ 10, *quid de ſe dicant homines*, Epiſtolæ ejus graves ſunt & fortes, præſentia autem corporis infirma. *De Petro citatus Nicephorus eodem loco ſcribit, non quidem* craſſa corporis ſtatura fuiſſe, ſed mediocri, & quæ aliquanto eſſet erectior. *His poſitis de utriuſque Apoſtoli ſtatura, minore Pauli, majore Petri; ruit prædicta qualis qualis revelatio, contrarium aſſerens; nec credi poteſt divina eſſe, niſi id aliis monſtretur argumentis.*

ut non potuerint ſecerni inter ſe.

Creditur medietas amborum utrobique eſſe ex traditione, 199 *Præferamus igitur traditionem præmiſſam, quæ utriuſque corporis medietatem alterius medietati junctam fuiſſe, jam olim vulgavit, ut in utraque baſilica ambo Apoſtoli æqualiter honorarentur; & glorioſi Principes terræ, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, atque in morte non ſunt ſeparati; ita neque poſt mortem ſepararentur corpore. Hujuſce traditionis monumentum ſervatur hodiedum lapis porphyreticus, qui fuit olim altare SS. Petri & Pauli*, de Oſſibus Apoſtolorum *cognominatum, ſtabatque prope ab altari majori ante ingreſſum Confeſſionis hypogæa. De illo tractavimus Sect.* C. *litt.* Z. *In demolitione poſtremæ baſilicæ iſtiuſque altaris, lapis ille tranſlatus fuit ad frontiſpicium baſilicæ & non uno loco manſit, uti Sect.* A *litt.* T *dictum eſt. Poſtea migravit ad Cryptas Vaticanas; atque inde denuo relatus anno* MDCXXXIX *juſſu cardinalis Barberini in novam baſilicam, illic collocatus fuit ad dextram ingredientium prope altare Crucifixi. Denique nec ibi din manſerit; cum annis abhinc fèrme quadraginta ipſum viderim affixum ad lævam ingredientis ſupra vas aquæ benedictæ: atque inde anno* MDCCII, *noſter pro lingua Belgica Pœnitentiarius Pontificius, Jacobus van Eyl, formavit mihi ſcripturam ſecundum omnes apices ſuos, prout inciſa eſt litteris Gothicis, & nonnullibi notis com-*

F

C. J. *pendiariis. Inſcriptio ſic habet.* ✠ Super iſto lapide porfiretico fuerunt diviſa oſſa ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & ponderata per beatum Silveſtrum Papam ſub anno Domini CCCXIX, quando facta fuit iſta eccleſia.

200 *Quando ſic inſculptus fuerit lapis iſte, non eſt facile definitu. Nominatur à ſcriptoribus paſſim* vetuſtiſſimus & antiquiſſimus ; *& confirmatur vetuſtas ex forma characterum inſculptorum. Conſtat quoque ex dictis noſtris, fuiſſe jam ſeculo* XII *ſuper altare de Oſſibus Apoſtolorum, quod poteſt antè ſeculis aliquot fundatum fuiſſe, cum origo ejus non inveniatur. Non tamen poteſt lapis ſculptus fuiſſe ante ſeculum* IX ; *cum in illo exprimatur* annus Domini, *vix tum obtinente tali modo annos ſcribendi. Quod autem altare de Oſſibus Apoſtolorum ac lapis iſte ſeculo* XII *extiterint, abunde declarat ejuſdem ſeculi ſcriptor Romanus Canonicus, locum quoque, ubi ſtetit altare, indicans.* Erat *nempe* ante aditum, qui vadit in Confeſſionem B. Petri ; ubi eorum oſſa pretioſa, ut dicitur, ponderata fuere. *Cur autem ponderata? niſi ut æqua portione uterque loculus utriuſque medietatem reciperet ; non tamen ſic ut confunderentur aut permiſcerentur inter ſe utriuſque oſſa (uti ego quidem reor) ſed ut ſingulorum medietas aut pretioſo panno involuta prius fuerit ; aut diviſis per ſeptum tranſverſum loculis, una medietas in una parte, altera in altera repoſita ſit.*

confirmatâ ex antiquis marmoribus

B

201 *Quod in lapidis inſcriptione ponderatio reliquiarum atque ædificatio baſilicæ affigatur anno* CCCXIX, *nec reddere illam de falſitate ſuſpectam poteſt (quamvis Turrigius inſcriptioni à ſe relatæ ſubjungat, quod Cardinalis Baronius ædificatam ſcribat baſilicam anno* CCCXXIV) *nec debet ullum ei afferre præjudicium. Quin imo ille ipſe annus eſt, quo nos tomo* V *Junii pag.* 470 *monſtravimus, baſilicam completam & conſecratam & in ea Apoſtolorum corpora depoſita fuiſſe. Atque adeo inſcriptione illa confirmatur propoſita ibi ſententia noſtra de completa anno* CCCXIX *baſilica Vaticana à Conſtantino & Silveſtro. Sed ad traditionem de diviſione corporum redeo.*

annum ædificatæ baſilicæ Vatic. rectè notantibus ;

202 *Firmitatem illi addit inſcriptio alia, quam Turrigius pag.* 49 *dicit legi in baſilica S. Pauli via Oſtienſi ſuper altare majus his verbis :* Sub hoc altari requieſcunt, glorioſa corpora Apoſtolorum Petri & Pauli pro medietate : reliqua autem medietas repoſita eſt in S. Petro : capita vero in S. Joanne Laterano. *Huic accedat inſcriptio alia, forte antiquior, quæ legitur apud Baronium tomo* XII, *ad annum* MCXLIV, *pag.* 305, *deſcripta ex ſepulcro Petri Leonis in atrio ejuſdem baſilicæ S. Pauli, ſub annum citatum illic conditi : Petri, inquam, Leonis, Conſulis Romani, Paſchalis Papæ II defenſoris præcipui ; non filii ejus, patri cognominis, qui è Cardinali factus antipapa contra Innocentium II, turbavit Eccleſiam. In dicto ſepulcro hi verſus inſculpti fuere, & ſic leguntur apud Baronium :*

item ex aliis inſcriptionibus

C

Te Petrus & Paulus conſervent, Petre Leonis.
Dent animam cælo, quos tam devotus amaſti :
Et, quibus eſt idem tumulus, ſit gloria tecum.

Aliud hinc non ſumo, quam quod eadem traditio ac opinio de diviſis bifariam corporibus Apoſtolorum, jam tum viguit in baſilica S. Pauli ; quæ temporibus Romani Canonici eodem ſeculo tenuit in S. Petri.

203 *Atque ecce dum hiſce intendo, contingit me alia de cauſa inſpicere S. Joannem Chryſoſtomum, atque invenire ibi argumentum appoſitum in rem præſentem. Tomo* 4 *operum ejus, juxta editionem Pariſienſem anni* MDLXXXVIII, *col.* 267, *laudans Romam, quod ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli corpora, inſtar ſolis, radios ſplendoris ſui toto orbe effundentia, poſſideat ;* Conſiderate, *inquit*, quale ſpectaculum *aliquando* viſura ſit Roma ; Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro reſurgentem, in occurſum Domini ſurſum ferri. Θήκη *græce, Latinis proprie eſt* conditorium, loculus, ſepulcrum, *& hoc loco aliud non ſonare, patentiſſimum eſt ex contextu. Ex ſepulcro enim reſurgere debent Apoſtoli, ut occurrant Domino in die judicii : ex ſepulcro autem illo, utique uno & eodem, reſurget uterque, Paulus cum Petro : atque adeo in ſepulcro illo uterque creditus fuit quieſcere à Chryſoſtomo : qui & confirmare mox ſententiam illam videtur, cum ſic optat col.* 269 *:* Vellem videre ſepulcrum *Pauli, cujus* corpus urbem *Romanam* munit, *&* cum iſto *videre* etiam *in eodem ſepulcro* corpus Petri, *quem* hinc emigrantem, contubernalem ſibi dignata eſt facere illius caritas. *Hinc emigrantem Petrum per mortem, ſibi Paulus* contubernalem *fecit ; græce* ὁμόσκηνον, *quod eſt* ejuſdem tabernaculi conſortem. *Quodnam autem tabernaculum Petro poſt mortem manebat niſi ſepulcrum? In illo igitur contubernalem ſibi Petrum poſt mortem Paulus habuit, ſaltem tempore Chryſoſtomi ; quemadmodum & in vita ipſum (ut citato loco idem Chryſoſtomus)* viventem honoraverat, *dum* aſcendit *Hieroſolymam* videre Petrum.

& S. Joanne Chryſoſtomo

D

E

204 *Sententia noſtra, aut potius traditioni vulgatæ, ſubſcribit Andreas Fulvius, eximius antiquarius ; eaque ei viſa fuit tam vera, ut in Panegyrico ſuo poëmate, quod Julio Papæ II inſcripſit, ita eidem canere auſus ſit lib.* I, *ubi de monte Vaticano :*

nec non ex Andrea Fulvio antiquario.

Stat penetrale ſacrum templi majore ſub ara,
Quam Conſtantinus, ſacratæ conditor ædis,
Argento & cupro gemmiſque ornavit & auro ;
Muneraque ejuſdem largitus plura metalli,
Hîc ubi clavigeri Petri, commixtaque Pauli
Oſſa ſimul recubant, communi tecta locello.

Idem quoque cenſuit ducentis ante Fulvium annis, Jacobus Cajetanus de Stephaneſcis, Diaconus cardinalis, in ſuo quodam Poëmate, ita canens ; locus ſubter altare, fuſi ſub tegmine cupri
Corpora ſacra tenet, totum veneranda per orbem,
Ætherei Petri, Pauli quoque.. *Poëmatis iſtius partem majorem huc ſpectantem vide § ſeq.*

F

§. VII. Explicatio ulterior textûs Anaſtaſiani, ex Manlio ſuppleti : ubi de columnis porphyreticis ac vitineis, & trimmate auri.

Columnæ porphyreticæ Anaſtaſii

QUandoquidem *textus Anaſtaſii num.* 194 *correctus, nunc per ſe intelligi ſatis poteſt, opus non erit multa ejus explicatione. Deſcripta incluſione corporis S. Petri in Confeſſione, tranſit Anaſtaſius ad altare majus, quod in ipſa baſilica ſupra Confeſſionem ſtabat, ſcribitque hunc in ſenſum : Illud altare Conſtantinus ex auro fulvo ornavit ; fecitque deſuper cyborium ex columnis quatuor porphyreticis ; ac ante idem altare poſuit alias columnas vitineas,* (*Manlius addit*, duodecim ; *quod num.* 200 *improbavimus*) *è Græcia tranſvectas. Tum fecit etiam cameram ſeu fornicem ipſius baſilicæ ex trimmate auri fulgentem. Hæc omnia fuiſſe facta in ipſa baſilica, non in Confeſſione, de qua antè loquebatur Anaſtaſius ; uti per ſe patet, ita facile oſtenditur ex di-*

A

diversitate columnarum, quæ cyborium prædictum altaris majoris, & quæ cyborium sepulcri sustentabant. Columnæ etenim de quibus loquitur Anastasius, erant porphyreticæ ; *aliæ vero erant* candore niveæ, *uti testatur Gregorius Turonensis, seculis saltem duobus senior natu Anastasio ; cum lib.* I. *de gloria Martyrum cap.* 28, *dicit, præter columnas* XCVI *quadruplici ordine per templum, & quatuor in altari majore dispositas, fuisse alias quatuor miræ elegantiæ,* quæ cyborium sepulcri sustentant candore niveo*: uti ipsemet vidit, initio Pontificatus Gregorii Magni Romam peregrinatus, & magna cum reverentia à sancto Pontifice exceptus, atque ad* B. Petri Confessionem introductus *: ubi etiam* ad altare *diu constitit orationi vacans ; quemadmodum legitur in ejus vita, prædicto de gloria Martyrum opusculo præfixa.*

Super altare majus basilicæ,

ab aliis quas in Confessione vidit Gregorius Turon.

206 *Cum igitur Turonensis oculis suis viderit, quatuor esse columnas candore niveas, quæ sustentant cyborium sepulcri in camera seu cubiculo Confessionis ; atque addat, quatuor alia stare in altari majore, quæ sustentant ejusdem altaris cyborium ; istæ sunt utique columnæ illæ ipsæ, quas alii cum Anastasio appellant porphyreticas ; quamvis Turonensis non indicet, cujus materiæ aut coloris fuerint. Perstiterunt ibidem loci columnæ eædem porphyreticæ adhuc post mille annos, cum suo tegmine argenteo, quod post dispoliationem templi Saracenicam, impositum illis denuo fuit, quodque jam longinquitate temporis contraxerat colorem atrum. Præclare de his canit Jacobus Caietanus de Stephanescis, ad velum aureum Cardinalis Diaconus in suo Poëmate, gesta S. Petri Cælestini, & simul coronationem Bonifacii VIII complexo, quod nos è Mss. primùm edidimus pro die* XIX *Maii : ubi pag.* 465 *litt.* C, *scribit. Quod electus Pontifex Bonifacius inter Cardinales ut coronaretur medius gradiens,*

distinctæ,

B

207 . . . . . Accessit ad altum
Egregiumque decus fidei, venerabile donum
Christicolis, altare Petri, de marmore cæsum,
Porphyriisque gerens fulvis à celte columnis
Quatuor, argenti cælum ; quod tempus in atrum
Verterat ; ac subter fusi sub tegmine cupri,
Corpora sacra tenens, totum veneranda per orbem,
Ætherei Petri, Pauli quoque, gentibus almi
Doctoris ; quo solus Apex soluſque Sacerdos
Chrisma capit flagrans : decet hæc nam gloria Primum.

seculo 13 & 14 *superfuerunt ;*

C

Ne quis autem dubitet, an hîc altare Petri, *quò ducitur Pontifex consecrandus, sit altare majus, an vero altare Confessionis ; sciat è Centio Camerario, ceremoniarum Magistro, ac dein summo Pontifice (qui centum fere annos ante papatum Bonifacii VIII, ritus consecrationis & coronationis descriptos reliquit) quod proxima die Dominica ab electione sua novus Pontifex vadit ad ecclesiam B. Petri, &* ante altare majus, pro ut in Ordine, *seu ordinario ceremoniarum libro,* continetur ; *ab Episcopo Ostiensi consecratur. Neque vero tantum ante Bonifacium VIII ritus ducendi Electum ad altare majus, in usu fuit ; sed etiam deinceps tenuit, ut videre est in Pontificali Romano, quod habemus impressum Venetiis anno* MDLXI : *idque factum quoque suo tempore fuisse, indicat duobus ultimis versibus Poëta citatus, dum ait, ductum fuisse Bonifacium ad altare, in quo* solus Apex soluſque Sacerdos (*antonomastice, summus Pontifex*) *consecratur. Consecratur is autem ex singulari jure & prærogativa, omnes alios cujuscumque dignitatis inde excludente, in altari majore. Hæc* C. J.
nempe gloria debetur Primo & summo Pontificum. Notari etiam obiter potest, quod in citatis versibus confirmetur sententia, quam supra secuti sumus, de depositione corporum utriusque Apostoli, saltem dimidiatorum, in basilica Vaticana : dum dicitur quod fusi sub tegmine cupri Corpora sacra Petri & Pauli latent.

208 *De iisdem columnis Porphyreticis, quæ diu post Bonifacium prædictum superfuerunt, libet etiam audire Vegium, de Constantino pag.* 70 *num.* 55 *sic scribentem :* Supra altare, cui subjacet (*medio tamen cubiculo Confessionis superiore*) corpus B. Petri, statuit nobile tegimen auratum, quatuor porphyreticis columnis (*addit centum post annos Panvinius,* quæ adhuc extant,) erectum : quod postea Leo IV (*circiter annum* DCCCL) argento puro eximie ornavit. *Ex his consequitur, tempore Vegii, adhuc superfuisse in altari majore columnas porphyreticas quatuor, jam inde à Silvestro & Constantino primùm ibi positas ; & potuit illas Leo IV argento puro eximie ornasse. Verum Anastasius pag.* 187 *dicit, Leonem fecisse* miræ magnitudinis ac pulcritudinis, *super B. Petri venerandum altare,* cyborium & columnas ac lilia aurata ex argento puriſſimo, pensante libras MDCVI. *Quæ columnæ argenteæ videri possent successisse loco porphyreticarum. Quo igitur pacto hæ superfuerint deinceps ibidem tot seculis ? Magna, fateor, fuit argenti vis, quam ibi Leo operibus istis impendisse legitur : non tamen continuo putandum, columnas porphyreticas propterea amotas fuisse.*

Visæ etiam à Maphæo Vegii in eodem altari sec. 15.

Non igitur fuerunt ablatæ à Leone 4,

E

209 *Mihi certe credibile non est, Leonem solidas quatuor ex argento columnas ibi posuisse ; tum quia ne singulæ quidem ex massa argentea librarum mille sexcentarum formari potuerunt, tam crassæ atque sublimes, ut sustentare valerent cyborii calum sive tegmen ; tum quia hoc ipsum tegmen (quod crediderò totum ex laminis argenteis constatum fuisse, uti etiam videtur fuisse illud, quod primitus ibi posuerant Constantinus & Silvester) insumpserit, pro amplitudine & crassitudine sua, majorem prædicti ponderis partem. Quod vero inde potuit supereſſe impenderit Leo in ornatum columnarum & lilia. Simili modo loquitur & intelligendus est Anastasius, ubi scribit de Gregorio Magno, quod is* B. Petro Apostolo cyborium (*puto super altare Confessionis*) cum columnis suis quatuor ex argento puro fecit. *Severanus addit, nescio qua auctoritate, Gregorium operibus illis impendisse pondo argenti non amplius centum & octoginta : ex quibus omnino fieri non potuit cyborium cum quatuor columnis argenti solidis. Manserint igitur utrobique columnæ, quæ fuerant, in altari quidem majori, porphyreticæ ; in Confessione vero, onychinæ candore niveæ, illic à Gregorio Turonensi visæ. Et hæ utrobique fuerint à Gregorio & Leone prædictis Pontificibus argento vestitæ, aut ut Vegius suprà num.* 208 *Anastasium explicat,* argento puro eximie ornatæ.

sed argento ornatæ.

F

210 *Multiplex, auroque & argento dives ornatus, tum altari majori, tum Confessioni, à variis Pontificibus virisque principibus contributus, in maximam commendationem & venerationem loci, hîc enumerari operæ pretium foret nisi apud Anastasium, auctorem obvium, passim descriptus haberetur. Transeo igitur ad* columnas vitineas, *quas Constantinus posuit ante majus altare, & gradus Confessionis, uti ait Manlius,* duodecim *numero ; uti recentiores nonnulli opinantur,* sex *tantum ; rati, sex alias (nam duodecim ibi constitisse certum*

Columnæ vitineæ sex à Constantino,

C. J

totidem à Gregorio 3

est) à Gregorio Papa III Constantinianis adjunctas fuisse ; idque mihi quoque verisimilius videtur , nixo auctoritate Anastasii , pag. 72 in Gregorio prædicto sic scribentis : Hic concessas sibi columnas sex onychinas volubiles ab Eutychio Exarcho , duxit in ecclesiam B. Petri Apostoli ; quas statuit, circa presbyterium ante Confessionem , tres à dextris , ex tres à sinistris , juxta alias antiquas sex filopares , super quas posuit trabes , & vestivit eas argento mundissimo ; in quo sunt expressæ , ab uno latere , effigies Salvatoris & Apostolorum ; & ab alio latere , Dei genitricis & sanctarum Virginum : posuitque super eas lilia & pharos argenteos , pensantes in unum libras septuaginta , *aut potius* septingentas , *uti melioris notæ codices habent.*

positæ fuerunt ante Confessionem & altare majus.

211 *Locus , ubi posuit Gregorius columnas suas sex ,* ante Confessionem ; *convenit cum loco , ubi statuerat suas Constantinus ,* ante altare , *quod Confessioni imminebat : numerus autem columnarum , quæ antea ibi steterunt , expresse definitur* sex , *quibus alias sex Gregorius adjunxit* filopares (*sic enim legi debet , non* filio pares) *id est paris magnitudinis & figuræ , quasi quæ filo seu regula architectonica commensuratæ sint ; juxta illud Lucretii lib. 2 :*

Quid sint columnæ filopares ;

B

Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse pari filo similique affecta figura.

Hinc cogitari quoque posset , columnas illas sex Gregorianas non solum altitudine pares fuisse Constantinianis , sed etiam adinstar illarum fuisse vitineas *id est in modum trochleæ sive helicis factas , deducta voce ab Italico ,* vite , *quod helicem significat. Eamdem columnæ formam significare etiam potest vox*

quid vitineæ :

volubilis ; *quia nempe stria aliqua sive sulcus , circum columnæ scapum volvebatur à summo ad imum excavatus. Potest tamen* vitineum *etiam deduci à voce latina* vitis ; *eâque etymologiâ significaret , columnas , circùm incisas , repræsentare vitem , pampinos & racemos ; uti nunc quoque crebro videmus fieri. Interim Manlius sciens aliquot columnas à Constantino positas fuisse ante altare majus ; dum ibi suo tempore vidit duodecim paris longitudinis , unam porticum efficientes ; putaverit omnes duodecim ab eodem positas fuisse , & Constantino tribuisse omnes.*

quid trimma auri.

212 *Dicebat quoque Anastasius , Constantinum* fecisse cameram basilicæ ex trimma auri fulgentem. *Quid trimma ? Bullingerus dicitur scribere , quod* trimma *sit* aurum in tenuissimas bracteas

C

tritum. Non recte ; τρίμμα enim vox græca , derivatur à τρίβω tero , comminuo , *estque id quod teritur aut tritum est : quemadmodum vox* lemma , *græcis λῆμμα , derivatur ab antiquato verbo λήβω ,* capio , accipio , assumo , *estque id quod assumitur aut assumptum est. Trimma igitur (quod minus recte aliqui per primam Latinorum declinationem & genere feminino flectunt) videtur opponi bracteæ , certe ab illa diversum est apud Anastasium ; qui in Silvestro , eodem loco , ubi de basilica Constantiniana , istiusmodi bracteas significat per aurum aut argentum* battutile ; *quia empe malleis tusum deducitur in subtiles lamellas , quas bracteas vocant , desumptâ voce ab italico verbo* battere , *quod est* verberare , percutere , *unde & participium passivum* battuto ; verberatus , percussus ; *& compositum , Italis* battiloro *qui aurum malleo percussum paulatim tenuat in bracteas , Latinis ,* bractearius *&* bracteator *dictus. Trimma vero non malleo , sed molâ teritur , & sic comminuitur , ut instar tenuissimi pulveris sit , non instar glareæ , qualis fit ex metallo , limâ attrito , & ramentum vocatur. Est igitur , meo quidem judicio , discrimen hoc inter* trimma , ramentum & bracteam ; *quod primum teritur , alterum limatur , tertium malleo tenuatur in lamellas. Item primum , in minutissimos pulveres molâ aut lapidum affrictu redactum , & glutine delibutum , penicillo inducitur rebus inaurandis , aut aliter colorandis. Alterum , id est ramentum , rebus ornandis aspergitur. Tertium vero , seu bractea , per modum tenuissimæ laminæ applicatur.*

D

§ VIII. Presbyterium , chorus , peribolus , cancelli , arcus , trabes quid sint.

Quid Presbyterium in ecclesia ,

Explicato hactenus illustratoque aliqualiter textu Anastasii , de columnis porphyreticis sub cyborio altaris majoris , de aliis columnis vitineis , deque trimmate auri in camera basilicæ ; transeo ad Presbyterium , quod cum altari suo supra Confessionem fuit. Confunduntur à multis Presbyterium & Chorus ecclesiæ ac pro eodem sumuntur loco. Quod non ita est. Nam loca sunt diversa intra idem septum , uti mox iterum patebit ex Gervasio monacho pag. 114 jam citato. Erat quippe Presbyterium , proprie loquendo , circa altare , presbyteris ad illud facientibus destinatum : ex eoque per aliquot gradus descendebatur ad chorum , ubi cantores circùm sedebant in utroque latere , ex quo sæpe etiam duplici nomine appellabatur ; puta , Chorus dexter , chorus sinister : Chorus Abbatis , Chorus Prioris : ideo quod ex una parte præsidebat Abbas , ex altera vero Prior. Sic legitur in Vitis Abbatum S. Albani in Anglia ; Si Abbas fuerit electus de parte Prioris , quam nos Chorum Prioris appellamus , transferetur ad Chorum Abbatis , ubi supremus statuetur. *Et sic duplici nomine appellari Chorus psallentium cœperit , ex quo alternis cantandi in ecclesia mos introductus fuit. De quo Honorius Augustodun.* Olim in modum coronæ circa aras cantantes stabant : sed Flavianus & Diodorus episcopi choros alternatim psallere instituerunt.

E

ejusque descriptio

214 *Varii quidem varia de locis illis , atque eò pertinentibus , scripserunt ; sed nescio an ullus distinctius , quam supra nominatus Gervasius monachus initio seculi* XIII , *de sua ecclesia Cantuariensi , prout illa à B. Lanfranco , post triste incendium , restaurari cœpta , sub S. Anselmo perfecta fuit. Descriptio illius , schema quoddam sit , quod aliis quoque ecclesiis , atque ipsi etiam antiquæ S. Petri in Vaticano applicari potest. Scribit itaque ; ut ex parte jam retulimus , col.* 1294 : Ad bases pilariorum (*sive pilarum aut columnarum , quæ locum cingebant*) murus erat , tabulis marmoreis compositus , qui Chorum cingens & Presbyterium , corpus ecclesiæ à suis lateribus , quæ alæ vocantur , dividebat. Continebat hic murus monachorum chorum , presbyterium , altare magnum , in nomine Jesu Christi dedicatum , altare S. Dunstani , & altare S. Elfegi , cum sanctis eorum corporibus. Supra prædictum murum in circinatione illa (*ubi utrimque in hemicyclum murus concurrebat*) retro altare & ex opposito ejus ; cathedra erat Patriarchatûs , ex uno lapide facta , in qua sedere solebant Archiepiscopi , de more Ecclesiæ , in festis præcipuis inter Missarum solennia , usque ad Sacramenti consecrationem. Tunc enim ad altare Christi per gradus octo descendebant. De choro ad presbyterium tres erant gradus : de pavimento presbyterii usque ad altare , gradus tres : ad sedem vero Patriarchatus , gradus octo.

F

215

A *ex ecclesia Cantuarienſi,*

215 Ad cornua altaris orientalia erant duæ columnæ ligneæ, auro & argento decenter ornatæ, quæ trabem magnam ſuſtentabant: cujus trabis capita duorum pilariorum capitellis inſidebant; quæ *trabs* per tranſverſum eccleſiæ, deſuper altare trajecta, auro decorata, Majeſtatem Domini, imaginem S. Dunſtani & S. Elfegi; ſeptem quoque ſcrinia, auro & argento coöperta, & multorum Sanctorum reliquiis referta, ſuſtentabat. Inter columnas crux ſtabat deaurata, in cujus patibulo per circuitum ſexaginta cryſtalli erant perlucidi. Sub hoc altari Chriſti, altare erat in crypta, ſanctæ Virginis Mariæ, in cujus honorem tota fuit crypta dedicata.... In medio chori dependebat corona deaurata, viginti quatuor ſuſtinens cereos.

deque ejus ſede pontificia

216 *Hæc adeo minuta locorum iſtorum ornamentorumque deſcriptio, facem præferre poteſt verſanti in tenebris longæ antiquitatis, atque inde cupienti educere in lucem priſca monumenta, quæ Confeſſionem & altare majus olim circumſteterunt in baſilica S. Petri; quæ turbæ recentiorum, de talibus ſcribentium, aut non ſunt tacta, aut diverſitate opinionum, magis quam antiquitate ſua ſunt obſcurata. Prius tamen, quam eò accedam, juvat in præmiſſis notare duo præcipuè. Primum, quod in eccleſia Cantuarienſi epiſcopus inter Miſſarum ſolennia conſidebat, non uti noſtris temporibus fieri videmus, ad latus altaris è parte Evangelii, ſed* retro *& poſt* altare. *Atque ideo ſedes ejus elatior ſolito fuerit & ſupra murum, habens in aſcenſu* gradus octo: *ut ſcilicet ſupra menſam altaris eminens, toto presbyterio & choro conſpicuus eſſet, non ſecus ac illi, qui ad latus altaris reſidebant in throno ſuo; nec minus late poſſet, quam iſti, conſpicere clerum ſuum: atque inde* in mentem revocare *(quod epiſcopos monet S. Auguſtinus in Pſalm.* 126) altiore ſe in loco, tamquam in ſpecula conſtitutum, quo oculorum acie pervigili atque indefeſſa, in tutelam gregis incumbat, tanto ceteris virtute & probitate clarior, quanto magis eſſet Sedis honore ac ſublimitate conſpicuus.

B

& cornibus altaris orientalibus.

217 *Alterum, quod notari meretur, ſunt* cornua altaris orientalia. *Cum enim duo tantum cornua in quovis altari paſſim nota ſint; unum Epiſtolæ, alterum Euangelii; atque hæc neceſſario ſeptemtrionem ac meridiem reſpiciant, ubicumque ſacerdos, uti olim religioſè obſervabatur, facie ad orientem converſa celebrat: quæ, quæſo, cornua unius altaris* orientalia? *Exiſtimo, auctorem noſtrum quatuor, non duo tantum, in altari cornua ponere; quot nempe ibidem anguli ſunt; duo ex parte Epiſtolæ, totidem ex parte Euangelii. Ex his autem cornibus illa duo, quæ in prædicto altari Cantuarienſi remotiora erant à facie celebrantis, quia obvertebantur orienti,* orientalia *Gervaſio appellata fuiſſe. Id vero eò etiam magis exiſtimo; quia per illa tempora alii quoque Scriptores agnoſcunt quatuor uno in altari cornua; Guilielmus Durandus in Rationali divinorum officiorum lib.* 1, *cap.* 2; *atque antea etiam Auguſtodunenſis Honorius lib.* 1 *cap.* 60, *agens de templi conſecratione. Primus,* altaria modernorum in cornua quatuor *dicit erigi. Secundus,* quatuor, *inquit,* cornua altaris ſignavit, dum quatuor mundi partes cruce ſalvavit, *puta, Chriſtus Dominus.*

C

Presbyterium muro ſeciaſum

218 *Quemadmodum in eccleſia Cantuarienſi murus, ut vidimus, tabulis marmoreis compoſitus, cingebat chorum, presbyterium & altare majus, eaque ſegregabat à reliqua eccleſia; ita pariter in baſilica S. Petri ab ejus apſide ſeu tribuna procurrebat utrimque ſepimentum aliquod ad uſque capita porticûs, Confeſſioni & ejus veſtibulo obtenſa; quod includebat ac tuta præſtabat à laicorum turba veſtibulum illud, presbyterium & altare majus. Hoc de ſepimento videtur præcipue intelligendus Anaſtaſius, cum pag.* 127 *ſcribit, quod Leo III* fecit presbyterium noviter totum marmoreum magnæ pulcritudinis, ſculptum, compteque erectum. *Quæ enim presbyterii pars* erecta *fuit præter ambitum muri & ſubſellia presbyterorum? Frequens hujus presbyterii fit mentio apud eumdem Anaſtaſium tum in Leone prædicto, tum in deceſſore ejus Adriano: nulla vero fit, quod quidem memini, in prioribus Pontificibus.*

C. J.

& laicis inacceſſum,

219 *Dico,* Presbyterii, *quod fuerit in baſilica S. Petri, quodque ſumatur pro ſecluſa eccleſiæ parte, in qua conſiſtunt ſacri altaris miniſtri, cum iiſque presbyteri, vacantes divinis officiis ac liturgiis; Græcis* Βῆμα *dictum: à cujus aditu olim excludebantur laici; ita præcipiente Eugenio II cum Concilio* LXXXIII *epiſcoporum, presbyterorum & aliquot diaconorum, Romæ* coram ſacratiſſimo corpore beati Principis Apoſtolorum reſidente *anno* DCCCXXVI, *apud Labbeum tomo* 8 *Concil. col.* 112 *can.* 33: Nulli laicorum liceat in eo loco, ubi ſacerdotes reliquive clerici conſiſtunt (quod presbyterium nuncupatur) quando Miſſa celebratur, conſiſtere; ut libere & honorifice poſſint ſacra officia exercere. *Quæ etiam poſt annos* XXVII *in alio concilio Romano repetens & confirmans Leo IV, porro addit ac prohibet (ibid. col.* 117) *ne laici* inter ſacros cancellos, Ordinibus debitos, niſi permittente epiſcopo, attentent accedere; *volens nimirum, locum iſtum ſolis eccleſiaſticis liberum relinqui, quemadmodum volebat, viros ac mulieres aſſignatis ſibi in eccleſia* partibus ſuis contentos eſſe: *quæ erant, uti ex Anaſtaſio & aliis conſtat, in baſilica ſaltem Vaticana, pars quidem virorum à ſiniſtra ingredientis, mulierum vero à dextra.*

D

ejuſque notionis origo.

220 *Scio interim, Anaſtaſium ante Adriani pontificatum meminiſſe* Presbyterii, *quale deſcripſimus; videlicet in deceſſore ejus Stephano IV, qui præfuit Eccleſiæ Pontifex ab anno* DCCLII. *Verum ibi non de Vaticana, ſed de Lateranenſi baſilica & presbyterio, ei ſermo eſt. Et hic locus omnino primus, ut puto, eſt in toto Anaſtaſii de Pontificibus libro, ubi Presbyterium nominatur. An igitur, uti vox iſta tunc primùm inducta fuerit in uſum, ita Presbyteri tunc quoque primùm convenerint unum in locum ad officia divina publice cantanda? Aut ſaltem locus, ad quem conveniebant, tum primùm ſecretus fuerit à turba laicorum? Utut eſt: fecit presbyterium Leo* noviter totum marmoreum; *& quidem pulcre* ſculptum, compteque erectum: *quod ego, ut dixi, ad ſepimentum ejus præcipue referendum exiſtimo, nempe per circuitum muri; qualiter etiam tabulis marmoreis veſtitus fuit murus eccleſiæ Cantuarienſis, qui chorum & Presbyterium cingebat.*

E

Peribolus Presbyterii.

221 *Murus ille ſaltem variis in eccleſiis olim elevabatur tantùm ad aliquot pedum altitudinem, ut in Choro pſallentes & in Presbyterio ſacris operantes conſpici à laicis poſſent, ipſique etiam excitarentur ad laudandum Deum; ita ſcribente Durando in Rationali lib.* 1 *cap.* 3 *n.* 35: In primitiva Eccleſia peribolus, id eſt paries, qui circuit chorum, non elevabatur niſi uſque ad appodiationem, *quod mihi videtur indicare altitudinem circiter dimidii corporis humani ſive ad pectus, unde &* pectoralia *ſeruntur dicta fuiſſe ejuſmodi ſepta. Tum pergit Durandus,* hoc vero tem-

F

C. J. tempore (*initio ſeculi* XIV) quaſi communiter ſuſpenditur ſive interponitur velum aut murus inter clerum & populum , ne mutuo ſe conſpicere poſſint. *Hic peribolus , qui etiam dudum ante Durandi tempora elatior fuit multis in eccleſiis , videtur quoque , ſaltem parte aliqua , ex cancellis fuiſſe in S. Petri , quod Anaſtaſius ſæpe innuit ; & Leo IV ſuprà num.* 219 *prohibet , ut ne laici* inter ſacros cancellos, Ordinibus *ſeu Clero* debitos, attentent accedere.

in quo & arcus, 222 *Fuerunt & arcus , tum in eccleſia , tum in Choro & Presbyterio S. Petri. Frequenter illorum meminit Anaſtaſius , atque ut plurimum argenteos facit aut argento ornatos , iiſque etiam appendi ſolita fuiſſe pretioſa vela , crebro indicat. Tales autem arcus pro ornamentis eccleſiæ aut Presbyterii fuiſſe , ex verbis ipſius manifeſte colligitur ; non tamen , qualis formæ fuerint aut architecturæ ; quamvis ſubinde illis etiam addat columnas. Quid ſi reipſa fuerint arcus , qui adinſtar portarum duobus poſtibus aut columnis ſuſtentati , ſuperne arcuabantur. Nam alibi dicit Anaſtaſius , quod ſub illis arcubus imagines ; ſuper vero , cruces argenteæ collocatæ fuerunt. De his mox videbimus , ubi alia*

B *quædam de arcubus , à Leone III & Paſchale I Pontificibus factis , præmiſerimus.*

tum mobiles ad ornatum, 223 *Leo quidem , pag.* 131 , *fecit* vela de ſtauraci , quæ pendent in arcubus argenteis , *exiſtentibus* in circuitu altaris & in presbyterio, numero XCVI. ... Nec non & *alios* arcus cum columnis ſuis fecit ex argento puriſſimo in eccleſia & in presbyterio, penſantes ſimul libras CCLI & ſemis. *Paſchalis vero pag.* 149 , fecit presbyterii vela de chryſoclavo XLVI per arcus presbyterii, habentia hiſtoriam de mirabilibus Apoſtolorum , quæ per eos Dominus operari dignatus eſt. *Atque iterum , pag.* 156 , *obtulit* per arcus vela XLVI , habentia hiſtoriam dominicæ paſſionis ac reſurrectionis. *Ex hoc porro , quod pontifex iſte bis obtulit diverſi operis vela* numero XLVI , *eaque appendit per arcus presbyterii ; cogitari poteſt , quod pariter* XLVI *arcus presbyterii fuerint ; niſi putes , plura per ſingulos arcus pependiſſe vela.*

tum fixi per circuitum. 224 *Et vero per hoſce arcus Presbyterii , à Paſchale velis ornatos , non videntur intelligi ornamenta , quæ poni & auferri pro libitu poſſent ; ſed fixa atque ſtabilia , & fortaſſis ipſa ſedilia presbyterorum , quæ ſuperne in formam conchæ arcuabantur*

C *& ſuis temporibus etiam velis veſtiebantur , quemadmodum nunc paſſim tapetibus parietes templorum. Certe arcus tales fuiſſe olim partem Presbyterii , aque ac altare & cancellos ; & fuiſſe per circuitum ejus ad peribolum ; colligi poteſt ex adificio , quod Chrodegangus ſeculo* VIII *epiſcopus Mettenſis conſtruendum curavit : de quo Paulus Warnefridus libro de Epiſcopis Mettenſibus ſcribit , quod* Chrodegangus fabricare juſſit, una cum adjutorio Pipini regis , ſedem *ſeu eccleſiam* S. Stephani protomartyris & altare ipſius atque cancellos , Presbyterium arcuſque per gyrum. Fabricare *juſſit Epiſcopus illos arcus , utique ex lapide & cæmento , quemadmodum & Presbyterium & altare. Et de talibus arcubus intelligi poteſt Anaſtaſius citatis locis in Paſchale , ubi non dicit , ipſum arcus feciſſe , ſed vela feciſſe & obtuliſſe* per arcus Presbyterii.

Ibidem etiam trabes variis locis , 225 *Uti duo genera arcuum , ita diverſæ etiam trabes fuere in Presbyterio , & quidem inauratæ , aut argento veſtitæ , aut aliter decoratæ , quæ argenteos arcus , imagines Sanctorum , pharos aliaque ornamenta portabant. Trabes iſtiuſmodi concipio fuiſſe per circuitum Presbyterii ſuper peribolum , intor-*

D *ſum variâ ſculpturâ cælatas.* Coronas *vocant Latini ; vulgus fabrorum* Cornices *& Coronices ſolent appellare. Scribit enim Anaſtaſius pag.* 221 , *quod Nicolaus primus* trabes majores , in Presbyterio reſpicientes, omnes in gyro complevit , quæ illud luculenter ornant decuſque augent , & amplius mira ſua magnitudine dant honorem. *Concipio præter haſce trabes , per gyrum Presbyterii circum poſitas , etiam alias per tranſverſum porrectas & quidem plures. Una quippe fuit ante cyborium altaris ; alia in medio & alia in ingreſſu Presbyterii ; alia item ſuper ingreſſum veſtibuli , & ad ingreſſum Confeſſionis. Singulas quæramus & illuſtremus ex Anaſtaſio.*

aliæ per circuitum chori , 226 *Prima trabis locum indicat in Nicolao primo pag.* 221 *:* Arcum fecit argenteum , & ſuper excellentiorem trabem , quæ eſt ante cyborium , in medio poſuit , ... fecitque ibidem crucem auream unam , pretioſis gemmis ornatam , & in ſummitate ejuſdem arcus eam locavit. *Impoſuit quoque ſuper eamdem trabem tres imagines argenteas deauratas , unam Domini Salvatoris , penſantem libras* LXXX ; *& duas Angelorum , quarum ſingulæ penſabant libras* LXX *: primam collocaverit*

E *ſub arcu , tamquam perſonæ dignioris ; alias hinc & inde ad utrumque latus. Appoſuit quoque* pro amplitudine decoris , cruces argenteas duas , calices argenteos duos & ſtaupos argenteos duos ; & appendit coronam argenteam unam , *utique ex ipſa trabe. Atque hæc ſunt , trabs tranſverſa ante cyborium , ejuſque ornamenta , poſt direptionem Saracenorum à Nicolao Papa ibidem repoſita. De aliis duabus breviter ſcribit Anaſtaſius in Leone IV pag.* 194 , quod trabes in ingreſſu & in medio Presbyterii inveſtivit ex argento puriſſimo , penſan. libras LXVII & uncias tres.

aliæ per tranſverſum. 227 *De quarta , ſuper ingreſſum veſtibuli , frequentius meminit. In Leone III pag.* 133 : Fecit imaginem Salvatoris auream , quæ ſtat in trabe ſuper ingreſſum veſtibuli , penſantem libras LXXXIX. *Pap.* 134 : Inveſtivit.... trabem ex argento mundiſſimo, quæ eſt ſuper (*imo* infra, *niſi duæ ibidem trabes fuerint , altera ſuperior alterâ*) imaginem auream in ingreſſu veſtibuli , penſ. lib. centum viginti ſex & ſemis. *Iterum pag.* 140 : Fecit velum majus è chryſoclavo , quod pendet in trabe argentea ante imaginem Salvatoris ſuprà , in ingreſſu veſtibuli. *Ibidem :* Fecit Angelos duos ex argento puriſſimo , de-

F auratos , qui ſtant in trabe majori ſuper ingreſſum veſtibuli , dextra lævaque juxta imaginem Salvatoris auream , penſantes ſimul libras ſexaginta tres. *Et vero ex his videri poſſunt iſtic loci duæ trabes fuiſſe , altera alterâ altior ; uti jam dubius inſinuabam. Si ita ; imago Salvatoris aurea ſteterit in trabe inferiore ſuper ingreſſum veſtibuli : altior vero fuerit trabs argento inveſtita , quia dicitur fuiſſe* ſuper imaginem auream in ingreſſu veſtibuli. *Iterum , quia velum majus , pendens in trabe argentea , dependebat* ante imaginem Salvatoris. *Huc etiam facit , quod idem Leo dicatur pag.* 140 , *obtuliſſe velum album holoſericum roſatum majus unum , quod pendet in trabe majore* ſuper imagines aureas.

Similis una in eccl. Cantuarienſi. 228 *Denique in Sergio , pag.* 62 , fecit faros argenteos ſex , qui ſunt ſuper trabes ad ingreſſum Confeſſionis. *Ex hiſce trabibus aliquæ , uti jam vidimus , erant argenteæ ſeu argenteis laminis circumdatæ : qualis etiam fuit , quam in S. Petri , Pontifex Hormiſda* (*non indicatur ubi*) ex argento cooperuit , *impenſis* MXL *libris. Iſtiuſmodi trabes*

in

A *in aliis quoque ecclesiis passim fabricatæ fuerunt, similes in usus. De una, quæ ecclesiam Cantuariensem olim ornavit, scribit col.* 1295 *citatus suprà Gervasius: quod nempe in Presbyterio,* ad cornua altaris orientalia erant duæ columnæ ligneæ, auro & argento decenter ornatæ, quæ trabem magnam sustentabant; cujus trabis capita duorum pilariorum capitellis insidebant: quæ *trabs* per transversum ecclesiæ, desuper altare trajecta, auro decorata, Majestatem Domini, imaginem S. Dunstani, & S. Elfegi, septem quoque scrinia, auro & argento cooperta, & multorum Sanctorum reliquiis referta, sustentabat. Inter columnas Crux stabat deaurata, in cujus patibulo per circuitum sexaginta crystalli erant perlucidi: .. in medio chori dependebat corona deaurata, viginti quatuor sustinens cereos. *Tales quoque ac taliter Sanctorum reliquiis ornatas trabes supra altare princeps, vidi olim non una in ecclesia, per Gallias iter instituens.*

§ IX. De Pharis seu Lychnuchis variæ formæ in basilica Vaticana.

B

Pharus quid sit.

Scribit Anastasius in Adriano nominis sui Papa primo, quod fecit pharum majorem mille trecentis & septuaginta candelis *instructam, quæ* pendet ante presbyterium; *& frequentissime de aliis pharis, alibi per basilicam pendentibus aut stantibus. Res & origo nominis altius repetenda sunt.* Φάρος *apud Stephanum Byzantinum* ἐστὶ νῆσος, ἡ πρὸς τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, ἐφ' ἧ ὁ Σωστράτου τοῦ Δεξιφανοῦς πύργος, ὁμωνύμως λεγόμενος Φάρος. *Pharus,* insula est prope Alexandriam, in qua Sostrati, Dexiphanis filii turris, eodem nomine Pharus appellata. Usus hujusce turris, *uti scribit Plinius lib.* 36 *c.* 12, *fuit,* nocturno navium cursui ignes ostendere ad prænuntianda vada portûsque introitum. *Ipsius exemplo eumdemque in usum deinde aliis atque aliis in portubus ædificatæ fuerunt turres ejusmodi, Italis passim dictæ* lanternæ, *corruptâ voce Latinâ, quia nempe imposita summæ turri laterna ignem conservat, ne ventorum flatu dissipetur aut extinguatur. Hinc porro lychnuchi, qui passim in ecclesiis Catholicorum cernuntur non unius formæ, multo cereorum, lucernarum, lampadumve numero instructi; quia lumina non secus, quam illæ turres, eminus conspicienda præbent; ipsi quoque crebro appellantur* phari. Pharum (*definit enim medii ævi scriptoribus, tam in* um, *quam in* us; *mutatoque initio scribitur etiam* farum *&* farus; *ac terminatio in* us, *non tantum illis est feminini generis, uti passim sumitur Pharus Alexandrina, etiam pro turri accepta; verum & masculini.*) Pharum, *inquit Papias, est* instrumentum ad luminaria ordinanda, sicut etiam candelas. *Et alibi:* Fara, sunt vasa luminatoria, quæ nos retia dicimus, diverso modo formata.

C

Quo nutrimento phari lucebant in ecclesiis.

230 *Ex his Papiæ verbis non tantum inferri potest diversa Pharorum ecclesiasticarum forma, de qua mox; sed etiam diversus eas illuminandi modus; nempe per lampades oleo nutritas, & per candelas, sevo, cera, aliave materia non liquida ardentes. Candelas enim in pharis luxisse, citatus Papias apertissime docet: & luxisse ibidem etiam lampades, idem satis clare insinuat, dum illuminationum meminit per* vasa luminatoria, *quæ utique oleo impleta lumen alebant. Hæc differentia illuminationis ex aliis quoque, deinceps citandis, manifestior fiet. Et candelas quidem pharis imponi solitas fuisse, patet ex adductis Anastasii in Adriano verbis, ubi candelæ plus quam mille in una pharo luxerunt: oleo autem in iisdem nutritas fuisse lampades, ostenditur ex vita S. Benedicti abbatis Anianensis apud Mabillonum seculi Benedictinorum quarti Parte* 1 *pag.* 206; *ubi pendebat in ecclesia pharus,* in cujus vascula, *aut potius vasculis,* permodicum erat oleum: *quæ tamen vascula* in crastino plena reperta sunt. C. J.

Fuerunt formâ rotundâ unius circuli

231 *Forma pharorum, ut olim perquam diversa fuerit, ex videtur potissima fuisse, & nunc fere sola servatur, quæ aut è medio corpore seu globo, brachia quædam sua, apta ferendis candelis, cereis, lampadibus extendit æqualiter in circuitu, extremis inter se, aut non connexis, aut connexis circulo continuo, cui imponi varia lucernarum genera possint. Et istiusmodi phari nunc, æque ac olim* Coronæ, *sumpto à forma nomine, appellantur. Rursum hæ Phari seu coronæ, quæ continuo circulo circumducuntur, aliæ unum tantummodo circulum habent; aliæ plures, sic dispositos, ut alii aliis sint altiores, & quanto sunt altiores, tanto minorem efficiant orbem, infimo latissime omnium se extendente. Unius circuli coronam permagnam vidi olim Aquisgrani in ecclesia S. Mariæ Virginis; octo majusculis ac totidem minoribus turriculis in circuitu ornatam; & cereos circiter quinquaginta ferre solitam: uti notat Merianus in sua Westphaliæ topographia. Dicunt, coronam illam ex argento & inaurato cupro fabrefactam; sed metalla ista præ fuligine & squalore, quo obsita erat machina tunc, cum vidi; vix, aut ne vix quidem, poterant dignosci.* *Aquisgrani,* E

in monte Casino,

232 *Istiusmodi coronæ sæpenumero memorantur etiam ab Anastasio; ac dilucidius à Leone Ostiensi in Chronico Casin. lib.* 3 *cap.* 33; *ubi de Abbate Desiderio, missoque ab eo Constantinopolim quodam Monacho; qui ibi* fecit pharum, id est coronam maximam de argento librarum circiter centum; habens in circuitu cubitos xx, cum duodecim turribus, extrinsecus prominentibus; sex & triginta ex ea lampadibus dependentibus; eamque extra chorum ante crucem majorem *ecclesiæ Casinensis,* satis firmâ ferreâ catenâ, septem deauratis malis, *seu pomis, ad ornatum* distinctâ, suspendit. *Huc faciunt etiam, quæ alius Desiderius, episcopus Cadurcensis, seculo* VII *sanctitate illustris, ad ornatum ecclesiæ suæ dedisse legitur in vitæ, quæ apud nos est Ms. ex antiquissimo codice Cadurcensi. In ecclesia ista & ad ornatum altaris, præter alia,* prominent turres, micant coronæ, candelabra resplendent, nitet pomorum rotunditas; ..... adsunt & statarii, cereorum corporibus aptati: his omnibus crux alma ac pretiosissima, varia simul & candida, arcubus appensa, Sanctisque superjecta, fulget. *Ita enim vocem ultimam legendam puto, pro* fulgetris, *quæ in Ms. habetur, & sensum turbat.* *Cadurci* F

& alibi.

233 *Ab hisce unius circuli coronis seu pharis non videntur diversæ fuisse, quas suo tempore S. Bernardus maluit* rotas *appellare, usus voce contemptibiliore: quia invehens ibi in nimium luxum immoderatumque excessum, quo ornabantur ecclesiæ, & phari, non minus lucentes splendore gemmarum quam luminum; eumque abusum (si tamen abusus) ut exaggeraret, noluerit pharos hic appellare* coronas (*quid enim miri, si coronæ gemmis ornentur?*) *sed* rotas; *nec tamen inepta hæc vox est. Quemadmodum enim è modulo rotæ prodeunt in orbem radii, & committuntur apsidi; ita è medio globo aut alio corpore phari transeunt similes radii ad extimam ejus curvaturam; tota machina rotam,*

C. J. *è centro ſuo ſuſpenſam, refert. Verba Bernardi in Apologia de vita & moribus Religioſorum ad Guilielmum abbatem S. Theodorici tomo 4 editionis Horſtianæ cap.* XI, *hæc ſunt:* Ponuntur in eccleſia gemmatæ, non coronæ, ſed rotæ, circumſeptæ lampadibus; ſed non minus fulgentes inſertis lapidibus. *Si velimus etiam tranſire ab Eccleſia occidentali ad orientalem, docebit Gretſerus in Horto ſanctæ Crucis pag.* 266 *ex codice Bavarico, ſub nomine Bedæ, de ſepulcro Domini, ſcribens, quod* Golgathana eccleſia.... crucem argenteam habet prægrandem.... pendente magna faro deſuper, id eſt æreâ rotâ cum lampadibus, quæ ipſam crucem debita lucis veneratione coronent.

Phari turritæ plurium circulorum,

234 *Præter has Pharos & coronas unius tantum circuli, fuerunt etiam aliæ circulorum plurium, quæ* turritæ *vocari non abs re poſſint; non, quia, ut jam dictæ, in extimo circulo portabant turriculas; ſed quia circuli plures, alii aliis arctiores atque altiores paulatim in modum turris in acumen ſuperne deſinebant, referebantque ſpeciem quamdam turris atque etiam tiaræ Pontificiæ, quam olim*

B regnum, *uti ait Ceremoniale Romanum; nunc ſæpius* triregnum *appellant, ab ornatu triplicis coronæ, ei circùm impoſitæ. De tali corona intelligi poſſunt apud Vener. Bedam lib. de temporum ratione cap.* 24, duæ maximæ, ac mirandi operis phari, ſuis quæque ſuſpenſæ ad laquearia catenis, *ad natales Martyrum honorandos accendi ſolitæ, ſic* ut magis nocturno viſu lucem comaſque flammarum, quam ipſa ignium vaſa, dignoſcere valeas. *Certe ita locum Bedæ intelligit commentator ejus Joannes Noviomagus, hæc ibi notans:* Pharos vocat coronides illas, in quibus lucernarum ambitus ab imo uſque ad faſtigium ſic ſunt diſpoſiti, ut continuo ſuperiores, anguſtiores inferioribus, pyramidis ſeu turris formam oſtendant; quales ſuſpenduntur ex laquearibus ſacrarum ædium, ſeu quales ſuccenduntur in ſacris funebribus.

& aliarum formarum

235 *Phari iſtæ, ut à materia, ex qua conſtabant,* æreæ, argenteæ, *aut* aureæ *dicebantur, ſic à forma, non tantum* coronæ, *verùm etiam* coronæ pharæ, *&* coronæ pharales, *&* phara coronata; *nec non à genere vaſorum, quæ ellychnia nutriebant,* pharacanthara *appellabantur. Lego enim apud Anaſtaſium in Sixto III pag.* 25, *quod is fecerit* coronam pharam ante altare argenteam,

C penſantem libras XXX: *&* coronas argenteas pharales XXXIV, penſantes libras X: *item pag. ſeq.* coronas argenteas pharales XXX, penſantes libras VI: *&* pharacanthara argentea tria, penſantia ſingula libras XV. *Silveſter quoque pag* 12 *fecit* phara coronata X, penſantia ſingula libras VIII. *Fecit &* pharum cantharum ex auro puriſſimo ante altare *baſilicæ Conſtantinianæ,* in quo ardet oleum nardinum piſticum cum delphinis LXXX *& pharum cantharum argenteum cum delphinis* CXX. *Item fecit in gremio quidem baſilicæ,* pharacanthara argentea XL, penſantia ſingula libras XXX, *parte vero dextera ejus, fecit alia ejuſmodi* quadraginta; *& parte ſiniſtra* viginti quinque, *ut obique penſantia ſingula* libras XX.

etiam crucis

236 *Fuerunt & phari, formâ non circulari, ſed aliâ quoque diverſimodâ. Puta in formam retis. Anaſtaſius in Leone III pag.* 142, *non ſemel talium meminit.* Fecit pharum in modum retis ex argento puriſſimo cum caniſtris quinque. *Item,* fecit pharum in modum retis cum caniſtro, & cruces de argento puriſſimo; qui pendet ſub arcu principali. Nec non & alium pharum majorem, in modum retis cum caniſtris viginti D pendentem &c. *Aliæ de pharis, quæ in formam crucis facta erant jam dicere cœpi num.* 229, *quod una talium, ante presbyterium S. Petri ab Adriano primo ſuſpenſa, referebat talem formam. Verba apud Anaſtaſium ſunt pag.* 109: Fecit pharum majorem in typum crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas MCCCLXX: & conſtituit, ut quatuor vicibus in anno ipſum pharum accendatur; id eſt in Nativitate Domini, in Paſcha, in Natali Apoſtolorum, & in Natali Pontificis.

cum innumeris candelis.

137 *Subit hîc non tantùm mirari munificentiam ac religionem iſtius Pontificis, qui machinam excogitavit & conficiendam curavit tot candelarum capacem; qualis profecto neſcio, an ullo umquam tempore ſimilis fuerit confecta: verum etiam ſubit annotare, non ab heri aut nudiuſtertius obtinuiſſe uſum, immeritò à quibuſdam improbatum, accendendi quotannis in Natali ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non in Natali, id eſt electionis aut conſecrationis cujuſvis regnantis Pontificis die luminaria, quæ numero propemodum innumera circum tholum (ſeu cupulam ut vulgus appellat) S. Petri in Vaticano noctem illuminant; quæque ipſe milliaribus facile duodecim inde remotus, non ſemel conſpexi magna cum voluptate & admiratione, laudans Deum in Sanctis ſuis, & in providentia ſua, qua Pontificem, qui tunc erat, Innocentium XI, ac deinde etiam Innocentium XII præfecit Eccleſiæ Catholicæ, filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti Vicarios, B. Petri Apoſtoli ſerie continuata ſucceſſores.*

Phari aliæ non pendulæ,

238 *Phari quoque nomine veniunt non tantum illæ, quæ ſuſpendebantur è laqueari aut trabe, multimodis inſtructæ luminaribus: verum etiam aliæ, quæ ſeorſim aut in trabibus, aut alibi fulcro ſubnixæ, per eccleſiam ſtabant. Pag.* 143 *Leo III fecit* Phara argentea tria, quæ ſtant ſuper trabes argenteas, penſantes libras nonaginta & tres. *Pag.* 144 *fecit idem Leo* pharum ex argento puriſſimo cum lucerna & cereapto (*alibi,* cerapto) ſuo, *quod certis temporibus* conſiſteret juxta lectorium. *Ubi pharus aliud non videtur eſſe quam candelabrum argenteum grande cum ſua lucerna, ſtans juxta lectorium. Meminit & pag. ſeq. Anaſtaſius* phari volubilis ex argento cum coronis & crucibus, *ſed an volubilis eſſet, ac volvi in gyrum poſſet ſupra fulcrum ſeu candelabrum ſuum, an vero quod pendula pharus illa è loco ſuperiore, circumvolvi facile poſſet; non eſt hoc loco unde diſcernatur. Si ſecundo ſenſu accipiatur, nihil novi dictum eſſet, quia omnibus ex fune pendulis illud commune eſt, poſſe volvi & circumagi. Fortaſſe tamen pharus* volubilis *non aliud eſt, quam quod ſuprà,* columna volubilis; *quæ nempe in modum helicis torta, unico à ſummo ad imum ſulco circum excavata erat: de qua num.* 211 *dictum eſt.*

ſed ſtantes, inſtar candelabrorum.

239 *Huc etiam, uti & ad alia quædam hoc paragrapho memorata, diſtinctius intelligenda, ſpectat inſignis Anaſtaſii locus in ſupradicto Leone III pag.* 135: Fecit *in eccleſia S. Petri* coronas majores ex argento puriſſimo quatuor, penſantes ſimul libras CLIV & ſemis. Fecit & lectorium ex argento puriſſimo miræ magnitudinis, decoratum, penſans libras CXLIII: & ceroſtatas ex argento mundiſſimo, ſtantes juxta ipſum lectorium, penſantes ſimul libras XLIX: & ſuper ipſas ceroſtatas fecit lucernas fuſiles bimixas duas ex argento puro, penſantes libras XXVII. Et hoc conſtituit; ut Dominicorum die vel in ſanctis ſolen-

A solennitatibus hinc inde juxta lectorium consisterent, & ad legendum sacras lectiones luminis splendore fulgerent. Fecit quoque pharocantharos in presbyterio numero XIV ex argento mundissimo, pensantes simul libras CCCCXXXIII: nec non columnas VIII & arcus IV fecit ex argento, pensantes inibi libras CLXXIII. *Hæc considerans, facile judicabit, coronas, quæ hic* majores *dicuntur, esse pharos coronatas, de quibus supra: item cerostatas, juxta lectorium stantes, esse per modum candelabrorum: lucernas vero bimixas, cerostatis impositas, fuisse lucernas, duabus myxis sive ellychneis ardentes. De pharocantharis jam memini supra, atque etiam de arcubus, quod duabus columnis fulciebantur; quod hinc etiam confirmatur, dum octo ponuntur columnæ & quatuor arcus.*

Pharorum vasa multiformia, 240 *Uti pharorum formæ, diversæ, ita & vasorum, in illis lumen alentium diversæ fuerunt: & vasa ipsa diversis nominibus appellabantur à sua quodque figura, qua erant formata;* Gabatæ, Canistri, Delphini, Canthari *&* Cantharum, *ejusdem notionis apud Anastasium, sonant fere idem quod supradicta vasa, sumunturque pro* disco *aut* patella, *quibus oleum infunditur aut vasa olearia imponuntur: item pro* candelabro, *aut* cerostata. *S. Silvester pag.* 12 *fecit* canthara cerostata XII ærea, pensantia singula libras tricenas. *Et Leo III* fecit super cyborium de altari majori B. Petri Apostoli canthara majora quatuor ex argento purissimo, habentia in medio cereos ex argento deauratos; *quæ ibi fuerint tantum ornatûs causa. Porro quemadmodum phari, multitudine lampadum aut cereorum illuminatæ, ut plurimum pendebant; ita quoque aliæ similes fuere, quæ stabant instar candelabrorum, & vocabantur* Arbores, *suisque quasi ramis, gestabant lumina. De talibus S. Bernardus, in citato jam nobis tomo suo* IV, *pag.* 992: Cernimus & pro candelabris arbores quasdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabrefactas; nec magis coruscantes superpositis lucernis, quam suis gemmis. *Atque hæc de præsenti argumento sint satis. Transeo ad apsidem basilicæ præcipuam.*

B *gabatæ,* 241 *De reliquis vasorum, candelas ferentium, nominibus & figuris hæc habe, ac primum de canistris. Jam dixi num. superiore, quod Adrianus fecit pharum cum gabatis triginta, & in medio* canistrum octogonum. *Idem pag.* 118, fecit ante januas argenteas; *item,* in turri; canistros argenteos, *utrobique* duodecim. *Illi* pensabant libras XXXVI, *hi* XLV. *Alibi* fecit canistra quinque, pensantia simul libras quindecim *Et pag. seq.* Canistrum fecit ex argento purissimo cum catenulis suis, pensans libras XV. *Gregorius IV pag.* 163, obtulit canistra ennafodia duo: *& Benedictus III pag.* 204, canistra ex aforo duo. *Canistri cognomen utrobique corruptum est. Illic lege* henneaphotia, *hic,* hexaphotia, *à græco* ἐννεαφώτια, ἑξαφώτια, *quæ* novem *aut* sex luminibus *instructa sunt. Ex his intelligitur etiam, canistra & in pharis constitisse, & seorsim è catenis pependisse, & pauciora pluriave ellychnia aut lumina habuisse, & formæ non unius fuisse: & eumdem fere usum videntur habuisse, quem gabatæ.*

C *canistra,*

delphini, 242 *Delphini similiter vasa luminaria erant, uti jam dicta; delphinorum figurâ efformata; quæ itidem ponebantur in pharis & coronis atque etiam seorsim. Adrianus, pag.* 118, per diversas coronas fecit delphinos argenteos in ecclesia B. Petri; *alios* in B. Pauli, *alios* in Constantiniana. *Item Leo III pag.* 145, fecit coronas argenteas & delphinos suos duodecim. *Et diu ante illos Silvester Papa pag* 13, *fecit* pharum ex auro purissimo, quod pendet sub fastigio cum delphinis quinquaginta, quæ pensant, cum catena sua, libras XXV; & coronas quatuor cum delphinis viginti ex auro purissimo, pensantes singulas, libras XV. *Item* pharum cantharum argenteum cum delphinis CXX, ubi oleum ardet Nardinum pisticum. *Hilarus quoque Papa pag.* 29, *fecit* turrem argenteam cum delphinis. C. J

gryphes & leones, 243 *In gabatis aliisque vasis etiam effigiabantur gryphes, leones atque alia animalium genera. Leo quippe tertius fecisse dicitur* gabathas argenteas, habentes gryphes deauratos; *&* gabatha saxisca in modum leonis. Cantharus *&* Canthara *cantharo,* & Cantharum, *ejusdem notionis apud Anastasium, sonant fere idem quod supradicta vasa, sumunturque pro* disco *aut* patella, *quibus oleum infunditur aut vasa olearia imponuntur: item pro* candelabro, *aut* cerostata. *S. Silvester pag.* 12 *fecit* canthara cerostata XII ærea, pensantia singula libras tricenas. *Et Leo III* fecit super cyborium de altari majori B. Petri Apostoli canthara majora quatuor ex argento purissimo, habentia in medio cereos ex argento deauratos; *quæ ibi fuerint tantum ornatûs causa. Porro quemadmodum phari, multitudine lampadum aut cereorum illuminatæ, ut plurimum pendebant; ita quoque aliæ similes fuere, quæ stabant instar candelabrorum, & vocabantur* Arbores, *suisque quasi ramis, gestabant lumina. De talibus S. Bernardus, in citato jam nobis tomo suo* IV, *pag.* 992: Cernimus & pro candelabris arbores quasdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabrefactas; nec magis coruscantes superpositis lucernis, quam suis gemmis. *Atque hæc de præsenti argumento sint satis. Transeo ad apsidem basilicæ præcipuam.* E *arbores.*

DE APSIDE ECCLESIÆ S. PETRI IN VATICANO. F

§. I. De apside, eâque tantum unâ & uno altari in singulis ecclesiis, etiam Vaticana, sub Constantino & proximis ei temporibus.

Apsis undè dicta & quid sit. VOcabulum *Græcum* ἁψὶς, ἁψίδος, camera, fornix; *generaliter quodvis arcuatum opus significans, aptum Latinis rerum ecclesiasticarum scriptoribus visum fuit ad significandum illam ecclesiæ partem, quæ in postremo templi sacellive muro extrorsum protendi passim & arcuari solet in hemicycli figuram; & eâdem figurâ surgit à fundamentis perpendiculariter in justam altitudinem, ubi format crepidinem quamdam & ipsam semicircularem, paululum extuberantem: supra quam deinde sursum curvatur undique in modum conchæ, facitque fornicem, qui quarta pars sit sphæræ. Huic loco Latini scriptores jam inde a seculo* IV *aptarunt, ut dixi, vocem grajam* apsis *seu* absis; *atque etiam* absida

C. J. *casu nominativo declinationis primæ. Non ante tamen tali significatu inducta fuerint in usum voces illæ; quam cum sub Constantino Magno Christiani, libertate profitendi publice & impune religionem suam obtentâ, incubuerunt, Romæ imprimis atque aliis multis locis ad exædificandum nova templa, quæ à magnificentia & columnarum arcuumque frequentia, basilicæ etiam dictæ sunt. Sanctus quippe Paulinus, Nolanæ urbis episcopus, qui, ut in vita ejus ad* XXII *Junii nostri illustrata, legi potest, seculo Constantiniano florens, manifeste indicat, voces illas suo tempore novitias fuisse; dum epistolâ* XII *ad Severum pag.* 154 *editionis Roswevdianæ dubitat, ac fatetur, se nescire, utrum* apsida *an* absis *casu nominativo, scribi à se debeat*, quia, *inquit*, hoc verbi genus nec legisse reminiscor. *Nec tantum dubitasse videtur de terminatione illarum vocum, sed etiam an in medio per litteram* p *aut* b *potissimum scribi deberent latine. Mihi neuter modus displicet. Valet enim* ψ *Græcum Latinis tam* ps *quam* bs.

Ejus partes, B

245 *Et vox quidem apsis seu apsida (quidquid fortasse aliqui subtilius, quam par est, speculati sint) passim sumitur atque merito, pro toto ædificio jam descripto; quia tam introrsum quam sursum in hemicyclum curvando se, utrâque parte conficit arcuatum opus. Partes ejus præcipuæ sunt, pavimentum, paries, baltheus, fornix. Pavimentum & paries, nota sunt. Baltheus (qui & zona dici potest, & crepidinem adjunctam habet) coronat parietem rectum & fundat consurgentem inde fornicem: qui fornix, Latinis* camera, *Græcis* Κόγχη concha, *crebrò appellatur. Pauca Paulini ad Severum in citata epistola pag.* 150 *verba, illustratura sunt, quæ dicebam. Intra basilicam S. Felicis, inquit,* absidem, *solo (seu pavimento)* & parietibus marmoratam, camera musivo illusa, *sive picta,* clarificat. Inferiore autem baltheo, quo parietis & cameræ confinium interposita gypso crepido conjungit aut dividit (*diverso nempe respectu*) hic titulus indicat deposita sub altari Sancta Sanctorum.

pavimentum, *paries,* *baltheus,* *fornix,* *altare,*

246 *Sub apsidis anteriore parte sursum arcuata, olim plerumque tum in aliis basilicis, tum in S. Petri Vaticana consistebat altare, & è regione ejus cathedra seu thronus Pontificius, parieti qua longissime hemicyclus recedit, applicatus; & gradibus aliquot elevatus. Hic thronus Græcis proprie* Βῆμα, *id est* tribunal, *dicitur: quamquam plerisque nunc* Βῆμα *sit, totum illud spatium, quod cum altari sacris cancellis includitur, sacrorum ministrorum cœtum à profana turba dividentibus,* presbyterium *Latinis appellatum, de quo postea. Interim ut vox* tribunal *nonnullis etiam latinè scribentibus, pro throno Pontificio, uti & pro tota apside, usurpari pridem cœpit, existimo inde apud Italos invaluisse vocem* tribuna, *qua nunc passim illis utantur, non modo inter loquendum, sed etiam inter scribendum latine, ad significandum quam diximus apsidem.*

cathedra Pontificia. C

247 *Habuere olim basilicæ singulæ singulas apsides, easque, ut dixi, in medio postremi parietis, ex opposito portæ frontispicii regiæ, quæ rectà per mediam navim eò ducebat. Patère id potest hodiedum ecclesias, à Constantino Magno ædificatas, inspicientibus sive in se (supersunt enim adhuc, in quibus id observari potest manifeste) sive in descriptionibus, quas posteritati reliquerunt Historici, sive etiam in ichnographia, quam supra dedimus, basilicæ antiquæ Vaticanæ. Loquor de ecclesiis Constantini, atque aliis ejus tempore structis: quando & in singulis singula tantum fuisse altaria, & quidem sub memorata apside posita, probabilius tenetur; quam evincatur fuisse plura. Præterquam enim quod satis certum videatur, unum tantummodo tunc altare in basilicis Constantinianis fuisse; idque consequi inde, quod una tantum ibidem apsis tunc fuerit (sine apside equidem nescitur altare, etiam diu post fuisse) expresse docemur, ecclesiam Tyri, ab episcopo loci Paulino iisdem temporibus magnifice ædificatam, atque apud Eusebium (lectionem eius exhibuimus supra pag.* 87) *minutim descriptam, habuisse unum non amplius altare. Legitur namque ibi Paulinus iste omnibus ecclesiæ partibus absolutis,* postremò Sanctum Sanctorum, altare videlicet, in medio constituisse; *quod ipsum deinde* augustum, magnum & unicum appellatur.

Una olim apsis in singulis ecclesiis, D

& altare unum;

248 *Et hic usus collocandi singula in singulis ecclesiis altaria non tantum obtinuit primis istis temporibus asserta in libertatem religionis Christianæ, verum & duravit aliquamdiu post; tam in occidentali, quam in orientali Ecclesia: imo in Græca perennavit semper ac tenet hodiedum. Audi Jacobum Goar in suo* Εὐχολογίῳ *seu Rituali Græcorum pag.* 16: Unum altare, *inquit*, & ut Eusebius loquitur, μονογενὲς θυσιαστήριον, est etiamnum hodie apud Græcos; & non nisi semel per diem, propter Sacrificii unitatem, in eo celebrant: &, si forsan alicubi duo altaria, liturgiæ dicendæ erecta, demonstraveris; consestim ipsi junctas ecclesias, & muro medio sejunctas, παρεκκλήσια, quasi ecclesiarum appendices & oratoria distincta, in quibus diebus profestis memorias diversas agant, ostendunt. *Eadem παρεκκλήσια facit Allatius* sacella, majori templo adjuncta vel vicina, separata tamen & omni ex parte muris disjuncta, licet à majori ecclesia ad minora hæc oratoria portâ mediâ aditus pateat. *Istiusmodi sacella circum basilicam Vaticanam veterem extitisse etiam, & quidem pluria, manifestum redditur vel è sola ejus ichnographia. Sed horum originem non tam certo referre possumus ad tempora S. Paulini Nolani, quam quæ Paulinus ipse testatur circumstetisse ecclesiam suam,* & cubicula *vocat*, longis basilicæ lateribus inserta intra porticus, *accommodata tam cupientibus orare secreto, quam memoriis religiosorum virorum ad pacis æternæ requiem ibi capiendam: & Natali* XI cellas *nominat, ita de fure, qui in basilica noctu rapuerat crucem auream, seque in cellam aliquam talem abdiderat, canens:* Tegit una latentem
Cellula de multis, quæ per latera undique magnis
Appositæ tectis præbent secura sepultis
Hospitia.

nec plura nunc admittunt Græci: E

admittunt tamen in diversis parœcclesiis.

F

249 *Neque contra objiciatur, quod nos ipsi in præmissis ostendimus, prater altare majus sub apside, fuisse aliud in crypta subterranea seu Confessione S. Petri. Non enim adhuc ostendimus nos aut alios, fuisse utrobique altare à tempore Constantini. At jam tum consecratum fuit corpus Dominicum super sepulcrum Apostolorum. Ita plane. Sed non sine aliquo inter sepulcrum & sacram consecrationis mensam interposito medio, quia ostendimus, sepulcrum cubiculo subterraneo, ad quod nullus patebat ingressus, inclusum fuisse, & tantummodo conspectui patuisse per foramen tam arctum, ut putem vix potuisse per illud transmitti corpus humanum. Igitur consecrationem seu Missam factam fuisse super sepulcrum, aliter hic accipi non potest, quàm, factam esse supra illud in loco altiori. Fuit autem altare majus, quod semper extitisse constat, supra sepulcrum,*

Etsi in Confessione S. Petri Silvester Papa fecisset altare,

æque ac in basilica,

A

nondum censerentur fuisse duo in ecclesia una.

An duo fuerint alicubi tempore SS. Ambrosii & Paulini,

aut S. Hilari Papæ.

B

item alius, qui probat unum fuisse in ecclesia S. Felicis altare:

C

Explicatur alius Paulini locus:

crura, aque ac illud altare, quod in Confessione erectum postea fuisse exploratum quidem est; non item, quando erectum fuerit. Ut vero etiam ostendi posset, utrobique ab initio stetisse altare & consecratum utrobique Corpus Domini fuisse: non continuo tamen censeri debent duo in eadem basilica fuisse altaria. Confessio quippe subterranea, postquam superædificata ei fuit basilica Constantiniana, non desiit esse, quod ante fuerat, martyrium seu oratorium per se à basilica diversum, & annumerari potest inter pareccleſia, de quibus paulò ante.

250 *Postmodum crescente paulatim numero presbyterorum, aque ac fidelium, cœperunt apud Latinos plura erigi altaria etiam in una ecclesia; & forte jam tum sub SS. Ambrosio atque Paulino steterunt alicubi erecta, quamquam id non omnino videatur evincere vox* altaria, *numero plurali etiam in soluta oratione ab illis usurpata. Certe ante horum tempora, & diu post, non reperitur in Anastasio Bibliothecario, qui alterum in eadem basilica construxerit altare aut oratorium. Fecit quidem Hilarus, anno* CCCCLXI *creatus Papa,* oratoria tria in baptisterio *Constantiniano,* S. Joannis Baptistæ, & S. Joannis Euangelistæ, & sanctæ Crucis: *sed illa nondum dici proprie possunt esse in eadem ecclesia aut etiam in eodem baptisterio; cum extra sint potius, & nihil cum illo commune habeant, præter portam, qua transitur è baptisterio in oratoria, & vicissim hinc in illud. Atque ita plane pareccleſia sunt. Neque etiam obesse debet locus Paulini Ep.* XII, *pag.* 152, *apsidem (quam &* concham *pag. præcedente vocat aque ac Graci, sumpta parte pro toto) dispertientis in triplicem recessum, quorum duo in ingressu apsidis utrimque in alias apsidulas sinuabantur; quasi in harum alterutra Antistes etiam hostias celebraret; atque adeo ibi altare esset. Locus Paulini hic est:* Cùm duabus dextra lævaque conchulis intra spatiosum sui ambitum absis sinuata laxetur, una earum immolanti hostias jubilationis Antistiti patet, altera post sacerdotem capaci sinu receptat orantes.

251 *Non, inquam, hinc inferri debet, præter altare, quod manebat sub media concha, aliud fuisse in altera conchularum, quæ immolanti hostias Antistiti patere dicitur. Tantum quippe illud abest à vero & semper fuit, ut Cangius, in talibus, si quis alius, versatissimus, non dubitet mutare in textu Paulini vocem* patet *in* parat; *sicque legi deberet,* una immolantem Antistitem parat, *quia ibi parabantur panis, vinum, calix, atque alia, immolanti & sacrificanti necessaria: atque ipse sacerdos ibidem se parabat ad sacrificandum, induendo sacrum paratum. Nec vero alibi quam sub media apside in ecclesia nova, quam è veteri ibidem destructa, quia nimis angusta erat, Paulinus condiderat ampliorem, stetisse altare, docent ejusdem versus,* quos *ipse suis ad Severum* litteris inserere noluit; *quia Severiana ecclesiæ, quæ tota nova e at, non poterant convenire; superstites autem hodiedum in Paulinia-na ecclesia exhibet descriptos Sirmundus noster in suis ad Sidonium Notis pag.* 50 *hoc initio:*

Parvus erat locus ante, sacris angustus agendis,
Supplicibusque negans pandere posse manus,
Nunc populo spatiosa sacris altaria præbet
Officiis, medii martyris in gremio.

252 *Legerem,* medii martyrii, *id est templi,* in gremio, *nisi scirem, Paulinum sæpe Felicem suum, quia multa pro Christo passum, vocare* martyrem. *Puta, Natali* XI, *quem cum aliis ejus Poëmatibus è bibliotheca Ambrosiana nuper edidit eruditissimus Muratorius. Ibi Felix vocatur* elogio martyr: *& Natali* I *dicitur* Vectus in æthereum fine sanguine martyr honorem. *Similia habentur Natali* II. *Natali vero* IX, *templum ejus simpliciter vocatur* martyris alta domus. *Et hæc eò quoque allata sunto testimonia, ut, quod* plerique judicant *teste Sirmundo, citatos versus* ipsius Paulini esse; *id certius constet ex voce* martyris, *quæ ibidem pro* Felice *substituitur, phrasi Paulino familiari. Sive igitur* martyris, *sive* martyrii *scripsit Paulinus, eodem redibit; quia tam unum, quam aliud, significabit templum S. Felicis, in cujus medio gremio altare stetit* spatiosum, *super quod etiam Antistes pro dignitate sua solenniter immolare potuit hostiam jubilationis. Unicum vero tantum in ecclesia ista stetisse altare, licet* altaria *memorentur numero plurali; colligitur ex unico distincte designato loco, in quo stetit; videlicet* in gremio medii martyris *aut martyrii.*

253 *Sed neque obesse nobis debet alius Paulini locus pag.* 150, *quo dicuntur Reliquiæ Martyrum* intra absidem trichora sub altaria *teneri. Neque enim probatur illa lectio omnibus: & Cangius iis potius adhærendum indicat, qui legunt,* intra apsidem trichoram sub altari. *Et sane hæc lectio (præterquam quod per se plana est) plurimum conformitatis habet cum illis, quæ modo num.* 250 *retulimus ex eadem Paulini epistola* XII, *de eadem ecclesia, ejusque apside cum duabus conchulis & uno altari. Apsis enim talis proprie* trichora *est. Alia vero lectio, prout impressa habent, torquet doctorum ingenia, & nondum apte explicatam ab aliquo inveni. Rosweydus in suis ad locum illum* Notis *pag.* 785 *censuerat,* sub tribus *istis* absidibus tria *fuisse* altaria. *At pag.* 894 *inter* Addenda, *corrigens dicta sua, censet,* potius unum altare in medio trichori, sive inter tres absides, id est in medio majoris absidis, ita tamen, ut & duas alias laterales absides respiceret, positum *fuisse. Atque ita ibidem videtur ei intelligendus quoque Spartianus, qui in domo Pescennii Nigri* simulacrum ejus in trichoro constituit; *id ist, inquit Rosweydus,* in medio trichori. Nam totus locus, tribus constans absidibus vel partibus, dicebatur trichorus vel trichorum. *Ita ille, idque apte juxta etymologiam vocis* χῶρος, *quæ Latinis* locum *sonat. Unde* τρίχωρος, triplex locus; *& apsis trichora, quæ tres locos habet, aut spatia.*

ac tertius de apside trichora.

D

E

F

Qualis illa sit.

254 *Sunt tamen qui putent, apsidem trichoram esse & appellari, cum juxta apsidem primariam & extra eam, alia minor apsis hinc & alia inde sinuantur, sic ut neutra quidquam commune habeat cum primaria media. Talis situs apsides ternas proponit Cangius in sua ichnographia ædis sanctæ Sophiæ Constantinopolitanæ, & in duabus aliis structuræ Græcanicæ Jacobus Goar in Euchologio par.* 13 *&* 21. *Harum apsidum ternarum situm ut melius capiat Lector, redeat ad ichnographiam nostram basilicæ Vaticanæ, ubi præter primariam apsidem, in medio postremi muri sinuatam, nulla quidem seu intra seu extra illam exprimitur alia; concipi tamen facile potest alia ad latus ejus è regione navis penultimæ versus meridiem, & alia è regione navis penultimæ versus septemtrionem, quo fere modo se habet situs ternarum apsidum in ichnographiis Cangii & Goaris. Verum apsides istiusmodi tres, quæ omnino separatæ sunt, an* apsis trichora *proprie sint aut appellari recte possint, non ausim id affirmantibus assenturi. Certe talis non fuit apsis S. Felicis, quam Paulinus ut* trichoram *describit. Ait enim quod illa duas dextrâ lævaque conchulas intra* spatiosum sui ambitum *continebat; non extra. Cangiana vero & Goariana apsides laterales*

C. J

& extra primariam sunt, & nihil cum illa habent commune.

Apsis Vaticana à S. Silvestro facta cum ipsa basilica,

255 *Sed nostra nos poscit apsis Vaticana S. Petri antiqua, cujus ergo hæc cœpimus disputare. Illam una cum basilica constructam fuisse à Constantino & Silvestro, quidquid alii dubitent, mihi tam certum est, quam quod certissimum. Obtinebat namque Romæ tum temporis usus taliter ædificandi Christianorum ecclesias, cœptus sub ipsis persecutoribus in ecclesiis subterraneis, ad quas latentes in cœmeteriis fideles, per vias diversas conveniebant, synaxes suas celebraturi. Exempla videre licet apud Aringum in Roma subterranea, ac præcipue tomo 2 pag. 323, ubi exhibet orthographiam ecclesiæ S. Hermetis, ubi nunc est villa suburbana*

juxta morem illorum temporum,

Collegii Romano-Gregoriani Societatis Jesu, quo Scholastici ejus hebdomadatim per ætatem excurrunt, tam laudabili quam antiqua, utpote ab ipso Religiosæ familiæ nostræ institutore S. Ignatio derivata consuetudine, ut ingenia, continuato plurium dierum studio fatigata, deambulatione moderata, spiritu liberioris cæli, vacuitate curarum & relaxatione animorum, reparentur ad eadem studia diutius utiliusque continuanda. Inter hos ego Socios religiose ac jucunde quadriennium versatus, frequentavi cum iisdem villam prædictam, ac sæpe ibidem descendi ad subterraneam S. Hermetis, de qua Aringus loco citato, ecclesiam, tam altè depressam & benè materiatam adhuc, ut super parietes ac fornicem ejus, domicilium, quod nunc ibidem spectatur superædificatum, quamvis altum sit, tertia tamen sui parte sub terra lateat. In capite istius ecclesiæ subterraneæ perquam ampla, ut alia prætermittam, quæ hujus loci non sunt, apsis quoque est hemispherica cum concha sua; apparentibus adhuc non uno loco coloribus, quibus depicta fuisse dignoscitur.

B

& musivo depicta fuit;

256 *Aliud argumentum, cur Silvestro apsidem æque ac reliquam ecclesiam S. Petri in Vaticano deberi, persuasum habeam, est, quia nusquam legitur alius quispiam post Silvestrum illam extruxisse; legitur autem apud Anastasium pag. 47, illam* renovasse *Severinus Papa, qui* CCC *post Silvestrum annis Ecclesiam rexit. Imo ex indicato Anastasii loco concludi potest, etiam musivo depictam à Silvestro fuisse apsidem illam. Dicitur namque ibi Severinus* renovasse apsidem B. Petri Apostoli ex musivo, quod dirutum, *alia lectio habet,* quod disruptum, erat. *Maxime quidem firma ac durabilis picturarum omnium est musiva, quæ tamen cogitari potest spatio trecentorum annorum sic labefactata fuisse, ut renovari debuerit. Et plane voluerit Constantinus, præcipuam domus Dei portionem, apsidem dico, non minori picturarum elegantia spectabilem esse, quam palatia gentilium Imperatorum, quæ passim musivis operibus nitebant, qualium reliquiæ hodiedum supersunt & videri possunt multis locis inter ruinas, palatii dicam, an civitatis? (fuit enim miræ amplitudinis ædificium) quod Imperator Hadrianus construendum sibi curavit prope Tybur.*

C

uti ex Anastasio Biblioth.

& Adriano Papa I ostenditur.

257 *Verum quid opus est hisce conjecturis, quando clarissimis verbis testatur Adrianus Papa I, Silvestrum & Successores ejus aliquot, ecclesias à se structas depinxisse* in musivo. *Ita scribit in amplissima epistola de Imaginibus, qua illos confutat, qui Synodum Nicænam secundam impugnabant, regi Carolo Magno inscriptâ apud Labbeum tom. 7 Concil. col. 955*: A tunc, *sive à tempore Constantini Magni,* usque hactenus sanctorum Pontificum Silvestri, Marci & Julii, miræ magnitudinis sanctæ eorum ecclesiæ apud nos sunt depictæ, tam in musivo, quamque in ceteris historiis, cum sacris imaginibus ornatis. *Ex harum ecclesiarum numero non tantum excludi non debet B. Petri basilica in Vaticano, sed ipsa præcipue designari videtur, utpote* miræ, *& majoris quam ceteræ,* magnitudinis.

D

S. Paulinus quoque ædificavit ecclesiam cum apside musiva,

258 *Constat quoque S. Paulinum annis non amplius* LXX *aut* LXXX *post Silvestrum in sua diœcesi Nolana ædificasse B. Felicis novam ex veteri ecclesiam; in eaque apsidem fecisse & musivo ornasse; non utique sine exemplo majorum. Quorum autem potius quam Romanorum Pontificum, qui primas à se sub Imperatore jam Christiano, & publicè magnificeque extructas & solenniter consecratas, tali forma extruendas curaverint? Has vero, sibi sæpe visas Romæ, quantum ad præcipuas architecturæ partes attinet, tum Paulinus, tum alii passim, saltem per Italiam episcopi, faustis illis, publice referentis caput Religionis principius, voluerint imitari; ut in his quoque, sicuti in aliis sese Ecclesiæ Romanæ, tamquam membra capiti suo, conformarent.*

E

verisimiliter juxta formam Romanorum.

259 *De apside ecclesiæ à se constructa, ejusque pictura musiva mox audiemus Paulinum, ex ipso verissimile reddituri, quod Silvester non modo struxit & musivo ornavit apsidem S Petri, verum etiam eamdem ibi picturam pingi curavit, quæ propter basilicam novam sub Sixto V destrui cum apside debuit, conservato tamen ejus exemplo in expansa membrana, quæ in archivo est, ad posterorum memoriam delineato: unde ectypon ejus desumi atque in æs incidi curavit Ciampinus, & ex ipso nos hic similiter repræsentamus. Scribit Turrigius pag. 62, idem opus musivum apsidis antiquæ etiam depictum cerni in cryptis Vaticanis, & singulas eius partes, saltem obiter describendo, sic indicat; ut si quis scripta eius legens, præoculis simul habeat tabulam apsidis Ciampinianam, dubitare non possit, quin omnia res eadem utrobique sint. Nihilominus videntur illam Turrigii in cryptis picturam recentiores aliqui Scriptores atque inter illos ipse Ciampinus indicare, olim extra basilicam in atrio paradisi spectabilem fuisse: quod cum eorumdem asserto, apsidem intra ecclesiam similiter depingentium, difficile conciliatu est; nisi eadem pictura musiva duobus locis extiterit.*

F

An apsis Vaticana ab Innocentio 3 restaurata iterum innovata fuerit à nescio quo 12.

260 *Utut est, apsidis picturam musivam, quam hic repræsentamus, Innocentii Papæ III, anno* MCXCVIII *electi, opus esse; indicat ipsiusmet imago & nomen, loco conspicuo adscriptum. Sed dubitari potest, fuerintne opus illud musivum, aut potius pictura ejus Innocentiana, omnino nova ac diversa ab illa, quam diu ante* renovaverat (*non mutaverat*) *Severinus Papa, ac fortassis alius post ipsum denuo renovavit ante Innocentium prædictum: quemadmodum Turrigius in Cryptis pag. 62, & ex illo Ciampinus pag. 42, scribunt, Benedictum XII, vix sesquisæculo post Innocentium, eamdem apsidem restaurasse per celebrem pictorem Giottum, eapropter Florentiâ evocatum. Sed hosce scriptores, quia nullum citant asserti sui auctorem, & nihil tale legitur in actis Benedicti, aut alibi quod sciam; intellexerint fortassis, epigraphen hanc* (Benedictus PP. XII, Tolosanus, fecit fieri de novo tecta hujus basilicæ sub anno Domini MCCCXLI) *quæ olim legebatur, statuæ ejus, inter portas Argenteam atque Ravennianam parieti appositæ, adscripta; intellexerint fortassis, inquam, scriptores citati, epigraphen hanc etiam ad tectum apsidis pertinere, quam ego ad solum ecclesiæ tectum referendam puto.*

§. II.

SVMMA PETRI SEDES EST HAEC SACRA PRINCIPIS AEDES • MATER CVNCTAR DECORET DECVS ECCLESIAE
DEVOTVS XPO QVI TEMPLO SERVIT IN ISTO • FLORES VIRTVTIS CAPIET FRVCTVSQ SALVTIS

A

§ II. De pictura Vaticanæ apſidis muſiva ; cujus ſegmentum ſuperius explicatur.

Pictura apſidis, quæ hic delineata,

Adjungo hîc, ut melius capiantur dicenda, picturam muſivam veteris in baſilica Vaticana apſidis ex delineatione, quam illuſtriſſimus Ciampinus in Ædificiis Conſtantinianis exhibet, Tabula ſua XIII, *aitque à ſe diligentiſſime delineari curatam juxta exemplar, quod ſervatur in archivo baſilicæ, magno in pergameno, coloribus diſtinctum, appoſitâ ad calcem publici notarii fide de collatione facta cum originali, antequam Sixtus V apſidem ipſam deſtrueret. Bifariam, ut vides, dividitur univerſa pictura. Pars inferior repræſentat Eccleſiam militantem, ejus ſacrificium, vocationem gentium, aliaque. Pars ſuperior, ſtellis ubique diſtincta, (unde videri poſſit repræſentare cælum empyreum aut firmamentum) exhibet Chriſtum Dominum in throno ſedentem & adſtantes ei duos Apoſtolos, omnes diademate ſeu coronâ gloriæ inſignes. Hanc partem*

B

hîc illuſtrare conabor, alteram deinde. Præmittenda tamen eſt reſponſio ad dubium, quod movi § ſuperiori; ac dicendum, picturam muſivam Innocentii III in apſide Vaticana, quantum ad præcipuas ejus figuras attinet, veroſimiliter repræſentare eadem, quæ repræſentabat pictura ibi renovata à Severino Papa, & primùm facta (ſecundum indicatam opinionem noſtram) à S. Silveſtro. Neque enim exiſtimandum eſt, eccleſiam Vaticanam ſub Innocentio III, minus ſolicite conſervata voluiſſe præcipua ſua decora & antiquitatis monumenta; quam id voluit eadem Eccleſia ſub Sixto V, quando ſub modio, ut ita dicam, in cryptis ſubterraneis iiſque tenebricoſis; & in membranâ, nihilo lucidioribus in archivis reconditâ, apſidem, paulo poſt demoliendam, depingi curavit, tantummodo ut conſervata perduraret antiqua ejus pictura. Facilius ea potuit conſervari in renovatione Innocentiana, quia manebat in eodem loco; & minoribus impenſis, quam alia depingi, quia ſuperfuerint tum adhuc varia ejus lineamenta, quæ non evanuerant, ac refici propterea citius & commodius poterant, quam nova pingi. Adde ſtudium, quod dixi, antiquitatis; & zelum retinendi recte inſtituta; quorum ſemper Eccleſia iſta tenax fuit.

& ab Innocentio 3 reſtaurata fuit,

Silveſtro, ut primo auctori tribuenda,

C

262 *Fortius probabit aſſertionem noſtram argumentum, quod ſubminiſtrat repræſentatio apſidis Innocentianæ, expreſſa in tabula adjuncta. In illa quippe pictura præter nonnulla, quæ baſilicæ Vaticanæ, in honorem Principum Apoſtolorum conditæ, ſunt propria; repræſentantur multa, quæ primis poſt Conſtantinum Magnum temporibus videntur paſſim pingi ſolita fuiſſe. Certe Paulinus ſanctiſſimus epiſcopus apſides a ſe ædificatas pictaſque, tum in eccleſia Nolana S. Felicis, tum in eccleſia Fundana, quam è patrimonio ſuo Fundis erexerat; talibus depingendas curavit figuris, quales etiam in muſivo Innocentiano repræſentantur plures. Puta, quod utrobique ſit Chriſtus Dominus; quod ſub pedibus ejus quatuor paradiſi flumina; quod Crux gemmis diſtincta; quod Agnus ſub cruce; quod oves aliæ; quod palmæ. Quæ proinde non tam Innocentii inventio, quam antiquæ picturæ reſtauratio aut imitatio cenſeri poſſunt. Manifeſtiora hæc fient inter explicandum myſteria adjuncta tabulæ, dum eorum antiquum in picturis uſum verbis Paulini comprobabimus.*

utpote priſcorum temporum imagines reſerens,

similes illis quas S. Paulinus pinxit ac deſcripſit.

263 *Multa ad explicationem tabulæ congerit Ciampinus libro de ſacris Ædificiis Conſtantini pag.* 42; *in quibus tamen accuratio major, ut alibi, fortaſſe deſiderari poſſit. Nonnulla eódem conferemus & nos, ordientes à primaria perſona, quæ eſt Chriſtus Dominus, media area conſpicuus in ſolio, dextram tenens ante pectus elatam, erectis tribus digitis, annulari ſolo & pollice curvatis, & inter ſe commiſſis; ſiniſtrâ vero librum genu ſiniſtro nixum, complectens. Tota figura ſchema repræſentat docentis ac inſtruentis; quidcumque demum hîc diſcurrat Ciampinus de manu dextra elevata, quæ curvatis tantum pollice & annulari digito, ei certo certius geſtum benedicentis ſignificat ex more, ut ait, Græcorum. Sed quid juris habuit mos Græcorum, ut in eccleſia Latina & præcipua ejus baſilica Romæ, debuerit manus benedicentis pingi more Græcorum & non potius more Latinorum? An etiam Petrus, qui Chriſto Domino adſtat, ac digitos dextræ extenſæ, eodem, ac ille modo, diſpoſitos habet, Domino ſuo cenſebitur impertiri benedictionem? Non exiſtimo id intendiſſe Innocentium aut deceſſores ejus, tabulæ auctores primos.*

C. J. *An Chriſtus in Vaticana repræſentetur*

tamquam benedicens more Græcorum

264 *Quod autem digitus index & medius ſic jungantur in manu benedicente, ut primus erectus, litteram* I, *alter curvatus litteram* C, *quæ græcum mediæ ætatis ſigma eſt, efficiant: atque iterum ut digitus annularis & pollex, inter ſe tranſmiſſi forment litteram græcam* X; *auricularis vero digitus, uti de medio dictum eſt, curvetur in* C: *& ex his demum duæ primæ litteræ* IC, *ſignificent nomen ſacroſanctum* JESUS; *poſteriores autem duæ* XC, *denotent nomen* CHRISTUS, *uti explicat Ciampinus ex Raynaudo de Attributis Chriſti ſect.* 4, *cap.* 9 *num.* 733; *& Raynaudus ex Nicolao Malaxo, ſcriptore Græco, fragmenta ejus vix ſcio qualia citans; quod, inquam, talis poſitio digitorum in manu benedicente Græcorum ſit aut debeat eſſe; ad tales litteras formandas; ingenioſam potius Nicolai iſtius ſpeculationem eſſe exiſtimo, quam receptum apud Græcos ritum: cum præter illum alius nuſquam citetur, qui talium rituum, in benedictionibus ſervandorum, meminerit.*

E

juxta opinionem Malaxi;

quæ videtur incongrua tradere

265 *Præterea talis poſitio digitorum videtur aliquid habere inſoliti & indecori: quia erecto indice perdifficile eſt, ſaltem non aſſueto, medium digitum curvare leniter, præſertim quando eodem tempore annularis pollici (quod ipſum non ſatis naturæ conſentaneum videtur) ſuperimpoſitus, cum iſto formare debet litteram* X. *Repugnat quoque poſitio illa auctoritati picturarum veterum; quia in illis paſſim, & in ipſa quoque Ciampini tabula, quam præ manibus habemus, Chriſtus Dominus ac B. Petrus (utrumque ille ait, in modum benedicentis efferre dextram) tres digitos, certe duos, indicem & medium, ſic erectos habere conſpiciuntur, ut nullus dici poſſit alio magis eſſe curvatus. Ad hæc annularis & pollex Chriſti & Petri in eadem tabula, tantum abeſt, ut tranſverſim poſiti, efficiant* X, *ut vix extremitates utriuſque inter ſe contingant.*

& repugnat veteribus picturis,

266 *Idem obſervare licet in imagine Salvatoris, inter Apoſtolos Petrum & Paulum, elata manu in modum benedicentis, depicti muſivo opere in ſepulcro Ottonis II Imperatoris, quam ſe vidiſſe teſtatur Nicolaus Alemanni atque inde excepit, & in æs inciſam producit in opuſculo de Lateranenſibus parietinis, ſane erudito, pag.* 88. *In iſthac imagine tres digiti æqualiter extenſi, annularis vero & pollex, ſupremis punctis inter ſe conjuncti ſpectantur. Neque aliter eamdem picturam curavit depingendam Ciampinus ipſe in Ædificiis Conſtantinianis tabula* 24 *fig.* 2, *exceptam ex prædicto ſepulcro, quod*

C. J. *quod nunc in Cryptis Vaticanis conditum ſervatur, viſum adhuc ab Alemanno ſub Paulo V in introitu atrii veteris, ſive, ut loquitur Ditmarus,* paradiſi, *& quidem ad partem ejus* orientalem, *uti idem teſtatur lib. 3 Chronic.*

docentibus modum illum benedicendi

267 *Sed, ſi quis forte velit obſtinare animum, ac firmiter tenere, Chriſtum in apſide noſtra, more benedictionem impertientis depictum, ex uſu Græcorum digitos ſuos componere, quia nomina* Jeſus Chriſtus, *per extrema utrobique elementa Græca* IC & XC *ibidem exprimuntur; conſideret ille quænam ratio ſubeſſe poſſit, cur in ſepulcro Imperatoris Latini, ubi ne littera quidem ulla Græca invenitur, ſculpta ſit figura more Græcorum compoſitis digitis benedictionem impertientis.*

potius Latinorum eſſe.

An non plauſibilius dici poſſit, compoſitionem manus, prout in memoratis ſepulcro & tabula repræſentatur, æque Latinorum eſſe ac Græcorum, ſi non & potius Latinorum ſit; tres autem digitos erigi in cælum, ut eò cogitationes noſtras dirigamus, ad contemplandam ſanctiſſimam Trinitatem: digitumque annularem ac pollicem, ſupremis articulis inter ſe contingentes conficere litteram O *aut annulum, æternitatis hieroglyphicon, ad ſignificandum bona, quæ in cælis repoſita ſunt, æterna fore: ſpemque illa conſequendi, per benedictionem divinam impertiri vel augeri hominibus. Verum nimis diu his immoror, ex occaſione data à Ciampino de Chriſti dextra benedicente.*

B

Chriſtus ſiniſtrâ librum tenet Euangeliorum.

268 *Tranſeo igitur cum ipſo ad ſiniſtram Chriſti manum, & ad librum, quem illa nixum genu ſtringit; quemque Ciampinus docet denotare* librum vitæ ſcilicet electorum. *Ego vero opinatus, Chriſtum hic agere magiſtrum in Cathedra, atque inſtituere duos Apoſtolos ſuos, qui ſtant, dextrâque & oculis in magiſtrum intenti, interrogare aliquid videntur; exiſtimo, librum illum denotare ſacroſancta Euangelia, quibus doctrina Chriſti continetur, ab Apoſtolis toto orbe diſſeminata. Huc etiam ſpectant quatuor flumina, ſubter ſolium ſedentis Chriſti emanantia,* Gehon, Phiſon, Tygris & Euphrates; *quæ uti ex uno fonte paradiſi terreſtris (Geneſis cap. 2) quadrifariam profluunt & longe lateque terram alluvione aquarum ſuarum uberem reddunt; ita hîc, & paſſim in antiquiſſimis Chriſtianorum monumentis, quorum magnam copiam apud Aringum videre licet, figurata conſpiciuntur, ad ſignificandum quatuor Euangelia, ex uno fonte, qui Chriſtus eſt, promanantia, totumque terrarum orbem irrigantia ad ſalutem animarum.*

Sub pedibus ejus quatuor flumina paradiſi, quid innuant,

C

Quatuor *namque* paradiſi flumina, *ut inquit S. Eucherius in Geneſim*, quatuor ſunt Euangelia ad prædicationem cunctis gentibus miſſa. *Et ante ipſum S. Cyprianus, cum dixerat, Deum arbores paradiſi rigaſſe quatuor fluminibus*, id eſt *inquit epiſt. 73 ad Julianum*, Euangeliis quatuor, quibus baptiſmi gratia ſalutaris cæleſti inundatione largitur.

etiam apud Paulinum Nolanum.

269 *Similem quatuor fluviorum picturam, ad idem ſignificandum, in apſide ſua Sanfeliciana expreſſerat quoque S Paulinus, uti ipſe teſtatur: Chriſtum tamen non ſedentem in throno, ſed ſtantem in monte vel petra deſcribit. En verba ejus, ex Epiſt. 12 pag. 150, tribus verſibus expreſſa:*

Petram ſuperſtat ipſe (*Chriſtus*) petra Eccleſiæ,
De qua ſonori quatuor fontes meant,
Euangeliſtæ, viva Chriſti flumina.

Nec prætermittam dicere, quod etiam Lugduni Galliæ eadem flumina olim picta fuerint in aliqua apſide, quam deinde dignam judicavit Florus Lugdunenſis Diaconus, ut ejus picturam ab interitu vindicaret verſibus ſuis, commendaretque poſteritati; de quatuor fluminibus, inter alia ibi repræſentatis ſic canens:

Vivaque Hieruſales, agno illuſtrante refulgens,
Quatuor uno agitat paradiſi flumina fonte.

Prodiit poëmation illud operâ Mabillonii, legiturque tomo primo Veterum Analectorum pag. 408.

D

Quid cervi fluminibus appicti.

270 *Neuter citatorum Poëtarum mentionem facit cervorum, an illi in apſidibus quoque ſuis appicti fuerint quatuor fluminibus, veluti ad ea currentes atque anhelantes; quemadmodum depicti exhibentur in noſtra tabula, non citra myſterium. Jam enim didicimus ex Cypriano, flumina illa Euangelii ſymbola, baptiſmi gratiam ſalutarem cæleſti inundatione largiri atque (ut alibi idem ſcribit, tractatu de ablutione pedum)* per univerſum mundum regenerationis evehere lavacrum; *ad cujus ſalutares aquas, doctrina Euangelica inſtructos properare homines ex omni parte, docemur in cervis, hinc & inde ad aquas accurrentibus. His enim in more poſitum eſſe, docet Hieronymus in Pſalm.* 41, ut inventum ſerpentem naribus hauriant, & poſt hæc exardeſcentes, *currant ad fontem, ut* extinguant ſitim. *Et mox hoc ipſum applicat hominibus,* qui *cum* diu in actu venenoſo *variorum peccatorum, atque in* idololatriæ fœtore *vixerunt,* deſiderant venire ad Chriſtum, in quo eſt fons luminis, ut abluti baptiſmo, accipiant donum remiſſionis.

E

Quid palmæ,

271 *Si æque conſtaret, veſtem Chriſti hîc purpuream eſſe, atque conſtat palmas utrimque, & quidem proceras, conſurgere, poſſet huic apſidi noſtræ non minus, quam Sanfelicianæ convenire verſus iſte S. Paulini, de Chriſto loquentis,*

Regnum & triumphum purpura & palmæ indicant.

quid Apoſtoli,

De ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, utrimque inter palmas & Chriſtum ſtantibus, quid dicam? Tunicatus & palliatus ſtat uterque, uterque ſiniſtra manu pendulum & explicatum præfert volumen. In horum altero, quod Pauli eſt, inſcribitur ex Epiſt. ad Philipp. 1, 20; Mihi vivere Chriſtus eſt: *in altero, quod eſt Petri, debuit inſcribi tota ejus confeſſio Matth. 16, 16;* Tu es Chriſtus Filius Dei vivi: *cui confeſſioni etiam reponere dignatus eſt Chriſtus divinam promiſſionem ſuam hanc:* Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claves regni cælorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. *Hanc autem promiſſionem pictor non expreſſit quidem verbis; ſed ſymbolo clavium, poteſtatem omnimodam ſolvendi & ligandi ſignificantium; quas propterea ex eâdem Petri manu cum volumine confeſſionis, pendulas depinxit.*

F

& eorum volumina.

quid claves Petri.

Diadema Chriſti diverſum

272 *Caput utriuſque Apoſtoli non ſecus ac Chriſti,* diademate, *id eſt circulo lucido, quem &* nimbum *vocant, cingitur, illo tamen diſcrimine, quod diadema Chriſti non ſit merus circulus, uti eſt Apoſtolorum; ſed intra ambitum ſuum effigiatam habeat crucis formam. Et hoc diſcrimen alibi quoque, ubi Chriſtus cum uno aut pluribus Apoſtolis aliiſve Sanctis componitur, in antiquis picturis obſervare licet, non utique adhiberi cœptum, ex mero pictoris ingenio, ſed ex induſtria ſapientum, qui voluerint illo ſigno conſultum rudioribus, ut inde cognitâ Chriſti Domini præ aliis perſonâ, præcipuam ei venerationem deferrent, & myſterium, picturâ repræſentatum, facilius caperent. Obſervare*

à diademate Apoſtolorum,

TRICLINII LEONIANI ABSIS PRIMARIA RESTITVTI.



A *Paries primariæ Absidi restauratæ praetensus cum suo ostio et peribolo.*
B *Ichnographia totius olim Triclinii*
C *Antiqua facies ruinosæ Absidis ante restaurationem, cum tunc reliquis vestigiis parietis et Absidis sinistræ, nunc solo æquatis.*
D *Cubitorium, ubi Pontifici convivanti sternebatur.*
E *Vestigium novi parietis transversi cum ostio.*
F *Reliquus locus, nunc in hortum versus.*
G *Janua Triclinii ad sacellum S. Laurentii, nunc Sancta Sanctorum.*
H *Ædificii descriptio verbis Anastasii.*
I *Instaurati operis monumentum.*

Henri. Cause' sculp.

A *vare autem licet quod dico, in apſide triclinii à*
etiam in tri- *Leone Papa III exædificati, & hodiedum magna*
clinio Leo- *parte ſui ſuperſtite, prope baſilicam Lateranenſem.*
nis 3, *In apſidis illius concha ſtat Chriſtus ſuper colliculum,*
è quo flumina quatuor, ut in noſtra apſide, pro-
deunt, ſtipantibus utrimque latera ejus Apoſtolis.
Stat autem hîc, ut benedicens, elata dextera, &
digitis fortaſſe (neque enim ſatis diſtingui poteſt)
ita compoſitis, uti ſupra Ciampinus prætendit,
Græcos conſuevisſe, illos inter benedicendum com-
in una *ponere. Caput vero Chriſti (quod præcipue huc*
ſpectat) diademate ambitur, cruce per medium
inſignito, ubi reliqui omnes adſtantes nudo circulo
decorantur.

atque altera 273 *Idem ibidem obſervari quoque poteſt in alio*
pictura. *muſivo, quod extra curvaturam apſidis ſuperiorem*
repræſentat hinc Chriſtum, inde Petrum, in thro-
no conſidentes ambos; & hunc quidem circulo ſim-
plici, illum vero circulo cruce ornato circum ver-
ticem diadematis. Simplex ſimiliter circulus ibi-
dem in dextro emblemate ac dextro Chriſti latere
Papam genua flectentem coronat: in ſiniſtro autem
emblemate ad dextram Petri Apoſtoli flectit alius
B *Papa, non circulari, ſed quadrangulari figura, ca-*
put ornatus. Prior figura notat hominem defunctum,
poſterior adhuc viventem, quando emblemata illa
fuere picta: & hîc quidem repræſentatur Leo PP.
III, qui opus faciendum curavit: illîc vero quis
ſit, non adeo conſtat. Sunt qui Silveſtrum putent;
ego cum Papebrochio malim ſentire, Adrianum pri-
mum eſſe, Leonis deceſſorem, ob conjecturas tomo 2
Junii n. 582 allatas. Tabulam iſtorum muſivorum,
quam alibi jam dedimus in æs inciſam, hic denuo
juvabit exhibere, ut expeditius conferri cum ta-
bula apſidis Vaticanæ, & ex collatione utriuſque con-
ſtare poſſit oculis intuentium, tam eſſe ſimilia utro-
bique inter ſe diademata Chriſti, quam ſunt di-
verſa à diadematibus Apoſtolorum. Ex ſimilitu-
dine porro mutua diadematum Chriſti in utraque
tabula, conjici non temere poteſt, apſidis ab Inno-
centio III reſtauratæ picturam, Innocentii iſtius ætate
multo antiquiorem eſſe.

§ III. Segmenti inferioris pictura illuſtratur.

C LUſtratis quæ præcipua ſunt in concha ſegmento ſuperiori, deflectamus paululum oculos ad inferius. Principem hic locum obtinet ſpectabilis in medio gemmatus thronus, *uti Ciampino*
Agnus, ſub *placet appellare; qui forſan ara potius videbitur*
cruce vulne- *alsis. Super hanc ſeu aram, ſeu thronum, quaſi in*
ratus, *colliculo erecta & gemmis diſtincta conſpicitur crux:*
ſub cruce, ante aram ſtat agnus, diademate caput
circumdatus, è cujus quatuor pedibus totidem fluenta
erumpunt, quinto inſuper prodeunte è pectore in
calicem ſuppoſitum, atque inde juxta reliqua de-
fluente. Similis fere fuerit agnus, & ipſe compoſi-
tus cum cruce, in pictura, qua S. Paulinus eccle-
ſiam ſuam Fundis ornandam curavit; quemadmo-
dum docemur ex Epiſt. ejus 12, ubi inter alia ſic
loquitur pag. 155 & 150:

Sub cruce ſanguinea niveo ſtat Chriſtus in agno;
Agnus, ut innocua injuſto datus hoſtia leto.

Item in eumdem ſenſum; quod Chriſtum

Sanctam fatentur crux & agnus victimam.

Agnus namque ita conſtitutus ſub ſacroſancta cruce, ſymbolum habet Chriſti patientis & per merita ſuorum quinque vulnerum diſpertientis fluenta gratia-

rum per univerſum mundum, ac dantis inde omnibus affluenter, *uti ait Apoſtolus.* C. J

275 *Quod ſi præterea agnus, ut apud nos, adſtet* *ſymbolum*
altari; multo ſane apertius id fatetur ſanctam vi- *Chriſti pa-*
ctimam; nec aliud videtur innuere, quam Chri- *tientis:*
ſtum, ſemel oblatum in cruce, offerri quotidie ſuper
altaria Chriſtianorum. Quid porrò primæva Eccle-
ſia Chriſtum in talibus circumſtantiis, ſub agni
ſymbolo potiſſimùm putaverit exprimendum; aliun-
de, puto, non didicerit, quam à Præcurſore Joanne,
qui digito veluti intento in Chriſtum, dixit turbis;
Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Joan. 1, 19.
mundi: *atque à Prophetis Iſaia & Jeremia; quo-*
rum ille de Chriſto prædixit, quod ſicut ovis ad If. 53, 7.
occiſionem duceretur: *hic vero in Chriſti perſona* Jer. 11, 19.
loquens; Ego, *inquit,* quaſi agnus manſuetus, qui
portatur ad victimam.

276 *At quid oves duodecim, quæ in eadem ta-* *oves 12,*
bula noſtra è civitatibus Hieruſalem ac Bethleem, *ſymbolum*
utrimque videntur accedere ad agnum ſub cruce *12 Apoſto-*
vulneratum? Reſpondebit Guilielmus Durandus in *lorum*
Rationali divin. Offic. l. 1, cap. 3, n. 10: Pingebantur *Apoſtoli* quandoque ſub forma duodecim ovium: quia tamquam bidentes occiſi ſunt propter Dominum. Sed & duodecim tribus Iſraël E
quandoque ſub forma duodecim ovium pinguntur. *Utrumvis hîc intelligi per ſymbolum illud*
rite poteſt. Repræſentat quippe Apoſtolos, quia in
Scriptura ſacra, ubi Chriſtus appellatur Paſtor, *ipſi dicuntur* oves gregis. *Et Chriſtus mittit eoſdem*
ſicut oves in medio luporum. *Et Paulus, ſe* Ad Rom.
alioſque Apoſtolos, ait, æſtimatos eſſe ſicut oves 9, 36
occiſionis. *Quod ultimum propius videtur ſpectare*
ad tabulam noſtram, ubi oves duodecim ad agnum
ſub cruce conſiſtentem & vulneratum, id eſt Apoſtoli
ad Chriſtum paſtorem ſuum, pro ſe paſſum ac mor-
tuum in cruce, properant veluti cum ipſo occidendi.

277 *Repræſentare vero idem ſymbolum poteſt* *ac 12 tri-*
duodecim tribus Iſraël, quia hæ erant gens electa. *buum Iſraël.*
Unde imprimis miſit Chriſtus Apoſtolos ſuos prædi-
cationis cauſa potius ad oves, quæ perierant, do-
mus Iſraël, *quam ad alias nationes. Nec indignum* Matt. 10, 6.
obſervatu exiſtimo, quod, ubi agnus ſub cruce ſtat
unicolor & albus (niveo quippe, ut canentem audi-
vimus Paulinum, ſtat Chriſtus in agno) *ibi oves*
omnes variis aſperſæ ſint maculis. Diceres prope-
rare ad agnum, ut in ſanguine ejus laventur ac
mundentur: uti ſcimus quod univerſitas electorum, E
qui per duodecim tribus Iſraël deſignantur, mun-
dari debent à peccatis ſuis per ſanguinem Chriſti.
Porro civitates duæ, Hieruſalem atque Bethleem
è quibus egrediuntur oves, ſi alicui robur addere
explicationi poſſint, poſſunt hîc confirmare utramque
explicationem noſtram. Amba enim civitates illæ,
quia inter primarias Judææ ſunt; altera, nativitate
Chriſti; altera, morte ejus nobilitatæ; merito repræ-
ſentent univerſitatem Judaici populi; è quo tum
Apoſtoli, tum primi poſt illos fideles egreſſi, acceſ-
ſere ad Chriſtum.

278 *Figuræ humanæ, quæ utrimque altari aut* *Imagines*
throno agni adſtant, quoſnam repræſentent, manifeſte *Innocentii 3,*
indicant adſcripta nomina; altera nempe Innocen-
tium Papam III anno MCXCVIII *electum, & ope-*
ris muſivi reſtauratorem; altera, ſub ficta perſona,
Eccleſiam Romanam. Papa ſtat togatus ac palliatus, junctiſque manibus in modum adorantis, ad
crucem & agnum converſus; viderique poteſt pro
ovibus, ſibi commiſſis & poſt tergum ſequentibus,
deprecari. Notari meretur, quod phrygium ſive
tiara Pontificis, tempore Innocentii III nondum du-
plici, nedum triplici coronamento ſuperne ſit clauſa,

C. J. *ac talis plane, qualem ſcribit Sugerius, S. Dionyſii Abbas, in vita Ludovici Craſſi apud Ducheſnium tom. 4. pag. 318, dum ait, in ſolenni die Paſchatis, miniſtros Pontificios,* more Romano *præparatos, Innocentii Papæ II, tunc in Gallia morantis, capiti impoſuiſſe* trigium, ornamentum imperiale, inſtar galeæ, circulo aureo circinnatum. *Alterum coronamentum tiaræ additum videtur à Bonifacio VIII, tertium vero ab Urbano V.*

279 *Imago, quæ repræſentat Eccleſiam Romanam, muliebris eſt, veſtis ejus talaris, manicæ admodum laxæ; ſiniſtra manus videtur admotum pectori tenere librum; humeros & collum exomis (vulgo Italis* mozzetta) *ambit; quodque præcipue obſervandum venit, coronâ, inſtar Ducalis, caput cingitur; & manus dextera erectam tenet perticam, cujus in apice apponitur crux & ſub cruce vexillum, aut potius apluſtre, idque explicatum, ac duabus intertextis clavibus inſignitum. Recte hoc quidem & congruenter convenienterque perſonæ, quæ per ſymbolum repræſentatur. Vexillum enim illud in memoriam mihi revocat muſivum triclinii Leoniani opus, paulo ante exhibitum, in cujus ſuperiori ſegmento hinc Chriſtus Dominus, inde S. Petrus, in throno ſedentes, Imperatoribus genu flexis tradunt in manus haſtas ſingulas, quarum alteri impoſita crux, alteri lancea, & ex utraque pendet vexillum explicatum. Quod cenſetur eſſe ſignum tradita ipſis ab Eccleſia & Deo poteſtatis regendi Romanum imperium; conſequentibus inde duabus prærogativis, quarum altera eſt, ut is cui ſic traditur imperium, conſtituatur præ reliquis principibus omnibus, glorioſo titulo, defenſor Eccleſiæ Dei; quam & tueri armis, tamquam Chriſtianus Imperator, contra adverſarios ejus quoſcumque & amplificare pro viribus debet. Altera prærogativa, quæ ſequitur ex prima, affert ejuſmodi Imperatori ſummam inter omnes laicos Principes dignitatem, ab iiſque ſuſpici debet & coli.*

& Eccleſiæ Romanæ, quales,

280 *Similiter vexillum, quod in tabula noſtra, manu tenet Eccleſia, videtur mihi imperium ejus, illudque multo ſublimius, quam ſit quorumvis laicorum, ſymbolice ſignificare. Ipſa quippe, in Petro Apoſtolo ſupra petram ædificata à Chriſto, ab eoque imperium adepta per traditionem clavium, quæ vexillo intexuntur, omnem tranſcendit dignitatem poteſtatemque humanam; dominans non ſolum in terris, verum etiam in inferno & in cælo; quoniam ex infallibili promiſſione Chriſti, portæ & poteſtates inferorum non prævalebunt adverſus eam; &, quodcumque ipſa ligaverit ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolverit ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Vexillum porro per aëra fluitat explicatum, & à ſtante Eccleſia ſublime erectum tenetur, quod hujus vigilantiam & promptitudinem ad bellandum bella Domini atque ampliandum ditionem ejus denotare poteſt. Claves vexillo intextæ, & ipſa ſymbolum ſunt poteſtatis, modo indicatæ, ſolvendi atque ligandi. Haſta vexilli, ſuperne crucem oſtentans, docet quam diximus, dignitatem poteſtatemque, per merita Chriſti, in cruce mortui, Eccleſiæ partam fuiſſe, atque excitat ſequaces ejus, ut ne erubeſcant ignominiam crucis; ſed hanc in ſublimi poſitam intuentes, animentur ad præmia, quæ crucem conſequuntur, obtinenda in cælis.*

Quid denotent, vexillum;

quid claves ei intextæ;

281 *Habet quoque vexillum Conſtantini in triclinio Leonis crucem ſuam in ſumma haſta; fortaſſis quia illa ei apparuerat antequam conſſligeret cum Maxentio, fuitque principium & victoriarum ejus, & converſionis ad fidem, & imperii Chriſtiano-Romani. Vexillum Caroli crucis loco lanceam habet præfixam. An reſpexerit hic auctor operis ad lanceam, qua ſacrum Chriſti latus in cruce apertum fuit? atque ita per duo paſſionis inſtrumenta præcipua, crucem & lanceam, ſignificatum voluerit, debere Imperatores inter ſuſceptos pro defenſione Eccleſiæ labores & ærumnas & ſtrictos enſes, animari eorumdem inſtrumentorum recordatione* ad propoſitum *ſibi* certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem *& lanceam*; confuſione contemptâ, atque *exinde glorioſus* in dextera ſedis Dei ſedet; *ad Hebr. 12? Coronâ cingitur caput Eccleſiæ, cingitur quoque caput imperatorum, vel quia ita poſtulat dignitas cujuſque & munus; vel quia, ut Eccleſia certanti, ſic Imperatoribus quoque, ipſam defendentibus, certo ſecutura præmonſtratur per coronam victoria ac triumphus ſive merces ſaltem in cælis.*

D

quid corona, capitibus impoſita imperatorum.

282 *Primæ arbores duæ, hinc poſt tergum Innocentii, inde poſt tergum Eccleſiæ, palmæ ſunt ramis bifariam ita diductis atque implexis curvatiſque, ut ſuperne coëuntes ovatum in medio ſpatium pandant, in quo aves ſingulæ conſiſtunt. Hæ cujuſnam ſint generis, dolet Ciampinus,* ob illarum parvitatem diſcerni minime poſſe. *Gloriari ego non auſim, magis lynceos habere me oculos, quam habuerit Ciampinus, quando illa ſcripſit: auſim nihilominus aſſerere, columbas eſſe; idque, ut ex forma avis minus dignoſceretur, poſſet comprobari ex ramuſculo, quem ſingulæ roſtro præferunt, ad inſtar columbæ Noëmicæ, portantis ramum olivæ, indicem pacis; quam & Agnus Dei, in cruce immolatus, hominibus, præſertim bonæ voluntatis & columbarum manſuetudinem imitantibus, attulit, reconcilians mundum Deo in ſanguine ſuo: & pactum fœderis interponens, multo ſalutarius illo, quod poſt diluvium in iride conſtituit Noëmo Dominus, inter ſe & omnem carnem ſuper terram.*

E

Columbæ, pacis nuntiæ,

283 *Variis locis & ſignificatione varia olim pingi fingique conſueverunt in eccleſiis, uti & in ſepulcris fidelium, columbæ. Si noſtræ hæ non in ligno qualicumque, ſed in ligno crucis, quod utrope adſtat cum agno, reſiderent, poſſent illis ſubſcribi (ſed & nunc poſſunt ex parte) hi verſus Paulini, quos ſuper ingreſſum ſæpe memorata eccleſiæ ſuæ ipſe pingendos curavit, ad docendum homines ingreſſum in cælos per ſimplicitatem columbinam:*

Gen. 9.

viam in cælum monſtrant.

F

Quæque ſuper ſignum reſident cæleſte columbæ,
Simplicibus produnt regna patêre Dei.

Et paulo poſt docet, quo pacto & nos poſſimus columbæ fieri Deo amabiles, per cordis puritatem:

Nos quoque perficies placitas tibi, Chriſte, columbas;
Si vigeat puris pax tua pectoribus.

Atque hæc præcipua ſunt ſegmenti inferioris myſteria. Proponemus etiam paulo poſt de hoc argumento alia quædam ſecundum ſenſa aliorum Scriptorum, qui & ipſi ſimilia opera muſiva, ac præſertim depictas in illis ſacroſanctæ crucis figuras ſuo ingenio quiſque explicaverunt; liberum relinquentes lectoribus, ut quod in ſingulis ſibi convenientius viſum fuerit, id ipſum amplectantur.

DISSER-

A

DISSERTATIO INTERCALARIS TERTIA.

De manu & cruce quadrata ſummæ apſidis, in tabula perperam delineatis, in aliamque manûs formam & columbam reformandis.

Perperam depicta videatur in tabula manus,

Diſputavimus jam § II num. 236 *nonnulla de manu dextra Chriſti Domini ſedentis in throno, elevatâ in modum benedicentis* Græcorum ritu, *uti opinatur Ciampinus, quod probare non potuimus. Idem ibidem id ipſum cenſet de alia manu, quæ in ſumma apſide ſub cruce quadrata veluti è* nube protenditur. *Notanda, inquit, hîc eſt* parva, *quæ* in arcus ſummitate (*verba ſunt Ciampini*) viſitur crux ; & juxta crucem, *imo infra*, manus quaſi è cælo erumpens, complicatis interioribus digitis, benedictionem in
B Græca forma impertiens. *Poſt varia autem, illâ ſuper re diſputata, reſtatur, ſe quidem curaſſe*, manum in emblemate expreſſam, fideliter ad prototypum delineari : *attamen putare, in poſitione digitorum ejus* erratum eſſe, aut ex pictoris ſive muſivarii errore, aut ex reſtauratoris culpa. *Ita Ciampinus, qui debet in illa manu pollicem atque annularem digitum, curvatos & ſupremis articulis inter ſe junctos ; indicem vero, verpum ſeu medium, atque auricularem, explicatos, contemtatus fuiſſe, & vidiſſe quod non eſt, nec fuerit ; ut aptum diſputationi ſuæ, de forma Græcorum benedicendi, habuiſſe locum videri poſſit. Nihil enim minus apparet in illa manu, quam talis compoſitio digitorum ; qualem requirit Ciampinus ad benedictionem more Græcorum dandam. Sed, erratum eſſe putat in pictura. Id lubens ei conceſſero : non tamen, quod erratum ſit tam enormiter, ut qui debuerant extendi, clauſi ; qui claudi, extenſi ſint digiti, contraria fere omnia influxerint in opus illud, quam ſibi Ciampinus imaginatur illic expriminebriſſe, ut manus, in forma Græca benedicens repræſentaretur : de qua re ſat dictum eſt à me ſupra.*

duos digitos extendens ;

C 285 *Lubens, inquam, conceſſero Ciampino, licet non tam enormiter, aliquid tamen erratum eſſe in pictura ; neque tantum in manu, verum etiam in parva ſupra manum cruce. Quæ taliter in prototypa apſide numquam fuerint expreſſa : ſed manus quidem habuerit aut unum tantummodo digitum extenſum, aut omnes curvatos, tenentes coronam ; crucis verò loco extiterit columba, expanſis alis extentoque roſtro & pedibus adinſtar volantis. Atque ita quod manui, cetera clauſa, digiti duo appicti ſint extenſi ; cum ſolus index extendi & in Chriſtum Dominum intendi ; aut omnes extendi & modice curvati tenere coronam debuerint, Chriſto Domino, qui ſubtus eſt, veluti imponendam ; quæ corona cum tribus digitis, vetuſtate & longinquitate temporis poterat excidiſſe ex opere muſivo, quando delineata inde manus fuit. Certe alterutra tantum deſcripta manus ac digitorum poſitio aptam hîc habere poteſt ſignificationem, præſertim ſi erratum quoque eſt (uti ego exiſtimo) in parva cruce ; cujus loco in opere muſivo, ſaltem primævo, veriſimile mihi eſt olim fuiſſe columbam, quæ expanſis alis extenſoque capite & caudâ, figuram crucis formaverit ; ſed quæ exeſa diuturnitate temporis aut aliter*

& parva crux,

pro qua pingi debuerit columba

difficta, aliud non eſſe apparuerit reſtauratoribus aut delineatoribus, quam veſtigium & reliquiæ crucis quadratæ. C. J.

286 *Verum quo fundamento hæc nititur opinatio mea, ſic manum, & loco crucis columbam debuiſſe pingi ? Dicam. Poſt debellatum damnatumque, hæreſiarcham Arium in concilio Nicæno, cœpit à Patribus orthodoxis myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis altius extolli, & non tantum ſcriptis libris celebrari, ſed etiam pictis tabulis paſſim proponi fidelium oculis, præcipue in ædibus ſacris, ut qui eò Deum adoraturi veniebant, principio orationis ſuæ, trinum & unum eſſe, è corporalibus ſignis cognoſcerent. Repræſentabatur autem Trinitas perſonarum in Deo aliis atque aliis modis ; & frequenter Filius Dei ſeu Verbum æternum repræſentabatur in Chriſto Domino, ſub forma humana aut forma agni picto ; quâ utrâque formâ conſpicitur etiam in tabula noſtra. Deus Pater indicabatur aliquando per manum, è nubibus prodeuntem & ſic clauſam in pugnum, ut ſolum indicem digitum extenderet in ſubjectam Chriſti figuram, aut teneret coronam capiti ejus quaſi imponendam : aliquando pro manu iſtiuſmodi, è nube prodibant hæc verba :* Hic eſt filius meus dilectus. *Spiritus ſanctus adumbrabatur per columbam, uti hodiedum fieri paſſim videmus. Atque haſce figuras, ceu hieroglyphicas quaſdam notas, ad ſignificandum tres in Deo perſonas diverſas, aſſumpſit antiquitas, ex myſterio baptizati à Joanne Chriſti, ubi Verbum in ipſius Chriſti figura humana ; Pater in voce, Spiritus ſanctus in columba manifeſtantur. Pro voce tamen alibi Pater etiam indicatur per manum è nube porrectam, quæ Chriſtum commonſtret digito, aut coronam capiti ejus imponere videatur.*

symbolum Spiritus ſancti ;

287 *Uſum illum antiquum nos docet non uno loco S. Paulinus. Epiſtola* 12 *ad Severum pag.* 150 *muſivam apſidis ſuæ picturam ſic deſcribit :*

uti agnus aut homo Chriſtus, eſt ſymbolum filii,

Pleno coruſcat Trinitas myſterio.
Stat Chriſtus agno : vox Patris cælo tonat :
Et per columbam Spiritus ſanctus fluit.

Moxque indicatur etiam Deitas Chriſti, à Patre & Spiritu ſancto revelata, uti & humanitas, quâ paſſus eſt, tamquam victima in cruce.

Pia Trinitatis unitas Chriſto coit
(Habente & ipſa Trinitate inſignia)
Deum revelat Vox paterna & Spiritus ;
Sanctam fatentur Crux & Agnus victimam.

F

manus autem cum corona, aut digito extento, Patris.

Atque iterum pag. 155 *de pictura apſidis in eccleſia Fundana, poſtquam deſcripſit Chriſtum in niveo agno ſanguineæ ſub cruce ſtantem, ſubdit de eodem,*

Alite quem placidâ, ſanctus perfundit hiantem
Spiritus, & rutila Genitor de nube coronat.

Et hoc ultimo loco veriſimile eſt non aliter coronari Chriſtum à Patre cæleſti quam per manum de nube porrectam. Roſweyaus præterea in Notis ad Paulinum pag. 788 *in rem noſtram ait, amicum ſuum Joannem Macarium, qui Romæ varia ſacræ antiquitatis monumenta luſtraverat, auctorem ſibi fuiſſe, quod Deus Pater ibi videatur etiam expreſſus* per manum è nube prodeuntem & filium veluti deſignantem, *utique per intentum eò digitum indicem, quaſi id monſtrantem, quod alibi ſignificant voces,* Hic eſt filius meus dilectus.

Trium illorum in apſidibus olim ſæpe pingebantur

288 *Quodcumque igitur ſignum ex prædictis olim pingebatur ad repræſentandum ſymbolicè Deum Patrem, ſive manus è nube, digitum intendens in Chriſtum, aut coronam ei porrigens ; ſive vox, indidem erumpens & Chriſtum Patris æterni filium pronuntians : id ſaltem certo conſtat ex præmiſſis*

C. J. *teſtimoniis, & conſtare poteſt aliunde abundantius; quod, ubi Chriſtus olim, poſt concilium Nicænum primum, repræſentabatur, ſive in agno ſive in homine, præſertim in apſidibus eccleſiarum; ibi ſæpe etiam repræſentabantur Pater & Spiritus ſanctus; ille per vocem aut manum, hic non aliter quam per columbam. Quid ni igitur conjectare liceat, id etiam in apſide noſtra Vaticana obſervatum fuiſſe, paulo poſt Nicænum Concilium illuſtratâ muſivo opere, aut ab ipſo S. Silveſtro Papa aut ab aliquo proximorum ſucceſſorum ejus? Ex quo ſequitur porro, quod eadem perſonæ divinæ, Pater & Spiritus ſanctus, etiam in tabula hac Vaticana, ubi Filius in Chriſto maxime conſpicuus eſt, expreſſa fuerint; Pater quidem in manu, Chriſto coronam imponente aut indicem in eum intendente; Spiritus ſanctus vero in columba: quarum loco ex primæva pictura minus intelligens talium reſtaurator aut delineator male formaverit manum, duos digitos extendentem; & crucem, pandenti alas columba non diſſimilem; quamvis & talis manus & crux tali loco poſita, magis intelligentibus ſatis apparere poſſint, nihil ibi ad rem facere.*

ad repræſentandam S. Trinitatem;

& fuerint etiam in Vaticana,

B *in qua crux parva quadrata nullum habet uſum,*

289 *Quin imo, ut de cruce id amplius confirmem; locus, quem ea occupat in tabula, tam non eſt aptus, in quo crux præſertim talis collocetur; quam eſt aptus, in quo Spiritus ſanctus repræſentetur per columbam. Altiſſimus quippe locus eſt, & videri poteſt empyrium cælum deſignare, è quo deorſum porrigitur, non ſolum manus, de qua diximus; verum etiam radii quidam diffunduntur, tamquam indices, aut glorioſæ Divinitatis, aut munerum, quæ Spiritus ſanctus large diſpertitur in ſubjectam ſanctam Eccleſiam ſponſam ſuam: quemadmodum idem Spiritus ſanctus ſub ſpecie columbæ in muſivo antiquo baſilicæ Lateranenſis, quod Joan. Bapt. Caſalius pag. 4 ſculptum exhibet, diffundit gratiæ ſuæ radios ſuper ſubjectum baptiſterii fontem, ad ſanctificandum ejus aquas. Jam vero crux talis, quæ è duabus lineis, longitudine paribus, atque inter ſe tranſverſis, ſic ut duo ejus cornua ſurſum ac deorſum, duo dextrorſum ac ſiniſtrorſum rectà tendantur (illam ego* quadratam *voco ad diſtinctionem aliarum) non capio, quid iſto ſibi loco velit, aut ſignificare poſſit. Sed neque Ciampinus ipſe, qui commentarium ſuum in Vaticanæ apſidis picturam orſus eſt à cruce illa, quidquam habuit, quod de forma, loco, aut ſignificatione ejus explicaret. Adde, quod talis quadrata crux, primorum quatuor ſeculorum opus, vix aut fortaſſe ne vix quidem reperiatur in ſacris ædibus. Nulla certe reperitur in pluribus, quæ apud Ciampinum videri poſſunt, etiam ſeculi* V, *apſidibus muſivis. Neque S. Paulinus, uſitatas Chriſtianis ſuo tempore cruces deſcribens, talem agnoſcit, ſed alias, uti mox videbimus.*

C *nec alibi in antiquis apſidibus talis reperitur,*

290 *Scio interim iſtiuſmodi cruces ſpectari ſubinde in numiſmatis Imperatorum ſeculi* IV, *puta apud Wilthemium, & inde, apud nos ad Acta Conſtantini Magni tomo* V *Maii pag.* 23, *ubi nummus* FL. JUL. HELENA AUG. *in cujus averſa parte, præter alia; crux* ✠ *talis. Apud Harduinum quoque in* Specimine primo Chronologiæ, ex nummis antiquis reformatæ, *pag.* 201, *mentionem fieri nummorum aliquot Conſtantini Max. Aug. qui eamdem crucis formam habent. Sed nihilo amplius veræ Religionis aut Chriſtianitatis ibidem in illa agnoſcit Harduinus, quam in alio nummo, de quo ipſe pag.* 174, MARTI CONSERVATORI *inſcripto; in quo ſane crux nihil habet commune cum rebus Chriſtianorum: uti nec habet in nummo ſexto Probi Auguſti apud Philippum Buonarroti, in quo Fortuna inſiſtit globo, cujus hemicyclum crux dividit quadrifariam.*

quamvis reperiatur in nummis profanis:

D

291 *Alias cruces deſcribit Paulinus, quæ ſuo tempore in uſu erant, Natali* XI, *quem vir eruditus amicus noſter Ludovicus Antonius Muratorius, & alios tres ejuſdem Paulini de ſancto Felice ſuo Natales ante hoſce viginti annos tam feliciter invenit notiſque illuſtravit, quam ardenter dudum deſiderati, & fruſtra quæſiti ab aliis fuerant. Citato Natali* XI *Paulinus à verſu* 604 *locuturus de cruce, quam fur quidam è templo S. Felicis abſtulerat, præmittit deſcriptionem formarum, quibus tum temporis potiſſimùm exprimi crux ſolebat; eaſque diſpertitur in duas claſſes, unam vocans* baculo ſtante bicornem; *alteram,* per quinque tribus diſpanſam cornua virgis. *Audiamus ipſum, illa latius explicantem:*

Ante tamen (quia res hæc poſtulat), ipſius inſtar
Enarrabo crucis; qualem & pictura biformem
Pingere conſuevit; baculo vel ſtante bicornem;
Vel per quinque tribus diſpanſam cornua virgis.

nec Paulino talis nota eſt,

292 *His præmiſſis, continuo aggreditur primum diviſionis ſuæ membrum explicare, videturque ibi per crucem ſtantem bicornem non tantum intelligere illam, quæ littera* T *expreſſa, ſic jugatur in vertice, ut nihil recti ſtipitis ſuperemineat, & ſtricte loquendo bicornis eſt; vocaturque communiter crux* commiſſa: *ſed illam quoque, quæ ſub hoc ſchemate* † *refert malum navis, antennâ in altum adductâ ſic jugatum, ut aliquantum cercheſii ſuprà relinquatur; & communiter appellatur crux* immiſſa. *Littera, quippe* T *græca, atque antenna in ſummum malum adducta, ſimilitudines allatæ à Paulino ad repræſentandam crucem bicornem, uti aliquid diſſimilitudinis habent, quatenus nempe in littera* T *nihil emineat ſtyli recti ſupra lineam tranſverſam; in malo autem aliquid emineat ſupra antennam; ita videri poſſunt dictæ ſimilitudines litteræ* T, *& mali cum antenna, etiam allatæ à Paulino fuiſſe ad aliquam diſſimilitudinem in crucibus ipſis bicornibus indicandam; quæ eatenus etiam ipſæ diverſæ ſunt; ſic tamen ut diverſitas illa non impediat, quo minus utraque forma ad crucem bicornem revocetur, conſideratis in cruce immiſſa æque ac in commiſſa, ſolis cornibus lateralibus, quæ inter ſe utrobique æqualia & æqualiter utrimque extenſa ſunt, nulla ratione habita illius tantilli, quod in altera cruce ſuperne eminet, uti ſuper antennam caput mali. Neque vero aliud ad crucem ſuam bicornem requirit Paulinus, quam ut* ſtipite figatur uno, quaque cacumen habet, tranſverſo vecte jugetur, *ſive vectis incumbat ſtipiti ſuperne, uti in* T; *ſive ei immittatur paulo inferius, ubi adhuc cacumen eſſe, cenſeri poteſt, ut in hoc ſchemate* † *Sic homo, jugum humeris ferens, recte dici poteſt jugatus, licet ſuperemineat caput totum.*

alias crucis formas deſcribenti,

E

293 *Sed audiamus iterum Paulinum, qua modo diximus clariora redditurum.*

puta crucis commiſſæ & immiſſæ;

Forma crucis geminâ ſpecie componitur: & nunc
Antennæ ſpeciem navalis imagine mali;
Sive notam Græcis ſolitam ſignare trecenta
Explicat exiſtens; cum ſtipite figitur uno,
Quaque cacumen habet tranſverſo vecte jugatur.

F

Vetuſtiſſima crucis bicornis forma, fuit primis Chriſtianis uſitata, ac dudum antè, Ezechielis cap. 9, præſignata in littera Tau, illorum frontibus inſcribi juſsâ, quibus Dominus in promiſcua populi interneçione parci voluit. Pluribus ſeculi III *&* IV *teſtimoniis comprobari antiquitas ejus poteſt: ſed unum adduxiſſe ſufficiat, quod eſt pulcherrima Chriſtiani*

1 CRUX VATICANA



2. S. MARIÆ MAIORIS



3 IOANNIS IN LATERANO



4 S. CLEMENTIS



5 6 7 8 9



A *ſtiani Poëtæ deſcriptio, Pauliniana perſimilis, legenda in operibus Poëtarum veterum eccleſiaſticorum, editis Baſileæ anno 1564. Ibi Poëma quoddam, ſub nomine S. Cypriani, anno* CCLVIII *pro Chriſto mortui, impreſſum; ſed, auctoritate ſancti ac venerabilis Bedæ, verius tribuendum S. Victorino, Pitabionenſi in Pannonia (non Pictavienſi in Gallia) epiſcopo, anno* CCCIII *ſanguine ſuo fidem profeſſo; ita deſcribit arborem crucis, quæ Paulino eſt bicornis:*

Arboris hæc ſpecies uno de ſtipite ſurgit,
Et mox in geminos diſtendit brachia ramos,
Sicut plena graves antennæ carbaſa tendunt,
Vel cum disjunctis, juga ſtant ad aratra, juvencis;

quæ juga, erecto temone, ut plurimum pendent aliquo uſque infra ſummum apicem temonis, æque ac antenna infra ſummum verticem mali. Atque hæc de cruce, tam immiſſa, quam commiſſa; ejuſque antiquitate.

294 *Alia modo crucis ſpecies monogrammatica nos vocat, quam ſupra docuit Paulinus, diſpanſam eſſe tribus virgis & quinque cornibus; quæ re ipſa in monogrammate Chriſti (quod paulo pòſt in tabula, cruces varias repræſentatura, dabimus) apparent, virgæ quidem duæ & cornua quatuor in* X, *tertia vero virga & quintum cornu in ſuperemínente* P, *aut potius in* I, *quod dempto ſemicirculo ſupereſt. Nunc ejus ampliorem proponamus deſcriptionem. Sic itaque ſecundum diviſionis ſuæ membrum orditur Paulinus:*

item monogrammaticam,

B

Nunc eadem crux, diſſimili compacta paratu,
Eloquitur Dominum, tamquam monogrammate, Chriſtum
Nam nota, qua bis quinque notat numerante Latino
Calculus, hæc Græcis Chi ſcribitur; & media eſt Rho,
Cujus apex & Sigma tenet: quod rurſus ad ipſam
Curvatum virgam, facit O, velut orbe peracto.
Nam rigor obſtipus facit I, quod in Ellade Iota eſt.
Tau idem ſtylus, ipſe brevi retrò acumine ductus,
Efficit. Atque ita ſex, quibus omni nomine nomen
Celſius exprimitur, coëunt elementa ſub uno
Indice, & una tribus formatur littera virgis.

C

videlicet ſex litteræ nominis XPICTOC, *ductu trium virgarum, concurrunt in uno monogrammate.*

295 *At inquies, ſeptem litteras ſacrum illud nomen habet. Ita quidem: verumtamen ſex tantum habet diverſas; & has tantum aſſignandas meritò putavit Paulinus, cum ad compoſitionem totius nominis alia non requiratur, ſupplente litterâ quartâ, etiam ſeptimæ ſeu ultimæ locum per duplicationem ſui. Utrobique enim eadem eſt ſub hac* C *nota, quæ tempore Paulini ac dudum ante, æque ac iſta* Σ, *quæ nunc ſola in uſu eſt, notabat Sigma, uti obſervare paſſim licet in numiſmatis Græcè inſcriptis, tum alibi, tum apud Octavium de Strada, qui pag.* 11 *&* 15, *exhibet Cleopatras duas matrem & filiam, alteram M. Antonii Triumviri; alteram Jubæ Regis Mauritaniæ, uxores; Reginas ambas; quarum prior ibi ſcribitur* ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ, *poſterior* ΒΑCΙΛΙCCΑ; *iſdem omnino litteris ſignificatu, ſed Sigmatibus* Σ *&* C *diversâ figurâ utrobique expreſſis. Quæ diverſitas in aliis atque aliis deinde nummis viciſſim occurrit, etiam in uno eodemque, &, quod mirum eſt, in una eademque nummi facie. Sic pag.* 14 *nummus Alexandri, prædictarum Cleopatrarum filii ac fratris; & pag.* 27 *nummus Caii Caligulæ, expreſſum oſtendunt ſigma in altera ſui parte per* Σ, *in altera per* C: *utramque autem figuram habet in una eademque facie ſui nummus Titi Veſpaſiani pag.* 51.

quæ explicata demonſtrat nomen Chriſtus.

D

DISSERTATIO INTERCALARIS QUARTA.

De cruce nuda, eaque duplici modo coronata: item de Chriſto Domino, ſub humana forma olim repræſentari ſolito.

Diviſimus conchàm apſidis Vaticanæ in ſegmenta duo, quorum unum crucem, imagine Crucifixi carentem; alterum, Chriſtum & Apoſtolos humanâ formâ repræſentant: utrumque videri poſſit obſtare, quo minus repræſentatio talis ſeculo Chriſti quarto adjudicetur. Quæſtio hìc igitur eſt, utrum crux nuda, id eſt, abſque Crucifixi imagine; nec non, utrum Chriſtus, Apoſtoli, homines alii humanâ formâ conſueverint pingi ſeculo illo. Quæ ſi tunc non obtinuerunt, fruſtra referimus eò originem picturæ muſivæ, quæ poſt Innocentium III ſcitur in prædicta concha, ab ipſo reſtaurata, extitiſſe. Primum quod attinet, teſtatiſſimum eſt, crucem nudam, abſque imagine Crucifixi, primis aliquot continuis ſeculis repræſentatam fuiſſe; & ſæpenumero gemmis diſtinctam. Cauſam ego iſtiuſmodi repræſentationis abſque Crucifixi imagine, credidero, primævis Chriſtianis fuiſſe, ut ne obicem ponerent converſioni ad novellam Chriſti religionem, ingerendo ſpectantium oculis ipſum ejus Auctorem atque inſtitutorem crucifixum, *quem ex Apoſtolo ſciebant* Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam *eſſe: ornaſſe vero ipſis crucem gemmis, & ſæpe etiam apposuiſſe ei coronam; ut per gemmas quidem detergerent a cruce vilitatem & ignominiam: per coronam vero indicarent victoriam, quam crux peperit Chriſto, & paritura eſt omnibus, Chriſtum ſequentibus, cruoemque cum ipſo ferentibus.*

E

Crux nudâ ſine imaginè Crucifixi;

gemmis & & coronis ornata,

297 *Gemmis ornatur crux in tabula noſtra apſidis Vaticanæ; item in apſide Liberianæ baſilicæ, atque alibi ſæpè in monumentis antiquis. Corona cruci appicta cernitur, plerumque una, aliquando plures, in eadem apſide Liberiana, in apſide eccleſiæ S. Clementis Romæ, & frequenter in numiſmatibus antiquis Imperatorum Chriſtianorum, atque in labaro ipſius Conſtantini Magni. Quia vero* ſegnius irritant animos demiſſa per aurem *aut tantum lecta,* quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus *in imagine; operæ pretium fuerit, hic aliquot prædictorum monumentorum ectypa in æs inciſa apponere, quatenus repræſentant cruces; deſumpta ex quatuor apſidibus præcipuarum & maxime vetuſtarum quatuor baſilicarum urbis Romæ, videlicet Vaticanæ S. Petri; Liberianæ S. Mariæ Majoris; ſancti Salvatoris in Laterano; S. Clementis prope amphitheatrum Veſpaſiani; præter aliquot alia ectypa antiqua.*

F

ad detergendam inde ignominiam

298 *Utinam ectypa quoque picturarum, quibus eccleſias ſuas adornavit ad gregem ſuum erudiendum, tum Fundis, tum Nolæ, S. Paulinus; ad manum forent! Mererentur ſanè illarum cruces, cum ſuis coronis, alioque priſcæ religionis cultu, hìc pariter cum præmiſſis cælata exhiberi. Nunc, quod tantummodo licet, ipſum, ſuas cruces earumque coronamenta deſcribentem & quodammodo loquentem,*

& præſantiam ejus ſignificandam,

C. J. *audiamus ex Epistola* 12 *non uno loco. Ait enim, de ecclesia S. Felicis Nolana, quod ibi pag.* 150, Crucem corona lucido cingit globo. *Et mox:*

Ardua florigeræ crux cingitur orbe coronæ.
Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem; duro spondentem celsa labori
Præmia: tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Namque, ut idem postea de pictura Fundana,

Sanctorum labor & merces sibi rite cohærent;
Ardua crux, pretiumque crucis sublime, corona. *p.* 155.

Nonnulla ad hos Paulini versus observanda venient paulo post. Nunc repeto quæ dixi suprà; primis aliquot Ecclesiæ seculis consuevisse crucem proponi populo absque imagine Crucifixi.

solita fuit olim pingi usque ad seculum 7,

299 *Consuetudo illa constanter perseveravisse videtur usque ad finem seculi* VII *& Concilium Quinisextum, quando adhuc repræsentabatur Christus in picturis symbolicè sub forma agni: in eoque Concilio statutum fuit, ut deinceps pingeretur in forma humana; non quod improbarint Patres dicti Concilii priorem pingendi modum; qui scitur usque ad nostram ætatem semper tenuisse ac tenere hodiedum in agnis cereis, quos vulgo* Agnus Dei *vocamus: sed quod veritatem umbræ, & quod perfectum est, figuræ præferri cupientes, decreverint Canone* 82, Christum Deum nostrum, qui tollit peccata mundi, humana forma, *colorum expressionibus, omnium oculis subjici, & sic* etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno erigi ac depingi. *Et rationem subdunt decreti sui,* ut per ipsum *Christum sic depictum,* Dei Verbi humiliationis celsitudinem contemplantes, *ejusdem quoque* conversationem in carne, & passionem, *&* salutarem mortem, *&* redemptionem *memoriâ recolant fideles. Sed horum omnium memoria recoli satis superque potuit ac potest, etiam ex agno, qui Christi figura est in congruis circumstantiis depictus.*

B *expresso sæpe ad pedem ejus agno,*

Christum patientem repræsentante.

300 *Quanta auctoritatis sit Concilium istud Quinisextum, nihil hic attinet disputare. Credi saltem tutò ei potest, tunc temporis consuetudinem fuisse, quam fuisse scribit, repræsentandi Christum sub forma agni: idque præcipuum est quod hic ostensum volumus. Neque tamen ita intelligendus est (ut aliquibus videtur) citatus Canon, quasi antea non fuerit Christus ullo tempore & loco depictus etiam in forma humana (id enim falsissimum est, uti mox demonstrabimus, ubi de opinione Scaligeri æque falsa) cum sciamus è toto contextu Canonis, id tantum decerni, ut etiam in illis circumstantiis, ubi antea consueverat exprimi Christus sub forma agni (puta, ubi agnus quasi intento digito monstrabatur à Joanne Baptista, aut ubi repræsentabatur adstans cruci vel crucem ferens) ibi deinceps repræsentaretur ut homo, abolita figura, quando jam veritas in se, id est Christus in propria forma conspici à fidelibus sine scandulo poterat etiam pendulus & vulneratus in cruce. Fidem faciet dictis nostris principium Canonis.* In nonnullis, *inquit (non in omnibus)* venerabilium imaginum picturis, agnus, qui digito Præcursoris monstratur, depingitur; qui ad gratiæ figuram assumptus est, verum nobis agnum per legem Christum Deum nostrum demonstrans. *Cujus loco agni, tum ibi, tum etiam, ut nos putamus, sub cruce aut cum cruce depicti; deinceps vult ipsum Christum pingi, propter fines suprà indicatos.*

Christus tamen etiam tunc humanâ forma,

C

301 *Nunc ad opinionem Scaligeri, Josephi nomine. Is in Commentatione sua ad numisma Constantini Imperatoris Byzantini, velut ex tripode pronuntiat, veteres Christianos* primùm nullam formam humani vultûs, sed aliarum rerum admisisse *in picturis suis: quia, ut paulò post addit,* anchoram, navem, piscem, columbam sculpebant aut pingebant; hominem non item: *imo nec* audebant *hanc* pingere. *Verùm, dicat nobis ille velim; quam late extendat suum illud* primùm; *& quomodo probet,* primùm *sculptas pictasve fuisse formas alias quam humanas, à veteribus Christianis. Metuebant (ita insinuat & probat per locum à se desumptum è S. Clemente) ne per humanas formas occasio præberetur idololatriæ. Sed locus ille ad rem non facit, nedum probat, quod Scaliger prætendit; tum quia in fonte suo, lib.* 3 *Pædag. cap* 11, *inspectus, dignoscitur loqui, non de sacris imaginibus in templo, sed de sculptura, quæ fiebat in palis annulorum; eamque vult Clemens hieroglyphicam ac talem esse, ut aliquam rem sacram inspicientibus revocare in memoriam possit: tum quia æque aliarum rerum, quam hominum, formæ pro idolis haberi potuerunt, & habita re ipsa sunt à deliris capitibus etiam post Christum natum; quemadmodum pro idolo habitus diu ante fuerat vitulus conflatilis ab ipso electo Dei populo Israëlitis. Exodi* 32. *Dicat igitur, ubi viderit legeritve Scaliger, quod ait tam asseveranter.*

D *absque periculo idololatriæ,*

E

302 Designabant, *inquit, Deum Patrem* verba è rutila nube erumpentia; Hic est filius meus dilectus; *Filium,* agnus; *Spiritum sanctum,* columba; *Christum,* petra; *quatuor Euangelistas aut Euangelia ipsa,* quatuor flumina è petra fluentia; *Apostolos,* columbæ XII. *Hausit illa symbola omnia Scaliger è S. Paulini Epistola* 12, *quamvis ipsum non nominet. Verum an apud eumdem Paulinum & in eadem Epistola non legerit quoque, humanâ formâ & quidem in ecclesia, pictum fuisse à Severo Sulpitio S. Martinum, nuper tum vita functum, atque cum eo ipsum etiam Paulinum, licet adhuc in vivis agentem? Item an non legerit apud eumdem Natali* 10, *pag.* 617, *quod picti fuerint in ecclesia S. Felicis utique humanâ formâ, varii utriusque sexus Christi Martyres; nec non è Lege veteri Jobus, plagis saucius; Tobias, oculis orbus; Judith heroina, & Regina Esther? Damnare hæc Scaligerum possunt aut oscitantiæ aut fidei non bonæ, ac docere, quod Paulini temporibus Christiani, etiam in ecclesiis suis, non solum* formas rerum aut animalium, *sed* humanas *quoque aut fuerint pingere.*

uti & Apostoli

& alii homines sæpe pingebantur

F

303 *Si antiquiora appellat tempora Scaliger, quorum tamen non meminit in Commentatione sua, ducam ipsum ad antiquissima quæque Christianorum monumenta, apud Aringum in Roma subterranea variis tabulis expressa, ubi & adjunctæ crucibus visuntur quidem petræ, quatuor flumina, columbæ, agni, cervi, res aliæ; sed & visuntur formæ humanæ plurimæ, æque ac in apsidibus. Monstrabo in eodem Aringo antiquissima sacella, tum excavata in topho, tum muris lateritiis circumsepta, nec non marmoreos olim mortuorum sarcophagos, illa quidem picta, hos vero sculptos magno numero: in quibus multo frequentius apparent, tam Christus, Apostoli, Moyses, Elias, tres pueri in fornace Babylonica, atque alii sexcenti homines humana forma expressi; quam res aliæ. Inter sarcophagos invenies apud citatum auctorem, tomo primo pag.* 286, *unum in quo conditum fuit seculo* IV *corpus celeberrimi Romanorum consulis & quater Præfecti Prætorio, Probi.*

in apsidibus templorum

& sarcophagis mortuorum

304 *Alius quoque antiquior sarcophagus in confirmationem dictorum nostrorum, spectari meretur ibidem pag.* 277; *qui fuit, ut inscriptio docet,*

A Junii Baſſi Viri clariſſimi, qui vixit annis XLII, menſibus duobus, & in præfectura Urbi neophytus, iit ad Deum VIII Kal. Sept. Eugenio & Hypatio Conſulibus. *Id eſt anno Chriſtianæ æræ* CCCLIX. *Fuit idem ſarcopha us, quod ad materiam & artem ſpectat*, è Pario marmore, *uti ſcribit Aringus*, opere Corinthio elaboratus, & ſacras, qua veteris, qua novi teſtamenti hiſtorias, *omnino decem*, eleganter exſculptas continet: *in quibus plurimæ hominum, paucæ animalium hieroglyphicorum formæ apparent. Quamobrem ſi cum Scaligero ſequaces ejus, pergant tenere, prius aliarum rerum quam hominum formas à veteribus Chriſtianis ſcultptas pictaſve fuiſſe; debent ipſi alia, quam dux ſuus, & antiquiora, quam nos, eaque probata teſtimonia proferre. Et hæc quidem contra Scaligeri aſſerta, negantis, veteres Chriſtianos primùm nullam formam humani vultus expreſſiſſe.*

305 *Redeo ad illos, qui de ſolo Chriſto negant, ipſum olim humana forma exprimi ſolitum fuiſſe ante Concilium Quinſextum. Si id negarent de* B *Chriſto cruci affixo, facile aſſentirer. Si vero negent univerſaliter ullis in circumſtantiis Chriſtum forma humana fuiſſe expreſſum, convincentur è pleriſque jam allatis monumentis. Certe ſarcophagus Probi exhibet Chriſtum ſtantem inter duos Apoſtolos ſuper petram, è qua flumina quatuor manant; dextra crucem erectam ſine imagine Crucifixi, ſed gemmis pulcrè diſtinctam, complexum. In ſarcophago Junii Baſſi ſimiliter ſpectatur inter duos Apoſtolos, ſed inſtar docentis, & ſedens. Plura ejuſmodi vide ſis apud Aringum & Ciampinum. Apud illum quidem in Roma ſubterranea; apud hunc vero in Veteribus monumentis, ubi tabulæ plures ſunt, puta 47, 49, 66, 67, 68, 70, 76, 77; quæ è vetuſtiſſimis multiarum baſilicarum muſivis ibi in æs inſculptæ extant; interque alia repræſentant Chriſtum in forma humana, videlicet ut infantem, adoratum à Magis; ut puerum duodennem, docentem in templo; ut viatorem, baculo armatum; ut paſtorem, pedum ſiniſtrâ tenentem, dextra mulcentem oves; ut doctorem, diſcipulos inſtruentem; ut baptizatum à Joanne, immanente capiti ejus Spiritu ſancto in ſpecie columbæ & cruce gemmata prope adſtante. Scipio autem, de quo modo, & pedum (ut id quoque obiter hîc notem) ſuperne ornantur & ipſa, cruce, eaque nudâ. Et ne ignores cujus ætatis muſiva illa opera ſint; facta fuerunt omnia, ſi Ciampino fides, ſeculo quinto; ſub annum ejus* XXIV *à Cæleſtino Papa primo; ſub annum* XXXIII *a Sixto III Romæ: ſub* XL *à Galla Placidia Ravennæ: ſub* XLI *à Leone Magno Romæ: ſub* LI *à Neone epiſcopo Ravennæ; ſub* LXVII *a Simplicio Papa; ſub* LXXII *à Flavio Ricimero Romæ.*

C 306 *Hiſce vetuſtius eſt opus muſivum, quod Ciam-* *probatur.* *pinus aſſerit, Ravennæ ab Exſuperantio urbis epiſcopo conſtructum fuiſſe anno circiter* CCCC; *ipſumque exhibet Tab. 46. In illa videre eſt Chriſtum ſimili fere habitu, geſtu, ac forma, quibus eum repræſentat apſis noſtra Vaticana; niſi quod dextra ejus, utrobique ante pectus elata, ibi digitos omnes explicatos & volam omnino apertam habeat; vola autem hîc, in Vaticana tabula, per duos, qui curvantur, digitos paulùm contrahatur. Et ex hac ſimilitudine picturarum, conjicere mihi denuo liceat, ambas eodem fere tempore originaliter concinnatas fuiſſe; adeoque formam Chriſti humanam nihil obeſſe in tabula noſtra, quo minus ea judicetur ſeculo* IV *primitus ſic fuiſſe depicta. Atque hæc abunde teſtantur, diu ante Concilium Quinſextum, etiam humanâ formâ, intra & extra eccleſias expreſſum crebro fuiſſe Chriſtum Dominum: non tamen deſtruunt quod diximus, ſub agni forma exprimi* C. I. *conſueviſſe, ubi monſtratur veluti digito à Joanne; aut altari crucive adſtat, vel crucem portat. Hiſce enim in circumſtantiis videtur eatenus ſemper pro Chriſto ſuppoſitus fuiſſe agnus. Poſt Concilium verò illud ſeculo facile uno ac dimidio, reperitur Chriſtus, humanâ formâ cruci appictus, cum adſtantibus prope Maria matre ejus atque dilecto diſcipulo Joanne; & adhuc videri poteſt in apſide muſivâ eccleſiæ perantiquæ S. Clementis Romæ, coagmentatâ primitùs, aut certe reſtauratâ à Nicolao Papa I, uti ex adſcripto ejus nomine manifeſtum fit. Nolim tamen ſuſtinere, ipſum omnino primum, ita Chriſtum pinxiſſe pendulum è cruce, quamvis antiquiorem iſtiuſmodi picturam non invenerim hactenus. Pinxiſſe autem ob auctoritatem citati Concilii, vix puto.*

307 *Ad citatos paulo ante Paulini verſus de* *Crux nuda non uno coronabatur modo.* *crucibus coronatis, annotari quoque poteſt, non eodem ubique modo illas coronari ſolitas olim fuiſſe: Alibi enim corona ambibat crucem à capite uſque ad calcem, totamque includebat: alibi tantummodo cingebat ejus caput aut capiti immınebat: aliquando etiam coronæ plures unam crucem ornabant. Primo modo coronata crux, ab imo ad ſummum circumduta circulo apparuit aliquando in ex is victimarum, ſacrificante profanis dus impio Juliano.* E *Quæ res, cum adſtantibus atque ſacrificul s terrori eſſet, animos addidit, aut certe addi ſibi, ipſe credi voluit; dum prodigium in rem ſuam ex tempore interpretatus eſt, quod nempe, ſicut ibi crux Chriſti apparebat in circulo incluſa; ita Chriſtianos undique concluſos ipſe teneret. Legi hæc poſſunt apud Greg. Nazianzenum Orat. I contra Julianum: & ſimiles videri cruces coronatæ poſſunt in* *Aliquando cingebat coronâ totam,* *nummis Imperatorum atque Imperatricum Chriſtianorum, Theodoſii Junioris, Eudociæ uxoris ejus, Valentiniani III, Pulcheriæ Auguſtæ, Leonis, Majoriani, Zenonis & aliorum, apud Levinum Hulſium pag* 167, *Ant. Auguſtinum tab.* 6, *Gretſerum de Cruce tom.* 3 *cap.* 16, 17, 18, *atque apud Cangium in Familiis Byſantinis pag.* 65, 67, 77 *&* 81. *Specimen dabimus in tabula, varias crucis formas repræſentante.*

308 *Taliter quoque crucem ambiens corona intelligi debet deſcribi a Paulino his verſibus, etiam ex interpretatione Gretſeri, Roſweydi & aliorum:*

Crucem corona lucido cingit globo:
Cui coronæ ſunt corona Apoſtoli,
Quorum figura eſt in columbarum choro.

F *à ſummo utrimque circulariter pertingens ad imum.*

Dum enim dicitur corona crucem cingere (*quod propriè ſonat, in medio ſui includere*) *ſatis apertè indicatur, coronam à capite ad calcem circumdediſſe crucem globo ſeu circulo lucido. Et hoc tantum probatum volumus. Si quis ex citatis verſibus deducere velit, coronas duas cinxiſſe crucem, alteram circuli lucidi, alteram apoſtolorum in choro columbarum; is ſentiat ut lubet. Nobis quidem non obeſt ſenſus ille de corona duplici; non tamen probatur: tum quia Paulini verba recte intellecta, non innuunt coronas eſſe diſtinctas, ſed coronam eſſe in corona, Apoſtolos: tum quia tale exemplum duplicis diſtincti inter ſe coronamenti circum crucem in antiquis monumentis alibi nondum vidi aut legi, niſi quod apud Gretſerum in Horto ſanctæ crucis pag.* 153 *ſcribatur, ſignum Leonis Papæ IX, in quadam ejus bulla, expreſſam habuiſſe* crucem, gemino circulo incluſam. *Sed hujus ſigni antiquitas & auctoritas tanta non eſt, ut perſuadere poſſit, illud etiam priſcis & S. Paulini temporibus fieri conſueviſſe aut factum eſſe. Malim igitur opinari, in ipſa coronâ, crucem cingente, æqualibus ſpatiis appoſitas fuiſſe* co-

C.J. *columbas, quæ nexu quodam, quaſi manibus datis, in ſe junctæ, conſtituerint chorum columbarum, in eoque ſymbolice coronam Apoſtolorum. Tum denique, quia* Philipp. 4. 1. Theſſal. 2, 19 Τὸ corona Apoſtoli, *non videtur illic ſimpliciter ſumi pro corona ſive ſerto, ſed metaphorice potius, pro* τῷ gloria *aut* ornamentum, *quemadmodum ab Apoſtolo quoque poſita fuiſſe intelligitur corona, ubi fideles vocat gaudium ſuum & coronam ſuam; atque alibi, gaudium & coronam gloriæ ſuæ. Cui hæc interpretatio noſtra placuerit, is alteram coronam non requiret, explicabitque mecum Paulini verſum, quod coronæ, crucem cingentis, gloria & ornamentum ſint Apoſtoli, in illa per columbas repræſentati.*

aliquando faſtigio ejus tantùm imminebat,

309 *Alter crucis coronatæ modus, cum ſertum aut circulus cruci ſuperne imminet aut incumbit, legi poteſt apud Euſebium in vita Conſtantini lib.* 1, *cap.* 31; *ubi deſcribit labarum ejus his verbis.* Haſta longior, auro contecta, tranſverſam habet antennam inſtar crucis. Suprà in ipſa haſtæ ſummitate corona erat affixa, gemmis & auro contexta. *Hæc clara ſunt. Paulinus quoque in apſide ſua Fundana, coronam cruci ſuperne imponit:*

Sanctorum labor & merces ſibi rite cohærent,
B Ardua crux pretiumque crucis ſublime corona.

Corona enim, quæ ſit pretium ac merces laborum & victoriæ ſignum, ſolet capiti imponi. Atque hinc ſignificatum videtur Paulinus velle, coronam ſublimi loco poſitam eſſe, non ſolum illam, quæ in cælo manet juſtorum labores; ſed illam quoque, quæ ad coronam cæleſtem repræſentandum appicta cernebatur cruci, utique ſummo ejus loco, ut rei repræſentatæ melius conveniret typus.

ati indicat Paulinus Nolanus.

310 *Eumdem coronæ ſitum indicant etiam iſti verſus, ſuper ingreſſum eccleſiæ S. Felicis cruci adſcripti:*

Cerne coronatam Domini ſuper atria Chriſti
Stare crucem, duro ſpondentem celſa labori
Præmia. Tolle crucem qui vis auferre coronam.

Citati ſuprà Greſerus & Roſweydus & alii, ad probandam ex Paulino hanc cruci ſuperpoſitam coronam, allegant quoque ſequentem ejus verſum:

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ.

Sed bona illo um pace, malim ego opinari, hunc verſum potius referri debere ad primum crucem coronandi modum, qui illam in corona circum. includit: quia hîc æque utitur Poëta verbo cingere, *quam in illo verſu,*

C Crucem corona lucido cingit globo:

quo tamen prædicti Auctores, æque ac nos, ſuſtinent, indicari primum crucis coronatæ genus. Quod & confirmari poteſt, quia circulus crucem ambiens in uno verſu exprimitur per vocem globo, *in altero per vocem* orbe, *quod eodem redit: at vero crux, cui ſuperne immineret corona, Paulino ſimpliciter dicitur* coronata; *aut additam ſibi habere* coronam, *ſublime pretium ſui, & honorem. Uſus coronandi crucem ſuperne, videtur paulatim deſueviſſe, poſtquam ſeculo* VIII *aut* IX *cœpit imago Chriſti humana cruci affigi. Deinceps enim quanto rarius invenitur crux tali modo coronata, tanto frequentius conſpicitur coronatum Crucifixi caput; adeo ut ſub idem tempus corona è faſtigio crucis ad caput in cruce pendentis Chriſti, tamquam ad locum digniorem, credi poſſit tranſlata fuiſſe, ſuccedente triſti corona ſpinarum, coronâ gloriæ & honoris.*

D

APPENDIX

Ad tabulam præmiſſam, de Crucibus in ea repræſentatis.

PARS PRIMA.

Explicatio amplior apſidis & Crucis Vaticanæ.

Crux & apſis Vaticana ex aliis magis illuſtrantur.

Quæ de crucibus huc uſque diſſerimus, lucem aliquam accipiunt quidem ex præmiſſa tabula, clariorem tamen acceptura fortaſſis, ſi de ſingulis figuris nonnulla adnotemus ex ſcriptoribus, qui illas in æs incidi curaverunt, ipſaque muſiva propius inſpexerunt, conſiderarunt ac deſcripſerunt. Crux prima, quæ apſidis Vaticanæ eſt, & illa ipſa, quam in tabula noſtra ejuſdem apſidis expreſſam vides, ſed majori hîc formâ ſeorſim delineata a Joanne Baptiſta Caſalio in libro de veteribus ſacris Chriſtianorum ritibus, Romæ edito 1647. *In illo is exhibet pag.* 3 *dictam crucem & explicationem aliquam adjungit,* E *quam tamen hîc non deſcribo, quia Ciampinus ſæpe laudatus, illam deſcriptioni ſuæ ejuſdem crucis atque apſidis Vaticanæ ampliori, fere totam inſeruit. Ciampinianum igitur illa de re commentarium hîc accipe, ex quo plura cognoſces quam nos ſuprà pro inſtituto noſtro dicere debuimus. Refero ejus verba ex libro de ſacris Ædificiis à Conſtantino Magno conſtructis, ubi pag.* 32 *de apſide hæc quodammodo præfatur.*

Apſidis ſitus

312 Apſis, quam majorem tribunam vocari populi placitum introduxit, poſt tranſverſam baſilicæ partem, ad ortum, *imò ad occaſum*, vergentem; id ſitûs nacta fuit, ut caput ipſius baſilicæ eſſet, ſacroſanctæque crucis typum inchoando pertexeret. Hemicycli formam exprimebat; longitudineque ad occidentem palmis quadraginta quatuor præſtabat; latitudine palmis octoginta ſpatiabatur; altitudine vero, centum æquabat inter apſidem & tranſverſam navem. In medio, ara princeps erecta erat. *Hæc tamquam præfatio ſunto. Deinde pag.* 42 *col.* 1, *ita proſequitur:*

F

& reſtauratores

313 Apſidem hanc (*ejuſdem verba ſunt*) temporis diuturnitate collabentem, Severinus ſummus Pontifex anno DCXXXVIII refecit, ut Bibliothecarius in ejuſdem Pontificis vita narrat. „Hic renovavit apſidam P. Petri Apoſtoli ex muſivo, quod dirutum erat.„ Licet muſivum opus pictura æterna aſſeri valeat, ut diximus in noſtro opere de Vet. Monum. nihilominus irreparabile tempus, ſua longa annorum ſerie, omnia etiam duriſſima ſaxa immutat ac terit, nec non ad nihilum redigit. Ita hujus apſidis muſivo accidiſſe comperimus. Nam Innocentius III itidem ſummus Pontifex, illud reſtauravit, quod poſtmodum labens, Benedictus XII iterum in priſtinam reſtituit formam, Jotto illorum temporum celebri pictore & muſivario Florentiâ ad hoc peragendum opus evocato; ut narrat Turrigius pag. 62. Quale vero demolitionis tempore antiquæ baſilicæ muſivum fuerit, ex ſequenti tabula 13 conjicies. *Tabula illa ipſi eſt, quam noſ ſuprà denuo incîdi curavimus. Tum pergit Ciampinus ad Sectionem ſuam ſecundam, cui titulum facit* de muſivis operibus, in apſide Vaticanæ baſilicæ olim extantibus. *Et*

poſtquam

A *poſtquam de manu poſitioneque digitorum in forma benedicentis ritu Græcorum (qua de re nos jam egimus) ſenſa ſua expreſſerat, tandem ita progreditur pag. 43; incipiens à ſegmento ſuperiori.*

Explicatio imaginis Salvatoris ſedentis,

314 Hujus muſivi area multis ſtellulis diſſeminata cernitur, in medio eſt Salvator in throno ſedens, qui dexteram elevatam, in benedicendi actu, complicato pollice cum annulari, tenet: ſiniſtrâ manu librum clauſum ſtringit: qui librum vitæ, ſcilicet electorum denotat; de quo in Apocalypſi cap. 20 num. 15: Qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Et in eodem cap. num. 11 de throno legitur: Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum. Conſuevêre enim priſci fideles multa ex Apocalypſi deſumere, figuriſque adumbrare; ut fuſiùs notavimus in noſtro opere de Veteribus Monumentis cap. 24. Caput diademate ornatum, in quo crucis ſignum expreſſum eſt, Salvator habet. Diadema enim in eodem cap. 24, regni, ſive imperii ſymbolum eſſe etiam diximus; crucemque in eo expreſſam, nil aliud denotare arbitror, quàm regnum redemptionis, mediante cruce, acquiſitum. A dextro capitis latere duæ cernuntur literæ, ſcilicet IC, quæ Jeſum ſignificant; in ſiniſtro verò aliæ duæ literæ, nempe XC, expreſſæ ſunt, quæ Chriſtum denotant, ut ſupra diximus.

B

S. Pauli,

215 Ad dexteram Salvatoris ſtat S. Paulus, pallio involutus, ex quo dextram emittit, quaſi cum Salvatore colloquens, ſiniſtrâ volumen apertum tenet, in quo legitur: Mihi vivere Chriſtus eſt. Hac deſumptâ epigraphe ex ejuſdem D. Pauli epiſ. ad Philipp. 1, 20; à tergo hujus figuræ, perpendiculari ordine, Græcis characteribus, abbreviatè legitur, ut in Tab. XIII conſpici valet, quæ denuo characteribus Latinis, eodem perpendiculari modo, ante faciem Sancti exprimuntur, nempe ſanctus Paulus.

S. Petri,

216 A ſiniſtris verò ſtat S. Petrus, qui dexteram ſubtus è pallio elevat, ac manum in benedicendi actu tenet, pollicem cum annulari conſtrictum habens: ſiniſtra duas claves pendentes gerit, quæ ligandi, & ſolvendi poteſtatis ſymbolum ſunt. Ex eodem itidem brachio, volumen apertum pendet, in quo legitur: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi: quæ illa fuit ab hoc Apoſtolo facta confeſſio, ut narrat euangeliſta Matthæus cap. 16, verſ. 16, quæ placuit Magiſtro, unde illam reportavit reſponſionem: „Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo „Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni „cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper ter„ram, erit ligatum & in cælis, & quod„cumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum „& in cælis. Quæ verba, ad expreſſum clavium ſymbolum, reſpectum habent. Ante hujus imaginis faciem, itidem characteribus Latinis, perpendiculari formâ, nomen Apoſtoli expreſſum eſt, videlicet Sanctus Petrus, & à tergo Græcis characteribus eodem modo vertitur.

C

palmarum,

217 Ex earumdem figurarum utroque latere, duæ magnæ palmarum arbores attolluntur, quas myſterio minimè carere judico, nam palma Judææ regionis ſymbolum eſt, ut ex nummis Veſpaſiani & Titi argui poteſt, ubi quædam mulier ſub arbore palmæ ſedens, veluti lacrymans cernitur, cum epigraphe: Judæa capta. In hoc notat nummo eruditiſſimus Antonius Auguſtinus in ſuis Dialogis, arborem hanc Judææ attribui, quia Phœniciæ, quæ palmis abtundat, proxima eſt. Quare hoc in noſtro emblemate, regionem illam denotari puto, in qua Salvator noſter D. Jeſus Chriſtus natus, & cum hominibus converſatus eſt. Campus, ſive area, ſub harum figurarum pedibus, nonnullis tabernaculis, arbuſculiſque & figuris, in diverſis actibus expreſſis, ornatus cernitur. Diu ſuper eiſdem figuris mea mente revolvi, quid ſignificare valerent, illaſque etiam eruditis oſtendi amicis, ſed nec ullam explanationem a ppropriari poſſe exiſtimavimus. Quare potius ad pictoris ſeu muſivarii placitum, quàm ad ullum demonſtrandum ſymbolum fuiſſe expreſſas, judicâvimus. His igitur omiſſis, ad duos cervos, qui ad fontes properant, ſubtus Chriſti pedes emanantes, me converto.

C j.

fontium,

318 Quales iſti ſint fontes, ſub ipſis eorum ſcripta ſunt nomina, id eſt Gion, Phiſon, Tigris, Euphrates; qui quatuor illa ſunt magna flumina, quæ nos ſacra docet Scriptura Geneſ. cap. 2, è terreſtri Paradiſo exire. Cervi autem, qui ad dicta tendunt flumina, nonniſi fideles denotant, ut fusè beatus Bruno, in expoſitione Pſalm 41. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum &c. cum aliorum antecedentium Patrum auctoritate, ſic declarat. „Non immeritò hoc animal comparatum eſt „fidelibus, eſt enim primò innoxium, deinde „velociſſimum, tertiò ſiticuloſum. Serpentes „naribus trahit, quos ut voraverit, æſtuante „veneno, ad fontem feſtinat. Hoc nos admo„net, ut quando venena haurimus antiqui ſer„pentis, ad fontem divinæ miſericordiæ feſti„nemus. Fons enim ſemper irriguus eſt Chri„ſtus, unde non dixit ad fluenta, quia ſiccari „poſſunt: fons autem ſemper fluit. Homo er„go Eccleſiæ, qui diu in actu venenoſo de„gebat, cum hunc, gratiâ Dei videns, dere„linquere cupit, clamat: Quemadmodum &c. „Ut pœnitentiâ ablutus gloriam Dei videat. Hæc de ſuperiori muſivi emblematis parte, ſive ſegmento, accedo ad inferiorem.

E

crucis gemmatæ & agni diademati,

319 In hujus medio viſitur gemmatus thronus, non multò abſimilis illi, quem Xyſtus III in eccleſia S. Mariæ Majoris appingi curavit; de quo aliqua notavimus in cap. 22 noſtri operis Veter. Monument. Part 1. In præſentis throni area, crux gemmata expreſſa eſt, in cujus pede viſitur veluti pulvinar; ſub cruce ſtat agnus diadematus ſuper montem, è cujus pectore pedibuſque quinque defluunt rivuli in flumen, quod ad montis decurrit radices, quodque deinde per latera expanditur. Symbolum hoc Caſalius in ſuo erudito tractatu de Vet. Sac. Chriſt. Rit. parte prima cap. 1 refert, notiſque illuſtrat, aſſerendo; quòd eo tempore, quo crucis ſupplicium in reos & latrones apud gentes frequens erat, Chriſti fideles magna circumſpectione Chriſti patientis imaginem cruci affixi exprimebant. Quare hanc exponebant gemmis, margaritiſque ornatam, ut eccleſia canit. O Crux ſplendidior cunctis aſtris. Similem crucem gemmatam habemus in eccleſia S. Pudentianæ, ac baſilica Lateranenſi, de quibus ſuo loco diſſeremus.

F

è quinque vulneribus ſanguinem fundentis,

320 Ad crucis pedem ſtat agnus, ſanguinem è pectore effundens in calicem, & ex iſto in proximum rivulum defluentem, utpote etiam ſan-

C. J. sanguis, è pedibus emanans, per rivulos in subjectum flumen decurrit. Quæ omnia, nonnisi Christi cruci affixi, quinque vulnera sanguinem emittentia, demonstrant. In præfata enim Christi crucifixi imagine exprimendâ prisci fideles fragilitati recentium initiatorum, aliquando indulgere existimarunt, cum, sive ex Judaismo, sive ex Gentilitate, ad Christi fidem converterentur; accidebat, ut ex his multi erubescerent Christum crucifixum, uti Deum adorare, cum eâdem die, vel paulo ante, latronem, aut aliàs criminis reum in cruce pendentem, inspexissent, ut innuit Apostolus 1 Corinth. 1. „ Nos autem prædicamus „ Christum crucifixum, Judæis quidem scanda„ lum, Gentibus autem stultitiam.„ Suprà relatum symbolum indicavit S Paulinus episcopus Nolanus epist. 12 ad Sulpitium scribens. Sub Cruce sanguineâ niveo stat Christus in

Agno

Et paulo antè,

Sanctam fatèntur crux & agnus victimam.

B *& Christum repræsentantis;* 321 Agnus hîc expressus, illum agnum mansuetum repræsentat, de quo Isaias cap. 53 v. 7: „ Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi „ agnus coram tondente se obmutescet, & non „ aperiet os suum.„ Quod etiam his verbis indicavit Præcursor Joannes: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ad hoc igitur hieroglyphicum Innocentius III summus Pontifex musivi operis restaurator, in lib. 4 cap. 44 mysteriorum Missæ respiciens, sic fatur: „ Non „ enim solùm lavit nos Christus à peccatis nos„ stris sanguine suo, quando sanguinem suum „ fudit in crucis patibulo, verum etiam quo„ tidie nos lavat à peccatis nostris in sanguine „ suo, quando ejus sanguinem accipimus in ca„ lrcis poculo.

quod non est reprehendendum. 322 Nec durum nobis esse debet, quòd fragilitati veterum illorum fidelium indulgerent sancti illi Patres circa ritus, qui directè Christianæ Religioni non repugnarent, quoniam suaviter ad verum cultum erant ii alliciendi, ut innuit Magnus ille Gregorius lib 9 epist. 71, scribens ad Mellitum abbatem, sic enim inquit: „ Nam duris mentibus, simul omnia ab„ scindere, impossibile esse, non dubium est: „ quia is, qui locum summum ascendere niti„ tur, necesse est, ut gradibus vel passibus, „ non autem saltibus elevetur. Sic Israëlitico „ populo in Ægypto Dominus se quidem in„ notuit; sed tamen eis sacrificiorum usus, quos „ diabolo solebant exhibere, in cultu proprio „ reservavit: ut eis in sacrificio suo animalia „ immolare præciperet, quatenus &c.„ Hinc est quòd plurimi similes ritus, sive Hebræorum, sive Gentium, perseverârunt etiam apud priscos illos fideles, sicuti & alii similes à summis Pontificibus, aliisque sanctis Patribus, in Christianam reducti Religionem, ut in eadem D. Gregorii exprimitur epistola. Consuetudinem hanc appingendi agnum, servatam fuisse deducitur usque ad Conciliabulum Quinisextum, sive Trullanum, celebratum anno 692 vel ut Petavio placet, anno 707, in quo Can. 82 decretum fuit, loco Agni, ut Christus in cruce in hominis figura pingeretur.

C

De duabus personis, forma humana pictis, 323 Hæc de præcipuo symbolo in hoc secundo ordine expresso: modò ad alias in eodem contentas figuras devenimus. Ad dexteram throni, quæ est sinistra intuentium, stat vir, casulâ, juxta tamen antiquam formam, indutus; Pontificiâ tiarâ, & ex ea pendentibus lemniscis, caput ornatum; ac super humeros pallium gerens: quis ille sit vir, conjunctæ literæ indicant, nempe Innocentius Papa III, qui, ut diximus, hujus musivi operis restaurator fuit. Consuevêre enim antiqui pictores in hujusmodi operibus, illius Pontificis effigiem exprimere, qui tale opus construi mandabat. In opposita autem parte, scilicet sinistrâ, stat mulieris effigies, manicatâ veste usque ad talos demissâ, indutæ, ac super humeros birrum, vulgò Mozzetta, deferens; caput quodam byreto, veluti ducalis corona, redimitum habet: in dexterâ manu hastam, in summitate cruce insignitam, gestat, ad cujus pedem vexillum volitat, in quo duæ claves expressæ cernuntur; alterâ verò manu librum ad pectus stringit. Quid per hanc denotetur figuram, appositæ ibi literæ demonstrant, scilicet Ecclesia Romana. D

arboribusque post tergum stantibus. 324 Prope & à tergo hujusmodi figurarum, duæ attolluntur arbores, quæ potius palmam, quàm aliam plantam repræsentant; rami ita sunt dispositi, ut ellypsim, scilicet ovalem formam exhibeant; in cujuslibet medio stat avis, cujus autem sit generis, ob illius parvitatem discerni minimè potest. Quid arbores hìc depictæ, avesque ibi stantes significent, difficile admodum redditur explicare: diu etenim quæsivi, sed nil adinveni; existimavi propterea, has arbores, & aves, sicuti in superioris partis area, de tabernaculis aliisque figuris dixi, ad pictoris, sive musivarii placitum, atque ornatum expressas fuisse. E

De duabus civitatibus. 325 In hujus inferioris partis extremitate, dexteroque loco, respectu Salvatoris quædam visitur civitas, quæ Hierusalem repræsentat, ut conjunctæ denotant literæ. Pendentes lampades sunt in summitate arcus portæ, in hujus medio stat agnus, sive ovis exitura, quam aliæ quinque præcedunt. In opposita verò, sive sinistra parte, eædem cernuntur figuræ; nomine tantum civitas discrepat, cui Betleem appositum fuit Quid per civitates, quidque per lampades istas antiqui Patres ostendere voluerint, diximus in nostro opere de Veter. Monum. par. 1 cap. 21, ad quod benignum Lectorem remittimus. F

Iterum de agnis & ovibus. 326 Supereſt modò de agnis sive ovibus aliquid exponere. Cum igitur sacra in Scriptura, apud dilectum Christi discipulum, veritatisque scriptorem S. Joannem cap. 21, 15, habeamus, quòd Jesus dixit Petro: Simon Joannis diligis me plus his? Respondit Petrus: Tu scis, quia amo te: & Jesus, ut prius, subjunxit: Pasce agnos meos. Tertioque Jesus interrogavit Petrum, an eum amaret, Petrusque respondit: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te; & Jesus dixit: Pasce oves meas. Igitur per agnos & oves, fideles denotantur. Idem confirmat B. Eucherius Lugdunensis episcopus, qui floruit in principio quinti seculi, lib. 1 cap. 4 prope finem Formularum Spiritualium: hic per oves asserit, populos fideles denotari, de quibus in Euangelio Joannis 10, 27: Oves meæ vocem meam audiunt. Agni enim Christum, vel Apostolos, aut Sanctos significant. Durandus verò in suo Rationali Divin. Offic. lib. 1 cap. 3 num. 10, describit varias mysticas formas appingendi Apostolos, inter quas sub forma duode-

A duodecim ovium aliquando expreſſos fuiſſe affirmat, quæ præſenti muſivo operi adaptatur. Et hæc ſatis de illius explicatione. Epigraphe ſub eodem appoſita eſt, quam referre ſupervacaneum duco, cum in exemplari legi poſſit.

Sinceritas auctoris, ſcriptum notariale ad fidem faciendam adducentis,

327 Ac ut lectori magis innoteſcat noſtri animi candor in his concinnandis operibus, & in illis deſcribendis, ſuprà relatam fidem à Notario publico exaratam, de collatione exemplaris cum originali, antequam iſtud diruerentur, facta, apponimus, quæ tenoris eſt ſequentis. In nomine Domini. Amen Per hoc præſens publicum deſcriptionis cappellæ ſanctorum Petri & Pauli inſtrumentum, cunctis pateat evidenter, & ſit notum, quòd anno à Nativitate ejuſdem Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Indictione quinta; die vero tertiâ Auguſti, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Clementis divinâ Providentiâ Papæ Octavi anno ejus primo. In mei Notarii publici, teſtiumque infraſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia, præſens & perſonaliter conſtitutus

B R. D. Marcus Antonius de Magiſtris canonicus, & ad præſens alter ex majoribus ſacriſtis baſilicæ ſancti Petri de Urbe, requiſivit me Notarium, quatenus ex cappella ſeu tribuna, exiſtente ſupra altare majus baſilicæ ſancti Petri ſubtus cuppulam magnam dictæ baſilicæ; quæ tribuna modo demolitur, deſcriberem ſtatum & inſcriptiones, quæ ibi reperiuntur.

in quo, compendio notantur,

328 Unde ego Notarius, tamquam obedientiæ filius, ad dictam cappellam, ſeu propè illam, una cum infraſcriptis teſtibus, me contuli, & una cum eiſdem teſtibus legere ſcientibus, dictam cappellam ſeu tribunam diligenter vidi, inſpexi, literaſque in eis deſcriptas perlegi, prout etiam infraſcripti teſtes viderunt, inſpexerunt, & perlegerunt. In primis in ſummitate dictæ cappellæ ſeu tribunæ adeſt imago ſanctiſſimi Salvatoris in throno ſedentis ex muſaico confecti; ad cujus dexteram eſt imago ſancti Pauli habentis in manibus librum cum his verbis, videlicet: Mihi vivere Chriſtus eſt; & à ſiniſtris imago S. Petri etiam ex muſaico confecti, habentis in manibus librum cum his literis, videlicet; Tu es Chri-

C ſtus filius Dei vivi. Subtus dictas imagines ad manum dexteram, apparet etiam ex muſaico confecta imago Innocentii Papæ Tertii, cum pallio & regno, & à ſiniſtris Eccleſiâ Romana, in perſona muliebri, habens in manibus crucem cum inſigniis, in quibus adſunt claves extenſæ, etiam ex muſaico confectæ. Subtus dictas picturas ſeu imagines ſanctiſſimi Salvatoris, & ſanctorum Petri & Pauli, adſunt etiam ex muſaico confecti duodecim agni, & in medio illorum eſt agnus cum diademate, etiam ex muſaico confectus. In capitibus, & extremitate laterum dictæ cappellæ, adſunt ex muſaico confectæ civitates, Hieruſalem ad manum dexteram, & à manu ſiniſtra Bethleem, cum literis id dicentibus, etiam ex muſaico.

quæ ſupra ſunt explicata.

329 Ab imagine ſanctiſſimi Salvatoris & agni diademate ornati, profluunt flumina, videlicet Gion, Phion, Tigris, & Eufrates. Subtus ſupradictas imagines & picturas adſunt ex muſaico, in literis majuſculis confecta hujuſmodi cármina, videlicet; Summa Petri ſedes eſt hæc ſacra Principis ædes, Mater cunctarum decor, & decus eccleſiarum. Devotus Chriſto, qui templo ſervit in iſto, Flores virtutis capiet, fructuſque ſalutis. Quæ omnia ego Notarius, & teſtes infraſcripti vidimus, & diligenter inſpeximus, ſuper quibus omnibus & ſingulis præmiſſis petitum fuit à me Notario publico infraſcripto, ut unum vel plura, publicum ſeu publica conficerem inſtrumentum & inſtrumenta, prout opus fuerit. Actum Romæ ubi ſupra, præſentibus ibidem, audientibus, & intelligentibus his, videlicet R. D. Tiberio Alfarano Presbytero Hieracen., Clerico dictæ baſilicæ; D. Joanne Fabri Presbytero Aretino, & D. Joanne Bugino Romano, teſtibus ad præmiſſa omnia & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis. Et ego Quintilianus Gargarius Notarius Capitolinus, de præmiſſis rogatus, præſens publicum inſtrumentum, aliena manu fideliter ſcriptum, ſubſcripſi & publicavi, ſignumque meum appoſui ſolitum & conſuetum.

Loco † Signi.

APPENDICIS PARS ALTERA

De crucibus in apſide Liberiana, Lateranenſi & Clementina.

Crux Sixtina in S Mariæ Majoris.

Deſcripto commentario Ciampini de apſide baſilicæ Vaticanæ, tranſeo ad figuram noſtram ſecundam, quæ repræſentat crucem, qualis extat ſupra arcum apſidis Liberianæ ſeu ſanctæ Mariæ Majoris, aut potius Sixtinæ. A Sixto enim Papa tertio ſub annum CCCCXXXIII *apſidem ibi & reliqua muſiva opera, quæ plurima ſunt, fuiſſe concinnata, docet citatus Ciampinus: qui & commendat ſingularem operam ſuam & accurationem adhibitam, ut crux illa & adjuncta quam rectiſſime delinearentur; qualem etiam in ea inciſam dedit in libro de Veteribus monumentis muſivis pag.* 200. *Tum explicat quoque pro ſuo genio & eruditione partes ſingulas in hunc modum.*

Altare, crux una, & altera.

331 Exprimitur in illa figura veluti altare, cujus in medio jacet volumen ſignatum ſigillis ſeptem, ſuper quod imminet nigra crux, veluti in velamine expreſſa, & in ejus apice corona gemmata, à qua ipſum velamen pendere conſpicitur. Retro coronam alia crux gemmata attollitur, cujus à tergo ſtat thronus, & ipſe gemmis diſtinctus, & in ſeſſili ejus medio pulvinar panno coopertum. Summis autem extremiſque ab ipſius throni lateribus extant duo canum capita, è quorum ore duplicatus pendet funiculus, cujus extremitatibus floccus annexus eſt. Circa ſedis medium, ad dexteram lævamque pulvinaris, ſinguli hinc inde viſuntur orbiculi, referentes SS. Petri & Pauli capita, eodem ferme ritu, quo imperatorum effigies militaribus ſignis inſertæ in vetuſtis marmoribus conſpiciuntur. Thronus iſte nonnullam ſpeciem præſefert Memoriæ ſeu Confeſſionis, martyribus olim dicari ſolitæ.

Accuratio Auctoris.

Valde diverſam hujus picturæ deſcriptionem reperies in hiſtoria baſilicæ Liberianæ, quam conſcripſit Paulus de Angelis. Ille ſiquidem, pictore fortaſſe uſus non ſatis accurato, agnum loco voluminis, multaſque alias figuras pro

C. J. lubito variatas exhibuit. Nos accuratiùs, aut certè morosiùs ista prosequentes, labori nulli pepercimus aut expensæ, ut fide quàm fieri posset maximâ, è prototypo singula describerentur: propterea si quædam interpretabimur, æquo nostro jure id præstare videbimur, cùm minuta quæque non prætermiserimus observare.

De libro septem sigillorum.

333 Occurrit primò, de mensa sive altari aliqua breviter annotare, quod floccis ornatum est, ut hodie videmus in eorumdem altarium vestibus sive frontalibus. Secundò animadvertendum volumen complicatum, & septem sigillis obsignatum; quod profectò nihil aliud denotat, nisi volumen Euangeliorum, quod sigillis olim obsignabatur, de quo plura peculiari capite, supra congessimus, ubi de magnâ voluminis Euangeliorum veneratione fusè disseruimus. Cur autem septem obsignaretur sigillis, quid aliud in causa, nisi quod librum illum repræsentaret, de quo in Apocalypseos cap 5, num 1 ibi: Et vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Antiqui enim Patres in
B pingendis figuris ut plurimùm usi sunt mysticis sensibus in Apocalypsi latentibus, ut infra videri poterit in ecclesia S. Pauli, & præcipuè in ejus majori arcu, tempore Leonis Magni constructo; & in aliis ecclesiis in nostro opere describendis.

De cruce in velamine.

334 Tertio loco velamen, & in ejus medio depicta crux, supraque velum gemmata corona notanda est. Ego quidem asserere non dubitaverim, velamine cruce insignito priscos fideles velum illud innuere voluisse, quo Christus Dominus noster ad detergendum sudorem suæ passionis tempore usus est, quod Veronicæ dicitur: coronâ verò gemmatâ illam è spinis, quæ ejusdem sanctissimum caput transfixit, indicasse.

De cruce gemmata.

335 Quarto loco gemmata crux, quæ cùm supplicium esset apud gentes, ac rei & latrones in ea criminum pœnas luerent, antiqui Christi fideles maximè circumspecti, noluerunt in ea imaginem Christi patientis affigere, sed potiùs gemmis margaritisque ornatam expoluerunt, ut faciliùs inspicientium oculos absque horrore ad se alliceret, qui earumdem gemmarum aurique fulgore perculsi, illam venerarentur. Simi-
C les gemmatæ cruces adhuc hodie hîc Romæ visuntur in antiquissima ecclesia S. Pudentianæ; in ecclesia S. Stephani in Rotundo, & in ecclesia Lateranensi, quin etiam depictæ in nonnullis cœmeteriis cernuntur, ut narrat Aringhus in sua Roma subterranea lib. 2 cap. 22, & Casalius De vet. sacr. Christian. Ritibus par. 1 cap 1.

De cathedra seu throno.

336 Quintò, post crucem cathedra observanda est, sive thronus, quem ornatum fuisse antiquissimum apud Majores nostros, animadverto; adeò ut Salomonis ævo mos iste viguerit thronum regalem decorandi cælaturis & signis. Id apertè legitur lib. 3 Regum cap. 10, ubi sacer Historicus ait: " Fecit etiam Rex Salomon thro-
„ num de ebore grandem, & vestivit auro fulvo
„ nimis, qui habebat sex gradus; & summitas
„ throni rotunda erat in parte posteriori, &
„ duæ manus hinc atque inde tenentes sedile:
„ & duo leones stabant juxta manus singulas,
„ & duodecim leunculi stantes super sex gradus
„ hinc atque inde: non est factum tale opus in
„ universis regnis. „ A regibus fortè Israëlitarum edocti ceteri Principes, postmodùm thronis suis ornatum conciliaverunt. Alexander D
Wilthemius in suo Diptycho Leodiensi (ex quo postea transcripsit Ferrariùs in suis Analectis de re vestiaria pag. mihi 60) pulcherrimum affert exemplar cujusdam Consulis Romani in throno sedentis, cujus brachiolis stabant duo leones, in sedili verò visuntur gemina hominum capita, sicut in eo quem descripsimus. Hinc divinari non erit absonum, ideo jussu Pontificis Xysti thronum hunc BB. Apostolorum Petri & Pauli capitibus consultò decoratum fuisse, quia ipsis potestas à Christo Salvatore collata est judicandi duodecim tribus Israël; quique ipsi Regi gloriæ, tamquam à latere ad extremum orbis criterium assistere debent: throni autem in summitatibus exprimi canum capita voluit idem Pontifex, ad denotandam fortasse vigilantiam & curam, quæ in ecclesiis habenda est, quando legitur Euangelium, & in sede Majestatis suæ Deus adoratur.

& in illo capi ibus canum;

337 Huic hieroglyphico adaptari sanè potest S. Augustini locus in Epist. 56, ad Dioscorum de curiosis Quæstionibus, ubi sic:" Episcopi isti
„ etiamsi adolescentes, eodem quo tamen rape-
„ ris animi ardore, vel potius errore, quasi ali- E
„ quid magnum hæc dicere curârunt usque ad
„ Canes episcopales, & usque ad cathedras
„ ecclesiasticas. „ Quare hæc S Augustini auctoritas videtur hoc idem hieroglyphicum de canum capitibus, in summitate throni appositis, luculenter explicare, illorumque temporum morem in episcopalibus cathedris similia canum capita cælandi seu appingendi: hinc etiam istud Doctoris maximi dictum, aliquibus antea obscurum, illustrari videtur. Cùm nonnulli censuerint loco canes, canos legendum esse. Non incongruum etiam puto, si aliud afferam exemplum picturæ, quæ est in codice magnæ molis, imaginibus ornato, qui olim erat in monasterio S. Martini Metensis, nunc verò asservatur in bibliotheca Colbertina. Exprimitur in eadem depicta tabula Carolus Calvus rex in throno sedens, in actu accipiendi eumdem codicem sibi dono datum. In angulorum summitate visuntur duo canes invicem se respicientes, ore expanso quasi latrantes; ex quo deduci posse existimo antiquum morem similibus canibus thronorum sublimia ornandi. Hanc tabulam in lucem edidit eruditissimus Stephanus Baluzius in suis notis ad Capitularia tom 2 pag. 1276. F

deque velamento pulvinaris.

338 Sexto, per pannum, quo tegebatur pulvinar, designasse Christi fideles eam syndonem, qua Christi Domini è cruce depositum corpus fuit involutum, rationi maximè consonum est. Et hæc sunt, quæ in hujus orbicularis figuræ brevi declaratione proferre congruum duxi; plura & meliora dicendi cui libeat liceatque, facultatem ac spatium relinquens. *Hæc de cruce in basilica Liberiana Ciampinus.*

Crux Lateranensis,

339 *Transeo ego ad figuram crucis, in tabula nostra tertiam, quæ est ecclesiæ Lateranensis, fuitque in restauratione apsidis ejus, per Nicolaum PP. IV seculo* XIII *factâ, ita uti antiquitus formata fuerat, retenta, teste Cæsare Raspono in descriptione ejusdem ecclesiæ: ex qua etiam huc affero aliqualem delineationem ipsius apsidis & explicationem propositæ crucis. Scribit igitur lib.* 1 *cap.* 9 *pag.* 41. Consurgit ad hemicycli formam magna Calchidica (*forte*, Chalcidica,) quam tribunam appellant. Hæc pavimentum habet, opere vermiculato elegantissimo distinctum; & antea mar-

A marmoreis æneisque cancellis à reliqua cruce discriminabatur. Hemicyclum ejus usque ad zophorum, ubi in tholi speciem concameratur, convestit tectorium ex sectis tabulis marmoreis, in cujus medio affixa parieti erat sedes Romani Pontificis, senis marmoreis gradibus elata; in quorum uno sub ipsa pontificia sede visuntur hæ quatuor animantes, aspis, leo, draco, & basiliscus; alluditur vero, ut ego interpretor, ad sacrum illud Prophetæ oraculum, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

quæ in apside antiquitus fuit,

340 In quarto ejusdem sedis gradu erant exarati versus illi;

Hæc est papalis sedes & pontificalis,
Præsidet & Christi de jure Vicarius isti;
Et quia jure datur, sedes Romana vocatur.
Nec debet vere nisi solus Papa sedere:
Et quia sublimis, alii subduntur in imis.

Qui cum exoleviſſent ob vetustatem, à Nicolao IV ipsimet cathedræ adscripti sunt. Calchidicæ hujus universa concameratio exornata est opere musivo, & primò in intervallis quatuor fenestrarum Apostoli novem. In apsidis verò curvitate sub imagine sancti Salvatoris, quæ olim Populo Romano apparuit, & quam Nicolaus Quartus integram servavit in nova ejusdem apsidis constructione, crux est elegantissima, quæ referta gemmis videtur, ad similitudinem videlicet crucis perantiquæ, quæ hîc olim extabat. Superne autem non absque eleganti significatione columba extat expansis alis, ex cujus ore manant uberes aquæ, & ita stipitem crucis irrigant, ut in ima ejus parte fons redundet, ex quo flumina quatuor effluere videntur.

B

descripta,

341 Super eadem cruce insuper ante Nicolai Quarti restaurationem, civitas cernebatur, & in ejus medio palma, cui phœnix erat superimpositus. In porta civitatis Angelus nudato ense stabat, & supra muros ejus principes Apostolorum Petrus & Paulus. Adjecti sunt etiam cervi atque oviculæ nonnullæ, quæ ad flumen properant, ut de aquis ejus hauriant, ac sitim restinguant. Porrò significationem horum mysteriorum illam esse interpretamur, quam Jacobus Bosius adfert non piè minus, quàm eruditè, in opusculo quod edidit de cruce, ut scilicet in columba Spiritus sanctus exprimatur. Quatuor autem flumina terrestris paradisi, significent fluenta gratiæ, quæ è Spiritus sancti fonte promanant, & mundi quatuor partes suis cælestibus donis, ac sanctissimis Sacramentis perpetuò irrigant. Civitas autem ecclesiam significat; de qua scriptum est. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.

C

hîc explicata.

342 Palma & phœnix Christi figuram gerunt, qui crucem ascendens, & passionis amore mirum in modum æstuans, dignatus est in ea pro nobis emori, atque instar phœnicis victor à mortuis resurrexit. Angelus custodiens portam civitatis, sanctum archangelum Michaëlem, aliosque angelos indicat, qui sunt ecclesiæ tutelares juxta petitionem illam, Civitatem istam tu circumda Domine, & Angeli tui custodiant muros ejus. Sancti Apostoli Petrus & Paulus sunt ita expicti, quia ipsi sunt Ecclesiæ præcipui præsides, patroni ac defensores. Cervi sunt symbolum ethnicorum, qui cum à vero vitæ fonte aberrarent, virtute crucis asperĝendi erant aqua baptismatis, atque ab idololatriæ sordibus expiandi; quamvis interpretentur alii apud crucem cervos figurari solitos, quia dum ipsi in serpentum caveas os immittunt, halitu eos interimunt, & quia ipsi renovant juventutem suam: etenim perinde Christus Dominus per crucem & obitum suum peccato intulit mortem, atque illud penitùs delevit, denuoque ad lucem rediit redivivus Oves designant viros justos atque electos, qui postquam lustrali aqua baptismatis mundi & candidi evaserunt, candorem illum retinent deinceps, ac se in operibus charitatis exercent Alii tamen Catechumenos exprimi putant, qui postquàm fuerunt baptismo initiati, albi efficiuntur puræ mentis integritate. C. J

Adstant aliæ imagines.

343 Itaque prisci illi & pii Christiani picturis hisce atque imaginibus plebi occasionem dabant, ut in Ecclesia, sicuti par est, divina mysteria considerarent ac meditarentur. Ab utroque crucis latere sunt icones sacræ, tum Deiparæ Virginis, tum sancti Joannis Præcursoris Domini, atque etiam Principum Apostolorum, & sancti Andreæ, & sancti Joannis Euangelistæ, quæ tamen sunt minori forma expressæ, sicuti minori forma expicti hinc inde aspiciuntur sanctus Franciscus Assisias, & S. Antonius Patavinus. Adstat etiam Nicolaus Quartus Pontifex in genua provolutus, cujus hoc opus jussu perfectum est. Post tribunam est rotunda porticus à sancto Leone Primo, ut diximus, constructa, ad quam arcus duo hinc inde aditum aperiunt; olim picturis erat parum elegantibus ornata, nunc tantùm dealbata, quinque columnis in medio, bisseniſque ex utroque latere parastatis fulcitur ejus concameratio, ibique spectatur mausoleum porphyreticum opere vario exsculptum. D

Crux quarta, descripta paucis à Rondinino, pluribus à Casalio.

344 *Quarta tabulæ nostræ figura, repræsentans crucem non uno modo coronatam, depicta fuit ex apside antiqui templi S. Clementis Papæ & martyris prope amphitheatrum Vespasiani, atque impressa à sæpe citato Casalio. Pauca in illam commentatur Philippus Rondininus libro de S. Clemente ejusque basilica, non ita pridem Romæ edito, pag. 267, hisce verbis:* Jacobus Thomasius Cajetanus ordinis Minorum S. Francisci, Bonifacii VIII sororis filius, Presbyter cardinalis, ornavit apsidem basilicæ musivo opere; seu potius vetus, temporis edacitate corruptum, ad priorem formam revocavit; ibique inter alia plura ornamenta, longa cernitur vitis, quæ vario opere & colore hinc inde diffusos ramos protendens, è stipite exsurgentem præfert crucem, cui Christus Dominus affixus est, dispositis ab utroque latere passionis sociis Maria virgine & Joanne apostolo. Hemicyclum apsidis totum comprehendunt propagines, in quarum curvaturi graphice expressi sunt quatuor Ecclesiæ doctores & variæ volucrum species. E F

345 *Casalius ipse de sua eâdem cruce commentatur plura, quam proferre hîc velim. Quæ propius ad rem nostram spectant, inde decerpo; verba ipsius, characteribus Romanis; quæ mea sunt, Italicis impressa daturus. Ait:* Reperitur altera crucis species, quæ coronata nominatur, quam nos hîc effigiavimus ex apside musiva S. Clementis hîc Romæ in Cœlio monte, Nicolao I Romano Pontifice sedente (*creatus fuit anno* DCCCLVIII) extructa: in cujus superiori parte *& media*, non unam tantum, sed *plures* videmus coronas, mystice denotantes, quod quamquam ardua & difficilis sit ipsa crux

C. J. *Quid corona,* quam fideles & electi fufferunt, viventes in mundo; eo fublimiores fint coronæ, quas iifdem benignus & mifericors Deus præparavit in cælo. Corona, quæ in eminentiore cornu hujus crucis apparet, per manum quamdam fublata, indicat aperte glorioſam victoriam & triumphum, quem per crucem Chriſtus obtinuit; alludens in hoc ad Romanorum triumphos, in quibus imperator geſtabat coronam, alienâ manu elatam. In eadem cruce imago nuda crucifixi Domini cernitur, clavis quatuor affixa, ſub cujus pedibus ad fulcimentum corporis extat tabella, quæ ſuppedanea vocatur.

columbæ, 346 Cernimus in eadem cruce candidas columbas duodecim, duodecim apoſtolos denotantes, quibus præcepit Chriſtus apud Matth. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ... Quod autem columbæ circa crucem denotent apoſtolos, expreſſe de hujuſmodi imaginibus *tractans*, ſcripſit Paulinus ep. 12 ad Severum: Crucem corona *&c. verſus hîc citatos dedimus nos ſupra pag.* 143, *n.* 308 *Proſequitur alta ſcriptor de columbis, ſed quæ potius ad mores formandos, quam ad hiſtoriam faciunt. Subdit deinde:* Apparet in calce hujus

B crucis cervus, qui flatu videtur ſerpentem abſorbere (*dixero, necare*) ſymbolum peccati ab homine concepti, à quo niſi Spiritus ſancti afflante gratia per Sacramenta, è ſanguine Chriſti provenientia, tamquam à vivis fontibus, non purificatur; ut propterea dixerit Pſalmiſta: Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum... Hinc etiam in noſtra figura duo cervi ardenter bibunt ad quatuor fluenta, erumpentia ab ipſa cruce, ut à ſerpentium veneno curentur; ſicuti etiam homines, ad aquas Sacramentorum bibentes, à peccatis mundantur. *Atque hæc præcipua ſunt, quæ ex commentatione qualicumque Caſalii, huc transferenda putavi, & ſufficiunt.*

Tabulæ noſtræ figura ultima 347 *Figura quinta repræſentat crucem Commiſſum; ſexta, immiſſam; de quibus egimus pag.* 140 *num.* 292. *Septima eſt Monogrammatica, qualem pag.* 141 *num.* 294 *deſcriptam dedimus ex S. Paulino Nolano. Octava crux eſt Coronata, de qua etiam nonnulla diximus ſupra. Figura extat in nummo Æliæ Eudociæ Auguſtæ apud Cangium in familiis Byzantinis & apud Gretſerum, tom.* 3 *de Cruce pag.* 62. *Nona denique exprimit Labarum, Conſtantini Magni ſignum militare, quod idem ſimul etiam exhibet monogramma Chriſti & quidem coronatum. De prioribus quod ſatis eſt ad inſtitutum noſtrum, diximus. De ultima figura ſeu labaro Conſtantini (quandoquidem illud aliter atque aliter figuratur à nonnullis) pauca accipe. Deſumpſimus figuram ex tomo tertio prædicti Gretſeri noſtri de Cruce Chriſti, lib.* 1 *cap.* 4, *pag.* 18, *quam ille, re ſtudio ſingulari examinata, tali modo pingendam judicavit. Et vero rectè ipſum judicaſſe, conſtabit ex Euſebio, qui labarum Conſtantini vidit, atque his verbis ex interpretatione Valeſii lib.* 1 *vitæ Conſtantini, ipſum deſcribit.*

C

repræſentat labarum Conſtantini, 348 *Euſebius itaque, cum ante dixiſſet, Conſtantinum* horis diei meridianis, ſole in occaſum vergente, crucis tropæum in cælo ex luce conflatum ipſis oculis vidiſſe cum hujuſmodi inſcriptione, HAC VINCE. *Et nocte ſequenti Chriſtum ipſi apparuiſſe* cum ſigno illo, quod in cælo oſtenſum fuerat; *præcepiſſeque*, ut militari ſigno ad ſimilitudinem ejus, quod in cælo vidiſſet, fabricato, eo tamquam ſalutari præſidio in præliis uteretur, *ita ſubjungit; Conſtantinus, his viſis & auditis*, primo ſtatim diluculo ſurgens, arcanum omne amicis expoſuit. Convocatis deinde auri ac gemmarum fabris, medius inter illos ſedens, ſpeciem ſigni eis ſermone depinxit, juſſitque ut auro & lapillis ſimilitudinem ejus exprimerent. Quod & nos aliquoties videre meminimus. *Ità Euſebius, qui tum demùm ipſum ſignum ac labarum minutim ita deſcribit cap.* 31.

D

juxta deſcriptionem Euſebii effigiatam. 349 Erat haſta longior, auro contecta, tranſverſam habens antennam inſtar crucis. Suprà in ipſa haſtæ ſummitate corona erat affixa, gemmis & auro contexta; in hâc, ſalutaris appellationis ſignum, duæ videlicet litteræ, nomen Chriſti primis apicibus deſignabant, littera P *Græca* in medio ſui decuſſata. Quas quidem litteras Imperator in galea portare poſthæc etiam conſuevit. Porro ex antenna, quæ oblique per haſtam trajecta eſt, velum quoddam dependebat, textum videlicet purpureum, pretioſis lapidibus inter ſe junctis & luminis ſui fulgore oculos perſtringentibus, coopertum, multoque intertexto auro inexplicabilem quamdam pulcritudinis ſpeciem intuentibus præbens. Atque

E hoc velum, antennæ affixum, latitudinem longitudini æqualem habuit. Ipſa vero recta haſta, ab infima ſui parte in magnam longitudinem producta, in ſuperiori parte ſub ipſo crucis ſigno, ad ipſam veli variis coloribus depicti ſummitatem auream Deo cari Imperatoris & liberorum ejus imaginem, depictam pectore tenus, ſublimem geſtabat. Hoc igitur ſalutari ſigno, tamquam munimento, adverſus oppoſitas quorumvis hoſtium copias Imperator ſemper eſt uſus; aliaque ad ejus ſimilitudinem expreſſa ſigna cunctis exercitibus præferri juſſit. *Quod ait*, littera P *Græca* in medio ſui decuſſata, *intelligo, decuſſatam eſſe per medium punctum litteræ* X, *quæ eſt prima in nomine* ΧΡΙΣΤΟΣ, *&* Rho *ſecunda. Confer deſcriptionem Euſebii cum figura noſtra nona, labarum & in illo etiam monogramma Chriſti exprimente; atque per te conſidera, an recte expreſſa ſit.*

SECTIO IV SIVE D.

Quæ percurrit oratoria baſilicæ contigua verſus meridiem.

F

Sectionis quartæ primo loco LUſtratâ *per tres Sectiones interiore baſilicâ Vaticanâ, videamus nunc ædificia varia, variis temporibus ei utrimque adjuncta, quæ per oſtia ſua, in parietibus lateralibus aperta, ſaltem pleraque, tranſmittebant in ipſam baſilicam, atque inde viciſſim admittebant in ſe, qui illic ſecretius orare volebant. Sectio hæc quarta ſive* D, *percurret obiter illa omnia, quæ ex parte meridionali contigua baſilicæ ſunt, uſque ad murum orientalem navis tranſverſæ. Quinta Sectio ſive* E, *ſimiliter percurret illa, quæ ſunt ex parte aquilonari; incipiendo utrobique ab ortu ſolis juxta baſilicæ frontiſpicium ejuſque porticum. Igitur*

Secretarium antiquiſſimum 351 *Littera* D *majuſcula, principium Sectionis quartæ, denotat locum ſatis amplum, quem paſſim nominari video* Secretarium, *ubi olim Pontifices, quando ex habitatione ſua Lateranenſi ad baſilicam Vaticanam ſacris operaturi veniebant, pontificaliter indui conſueverunt. Sic enim in tabulis ſuis ichnographicis illum appellant, Paulus de Angelis, Oldoinus, Ciampinus, Bonannius, & ante iſtos etiam Seve-*

A *Severanus, qui tamen in decursu libri sui de septem Ecclesiis pag. 66, Secretarium suum distinguit à prædicto loco* D, *eique proximum ponit, & egressum habuisse, ait, in ipsam basilicam. Recte quidem, si secretarium antiquum, à B. Gregorio IV in oratorium, S. Gregorio primo ibi dedicatum, distinxeris à loco* e, *in quo idem forte Gregorius IV novum Secretarium, loco prioris, construxit; uti distinguenda esse, nos quoque putamus & in Dissertatione propria probare conabimur paulo post. Addit Severanus, illud ipsum Secretarium antiquum, in oratorium S. Gregorii versum, multis post seculis nomen accepisse* S. Mariæ de Febribus, *ab imagine ejusdem sanctissimæ Virginis, crebris miraculorum prodigiis celeberrimâ; quæ illinc alio è sacello ejusdem nominis (forte in destructione posterioris basilicæ, ubi stabat) translato fuit. Fontana eumdem locum* D, *sacrum quidem Secretarium, sive ut ipse appellat,* Hierophylacium; in quo summorum Pontificum sacra supellex *asservabatur: at vero quod addit, non ibi, sed in vestibulo ejus* ✠, *Pontifices* sacris indumentis *amictui solitos fuisse, merito improbat Bonannus. Dissertatio hæc de re nostra, quam dixi, probare conabitur, loco* D *& antiquum secretarium olim, ac dein oratorium Gregorianum fuisse.*

deinde in oratorium amplum S. Gregorii mutatum.

B 352 *In hoc oratorio Gregoriano* D, *ichnographia Severani, quæ illud vocat* Secretarium, postea S. Mariæ de Febribus dictum, *distinguit quidem septem recessus, unum pro apside ac præcipuo altari, tres item à latere apsidis dextro cum altaribus suis; ac totidem à sinistro, cujus tamen medius, altare non habens, pandit egressum in porticum: sed nullum istorum altarium designat suo nomine. Id fecit ichnographia Pauli de Angelis, collocans sub apside* sacellum principale Secretarii, ubi translata fuit imago B. Mariæ, dicta de Febribus. *A dextra respectu apsidis primo loco ponit* altare S. Joannis Baptistæ translatum, de familia Ursinorum. *Secundo loco* altare S. Sebastiani à Christophoro de Jacobatiis. *Tertio loco*, altare anonymum. *Similiter à sinistra apsidis loco primo*, altare, ad quod fuit translata imago B. Mariæ ex intercolumniis porticûs. *Loco secundo*, aditus ducens ad porticum. *Loco tertio item* altare anonymum. *Hæc ipsa Bonannius quoque habet totidem verbis descripta.*

Altaria, quæ illic recentius fuere, indicantur;

C 353 *Observo ego, pleraque hic indicata altaria postremis tantum temporibus illic extitisse, utpote, quæ aliunde eò cum nominibus suis translata sint, utique quando basilica vetus demolienda fuit. Ichnographi autem citati, & in primis Alpharanus, descripserunt altaria ista, uti multa alia, prout suo tempore erant ac nominabantur, antiquiorum nominibus prætermissis. Constat sane, uti S. Sebastiani altare olim illic fuit, quod à Christophoro de Jacobatiis forte innovatum est; ita ibidem etiam fuisse altaria S. Gorgonii & S. Tiburtii, & forte locis illis, ubi ichnographi altaria ponunt anonyma. Rem explicabit textus Anastasii in Gregorio IV pag. 160, qui & explicabit alia, ab eodem Gregorio ad commendationem loci & decorem altarium ibi facta. Textus sic habet:*

in vetustiora inquiritur

ex Anastasio. 354 Gregorius IV, divino ignis amore succensus, corpus beati Gregorii, hujus universalis Ecclesiæ præsulis, per quem sancti Spiritus gratia toto orbe terrarum inextinguibile sapientiæ munus induxit, ex loco sepulturæ, quo prius fuerat, tulit & non longe ab eo in alium, noviter constructum, infra ecclesiam beati Petri apostoli summo honore perduxit; ejusque sacrum altare argenteis tabulis undique perornavit, & oratorium suo sancto nomine titulavit: apsidamque ejusdem super aurato musivo depinxit. In quo scilicet oratorio sanctorum corpora, beatorum martyrum Sebastiani, Gorgonii ac Tiburtii, ex cœmeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit: & unumquodque eorum separatis altaribus collocavit: pro quibus denique Pontificatûs sui tempore decrevit, ut monachi, qui ad officium persolvendum in ecclesia beati Petri apostoli sunt constituti, omnibus diebus ibidem laudes omnipotenti Domino canere non desistant. Obtulit autem in eodem oratorio vela majora vel modica serica, decem & octo. Vestes super altare, sub quo sanctissimi Gregorii Papæ corpus quiescit, tres.... Et super unumquodque prædictorum Martyrum vestem de fundato, unam. Imagines denique, desuper deargentatas nec non auro perfusas, tres, habentes vultum Domini, & eorum depictos, quorum specialia ibidem corpora humata, miraculis ac virtutibus pollent. C. 3.

Vestibulum oratorii Gregoriani.

355 *Ante prædictum oratorium* D, *ubi signum* ✠ *notatur, fuit vestibulum ejusdem oratorii, & in medio porta antiqua; qua enim ex oratorio ducit in porticum basilicæ, recentius aperta fuit, ejusque loco prius altare stetit, teste Ciampino. Dicti vestibuli partem meridionalem similiter ornabat olim altare cum apsidula: quæ deinde remota fuerunt ad aperiendam ibi portam, qua descendebatur per aliquot gradus ad vicinam ecclesiam sancti Salvatoris, de* Torrione, *item de* Ossibus, *dictam, de qua postea suo loco.* E

Secretarium novum.

356 *In loco* e *ponit Paulus de Angelis & alii sacellum & altare anonymum, uti & Severanus in ichnographis suis. Hic tamen in suo de Septem ecclesiis tractatu pag. 66 significat, citans Alpharanum, ibi fuisse secretarium, in quo summi Pontifices vestiebantur, operaturi sacris in ecclesia Vaticana: additque, fuisse contiguum muro ultimæ navis meridionalis basilicæ antiquæ; atque inde intrabatur per ostium in ipsam basilicam. Quæ descriptio uti recte convenit huic loco* e, *ita convenire non potest loco* D, *ubi antiquissimum fuisse Secretarium diximus, quod nullo ostio suo transmittebat recta in basilicam, quodque Gregorius IV suo tempore mutavit in sacellum Gregorianum, atque tunc etiam in loco proximo construxerit secretarium novum, de quo agimus. Neque enim conveniebat, diu deesse secretarium, ubi se Pontifex vestiret, quando ad S. Petri celebraturus statis temporibus veniebat: nec scitur alio loco aliud ad illos usus factum fuisse.* F

Sacellum S. Thomæ Ap.

357 *Littera* f *notat sacellum S. Thomæ apostoli, quod Ciampinus ait, a Symmacho PP. extructum fuisse. Si tam antiquum est & illo loco extructum fuit, eò referenda sunt verba Anastasii in Symmacho, videlicet quod apud ecclesiam S. Petri fecit* oratorium S. Thomæ apostoli ex argento, pensans libras ccc, & Confessionem libr. xx, & arcum argenteum libr. xvi. *Ibidem enumerat Ciampinus multarum illustrium personarum, illic tumulatarum, nomina: sed hæc nostri fori non sunt.*

Proximum à Sixto 4 fundatum.

358 g *Sacellum Sixtinum pe. celebre, à nomine fundatoris Sixti PP. IV sic appellatum, dedicatum vero nominibus B. Mariæ semper Virginis, S. Francisci Assisiatis, & S. Antonii Patavini. Horum meminit Sixtus ipse apud Oldoinum, in quodam diplomate suo, Kalendis Januarii* MCCCCLXXIX *scripto, his verbis.* Archidiaconus gerat omnimodam curam capellæ nostræ, quam nuper in præfata basilica S. Petri ab ipsis fundamentis sub invocatione B. Mariæ Virginis, S. Francisci

&

C. J. & S. Antonii de Padua, cum magno ſiquidem ſumptu inſignique opere & ornamentis condecentibus, prout omnibus intuentibus patet, erigi fecimus. *Tranſtulit quoque Sixtus in illud ſacellum è media baſilicæ navi, chorum canonicorum & cantorum, ut jam indicavimus pag* 101 *num.* 93; *ibidemque ſedilia, è ligno fabrefacta, conſtituit triplici gradu, alia aliis altiora, juxta triplicem cleri pſallentis dignitatem. Quæ ſedilia etiam in ichnographia noſtra per circuitum punctis notata ſunt. In meditullio, ubi littera* g; *conſpiciebatur monumentum Sixti elevatum mirifici artificii.*

Tertium Cardinalis Zeni.

359 h *Tabula Severani vocat locum hunc, ſacellum Cardinalis Zeni. Nec plura habet libro ſuo de ſeptem Eccleſiis. Bonannius aliquid amplius addit, indicans loco* h *ſacellum cum altari*, quod Zenus Cardinalis Venetus S. Mariæ in Porticu ædificavit. *Hæreo hîc, nec ſatis capio, quomodo Zenus ædificaverit ibi ſacellum ſub titulo* S. Mariæ in Portic: *quandoquidem imago illa ſub porticu baſilicæ manſit adhuc fere centum annis poſt. Aliquid elucidationis ſuggerit Turrigius in Cryptis Vaticanis pag. mihi* 33, *ſcribens; ibi eſſe imaginem perpulcram B. Mariæ Virginis, cum filio ſuo in ulnis, quæ ſtabat prius inter columnas porticûs baſilicæ antiquæ, quam Gregorius XIII inde tolli mandavit & locari tantiſper in Secretario litterâ noſtrâ* D; *quod & Ciampinus indicat pag.* 83 *de Ædificiis Conſtantinianis. Inde poteſt quidem tranſportata fuiſſe ad ſacellum* h, *ac demum ad cryptas. Sed de tranſlatione ejus ad dictum ſacellum* h, *nulla fit mentio in inſcriptione, quam Paulus V dictæ imagini in cryptis apponi juſſit, quæ ſic habet apud Turrigium pag.* 34: Sanctiſſima Hæc Deiparæ Virginis imago (*quæ* ut antiqua habet traditio, inter columnas porticûs veteris baſilicæ impia manu in facie percuſſa, ſanguinem fudit) ... ex ædicula S. Mariæ de Febribus (*ita vocabatur etiam locus noſter* D, *poſtquam imago S. Mariæ de Febribus ex antiquo ſacello tranſlata eò fuerat*) ad quam ſub Gregorio XIII ex porticu tranſlata fuerat; è ruinis (*quando nempe antica pars baſilicæ & ædicula S. Mariæ de Febribus pariter deſtructa fuerunt*) ſervata, anno MDCVI hîc reponitur Paulo V Pont. Max.

Alia aliorum. C

360 i. k. l. *Severanus locum* i *ſimpliciter vocat* ſacellum Cardinalis Cerdani, *nempe* Antonii, *à Nicolao V creati: locum* k, ſacriſtiam: *locum* l, bibliothecam baſilicæ, ſpatioſam & codicibus vetuſtis, qui deinde in bibliothecam Vaticanam illati fuerunt, probe inſtructam. *Supra ſacriſtiam indicatam, inquit Ciampinus*, erant magnæ aulæ & cubicula pro baſilicæ miniſtris ejuſdemque ſacriſtiæ cuſtodibus. *Illis eò aſcenſus erat per ſcalas, in vicino loculo expreſſas. Qui loculus portam unam habebat in pariete meridionali; & in ſingulis tranſverſariis portas binas, per quas commeabatur è dicta ſacriſtia in bibliothecam & contra. Atque hæc ſatis de Sectione quarta. His nunc ſubjungo Diſſertationem promiſſam de ſitu oratorii Gregoriani.*

B

D

DISSERTATIO
INTERCALARIS QUINTA
De ſitu Secretarii antiqui & ſacelli Gregoriani, S. Gregorio primo à Gregorio IV conſtructi.

Tria S Gregorii ſacella:

TRia invenio ſacella in veteri baſilica Vaticana, *quæ apud illuſtratores ejus vocantur* Gregoriana. *De uno, quod eſt in navi maxime meridionali non procul à frontiſpicio, jam egi ſectione prima ſive* A, *ſub litt.* d *minuſcula. Facit illud Ciampinus (idem ſentiente Severano, Paulo de Angelis, Oldoino, Bonannio & Fontana)* oratorium S. Gregorii Magni, quod ei Gregorius IV, eximius cultor ſanctiſſimi Prædeceſſoris, dicavit; & ſub eodem prædicti ſancti Pontificis corpus.... venerabundus repoſuit, multis per ſacellum altaribus excitatis ad Sanctorum reliquias decore ſervandas, quas è diverſis cœmeteriis cryptiſque huc attulerat. De ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis corporis è porticu in hanc baſilicam tranſlatione, ſic Bibliothecarius in præfati Gregorii IV vita ſcribit. *Hæc Ciampinus, ſubjungens mox Bibliothecarii textum. Sed hunc alio ſpectare, quam Ciampinus aſſerit, ac reſpicere ſacellum ſub littera majuſcula* D, *ad cornu meridionale porticûs extra baſilicam, paulo poſt ex eodem textu monſtrabo. Alterum ſacellum, ſub littera* D *majuſcula, quod paſſim Secretarium appellari diximus, ego* Gregorianum *facio, à Gregorio IV extructum, & reliquiis S. Gregorii Magni aliorumque Sanctorum ditatum. Tertium ſacellum* Gregorianum, *quod huic è regione opponitur, ſitum ad cornu ſeptemtrionale porticûs, & à nobis littera* E *indicatum, ab aliquibus vocatur* Gregorianum de Palatio; in quod, *ait citatus Ciampinus*, corpus S. Gregorii à Gregorio IV tranſlatum fuit. *Quod ſane mirum eſt a Ciampino dici; cum paulo ante dixerit, idem ſacrum corpus ab eodem Pontifice Gregorio IV tranſlatum fuiſſe in ſacellum ſive oratorium* d *Sectionis* A. *Sed de his poſtea nobis redibit ſermo.*

E

F

duplex item Secretarium.

362 *Similiter diſtinguendum exiſtimo duplex* Secretarium, *quod magis proprio nomine* Sacrarium *appellari poteſt, ubi ſacer Pontificis Maximi ornatus ſervabatur, quo ibidem ipſe induebatur cum pontificaliter in baſilica Vaticana facere ad aram aut officia ſolennia obire vellet. Diſtinguendi anſam mihi prabet Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Magni. Agens enim de prima ſancti Pontificis ſepultura lib.* 4 *num.* 68 *juxta noſtram diviſionem, die* XII *Martii, ſic ſcribit:* Hujus venerabile corpus in extrema porticu baſilicæ S. Petri Apoſtoli ante Secretarium, tunc antiquiſſimum, ... ſepultum, tali titulo decoratur. *Et ſubjungit titulum ſeu epitaphium. De ſecunda vero ſancti viri ſepultura ſeu tranſlatione idem Auctor ibidem num.* 80 *ſcribit in hunc modum:* Hujus beatiſſimi Gregorii venerabile corpus à Gregorio IV, Sedis Apoſtolicæ Præſule, poſt annos plurimos, *ſaltem* CCXXIII, tranſlatum, ante novellum Secretarium conſtructis apſidibus, ſicuti modo cernitur, ſub Altari ſui nominis collocatur. *Non otioſe in hiſce textibus diſtinguit Auctor vitæ Secretarium* antiquiſſimum *jam* tunc, *quando Gregorius fuit ante ipſum ſepultus anno* DCIV,

A DCIV, & novellum, *ante quod deinde Gregorius IV* absides construxit, *in quibus sacrum corpus è porticu transferens, sub altari collocavit.*

Prima Gregorii sepultura in porticu.

363 *Sepultus igitur statim post obitum fuit S. Gregorius Papa primus & magnus in* extrema porticu *versus meridiem, ubi ipsam porticum claudebat Secretarium, tunc antiquissimum; quod subsecutis ducentis & amplius annis collapsum fuerit, aut ita male materiatum evaserit, ut aliud vel ante Gregorium IV, vel ab ipsomet extructum sit; quod idem Auctor vitæ, qui sub Pontificatu Joannis Papæ VIII, anno* DCCCLXXII *creati, scribebat,* novellum *indigitat. Quisquis porro hoc novellum extruxerit, manifestum est extructum non fuisse in eodem loco, ubi antiquissimum steterat, quia ibi novum S. Gregorii sacellum seu oratorium excitavit Gregorius IV, quod æque claudebat cornu meridionale porticûs, quam illud antea clauserat Secretarium antiquissimum. Neque tamen longe remotum inde fuit novellum, sed potius contiguum. Quandoquidem apsides in sacello suo Gregoriano construxit Gregorius IV* ante *ipsum* novellum Secretarium, *parieti nempe ejus orientali applicatas, prout videre est in ichnographia, sacello* D, B *quod Gregorianum fuit, & proximo* e, *quod secretarium novellum esse debuit, tum propter testimonium Joannis Diaconi jam allatum, tum etiam propter auctoritatem Joannis Severani, qui postquam descripsit sacellum Gregorianum, de quo modo; sic progreditur, citato in margine Alpharano, cap. 9.*

Situs secretarii novi,

364 Adhærebat huic sacello aliud, quod vocabatur Secretarium, *utique novellum*; & erat conjunctum muro ultimæ navis basilicæ; in quam inde intrabant Pontifices induti pontificaliter ad operandum sacris. *Quod sane multo decentius fiebat ex hoc novello, quam ex antiquissimo olim secretario: ex quo ingredi basilicam non poterant Pontifices, nisi antea per partem porticûs transissent. Adde, sacellum illud* e, *de industria factum videri ad usum secretarii sive sacrarii: habet enim amplum in medio spatium, ubi sacræ vestes explicari commode, & ministri discurrere possent libere: habet altare unicum in tribuna, ante quod vestiretur Pontifex: habet utrimque conclavia, ubi apte reponi & decore servari posset supellex sacra. Hæc autem conclavia, cum careant aris, ac monumentis sepulcralibus, vix cogitabis quem alium habuerint usum: præterquam quod in toto illo ædificio nullus locus inveniatur ulli Sancto consecratus fuisse.*

C

& distinctio locorum.

365 *Atque hæc de secretario novello. Nunc amplius probandum est, successisse in locum Secretarii antiquissimi sacellum Gregorianum* D, *eoque translatas à Gregorio IV fuisse sacras exuvias Gregorii Magni & aliorum Sanctorum, quos adnumerat Anastasius. Constat ex Joanne Diacono & supra dictis, sepulturam primitus suam habuisse Gregorium Magnum in extrema porticu basilicæ ante Secretarium antiquissimum in loco* D, *cujus ostium principale emittebat in vestibulum ipsius oratorii versus orientem, ubi signum* ✠ *notatur. Aperta deinde etiam fuit porta alia versus aquilonem, per quam transibatur in porticum & mox sinistrorsum in basilicam. Constat præterea, supra illud oratorium Gregorianum, occidentem versus exitisse deinde secretarium novellum in loco* e, *contiguum basilicæ muro & per ostium in illam emittens. Constat tertio, ante novellum isthoc secretarium, in eodem videlicet loco* D, *ubi antiquissimum steterat secretarium, ædificasse sacellum suum Gregorianum, Gregorium IV, quod claudebat porticum ex illa parte, & prope aberat à sepulcro primo Gregorii Magni.*

C. J. *Descriptio Sacelli Gregoriani*

366 *De hujus ejusdem sacelli situ scribit Anastasius in Gregorio IV ejus conditore, quod ipse corpus S. Gregorii Magni decessoris sui* ex loco, quo prius fuerat sepultum, tulit; & non longe ab eo in alium noviter constructum infra ecclesiam B. Petri Apostoli summo honore perduxit, ejusque sacrum altare argenteis tabulis undique perornavit & oratorium suo sancto nomine titulavit, absidamque ejusdem super aurato musivo depinxit: in quo scilicet oratorio sanctissima corpora beatorum martyrum Sebastiani, Gorgonii, ac Tiburtii ex cœmeteriis, in quibus ante jacebant, perduxit & unumquodque illorum separatis altaribus collocavit.

ejusque explicatio,

367 *Ex hisce Anastasii verbis habemus primo, quod sacellum, de quo agimus Gregorianum, constructum fuerit* infra ecclesiam *S. Petri, non* intra, *uti est illud quod plerique pro Gregoriano sumpserunt, situm in navi basilicæ meridionali, cui deinde Pius Papa II, caput S. Andreæ apostoli imposuit conservandum. Frontispicium autem, uti inferior pars est ecclesiæ, respectu tribunæ atque aræ principis, ita quidquid extra frontispicium jacet, infra ecclesiam esse merito dicitur. Scio, Anastasium voce* infra *aliquando uti pro* intra; *sed hic in propria significatione sumi posse ac debere suadebunt etiam sequentia. Habemus igitur secundò, in sacello Gregoriano Gregorii IV (quod etiam Joannes Diaconus testatur) fuisse apsidem; quod & in ichnographia in sacello* D *ipsis oculis intueri licet: in sacello autem* d *intra basilicam ne quidem locum apsidi inveneris, utpote quod per modum cyborii elevatum, quatuor columnis sustentatur. Habemus tertio, plura sacellum Gregorianum ornasse altaria; ac tria sanctorum martyrum corpora, præter sacras Gregorii Magni exuvias, in illud illata & unumquodque separatis altaribus collocata fuisse: quod sacello nostro* D *recte quadrat: sacello autem* d *intra basilicam, quod unicum dumtaxat habet altare in medio quatuor columnarum, quadrare non potest.*

E

etiam ex Severano.

368. *Consonat hisce dictis nostris, tametsi in ichnographia sua aliter locutus, Severanus pag.* 65 *sub titulo,* Capella S. Mariæ à Febribus, *ita scribens:* In fine porticûs meridiem versus visebatur oratorium sive sacellum, à Gregorio IV, qui floruit sub annum Domini DCCCXXVII, exædificatum, cum tribuna seu apside ex opere musaico; ad cujus aram principem, argento coopertam, transtulit corpus S. Gregorii Magni; & sub tribus aliis in eodem sacello recondidit corpora sanctorum Sebastiani, Gorgonii atque Tiburtii. *Et prosequitur:* Appellatum tandem ultimis temporibus & usque ad nostram ætatem sacellum istud fuit, S. Mariæ à Febribus; propterea quod devotissima quædam imago Virginis, per quam Deus febricitantibus multas impertiebatur gratias, eò fuerit transportata ex alio ejusdem nominis sacello, quod præcipue frequentabatur in ipsius templo rotundo, ubi nunc est sacrarium basilicæ *novæ. In fine porticûs, inquit, versus meridiem fuit Oratorium, quod Gregorius IV extruxit, atque in illud intulit corpora Gregorii Magni, sanctorum item Sebastiani, Gorgonii ac Tiburtii: ultimisque tandem temporibus appellatum fuisse,* S. Mariæ de Febribus. *Quæ omnia plane notant oratorium* D.

F

Gregorius 4 non fecit sacellum suum in basilica

369 *Ex dictis patere potest Auctorum supra citatorum error, unanimiter asserentium, Gregorium IV ædificasse sacellum* d, *quod est in meridionali navi intra basilicam, eóque intulisse corpus S. Gregorii Magni. Fortasse secuti sunt, ut alii alios, sic*

C. J. *omnes Onuphrium Panvinium, qui libro de ſeptem Eccleſiis cap.* 4 *pag.* 44, *ante omnes illos ſic ſcripſerat:* In eccleſiæ fine, ubi ſedent Pœnitentiarii, eſt oratorium & altare ſanctorum Andreæ & Gregorii, à Gregorio IV factum, ſub quo jacet corpus ejuſdem ſancti Doctoris. In cyborio verò, quod eſt ſupra altare, extat caput S. Andreæ Apoſtoli, à Pio II locatum. *Ciacconius eidem altari, ſub quo corpus à Gregorio IV collocatum fuiſſe etiam ipſe aſſerit, ſolius* Andreæ apoſtoli *nomen tribuit. Idem facit Ferrarius in Sanctis Italiæ, atque ejuſmodi tranſlationem ait, per traditionem haberi.*

quamvis corpus S. Gregorii Magni eò tranſlatum ſit, ſed diu pòſt.

370 *Nolim ego quidem negare, S. Gregorii Magni corpus aliquando ad prædictum S. Andreæ apoſtoli ſeu oratorium ſeu altare, tranſlatum; aut altare ipſum etiam Gregorii nomine appellatum exinde fuiſſe: ſed nego, propter argumenta ex vetuſtis Auctoribus eruta & paulo ante allata; tranſportatum eò corpus fuiſſe à Gregorio IV, aut è prima ejus ſepultura. Qui autem iſta affirmant, ſcripſere omnes centum aut ducentis poſt annis, quam ſub altari*

B *S. Andreæ corpus Gregorii Magni depoſitum fuerat: quando & memoria ſacelli Gregoriani* D, *& tranſlationis in illud factæ à Gregorio IV obſoleverat, tum quia corpus inde extractum, nomen quoque ſuum ſecum attulit ad oratorium S. Andreæ; tum quia celeberrima imago S. Mariæ, à Febribus dictæ, in ſacellum Gregorianum* D *aliunde illata, quod ibi reliquum erat nominis Gregoriani, celebritate ſua ac novi nominis fama penitus extinxit. Atque ita ſcriptores illi, non diſtinguentes tempora, multa confuderunt.*

Aberrantes ſcriptores

371 *Fuere tamen inter illos quibus aliquid veritatis, à nobis aſſertæ, veluti per rimam affulſit, dum agnoſcunt ſacellum* D *aliquando Gregorii fuiſſe; ſed propter clariorem lucem, quæ monſtrabat, S. Gregorii corpus ſuo tempore & multis ante annis, ſub altari S. Andreæ quieviſſe, crediderunt illud ex primo tumulo, quem aperuiſſe Gregorium IV conſtabat, ab eodem huc tranſlatum fuiſſe. Inter illos numero Onuphrium Panvinium, qui poſteaquam pag.* 44 *ſcripſerat, ut vidimus, altare ſanctorum Andreæ & Gregorii à Gregorio IV factum, & Gregorii Magni corpus ſub illo conditum eſſe; agnoſcit pag.*

C 47, ſecretarium vetus, olim S. Gregorii *fuiſſe oratorium & ſuo tempore* ſanctæ Mariæ de Febre imperite dici: *confirmatque hoc dicto ſuo egregie ſententiam noſtram docentium, S. Gregorii ſacellum eodem in loco ſurrexiſſe, ubi fuerat ſecretarium vetus.*

confirmant ſententiam noſtram,

372 *Agnovit id ipſum clarius, & eamdem ſententiam noſtram firmius roboravit Joannes Severanus, num.* 367 *allegatus; quamvis in tabulæ ſuæ ichnographica ad ſacellum* D, *nullam Gregorii mentionem faciat, ſed tantum faciat ad ſacellum* d, *quod ibi ſanctorum Andreæ & Gregorii nominat. Innuit tamen iterum in contextu libri ſui ſatis manifeſte, huic ſacello ſive altari nomen Gregorii, tranſlato illuc corpore, dumtaxat adhæſiſſe à temporibus Pii II anno* MCCCCLVIII *creati Pontificis; antea verò ejuſdem corpus alio in loco quieviſſe, dum ſcribit pag.* 98, *quod* ingredienti baſilicam veterem per portam judicii, à ſiniſtra in fine navis ultimæ vilebatur facellum S. Gregorii, tranſlatum unà cum corpore ejuſdem, à Pio II ex loco, ubi pridem jacebat in porticu (*intelligo oratorium porticui confine*) ad altare ab ipſo Pio erectum cum cyborio, in quo reponeretur caput S. Andreæ Apoſtoli, è Græcia allatum. *Additque porro Severanus*, voluiſſe Pium, non abſque myſterio; ut corpus ſancti Pontificis Gregorii collocaretur in illo altari, ſupra quod reponeretur caput S. Andreæ: Gregorius quippe, ſummus cultor Andreæ fuerat, quemadmodum ipſe demonſtravit, cum ei paternas ædes in monte Cœlio, dedicavit eccleſiam ac monaſterium. D

373 *Faciunt huc etiam quæ pag.* 135 *narrat idem Auctor, fuiſſe denuo tranſlatum corpus S. Gregorii anno* MDCVI *die* VIII *Januarii (uti ipſe videre potuit) à Paulo V in ſacellum, quod eſt è regione Gregoriani, à Gregorio XIII in nova baſilica magnifice conſtructi,* extractum ex altari S. Andreæ, ad quod in ſecunda tranſlatione fuerat portatum à Pio II. *Habemus igitur hîc tranſlationem corporis S. Gregorii tertiam, à Paulo V factam: habemus ſecundam, quam fecit Pius II ad altare* d. *Ubi tandem inveniemus primam, præter illam, quam teſtatur Anaſtaſius factam à Gregorio IV è prima ſepultura in porticu, ad ſacellum* D, *quod ipſe ejuſdem S. Gregorii* nomine titulavit, *nondum extante & ſeculis ſex integris poſt non extituro ſacello* d *ſanctorum Andreæ & Gregorii, utpote à Pio II ædificato. Recentiores omnes, qui ſcripſere poſt ſecundam tranſlationem, quam inſtituit Pius II, de prima illa nihil pene meminerunt, præter Severanum, aut ſi quid ejus meminerint, confundunt tranſlationem à Gregorio IV factam ad ſacellum* D, *cum ſacello quod tunc nondum erat.* E

dum alibi alia narrant,

ac fatentur altare unius adhuc nuper fuiſſe in priſtino loco.

374 *Addo quod iidem, aut ſaltem aliqui eorum, agnoſcant ex Anaſtaſio, Gregorium IV non tantum S. Gregorii Magni, ſed ſanctorum quoque Sebaſtiani, Gorgonii ac Tiburtii corpora tranſtuliſſe ad novum ſacellum ſuum Gregorianum, ſingulaque ſub ſingulis ibi altaribus depoſuiſſe. Nullus autem illorum, qui opinantur, corpus Gregorii Magni à Gregorio IV tranſlatum fuiſſe ad ſacellum Gregorianum* d *intra baſilicam, agnoſcit eòdem fuiſſe tranſlata corpora ſanctorum Sebaſtiani, Gorgonii aut Tiburtii; vel ibi umquam extitiſſe: agnoſcunt vero aliqui ac ſcribunt, altare S. Sebaſtiani ultimis temporibus ſub tali nomine adhuc fuiſſe in ſacello Gregoriano* D, *& alia ibidem fuiſſe abſque noto tunc nomine: inter quæ credibile eſt, olim fuiſſe duo, à SS. Gorgonio & Tiburtio denominata, quorum corpora, ait Anaſtaſius, unà cum corporibus SS. Sebaſtiani & Gregorii Magni fuiſſe illata in ſacellum Gregorianum, ibique ſub ſuo quodque altari depoſita quieviſſe. Hinc concludas licet, etiam ſecundum prædictos ſcriptores, omnium illorum Sanctorum corpora à Gregorio IV fuiſſe depoſita in ſacello* D, *non in ſacello* d *intra baſilicam. Et quomodo hîc deponi potuiſſent ſub ſingulis altaribus, ubi non niſi unum altare umquam fuit. Ut non dicam, hoc altare ejuſque ſacellum tempore Gregorii IV non extitiſſe, certe id probari non poſſe.* F

Oſtenditur error Ugonii

375 *Nam Ugonii, Sectione* A *litt.* d *citati, auctoritas hîc amplius non obtinet, quam citatorum ſcriptorum; cum deprehendatur in eodem errore cum illis fuiſſe, putans altare* d, *quod ſuo tempore audiebat* S. Gregorii, *à Gregorio IV excitatum fuiſſe, atque etiam in illud ab eodem translata fuiſſe corpora tam Sebaſtiani, Chromatii atque Tiburtii, quam Gregorii Magni. Putavit, ſacellum* d, *quod ipſe appellat* S. Andreæ, *à capite ejus, quod illic à Pio II magna cum celebritate depoſitum fuit; atque etiam appellari audiebat* S. Gregorii; *à Gregorio IV fuiſſe conſecratum: quia ſacellum* S. Gregorii *litt.* D, *tunc nomen ſuum perdiderat mutaveratque in* S. Mariæ à Febribus. *Errorem Ugonii deprehendes ex ipſiuſmet verbis, quæ ſequuntur.* Pius Papa II altare, *quod*

à

A *à Gregorio IV consecratum fuisse dixerat*, restauravit, impositò tabernaculo marmoreo, in quo collocavit caput S. Andreæ Apostoli allatum ex Peloponneso. Hæc erat antiquum Secretarium ecclesiæ S. Petri, in quo Papa sacro indui ornatu solebat ad peragendum officia Divina, atque inde cum solenni pompa procedere ad altare sanctorum Apostolorum. Hic, *inquit, ubi positum à Pio II fuit caput S. Andreæ*, erat antiquum secretarium. *Certissimum verò est, ibi numquam fuisse secretarium illud, sed fuisse ad cornu porticus in litt.* D, *in eoque ædificatum fuisse à Gregorio IV oratorium sive sacellum Gregorianum, & in illud translata quatuor Sanctorum sæpe dictorum corpora; non vero in sacellum* d. *Ecce error Ugonii & aliorum, sufficienter detectus.*

nec fuit corpus S. Gregorii in sacello de Palatio.

376 *De tertio sacello Gregoriano, quod ad cornu septemtrionale porticûs notatur Sectione quinta litt.* E, *mox dicemus. Sunt, qui illuc translatum fuisse à Gregorio IV corpus S. Gregorii Magni dicunt. Sed non sunt convenientia testimonia eorum inter se, nec consona veritati. Bonannius, qui cum aliis sacellum illud E, vocat* S. Gregorii de Palatio, *ait*, illuc translatum fuisse corpus S. Gregorii. *Idem ante ipsum scripserat Ciampinus, addiderat tamen, illud translatum fuisse* à Gregorio IV; *quod recte prætermisit Bonannius, memor se æque ac Ciampinum alibi scribere, prædicti Gregorii Magni oratorium à Gregorio IV, intra ecclesiam, in navi ejus meridionali prope frontispicium, nobis litt.* d, *fuisse constructum, ipsiusque corpus ab eodem Pontifice illic fuisse conditum; quamquam & in hoc uterque erraverit.*

B

SECTIO V SIVE E

Inspicit ædificia, quæ muro basilicæ septemtrionali proxima sunt.

Sacella, muro septemtrionali proxima.

P *Auca in hac Sectione reperio, quæ certa fide propagare possim. Ædificia omnia non fuerunt, uti in parte meridionali Sectione* D, *contigua basilicæ; sed ambulatione intermediâ disjungebantur à muro septemtrionali: sic tamen ut observentur fuisse singulæ portæ in dicto muro, quæ transmittebant ad portas dictorum ædificiorum. De his vix quidquam notat Paulus de Angelis. Severanus & reliqui ichnographi habent non multa. Videntur vetustiora fuisse ædificia illa, & memoriam sui propemodum perdidisse, quando Alpharanus in destructione basilicæ Constantinianæ ichnographiam suam descripsit, & aliquatenus explicuit. Illum fere secuti sunt posteriores ichnographi omnes, & pauci supra doctorem videntur sapere voluisse aut potuisse.*

C

S. Gregorii de Palatio,

378 *Littera nostra* E *Ciampinus ponit* oratorium S. Gregorii de Palatio appellatum: *additque in illud corpus ejusdem* S. Gregorii (*intelligo*, Magni) à Gregorio IV translatum fuisse. *Quod ultimum jam diximus à vero abesse. Consentit illi in prima parte Bonannius, sed abstinet dicere*, à Gregorio IV *illuc translatum fuisse. Severanus in ichnographia vocat locum*, ecclesiam sive sacellum antiquum S. Gregorii. *Paulus de Angelis nullum ei nomen adscribit. Nec ullus illorum quidquam de origine aut fundatore aut rebus eò spectantibus prodit. Atque ita omnia relinquuntur in obscuro.*

S. Vincentii:

379 f. *Nihilo amplius hîc notat Paulus de Angelis quam supra; quod mirum est, si sacellum istud aut potius ecclesia, tam celebris fuit, atque alii scribunt, ac nominatum nota. Severanus vocat* ec-

clesiam S. Vincentii; *& libro de septem Ecclesiis pag.* 67 *citans Alpharanum, ita scribit:* Supra capellam S. Gregorii, *de qua diximus modo*, erat ecclesia & monasterium S. Vincentii, dictum Hierusalem; & in illa ecclesia fuerunt canonici cum archipresbytero (non tamen cardinali) usque ad tempus Nicolai V, qui cum extinxisset collegiatam hanc, applicuit redditus ejus basilicæ S Petri. Habuit ecclesia ista tres naves cum octodecim columnis pretiosis, longis palmos viginti. *Grimaldus, à Floravante pag.* 353, *ubi de oratorio sanctæ Crucis* ad Fontem S. Petri *agitur, citatus, sic loquitur:* Erat ad septemtrionem *basilicæ ecclesia*, quæ sub Alexandro III dicebatur S. Vincentius. Ista ecclesia anno 1611 (*error hic est in cyfris, forte* 1561, *uti habet Ciampinus*) excisa novi gratiâ templi, ad cellæ vinariæ usum jam dudum traducta, cæcatis vetustate picturis, ornatas tres naves fornicatas, licet angustas, habebat; ostium ad ortum solis, ex quibus decem & octo columnæ integræ marmoris glareati, viginti fere palmorum, receptæ fuerunt. C. J.

E

an ibi prope fuerit monasterium Hierusalem.

380 *Ex dictis satis credibile mihi est, ecclesiam istam*, S. Vincentii *appellatam fuisse; non item, ibi fuisse monasterium*, Hierusalem *dictum. Invenio quidem apud Anastasium in Leone III & Leone IV*, monasterium, & venerabile monasterium Hierusalem, quod juxta ecclesiam B. Petri Apostoli ponitur. *Verum ubi locorum juxta ecclesiam B. Petri illud extiterit, nullus indicat: & mihi causa suspicandi relinquitur, non extitisse ad ecclesiam S. Vincentii prædictam. Nam Floravantes, citato jam libro, agens de oratorio sanctæ Crucis* ad Fontem S Petri, *ait, illud, altare seu capellam fuisse, citatque Bibliothecarium in Symmacho; ubi sic lego: Fecit* ad Fontem in basilica B. Petri Apostoli oratorium sanctæ Crucis. *Hactenus recte.* At (*prosequitur Floravantes*) *Bibliothecarius* in Leone III & IV vocat oratorium & monasterium Hierusalem, juxta ecclesiam S. Petri. *Nescio quî hinc inferam, monasterium* Hierusalem *situm fuisse ad ecclesiam* S. Vincentii. *Scribit Bibliothecarius in Symmacho, ædificasse illum oratorium sanctæ Crucis ad Fontem in basilica, quod & nos supra ostendimus, ita esse, pag.* 104 *n.* 190. *At idem Bibliothecarius in Leone III & IV, vocat oratorium & monasterium* Hierusalem. *Quid? Non utique oratorium sanctæ Crucis, quod fuit intra ecclesiam: monasterium vero* Hierusalem, *erat extrà*, juxta ecclesiam S. Petri. *Nequit igitur ex Floravante aut citatis Anastasii textibus determinari locus, ubi monasterium Hierusalem juxta ecclesiam S. Petri extiterit, an ad S. Vincentii, an alibi. Quod aliis ulterius discutiendum relinquo, properans ad alia.*

F

Sacella anonyma.

381 g. h. *Etiam hîc, & ceteris hujusce Sectionis quintæ sacellis nulla antiquorum Patronorum nomina apponit in tabula sua Paulus de Angelis. Severanus locum* g, *vocat* ecclesiam antiquam, cujus nomen ignoratur: *& locum* h, ecclesiam S. Ambrosii. *De hac observat Ciampinus, in demolitione ejus multa Christianorum corpora fuisse reperta, quæ ante pectus habebant capsulas, ex una parte monogrammate nominis Christi, ex altera columbarum effigiebus insignitas.*

382. i. k. *Severanus loco* i, *fuisse ait* ecclesiam antiquam, ubi nunc est sacellum Gregorianum. *Nempe, quod a Gregorio XIII in novâ basilica illo loco ædificatum fuit splendideque ornatum, ac translato illuc S. Gregorii Nazianzeni corpore, ve-*

C. J. *nerabilius redditum. De ſacello* k, *& aliis minoribus ejuſdem Sectionis, in tabula noſtra ſignatis, apud ichnographos ne verbum quidem invenire eſt.*

SECTIO VI SIVE F

Perluſtrat duo ædificia rotunda, ad latus meridionale baſilicæ veteris depicta.

Duo ædificia rotunda,

Perluſtratis, quæ proxima baſilicæ ad utrumque latus ſunt, oratoriis & ſacellis, in Sectione D & E; *aggredior alia ex parte meridionali, paulo remotiora prædictæ à baſilica, quacum tamen communicant per ambulationem & portam, quæ eſt in extrema navi baſilicæ tranſverſa, ad meridiem. Ingrediamur per illam: offerent ſe continuo ædificia duo, antiqua, magnifica, orbiculata; quorum unum in ædificatione novæ baſilicæ, quia juſtam extenſionem navis tranſverſæ impediebat, demolitum fuit, alterum hodiedum perſiſtit ad ipſum murum lateralem baſilicæ, eſtque pro ſacrario, ubi ſupellex eccleſiaſtica ſervatur, & ſacri miniſtri ad celebrandum miſſæ ſacrificium induuntur. Inveterata opinio eſt ſcriptorum, duo iſthæc ædificia gentilium Romanorum opus fuiſſe, & alterum quidem Apollinis, alterum vero Martis fuiſſe delubra.*

B

an fuerint deorum fana.

384 *Mirabar olim opinionem talem; conſiderans, iſtic loci fuiſſe circum Neronis, qui ſi in plano intra muros ſuos, ubi erant ſpectatorum ſedilia, tam grandia admiſiſſet ædificia, utique uſum ſui perdidiſſet, impeditis per illa, equorum & quadrigarum curſibus altiſque ſpectaculis, ad delectationem circumſedentis populi ſolitis exhiberi. Nunc autem, viſa Equitis Fontanæ nupera delineatione accuratiſſima, quæ tum circi ipſius, tum baſilicæ veteris, tum etiam novæ, ichnographias, una in tabula ſuis terminis inter ſe diſtinctas, exhibet; lectis quoque argumentis ejus, quibus probat delubra Apollinis & Martis illic non ſtetiſſe, ſed alibi; plane deſino mirari opinionem antiquiorum ſcriptorum, ſed reprobo, & in ſententiam Fontanæ concedo. Hinc jam conſtabit etiam, duo ædificia, de quibus ſermo eſt, cum à gentilibus fundata non fuerint, à Chriſtianis, & veroſimiliter Pontificibus, baſilicæ Conſtantinianæ adjuncta fuiſſe.*

C

Sacellum S. Andreæ Ap.

285 *Ingrediamur modo è navi tranſverſa per portam, in medio ejus muro meridionali apertam; & intrabimus in locum oblongum* F, *quod proximi capacioris ædificii veſtibulum videri poſſit. Fuit autem ſacellum (imo baſilicam paſſim vocat Anaſtaſius; ut debuerit amplior fuiſſe locus, quam in ichnographia repræſentatur) S. Andreæ apoſtoli. De quo in Symmacho Bibliothecarius:* Hic fecit baſilicam S. Andreæ apoſtoli apud B. Petrum apoſtolum. *Symmachus igitur fundator. Alii deinde Pontifices multi leguntur apud eumdem Anaſtaſium, illam divitibus donis ornaſſe, nempe Honorius, pag.* 46. *Joannes VI, p.* 63. *Gregorius III, p.* 73. *Adrianus, p* 109. *Leo III, p.* 122, 128, 132, 141, *&* 143. *Omitto alios. Certe intelligendi ſunt omnes de hoc eodem, ſive ſacello ſive baſilica, locuti eſſe, uti colligitur ex locis citatis, dum ſitus indicatur;* apud B Petrum: infra eccleſiam B Petri: ad S. Petrum: eccleſia B. Andreæ, ſita juxtâ B. Petri eccleſiam. *Leo III, p.* 141, gradus, per quos ingreſſus eſt in eccleſiam B. Petri apoſtoli à S. Andrea apoſtolo, qui vetuſtate conſumpti erant, à novo refecit. *Facti primùm fuerant in ædificatione loci à Symmacho pro* aſcendentibus ad B. Andream.

D

386 *Dona quoque, ibi oblata, & opera à variis Pontificibus facta, manifeſte declarant & venerationem loci & amplitudinem: inter illa leguntur apud Anaſtaſium,* cyborium ex argento & confeſſio, *librarum* CXX, *à Symmacho.* Tabulæ ex argento ante confeſſionem, *libr.* LXXIII, *ab Honorio.* Ambo, *à Joanne VI.* Tectum & camera depicta *à Gregorio III*; qui & fecit in eadem baſilica imaginem auream in gemmis B. Andreæ apoſtoli, librarum VIII, & intra confeſſionem veſtivit argento, quod deauravit auro puriſſimo. *Item* cyborium ex argento mundiſſimo *librarum* CXXXV, *ab Adriano.* Rugæ argenteæ, *libr.* LXXX, *à Leone III.* Veſtis chryſoclava cum margaritis, ſed & presbyterium ex marmoribus ſculptis, *ab eodem.* Regnum ex auro puriſſimo cum gemmis pretioſis ornatum, *libr. duarum & unciarum quinque. Item* veſtis alba holoſerica roſata cum tabula de chryſoclavo, habens hiſtoriam dominicæ reſurrectionis & in circuitu liſtam de chryſoclavo, *ab eodem Leone.* Vela majora de fundato duo, & alia minora quinque, ornata in circuitu de blattin, *à Leone IV. Addo locum unum ex pag.* 194, *qui & confirmabit ſitum eccleſiæ.* Fecit *idem Leo IV* in oratorio B. Andreæ apoſtoli, quod S. Petri cohæret eccleſiæ, veſtem ſericam unam, habentem hiſtoriam aquilarum, & in medio tabulam cum chryſoclavo, in qua depictæ Chriſti & diſcipulorum ejus dextra lævaque imagines fulgent, & ipſius almifici Præſulis.

E

eique oblata dona

cum altari in medio.

387 *In medio loci inter duas portas, ubi* F *ſignatur, ſurgebat altare S. Andreæ ſub cyborio argenteo, à quatuor columnis ſuſtentato, & habebat confeſſionem ſuam. Et Manlius noſter pag.* 41 *litt.* a, *ſic ſcribit:* In illo altari S. Andreæ beatus Gregorius Papa (ut à majoribus noſtris accepimus) recondidit brachium S. Andreæ apoſtoli & B. Lucæ euangeliſtæ; quæ cum magna devotione detulit Conſtantinopoli. *Utrimque in ultimo receſſu apſis erat cum ſingulis altaribus, quorum* g *titulum habebat, teſte Severano,* S. Michaëlis archangeli, *dicebaturque vulgo* ſancti Angeli in Vaticano. *Cur* in Vaticano *dictum ſit, colligi poteſt ex Manlio, quem vide pag. jam indicata.* Fuit *autem, ut idem Severanus ait,* ornatum muſivo opere, fornice deaurato & multæ venerationis. *Oppoſitum altare* h *ultimis temporibus anonymum pleriſque eſt; Ciampinus ſcribit,* S. Urſulæ & ſociabus dedicatum *fuiſſe; additque cum Severano, eccleſiam iſtam* in longitudine habuiſſe palmos LXXVIII, juxta tranſverſæ navis baſilicæ latitudinem. *Fuit quoque celebratum Romæ concilium à Bonifacio PP. II,* in conſiſtorio B. Andreæ Apoſtoli. *Erat autem, uti Holſtenius notat,* Conſiſtorium S Andreæ ad S. Petrum in Vaticano; *atque adeo hæc noſtra S. Andreæ eccleſia. Unde etiam magis capacitas ejus dignoſci poteſt.*

F

Eccleſia S. Petronillæ,

388 *Tranſeo hinc per aliam portam meridionalem in eccleſiam, à* S. Petronilla *denominatam. Forma ejus rotunda, adinſtar antiqui Panthei Romani. Qua de cauſa fortaſſis etiam putatum fuit, ædificium illud à Roma gentili conſtructum fuiſſe. Quod à vero abeſſe, ſupra diximus. Faciunt Severanus & Ciampinus ex Alpharano & Baronio, eccleſiæ fundatorem S. Paulum PP. I; & appellant teſtem Anaſtaſium Bibliothecarium, in quo ſic lego: Paulus* infra eccleſiam B. Petri apoſtoli foris muros

A muros hujus civitatis Romanæ, noviter oraculum in honorem ſanctæ Dei Genitricis conſtruxit juxta oratorium S. Leonis Papæ, ſecus fores introitûs S. Petronillæ atque B. Andreæ apoſtoli; muſivo & diverſis metallis illud adornans: ubi & effigiem ſanctæ Dei Genitricis in ſtatua ex argento deaurato, quæ penſat libras centum, conſtituit. In quo oraculo & ſepulturam ſibi conſtruxit. *Ex his ego quidem manifeſte cognoſco, Paulum noviter conſtruxiſſe* oraculum *ſeu oratorium*, infra *ſive intra eccleſiam B. Petri apoſtoli Vaticanam, quæ tunc erat extra muros civitatis Romanæ, in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ: idque etiam aſſeruimus Sect.* C *litt.* i. *At cognoſcere non valeo, quî indidem probetur, Paulum* conſtruxiſſe eccleſiam S. Petronillæ. *Mihi plane apparet ex ipſis Anaſtaſii terminis, illam prius extitiſſe quam Paulus ſuam ſanctæ Dei Genitricis conſtruxit. Ait enim conſtructam eſſe* juxta oratorium S. Leonis Papæ *ex una parte*; *&* ſecus, *ſeu juxta*, fores introitûs S. Petronillæ atque B. Andreæ apoſtoli *ex alia parte: ſicque manifeſte docet, tria iſthæc oratoria prius extitiſſe. Quod uti de Leoniano atque Andreano aliunde conſtat, ita de Petronilliano, vel ex citato textu, tenendum eſt. Quis porro hoc conſtruxerit, ignorare malo, quam operoſe in tenebris indagare. Viſitemus ejus altaria.*

B

ejuſque ſacella.

389 *Jam diximus, formam eſſe rotundam. Intus octo habet interiores receſſus in ipſis muris, quorum duo tranſitum pandunt, alter ad eccleſiam S. Andreæ, de qua egimus; alter ad eccleſiam S. Mariæ de Febribus. Sex reliqui fuere ſacella, ſuis altaribus inſtructa. Qualia autem hæc fuerint & quibus ſacra, indagandum eſt. Severanus quidem in ſua ichnographia nullum hîc ſacellum aut altare nominatim exprimit. Exprimit Paulus de Angelis;* & *ſacellum* i, *vocat* Salvatoris, dictum de Abundantia; *ac eſſe* Thomæ de Urſinis Cardinalis & Neapolionis comitis Manopelli. *Sacellum* k, B. Mariæ Annuntiatæ, quod Mariæ de Comitibus ſit. l. *abſque nomine, ubi* multorum nobilium ſepultura. m. Olim ſacellum S. Petronillæ virginis, filiæ S. Petri, à Ludovico rege Francorum dotatum; ubi erant ſepultæ Agnes, Henrici ſecundi; & Maria Thermantia, Honorii, imperatorum uxores. n. Sacellum anonymum, ubi oſſa, è diverſis ſepulcris eruta, congeſta ſunt. o. Item anonymum, ubi item congeſta ſunt oſſa veterum ſepulcrorum. *Ita Paulus de Angelis.*

C

Altare & corpus S. Chryſoſtomi.

390 *Tranſeunti è templo S. Petronillæ ad S. Mariæ de Febribus, occurrit in media iſta ambulatione altare* p, *quod S. Joanni Chryſoſtomo ſacrum fuit. Habuit columnas porphyreticas, & ſupra illas extenſum ciborium marmoreum: ſubter altare vero corpus ipſius ſancti Doctoris; quod deinde tranſlatum fuit ad vicinam eccleſiam S. Mariæ de Febribus, & repoſitum ſub altari SS. Lamberti atque Servatii: iterumque juſſu Urbani VIII, ad chorum novum canonicorum, ac ſub altari Pietatis reconditum; uti narrat ſæpe citatus Severanus. Ex utraque parte ambulationis prædictæ & altaris S. Chryſoſtomi habitacula ſua habebant ſaltem poſtremis temporibus moniales, quæ vulgo dicebantur* le Murate di S. Pietro; *inde demum tranſlatæ ac diſperſæ per alia Urbis monaſteria.*

Eccleſia S. Mariæ de Febribus,

391 *Ingredimur tandem templum S. Mariæ de Febribus, ſimilis formæ atque eſt S. Petronillæ; ſtatque hodiedum ad novam baſilicam & ſacrarii uſum habet. Fuit ibi imago ejuſdem Virginis, miraculorum gloria & fama celebris, vota ſupplicum febricitantium ſingulariter exaudientis; unde & imagini & oratorio apud vulgus nomen adhæſit* S. Mariæ de Febribus. *Fuit imago illa ſub tempus, quo demolienda erat pars baſilicæ poſterior, inde tranſlata ad oratorium S. Gregorii Magni, de quo in Diſſertatione nupera egimus; eique nomen ſuum contulit apud vulgus, atque inde etiam apud ſcriptores recentiores; adeo ut vetus nomen* S. Gregorii *paulatim abierit in oblivionem.* C. J.

cum ſuis altaribus

392 *Sacella, quæ in circuitu loci fuerunt, etiam hîc non indicat nominatim Severanus: recenſet vero Paulus de Angelis, hiſce verbis.* q. Sacellum anonymum, ubi eſt ſepultus Oddo Januenſis, epiſcopus Interamnenſis. r. Sacellum ſanctorum Lamberti & Servatii, à Georgio de Cæſarinis canonico; ad quod fuit tranſlatum corpus S. Joannis Chryſoſtomi: & eſt ſepulcrum omnium canonicorum Baſilicæ. ſ. Sacellum anonymum, ubi conſervantur, ſedes ſive cathedra S. Petri & culcitra ſive ſtragulum ſanctorum martyrum. t. Sacellum & ſepulcrum Calliſti III & Alexandri VI, & quorumdam Cardinalium multorumque nobilium. u. Sacellum B. Mariæ de Febribus; ante quod ſunt ſepulti Bartholomæus Moraſcus epiſcopus Caſtellanus, & Jacobus Breuccietti epiſcopus Nucerinus. x. Sacellum anonymum, ubi erat ſepulcrum Hugonis Lingles Nicoſienſis, regni Cypri camerarii. y. Sacellum ſanctiſſimæ Trinitatis & ſanctorum Coſmæ & Damiani, ubi eſt ſepulcrum beneficiatorum & clericorum Baſilicæ.

E

SECTIO VII SIVE G

Circumit quidquid ædificiorum fuit ante & circum baſilicam veterem.

Paradiſus ante eccleſiam

Percurſis per Sectiones ſex baſilica interiore, connexiſque cum illa extra muros ædificiis aliis; ſuperſunt alia, quæ non connexa, & veluti inſularia, circum conſpiciuntur in ichnographia noſtra: quæ paucis omnia indicabimus, poſtquam ædificia, ante faciem baſilicæ poſita, luſtraverimus. Famoſa in his ſunt nomina, Paradiſus, Quadriporticus, Porticus, Scalæ, S. Maria in Turribus. *Paradiſus, uti hîc, communiter ſumitur pro area aut atrio, ante frontiſpicium eccleſiarum quadrato, porticibus circumdato. Anaſtaſius de noſtro hoc Vaticano, ita ſcribit in Dono Papa;* Hic atrium B. Petri ſuperius, quod Paradiſus dicitur, eſtque ante eccleſiam, magnis marmoribus ſtravit. *Scripſerat vero antea in Symmacho, quod is* cantharum B. Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit. *Ut videri poſſint ab initio ædificatæ à Conſtantino baſilicæ, hæc quoque loca fuiſſe facta. Quemadmodum ſupra diximus pag.* 87 *n.* 14, *quod Paulinus Tyrius eccleſiam ſuam ita ſtruxerit, ut* inter templum ac veſtibulum maximo intervallo relicto, hoc ſpatium, in quadrati ſpeciem circumſeptum, quatuor obliquis porticibus circumquaque exornaverit, quæ columnis undique attolluntur.... Hic ſacrarum expiationum ſigna poſuit, fontes ſcilicet, ex adverſo eccleſiæ ſtructos, qui interius ſacrarium ingreſſuris copioſos latices ad abluendum miniſtrarent. *Hæc paradiſo etiam Vaticano ad amuſſim conveniunt, ubi & fontes fuerunt; erantque* ſigna ſacrarum expiationum, *in*

F

C. J. *ecclesia per ablutionem baptismalem accipiendarum: quorum fontium loco postea in ingressu ecclesiarum posita fuisse vasa cum aqua benedicta, qua lustrarentur orationis causâ intrantes, mihi quidem verisimile videtur.*

cum pinea aenea & cantharo

394 *Amplitudinem Paradisi intra quadriporticum extendit Severanus ad palmos* CCLV *longitudine, ac* CC *latitudine. In meditullio litt.* G *eminebat pinea vetus aenea deaurata pulcherrimi operis, quam Symmachus dicitur ex mole Adriani in hunc locum detulisse. Alii aliter putant. Nunc videre est ipsam in viridario pontificio ante palatium, vulgo* Belveder *appellatum, eò translatum à Paulo V. De illa pluribus scribit Ciampinus pag.* 76, *hunc in modum; quod fuit alta* palmos XV, *lata* VII cum dimidio; *quod* hinc & inde adjuncti erant duo pavones deaurati, *atque* delphini quatuor pariter deaurati, aquam fundentes; octo porphyreticis columnis circùm locatis, quæ tectum æneum sustinebant, quo pinea cooperiebatur. *In ejus extremitate insculptum fuisse dicit;* P. Cincius P. L. Salvius fecit, *atque explicat,* Publius Cincius Publii libertus Salvius fecit. *Prope hinc abest versus occasum fons, sub* h, *signo orbiculari notatus; quem Anastasius in Symmacho citato* cantharum *vocat. An hic cantharus, fons alius olim fuerit quam pinea, quæ etiam aquas fudisse legitur, non facile definitu est. Ante Symmachum illic extitisse cantharum, & quidem superne tectum, docet Paulinus Nolanus, annos centum illo senior, citatus nobis pag.* 90 *num.* 30, *ubi ait:* In atrio *basilicæ Vaticanæ* cantharum, ministra manibus & oribus nostris fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat & inumbrat, non sine mystica specie, quatuor columnis salientes aquas ambiens.

B

395 *Manlius noster supra pag.* 50 *num.* 127 *de eodem cantharo (errat tamen dum Symmacho opus attribuit) sic habet.* In Paradiso S. Petri est cantharum, quod fecit fieri Symmachus Papa, columnis porphyreticis ornatum. Quæ nimirum columnæ, tabulis marmoreis cum grifonibus connexæ, pretioso cælo æneo coopertæ, cum foribus (*Romanus Canonicus*, cum floribus) & delphinis deauratis, aquas fundentibus. *Ac porro prosequitur;* in medio vero hujus canthari est pinea ænea, quæ fuit coopertorium cum tinino æneo & deaurato, super statuam Cybeles matris deorum, in foramine Pantheon. In qua videlicet pinea subterranea fistula plombea subministrabat aquam ex forma Sabbatina. *Facit hic Manlius, testis oculatus seculi* XII, *cantharum & pineam fontem unum, dum ait, in medio cantharo pineam fuisse positam; ut non duos fontes seorsim, sed unum simul fecisse debeant.*

C

quo statu fons fuerit seculo 16.

396 *Quo statu fuerit idem fons seculo* XVI, *docebit nos Pompejus Ugonius libro suo de Stationibus, anno* MDLXXXVIII, *quando aliqua hujus fontis adhuc supererant, Romæ impresso, ubi pag.* 95, *citato prius S. Paulini loco, paulo ante à nobis descripto, inquit:* Videmus itaque, hunc fontem in loco pineæ, quæ ibi hodiedum est, habuisse labrum ad colligendam aquam, ac tortasse fuit unum ex illis, quæ in hoc atrio extiterunt usque ad proximum annum Jubilæi (1575,) quorum unum, si rectè memini, erat ex metallo, alterum ex porphyrete. Scribit Anastasius, quod Symmachus Papa ornavit fontem hunc: quia loco quatuor columnarum, quæ illic erant (*tempore Paulini,*) posuit octo porphyreticas, quemadmodum hodie videmus. *Viderit ibi suo tempore Ugonius adhuc columnas octo porphyreticas; non tamen probat, à Symmacho positas fuisse. Anastasius scribit quidem, Symmachum* ornasse cantharum, *seu fontem hunc,* cum quadriporticu, marmoribus, & ex musivo agnos & cruces & palmas ornasse: *nusquam vero dicit ornasse fontem columnis. Quis igitur quatuor columnas, à S. Paulino ad fontem visas, pari numero auxerit, hactenus mihi in obscuro manet.*

D

De fonte altero.

397 h *Notat fontem alterum in paradiso, diversum à cantharo cum pinea. Illum eques Fontana post Paulum de Angelis, nominat* fontem magnum ex ære factum à Symmacho Papa ad usum peregrinorum. *Vereor, ut tam antiquus sit. Ornavit Symmachus in paradiso* cantharum cum quadriporticu marmoribus, *nec alium fontem ibi feciss scitur.* Fecit *quidem* sub gradus in atrio alium cantharum foris. . . . ad usum necessitatis humanæ, *atque adeo & peregrinorum: sed situs ejus longe aberat ab atrio templi, seu paradiso. Notatur enim fuisse in atrio, quod erat* sub gradus, *in platea nempe ampla, quæ ducebat ab urbe ad gradus, per quos ascendebatur ad anteriora basilicæ ædificia, indeque per tres portas intrabatur tandem in paradisum; uti ipsis oculis patet in ichnographia. Gradus porro, de quibus hîc,* E *esse illos ipsos quos dixi, clarissime docebit textus Anastasii in eodem Symmacho. Sic habet:* Gradus ante fores basilicæ B. Petri (*sumitur hîc, ut sæpe alias, basilica pro omnibus ædificiis ei adjunctis supra hosce gradus*) ampliavit: & alios gradus construxit sub tigno dextrâ lævâque. Item in eodem loco episcopia dextrâ lævâque fecit. Item sub gradus in atrio alium cantharum foris &c. *ut supra. Hæc omnia conjuncta erant loca prope gradus, videlicet antrorsum, dextrorsum ac sinistrorsum.*

Ædificia circa gradus,

398 *Dum hoc loco versamur, commode inspiciemus ædificia, quæ hic olim steterunt, pridem vero aut lapsa per se aut eversa fuerunt: & in ichnographiæ nostræ tabula exprimi saltem omnia non possunt. Describit luculenter multa paucis Ciampinus in Sacris Ædificiis suis pag.* 40, *ut sequitur:* Gradibus basilicæ superius relatis, *iis nempe ipsis de quibus agimus,* subjecta jacebat amplissimæ laxitatis platea, quam Porticum S. Petri (*illam, prius* arctam & angustam, usque ad gradus B. Petri restauraverat *Adrianus I, teste Anastasio pag.* 115) sive Cortinam appellavere. Surgebat inibi non exiguus fons porphyreticus, quem Symmachus Papa ad Chrismatis unctionem, feria secunda post Pascha faciendam, excitavit. Pulcherrimam etiam plateæ coronam efficiebant non humiles domus, quas inter Xenodochium, vetustate sua & auctore B. Gregorio I clarissimum, quod pro schola canentium quotidie in Vaticana basilica deserviebat. Hoc vero, jam diu exoletum & in domos conversum, Pius IV, ampliandæ plateæ gratia, disjecit soloque æquavit. Eadem infortunia passæ fuêre geminæ ecclesiæ, S. Gregorii de Cortina, & altera pene contigua, S. Mariæ Virgariorum denominata; quæ tamen, ruinâ casuque frequenti, excidium ultimum invitaverant & quasi prævenerant.

F

item supra gradus,

399 *At ne his diutius immorer, quamvis nonnulla illic utiliter observari possent, redeo ad ichnographiam nostram & scalas, quæ primum ascensum præbent ad paradisum & basilicam. Scalæ gradus habebant marmoreos* XXXV, *ita dispositos per quinque ordines, ut inter septenos & septenos spatium aliquod planum relinqueretur, quo respirare ascendentes possent. A supremo gradu patebat amplior*

A *plior plana area usque ad frontispicium primorum ædificiorum, inter hanc aream & quadriporticum interjectorum. Et ad latus quidem meridionale*

ubi & ecclesia S. Apollinaris, *litt.* i, *ponitur à Severano ecclesia S. Apollinaris cum tribus sacellis; quæ, uti addit Fontana, ab Honorio Papa I Circi parietibus superstructa fuit, De illa Anastasius in Honorio sic habet:* Fecit basilicam B. Apollinaris Mart. in urbe Roma, in porticu B. Petri Apostoli, quæ vocatur Palmata (*aliàs* Palmaria,) à solo; ubi dona multa largitus est; & decrevit, ut per omnem hebdomadam Sabbato die exeat litania ad B. Apollinarem, & ad B. Petrum apostolum cum hymnis & canticis populus omnis occurrere debeat. *Dicitur hîc quidem ecclesia S. Apollinaris sita fuisse* in porticu B. Petri, *verius tamen videtur dicendum, fuisse* illi contiguam *in parte meridionali, juxta ichnographiam; & aditum habuisse in porticum per amplam portam. Vide etiam de hac ecclesia Vegium nostrum pag.* 75 *n.* 89.

item alia multa, 400 *Denotant hîc in vicinis locis litteræ,* i, *tres portas æneas, quibus olim insculpta fuerunt nomina regnorum, provinciarum, civitatum & insularum, Ecclesiæ Romanæ donatarum. Quibus alia tres ejusmodi portæ ex adverso erant, ducentes in quadriporticum & paradisum.* l, *Quatuor columnas fulcra menianorum, è quibus Pontifices benedictionem populo impertiri statis temporibus solebant.* m, *Turrim amplam, in qua pendebant æra campana. In opposita vero parte versus meridiem,* n, *palatium diu fuit archipresbyteri basilicæ Vaticanæ.* o, *Altare S. Mariæ in Turri, ubi Electus in imperatorem, à canonicis S. Petri recipiebatur in canonicum & fratrem. Ita Paulus de Angelis & alii. Præmissis hîc locis splendorem addet descriptio Anastasii in Adriano I pag.* 111: Ædificavit noviter turrem miræ pulchritudinis, decoratam cohærenti porticu, quæ descendit ad balneum: ubi & deambulatorium, scilicet solarium suum cum cancellis æreis nimis pulcherrime construi fecit: sed & porticum ipsam, quæ vetustate diruta inerat, nimis utiliter renovavit; & picturis atque marmoribus eamdem turrem & cuncta ædificia, ab eo noviter constructa, decoravit.... Etiam omnes gradus majores, qui ascendunt in atrium, simulque & ex duabus porticibus, quæ ascendunt in eamdem ecclesiam, ex utriusque lateribus renovavit.... Porticus vero ex utriusque lateribus supra dictæ ecclesiæ, in quibus contractæ trabes inerant & tectum ruinæ vicinum positum erat, positis novis trabibus ipsum tectum noviter faciens, restauravit.

B

ab Anastasio descripta.

C

Item à Ciampino. 401 *Lucem quoque ampliorem eisdem locis atque ædificiis afferet Ciampinus, indicans statum illorum, quo ultimis temporibus adhuc comparebant. Incipit à quadriporticu orientaliore, & intermedia ædificia usque ad scalas majores paucis attingit his verbis*: Hæc porticus ad orientem sita, pluribus parastatis cum fornicibus porticibusque & columnis, imo parietibus plurimis, intersecabatur. Exigua ejus pars adhuc, vivente Alpharano, supererat; cujus in medio sex illæ jam suprà dictæ januæ laxabantur; tres ortum, tres occasum spectantes. In quadam ex parastatis, è diametro dictam porticum ad aquilonem in austrum intersecantibus, ara antiquissima visebatur, S. Mariæ in Turri appellata. Ante hanc, imperator electus ad recipiendam à summo Pontifice imperii coronam approperans, ubi basilicæ gradus ascendisset osculatusque Pontificis pedes fuisset; & ab eodem, osculo & amplexu benigne exceptus, inter canonicos adoptabatur, seque jurejurando Deo & B. Petro apostolo promittebat protectorem defensoremque futurum, tum Pontificis, tum omnium S. R. Ecclesiæ jurium atque bonorum. Inde imperialibus insignibus superindutus basilicam ingrediebatur. *Transeo ad loca, quæ circum basilicam seorsim posita fuerunt, & notantur in ichnographia nostra.* C. J.

Alia ædificia ad latus meridionale basilicæ: 402 *Fuerunt ibi olim variis temporibus alia atque alia ædificia, quorum situs nescitur, quamvis nonnullorum nomina ab Anastasio & aliis conservata sint. A latere meridionali basilicæ initium sumo. Littera* p, *dicitur Fontanæ aula, ubi Pontifices quotidie alebant, per ministros suos, peregrinos tredecim. Severanus* Hospitale Campi sancti *vocat.* q, *Ecclesia* sancti Salvatoris, *quæ & de* Ossibus *dicta, ut nos alibi meminimus.* r, *Nullus scriptorum, quos vidi, hîc quidquam nominis prodit.* s, *Hîc stetit famosus obeliscus, qui modo conspicitur in meditullio amplissimarum porticuum ante frontispicium basilicæ Vaticanæ. Stetit autem loco signato, in medio Circi Neroniani, mediâque ejus spirâ, æqualiter distans ab utraque Circi meta.*

B

ad partem occidentalem, 403 t, *Monasterium & ecclesia*, S. Stephani Minoris *dicta, ad distinctionem alterius, de qua mox.* u, *Vulgo* Canonica *appellabatur, quia canonici istic cohabitabant, in commune, uti ego puto, viventes tamquam in monasterio; quod illis construxit Nicolaus III, anno* MCCLXXVII *Pontifex creatus.* x, *Ecclesia & monasterium* S. Stephani Majoris, *de quo hæc Anastasius in Adriano I:* Constituit in monasterio S. Stephani Catabarbara Patritia, sita ad B. Petrum apostolum, congregationem monachorum; ibi & abbatem, personam idoneam, ordinans. Statuit, ut sedulas laudes in ecclesia B. Petri persolvant; sicut cetera tria monasteria. y, Cœmeterium Vaticanum *hîc passim notatur. Potius sit sacellum in cœmeterio illo ejusque parte superiore ad occidentem. Cœmeterium quippe amplum erat, prout in tabula expressum vides, per quatuor angulos ibi signatos. Legitur etiam vocatum fuisse Cœmeterium* de Fonte S. Petri; *quia ibi, uti volunt aliqui, olim ante Constantini & Silvestri Papæ tempora baptizabantur neophyti.*

F

monasterium S. Martini, 404 z, *Monasterium* S. Martini, *cujus auctor, teste Vegio nostro, ignoratur, vetustum fuit; utpote de quo Anastasius in Leone III*, quod ipse monasterium S. Martini confessoris atque pontificis situm *prope murum occidentalem atque tribunam ipsius basilicæ*, quod nimiâ fuerat vetustate quassatum, pene omne à fundamentis restauravit. *Fuit idem, veluti seminarium pietatis ac eruditionis, ex quo viri plures electi fuere Cardinales atque Pontifices; & in his Leo IV, qui semper locum amavit ac multis cumulavit beneficiis; uti legere est in ejus vita apud Anastasium.* aa, *Templum Probi, veteris basilicæ apsidi deforis contiguum, grande ac perornatum, sub annum* CCCC *ab ipso aut uxore ejus Proba constructum. Fuerunt illi par conjugum nobilissimum ex familiis consularibus ac religione Christiana insignes. Illorum templum & epitaphia, à se descripta, celebrat Maphæus Vegius supra pag.* 79.

templum Probi:

ad aquilonem, SS. Joannis & Pauli, 405 bb, *Ecclesia & monasterium* SS. Joannis & Pauli, *de quibus Anastasius in Leone I*; Hic constituit monasterium apud B. Petrum apostolum [*& ecclesiam*] quæ nuncupatur sanctorum Joannis & Pauli. *Facit mentionem ejusdem monasterii Vegius noster pag.* 72, *num.* 112 *ac* 113, *aliaque pro-*

C. J. promittit illâ de re ſe dicturum, ſed quæ nuſquam in opere ejus inveniuntur; ut magis perſuadeatur mihi, auctorem illum per mortem aut morbum reliquiſſe imperfectum opuſculum ſuum. cc, Diaconia ſanctorum Sergii & Bacchi; ut dicit Severanus Fontana dicit; Eccleſia ſanctorum, creditur, diaconorum Sergii & Bacchi. *Apud Anaſtaſium in Gregorio III pag.* 74, *ita habetur:* Diaconiam ſanctorum Sergii & Bacchi, ſitam ad B. Petrum apoſtolum, in qua pridem parvum oratorium erat, à fundamentis ampliori fabrica dilatavit: & concedens omnia, quæ in uſum diaconiæ exiſtunt, ſtatuit perpetuo tempore pro ſuſtentatione pauperum, in diaconiæ miniſterio deſervire.

m Sergii & Bacchi.

S. Stephani Minoris & Majoris

4 16 *Antequam hinc manum tollam, reſpicere debeo ad num.* 403, *ubi de duobus monaſteriis*, S. Stephani Minoris, & S. Stephani Majoris, *locuti ſumus. Incidit quippe dubium, an unum, an diverſa ſint monaſteria illa: tum etiam, an epitheta* Catabarbara & Catagalla, *quæ monaſteriis S. Stephani apud Anaſtaſium adjunguntur, idem monaſterium, an diverſa deſignent. Certum eſt, quidquid alii dubitent, extitiſſe olim duo S. Stephani monaſteria prope baſilicam S. Petri. Pontifices quippe Joannes XIX & Benedictus IX, confirmantes epiſcopis Silvæ candidæ privilegia ſua per bullas ſingulares, conferunt illis* monaſteria quinque, *videlicet*, ſancti Stephani Majoris, & Minoris, ſanctorumque Joannis & Pauli, & beati Martini, atque Teclæ, conſtituta juxta magnam eccleſiam ſancti Petri. *Bullæ extant apud Ughellum tom.* I *Italiæ ſacræ, in iiſque citati loci, inveniuntur col.* 111 *&* 123. *Et ibidem in alia antiquiore bulla Sergii III, col.* 107, *fit mentio* monaſterii S. Stephani, quod vocatur, Major à S. Petro.

B

unumne an duo monaſteria fuerint.

407 *Anaſtaſius in Adriano I:* Conſtituit in monaſterio S. Stephani Catabarbara Patricia, ſito ad B. Petrum apoſtolum, congregationem monachorum *& cetera, uti ſuprà num.* 304. *Idem vero in Leone III pag.* 141 *ſic ſcribit:* Monaſterium ſancti Chriſti martyris Stephani, quod appellatur Catagalla Patricia, quod præ nimia vetuſtate jam emarcuerat, atque ex parte corruerat, idem præſagus Pontifex.... à fundamentis, ſimul cum oratorio, firmum jaciens fundamentum, in meliorem erexit ſtatum. *Hæc duo nomina* Catabarbara & Catagalla, *utique diverſa ſunt, atque adeo & monaſteria, inde denominata, fuêre diverſa ac ſitu diverſo, prope tamen baſilicam S. Petri: quemadmodum ab utroque illo monaſterio diverſa fuit eccleſia, quam Anaſtaſius in eodem Leone III pag.* 141, *appellat* Catabarbara Patricia, *his verbis:* Sarta verò tecta baſilicæ S. Andreæ apoſtoli, quod appellatur Catabarbara Patricia, quæ per olitana jam fuerant tempora conſumpta, noviter reſtauravit. *Eadem eccleſia, cum monaſterio ſibi adjuncto, in Gregorio II*, Barbaræ *ſimpliciter nuncupatur; fueratque à Simplicio Papa dedicata* juxta baſilicam S. Mariæ *ad Præſepe, ubi etiam nunc magna ejus pars ſupereſt in hodierno monaſterio S. Antonii abbatis.*

C

Oſtenditur fuiſſe diverſo

408 *Quemadmodum igitur eccleſia hæc* S. Andreæ Catabarbara Patricia, *diverſiſſima fuit ab eccleſia* S. Stephani Catabarbara Patricia, & Catagalla Patricia; *ita & hæ ipſæ ex nomine ſuo diverſæ cenſeri debent; ſaltem quamdiu nemo monſtraverit*, Barbaram & Gallam, *unam eamdemque matronam fuiſſe; uti credibile eſt fuiſſe* Barbaram Patriciam, *duobus locis nominatam. Eadem diverſitas monaſteriorum S. Stephani, deducitur ex textibus Anaſtaſii citatis n.* 407. *Ibi enim legitur Adrianus in monaſterio* Catabarbara *conſtituiſſe congregationem monachorum atque abbatem ordinaſſe, qui divinas laudes in eccleſia S. Petri quotidie cantarent. Ex quibus facile cognoſcitur, monaſterium illud ſub Adriano tam bene materiatum, firmum commodumque fuiſſe, ut à viris religioſis, unam in congregationem adunatis, inhabitari ſine periculo potuerit. At vero legitur in Leone, qui Adriano ſucceſſit, quod monaſterium* Catagalla, *tunc* præ nimia vetuſtate jam emarcuerat, atque ex parte corruerat; *ideoque novum totum à fundamentis conſtruxit. Hæc vero patenter monſtrant, monaſterium Catagalla diverſum fuiſſe à Catabarbara.*

D

ex diverſo ſtatu utriuſque ædificii

409 *Huc etiam facit, quod jam olim, ut ſuprà vidimus, duo ibi monaſteria S. Stephani, diſtincta fuerunt per* Majus & Minus. *Vegius noſter ſimiliter ita diſtinguit; ac ſimul varia confundit. Pag.* 80, *deducit lectores ſuos à cœmeterio, quod eſt poſt baſilicam S. Petri, nobis ſignatum Sect.* G, y, rectâ viâ ad longe majus templum, poſitum & ipſum ad radices montis, ubi erat caput Circi, erectum in honorem S. Stephani, quod Catafarfara dictum fuiſſe apud antiquum quemdam hiſtoricum comperi: Benedictus autem decimus in quodam privilegio Catagalla Patricia appellat. Fuerat tamen id prioribus temporibus tamen (*forte* tantum) oratorium: ſed poſtea ita, ut videmus, auctum eſt & amplificatum. Ceterum nunc, propter humanam injuriam, magna ex parte disjectum prorſuſque inhabitatum. *Scripſit Vegius ſub medium ſeculi* XV, *unde & ſcripta ejus de temporibus multo antiquioribus, in examen revocari licite poſſunt, etiam hîc recitata. In primis, quod hîc nomen* Catafarfara, *per inſcitiam librarii, qui litteram* b *bis perperam mutavit in* f, *ſcriptum ſit pro* Catabarbara. *Tum, quod* Catabarbara *putet idem monaſterium eſſe cum* Catagalla. *Denique, quod unum tantùm S. Stephani monaſterium ponat ſub utroque nomine, in loco*, ubi erat caput Circi ad radices montis; *nobis Sect.* G *litt.* x.

E

& nominibus,

in quibus error Vegii

non unus.

410 *Idem ſcriptor paulò pòſt ait, conſtare*, Adrianum Pontificem, ut baſilicæ ſervitio melius provideret, cum dirutum illud (*monaſterium* x) deſtitutumque inveniſſet, non modo reparaſſe, ſed auxiſſe, multiſque & magnis bonis ditaſſe. *Hæc utique indicato loco, non Adrianus, ſed ſucceſſor ejus Leo fecit. Alibi fecit ſua Adrianus, uti dictum eſt. Addit porro idem auctor, quod idem Adrianus Papa baſilicæ S. Petri* ſubdidit & annexuit templum B. Petronillæ & B. Stephani (*& continuo ad tempora longè poſteriora delabens, ſubjungit*,) quod Stephanus rex Pannoniorum, quos Hongaros appellamus, extruxerat. Unde poſtmodum etiam illud (x) Stephani Majoris; hoc (t) Minoris, ut magis diſcernerentur, nominata ſunt. *Pace Vegii, ut concedam, ſanctiſſimum regem Stephanum illic multa bona contuliſſe; non tamen primus* extruxit *monaſterium illud S. Stephani; cum ejus memoria multo antiquior habeatur; nec tantum à S. Stephani tempore dictum fuit* Minoris; *cum Joannes Papa XIX anno* MXXVI *Stephanum* Majorem & Minorem *diſtinguat; atque ante ipſum Sergius III anno* DCCCX *meminerit apud Ughellum, tom.* I *col.* 107, Stephani Majoris, *utique quia aliud extabat eodem tempore* Stephani Minoris. *Inſuper opinatur, ab Adriano I collata fuiſſe dona, quæ recenſet, monaſterio S. Stephani Majoris* ad caput Circi, *nobis litt.* x; *cum ille ſua contulerit Stephano Minori, nobis*

F

litt.

A

litt. t, *ponendo ibi congregationem monachorum: Stephano autem Majori contulit ſua beneficia Leo III, locum collapſum ac dirutum ædificando novum à fundamentis.*

Situs utriuſque monaſterii.

411 *Fuerunt igitur juxta baſilicam S. Petri antiquitus monaſteria duo S. Stephani diverſa, uti in ichnographia ſignantur Sect.* G *litt.* t *&* x. *Illud fuerit* S. Stephani Catabarbara, *ſive* Minoris: *hoc* S. Stephani Catagalla, *ſive* Majoris. *Utraque Matrona indicata, fuit* Patricia; *quæ ſuis ſingulæ in domibus aut fundis (id enim ſignificat vox Græca* κατὰ, *latine* in, ad, apud) *conſtruxerint eccleſias aut monaſteria à ſuis ipſarum nominibus dein appellata. Quæ & qualis fuerit Patricia illa* Barbara, *divinare in obſcura antiquitate non præſumo; quamquam imaginer mihi, eamdem eſſe, quæ apud S. Mariam ad Præſepe ſive Majorem, eccleſiam S. Andreæ apoſtoli ſorte ſuo in fundo, conſtruendam curavit, à Simplicio Papa dedicatam, atque à ſuo nomine poſtea appellatam* Barbaræ & Catabarba-

De Barbara & Galla, Patriciis.

B

ræ. *Quæ fuerit & qualis, Patricia* Galla, *à qua S. Stephani Majoris monaſterium denominatur, etiam difficile eſt dictu, non ex ignorantia, ſed ex abundantia illuſtrium piarumque matronarum, quæ primis publicæ poſt Conſtantinum Magnum Chriſtianitatis ſeculis floruerunt. Inter quas eminuerunt Galla Placidia imperatrix, & Galla, filia Symmachi conſulis, nupta quidem, ſed poſt breve tempus marito viduata. Utraque Romæ fuerunt, illa ad tempus; hæc, tota vita, vixitque in viduitate ſua inter ſanctimoniales, inſignis caſtitate ac religione, tandem ſanctiſſime mortua. Ab hac Galla opinabor monaſterium, S. Stephani* Catagalla *appellatum fuiſſe propter beneficia ab ipſa collata, donec aliter docear.*

AUCTARIUM
AD APSIDEM ANTIQUAM VATICANAM
De poſitione imaginum ſanctorum APOSTOLORUM PETRI ET PAULI Dextrâ lævâque inter ſe.

C

De tali poſitione imaginum

INtercalavimus in præmiſſo Tractatu de baſilica veteri Vaticana Diſſertationes quinque, ex re natas: adjiciamus nunc ſextam, tamquam Auctarium ad apſidem ejuſdem baſilicæ, in qua, ut in tabula noſtra pag. 135, *S. Petrus repræſentatur, à læva Chriſti Domini ſedentis, Paulus vero à dextra ejuſdem Domini. Quæritur de antiquitate talis poſitionis, & dignitate loci utriuſque. Conſuluit nos aliquando illa ſuper re vir eruditiſſimus & rerum rituumque antiquorum ſtudioſus in primis ſcrutator, Joannes Lucius, memoriâ noſtrâ defunctus Romæ. Is conſulendo, nos docuit, quid à ſe de argumento propoſito obſervatum eſſet.*

proponitur obſervatio Joannis Lucii,

413 *Videlicet*, in eccleſiis antiquis, Romæ ſuperſtitibus, ante annum Domini DCCC confectis, inter imagines ſacras operis muſivi, digniorem locum obtinere eas, quæ ad ſiniſtram ſitæ ſunt: quæ autem tempore Leonis Papæ tertii confectæ fuerunt, è contrario dextram pro digniori habere: poſteriores autem denuò, antiquo more, pro digniori ſiniſtram: ſicque continuatum eſſe uſque ad pontificatum Nicolai Quarti, anno MCCLXXXVIII electi, cujus tempore iterum locus dignior dextræ delatus ſit, & abinde continuatus uſque ad hodiernum diem. Cumque Leonem tertium antiquum morem perperam mutaſſe credendum non ſit, neque cauſam vel occaſionem aliquis referat, duæ afferuntur conjecturæ, *inquit Lucius.* Prima, quod ſicuti Leo, à Græcis animo alienatus, Imperium, ipſis inconſultis, Francis detulit; ita quoque locum digniorem ſiniſtræ, communem cum Græcis (quem hodie uſque ſervant) mutare voluerit. Secunda, quod cum idem Leo ad Carolum Magnum in Germaniam progreſſus fuerit, ejuſque ope in Sedem ſuam reſtitutus ſit, hunc morem, dextræ digniorem locum deferendi, apud Francos repererit; ipſiſque gratificaturus, ut Eccleſiam Romanam cum Occidentalibus ſibi obſequentibus conformaret, mutaverit antiquum morem. In qua re quia non eſt attendendus mos, qui in inceſſu vel congreſſibus inter viventes pro diverſitate temporum & nationum obſervatus ab auctoribus refertur; vel imaginum mobilium, quæ pro arbitrio diſponi poſſunt; ſed ſculptarum vel pictarum, quæ fixæ ſemper eodem ordine conſpiciuntur; peto *&c.*

C. J.

F

item alia

414 *Petebat autem, quid in eccleſiis Belgicis aliiſque Tranſalpinis antiquis in more poſitum eſſet pingendi Apoſtolos dextra lævave inter ſe ſeculo* VIII. *Cum autem eccleſiæ illorum temporum, ſaltem inſigniores, in Belgio nullæ ſuperſint hodie, nihil docere novi potuimus; nec potuimus de aliarum eccleſiarum Tranſalpinarum ſimilibus picturis & antiquitate quidquam certi dicere. Reſpondeat nunc pro nobis nonnulla vir illuſtriſſimus atque eruditiſſimus Petrus de Marca ex poſtumis opuſculis ſuis, ubi docet primatum Petri in Eccleſia; & argumenta, in contrarium adducta ex poſitione Pauli à dextra, Petri vero à ſiniſtra, in antiquiſſimis ſignis, & ſigillis etiam Pontificum Romanorum, refutat atque ita explicat.*

Petri à Marca,

415 Hanc auctoritatis, à Petro & Paulo deductæ, communionem, impreſſæ octingentis abhinc annis in Bullis plumbeis utriuſque Apoſtoli imagines teſtantur, Paulo ad dexteram Petri collocato, unde præcipui quoque honoris Paulo impenſi argumenta quidam trahunt. Abſurde. Quod enim latus dextrum videtur, ſi Pauli imago cum Petri imagine comparetur; eſt latus ſiniſtrum, ſi referatur ad inſpicientes: ex qua relatione ſæpe metiendus eſt honoris gradus in conventibus publicis. Hinc profectum, ut Epiſcopus in parte chori ſedeat, quæ dextra eſt ingredientibus, & tamen reſpondet cornu ſiniſtro altaris; in quo ſiniſtrum & dextrum latus nuncupamus, reſpectu habito ad divini Numinis præſentiam, acſi Dei majeſtas ibi ſederet (veluti ſuper Cherubin, ut in veteri teſtamento,) vel Chriſti corpus vultu ad populum obverſo ibi conſiſteret. Olim eadem ratio habita eſt, cum loca aſſignarentur in eccleſia viris & mulieribus: pars enim dextra viris data, ſiniſtra mulieribus, inſpecta ingreſſûs ad templum poſitione, ut patet ex antiquis inſcriptionibus. Idem obſervatur quotidie in Gallia, in ſolenni Magiſtratuum cœtu, cum ad eccleſias conveniunt. Qui enim apud eos eminentiores, locum chori dexterum, qui reſpondet cornu ſiniſtro altaris, ut dixi, occupant; reliqui vero ſiniſtrum latus, quod reſpondet cornu altaris dextro. Ex hac quoque ratione ingreſſûs tractum, ut in auditorio publico Senatuum ſive Parlamentorum

F

C J. Galliæ, Præſides id latus occupent quod ſiniſtrum eſt, ſi conſeſſus ordo à perſonis ſedentium ducatur, quod tamen reſpondet lateri dextro adſtantis cœtus. Quod ſplendidius eminet Rege in Senatu Pariſienſi ſedente pro tribunali: ad ejus namque ſiniſtram conſident Pares Franciæ eccleſiaſtici, quibus præcipuus honor defertur; Duces vero dextram occupant: quæ latera vices mutant habita adſtantium ratione, ita ut eorum dexteræ reſpondeat ordo Parium eccleſiaſticorum. Aliud obtinebat in antiquis Synodis generalibus, ubi propoſita in medio conſeſſu ſacroſancta Euangelia vices Chriſti præſentis gerebant: ad cujus dexteram Legati ſummi Pontificis conſidebant, quæ tamen ingredientibus erat ſiniſtra. Poſſet iſtæc obſervatio variis teſtimoniis ex antiquitate petitis in utramque partem illuſtrari, niſi ſatius eſſet ex præſenti uſu confirmaſſe locum, imagini Pauli in Bullis plumbeis deſtinatum, ſecundum eſſe cenſendum; priorem obtinente Petro, ratione Primatus, ut decebat.

B *& juſtus commentarius Franciſci Mucantii.*

416 *Scripſit olim de argumento eodem, videlicet* de ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli imaginibus *libellum non contemnendum Franciſcus Mucantius J. C. Romanus, Gregorio Papæ XIII à ſacris ceremoniis, impreſſum* Romæ apud heredes Antonii Bladii, impreſſores Camerales, anno 1573, *dedicatumque prædicto Pontifici. Libellum ipſum, quia rarus eſt atque eruditorum oculis dignus, hic recudi juxta exemplar auctoris, operæ pretium putavi fore, ſervatis etiam citationibus, prout in margine leguntur adjectæ. Ita præfatur, reddens Pontifici rationem ſuſcepti à ſe operis.*

Præfatio auctoris ad Gregorium 13.

417 Cum mihi impoſitum eſſet onus, P. B. perſcrutandi ſi qua inter ſacros ritus, Apoſtolicaſque cerimonias, emendatione animadverſioneque digna viderentur, quæſtio illa inter multas, ſeſe mihi obtulit, jam dudum agitata, ſed nondum plenè declarata: utra ex imaginibus beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, alteri eſſet ritè anteponenda: promiſcuum enim, & varium in picturis, marmoribus & monetis, pro diverſitate temporum, & locorum ejus rei uſum videram: conſtantiſſimè tamen, à priſca vetuſtate, ad hæc uſque tempora uſurpatum, tum in plumbeis apoſtolicarum litterarum ſigillis, tum in Pontificio ſacello, ut Pauli imago

C ad dexteram Petri collocetur. Quare non ſine magna id ratione factum, ac per tot annorum curricula, à tot Romanis Pontificibus admiſſum comprobatumque eſſe ſtatuens, judicabam ſatius eſſe, quæſtionem ipſam ſilentio præterire, quam diſputationum circuitionibus, imbecilliorum mentibus ſcrupulum injicere. Verùm quia nuperrimè, quidam de ea re commentariolum promulgarunt, in quo, licet veram propoſitionem tuendam ſuſceperint, illam tamen (pace eorum dixerim) non ita fortaſſe planè ac dilucidè explicarunt, ut eorum animi, qui ſacrarum literarum cognitione non omnino imbuti ſunt, penitus acquieſcere poſſint. Idcirco congeſtis in unum pluribus firmioribuſque auctoritatibus & rationibus, quas partim ex viri eruditiſſimi G. Cardinalis Sirleti ſermonibus, partim verò ex diverſis probatiſſimorum ſcriptorum monumentis decerpſeram, pro virili conatus ſum ejus myſterii arcana aliquanto clarius demonſtrare. Quamvis autem initio tacitus ea prætermittere decreviſſem; tamen quando hujuſmodi jam quæſtio in vulgus prodiit, expedire viſum eſt, eam paulò diſtinctius, atque apertius declarare; ne ab his, qui ſacra hæc myſteria contemplantur & colunt, de ea dubitari amplius contingat. Ea autem Sanctitatis tuæ integerrimo judicio excellentique prudentiæ ac doctrinæ, quibus humana omnia ſubeſſe debent, prius ſubjicere volui; non ante in alienas manus proditura, quàm ab ipſa Sanctitate tua robur & firmitatem acceperint. Qualiacumque illa erunt, P. B. ſupplex Sanctitatem tuam oro, ut ea, tamquam tui beneficiarii (cui exercendarum ſacrarum cerimoniarum munus, paulo ante non minus benignè, quam beneficè contuliſti) grati animi indicia, primitiaſque in eo ſtudii genere, æqui bonique conſulat. Vale. D

COMMENTARIUS

DE SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI IMAGINIBUS

Auctore Franciſco Mucantio J. C. Cerimoniario Gregorii PP. XIII. E

QUi contra antiquiſſimum ritum collocandi imaginem beati Pauli apoſtoli, ad dextrum Petri apoſtolorum principis latus, diſputant, his fermè rationibus moveri ſolent. Nempe in eccleſia militanti ad exemplum triumphantis, ordinem eſſe adhibendum, ut ſcilicet pro cujuſque officio & dignitate, aliùs alio ſuperior ſit, præſtantioremque gradum obtineat. Conſtat autem dexteram partem in honore ſemper habitam eſſe, perque eam, tum juriſdictionem, poteſtatem & fortitudinem; tum etiam potiora bona, id eſt gloriam, felicitatem, beatitudinem, æternitatemque deſignari. Nam & ab ipſo fere mundi exordio, cum ſacerdotium primigenio eſſet annexum, id fuiſſe in uſu videtur, ut ipſi primogeniti, præter alias honoris prærogativas, digniorem locum apud patrem, hoc eſt ad ejus dexteram haberent. Et poſt Chriſti adventum per duos latrones hinc inde à lateribus crucis Domini, patibulo affixos ſignificatum fuit. Et in ipſo mundi exitu idem obſervandum fore, certum eſt, cum filius hominis in ſuæ majeſtatis throno ſedens, oves ab hœdis ſegregabit, illas quidem in dextera, hos vero in læva ſtatione collocans.

Rationes cur Petrus præferendus. Diſtin. 89. c. ſi. Turrecr. l. 2. de eccleſ. c. 2. Gloſ. penul. in l. decernimus C. de ſacroſ. eccl. ibi Bald. Tho. ſuper epiſt. ad Hebr. c. 8. Can. 21, 9, q. 3. Auguſtin. ſuper Geneſ. loquu 80 & ſuper ſymb. ſerm. 2.

F

Geneſ. 48 in fin gloſ. fin c. quam periculoſum. 7. q. 1. Marc 15 Luc 23. Matth. 25.

419 Quare cum ſublimior inter mortales poteſtas, principatus apoſtolorum, & Eccleſiæ gubernatio uni Petro, quaſi primogenito, eáque triplici tempore, & ante paſſionem, & circa paſſionem, & poſt paſſionem, Chriſti Dei ore commiſſa fuerint; cumque ipſimet apoſtoli eumdem principem, & Eccleſiæ univerſalem paſtorem agnoverint, & confeſſi ſint; ut Anacletus Papa ait: ad hæc cum ſancti euangeliſtæ, apoſtolorum ſeriem recenſentes, ipſum Petrum ſine controverſia ceteris anteponant; ſitque argumentum non inefficax prælationis, ſcripturæ ordo: nulli dubium eſſe poteſt, tum ex his, tum ex quam plurimis aliis, quæ conſulto omittuntur auctoritatibus, Petrum & principatu & dignitate ceteris omnibus anteire: quamvis aliqui, vel meritis, vel ſapientia, vel alia de cauſſa, illi pares aut aliquando ſuperiores habiti ſint: quod ſi primus

Ratio præ-ſidi dignitate Petri. Turrecr. l. 2. de eccl. c. 6. Innoc. Papa 3. lib. de myſt. miſſæ cap. 8. Diſt. 21 c. in novo. diſt. 22 cap. ſacroſancta. Gloſ. in c. quorumdam verbo prædicatorum de elect. in 6 ibi doct.

A

mus & dignior; poſtulare ordo videtur, ut & nos illum præ ceteris apoſtolis veneremur, ipſiuſque imagini præcipuum locum ſtatuamus. Etenim D. Auguſtinus, dum Cyprianum, quantum ad martyrii gloriam Petrum æquiparaſſe refert, mox ſtatim ſubdit. *Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam; quis enim neſcit, illum apoſtolatûs principatu cuilibet epiſcopatui præferendum?*

2 q. 7. Puto.

420 Quod ex eo quoque clare comprobatur, quod catholica Eccleſia inſtituit, ut quamvis uno eodemque die beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ſolemnia concurrant, prius tamen Petri officium eo ipſo die, mox altero ſequenti de Paulo celebretur: tum quia Petrus converſione prior; tum quia dignitate, & gradus excellentia major: quippe cum Eccleſiæ primatum geſſerit. Quod fuiſſe D. Gregorii inſtitutum, antiqui auctores Joannes Belethus & Guillelmus Durantes ſcripſerunt.

Ratio 2.

In Rational. div. off. Belethus cap. 138. Duran. lib. 7, c. 15.

421 Et ne plura congerantur; nonne (inquiunt) ipſemet Paulus primas Petro detulit, ſocietatis dexteram cum eo jungens, atque euangelii prædicationem conferens, quaſi conſenſum & approbationem ab eo requirens? Ex eo enim, ut D. Hieronymus ait, oſtenditur, Paulum non habuiſſe ſecuritatem euangelii prædicandi, niſi Petri & eorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum. Rurſus cum in exitium Simonis magi ambo converſi eſſent, Pauluſque erga Petrum diceret; Meum eſt orare, tuum imperare; nonne manifeſtiſſime, ut Gregorius teſtatur, eum ſibi his verbis ſuperiorem declaravit? Nec vero traditioni huic, quæ ab ipſo ſummo rerum opifice ſanctiſque apoſtolis emanavit, ullam quamlibet antiquiſſimam traditionem aut conſuetudinem adverſari poſſe, conſentaneum videtur: unde multis in locis à diverſis Pontificibus uſu receptum eſt, ut Petri quidem effigiem in dextra, Pauli vero in læva parte poſiti curarent. Quod in primis, ex antiquiſſima tabula Conſtantini imperatoris (ut aiunt) tempore depicta, quam ipſius D. Petri baſilicæ canonici, etiam nunc diligentiſſime cuſtodiunt, perſpicuum fit: idemque & hodie ex opere vermiculato, Nicolai Papæ IV ætate fabrefacto in abſide Lateranenſis eccleſiæ, inſpicere licet: ac deinceps Bonifacius VIII, Nicolaus V, Pius II, Sixtus IV & alii Rom. Pontifices diverſis in locis idem obſervarunt; noſtraque tempeſtate in monetis ſive argenteis denariis, Apoſtolorum capita eodem ordine imprimi videmus: atque id etiam Paris Craſſus olim Piſaurenſis epiſcopus & cerimoniarum præfectus, quam plurimis aliis adductis rationibus, comprobavit.

Ratio 3.

B

Ad Gal. 2. Gloſ. fin. in c. fin. diſt. 11, ibi. Ancharan. & Turrecrem. Hier. Epiſt. ad Auguſt 22. Egeſip. lib. 3 de excid. Hieroſol Chron. Anton. tit. 6 cap. 4 §. 2.

C

Paris Craſſus in Epiſtola quadam ad Leonem 10.

422 Ceterum altius cauſam pervetuſti illius ritus, ut Paulus in dextro fingatur latere, inveſtigantibus, pulcherrima in ejus defenſionem argumenta occurunt: liquidò enim apparet, talem uſum non temere aut fortuito irrepſiſſe; quinimmo ad explicanda præcipua quædam ac ſingularia ſanctiſſimi à Deo electi viri merita & virtutes, noſtri exempli eruditioniſque gratia à majoribus noſtris introductum eſſe; ut dum oculis earum figurarum ordinem, quaſi præpoſterum intueremur, mente ad altiora myſteriorum conſilia pervenientes, ſanctum & laudabile vetus inſtitutum documentumque agnoſceremus, & ea qua decet veneratione coleremus.

Rationes cur Paulus præferatur.

423 Si quidem conſtat, eam pingendi conſuetudinem in Eccleſia annos mille ſupra ducentos quinquaginta uſu receptam eſſe, ut ab ipſis fere naſcentis Eccleſiæ principiis decurriſſe videri poſſit: ea autem, quæ tanta temporis longinquitate munita reperiuntur, tamque altis radicibus invaluerunt, etſi nulla alia ratione comprobari poſſent, retinenda nihilominus amplectendaque forent: multa enim, quorum ad nos memoria nequaquam pervenit, credendum eſt, priſcis illis patribus, qui ab apoſtolorum ætate recentiores multo fuerunt, non ignota fuiſſe. *Non omnia* (inquit Auguſtinus) *quæ ab Apoſtolis facta ſunt, etiam ſcripta inveniuntur; verumtamen facta eſſe, ex certis documentis probatur.* Quod & D. Joannis apoſtoli & euangeliſtæ teſtimonio intelligitur. Id verò, quod de longæva illa conſuetudine dixi, manifeſtiſſimè probatur auctoritate doctiſſimi viri Petri Damiani, olim cardinalis epiſcopi Hoſtienſis, qui annos abhinc quingentos ſupra viginti & amplius floruit; cujus ſcripta non adhuc per vulgi manus tradita, quatenus de re propoſita diſſerunt, quia admodum pia & candida viſa ſunt, hoc loco placuit inſerere. Ejus verba hæc ſunt.

C. J. *Ratio* 1, *ab antiquitate.*

Epiſt. 108 ad Seleucianum. Joan. in ultimis ſui euangelii verbis.

E

424 *Occurrit mihi quod ipſe à me quæſtione propoſita ſæpenumero requiſiſti, cur videlicet in imaginibus picturarum per univerſas adjacentes Romæ provincias, Petrus, qui primus eſt, ad ſiniſtram, coapoſtolus autem ejus Paulus conſtituatur ad dextram; cum juxta vulgarem ſenſum, hoc rerum ordo depoſcat, ut Petrus, qui ſenatus apoſtolici princeps eſt, dextrum Domini latus; Paulus vero, qui junior eſt, ſiniſtrum jure poſſideat: ſed durum eſt valde, ut opinemur, quia tam egregium tamque famoſum apoſtolicæ diſpoſitionis ordinem, inconſulte atque inconſiderate, devota Deo ac religioſa vetuſtas admiſerit: neque enim credendum eſt, ut Conſtantinus imperator, immo Papa Silveſter, totque poſt eos principes & ſacerdotes in eccleſiaſticæ diſciplinæ litura pervigiles atque ſolertes, hunc ordinem tantorum principum negligendum ducerent, ſi correptione dignum aliquatenus æſtimarent.* Hæc Damianus.

Petr. Damianus ad Deſiderium abbatem.

425 Atqui non propterea non adſunt validiſſimæ rationes, cur id ita factum demonſtretur: inter quas, non mediocris ponderis illa eſt, quod Paulus ab antiquiſſima ſtirpe Benjamin (quod latinâ linguâ dexteræ filium ſonat) originem duxerit. In eo namque quod Jacob ipſum, duodecim filiorum ſuorum poſtremum, Benjamin, id eſt filium dexteræ appellavit, typus Pauli præfiguratus eſt, quem ſummus Pater cæleſtis, licet ultimum poſt duodecim alios ad apoſtolatum vocaverit; ei tamen dexteræ ſuæ virtutem plus quodammodo, quam aliis impartitus eſt; nempe fortitudinem, ſapientiam atque eloquentiæ vim, quarum ope gentium populos, quaſi ipſo Dei præpotenti brachio ardenter ad Chriſti fidem rapuit: ſicut & per Rachelem illius matrem, quæ eumdem Benoni id eſt doloris ſui filium vocavit, ore prophetico (ut D. Ambroſius teſtatur) demonſtratum eſt, oriturum ex illius tribu Paulum, qui Eccleſiæ filios perſecutione afficeret, & gravi ipſam matrem Eccleſiam dolore vexaret. Quod latius & quidem elegantiſſime, idem Petrus Damianus eo in loco proſequitur in hæc verba:

Ratio 2. Ad Phil. 3 a.

Geneſ. 45.

F

Lib de Benedict. Patriarch. c. 12.

426 *Ne ergo ſanctæ hujus hiſtoriæ ordo inordinatus appareat, quod nobis videtur, breviter innoteſcat. Paulum plane de tribu Benjamin fuiſſe, quis ambigat? Benjamin autem Hebraicè, latinè Filius dexteræ*

C. J. *dexteræ nuncupatur. Quid ergo mirum ſi ad dexteram conſtituitur, qui vocabulum dexteræ ex paterno jure ſortitur? Enimvero, ut vetus illa B. Paulo liquidò congruere videatur hiſtoria, non ſine cauſa ſcriptura dicit. Quia egrediente anima Rachel præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii ſui Benoni, id eſt filius doloris mei: pater vero appellavit eum Benjamin, id eſt filius dexteræ. Per Rachel namque, qua Ovis vel Viſum principum dicitur, Eccleſia non immerito deſignatur, quæ nimirum, & adinſtar ovis, innocenter vivit, & per ſtudium contemplationis ad videndum redemptoris ſui ſpeciem medullitus inardeſcit. Benjamin igitur naſcente, Rachel mater emoritur, dum, appropinquante ad lucem novæ regenerationis Saulo, perſecutionibus Eccleſia per eum crudeliter impugnatur; ſicut Lucas in Actis Apoſtolorum, Saulus (inquit) devaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiam. Congrue itaque Rachel Benoni, id eſt filium doloris mei, vocat; quem Jacob Benjamin, id eſt filium dexteræ nuncupat: quia Paulus, qui matris Eccleſiæ dolor extitit, quique eam quodammodo, dum naſceretur, impugnando peremit, à Deo patre filius dexteræ eſt vocatus, dum divina per eum potentia adverſus gentes, quaſi per fortem ſuam dexteram dimicavit, verborum jacula violenter intorſit, ſalubres cordium plagas intulit, & per eum devictis ac proſtratis hoſtibus cum gloria triumphavit.* Et paulo poſt: *Recte igitur Paulus dexteri juxta Redemptorem lateris obtinet dignitatem, qui divinæ dexteræ non ambigitur exercere virtutem. An non quodammodo dexteram Dei, adverſus diabolum dimicantem, ſe fatetur eſſe? cum dicit: Ego autem ſic curro, non quaſi in incertum, ſic pugno, non quaſi aërem verberans.* Hæc ille.

Act. 8. a.

B

427 Eſt & alia non minus efficax illius ordinis ratio, ſanctorum patrum documentis tradita: quia videlicet (ut ſupra memoravimus) per dexteram potiora bona, id eſt ſpiritualia & æterna, per lævam autem temporalia & terrena ſignantur. Unde fit, ut Paulo, qui ad cæleſtia regna adhuc vivens mortaliſque à Chriſto Deo immortali jam facto, poſt glorioſam aſcenſionem, ſupra humanæ naturæ conditionem raptus eſt; non immerito dexter locus tribuatur. Petrus vero, quem Chriſtus, adhuc inter mortales conſtitutus, ad apoſtolatum vocavit, cuique arcana Dei noſſe, ut Paulo, datum non eſt, hujus myſterii demonſtrandi cauſa; ſiniſtrum aliquando locum retinet. Id quod idem Damianus ibidem luculenter expreſſit, inquiens:

1 Cor. 9. *Ratio* 3.

Ambr. lib. 2. de Abraham c. 6. Aug. ſuper pſal. 120. Thom. ſuper ep. Paul. ad Hebr. cap. 8.

C

428 *Huc accedit, quia Paulus ad cælum tertium raptus aſcendit, ubi etiam arcana verba, quæ hominibus loqui non licet, audivit: Quis autem neſciat, quia vita terrena Dei ſiniſtram; cæleſtis autem ſignificat dexteram? ſicut ſponſa dicit in Canticis: Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læva namque eſſe ſub capite dicitur, quia præſens vita apud electum quemlibet, ſub mente, quæ procul dubio cogitationum caput eſt, deſpecta calcatur; dextera vero Dei ſponſam amplexare perhibetur, quia dum fidelis & ſancta anima æſtuanti ſui creatoris igne ſuccenditur, velut divinis quibuſdam amplexibus undique confovetur. Qui ergo carnis adhuc fragilitate circumdatus, ad cæleſtem vitam conſcendiſſe cognoſcitur, recte filius dexteræ nuncupatur;* & reliqua.

Cant. 2 a.

429 Hoc idem fere & Innocentius Papa III poſt ipſum innuit, dum eorum adducit opinionem, qui inter Euangeliſtas Matthæo & Joanni ſiniſtrum, Marco & Lucæ dextrum locum pari ratione aſſignant. Ejus verba ſunt: *Quidam tamen per duos annulos à ſiniſtris Matthæum & Joannem accipiunt, qui adhæſerunt Domino, adhuc paſſibili & mortali; per duos à dextris Marcum & Lucam, qui poſt Aſcenſionem adhæſerunt Chriſto, jam facto immortali & impaſſibili. Per ſiniſtram enim mortalitas, dextram vero immortalitas deſignatur, ſecundùm illud: Læva ejus ſub capite meo &c. Propter hanc cauſam in picturis eccleſiarum Paulus ad dextram, & Petrus ad ſiniſtram Salvatoris ſtatuitur.* Hæc Innocentius. Quem etiam, eam picturæ formam ſuo tempore artificibus imperaſſe, ex vermiculato emblemate in amplis fornicibus apud majores aras eccleſiarum Petri & Pauli adhuc conſpicimus; extantque litteræ, quibus ille de pictore ſibi ob eam cauſam tranſmiſſo, Venetis gratias reddit. Innocentii autem verba integrè retulit Guillelmus Durantes; addens ex eadem cauſa in bullis Papæ caput Pauli à dextris crucis; Petri vero à ſiniſtris poni. Quod & ante ipſum D. Thomas Aquinas declaravit, his verbis: *Et quia præſens vita ſignificatur per ſiniſtram, futura vero per dextram, in quantum iſta eſt cæleſtis & ſpiritualis, illa vero temporalis; ideo Petrus, qui vocatus fuit à Chriſto, adhuc in carne mortali poſito, ponitur in bulla Papæ in ſiniſtra parte; Paulus vero, qui vocatus fuit à Chriſto jam glorificato ponitur in parte dextera.* Eamdem ſententiam, & recentiores approbarunt.

D

Innocentius 3 in ſerm. de Euangeliſtis paulo ante fin.

In Rational. lib. 7 tit. 44.

Super Epiſt. 1. ad Gal.

E

Vivald. in opere regal. de pugna par. ſenſi. in 4 nota. &c.

430 Adducit præterea Damianus prædictus, & alias duas ejus rei ſignificationes. Alteram quidem, quia cum Paulus onus euangelicæ prædicationis ad gentes præcipue, Petrus vero ad circumciſos ſuſceperint; utique Paulo, cujus merito potiſſimum tranſlata ad gentes Eccleſia dexteram apud Dominum meruit, ſynagogâ poſthabitâ; congruenter ipſa pars dextra aſſignatur. Damiani verba hæc ſunt. *Non ergo immerito filius dexteræ Paulus vocatur, per quem omnis gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda eſt, ad fidei ſacramenta colligitur: accinctus ſiquidem verbo Dei, quod eſt gladius ſpiritus, hodie quoque & uſque in finem ſæculi dimicat, & tamquam fulminea Chriſti manus, vibratis cæleſtis eloquii gladiis, rigidas reſiſtentium Deo cervices obtruncat.*

Ratio 4.

Ad Gal. 2.

F

431 Altera ſignificatio eſt, quam idem aliquanto inferius exponit, dicens: *Quamquam & hoc non à myſterio vacet, quod beatus Petrus Dominici lateris ſiniſtram tenet: per illum ſiquidem activa vita ſignatur, & ſicut contemplativa per dexteram, ſic actualis exprimitur per ſiniſtram. Quod autem per beatum Petrum præſens vita, hoc eſt activa figuretur, in hoc præcipue demonſtratur, quod ſicut euangelica frequentiſſime teſtatur hiſtoria, & Petrus Dominum plus ceteris diſcipulis diligat, & Dominus non Petro, ſed Joanni potius prærogativam ſpecialis omnino dilectionis impendat: per Joannem quippe contemplativa, per Petrum vero, ſicut dictum eſt, activa vita ſignatur. Quia ſancti omnes in hac vita ad ſimilitudinem Petri Deum plus amant, & quaſi minus amantur, dum propter eum duras laboris moleſtias perferunt, mortali tamen adhuc carne circumdati ad amplexus ejus dulcedinem non pertingunt: illi vero, qui jam cum Deo ſunt, in hoc eum quodammodo minus amant, & magis amantur, dum*

Ratio 5.

A

dum & pro eo nullos laborum turbines ſentiunt, & tamen intimæ familiaritatis ejus oblectationibus perfruuntur. Non ergo mirum, ſi beatus Petrus aliquando partem videatur tenere ſiniſtram, qui & activæ vitæ continet ex ſcripturarum auctoritate figuram. Hactenus Damianus.

Ratio 6.

432 Sed etſi dexteram partem pro honoris loco interpretemur, adhuc Petrus licet dignitate major & princeps, myſtice tamen in ſiniſtra Pauli, apoſtolorum noviſſimi, ponitur, ut inde documentum ſumamus, ſummum Pontificem humilitate decoratum eſſe oportere, ſicut ipſe Petrus fuit juxta illud Euangelicum; *Qui major veſtrum eſt, ſit ſicut minor.* Unde D Gregorius, *Petrus* (inquit) *à Paulo minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur: qua in re factus eſt ſequens minoris ſui, etiam ut in hoc præiret, quatenus qui primus erat in apoſtolatus culmine, eſſet primus & in humilitate.* Qua de re uſus inolevit, jam inde ab ipſo Gregorio magno introductus, ut ſummi Pontifices ſeipſos ſervorum ſervos appellent: quod & ipſius Pontificis nomen, juxta Hebraicam derivationem oſtendit; ſignificat enim (teſte D Hieronymo) inclinationem, ut ſcilicet ipſi Pontifices, quamvis ſupra omnes mortales poſiti, meminerint tamen exemplo Chriſti, interdum de ſtatu ſuo declinare, atque adeo humiliter ſeſe ceteris Chriſti-fidelibus ſubjicere ac ſubminiſtrare. Eo enim ipſo, quo ſe humiles declarant, majores ceteris eſſe dignoſcuntur: eamque potiſſimum ob cauſam crediderim in altari ſacelli Pontificii talem ponendarum imaginum formam perpetuo obſervatam eſſe, ut ſummi Pontifices, ſacris intervenientes, atque earum figurarum ordinem ſæpius conſpicientes, divini illius præcepti facilius memores eſſent.

Luc. 9. Matt. 23. Lib. 2 ſuper Ezechiel. homil. 18 faciunt trad. per Tho. Camp. de poteſt. Papæ c. 12 num. 8 in fin. Gloſ. & doct. in proæm. Decretal.

B

Gomeſ. in d. c. 1 de conſtit. lib. 6 n. 8 9 & 10. Marc. 10 gloſ. c. diaconi, diſt. 93.

Ratio 7.

433 Illud etiam non omnino alienum videtur, ut tunc dextrum latus Paulo convenire dicamus, cum inter ipſos apoſtolos vel Crucis ſignum, vel Salvatoris imago media interponitur: cum vero iidem apoſtoli, vel à lateribus glorioſæ Virginis, vel ſimpliciter nulla inter eos imagine poſita, junguntur, Petrum rectius anteponi: cui interpretationi, & myſteria, quæ ſupra relata ſunt, optime quadrant; & ex verbis

C

auctorum, quæ jam recitavimus, idem illos obſervatum ſenſiſſe apparet: Quamquam non perpetuo id fuiſſe conſtet.

434 Hæc tandem fere erant, Pater Beatiſſime, efficaciſſima argumenta, quibus oſtenderetur, ſapienter quidem à noſtris majoribus divorum apoſtolorum picturas, ita ut dictum eſt, diſpoſitas fuiſſe: nam levioribus quibuſdam inſiſtere, operæ pretium non duxi; cujuſmodi ſunt illa, quæ Caſſaneus, ex Nebriſſenſi grammatico ſumpta adducit, de læva parte pro digniori apud antiquos habita; id potiſſimum in cauſa eſſe aſſeverans, cur Petrus in ſiniſtra, utpote honeſtiori parte locaretur; quin etiam D. Thomæ de ea re ſententiam, tot præclariſſimorum virorum unanimi conſenſu receptam, de qua ſupra mentionem fecimus, temere atque impudenter coarguens. Sed quam in eo ipſe fallatur, ſatis jam ex ſupra narratis declaratum eſt. At vero dexteram omni tempore præſtantiorem eſſe habitam, tum ex ſacræ paginæ obſervatione docuimus; tum etiam ex ipſis Ethnicorum ſcriptis perſpicuum eſſe poteſt: hi etenim, cum ſibi Deos hominesque propitios eſſe cuperent, dexteros illos adeſſe precabantur. Quale illud Virgilii.

In catalog. gloriæ mundi part. 3 conſid. 2.

Adſis ô placiduſque juves, & ſidera calo
Dextra feras. Et rurſus,
Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.

D

Lib. 4 Æneid. Lib. 8 Æneid.

Innumeraque alia hujuſmodi, quæ ex antiquis poëtis ſcriptoribuſque depromi poſſent.

Lib. 11, c. 45.

435 Plinius quoque dextræ religionem quamdam ineſſe teſtatur. Ac ne multa cumulem, ſatis id vel uno exemplo, ex Jugurthæ hiſtoria à Saluſtio deſcripta, comprobari poteſt. Inquit enim: *Hiempſal, qui minimus ex illis erat, natura ferox, etiam ante ignobilitatem Jugurthæ, quia materno genere impar erat, deſpiciens; dextrâ Adherbalem adſedit, ne medius ex tribus (quod apud Numidas honori ducitur) Jugurtha foret.* Quod ſi fortaſſe obſervatum eſſe aliquando dicatur, antiquitùs nobiliores aut digniores in ſiniſtra parte ſediſſe aut ambulaſſe; non id continuo honoris cauſa, ſed vel commoditatis, neceſſitatiſque aut nonnumquam præſidii, vel cuſtodiæ, vel etiam ob ſpecialem loci conſuetudinem, eveniſſe cenſendum eſt. Quemadmodum de Cyro legimus apud Xenophontem, ſolitum eſſe, cum medius in convivio accumberet, eum quem magis honeſtare cuperet, ad ſiniſtram apud ſe ſtatuere, vel quod hæc magis pateat inſidiis, vel quia cor ab ea

Saluſt. de bello Jugur. poſt princ.

E

parte locetur, cui qui proximior ſit, charior eſſe videatur: quod & noſtris quoque temporibus in uſu eſſe apud Turcas audivimus, & in celeberrima civitate Bononienſi & alibi conſuetum eſſe didicimus, ut nequaquam dextra vel ſiniſtra in inceſſibus honori detur, ſed locus tantum parieti proximior, ob deambulandi maxime commoditatem.

436 Ex his ergo jam patere arbitror, non ſolum eam conſuetudinem non eſſe vituperandam, ut effigies Pauli dextram, Petri vero lævam partem poſſideat; ſed ſumme in hoc, ut in ceteris priſcorum ſanctorum patrum, ita ſtatuentium, ſapientiam judiciumque eſſe collaudandum. Verumtamen (ut noſtram de ea re opinionem tandem interponamus) non utique id tam religioſe tamque exacte ſervandum eſſe crediderim, ut perpetuo, & ubique Petri imaginem in læva, Pauli in dextera pingendam eſſe affirmem; ſicuti nec ita dexteram Petro convenire aſſevero, ut errori tribuam, ſi qui unquam aliter finxerunt aut fingunt: quod minus quidem recte ſenſiſſe Paridem Craſſum, ex his quæ ſupra narravimus, abunde conſtare arbitror: ſed utrumque morem diverſis in locis propter diverſas intelligentias, prout hactenus conſuevit, conſervandum eſſe in poſterum, cenſemus: nihil enim inde pugnans aut contrarium redundat, quandoquidem, ut ſæpius jam nominatus Damianus ait; cum Petrus ad dextram ponitur, primatus ejus, quem inter ceteros ſortitus eſt apoſtolos, honoratur: cum verò Paulus ejuſdem dextri lateris occupat locum, Benjamin, aliaque ſupra narrata myſteria repræſentantur.

F

437 Ea autem cum nihil contra fidem, aut contra bonos mores, quinimmo excitationem quamdam & documentum melioris vitæ contineant, conſtantiſſime ſunt retinenda atque approbanda; D. Auguſtino ita docente. *De his, quæ varie per diverſa loca obſervantur, tibi aliqua ſcribere non eſt neceſſarium: una in his ſaluberrima regula retinenda eſt, ut quæ non ſunt contra fidem, nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed laudando & imitando, ſectemur, ſi*

Lib. 2 ad inquiſit. Januarii.

C. J. Arg. l. si pater § qui duos ff. de adopt.

aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Nec vero recte dixerit quis, alterius minui majestatem aut dignitatem, quod diverso modo, ob diversas considerationes figuretur Exemplum ex veteri testamento de Moyse & Aaron in promptu est; quorum alter alteri, secundum varios sensus præponitur. De his D. Ambrosium audiamus. *Moses ille* (inquit) *quo nemo præsentius Deum vidit, neque surrexit in Israël propheta, qui Deum facie ad faciem, sicut Moses, videret; ille qui diebus quadraginta cum Deo jugiter & noctibus fuit, cum legem acciperet in monte; ille (inquam) cui Deus dabat, quos loqueretur sermones, invenitur magis Aaron fratris consilium, quam suum, probasse. Fuit ergo quisquam hominum Mose prudentior & instructior? At ipsum Aaron circa Æthiopissæ personam errasse legimus. Sed hoc ipsum diligentius discute, ubi Moses scientia præponderet, ubi Aaron consilio. Moses magnus propheta, qui de Christo dixit; sicut me, ipsum audietis; & de quo ipse Dominus ait, si Mosen & prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis ad illos adierit, credent. Ergo in causa prophetiæ præfertur Moses, sicut propheta; ubi autem causa & munus & officium sacerdotii est, præfertur Aaron, sicut sacerdos.* Hæc Ambrosius.

Exod. c. 6. Lib. 1. epist. ep. 2.

B

438 Hinc consuetudo invaluit, dum coram Pontifice maximo, & sacro Cardinalium senatu, vel etiam absente Pontifice, sacra fiunt, ut principes quidem laici ad dexterum Pontificalis solii latus stent: Patriarchæ vero & alii prælati assistentes, sinistram partem, sedentes occupent: cum tamen isti procul dubio propter ordinem & dignitatem ecclesiasticam, essent præferendi; prout vere ipsos certis casibus præcedere videmus. Quid enim aliud sibi vult hæc ordinis commutatio, nisi ut mysteriorum diversitas demonstretur? Porro cum dexterum apud se latus summus Pontifex seculi principibus concedit, Pontificiæ majestatis declaratur humanitas, illis quidem perillustrem locum ante eximios viros patriarchas, primates atque episcopos, omni veneratione dignissimos, tribuens, quibus alioquin præcipuus ubique locus jure debetur; ut eo beneficio ac benignitate allecti, ipsi illustres primoresque orbis proceres, tanto libentius, Christi Dei religionem amplectantur, ejusque sanctissimum

C

Vicarium omni pietate venerentur. Iidem tamen, non sedentes, sed erecti, ibi adstant, tamquam pro tutela & custodia throni Pontificii parati & vigilantes: ac ne propterea sedendo viderentur omnino ecclesiasticis superiores esse: quos quidem, licet digniores, summus Pontifex, tamquam sibi magis familiares, in parte humiliori collocat. Rursus vero illi pro cinerum mysterio piaque adoratione Crucis, posteriores incedunt, ut in his saltem duobus humilitatis actibus manifeste sacerdotio cedentes, demissionem animi ostendant, vereque se aliquando inferiores ordine fateantur.

c. solitæ extr. de majori. & obed.

439 Ut igitur eò, unde digressa est jam revertatur oratio; nihil Petri dignitati, auctoritati aut primatui derogatur, cum Paulo dextera tribuitur; nec Pauli mirificæ electioni, sapientiæ ac meritis, cum eamdem Petro assignamus; sed ea utrisque aptissime convenit: in quo inest mirabile inter ipsos æqualitatis mysterium. Quemadmodum enim, cum ipsum Deum patrem ad dexteram filii esse, Propheta ait,

Ratio 8. De æqualitate inter ipsos sanctos.

Psal. 15.

telligimus; cum vero filium ad dexteram patris sedere ex eodem Propheta legimus, æqualitatem divinitatis inter patrem & filium interpretamur: ita etiam cum Petrum Paulo præponimus, Pontificiæ dignitatis culmen; cum vero Paulum ad Petri dextram collocamus, æqualitatem gloriæ, qua ob æqualia merita ambo in cælis fruuntur, significari recte dicimus; quos (ut beatus Leo inquit) gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput Christus est, quasi geminum constitueret lumen oculorum.

C

Psal. 109.

In serm. de ipsis Apostolis.

440 De his etiam D. Ambrosius ita loquitur: *Beati Petrus & Paulus eminent inter universos apostolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt: verum inter ipsos quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos esse æquales meritis, qui æquales sunt passione, & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse*, & reliqua. *Isti sunt*, ut Nicolaus Papa IV, Leonem Primum imitatus, scribit, *per quos Euangelium Romæ resplenduit; isti sunt ejus patres verique pastores; isti sunt, qui uno die pro merito, uno loco pro gloria, sub uno persecutore, pro pari virtute compassi, urbem ipsam glorioso cruore martyrii Christo Domino consecrarunt; isti sunt, qui illam in hanc gloriam provexerunt, ut sit gens sancta, civitas sacerdotalis & regia. De quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil* (ut idem beatus Leo inquit) *diversum, nihil debemus sentire discretum; quia illos, & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales.*

Serm. ord. 66. & 2. q. 7. Beati, Chron. Anton. tit. 6 c. 4.

c. fundamenta de elect. l. 6. Leo Papa in serm. de ipsis apostolis Petro & Paulo.

E

Ibidem.

441 Jure ergo optimo ipsa urbs Roma tantos principes, quorum æqualiter meritis, cum esset magistra erroris, facta est discipula veritatis; quos etiam ambos pariter pro ejus commodo & salute tantum laborasse constat, ut Attilam Dei flagellum, ferociter in ipsam urbem irruentem, etiam strictis gladiis à nefario conatu divinitus occurrentes, expulerint: pari (inquam) utroque honore, tot beneficiorum memor, & quam gratissimo potest animo, prosequitur; dignitatemque utriusque variis in locis vicissim extollit: atque ipsa Apostolica sedes Romanique Pontifices, antiquissimum morem adhuc retinentes, ne major uni, quam alteri honos exhiberi videatur; licet Pauli faciem in

F

dextra, Petri vero in sinistra plumbei sigilli apponi faciant; tamen in ipsa diplomatum scriptura, cui idem sigillum appenditur, & aliàs, quoties de iisdem mentionem fieri contingit, Petrum primo, mox Paulum nominant.

442 Nuperrime autem in regia aula Vaticani, structuræ magnificentia & specie haud facile alteri in orbe secunda, à Paulo III olim incepta, nunc demum tuâ, Gregori, munificentiâ ac liberalitate, pulcherrimo opere, picturis & pavimento, illustrata atque perfecta, non inconsulte artifices, ipsorum Apostolorum imagines, non uno modo, sed vicissim alteram alteri cedentem finxerunt. Quod si tot, doctrina & sanctitate conspicui patres, uter eorum alteri præstaret, definire ausi minime sunt, sed eos æque venerandos esse, statuerunt; quis id amplius in contentione ponere audeat? Quare satius fuerit præclara eorum admirandaque facta, mente evolvere; excelsas utriusque virtutes, vitæ innocentiam, memoranda exempla, divinaque scripta, & præcepta ab illis

nobis

A nobis tradita accurate perpendere & contemplari; quantumque in nobis eſt, ut eorum quam ſimillimi efficiamur conari; per ſigna ſacraſque illorum imagines in glorioſæ ſortis eorum cogitationem aſcendere, cogitando admirari, admirando humili eos corde rogare, ut nobis apud regem regum, omnium creatorem & moderatorem ſuis ſuffragiis præſto eſſe velint; ut & nos aliquando tantæ felicitatis conſortes eſſe mereamur: ac, quando hujus ſanctæ Sedis fundatores fautoreſque ſemper extiterunt, eam etiam perpetuo protegere dignentur; & te Gregorium XIII, eorum loco navis gubernacula, divino conſilio, noſtris temporibus regentem; à fluctibus procelliſque defendant; noſtroque & Reipublicæ Chriſtianæ beneficio, tantum principem & paſtorem; in quo nec doctrinam, nec prudentiam aut gravitatem morum, nec optimæ mentis conſcientiam aut gubernandi peritiam, omnibuſque in rebus æquabilitatem, aut ullam denique virtutem deſiderare aliquis jure poſſit; diutiſſime ſervari, eorum interceſſione & precibus, à Domino contendant.

B

AUCTARIUM

Alterum ad eamdem apſidem.

Alia in apſidem Vaticanam notata

Præterquam quod in apſide noſtra repræſentetur Paulus ad dextram ſedentis Chriſti Domini in throno, & Petrus ad ſiniſtram; alia quoque nonnulla ibidem adhuc ſunt animadverſione digna, quæ vix aut obiter tantum tractavimus; videlicet de cruce gemmata; de libro in manu Domini; de ſandaliis pedum; de quatuor fontibus; item de poſitura Pauli ad dextram Petri. Hæc præſentis Auctarii argumenta ſunt, confirmatura quæ jam diximus & lucem allatura illis, quæ non tetigimus. Prodiit nuper Romæ & in manus meas nuperrime venit (poſtquam tractatus meus de antiqua S. Petri baſilica in Vaticana compoſitus ac majori parte impreſſus eſſet) liber Abbatis Joannis Chriſtophori Battelli, prædictæ baſilicæ Beneficiati; in quo diſſerit auctor de ſarcophago marmoreo Probi Anicii & Probæ Faltoniæ in templo Vaticano; atque imagines, quæ in illo plures, ſub finem ſeculi IV *(quando Probus vir conſularis & chriſtiana pietate inſignis obiit) ſculptæ, adhuc conſpiciuntur, explicare conatus eſt, ac multa dilucide pertractat. Nonnulla in illis ſunt, quæ etiam in apſide noſtra ſimili modo repræſentantur; eaque, prætermiſſis ceteris, ex Battelli explicatione, quemadmodum ſuprà aliorum aliquot dedi, hîc propono*

ex libro Battelli nuper edito.

C

De cruce gemmata,

444 *Prima Auctoris obſervatio verſatur circa crucem gemmatam ſeu gemmis ornatam, quam in prædicto ſarcophago Salvator mundi ſtans, dextrâ erectam tenet, quamque apſis noſtra per ſe ſtantem in throno exhibet, uti videre eſt in tabula apſidis pag.* 135, *& in altera, pag.* 141. *De ſua Battellus pag.* 40 *num.* 13 *ita ſcribit:* Crux gemmis ornata, quæ in Redemptoris dextra manu conſpicitur, pium ſignat morem veterum Chriſtianorum, quibus, ut S. Joannes Chriſoſtomus advertit *in homil. de adorat. Crucis,* ſanctiſſimum hoc ſalutis noſtræ tropæum ex auro, margaritis, gemmiſque effigiare ſolenne fuit: ut ſcirent omnes, crucem, ſontium olim ſuppliciis infamatam, ipſo viſu horrendam, ore nefandam, & horrore cavendam, ex quo eam pro ſalute hominum Chriſtus Redemptor noſter ſponte ſubiit, jam fuiſſe redditam fulgentem, decoram, pretioſam, atque glorioſam; cujus moris meminit etiam Prudentius *contra Symmach. lib.* 1, cum Romam alloquitur, his verſibus: C. J.

Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.

à Conſtantino M. honorata.

445 Hujus autem religioſiſſimi inſtituti primordia referenda profectò ſunt ad Conſtantinum Magnum, qui poſt partam inſignem de Maxentio tyranno victoriam ſanctiſſimæ Crucis virtute, ad illius cultum & veneration-em ubique terrarum propagandam, miro ſtudio exarſit, & primus omnium in ipſomet Romani fori umbilico ſuum erigi juſſit ſimulachrum; quod triumphale Crucis vexillum dextrâ manu præferebat, nobili hoc inſcripto titulo, ut Baronius tradit *ann.* 312. *tom.* 3. *pag.* 79. *edit. Romanæ.*

HOC SALUTARI SIGNO,
VERO FORTITUDINIS INDICIO,
CIVITATEM VESTRAM
TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI,
ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM
VINDICANS,
PRISTINÆ AMPLITUDINI ET
SPLENDORI RESTITUI. E

Quinimò & in ſuo Conſtantinopolitano palatio crucem auream, pretioſis undique gemmis excultam, locari præcepit; quod Euſebius *lib.* 3. *cap.* 4. *Vit. Conſtant.* his plane verbis memorat: Tantus item, & tam divinus amor Imperatoris animum complexus eſt, ut in ipſo palatii introitu, in ædificio omnium excellentiſſimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, ſalutaris paſſionis inſigne ex lapillis pretioſis cujuſque modi, auroque multo polite elaboratis confectum, figendum curaverit.

De volumi-nibus, quæ tenentur manu.

446 *Habet quoque, uti in ſarcophago, ita & in apſide noſtra, Salvator librum ſeu* volumen, quod ſtans ſupra montem læva manu præfert, quâ ſpecie in antiquis præſertim tabulis pictus & ſculptus frequenter occurrit; ſignificat autem novæ legis editionem, ab eodem Reparatore noſtro peractam, qui eſt lux mundi & via, veritas ac vita, & liber vitæ. Ita explicatur à Durando *in Rational. lib.* 1. *cap.* 3. & à Ciampin. *de vet. monum. cap.* 27. *pag.* 247. Quod autem Salvator monti inſiſtens exhibeatur, referendum videtur ad ejuſdem novæ legis promulgationem in monte factam, de qua Matth. *cap.* 5. Neque id myſterio caret; ſicut enim Deus, legis antiquæ tabulas Moyſi traditurus, illum accerſivit in ſummum verticem montis Sinai, ut ab ipſa loci altitudine præceptorum ſublimitas dignoſceretur; ita plane æternus Dei filius majora præcepta oblaturus populo, quem charitate jam liberari convenerat, par erat, ut è montis cathedra cæleſtis doctrinæ ſuæ aperiret exordium; quod S. Auguſtinus *lib.* 1. *de ſerm. Domin. in monte*, his verbis exponit: Si quæritur, quid ſignificet mons, bene intelligitur ſignificare majora præcepta juſtitiæ, quia minora erant, quæ Judæis data ſunt. Et inferius: De hac ergo juſtitia, quæ major eſt, per Prophetam dicitur, Juſtitia tua, ſicut montes Dei: & hoc bene ſignificat, quod ab uno Magiſtro ſolo, F

C. J. solo, docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. Volumina consimilia, quæ in Apostolorum Christo assistentium manibus conspiciuntur, acceptam ab ipso facultatem docendi & prædicandi Euangelium omni creaturæ, designant; ea autem non incongrue manibus retinent, cum ab eodem Salvatore moniti fuerint facere & docere, ut advertit Ciampinus loco proxime citato.

De figuris tunicatis & palliatis,

447 *Imagines quoque Christi Domini & Apostolorum in apside nostra, æque ac in sarcophago*, tunicatæ ac palliatæ apparent, quales in singulis ferè cœmeterialibus tabulis inspiciuntur. Eo indumenti genere usum fuisse Redemptorem nostrum, satis aperte tradit Euthymius in illa Joannis verba; Surgit à cœna, & ponit vestimenta; ubi hæc ait: vestimenta, hoc est, pallium: nam eo solemus exui aliquid operis facturi. Eusebius autem *lib. 7 cap.* 14, & Sozomenus *l. 5*, apud Cæsaream Philippi ad sua usque tempora æream Christi Domini statuam pio studio mulieris, à sanguinis profluvio curatæ, illi erectam stetisse testantur; quæ quidem sacra imago tunicam ac pallium præferebat. Apostolos itidem hoc eodem indumenti genere uti consuevisse, ex illis Domini verbis apud Matthæum *cap.* 5, perspicue comprobatur: qui vult tecum (inquit Christus) judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et Matth. 16. Nolite possidere duas tunicas. Inde vero, nimirum à Christi & apostolorum exemplo, clerici morem sumpserunt deferendi tunicam, & pallium, quibus nostra etiam ætate communiter indui solent, ut notat Aringhus *lib. 6 cap.* 28 *num.* 1. Erat olim pallium propria vestis philosophorum, præcipue Græcorum; hinc Christiani, qui veræ sapientiæ sectatores se profitebantur, ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis pallium, tamquam convenientem suæ professioni habitum usurparunt.

B

ex sanctis Patribus.

448 Quod Tertullianus in suo eruditissimo opusculo de Pallio fusiùs explicat, & postquam de illius forma, usu, & laudibus subtiliter & copiosè disseruit, tandem de se ipso, relicta gentilitate ad Christianam Religionem conversо, quod togam, commune Romanorum indumentum, abjecerit & pallium sumpserit, hæc ait in fine opusculi. At ego jam illi *pallio*, etiam divinæ sectæ & disciplinæ commercium confero: gaude pallium & exulta; melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti. Quid autem pallium mystice significet, S. Ambrosius *de Virgin. lib.* 3, diserte nos docet his verbis: Caveamus igitur ne lapsus noster, vulnus Ecclesiæ fiat: ne quis à nobis pallium auferat, hoc est, amictum prudentiæ, insigne patientiæ, quo mollioris ambitio vestis exuitur Qui enim mollioribus vestibus induuntur, in domibus regum sunt. Nobis autem pallium dedit Christus, quo apostolos suos, & corpus suum ipse vestivit. Quod denique jubet te dare, si quis à te tunicam petat, ut dimittas ei & pallium, id est, insigne philosophiæ tuæ tradas, & quasi amictu prudentiæ tuæ eum, qui ante nudus fuerat, circumvestias.

C

De sandaliis in pedibus.

449 *In sarcophago, inquit Battellus (puta etiam in apside nostra, quamvis non satis distincte expressum sit)* Salvatoris & apostolorum aliorumque Sanctorum pedes teguntur sandaliis; quod certe non ad sculptoris placitum factum credas, nec ad temporum mores vel regionis referendum, sed potius ad ejusdem Domini nostri mandatum, qui *Marc. cap.* 6, præcepit apostolis, nequid tollerent in via, nisi virgam tantùm: non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceatos sandaliis; & ne induerentur duabus tunicis. Sandaliis igitur ex præcepto Domini apostolos, quin etiam ipsum Dominum uti consuevisse, tum hæ, tum plures aliæ antiquissimæ eorum imagines luculenter ostendunt. Ideo vero Salvator sandalia gessisse, eorumque usum apostolis injunxisse fertur, quia in Palæstinæ præsertim regione ejusmodi calceamenti genus ab infimæ sortis dumtaxat hominibus, ac egenis usurpabatur: quales profecto Dominus sectatores suos esse, palamque exteriori etiam corporis cultu semetipsos exhibere, in primis cupiebat, ut tradit Aringhus *Rom. subterr. lib. 6 cap.* 28. Quid autem sandalia significent, Beda *in epist. ad Ephes. cap.* 6, his verbis exponit: Marcus dicendo calceari apostolos sandaliis, vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, id est, ne occultetur Euangelium, nec terrenis commodis innitatur. Hoc idem euangelicæ prædicationis mysterium in sandaliis agnoscit & explicat S. Anselmus *in Matth. homil.* 3: Calceamentum est totum Euangelium. Apostoli dicuntur habuisse sandalia, quæ subtus soleas habent, desuper vero aperta & ligata corrigiis, quia pedes apostolorum sunt calceati in præparatione Euangelii pacis. Euangelium debet prædicatores munire, ne terrenis adhæreant, sed debet esse apertum audientibus, ad quos eunt. Eidem planè sententiæ adstipulatur Albinus *de divinis Offic.* ubi hæc ait: Sandalia dicuntur soleæ; est autem genus calceamenti, quo induuntur ministri Ecclesiæ, subterius quidem soleâ muniens pedes à terrâ; superius vero operimentum habens; significat autem ministrum verbi Dei non debere terrenis imcumbere, sed potius cælestibus inhiare, & prædicationem suam nulli occultare.

D

De 4 fontibus sub monte fluentibus.

450 Quatuor fontibus (*sunt illi similiter & in sarcophago & in apside*) seu potius fluminibus, è monte, cui Salvator insistit, scaturientibus, designari opinamur, quatuor illa Paradisi celeberrima flumina, de quibus in Genesi *cap.* 2, Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. His autem quatuor fluminibus, ab uno fonte de loco voluptatis egredientibus, jugiterque fluentibus ad irrigandam superficiem universæ terræ, sacra quatuor Euangelia ab uno Domino Salvatore, qui est fons vitæ, per universum mundum diffusa, mystice prænotari, una eademque est omnium fere patrum sacrorumque interpretum sententia; inter quos S. Eucherius *in cap.* 3. *Genes.* hæc ait. Quatuor Paradisi flumina quatuor sunt Euangelia, ad prædicationem cunctis gentibus missa. Idipsum tradit etiam disertissimus Cyprianus *tractat. de ablut. ped.* hæc dicens: Hinc egredientia quatuor Euangelii flumina per universum mundum regenerationis evehunt lavacrum. Et *epist.* 73 *ad Julian.* Has arbores rigat quatuor fluminibus, id est Euangeliis quatuor, quibus Baptismi gratiam salutaris cælesti inundatione largitur. Idem

E

F

plane

A plane Theodoretus affirmat in illa Regii Prophetæ verba ; fluminis impetus &c. Fluvium (inquit) hîc Euangelicam prædicationem nuncupavit : sicut enim paradisi fons in quatuor flumina divisus est, eodem modo hic Dei fluvius infinitos habuit & innumerabiles rivos, qui percurrerunt omnes hominum gentes. Porro Innocentius Papa III *in sermone, quem habuit in festo S. Gregorii Magni*, iisdem fluminibus divinarum scripturarum fluenta, earumque mysticos sensus significari, his verbis tradit : Fluvius inde progrediens est sacra Scriptura, quæ per Spiritum sanctum est edita & exposita. Sicut enim fluvius ille dividitur in quatuor capita, sic Scriptura sancta in quatuor species, Historiam, Allegoriam, Anagogen, & Tropologiam. Hæc Innocentius

Cur Paulus ad dextram Petri.

451 *De positura imaginum S. Petri & S. Pauli, illius ad sinistram, hujus vero ad dextram Christi Salvatoris in apside nostra, multa jam diximus, & tractatum Francisci Mucantii illa de re dedimus. Eamdem posituram habet sarcophagus ; in quam Battellus ex variis scriptoribus ac suo quoque ingenio commentatur sequentia.* Inter Sarcophagi imagines animadversione digna videtur inversa atque præpostera collocatio SS. Apostolorum Petri & Pauli : hic enim ad dextram, ille vero ad sinistram Salvatoris constitutus apparet, ut Petri calvities ostendit, quâ ferme specie eum à priscis usque temporibus pingi consueviſſe notat Molanus *de sacr. Imagin. lib. 3, cap. 21.* Perantiqua sane est, & multorum torsit ingenia, quæstio ; Cur Paulus in plerisque veteribus signis & imaginibus ; quin etiam hodie in Apostolicis diplomatibus, à dextris Petri collocetur : cum juxta vulgarem sensum hoc rerum ordo deposcat, ut Petrus, qui Senatus apostolici Princeps est, dexterum latus teneat, Paulus autem, qui junior est, & illi potestate inferior, sinistrum jure possideat, ut ait D. Petrus Damiani, qui omnium primus, *in epistola ad Desiderium*, quæstionem hanc discutiendam sibi proposuit. Variæ quidem sunt circa ejusmodi morem ecclesiasticorum scriptorum sententiæ, quas operæ pretium ducimus hîc paucis perstringere.

B

C *An pars sinistra dignior sit, quam dextra.*

452 Opinantur quidam ideo Petrum in sinistra collocari consueviſſe, quia pars læva vel sinistra apud veteres cum Romanos, tum Græcos, quin etiam apud Hebræos, dignior atque nobilior dextrâ in sacris habita fuerit ; quod multis allatis argumentis & exemplis suadere conantur, præ ceteris Chassanæus *in Catalog. glor. mund. part. 3. conf. 2.* Goropius Bacanus *lib. 3. Hieroglyph.* Baron. *ann. 325. tom 3.* Bin. *in annotat. ad Concil. Nicen.* Macrius *in sua notitia Vocabul. Eccles. verb. Bulla.* Sed multo copiosius, ac eruditius omnibus sinistræ manus dignitatem probare nititur Antonius Nebrissensis *in adnotat. ad quinquag. scripturæ loca.*

Honoris causâ Paulus Petro prælatus:

453 Hæc autem opinio à pluribus aliis, & præsertim ab eruditissimo Allatio *de Eccles. Occident., & Orient. perp. consens. lib. 1. cap. 6. num. 7. & seq.* Macedo, *de clavibus Petri, & potest. Roman. Pont. in Bibliotheca Max. Roccabert. tom. 12.* & Mucantio *in suo inedito opusculo de Imaginibus SS. Petri, & Pauli*, docte, solide, & copiosissime confutatur, simulque statuitur dextram multo digniorem, præstantioremque apud omnes populos semper habitam fuisse. Idipsum sentire videtur etiam S. Petrus Damiani, qui propterea ratus, non inconsulte à religiosa antiquitate digniorem locum Paulo fuisse tributum, ad alias mysticas ejusmodi moris rationes examinandas convertitur. Porro hujus sententiæ sectatores arbitrantur, Paulum Petro olim fuisse prælatum, & nunc maxime in apostolicis diplomatibus anteferri, honoris gratia ; cujus honoris sex potissimum rationes proponunt.

C. J

quia utilior fuerit Ecclesiæ in multis :

454 Prima est, quia Paulus plus Ecclesiæ profuisse videtur, quam Petrus ; plures enim ex gentibus ad Christi fidem adduxit : plures Provincias summo cum labore peragravit ; plura scripta, eaque utilissima nobis reliquit. Ecclesia vero in colenda Sanctorum memoria æque respicit gradum honoris, quem habuerunt in terris ; ac utilitatis, quam posteris attulerunt. Cum autem gratitudinis causa eos honoret, illis majorem cultum defert, quibus plus debet. Certe Stephanus & Laurentius Diaconi tantum erant, quorum ille S. Jacobo episcopo & apostolo, ille S. Sixto summo Pontifici ministravit, & tamen Ecclesia magis honorat Stephanum, quam Jacobum ; magis Laurentium, quam Sixtum, quia clarissima horum Diaconorum martyria toti Ecclesiæ mirifice præluxerunt. Pari ratione S. Hieronymus & S. Thomas Aquinas simplices Presbyteri fuerunt : Antonius, Benedictus, Franciscus, ne Presbyteri quidem, & tamen ab Ecclesia, quod ad cultum attinet, multis sanctis episcopis, & martyribus, & summis etiam pontificibus præponuntur ; quoniam illi scriptis libris, isti Ordinum religiosorum institutione plurimum Ecclesiæ profuerunt His plane verbis primam hanc rationem explicat Cardin. Bellarminus *de Roman. Pontif. lib. 1. cap. 27.*

E

quia præstantus in Benjamin:

455 Altera ratio est, quia Paulus de Tribu Benjamin erat, & in ipso Benjamin demonstratus ac typice expressus in Scripturis ; porro Benjamin, etsi postremus erat inter filios Jacob, tamen & a patre filius dexteræ est appellatus, & à Joseph omnibus fratribus antepositus, ut habetur in Genesi *cap. 35, & 42* Cui quidem rationi, à Petro Damiani primum excogitatæ, & mox admissæ à Bellarmino, *ubi supra*, Menoch. *Stromat. lib. 1. cap. 21*, Casal. *de vet. sac. Christian. rit. cap. 2*, & pluribus aliis, plane consonant carmina posita in argenteo ciborio sacrosanctæ Lateranensis ecclesiæ, in quo veneranda capita SS. apostolorum Petri & Pauli asservantur, eo inter se ordine collocata, ut Paulus dexterum, Petrus autem sinistrum locum teneat, teste Soresino *in suo opusculo de iisdem sacris capitibus cap. 1.* Sunt autem carmina hujusmodi,

Cedit Apostolicus Princeps tibi, Paule : vocaris
Nam dextræ natus, vas, tuba clara Deo.

F

quia doctor gentium præcipuus :

456 Tertia ratio est, quia Paulus Doctor gentium præcipuè fuit, Petrus autem Judæorum : ut igitur significaret Ecclesia, Gentiles Judæis antepositos esse ab eo, qui dixit, major serviet minori, Paulum Petro antepositi. Ita Bellarminus, Menochius & alii præcitati.

quia è cælo vocatus ad apostolatum

457 Quarta ratio est, quia dextera significat vitam cælestem, sinistra vero temporalem ; unde non immerito dexter locus Paulo tribuitur, qui de cælo vocatus fuit à Christo immortali & regnante ac sedente ad dexteram Patris ; & vivens adhuc ad cælestia raptus est. Petrus autem vocatus fuit à Christo, adhuc mortali carne circumdato, & quodammodo in sinistris

C. J. constituto, ideoque illi sinistra assignatur. Hanc rationem maxime probat S. Thomas *in epist. ad Galat. cap.* 1. *lect.* 1. ubi hæc ait : Petrus qui vocatus fuit à Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte; Paulus vero, qui vocatus fuit à Christo glorificato, ponitur in dextera: eamque rationem allegant etiam Petrus Damiani *ubi supra.* Innocentius III *serm. de Euangelistis.* Durandus *in Rational. lib.* 7. *cap.* 44. Menochius & Casalius, locis proxime citatis.

item ut extolleretur Petri humilitas:

458 Quinta ratio est, ideo Petrum collocari à sinistris, ut illius humilitas ac modestia, qua maxime excelluit, hoc exemplo declaretur, simulque documentum sumatur, Pontificem Maximum non alia virtute magis, quam humilitate præditum esse oportere; quod ipse palam profitetur, dum in omnium apostolicarum literarum exordio se servum servorum Dei appellat. Hanc rationem attingunt præ ceteris Mucantius, Casalius & Soresinus, locis præallegatis, eamque fusius, ac erudite comprobat Dominicus Rainaldus *apud Allatium de Eccles. Occid., & Orient. perpet. consens. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 12.

B

& ob æqualitatem meritorum utriusque:

459 Sexta demum ratio est, quia dum Paulus Petro præponitur, significari potest, hos apostolos esse meritis æquales : nam & Scriptura æqualitatem inter Filium & Patrem significat, dum Filium docet ad dexteram Patris sedere. Ita Casalius & Soresinus, qui ad assumptum comprobandum sequentia carmina subdit.

Bissenos inter Proceres duo lumina, per quos
Roma potens magni sustinet orbis onus.
Seu dextra, lævaque sedent, par gloria utrique,
Par honor, & laus est : stat bene quisque loco.

non ex arbitrio pictorum sic positi fuerunt.

460 Porro alii in longe diversam abiere sententiam. Opinati enim sunt sculptorum, pictorumque hallucinatione, ac imperitia morem hunc in Ecclesiam invectum esse, nullaque prorsus venerandæ antiquitatis auctoritate fulciri. Ita præ ceteris Antonius Caracciolus *in sua epistola apud Allatium, ubi supra, num.* 3. Hæc tamen opinio paucos habet suffragatores, eamque, ut futilem, rejicit idem Allatius. Cum enim (ait ipse) iconum iste situs non heri, aut nudius tertius, vel avorum nostrorum memoria cœperit, sed multo Petri Damiani antiquiora tempora agnoscat; si errore id sculptorum aut

C

pictorum in Ecclesiam irrepsisset; & emendassent summi Pontifices, & scriptores causam hujusce prælationis tam sedulo atque anxie quærere desiissent. Paris autem de Grassis apud eumdem Allatium non modo id consulto factum affirmat, verum etiam ejusmodi moris originem referendam putat ad monachos S. Benedicti, qui cùm celeberrimo divi Pauli de Urbe templo præessent, suoque tutelari plus æquo favere vellent, ipsi digniorem locum assignare cœperunt. Paridis tamen sententiam in eo, quod ad hujus consuetudinis primordia spectat, nequaquam subsistere vel ex hoc ipso Probi Amicii sarcophago manifeste colligitur, in quo Paulus ad Petri dexteram locatus est; has enim imagines, cum sub exitum quarti seculi sculptæ fuerint, Benedictinæ familiæ ortum præcessisse, nemo negaverit.

Paulus non semper à dextra Petri collocatus.

461 In hac opinionum varietate quid statuendum sit, præstantioris ingenii judicio relictum velim. Illud tamen silentio prætereundum non esse arbitror, consuetudinem hanc ponendi effigiem Pauli ad dexteram Petri, in Ecclesia non fuisse perpetuam, atque constantem. Id in primis perspicuum fit ex antiquissima tabella, S. Silvestri ævo depicta, quæ in basilica Vaticana summa cum religione custoditur; in ea enim Petrus ad dexteram Pauli collocatus aspicitur. Multa alia consimilia antiquitatis exempla recenset Allatius, *ubi supra num* 8, eumdemque ordinem à Nicolao IV, Bonifacio VIII, Nicolao V, Pio II, Sixto IV & aliis Romanis Pontificibus in collocandis utriusque apostoli signis perpetuo observatum fuisse, notavit Mucantius. Nostra etiam ætate in Pontificiis numismatibus Apostolorum capita eâdem plane specie semper excudi manifestum est; quin & in ipsa Vaticanæ basilicæ area veteres statuæ marmoreæ SS. Petri & Pauli ita collocatæ cernuntur, ut hic sinistram, ille vero dexteram partem obtineat. Et quotiescumque in ejusdem basilicæ altaribus argentea vel ænea utriusque apostoli simulacra fidelibus colenda proponuntur, Petrus in dextero, Paulus autem in sinistro latere constituitur. Contra vero dum Pontifex Maximus in ipsa basilica sacris solennibus operatur, statua Petri in sinistra, statua vero Pauli in dextera parte ponitur, idemque ordo in pontificia capella ex antiquissimo more servatur. Insuper Paulus II, & avorum nostrorum memoria Paulus itidem V, S. Pauli statuam alicubi à dextris S. Petri locari, aut jusserunt aut passi sunt: quod in honorem apostoli, cujus nomen gerebant, fecisse perhibentur, & de Paulo II expresse tradit Mucantius.

D

E

Petrus major potestate, Paulus sapientiâ.

462 Hanc autem varietatem & inconstantiam, probabili ratione subnixam, opinatur Cardin. Bellarminus, & per eam significari ait, summos hos apostolos, vel pares esse inter se, vel certe ignorari, uter alteri præstet. Nam etsi Petrus major fuit potestate, Paulus tamen major extitit sapientia : ut eleganter monet S. Maximus *serm. ultim. de SS. Petro, & Paulo*; ubi Petro clavem potentiæ, Paulo clavem sapientiæ traditam esse dicit. Hinc S. Leo *serm.* 1 *de Natali Apostolor.* Hos, inquit, gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constituerit lumen oculorum : de quorum meritis, atque virtutibus nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos, & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales. Eaque forte ratione summus olim Pontifex

F

in Natali die SS. Apostolorum non in basilica tantum Petri in Vaticano, ut hodie, sacris operabatur; verum etiam in basilica Pauli via Ostiensi, sacra vota duplicare consueverat, teste Prudentio *hymn.* 12, cum ait :

Transtiberina prius solvit sacra pervigil Sacerdos
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Quem Prudentii locum explicans Menochius *Stromat. par.* 4 *cap.* 97 hæc inquit : Pontifex primum adit ecclesiam S Petri, ibique solemnia sacra peragit; mox ad templum S. Pauli pergit, ibidem sacra vota duplicaturus. Idipsum de varia ac mystica imaginum utriusque apostoli collocatione sensisse videtur Petrus Damiani, dum ait: Cum Petrus ad dexteram ponitur, primatus ejus inter apostolos honoratur; cum vero Paulus, in Benjamin, qui filius dexteræ nuncupatur, redolet sacramentum. Itaque, ut Mucantius concludit, nihil Petri dignitati, auctoritati aut primatui derogatur, cum Paulo dextera tribuitur; nec Pauli mirificæ electioni, sapientiæ

A tiæ ac meritis, cum eamdem Petro aſſignamus; ſed & utriſque aptiſſime convenit, in quo ineſt mirabile inter ipſos æqualitatis myſterium. Quemadmodum enim, cum ipſum Deum Patrem ad dexteram Filii eſſe, Propheta ait, divinitatis humanitatiſque differentiam intelligimus: ita etiam, cum Petrum Paulo præponimus, Pontificiæ dignitatis culmen; cum vero Paulum ad Petri dexteram collocamus, æqualitatem gloriæ, qua ob æqualia merita ambo in cælis fruuntur, ſignificari recte dixerimus.

463 Ceterum quæ de utriuſque apoſtoli paritate dicuntur; non ita accipienda ſunt, ut conſtituant omnimodam inter eos æqualitatem ſine ſubordinatione & ſubjectione ſancti Pauli ſub ſancto Petro in poteſtate ſuprema & regimine univerſalis Eccleſiæ; hanc enim propoſitionem, à novatoribus magno olim ſtudio propugnatam, Innocentius X. P. M. ut hæreticam, graviſſimo decreto edito 24 Januar. 1647, confixit damnavitque. *Hactenus Battellus, quem qui volet, inſpiciat & figuras etiam conſideret.* C. J. *Concluſio.*

DISQUISITIO

IN SUPPLEMENTUM CHRONOLOGICUM,

Quod chronico Sigeberti Gemblacenſis ſubjungi ſolet, ſub nomine Roberti de Monte.

PARS PRIMA.

B

Quis ille Robertus ſit, quando vixerit, quid chronici ſcripſerit.

Damus hîc promiſſam elucidationem

Eductis hactenus, quæ ad ſanctorum Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum quadamtenus ſpectant, elucidatiſque aliquatenus rebus vetuſtis, quæ in prima B. Petri baſilica in Vaticano Romæ, à Conſtantino Magno magnifice conſtructâ, à S. Silveſtro Papa nomini ejus ſolenniter dedicatâ, olim extiterunt; ſubnecto nunc pauca, quæ etiam ad Supplementum Junii, in quo verſamur, videri poſſunt pertinere, quæque ego Parte prima hujus Appendicis pag. 23 litt. A promiſi, hîc danda. Recognoſcens enim obiter ſcripta Magiſtri noſtri de S. Norberto tomo I Junii, in iiſque relegens elogium Viri ſancti, è Supplemento Roberti de Monte depromptum, relatumque ibi ad ſeculum XIII; *judicavi ex meis in Supplementum Roberti annotatis, elogium iſtud ad ſeculum* XII *eſſe referendum, ipſumque Supplementum illud non eſſe ſolius Roberti, utpote qui ad ſeculum* XIII *non ſupervixit; diviſique totum in tres ſectiones, quarum prima ab anno* MCXIII, *quo Sigebertum obiiſſe conſtat, pertingit ad annum circiter* MCLV; *altera inde proſequitur uſque ad* MCLXXXVI, *quo obiit Robertus; tertia denique abſolvit reliqua uſque ad annum* MCCX. *Primæ ſectionis collector ignotus mihi eſt; ſecundæ, eſt Robertus; tertiæ monachum eſſe Gemeticenſem, conabor oſtendere. Citavimus quoque ex eodem Supplemento in Commentario noſtro ad Acta B. Floræ virginis tom.* VI *Junii pag* 99, *nonnulla de S. Amatore, & alibi alia; quæ ut diſtinctius intelligantur, cujus auctoris ac temporis ſint, præſtemus promiſſa.*

in Supplementum chronolog., Roberto de Monte paſſim adſcriptum.

C

2 *Adverſabuntur dictæ ſententiæ meæ omnes, qui ab Gerardo Joanne Voſſio, licet in talibus verſato, ſtabunt. Scribit namque ille in Hiſtoricis Latinis, pag.* 420 *editionis Batavo-Lugdunenſis, anno* MDCLI *curatæ, in hunc modum;* Stephani & Henrici II, *Angliæ regum,* temporibus (*regere prior cœpit anno* MCXXXVI, *poſterior regnare deſiit* MCLXXXIX) claruit Robertus de Monte Michaëlis, ita dictus, quia cœnobii hujus Abbas fuerit. Patria erat Normannus, atque ut Boſtonus Burienſis prodidit, reliquit geſta Walwani; adhæc geſta Waradoci; item Chronicorum opus; quod, ut Thomas Rudburnus & Joannes Lelandus teſtantur, perduxit uſque ad annum MCLVIII. Diverſus eſt à Roberto Montenſi Abbate, itidem Normanno, qui Sigebertum continuavit, ut ſuo loco dicemus. *Videlicet pag.* 446, *ubi ſic habet:*

Voſſius abjudicat Roberto abbati montis S. Michaëlis

Supplementum iſtud;

3 Imperante Ottone IV, qui Philippo ſucceſſit anno MCCVIII, fuit Robertus Montenſis, abbas Normannus Gallus: unde & in quibuſdam Mss. vocatur, Robertus abbas de Normannia; uti in eo quod eſt in bibliotheca publica Cantabrigenſis academiæ. Aliis quoque (*citat in margine Mirum in Chron. Ord. Præmonſtr. pag.* 16, *& Meyerum. in Annal. Flandriæ ad anno* MCXLVIII) vocatur Robertus Normannus, abbas Montis Navalis; vel ſimpliciter, Robertus abbas Montis Navalis. Continuavit is Chronicon Sigeberti uſque ad annum MCCX. A Joanne Lelando, quem & Poſſevinus ſequitur, traditum eſt, continuari ab eo Chronicon Sigeberti uſque ad annum MCLVIII; atque ipſum tum temporis claruiſſe. Sed duobus & quinquaginta annis ulterius proceſſiſſe, nemo negabit, qui Appendicem eam inſpexerit. Idem Poſſevinus, conſignaſſe, ait, tum geſta Marodoci, tum etiam Maluwani. Nimirum confudit duos Robertos Montenſes Normannos; quorum uterque abbas, ſed unus cœnobii S. Michaëlis, idque temporibus Stephani regis & Henrici II: alter abbas Abrincenſis, idque temporibus Henrici II, Richardi I, & Joannis regis.

adjudicat verò cuidam Roberto Montenſi, abbati Abrincenſi,

E

F

4 *Producit hîc Voſſius duos Robertos Abbates Montenſes, Normannos, ſcriptores ambos, nullo alio diſcrimine, quam quod alter, quem priorem ætate facit, fuerit Abbas* S. Michaëlis; *alter vero, ætate paulo poſterior, Abbas* Abrincenſis; *neutrius interim diem annumve aſſignans obitualem; nullum indicans auctorem, ex quo diſcrimen illud hauſerit; nullum, qui Roberti abbatis Abrincenſis meminerit. Pluſculum elucidationis res poſtulat. Sammarthani in Abbatiis Galliæ nullam* Abrincenſem *abbatiam, hoc ſaltem ſub titulo, agnoſcunt;*

nullius auctoritate oſtendens, talem ulpiam in mundo fuiſſe.

C. J. *agnoſcunt vero abbatiam* S. Michaëlis de monte Tumba in periculo maris, *ejuſque abbates annumerant: quos inter receñſetur* decimus ſeptimus, Robertus de Torigny; vulgo dictus Robertus de Monte; vir genere, ingenio & virtute clarus; ex priore clauſtrali Beccenſi, monachorum omnium aſſenſu abbas creatus anno MCLIV. *Et poſt multa, de præclaris viri geſtis ſcriptiſque relata*, denique, *aiunt*, plenus meritis, poſt annos XXXII ab electione, meliorem vitam ingreditur XXIV Junii MCLXXXVI. Stephanus epiſcopus Redonenſis ſynchronus, ejus laudes carmine celebravit. *Quod etiam ipſe Robertus in chronico ſuo memorat ad annum* MCLXXVIII *his verbis:* Scripſit etiam mihi quinquaginta verſus de ſenectute, in quorum ultimo prædictorum verſuum, unam clauſulam poſuit. *Qualis autem illa clauſula fuerit, non prodit:*

Tribuunt iſtud priori Roberto, Sammarthani,

5 *Hinc vero, inquient Voſſii ſequaces, manifeſte patet, Robertum illum non poſſe cenſeri auctorem Supplementi Sigebertini, utpote quod annos* XXIV *ultra mortem illius protenditur. Non male hæc quidem illi: nec tamen recte, ut mox videbimus: quia ſupponunt unum tantum totius Supplementi auctorem eſſe. Ego ex citatis verbis nunc tantum ſumo, Supplementum illud à Sammarthanis adſcribi Roberto abbati de Monte S. Michaëlis; antiquioribus paſſim vocato*, Tumba, *&*, In periculo maris. *Ejuſdem loci abbatem ac Supplementi auctorem agnoverunt pridem Trithemius, Geſnerus, Poſſevinus, Miraus in Auctario & alii; atque* Abbatem Montis S. Michaëlis in Normannia, *aut ſimili cognomine appellant. Imo Auctor ipſe in Supplemento ſuo, ſe ſatis prodit incolam prædicti montis & Abbatem fuiſſe; nec perſonam ſuam celat. Nam ad annum* MCLVI, *de crebris per Burgundiam terræ motibus mentione facta*, etiam apud Montem S. Michaëlis, *inquit*, illum ſenſimus, XVIII Kal. Maii, feriâ VI, ante ſolis ortum.

B

Trithemius, Geſnerus, Poſſevinus, Miraus, alii,

atque ipſemet Robertus iſte,

6 *Item ad annum* MCLXXIII, *agens de conventu epiſcoporum Normanniæ & Britanniæ, ab Henrico rege Anglorum indicto, ait:* Hujus Conventûs causâ, venerunt uſque ad Montem, ad nos, honorabiles perſonæ multæ. *Et ſic ſæpe alibi dum ſimpliciter Montem nominat, de Monte S. Michaëlis in periculo maris, ubi abbas erat, intelligendus eſt. Exempla habentur, ad annum* MCLXXVI, *ubi de ſe ipſe modeſtiæ gratia loquitur in tertia perſona, his verbis:* Robertus abbas Montis, ſcriptor horum temporum, pergens in Angliam, promeruit chartam & ſigillum omnium eleemoſynarum eccleſiæ Montis, quæ datæ fuerant prædictæ eccleſiæ, uſque ad præſens tempus. *Atque iterum anno ſequenti eodem modo ſe nominat. Anno autem* MCLXXVIII *hæc lego:* Radulfus fecit hominium abbati Montis, apud Montem, de caſtello de Roca. *Addendum his eſt, quod anno* MCLXXXII *ita ſcribit:* Obiit pater noſter Richardus Abrincenſis epiſcopus. *Patrem vocat, ut ego quidem exiſtimo, vel quia Mons & monaſterium ſunt in diœceſi Abrincenſi, vel quia fundator reſtauratorve ejus fuit Abrincenſis epiſcopus, S. Autbertus; vel utrâque de causâ. Sic ad finem anni ejuſdem*; Obiit clariſſimus, *inquit*, Dominus noſter Rotrodus Rothomagenſis archiepiſcopus; *non alia de cauſa*, noſtrum *vocat, quam quod in hujus archiepiſcopi provincia ſitum erat monaſterium ſuum Montenſe S. Michaëlis.*

C

non quidem totius Supplementi,

ſed partis ejus ſe auctorem prodit,

7 *Fuit porro illic abbas Robertus ab anno* MCLIV *uſque ad* MCLXXXVI, *quo vivere deſiit, uti è Sammarthanis jam dictum eſt, & certius conſtat ex ipſo Chronico S. Michaëlis in periculo maris, & ex hiſtoria abbatum ejuſdem loci, apud Labbeum noſtrum tomo* I *Bibliothecæ novæ librorum Mss. pag.* 347 *&* 350. *Chronicon illud terminatur in anno* MCLIV, *quo etiam anno ibidem ſic legitur:* Menſe Maio, VI Kal Junii, feria V infra Octavas Pentecoſtes, electus eſt Robertus de Torinneio, prior clauſtralis Becci, ad regimen eccleſiæ S. Michaëlis, ab omni conventu. *In Hiſtoria vero abbatum, ad eumdem annum leguntur eadem quatenus de electione ſermo eſt; atque additur*: Plurima bona operatus eſt, fuit cuſtos caſtelli de Ponte Urſonis. Obiit MCLXXXVI.

D

anno 1186,

8 *Quæ igitur poſt annum illum ſequuntur in Supplemento, alterius auctoris ſunt. Cujus autem? Nomen quidem ejus me latet; ſed alium, & quidem Monachum Gemeticenſem fuiſſe, colligo ex mutatione ſtyli ipſoque contextu. Nam, qui ab anno* MCLXXXVI *& morte Roberti ſuperadduntur anni, numero quatuor & viginti, adeo diſcrepant brevitate ſua a præcedentibus, ut tres duntaxat pagellas ac dimidiam impleant; cum totidem anni præcedentes impleant paginas omnino* XXVI: *quod manifeſto indicio hic eſt, priores ab alio, ab alio poſteriores contextos fuiſſe. In eâdem poſteriori parte Supplementi comperies identidem agi de rebus, ſpectantibus ad Abbatiam Gemeticenſem, de quibus bis terve ſolummodo in priori parte meminerat Robertus. Inſpice contextum; leges ad annum* MCXC; Obiit Robertus Abbas Gemeticenſis, IV Idus Junii. Eodem anno ſucceſſit Rogerius Cellarius. *Ad* MCXCI: Obiit Rogerius Abbas Gemeticenſis IV Kal. Novembris, cui ſucceſſit eodem anno Richardus de Mara, ejuſdem loci Monachus, XVII. Kal. Januarii. *Ad* MCXCVIII: Obiit Richardus Abbas Gemeticenſis, in feſto Fabiani & Sebaſtiani; & ſequenti menſe Februarii, Idibus ejuſdem menſis, electus eſt Alexander Abbas, qui Prior fuerat ejuſdem monaſterii, primâ die Quadrageſimæ conſecratus.

E

reliqua inde ſequentia monſtrantur eſſe

Monachi Gemeticenſis.

9 *Præter hanc, tam diſtinctam annorum, menſium, ac dierum indicationem, quibus viginti quatuor annorum ſpatio abbates Gemeticenſes, alii aliis ſucceſſerunt; enumerat quoque donationes varias, eidem monaſterio ſub certis pactionibus factas à regibus & viris principibus; interea vix ullam alterius monaſterii, nedum donationum, faciens mentionem. Denique Monachum Gemeticenſem fuiſſe auctorem hujus partis Supplementi, docet ipſe auctor ad annum* MCCI, *ubi* Rogerius, Miles illuſtris, dedit eccleſiæ Gemeticenſi *prædia aliquot* in manu Waltheri archiepiſcopi; *& hîc ea* dedit Alexandro Abbati & Monachis *Gemeticenſibus*, & chartam, tam ſuam, quam ſupradicti Militis, fieri præcepit, non ſolum de jam dicta donatione, ſed & de omnibus, quæ à prædeceſſoribus ſæpe dicti Rogerii data nobis fuerant. Nobis, *inquit, abbati & monachis Gemeticenſibus.*

F

Fruſtra igitur fiunt Roberti duo.

10 *Ex dictis conſequitur, fruſtra adſtrui à Voſſio duos Robertos, Normannos, Abbates Monteſes; quorum poſterior ætate, temporibus Henrici II, Richardi I & Joannis, regum Angliæ, florens, in anno* MCCX *finierit chronici Sigebertini Supplementum; non alio argumento (ut mea quidem fert opinio, cum ille aliam ſaltem non afferat probationem) quam quod putarit, totum illud Supplementum unius tantum ſcriptoris eſſe: quod jam ſatis monſtratum exiſtimo, aliter ſe habere. Conſequitur indidem, non erraſſe Poſſevinum magis, quam quemvis alium illorum temporum, dum unum tantummodo agnoſcit Robertum Montenſem, Supplementi ſæpe dicti auctorem, eique etiam tribuit, tum geſta Maradoei, tum*

A tum Malwani. *Quod vero idem, Joannem Lelandum citans, ſcripſerit, à Roberto continuari chronicon Sigeberti uſque ad annum* MCLVIII, *id Lelando potiſſimùm* errori *detur. Poſſevinus enim è ſua ſententia ibidem ſcribit, Robertum* adjeciſſe Sigeberti Gemblacenſis chronico Annales centum fere annorum; *videlicet ab anno* MCXIII *ad* MCCX; *quod plerique tunc verum credebant, & credidit etiam diu poſt Voſſius, auctoritate codicum, tam impreſſorum eatenus, quam ſimilium manu ſcriptorum.*

PARS II. De germano Roberti chronico; partibuſque & auctoribus, olim nomini ejus ſuppoſitis.

Chronicon Sigeberti

Quæ hactenus diſputata ſunt, procedunt ſecundum editiones Chronici Sigebertini unà cum Supplemento, ſeu Appendice, ſub nomine Roberti de Monte vulgatæ, quibus uſus fuit Voſſius, & eatenus impreſſa extabant variorum typis. Primam editionem curavit anno MDXIII *Pariſiis Guilielmus Petit ſeu Parvus, ordinis Prædicatorum, vir alioquin doctus; quam dolet Miræus* nugis Galfridi Monumetenſis ſeu Aſaphenſis inquinatam. *Eamdem recudendam curarunt, cum aliis antiquorum Scriptorum operibus, anno* MDLXXXIII, *Pariſiis quidem, Laurentius de la Barre; Francofurti vero ad Mœnum, Joannes Piſtorius; & forte alii alias, uſque ad annum* MDCVIII, *quo Miræus præcedentes editiones, per ſuam, ex autographo Sigeberti codice, aut certe antiquiſſimo apographo ejus concinnatam, emendavit: ſed* Appendicem Roberti Abbatis montis Navalis in Normannia ſtudio prætermiſit; cùm (*inquit in Præfatione ad ſuam Sigeberti editionem*) mendis ſcateat, tum quod manuſcriptam videre nondum contigerit.

à Miræo nugis purgatum eſt,

non item Appendix Roberti,

qui & Abbas montis Navalis appellatur,

12 *Cur Miræus, tam hîc, quam in ſuo chronico Præmonſtratenſi, atque ante ipſum Meyerus, Robertum Supplementi auctorem,* Montis Navalis *abbatem cognominent; equidem ignoro. Fortaſſis, quia mons S. Michaëlis, non ſecus ac navis in mari, undique aquis ambientibus, videatur fluctuare; aut quia ſorte objectu ſuo cum littoribus efficiat navale quoddam, ſeu navium ſtationem. Certe nulla totis Galliis abbatia iſtiuſmodi cognominis, innotuit mihi*

C *hactenus: neque nota fuerit Roberto abbati Montis S. Michaëlis in periculo maris; quia neque in Chronico ſuo, neque in Tractatu (quem de ſui temporis per Normanniam abbatiis, earumque fundationibus & inſtaurationibus, luculentum ſeorſim ſcripſit) ab-*

eſtque idem qui montis S. Michaëlis.

batia Montis Navalis *meminit. Et vero, Miræum illo cognomine aliam abbatiam non deſignare, quam Montis S. Michaëlis in periculo maris, declarat ipſe in Auctario ſuo Scriptorum eccleſiaſticorum; pluribus explicans, quis ſit ille, quem ut auctorem Supplementi Sigebertini alibi appellavit abbatem Montis Navalis. Ait enim ibi pag.* 245: Robertus, Abbas Montis S. Michaëlis apud Normannos, in diœceſi Abrincenſi & in mari oceano ſiti, Chronicon Sigeberti Gemblacenſis, quod in geſtis anni MCXII deſinit, excipiens, res ſui ſeculi uſque ad annum MCCX proſecutus eſt. *Ita Miræus de Roberto, quem vocavit alibi Abbatem Montis Navalis; in eo tamen quod extendat Chronicon ejus uſque ad annum* MCCX, *ex communi tunc errore & ignoratione anni, quo Robertus obiit, hallucinatus.*

13 *Curavit igitur, uti ex dictis intelligitur, Miræus Chronicon Sigeberti, demptis nugis, ſincerum & genuinum edi; non item Supplementum ejus ſeu Appendicem Roberti abbatis Montenſis. Curavit hoc, anno* MDCLI, *mortuo jam Voſſio, Dom. Lucas d'Achery, edendo illam Appendicem Roberti è codice Ms. ipſius Monaſterii Montenſis S. Michaëlis, Pariſiis poſt Opera Guiberti abbatis S. Mariæ de Novigento; ubi & lectori præfatur (quod nonnulla ſuperius à nobis dicta confirmat) ſe dare* Roberti de Torinneio (Torigny) vulgo de Monte abbatis (*hoc eſt monaſterii S. Michaëlis de monte-Tumba, ſive In periculo maris*) vocitati; Acceſſiones & Appendicem germanam ad Sigebertum. *Acceſſiones illæ, ſunt additamenta varia, quæ Robertus, de rebus præcipue Anglo-Normannicis, ipſi chronico Sigebertino ſuis locis inſperſit, incipiendo ab anno* DCCCLXXVI *uſque ad finem ſeculi* XI; *& hinc porro idem Robertus orditur ſeorſim Chronicon ſuum, ſeu Appendicem ad Sigebertum, videlicet ab anno primo ſeculi* XII (*non ab anno ejus* duodecimo, *uti ſcribit Oudin, quamvis eò perduxerit Chronicon ſuum Sigebertus*) *& continuat uſque ad extremum vitæ ſuæ, quæ functus eſt anno* MCLXXXVI.

C. J. Propria Roberti Appendix, anno 1651, edita,

orditur ab initio ſeculi 12,

E

14 *Nam, quod apud Dacherium pag.* 735, *in Prologo ad Appendicem ſuam ita ſcribat Robertus:* Ego exinde (*ab anno* MC *Sigeberti*) uſque ad MCLXXXII annum, ea quæ in diverſis provinciis, & maxime in Normannia & Anglia evenerunt, ſub annis Dominicæ Incarnationis colligere aggrediar; *id non evincit, Robertum ulterius non continuaſſe. Imo continuaſſe, monſtrat codex Montenſis, qui ultra dictum annum procedit. Adhæc idem Robertus pag.* 715, *de Appendice ſua, ſeque ipſo ſic loquitur in tertia perſona:* Robertus, Abbas S. Michaëlis de periculo maris, fecit Hiſtoriam, continentem res geſtas Romanorum, Francorum, Anglorum (*horum enim tantùm Imperatores ac Reges, eorumque quotus ſit annus, in Appendice ad capita ſingulorum annorum notat*) uſque ad præſens tempus; continentem annos uſque ad annum MCLXXXIV, *& quidem completum*

terminatur vero, non anno 1182,

15 *Utra harum ſcripturarum Roberti, alterâ verior ſit, majoremque mereri fidem debeat, cuilibet legenti facile eſt dijudicare. Prior loquitur de* re facienda, *quæ mutationi obnoxia erat, ſecundùm arbitrium operantis: poſterior loquitur de* re facta, *aſſeritque chronologicam Appendicem perductam eſſe uſque ad annum* MCLXXXIV. *Idem teſtantur Tituli, tum Appendici, tum Prologo ejus, in codice Montenſi Ms. præfixi; quemadmodum fatetur Dacherius in Præfatione ſua ad opera Guiberti Abbatis, quibus nonnulla Roberti Montenſis ſubjungit; ex eadem confeſſione ejus intelligitur, ipſum mutaſſe in codice impreſſo pag.* 743, *Titulum Appendicis, ſcribendo, illam pertingere uſque* ad annum MCLXXXII, vel MCLXXXIV; *cum tamen ultimus tantummodo numerus legatur in Ms. Eò igitur uſque perduxerat chronicon ſuum Robertus, quando illud cum chronicis Euſebii, Hieronymi, Proſperi & Sigeberti in uno volumine* præſentavit cariſſimo Domino ſuo Henrico, Regi Anglorum, *ut aſſerit ipſe apud Dacherium pag.* 715 *in Elencho ſuo, quem autographo ſuo, ſimul atque ecgraphum Regi præſentaverat, & quodammodo* præſenti tempore, *debet præfixiſſe; ac poſtea ad calcem chronici ſui, poſt ſupradictum annum* MCLXXXIV, *adhuc alia nonnulla ſubtexuiſſe. Refertur enim ibi mors Lucii Papæ III, quæ anno* MCLXXXV *exeunte contigit, & ſequuntur alia quæ æque Roberto auctori tribuenda ſunt, ac priora. Quia in codice Montenſi eâdem quâ*

ſed ſaltem biennio poſt

F

& amplius

C. J. *priora conscripta sunt manu, quam Dacherius citatâ pag. 715 judicat, ipsius Roberti esse. Ex quo consequitur, eumdem æque omnium auctorem agnosci debere, maxime vero partis postremæ: quia priora potest jam grandævus ex aliis descripsisse, posteriora debet ex proprio visu audituque collegisse.*

ejusdem styli tenore

16 *Idem quoque stylus & procedendi modus usque ad finem continuatur; id quod luculentius observari potest in postremis septem aut octo annis, tam ante quam post notam distinctionis, quam anno* MCLXXXII *inseruit Dacherius. Illic enim Auctor, qui in præcedentibus fere loquebatur de se in tertia persona, jam senior, gaudet loqui in persona propria, & viros laudabiles, suos vocare amicos per pronomina* meum *aut* nostrum. *Sic in anno* MCLXXVIII, *laudato Stephano episcopo Redonensi*, scripsit etiam MIHI, *inquit*, quinquaginta versus de senectute. *Sic in anno* LXXXI: Obiit vir plangendus, CARISSIMUS MEUS Gaufredus de Monteforti. *In anno* LXXXII, *ante divisionem Dacherianam:* Cui consilio, *inquit*, nos interfuimus. *Et Paulo pòst*: Rex Castellæ duxit CARISSIMAM DOMINAM MEAM, ET FILIOLAM IN BAPTISMATE, in uxorem Alienoram filiam regis Anglorum. *Item, post divisionem Dacherii:* Obiit PATER NOSTER Richardus, Abrincensis episcopus. *Et mox:* Obiit Henricus tertius, CARISSIMUS DOMINUS NOSTER, juvenis Rex. *Atque iterum sub finem istius anni:* Obiit CARISSIMUS DOMINUS NOSTER, Rotrodus archiepiscopus. *Item in anno* LXXXIV; DOMINUS NOSTER Galterus, Lincolniensis episcopus, factus est archiepiscopus Rotomagensis. *Ibidem:* Obiit Robertus episcopus Nannetensis, vir magnæ honestatis & AMICUS NOSTER. *Ad extremum denique totius chronici, post factam de morte Lucii Papæ, mentionem, idem loquendi modus servatur, ac dicitur:* Impetravit Archiepiscopus à DOMINO NOSTRO Rege Anglorum *&c.*

B

& loquendi modo.

Chronicon, Roberti nomine olim impressum,

17 *Scripsit igitur Chronicon Robertus, Abbas S. Michaëlis de Monte Tumba, sive in periculo maris; non illud, quod sub ejus nomine olim sæpius impressum fuit, incipitque ubi desinit Sigebertus Gemblacensis, ab anno* MCXIII, *atque procedit usque ad annum* MCCX *completum; sed aliud, quod primum anno* MDCLI *editum est à Dacherio, quodque incipit ab anno* MC *Sigeberti, & continuatur usque ad* MCLXXXVI, *estque totum Roberti; ut satis ostendisse arbitror. Illud, quod prius editum fuit sub nomine Roberti, tripartitum est. Prima & major pars terminatur ibi in anno* MCLV *ad hæc verba*; Moritur etiam Gislebertus episcopus Pictavensis. *Pars altera decurrit usque ad annum* MCLXXXVI; *& hæc sola ibi Roberti est; tamque simulis editioni Dacherianæ, ut altera emendari aut supplere, sicubi defectus fuerit, ex altera possit. Tertia denique complectitur annos reliquos, & ejus auctorem jam monstravi Monachum Gemmeticensem.*

C

tripartitum est.

Inquiritur in Partis primæ auctorem,

18 *Non ita facile monstrabitur, quis aut cujas fuerit auctor partis primæ. Si annum inspicias* MCXVIII, *putabis Leodiensem esse. Prodigia etenim multiplicia, quæ tunc in & circum Leodium contigisse, ibi narrantur: tam distincte cum suis temporum, dierum, horarum etiam, locorumque & eventuum circumstantiis relata sunt, ut alium quam præsentem & oculis suis pleraque intuitum auctorem non habuisse, censeri debeat. Si inspicias annum* MCXXIV, *dubitare vix poteris, quin auctor sit Ordinis Præmonstratensis, tam præclara distinctaque ibi refert (ut alibi sæpe alia) de S. Norberto, ejusque gestis; nec non de hæresi Tanchelmiana, quæ aliis Chronologis fere intacta fuit, à Norberto expugnata. Verum inspicienti mihi Vitam sancti Viri, tomo primo Junii nostri impressam, occurrunt capite* 13 *pag.* 843 *& seq. eadem omnia latius deducta; apparetque, inde in compendium contracta esse, quæ narrantur in chronico sub anno citato. Similiter eò relatâ fuerint, quæ anno* MCXVIII *Leodii contigere prodigia, ab Leodiensi prius descripta tam accurate.*

D

duobus aliis jam inventis.

Vixit ille saltem post annum 1155.

19 *Vixit Auctor seu Collector partis primæ Chronici istius saltem usque ad annum* MCLV, *quo ipsum perduxit; aut etiam longe post; si verum est, quod ait Miræus in Præfatione sua ad Sigebertum, opus illud* mendis scatere: *quod tute, si lubet, lector, per te explora: Ego tantummodo verbum his addo de Roberto, cujus causa disputare cœpimus; ipsum alia quoque opera in lucem dedisse, quorum elenchus videri potest apud Bibliothecographos recentiores, nec non apud Dacherium in Guiberto pag.* 716: *ubi & numeratur liber ejus de* Gestis Henrici secundi Regis Anglorum. *Sed perperam. Non enim scripsit Robertus seorsim à Chronico suo, gesta Henrici secundi, utpote ante ipsum vitâ functus: sed Henrici primi, uti ipse monuit lectores in Prologo suo ad Chronicon, apud Dacherium pag.* 735 *versus finem, se* de primo Henrico, strenuissimo rege Anglorum, noviter defuncto, edidisse Historiam. *Dum autem monet, se historiam Henrici,* noviter defuncti (*defunctus autem est an.* MCXXXV) *scripsisse; simul indicat, se juniorem tunc & nondum abbatem fuisse; cum inter mortem Regis & electionem Scriptoris in abbatem, interceserint anni* XIX. *Dacherius quoque ipse, sive suo, seu potius typothetarum errore cognito, illum ad calcem tomi correxit, jubens numerum* II, *mutari in* I. *Nihilominus errorem secuti sunt, alii post alios, qui de scriptis Roberti post Dacherium tractarunt, Natalis Alexander, Casimirus Oudin, Elias du Pin, & forte alii. Id quod te monitum volebam, Lector, ne error, istorum auctoritate ad posteros propagatus, invalescat.*

E

Scripsit Robertus etiam gesta Henrici primi,

non secundi, Angliæ regis;

F

natus sub initium seculi 12.

20 *Ex dictis porro, quod Robertus scripsit Historiam Henrici primi,* noviter defuncti, *ac aliunde datur colligere, ipsum, sub initium seculi istius verosimiliter natum fuisse; aliquammultos ante mortem Regis annos, Monachum Becci induisse; ibique spiritu & litteris excellenter instructum, duodennio circiter aut amplius pòst, scripsisse quam dixi Historiam. Inde, jam maturiorem ætate, electum esse monasterii sui Priorem; & ex Priore, anno* MCLIV, *ut certo constat, promotum fuisse in Abbatem S. Michaëlis de monte Tumba ex voto totius monasterii istius; præfuisse annos omnino* XXXII, *ac obiisse anno* MCLXXXVI, *tot fere annos natum, quot seculi istius decurrerant.*

DIS-

A

C. J.

DISQUISITIO
IN CHRONICON JOANNIS DE BEKA,
DE EPISCOPIS ULTRAJECTINIS.

Quo anno illud ipſe terminaverit.

Dedicatio Chronici ſtatuitur Wilhelmo

Similes cauſæ, ac moverunt me ad concinnandam Diſquiſitionem præmiſſam, moverunt quoque ad hanc elucidandam Joannes de Beka ſeu Becanus, Canonicus Trajectenſis inſcripſit Chronicon ſuum Joanni epiſcopo ſanctæ Trajectenſis eccleſiæ, ac Wilhelmo duci Palatino, ſive principi Hollandenſis provinciæ. *Joannes ille, cognomento* de Arkel, *epiſcopus Trajectenſis fuit ab anno* MCCCXLII *ad* LXIV. *Interea moderatus eſt Hollandiam Wilhelmus, tamquam Comes, pro matre Vicarius, ab anno ejuſdem ſeculi* XLVI *exeunte ad* LI, *quo pugna navali contra matrem die* IV *Julii commiſſa victor, aſſertus fuit Hollandiæ Comes abſolutus; præfuitque ad annum uſque* LVIII, *quo circiter feſtum S. Georgii Martyris incidit in amentiam perpetuam: ſubrogatuſque ei fuit frater ſuus Albertus.*

B

ante annum 1351 à Becano facta fuiſſe;

2 *Hinc certum eſt, Chronicon ſuum à Becano dedicatum fuiſſe ante dictum annum* LVIII; *aut etiam, uti mea ferit opinio, ante prælium navale, de quo dixi. Moveor ad ſic opinandum, quia Wilhelmum Becanus in epiſtola nuncupatoria nominat tantummodo* Ducem Palatinum ſive Principem Hollandenſis Provinciæ. *Non vocat* Comitem: *quod utique debuiſſet facere, ſi dedicaſſet ei librum ſuum poſt illud prælium, quando Comes Hollandiæ factus fuit.*

illudque tum deſiiſſe in anno 1346:

3 *Sed præcipua nobis inquiſitio hîc eſt ad deprehendendum, ubi deſierit Chronicon Becani, quando illud Joanni & Wilhelmo prædictis obtulerit. Conſtat enim non omnia, quæ ſub nomine Becani edita typis leguntur, Becani eſſe. Geſnerus in Bibliotheca ſcribit, Joannem de Beka edidiſſe Chronicon Trajectenſis eccleſiæ &* claruiſſe anno MCCCL. *Trithemius ante illum, aſſerit in Scriptoribus eccleſiaſticis, Joannem Chronicon ſuum, à tempore S. Willibrordi inchoatum,* uſque ad annum MCCCXLVI *pertexuiſſe. Diſco etiam ex Bernardi Frumerii, ad primam Becani editionem, à Suffrido Petri præparatam, ab ipſo, anno* MDCXI *curatam, commentariolo; quod dictus Suffridus,* quinque exemplaribus in hoc Chronico emaculando uſus, declaret, eorum alia aliis longius fuiſſe producta; quæ, ut cum Dedicationis tempore pugnantia, rejicienda arbitrabatur. *Et poſt pauca:* Item affirmat Suffridus, Becanum in Joanne de Arkel terminari his verbis, " Comitatum „ Hollandiæ Wilhelmo Duci, ſive Palatino, „ ſuo filio commendavit ", *nempe Margarita mater; cum ad Imperatorem maritum ſuum reverſura erat in Germaniam.*

C

quod confirmatur 1; ex codicibus mss.

4 *Verba illa ſic leguntur in editione Becani, cum Notis Bucherii anno* MDCXLIII *Ultrajecti impreſsâ, pag.* 119: Imperatrix, *omnibus rectè diſpoſitis, è Belgio* in Bavariam exinde rediens, Comitatus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ gubernandos Wilhelmo, Duci Palatino, ſuo filio, commendavit. *Et hæc ipſa verba, ex mea quoque ſententia, fuere ultima Chronici Becaniani, ſaltem quando illud Wilhelmo oblatum fuit. Ratio mihi eſt, quia Suffridus, quinque exemplaribus uſus, indicat, verba illa in omnibus reperiri; ſingula autem, deinde alia atque alia habere adjuncta. Et Frumerius ipſe, Becani primus editor, ſextum nactus exemplar, in illo, poſt citata verba, invenit alia omnino addita, quam quæ Suffridus è ſuis mss. annotaverat; ſuaque illa, omiſſis Suffridianis, in ſua editione Becano adjunxit, prout etiam in editione anni* MDCXLIII *leguntur, complectentia poſtremas Joannis de Arkel & trium ſequentium epiſcoporum res geſtas. Concludo, verba à nobis citata cum in omnibus illis codicibus mss. legantur, eſſe Becani ultima: quæ vero inde ſequuntur, cum in ſingulis ſint alia atque alia; eſſe diverſorum additamenta.*

E

2, ex ipſis Chronici verbis,

5 *Deinde; verba, in quibus nos terminum Becani ponimus, ſunt Wilhelmo, cui dedicatur Chronicon, honorifica; qualia affectare ſolent qui ſua principibus dedicant, in ſpem aut gratiæ illorum aucupandæ, aut remunerationis faciendæ. At vero quæ continuo ſequuntur in impreſſo Beka, tantum abeſt, ut gratiam Principis conciliaſſent Dedicatori, ut potius animum ejus graviter exacerbaſſent. Sequitur namque:* Hic Wilhelmus amicitias plurimorum Dominorum Hollandiæ & Zelandiæ ſibi acquiſivit, quorum adjutorio matrem ſuam poſtea propriâ terrâ privat. *Quam hæc, & quæ porro ibidem leguntur de injuſte contumacis filii contra matrem bello, initiſque prælis, & occupatis vi provinciis ejus: quam hæc, inquam, ignominioſa ſunt filio? Et quis illi talia fuiſſet auſus dedicare?*

3, quia Additamentum impreſſum à Frumerio,

F

6 *Ad hæc, ipſa Additamenti verba manifeſtant, ſe Becani, librum Principi offerentis, non eſſe; dum produnt, illius auctorem ſcripſiſſe poſtquam Wilhelmus in amentiam incidiſſet. Colligitur id ex iteratâ particula* Poſtea. *Volens enim continuare textum Becani, loquitur ſtatim de geſtis, tum adhuc futuris, quod affirmare non potuit; niſi poſtquam geſta fuerunt. Sic de Wilhelmo adhuc vicario Hollandiæ, dicit, quod matrem ſuam* poſtea *propriâ terrâ privavit. Illud autem accidit anno* MCCCLI. *Et interjectis non multis, de epiſcopo Ultrajectino Joanne Arkelio, quod* poſtea *factus eſt epiſcopus Leodienſis. Quod ante annum* MCCCLXIV *factum non fuit. An vero tunc etiam in vivis adhuc fuerit Becanus, non invenio unde affirmari poſſit.*

oſtenditur multis demum poſt annis ſcriptum,

& veroſimiliter poſt annum 1393,

7 *Imo diu poſt tranſlationem Joannis de Arkel ab epiſcopatu Trajectenſi ad Leodienſem, ſcripſiſſe Additamenti Auctorem illâ, quæ in Joanne epiſcopo quinto, Arkelii ſucceſſore referuntur, diſcimus ex ſequentibus. In quibus agens de Wilhelmi amentia, in illa; inquit,* uſque ad hodiernum diem permanſit. *Et de Alberto fratre ejus, quod totâ terrâ Wilhelmi in tutelam ſuſceptâ, illam* potenter longo tempore gubernat. *Quæ tum ſcripſerit, quando Wilhelmus, multis annis in amentia & cuſtodia tranſactis, adhuc ſupererat, mortuus demum*

C. J. *in quo terminatur, completum fuisse*

mum anno MCCCLXXVIII. *Quin & eumdem reliqua deinde etiam scripsisse, usque ad finem Additamenti, quod in anno* MCCCXCIII, *quando adhuc præerat comes Hollandiæ Albertus, terminatur; non video cur dubitetur. Non tamen multo post scripsisse, sed sub Alberto, qui anno tandem* MCCCCIV *obiit, ipsa ejus verba declarant; dum in Joanne Vistius nominis episcopo, dicit in tempore præsenti de Alberto: Qui* totam terram, *quam propter amentiam fratris in tutelam susceperat,* potenter longo tempore gubernat.

Alia Additamenta à Suffridio visa,

8 *Alia in aliis codicibus Mss. quorum Suffridus meminit, Additamenta, nihilo magis Becani esse possunt. Patebit ex Frumerii monitione ad Lectorem, relata etiam in editione anni* MDCXLIII, *pag.* 134. *Postquam ibi dixerat, Suffridum statuere terminum Chronici Becaniani in illis verbis, quibus Margarita mater reditura in Germaniam, commendavit Wilhelmo provincias suas in Belgio, (quod multis probari potest factum esse anno* MCCCXLVI *exeunte) addit idem Frumerius, Suffridum ab illo anno continuasse proprio marte chronicon Becani, quod usque ad episcopum Henricum de*

B *Bavaria, anno* MDXXIV *electum, pertingit & aliquantum post. Qua in continuatione reliquit Suffridus specimen ingenii sui scientiæque historicæ & latinitatis non vulgaris; ut videre est à pag.* 141.

sex tantum annos complectentia,

9 *Nihilominus* retinuit *Suffridus, eodem Frumerio teste, etiam* ea, quæ ab aliis adjecta *Becano* putabat, ad Historiæ continuationem. *Qualia autem illa sunt? Respondebit Frumerius:* Ipsa verba, quæ Suffridi libro sunt addita, hîc tibi annumerabo, quæ sic habent: " Quo Wilhel-„mo, postea amente facto, tota terra Hollan-„diæ Dominum Marchionem Brandeburgen-„sem, fratrem ipsius Wilhelmi, recepit in tu-„torem ". (*Hactenus à Frumerio allata scribuntur alio charactere, quam quæ sequuntur. Num forte, quia præmissa, sint verba Suffridi ad connexionem faciendam chronici Becaniani, cum sequentibus ad illud Additamentis?*)" His itaque gestis anno „Domini MCCCLX Eduardus secundo genitus „Reinoldi primi ducis Geldriæ, litigare cœpit „cum Domino Reinoldo primò genito, duce „Geldriæ, fratre suo super Dominio Geldriæ" *& quæ sequuntur, non ultra annum* MCCCLXIV *producta; sic ut totum hoc Additamentum tantummodo complectatur annos sex, utpote ab amentia Wilhelmi, quam in annum* MCCCLVIII *incidisse diximus, initium ducens.*

nihilo magis Becani sunt;

10 *Sed quomodo hæc Becani sint? qui, si post oblatum Wilhelmo Vicario Hollandiæ Chronicon suum, illud continuasset ipse, cur non per singulos annos illud supplesset; sed annis ut minimùm* XII *silentio sepultis, ab anno demum* MCCCLVIII, *aut tardius Supplementum orsus esset? præsertim illo tempore, quo Wilhelmo jam mente capto, commendare posteritati poterat, tam, quæ perperam, quam, quæ recte fecerat, absque formidine. Sit igitur terminus Chronici Becaniani, quem posuimus, in anno* MCCCXLVI. *Supplementum seu Supplementa, aliis adscribenda sunt: qui tamen in iis, quæ supplevenerunt ipsi, non minoris auctoritatis censeri debent quam Becanus ipse; præsertim ille, qui sua ad annum usque* MCCCXCIII *perduxit, utpote contemporaneus illorum, quæ gesta narrat, uti ex nonnullis hîc jam relatis, & manifestius ex ipso ejus contextu cognosci potest.*

D

nempe à 1358 *ad* 1364,

E

sunt tamen non minoris auctoritatis.

KALENDARIA DUO ANTIQUA

A Furio Dionysio Filocalo an. CCCLIV, & Polemeo Silvio an. CCCCIIL, conscripta

C

PRÆFATIO EDITORIS.

F

Promissio Bollandi de edendo Polemeo Silvio

TAndem *pervenimus Deo propitio, ad calcem primi semestris sacri de Actis Sanctorum. Inde, antequam plene imponamus finem, redeo ad principium totius operis, memor, Bollandum in Præfatione generali, quemadmodum* § VII *promisit, alias editum iri à se Martyrologium Usuardi* nativa simplicitate sua; *ita* § III *spem fecisse futurum, ut* Laterculum Polemei Silvii aliquando *è codice Ms. vulgaret. Neutrum præstitit, quia otium non invenit; postquam grande opus, quod meditabatur, serio aggressus est; quodque tantum negotii optimo viro dedit, ut sepositis alienis ab opere suscepto curis, etiam adjutorem sibi ad illud promovendum adsciscere mox coactus fuerit. Fidem Bollandi pro prima parte, nuper solvit collega noster Joannes Baptista Sollerius, diligenti studio & accuratione præstans, quod ille promiserat, in edendo Martyrologium Usuardi genuinum suæque nativæ simplicitati restitutum, rescissis multorum additamentis; quæ tamen, ne lectores laterent, seorsim subjunxit. Dividitur totum opus in partes duas, duabus Supplementorum Junii partibus, id est tomo ejus* VI *&* VII (*quamvis etiam seorsim impressum sit*) *subnectendas. Proxime enim ad Acta Sanctorum spectat Martyrologium illud, ex quo antiquus & legitimus omnium fere, qui octo primis & dimidio æræ Christianæ seculis sanctimoniâ floruerunt, cultus in Ecclesia firmiter comprobatur.*

hîc solvitur.

2 *Alteram Bollandi promissionem de Laterculo Polemei hîc solvimus. Codex noster, in quo laterculus continetur, membraneus est & spissus, philyras* CCXXXI *numerans; charactere minuto, sed stante, scriptus ab eadem manu à capite ad calcem, non sine mendis. Complectitur varia varii argumenti opuscula scriptorum, quorum maxima pars prioribus seculis, saltem ante annum millesimum floruerunt. Inter illa præsens Silvii opusculum habetur pag* 94. *Initium ejus produxit Bollandus loco citato cum Kalendariis mense Januario aliisque nonnullis; notavitque, non male; auctorem potius* P. Anneium Silvium, *quam* Polemeum Silvium, *nominandum esse. Scripsit Auctor, uti in adjunctis & immixtis Kalendario aliis opusculis ipse refert, anno vulgaris æræ*

A

æra CCCCIIL *& initio ſequentis. Habet enim ſub hoc titulo ſuo*, Nomina omnium Principum Romanorum, *in fine ſequentia*: D. N. Theodoſius præſens Auguſtus, D. N. Placidus Valentinianus; ſub quibus Joannes tyrannus extinctus eſt; & à quibus cum DD. matre Placidia, uxore Eudoxia, Auguſtis, nunc imperium poſſidetur. Quod Poſtumiano & Zenone viris clariſſimis conſulibus annotavi. *Certum eſt Conſules hîc nominatos proceſſiſſe ac præfuiſſe anno Chriſti* CCCCIIL.

Ætas ſcriptoris.

3 *Item ſub titulo*, Breviarium temporum, *qui Kalendario, poſt menſem Auguſtum, inſeritur; iſthæc leguntur, etiam ad calcem*: Cujus regni *Romanorum* (*de illius quippe regibus, conſulibus & imperatoribus agitur*) ab Urbis exordio mille & ducentis completis annis; Poſtumiano & Zenone conſulibus; Aſterio conſule, tamquam primus annus incipit. *Fuerunt Poſtumianus & Zeno conſules, ut jam diximus, anno* CCCCIIL; *fuit Aſterius anno ſequenti.* Hæc ergo (*loquor verbis Bollandi*) ſcripſit Silvius anno CCCCIIL, & initio ſequentis, cum necdum Romæ ſciretur, quis Conſtantinopoli conſul eſſet; qui Protogenes fuit. *His præmiſſis, ut de ætate ſcriptoris*

B

Additur Kalendarium aliud.

noſtri conſtet, accedo ad Kalendarium ipſum, quod dudum per litteras multorum rogati fuimus; ipſumque è codice citato promam prout ibi legitur; atque ex oppoſito columnatim apponam Kalendarium aliud ejuſdem propemodum formæ, at annis fere centum prius vulgatum à Furio Dionyſio Philocalo; *&* Valentino, *neſcio cui, inſcriptum. Illud è Ms. itidem noſtro, ſed deficientibus quatuor menſibus, olim edidit Ægidius Bucherius in commentario de Victorii Aquitani Canone Paſchali; quod Kalendarium anno Chriſti vulgari* CCCLIV *conſcriptum fuit.*

de quo præfatur Bucherius.

4 *Ad Kalendarium illud ſic præfatur Bucherius*: Si quod de horum opuſculorum (*quæ ex eodem Ms. noſtro jam impreſſerat, ſuo in Commentario*) ætate dubium ſupereſſet, hoc unico Kalendario tolli poſſet. Præcipuas enim Conſtantini Magni filiique Conſtantii de tyrannis barbariſque victorias, velut adhuc calentes, exhibet & ſuis diebus aſſignat. Quin & in Cæſarum Natalibus eumdem Conſtantium, non, ut reliquos imperatores mortuos, DIVUM; ſed, ut adhuc ſuperſtitem, DOMINUM appellat. Opuſculi pretium accendunt non pauca, tum ad ſacram, tum ad

C

civilem hiſtoriam hîc prodita, aliis intacta: ut tute lector, ſtatim agnoſces. Dolendum, quatuor menſibus, Martio, Aprili, Maio & Junio, truncatum ad nos perveniſſe... Valentino cuidam inſcribitur, mihi hactenus ignoto; niſi quod paulo antè (*in Catalogo Pontificum Romanorum*) baſilicam à Julio Pontifice via Flaminia, milliario ſecundo conſtructam, Valentini appellatam notem. An idem ſit, cogitandum relinquo. *Non putem.*

Eccleſia S. Valentini ab ipſo Sancto appellata eſt.

5 *Quia iſtic loci viâ Flaminiâ haud procul à ponte Milvio eccleſia olim ſtetit, à* ſancto Valentino *appellata, non à Valentino quodam conditore; cum ipſe Julius ſupra dicatur illam condidiſſe, quod etiam affirmat Anaſtaſius*, unam ipſum baſilicam feciſſe juxta forum, & aliam viâ Flaminiâ; *ubi & cœmeterium fecit, & corpus S. Valentini, eâdem viâ ſub Claudio Imp. decollati, poſuit. Eadem eccleſia legitur apud eumdem Anaſtaſium, deinde magni nominis, & à variis Pontificibus reſtauratam, ornatam & honoribus auctam fuiſſe, puta à Theodoro, ſub annum* DCXLV; *Benedicto II*, DCLXXXV; *Adriano I*, DCCLXXII, *Leone III, & Gregorio IV. Cum vero dudum variâ temporum fortunâ fuerit collapſa, ſitûs tamen ejus memoria non omnino interiit; ſcribentibus Pan-*

vinio, Boſio & Floravante, fuiſſe in vinea ibidem loci, quæ nunc Fratrum S. Auguſtini eſt. Et nuper Auguſtinus Lubin in Notitia Abbatiarum Italiæ pag. 346, ſic narrat de eccleſia & cœmeterio S. Valentini, à Julio conſtructis; Hoc ipſo momento, quo iſta ſcribimus, medio ſcilicet Januario anno MDCXCIII, aliqua nobis apparuere veſtigia. Dum enim novi ædificii conſtruitur murus, reperta ſunt plura antiquæ eccleſiæ indicia, ſepulcra videlicet, ſepulcrorumque inſcriptiones, plurima defunctorum oſſa; & Chriſtiani cœmeterii irrefragabile argumentum concha ſepulcralis lapidis Parii, egregie ſculpta undoſis meandris, cubitali cruçis ſigno ſuperſculpto, cum tribus craniis pluribuſque mortuorum oſſibus: lapis quoque marmoreus cum cruce bicubitali deſuper inſculpta: duorum prominentiæ digitorum marmoreum legile ad miſſas, & ærea campanula ad elevationem hoſtiæ; quæ ipſe oculatus vidi ſcrutator exactiſſimus. *Hæc Lubinus, qui nimium nos moratus hic eſt.*

non ab alio Valentino, qui inde dici non poteſt Chriſtianus fuiſſe:

E

6 *Iſta igitur S. Valentini baſilica ab ipſo Sancto ſic denominata extitit, non à Valentino quodam ejus conditore, qui nullus hîc fuit. Neque is illo ex capite dici poteſt Chriſtianus fuiſſe. Si quid indicii hominis Chriſtiani, aut in ſcriptore, aut in illo cui inſcriptum opuſculum eſt, quæritur; erui id deberet vel ex tabula picta quæ præfigitur, vel ex litteris Dominicalibus ſeptem, quæ ſingulis diebus more Chriſtianorum ordine ſuo, una cum octo Nundinalibus, apponuntur. Reliqua enim omnia apparent profana eſſe.*

poſſet forte aliunde.

7 *Tabula in frontiſpicio poſita repræſentat portam, cui velum prætenditur, in eoque, ſummo loco ſcriptum*, Valentine floreas in Deo. *In medio conſpicitur monogramma, circulo incluſum, cum hiſce litteris, varie inter ſe implexis*, I. R. A. F. V. T. E. *OEdipus explicet, non ego. Infra duo genii hinc & inde tenent tabulam oblongam, in cujus utrimque anſis hæc verba*, Furius Dionyſius Filocalus titulavit: *in tabula vero ipſa, medio loco & majuſculis ſcriptum*, Valentine, lege feliciter: *dextrorſum autem*; Valentine, vivas, floreas: *& ſiniſtrorſum*, Valentine, vivas, gaudeas *Genii, qui portant, alati ſunt; atque videri poſſunt, ſi ubera ſpectes protuberantia, gentilium eſſe pictura; ſi pudenda, peplo ſolicite tecta, Angelos diceres: certe occultatio hæc, gentilibus inſolita, aliquid modeſtiæ atque verecundiæ Chriſtianæ ſapit. Sed neque inſcriptio*, floreas in Deo, *gentiliſmum olet: neque gentilis facile credi poteſt in ſuo Kalendario appoſuiſſe notas Chriſtianorum Dominicales. Facilius poteſt credi, Chriſtianum ſuis Dominicalibus adjunxiſſe Nundinales ex uſu antiquo ad intelligentiam gentilium, tunc adhuc nimis multorum.*

8 *De præmiſſis ſtatuat quiſque ut volet. Moneo de ſequentibus Kalendariis pauca. Primùm, quod à Bucherio editum dixi, non ex ipſo hîc profero, quia præter alia, minus correcta, deficiunt ibi menſes quatuor, Martius, Aprilis, Maius, & Junius. Inſpeximus nos Viennæ Auſtriæ anno* MDCLXXXVIII *bibliothecam Cæſaream, in eaque Codicem Cuſpiniani, ſimilem illi, ex quo ecgraphum Bucherii deſumptum fuerit; atque omnia, ab ipſo impreſſa, denuo inde deſcripſimus, etiam Kalendarium, de quo agimus, additis quatuor menſibus, quæ Bucherio deſunt. Idem ex eodem Codice impreſſum quoque dedit integrum Petrus Lambecius tomo quarto Bibliothecæ Cæſareæ p. 277: indeque ipſum hîc recudimus in prima paginarum columna; in altera ex oppoſito producturi è codice noſtro Ms. Kalendarium Polemei Silvii, ut inter ſe propius per ſingulos dies conſiderari poſſint, & facilius, quid uni deſit, quid alteri acceſſerit, notari.*

KALENDARIUM ANTIQUUM FURII DIONYSII FILOCALI

Anno CCCLIV conſcriptum.
Ex codice Ms. Joannis Cuſpiniani.

MENSIS JANUARIUS

Habet dies XXXI.

A A A Kal. Jan. Senatus legitimus.

b b IIII *Non.* Dies Ægyptiacus.
c c III. Ludi. Votorum nuncupatio.
B *d d prid.* Ludi.
e e Non. Ludi.

f f VIII *Idus.* Dies Ægyptiacus.

C *g g* VII. Jano Patri. CM. XXIIII.

A b VI.
b A V. Senatus legitimus.

D *c b* IIII.
d c III. Dies Carmentariorum.
e d prid.
E *f e Idib.* Jovi Statori. CM. XXIIII.

g f XIX. *Kal. Feb.*
A g XVIII Carmentalia.

F *b b* XVII. Dies Ægyptiacus.
c A XVI. Ludi Palatini.
d b XV. Ludi.
G *e c* XIIII Ludi
f d XIII N. Gordiani. CM. XXIIII.
g e XII Ludi.
H *A f* XI Ludi.
b g X. Senatus legitimus. SOL AQUARIO.
c b IX N. Divi Hadriani. CM. XXIIII.
I *d A* VIII. N. Chartis.
e b VII.
f c VI.
K *g d* V.
A e IIII.
b f III.
A c g prid.

FEBRUARIUS

Habet dies XXVIII.

KALENDARIUM ANTIQUUM POLEMEI SILVII

Anno CCCCIIL conſcriptum.
Ex codice Ms. Muſei noſtri.

MENSIS JANUARIUS

Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, Sebit; apud Ægyptios, Tibi; apud Athenienſes, Puſidicon; apud Græcos alios, Edinen.

Kalendæ, dictæ ἀπὸ τῦ καλεῖν, hoc eſt, à vocando; quia tum in Roſtris Romæ ad contentionem [*an non*, concionem?] populus vocabatur.
IIII *Non.* Circus privatus. Auſter, interdum cum pluvia.
III. Dies Auſpicialium. Natalis Ciceronis. Ludi.
II. Ludi. Comitialis.
Nonæ, dictæ ideo, quia nonus dies eas diſcernit ab Idibus. Tempeſtatem ſignificat.
VIII *Idus.* Epiphania, quo die, interpoſitis temporibus, ſtella Magis Dominum natum nunciabat, & aqua vinum facta, vel in amne Jordanis Salvator baptizatus eſt. Auſter interdum vel Favonius.
VII. Prima Conſulis mappa, quæ ideo ſic vocatur, quia Rex Tarquinius Romæ, dum die Circenſium prandéret in circo, de menſa ſua mappam foras, ut aurigis poſt prandium currendi ſignum daret, abjecerat.
VI. Auſter interdum & imber.
V. Senatus legitimus. Suffecti Conſules deſignantur ſive Prætores.
IIII.
III. Carmentalia, de nomine matris Euandri.
II aut *pridie.*
Idus. Dictæ ἀπὸ τῦ εἰδέιν, à videndo, quia priuſquàm annus hic, qui eſt, fuerat, menſe medio luna completa, quæ incipiebat Kalendas, de qua menſes dictos accepimus, videbatur. Secunda mappa. Interdum ventus aut tempeſtas.
XVIIII. *Kalend. Februarias.*
XVIII. Natalis Honorii. Circenſes. Interdum Auſter & pluvia.
XVII.
XVI. Ludi Palatini.
XV. Ludi.
XIIII. Ludi.
XIII. Natalis Gordiani. Circenſes.
XII. Ludi. Ventus Africus. Tempeſtatem ſignificat.
XI. Natalis S. Vincentii martyris. Dies pluvius.
X. Senatus legitimus. Quæſtores Romæ deſignantur.
VIIII. Natalis Adriani. Circenſes.
VIII. Interdum tempeſtas.
VII. Ludi Caſtorum Oſtiis, quod prima facta Colonia eſt.
VI. Ludi.
V. Auſter aut Africus. Interdum dies humidus.
IIII. Ludi.
III. Tempeſtatem ſignificat.
II. Circenſes Adiabenis victis. Interdum tempeſtas.

FEBRUARIUS

Dictus à numero. Dies XXVIII. Dictus à Fibro verbo, quod purgamentum veteres nominabant; quia tum Romæ mœnia luſtrabantur. Vocatur apud Hebræos, Adar; apud Ægyptios, Mechir; apud Athenienſes, Gamelion; apud Græcos, Pericios.

	d	*h*	*Kal. Feb.*	N. Herculis. CM. XXIIII.	*Kalendæ*. Circenſes. Interdum Auſter cum grandine.
	e	*A*	IIII *Non.*		IIII *Non.*
B	*f*	*b*	III.	Senatus legitimus.	III *Non.* Senatus legitimus. Chorus aut Africus.
	g	*c*	*prid.*	Ludi Gotthici.	II. Ludi.
	A	*d*	*Non.*	Ludi.	*Nonas.* Ludi. Ventus aut tempeſtas.
C	*b*	*e*	VIII *Idus.*	Ludi.	VIII *Idus.* Ludi.
	c	*f*	VII.	Ludi. Dies Ægyptiacus.	VII. Ludi. Favonius.
	d	*g*	VI.	Ludi.	VI. Ventus aut tempeſtas.
D	*e*	*h*	V.	Gotthici. CM. XXIIII.	V. Circenſes.
	f	*A*	IIII.		IIII. Curus.
	g	*b*	III.	Genialici. CM. XXIIII.	III. Circenſes.
E	*A*	*c*	*prid.*	Ludi Genialici.	II. Ludi.
	b	*d*	*Idib.*	Virgo Veſta parentat. Senatus legitimus.	*Idus.* Parentatio tumulorum. Inp. quo die Roma liberata eſt de obſidione Gallorum.
F	*c*	*e*	XVI *Kal. Mar.*		XVI *Kal. Mart.* Venti mutatio.
	d	*f*	XV.	Lupercalia.	XV. Lupercalia.
	e	*g*	XIIII.		XIIII. Natale Fauſtinæ, uxoris Antonii.
G	*f*	*h*	XIII.	Quirinalia.	XIII. Quirinalia, quo die Romulus occiſus à ſuis, qui ab haſta, quæ à Sabinis curis vocatur, non apparuiſſe confictus eſt. Favonius aut Auſter cum grandine.
	g	*A*	XII.		XII.
	A	*b*	XI.		XI.
H	*b*	*c*	X	SOL PISCIBUS.	X. Venti ſeptentrionales.
	c	*d*	IX.	Feralia.	IX. Frigidus dies de Aquilone, vel pluvia.
	d	*e*	VIII.	Cariſtia.	VIII. Depoſitio ſancti Petri & Pauli. Cara cognatio, ideo dicta, quia tunc, etſi fuerint vivorum parentum odia, tempore obitûs deponantur. Ventus aut tempeſtas.
I	*e*	*f*	VII.	Terminalia.	VII. Terminalia. Hoc die, quarto anno biſextum vocamus; quem diem Ægyptii inter Auguſtum & Septembrem epagomeno quinque dierum, menſi ſuo jungunt.
	f	*g*	VI.	Regifugium.	VI. Regifugium. Cum Tarquinius ſuperbus fertur ab Urbe expulſus.
	g	*h*	V.	Lotio. CM. XII. Dies Ægyptiacus.	V. Circenſes.
K	*A*	*A*	IIII.		IIII.
	b	*b*	III.	N. D. Conſtantini. CM. XXIIII.	III. Natale Conſtantini.
	c	*c*	*prid.*	Ludi votivi.	II. Ludi.

MARTIUS

Habet dies XXXI.

MARTIUS

Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, Niſan; apud Ægyptios, Famenod; apud Athenienſes, Anteſtion; apud Græcos, Diſtros.

A	*d*	*d*	*Kal. Mart.*	N. Martis. CM. XXVIII.	*Kalendæ*. Aliquando grando.
	e	*e*	VI *Non.*		VI *Non.* Septentrionales venti.
	f	*f*	V.	Senatus legitimus. Dies Ægyptiacus.	V.
B	*g*	*g*	IIII.		IIII. Interdum hyemat.
	A	*h*	III.	Iſidis navigium.	III.
	b	*A*	*prid.*		II. Aquilo.
C	*c*	*b*	*Non.*	Junonalia.	*Non.*
	d	*c*	VIII *Idus.*		VIII *Idus.*
	e	*d*	VII	Arma ancilia movent.	VII.
D	*f*	*e*	VI.		VI.
	g	*f*	V.		V. Natale Favonii.
	A	*g*	IIII.		IIII. Septentrionales venti.
E	*b*	*h*	III.	Jovi cultori. CM. XXIIII.	III.
	c	*A*	*prid.*	Mamuralia. Senatus legit.	II. Flatus Aquilonis.
	d	*b*	*Ibid.*	Canna intrat.	*Idus.*
F	*e*	*c*	XVII *Kal. Apr.*		XVII *Kalend. Aprilis.* Hyemat.
	f	*d*	XVI.	Liberalici. CM. XXIIII. SOL ARIETE.	XVI. Circenſes. Favonius aut Chorus.
	g	*e*	XV.		XV.
G	*A*	*f*	XIIII.	Quinquatria.	XIIII. Quinquadria.
	b	*g*	XIII.	Peloſia.	XIII. Peluſia.
	c	*h*	XII.	N. Minerves.	XII. Septentrionales venti.
H	*d*	*A*	XI.	Arbor intrat.	XI. Dies pluvius: interdum ningit.
	e	*b*	X.	Tubiluſtrium.	X.
	f	*c*	IX.	Sanguen. Dies Ægyptiacus.	VIIII. Natalis Cálices.
I	*g*	*d*	VIII.	Hilaria.	VIII. Æquinoctium, principium veris. Cruci. Miſſio gentilium. Chriſtus paſſus hoc die.
	A	*e*	VII.	Requetio.	VII. Interdum tempeſtas.
	b	*f*	VI.	Lavatio.	VI. Lavationem veteres nominabant. Reſurrectio.

K c g v. Initium Cajani.
d h IIII.
e A III.
A f b prid. N. Divi Conſtantini CM. XXIIII.

APRILIS

Habet dies XXX.

g c Kal. Apr. Veneralia. Ludi. Sen. leg.
A d IIII *Non.*
B b e III N. Dei Quirini. CM. XXIIII. Dies Æg.
c f prid. Ludi Megaleſiaci.
d g Non. Ludi.
C e b VIII *Idus.* Ludi.
f A VII. N. Caſtor. & Pollucis. CM. XXIIII.
g b VI. Ludi.
D A c V. Megaleſiaci CM. XXIIII.
b d IIII. N Divi Severi. CM. XXIIII.
c e III. Ludi Cerealici. CM. XXIIII.
E d f prid.
e g Idib. Ludi. Senatus legitimus.
F f b XVIII *Kal. Mai.* Ludi.
g A XVII Ludi.
A b XVI. Ludi.
G b c XV. Ludi.
c d XIIII. Ludi. SOL TAURO.
d e XIII. Cerealici. CM. XXIIII.
H e f XII.
f g XI. N. Urbis CM. XXIIII. Dies Ægypt.
g b X.
I A A IX.
b b VIII.
c c VII. Serapia.
K d d VI. N. M. Antonini. CM. XXIIII.
e e V.
f f IIII.
A g g III.
A b prid. Ludi florales.

MAIUS

Habet dies XXXI.

b A Kal. Mai. Senatus legitimus.
B c b VI *Non.* Ludi.
d c V. Floralici. CM XXIIII. Dies Ægyp.
e d IIII. Ludi Maximati.
C f e III. Ludi.
g f prid. Ludi.
A g IX *Idus.* Ludi.
D b h VIII. Ludi.
c A VII. Maximati. CM. XXIIII.
d b VI. N. Claudii. CM. XXIIII.
E e c V.
f d IIII. Martialici. CM. XXIIII.
g e III. Ludi Perſici.
F A f prid. Ludi.
b g Idib. N. Mercurii. Senatus legit.
c b XVII. *Kal. Jun.* Ludi.
G d A XVI. Perſici. CM. XXIIII.
e b XV. N. Annonis.
f c XIIII. Zenziarius.
H g d XIII. SOL GEMIN.
A e XII. Dies Ægyptiacus.
b f XI.
I c g X. Macellus roſa ſumat.

V.
IIII.
III.
II. Natalis Conſtantini. Circenſes.

APRILIS

Dies XXX. Vocatur apud Hebræos, Iar; apud Ægyptios, Farmotin; apud Athenienſes, Elaſibilion; apud Græcos Canticos.

Kalendæ Tempeſtatem ſignificant.
IIII *Non.*
III. Circenſes.
II. Ludi.
Nonas Favonius aut Auſter, interdum cum grandine.
VIII *Idus.* Interdum hyemat.
VII. Tempeſtatem ſignificat.
VI. Avium alcedinum dicitur.
V. Circenſes. Interdum tempeſtatem ſignificat.
IIII. Natalis Severi. Circenſes.
III. Ludi. Hyemat.
II.
Idus. Senatus legitimus.
XVIII *Kal. Maias.* Ludi. Ventus ac tempeſtas.
XVII. Ludi.
XVI. Ludi.
XV. Pluviam ſignificat.
XIIII. Ludi.
XIII. Circenſes. Conſulis tertiæ mappæ.
XII.
XI. Natalis urbis Romæ. Conſules ordinarii faſces deponunt. Parilia, dicta de partu Iliæ. Interdum pluvia & grando.
X. Africus aut Auſter, dies humidus.
IX. Tempeſtatem ſignificat.
VIII.
VII.
VI. Natalis Antonii. Circenſes.
V. Floria.
IIII. Auſter fore cum pluvia.
III. Interdum dies humidus.
II. Tempeſtatem ſignificat.

MAIUS

Dictus à numero. Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, Sivan; apud Ægyptios, Pachon; apud Græcos, Artemeſios.

Kalend.
VI *Non.* Septentrionales venti.
V. Tempeſtatem ſignificat.
IIII. Ludi.
III. Pluvia.
II. Ludi.
Non. Ludi Favonius.
VIII *Idus.* Ludi. Interdum pluvia.
VII.
VI. Natales Claudii. Tempeſtas interdum.
V.
IIII.
III. Ludi. Tempeſtatem ſignificat.
II. Ludi, & dies humidus.
. . . . . .
XVII *Kal. Junias.* Dies, ut ſupra.
XVI. Pluvia.
XV.
XIIII.
XIII.
XII. Interdum pluvia.
XI. Tempeſtatem ſignificat.
X. Ut ſupra.

	d	*h*	IX.	VIIII.
	e	*A*	VIII.	VIII. Ven.
K	*f*	*b*	VII.	VII.
	g	*c*	VI.	VI.
	A	*d*	V.	V.
	A	*e*	IIII. Ludi.	IIII. Ludi. Interdum pluvia.
	c	*f*	III. Ludi.	III.
	d	*g*	*prid.* Ludi.	II.

JUNIUS

Habet dies XXX.

Dictus à Junioribus. Dies XXX. Vocatur apud Hæbræos, Amir, apud Ægyptios, Pasin; apud Athenienses, Targilion; apud Græcos, Desios.

B	*e*	*b*	*Kal. Jun.* Fabarici CM. XII.	*Kalend.* Circenses Fabricii.
	f	*A*	IIII *Non.*	IIII *Non.*
	g	*b*	III. Senatus legitimus.	III.
C	*A*	*c*	*prid.* Ludi in minicia.	II. Ludi.
	b	*d*	*Non.*	*Non.*
	c	*e*	VIII *Idus.* Colossus coronatur.	VIII *Id.*
D	*d*	*f*	VII. Vesta aperit. Dies Ægyptiacus.	VII. Favonius aut Chorus.
	e	*g*	VI.	VI.
	f	*b*	V. Vestalia.	V.
E	*g*	*A*	IIII.	IIII. Interdum rorat.
	A	*b*	III. Matralia.	III.
F	*b*	*c*	*prid.*	II.
	c	*d*	*Idib.* N. Musarum. Senatus legitimus.	*Id.* Natalis Musarum.
	d	*e*	XVIII *Kal. Jul.*	XVIII *Kal. Julias.*
G	*e*	*f*	XVII. Vesta cluditur. SOL CANCRO.	XVII.
	f	*g*	XVI.	XVI. Tempestatem significat.
	g	*b*	XV.	
H	*A*	*A*	XIIII. Annæ Sacrum.	
	b	*b*	XIII.	IX.
	c	*c*	XII. Dies Ægyptiacus.	VIII. Solstitium. Favonius.
I	*d*	*d*	XI.	VII.
	e	*e*	X.	VI.
	f	*f*	IX.	V. Initium Æstatis.
K	*g*	*g*	VIII. Fortis Fortunæ. Solisticium.	IIII.
	A	*b*	VII.	III. Dies ventosus.
	b	*A*	VI.	II.
A	*c*	*b*	V.	
	d	*c*	IIII.	
	e	*d*	III.	
B	*f*	*e*	*prid.*	



JULIUS

Habet dies XXXI.

Dictus à Julio Cæsare, cum Quintilis antea diceretur. Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos Jar; apud Ægyptios, Episi; apud Athenienses, Scirotorion; apud Græcos, Panemos.

	g	*f*	*Kal. Jul.* Senatus legitimus	*Kal.*
	A	*g*	VI *Non.*	VI *Non.* Natalis genuinus Domini Valentiniani.
C	*b*	*h*	V. Fugato Licinio. CM. XXIIII.	V. *Non.* Favonius.
	c	*A*	IIII.	IIII.
	d	*b*	III. Ludi Apollinares.	III.
D	*e*	*c*	*prid.* Ludi. Dies Ægyptiacus.	II. Ludi.
	f	*d*	*Non.* Ludi.	*Non.* Ancillarum feriæ, quarum celebritas instituta est ideo, quia capta Urbe à Gallis cum fi ... prius victi, tradi sibi Romanorum Procerum conjuges postularent, consilium Philotedis ancillæ famulæ Dominarum vesti-
	g	*e*	VIII *Idus.* Ludi.	bus adornatæ, datæ illis fuissent, his nunciantibus prædictus somno sopitus Volyrius posse superari. Facta victoria sic.
E	*A*	*f*	VII. Ludi.	VIII *Id.* Natalis Julii Cæsaris.
	b	*g*	VI.	VII. Tempestatem significat.
	c	*h*	V. Ludi.	VI. Ludi
F	*d*	*A*	IIII. Ludi.	V. Ludi. Æteſiæ venti flare incipiunt.
	e	*b*	III. Apollinares. CM. XXIIII.	IIII. Ludi.
				III.

	f	*c*	*prid.*	
G	*g*	*d*	*Idib.*	Equit. Prob. Ludi Francici.
	A	*e*	XVII. *Kal. Aug.*	Ludi.
	b	*f*	XVI.	Ludi. Senatus legit. SOL LEONE.
H	*c*	*g*	XV.	Advent. D. CM. XXIIII. Dies Ægypt.
	d	*h*	XIIII.	Ludi votivi.
	e	*A*	XIII.	Francici. CM. XXIIII.
I	*f*	*b*	XII.	Advent. Divi. CM. XXIIII.
	g	*c*	XI.	Ludi.
	A	*d*	X.	Neptunalici.
K	*b*	*e*	IX.	
	c	*f*	VIII.	N D. Conſtantini. CM. XXIIII.
	d	*g*	VII.	Ludi votivi.
	A	*e*	VI.	Vict. Sarmaticas. CM. XXIIII.
	f	*A*	V.	
	g	*b*	IIII.	
B	*A*	*c*	III.	Vict. Marcommannas. CM. XXIIII.
	b	*d*	*prid.*	

AUGUSTUS

Habet dies XXXI.

	c	*e*	*Kal. Aug.*	N. Divi Pertinacis. CM. XXIIII.
C	*d*	*f*	IIII *Non.*	
	e	*g*	III	Senatus legitimus.
	f	*h*	*prid.*	Vict. Senati. CM. XXIIII.
D	*g*	*A*	*Non.*	N. Salutis. CM. XXIIII.
	A	*b*	VIII *Idus.*	Dies Ægyptiacus.
	b	*c*	VII.	N. Conſtantii. CM. XXIIII.
E	*c*	*d*	VI	Ludi votivi.
	d	*e*	V.	
F	*e*	*f*	IIII.	
	f	*g*	III.	
	g	*h*	*prid.*	Lignapſia.
G	*A*	*A*	*Idib.*	N. Dianes.
	b	*b*	XIX *Kal. Sept.*	
	c	*c*	XVIII.	Senatus legitimus.
H	*d*	*d*	XVII.	
	e	*e*	XVI	Tiberinalia. SOL VIRGINE.
	f	*f*	XV.	
I	*g*	*g*	XIIII.	N. Probi CM. XXIIII.
	A	*h*	XIII.	
	b	*A*	XII.	Dies Ægyptiacus.
K	*c*	*b*	XI.	
	d	*c*	X.	Vulcanalici. CM. XXIIII.
	e	*d*	IX.	
A	*f*	*e*	VIII.	
	g	*f*	VII.	
	A	*g*	VI.	
B	*b*	*h*	V.	Solis & Lunæ. CM. XXIIII.
	c	*A*	IIII.	
	d	*b*	III.	
C	*e*	*c*	*prid.*	

SEPTEMBER

Habet dies XXX.

	f	*d*	*Kal. Sept.*	Senatus legitimus.
	g	*e*	IIII. *Non.*	Dies Ægyptiacus.
D	*A*	*f*	III.	
	b	*g*	*prid.*	
	c	*h*	*Non.*	Mammes. Vindemia.
E	*d*	*A*	VIII *Idus.*	

II.
Idus.
XVIII *Kal. Auguſtas.*
XVII.
. . . . . .
XV.
XIIII.
XIII.
XII.
XI.
X.
VIIII. Favonius & Auſter, tempeſtatem ſignificat.
VIII. Nat. Conſtantini.
VII.
VI. Dies Canicularis.
V.
IIII. Initium tempeſtatum.
. . . . . .
. . . . . .

AUGUSTUS

Prius Sextilis; dictus ab Octaviano Auguſto. Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, Dul; apud Ægyptios, Meſore; apud Athenienſes, Ecatonbion; apud Græcos, Loos.

Kalend. Natalis Pertinacis; & Martyrium Machabæorum.
IIII *Non.*
III.
II. Tempeſtas.
Non.
VIII *Id.* Nebulio faſtus.
VII. Natalis Conſtantini minoris.
VI. Ludi.
V.
IIII. Natalis S. Laurentii mart.
III.
II. Hyppoliti mart. Tempeſtatem ſignificat.
Idus.
XVIIII *Kal. Septembris.*
XVIII.
XVII.
XVI.
XV. Ludi.
XIIII.
XIII.
XII. Tempeſtas.
XI.
X. Circenſes.
VIIII.
VIII.
VII. Poſt hunc diem apud Ægyptios V dierum Epagomenos, tertius decimus menſis adjungitur.
VI. Interdum pluvia.
V. Circenſes.
IIII.
III.
II. Interdum frigus.

SEPTEMBER

Dictus à numero. Dies XXX. Vocatur apud Hebræos, Teſſori; apud Ægyptios, Thovis; apud Athenienſis, Metadigmon; apud Græcos, Gorpitos.

Kalend.
IIII *Non.* Favonius aut Chorus.
III. Ludi.
II.
Non.
VIII *Id.*

	e	*b*	VII.	
	f	*c*	VI.	N. Aureliani. CM. XXIIII.
F	*g*	*d*	V.	
	A	*e*	IIII.	N. Aſclepi.
	b	*f*	III.	
G	*c*	*g*	*prid.*	Ludi Romaniani.
	d	*b*	*Idib.*	Ludi. Senatus legitimus.
	e	*A*	XVIII *Kal. Oct.*	Ludi.
H	*f*	*b*	XVII.	Romaniani CM. XXIIII.
	g	*c*	XVI.	
	A	*d*	XV.	
I	*b*	*e*	XIIII.	N. Trajani. Triumphales. CM. XLVIII.
	c	*f*	XIII.	Pii Antonini. CM. XXIIII. Dies Ægypt.
	d	*g*	XII.	Ludi Triumphales. SOL LIBRA.
K	*e*	*h*	XI	Ludi.
	f	*A*	X.	Ludi.
	g	*b*	IX.	N. Divi Auguſti. CM. XXIIII.
A	*A*	*c*	VIII.	
	b	*d*	VII.	
	c	*e*	VI.	
B	*d*	*f*	V.	Profectio Divi. CM. XXIIII.
	e	*g*	IIII	
	f	*h*	III.	Ludi fatales.
C	*g*	*A*	*prid.*	Ludi.

VII *Id.* Tempeſtas.
VI.
V.
IIII.
III. Favonius & Africus.
II. Interdum tempeſtas.
Id. Hoc die Romæ in æde Minervali per magiſtratum annis ſingulis ex ære clypei figebantur.
XVIII *Kal. Octob.*
XVII. Favonius interdum ſive Vulturnus.
XVI.
XV.
XIIII. Favonius & Chorus.
XIII.
XII. Ludi.
XI. Favonius & Chorus cum pluvia.
X. Tempeſtatem ſignificat.
VIIII.
VIII. Æquinoctium.
VII.
VI. Initium Autumni.
V. Favonius interdum.
IIII. Tempeſtatem ſignificat.
III. Ludi.
II.

OCTOBER

Habet dies XXXI.

Dictus à numero. Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, Mareſuari; apud Ægyptios, Faoſi; apud Athenienſes, Bœdeomnion; apud Græcos, Yperbereteos.

A	*b*	*Kal. Oct.*	N. Alexandri. CM. XXIIII.	*Kal.* Tempeſtatem ſignificat.
b	*c*	VI *Non.*		VI. *Non.*
D	*c*	*d*	V.	Senatus legitimus. Dies Ægyptiaci.	V. *Non.*
	d	*e*	IIII.		IIII. Tempeſtatem ſignificat.
	e	*f*	III.	Ludi Alamannici.	III. Ut ſupra.
E	*f*	*g*	*prid.*	Ludi.	II. Ludi. Aquilo.
	g	*h*	*Non.*	Ludi.	*Non.* Ludi.
F	*A*	*A*	VIII *Idus.*	Ludi.	VIII *Idus.*
	b	*b*	VII.	Ludi.	VII.
	c	*c*	VI.	Alamannici. CM. XXIIII.	VI. Interdum pluvia.
G	*d*	*d*	V.		V.
	e	*e*	IIII.	Auguſtales. CM. XXIIII.	IIII.
	f	*f*	III.	Ludi Jovi Liberatori.	III. Auſter & pluvia.
H	*g*	*g*	*prid.*	Ludi.	II. Natale Virgilii.
	A	*h*	*Idib.*	Ludi. Equus ad nixas fit. Senat. legit.	*Id.*
	b	*A*	XVII *Kal. Nov.*	Ludi.	XVII *Kal. Novemb.*
I	*c*	*b*	XVI.	Ludi.	XVI.
	d	*c*	XV.	Jovi Liberatori. CM. XXIIII.	XV.
	e	*d*	XIIII.	Ludi Solis. SOL SCORPIO.	XIIII. Tempeſtatem ſignificat.
K	*f*	*e*	XIII.	Ludi. Dies Ægyptiacus.	. . . . .
	g	*f*	XII.	Ludi.	XII.
	A	*g*	XI.	Solis. CM. XXXVI.	XI.
A	*b*	*h*	X.		X. Natale Valentiniani purpuræ.
	c	*A*	IX.		IX.
	d	*b*	VIII.		VIII.
B	*e*	*c*	VII.		VII.
	f	*d*	VI.		VI.
	g	*e*	V.	Iſia. Evictio Tyranni.	V. Interdum frigus.
C	*A*	*f*	IIII.	Advent. Divi. CM. XXIIII. Iſia.	IIII. Ventoſus dies.
	b	*g*	III.	Ludi votivi. Iſia.	III. Tempeſtas.
	c	*h*	*prid.*	Ludi. Iſia.	II. Ut ſupra.

NOVEMBER

Habet dies XXX.

Dictus à numero. Dies XXX. Vocatur apud Hebræos, Ciſlau; apud Ægyptios, Atur; apud Athenienſes, Deneſpion; apud Græcos, Dios.

D	*d*	*A*	*Kal. Novemb.*	Ex Senato. CM. XXIIII. S. L. Iſia.	*Kalend.*

	e	*b* IIII *Non.*	Ter novena. Dies Ægyptiacus.	IIII *Non.* Hiemat cum pluvia.
	f	*c* III.	Hilaria.	III.
E	*g*	*d prid.*		II.
	A	*e Non.*		*Non.*
	b	*f* VIII *Idus.*		VIII *Id.* Natalis Juliani.
F	*c*	*g* VII.		VII. Hiemat.
	d	*h* VI.	N. Nervæ & Conſtantii. CM. XLVIII	VI. Natalis Nervæ. Tempeſtas.
	e	*A* V	Ludi votivi.	V. Ut ſupra.
G	*f*	*b* IIII.		IIII. Interdum rorat.
	g	*c* III.		III.
	A	*d prid.*	Ludi Plebeii. Senatus legitimus.	II.
H	*b*	*e Idib.*	Jovis Epulum. CM. XXX.	*Idus.*
	e	*f* XVIII *Kal. Dec.*	Ludi.	XVIII *Kal. Decembr.*
	d	*g* XVII.	Ludi.	XVII.
I	*e*	*h* XVI.	Plebeii. CM. XXIIII.	XVI. Aquilo.
	f	*A* XV.	N. Veſpaſiani. CM. XXIIII.	XV. Natale Veſpaſiani. . . . locum. Pluvia.
	g	*b* XIIII.		XIIII. Tempeſtas.
K	*A*	*c* XIII.	SOL SAGITTARIO.	XIII. Aquilo frigidus.
	b	*d* XII.		XII.
	c	*e* XI.		XI. Hiemat.
A	*d*	*f* X.		X. Tempeſtas.
	e	*g* IX.		VIIII.
	f	*d* VIII.	Bruma. Dies Ægyptiacus.	VIII. Bruma.
B	*g*	*A* VII.	Ludi Sarmatici.	VII.
	A	*b* VI.	Ludi.	VI.
	b	*c* V.	Ludi.	V. Ludi.
C	*c*	*d* IIII.	Ludi.	IIII.
	d	*e* III.	Ludi.	III. Ut ſupra.
	e	*f prid.*	Ludi.	II. Auſter cum pluvia.

DECEMBER	DECEMBER
Habet dies XXXI.	Dictus à numero. Dies XXXI. Vocatur apud Hebræos, Tebet; apud Ægyptios, Ciac; apud Athenienſes, Memacterion; apud Græcos, Apelleos.

D	*f*	*g Kal. Decemb.*	Sarmatici CM. XXIIII.	*Kalend.*
	g	*h* IIII *Non.*	Initium muneris.	IIII. *Non.*
	A	*A* III.	Senatus legitimus.	III.
E	*b*	*b prid.*	Munus arca. Dies Ægyptiacus.	II.
	c	*c Non.*	Munus arca.	*Non.*
F	*d*	*d* VIII *Idus.*	Munus arca.	VIII *Id.* Tempeſtas.
	e	*e* VII.		VII. Interdum Auſter & rorat.
	f	*f* VI.	Munus Kandida.	VI.
G	*g*	*g* V.		V.
	A	*h* IIII.		IIII.
	b	*A* III.	Septimontia.	III. Interdum pluvia.
H	*c*	*b prid.*	Ludi Lancionici.	II. Septem montium.
	d	*c Idib.*	Ludi. Senatus legitimus.	*Id.* Hiemat.
	e	*d* XIX *Kal. Jan.*	Ludi. Dies Ægyptiacus.	XVIIII *Kal. Januarias.*
I	*f*	*e* XVIII.	N. Divi Veri. CM. XXIIII.	XVIII. Natalis Veri. Tempeſtas.
	g	*f* XVII.	Ludi.	XVII.
	A	*g* XVI.	Ludi. Saturnalia.	XVI. Feriæ ſervorum.
K	*b*	*b* XV.	Lancionici. CM. XXIIII. SOL CAPRI-	XV. Aquarius.
	c	*A* XIIII.	Munus arca. (CORNO.	XIIII.
	d	*b* XIII.	Munus Kandida.	XIII.
A	*e*	*c* XII.	Munus arca.	XII.
	f	*d* XI.		XI.
	g	*e* X.	Munus arca.	X. Tempeſtas.
B	*A*	*f* IX.	Munus conſummat.	VIIII.
	b	*g* VIII.	N. Invicti. CM. XXX.	VIII. Natalis Domini corporalis. Solſticium & initium hiberni.
	c	*b* VII.		VII. Natalis S. Stephani Mart.
C	*d*	*A* VI.		VI.
	e	*b* V.		V. Natalis Titi. Tempeſtas.
	f	*c* IIII.		IIII.
D	*g*	*d* III.	N. Divi Titi. CM. XXIIII.	III.
	A	*e prid.*	Magiſtrati jurant.	II. Ut ſupra.

Habes hîc, Lector, Kalendaria duo antiqua cum ſuis vitiis, prout in codicibus mss. legebantur. Nihil putavi in illa adnotandum. Tute id præſtato per te, ubi uſus fuerit. Buchelius in margine editionis ſuæ notas pauculas adjecit, quem qui volet, conſulere poteſt

MAR-

MARTYROLOGIA DUO PARVA ET ANTIQUA.

Ex eodem Cuſpiniani Codice Ms.

EX *eodem codice Ms. qui olim fuit Cl. Viri Joannis Cuſpiniani, ab eoque Auguſtiſſimorum Domus Auſtriacæ Imperatorum bibliothecæ Viennenſi illatus, nunc ſignatur inter codices Mss. Hiſtorico-latinos, ſuperne quidem, num.* 648; *inferne vero,* 56: *quique primum ex duobus præmiſſis Kalendariis etiam ſubminiſtravit; ex illo, inquam, codice deſcripſimus quoque anno* MDCLXXXVIII *duo antiqua, ut ſic dicam, Martyrologia, quorum alterum notatur* Depoſitio epiſcoporum, *videlicet Romanorum; alii enim nulli illic recenſentur. Alterum inſcribitur,* Depoſitio Martyrum, *ſolos namque martyres annumerat, eorumque uti & prædictorum Epiſcoporum, loca depoſitionis & dies præcipui cultûs indicat; quæ non ſemper ſunt obitûs, ſed ſubinde tranſlationis. Edidit pridem utrumque opuſculum citatus Bucherius in ſuo Victorii Canone Paſchali pag.* 267, *ex ms. noſtro, ipſi tantiſper conceſſo à P. Bollando. Edidit autem comptius, quam forte oportebat, mutatis nonnullis; vitioſe ſcriptis, in melius ſecundùm ſenſum aut conjecturam ſuam., ut lectoris ſtudium ſublevaret. Nos interea utrumque denuo deſcripſimus ipſi, ex codice, quem dixi, Cuſpinianeo & contulimus cum ms. antiquiore, quo Bucherius fuit uſus, quod comperio, ex codice ms. membraneo & antiquiore deſumptum eſſe, quam ſit codex Cuſpiniani, qui chartaceus eſt ac trium forte ſeculorum ætatem non ſuperat: adeo tamen, ſaltem in hiſce, ſimiles ſunt codices illi & inde excepta apographa noſtra, ut etiam vitioſe ſcripta appareant utrobique propemodum eadem. In primis hic ſequimur apographum noſtrum proprium, in dubiis conſulto altero; & damus ipſum prout eſt. Lector per ſe cognoſcet quid perperam, quid recte ſcriptum ſit: & ſi qua in re dubitaverit, acceſſum habet ad Bucherium, qui nonnulla, ut dixi, reformavit.*

DEPOSITIO EPISCOPORUM.

VI *Kal. Januar.* Dioniſi, in Caliſti.
III *Kal. Jan.* Felicis, in Caliſti.
Prid. Kal. Jan. Silveſter, in Priſcillæ.
IIII *Idus Jan.* Miltiades, in Caliſti.
XVIII *Kal. Febr.* Marcellini, in Priſcillæ.
III *Non. Mart.* Luci, in Caliſti.
X *Kal. Mai.* Gai, in Caliſti.
IIII *Non. Aug.* Steffani, in Caliſti.
VI *Kal. Octobr.* Euſebii, in Caliſti.
VI *Idus Decembr.* Eutichiani, in Caliſti.
Non. Octobr. Marci, in Balbinæ.
Prid. idus April. Julii, in via Aurelia miliario III, in Caliſti.

Notandum hîc moneo, quod in verſu quinto videatur duplex irrepſiſſe error, alter in vocabulo Marcellini, *pro quo ſcribendum* Marcelli. *Hic enim in Januario ab antiquiſſimis temporibus colitur; ille vero in Aprili. Alter error in die menſis, qui ſcribitur* XVIII Kal. Febr. *pro quo ſcribendum* XVII Kal. Febr. *quo die colitur Marcellus Papa, de quo hîc, non pridie. Legas igitur verſum illum ſic:* XVII Kal. Febr. Marcelli, in Priſcillæ. *Ambo enim Pontifices illi, Marcellus & Marcellinus, in eodem S. Priſcillæ cœmeterio via Salaria conditi fuerunt; ſed dies cultus amborum ſemper diverſus fuit, ut jam dixi; Marcelli quidem* XVII *Kal. Febr. ſeu die* XVI *Januarii; Marcellini autem,* VI *Kal. Maias, ſeu* XXVI *die Aprilis.*

DEPOSITIO MARTYRUM.

VIII *Kal. Jan.* Natus Chriſtus in Betleem Judeæ.

MENSE JANUARIO.

XIII *Kal. Feb.* Fabiani, in Caliſti; & Sebaſtiani in Catacumbis.
XII *Kal. Feb.* Agnetis, in Nomentana.

MENSE FEBRUARIO.

VIII *Kal. Martii.* Natale Petri de Catedra.

MENSE MARTIO.

Non. Martii. Perpetuæ & Felicitatis, Africæ.

MENSE MAIO.

XIIII *Kal. Jun.* Partheni & Caloceri, in Caliſti, Diocletiano VIII & Maximiano VIII Coſſ.

MENSE JUNIO.

III *Kal. Julii.* Petri, in Catacumbas; & Pauli, Oſtenſe; Tuſco & Baſſo Coſſ.

MENSE JULIO.

VI *Idus.* Felicis & Filippi, in Priſcillæ: & in Jordanorum, Martialis, Vitalis, Alexandri: & in Maximi, Silani; hunc Silanum martyrem Novati * furati ſunt: & in Prætextati, Januari. * Novatiani.
III *Kal. Aug.* Abdos & Semnes, in Pontiani, quod eſt ad Urſum Piliatum.

MENSE AUGUSTO.

VIII *Idus Aug.* Xyſti, in Caliſti; & in Prætextati, Agapiti & Feliciſſimi.
VII *Idus Aug.* Secundi, Carpoferi, Victorini & Severiani, Albano & Oſtenſe.
VI. Balliſtaria * Cyriaci, Largi, Creſcentiani, Memmiæ, Julianetis & Ixmaracdi. * *lege*, Via Salaria,
IIII *Idus Aug.* Laurenti, in Tiburtina.
Idib. Auguſti. Ypoliti, in Tiburtina; & Pontiani, in Caliſti.
XI *Kal. Sept.* Timothei, Oſtenſe.
V *Kal. Sept.* Hermetis, in Baſillæ, Salaria vetere.

MENSE SEPTEMBRE.

Non. Sept. Aconti, in Porto, & Nonni & Herculani & Taurini.
V *Idus Sept.* Gorgoni, in Labicana.
III *Idus Sept.* Proti & Jacincti, in Baſillæ.
XVIII *Kal. Octob.* Cypriani, Africæ; Romæ celebratur in Caliſti.
X *Kal. Octob.* Baſillæ, Salaria vetere; Diocletiano VIIII, Maximiano VIII Coſſ.

MENSE OCTOBRE.

Prid. idus Octob. Caliſti, in via Aurelia miliario III.

MENSE NOVEMBRE.

VI *Idus Novemb.* Clementis, Semproniani, Claui *, Nicoſtrati, in comitatum. * Claudi.
III *Kal. Dec.* Saturnini, in Traſonis.

MENSE DECEMBRE.

Idus Decemb. Ariſton, in Pontum.

Hîc quoque nonnulla, quæ perperam ſcripta apparent, obſervari poſſent & forte explicari: verum id ſatius fiet, quando de ſingulis Sanctis per otium ſuo tempore & loco agendum erit in Actis. Tantum dico, quod S. Ariſton Idibus Decembris, *hactenus nobis ignotus eſt. Novimus quidem ex Martyrologiis, non admodum antiquis,* XI Kal. Januarias in Portu Romano Natale S. Ariſtonis; *quod intelligi poſſet de ſupra dicto Ariſtone, quatenus* in Pontum, *ſumi poſſit* in Portu. *At diverſos eſſe, ſuadent dies diverſi, quibus coluntur, alter* XIII *Decembris, alter* XXII *ejuſdem menſis.*

NATALES ALIQUOT SANCTORUM

EX FASTIS CONSULARIBUS EXCERPTI.

INvenimus in eodem Cuſpiniani codice ms. duos Conſulum Romanorum Catalogos, ſatis antiquos, quorum alter deſinit ſub annum vulgaris æræ CCCCXCIII, *alter ſub* DXXXVI: *uterque orditur à Gajo Julio Cæſare. Conſulum nomina utrobique ſcripta ſunt peſſime, & non raro male ordinata, junctaque ſubinde Conſulum paria, qui numquam Collegæ fuerunt. Hinc operæ pretium non duximus Conſules omnes deſcribere. Attamen ad varios conſulatus inſerebantur varia variorum geſta, & Sanctorum quoque martyria, additis plerumque Kalendis, Nonis & Idibus, quibus paſſi fuerunt. Hæc deſcribenda putavi, tum quod noſtris, tum quod etiam aliorum uſibus utilia eſſe poſſint; non tamen quod omnia, quæ excerpſi, probata velim; ſed ut in rebus dubiis ſaltem conſuli poſſint. Do omnia ut excepi, omiſſis Conſulibus, præter illos, ſub quorum conſulatu res narratæ notantur contigiſſe; & illos, qui proximo anno dicuntur ſucceſſiſſe; ut ſic ex collatione duorum conſulatuum cum melioribus conſulum faſtis, facilius certiuſque ſtatuatur de tempore; quo geſta, quæ narrantur, contigerint. Accipe igitur hîc Catalogum antiquiorem, quem dixi ante finem ſeculi quinti deſinere: ſimul nota in ſpecimine male fidam Catalogi ſcriptionem. In primo conſulatu datur Gajo Julio Cæſari collega* Marcus Antoninus, *pro* Antonius: *in ſecundo ponitur* Chryſauricus, *cujus nominis nuſquam Conſul Romæ fuit; & ſcribendum foret* Iſaurius. *Reliqua ſimiliter examina. Demum ſcito, quæ hîc litteris Romanis ſcribuntur, in codice ſcripta eſſe rubricis: reliqua, communi colore nigro ſcripta, hîc litteris Italicis exprimuntur, nempe Conſulum nomina. Orditur Catalogus iſte, ut ſequitur.*

Fuerunt omnes anni, ex quo terra condita eſt, uſque ad Gajum Julium Cæſarem, anni MMMMMXLIIII.

Primus Imperator G. Julius Cæſar.

Gajo Julio Cæſare & Marco Antonino.

Chryſaurico & Antonino.

His Conſulibus Cæſar occiſus eſt, qui biſſextum & Lunæ curſum adinvenit, x Kal Jan. Luna prima; & imperium Octavianus accepit puer annorum XVIII.

Lentulo & Oreſte.

Lepido & Planco.

His Coſſ. tres ſoles in cælo apparuerunt.

Cenſorino & Salvino.

Cicerone & Antonino.

His Coſſ. Auguſtus nomen accepit.

Auguſto & Tullio.

Auguſto VI *& Agrippa.*

His Coſſ. Chartago reſtituta eſt Idus Julias.

Auguſto VII *& Agrippa.*

Saturnino & Cinna.

His Coſſ. moritur Virgilius annorum LX.

Duobus Lentulis.

Domitio & Enabarbo.

His Coſſ. Aqua virgo inducta eſt Romam.

Libone & Piſone.

Auguſto XII *& Silano.*

His Coſſ. Chriſtus natus eſt VIII Kal. Jan. *Anni à Chriſto nato.*
Luna XIIII.

Lentulo & Piſone.

Pompeio & Aquileio. 14

His Coſſ. defunctus eſt Auguſtus annorum LXXVII.

Druſo & Flacco. 15

*Baſſo * & Piſone.* 27 **Craſſo.*

His Coſſ. paſſus eſt Joannes Baptiſta. 29

Duobus Geminis.

His Coſſ. Chriſtus paſſus eſt VIII Kal. Aprilis. 31

Tiberio III *& Silio.* * **Sejano.*

Tiberio IIII *& Gallo.*

His Coſſ. Petrus Apoſtolus ad Romam venit.

Criſpino & Tauro. 44

Vitellio II *& Publicola.* 48

His Coſſ. Phenix aparuit primum.

Verano & Gallo. 49

Nerone II *& Piſone.* 57

His Coſſ. paſſi ſunt Petrus & Paulus Romæ III Kal. Julias.

Nerone III *& Meſſala.* 58

Mario & Gallo. 62

His Coſſ. Jacobus Apoſtolus in Hieroſolymis de pinna templi dejectus eſt à Judæis V Kal. Januarii.

Ruffo & Regulo. 63

Capitone & Rufo. 67

His Coſſ. Nero de imperio non comparuit.

Italico & Turpilione. 68

Commodo & Rufo.

His Coſſ. Judæi devicti ſunt à Veſpaſiano Imperatore.

Veſpaſiano VIII *& Tito* VII.

Hadriano & Salinatore. 118

His Coſſ. ſol eclipſim paſſus eſt.

Hadriano

119 *Hadriano & Ruſtico.*

Antonino IIII *& Aurelio.*
A Gaio Julio Cæſare uſque ad duos Auguſtos anni ſunt CCXLIIII.

161 *Duobus Auguſtis.*

203 *Plautiano & Geta.*
His Coſſ. paſſæ ſunt Perpetua & Felicitas Nonas Martias.

204 *Chilone & Libone.*

250 *Decio & Grato.*
His Coſſ. perſecutio fuit Chriſtianorum, ut ſacrificarent idolis.

251 *Decio* II *& Ruſtico.*
His Coſſ. paſſus S. Laurentius III idus Auguſti.

252 *Gallo & Voluſiano.*

258 *Tuſco & Baſſo.*
His Coſſ. paſſus eſt Cyprianus in Carthagine XVIII Kal. Octobris.

259 *Æmiliano & Baſſo* II.

303 *Diocletiano* VII *& Maximiano* V.
His Coſſ. eccleſiæ demolitæ ſunt, & libri Dominici combuſti ſunt, & paſſa eſt S. Euphemia XVI Kal. Octobris.

304 *Diocletiano* VIII *& Maximiano* VI.

306 *Conſtantio* VI *& Maximiano* VI.
His Coſſ paſſus eſt Timotheus Romæ X Kal. Julias.

308 *Diocletiano* IX *& Maximiano* VII.

336 *Nepotiano & Facundo.*
His Coſſ. introierunt Conſtantinopolim Lucas & Andreas. *Nempe in tranſlatione corporum eorum.*

337 *Feliciano & Titiano.*

365 *Valentiniano & Valente.*
His Coſſ. maris acceſſa & receſſa fuit XII Kal. Auguſtas.

366 *Gratiano N. P. & Dagalaiſo.*

375 *P. C. Gratiani* III *& Equicii* IIII.
His Coſſ. Sarmatæ totam Pannoniam devaſtaverunt.

376 *Valentiniano* V *& Valente* V.

379 *Auxonio & Olybrio.*
His Coſſ. Theodoſius levatus eſt Imp. à Gratiano Sirmii.

380 *Gratiano* V *& Theodoſio.*

383 *Merabaudo* II *& Saturnino.*
His Coſſ. Gratianus occiſus eſt à Maximo, Lenduno VIII Kal. Sept. Eo anno natus eſt Honorius Conſtantinopoli V Idus Sept. & levatus eſt Arcadius.

384 *Richomere & Clearco.*

388 *Theodoſio* II *& Cynthio.*
His Coſſ. occiſus eſt Maximus V Kal. Septemb.

389 *Timaſio & Promoto.*
His Coſſ. Theodoſius Romam introivit cum Honorio Idus Junias & exivit inde III Kal. Sept.

390 *Valentiniano* IIII *& Neoterio.*
His Coſſ. ſignum apparuit in cælo, quaſi columna pendens per dies viginti.

Taciano & Symmacho. 391
His Coſſ. defunctus eſt Valentinianus Viennæ IIII Idus Jun. Eo die levatus Eugenius Imp. XI Kal. Sept.

Arcadio VII *& Rufino.* 392
Theodoſio VI *& Abundantio.* 393
His Coſſ. tenebræ factæ ſunt die Solis hora II, VI Kal. Nov. & levatus eſt Honorius Imp. Conſtantinopoli in miliario IIII à Theodoſio patre ſuo X Kal. Febr.

Arcadio III *& Honorio* II.
His Coſſ. occiſus eſt Eugenius VIII Idus Sept. 394

Olybrio & Provino. 395
Arcadio IIII *& Honorio* III. 396
His Coſſ. Theodoſius defunctus eſt Mediolano XVIII Kal. Jan.

Ceſario & Attico. 397
Honorio IIII *& Eutichiano.* 398
His Coſſ. Gildo occiſus eſt prid. Kal. Auguſtas.

Fl. Stilicone & Aurelio. 400
Vincentio & Franito. 401
His Coſſ. natus eſt Theodoſius Conſtantinopoli Idus April. & intravit Alaricus in Italiam XIIII Kal. Decembr.

Arcadio V *& Honorio* V.
Theodoſio & Rumoridо. 402 403
His Coſſ. Theodoſius levatus eſt Imp. Conſtantinopoli IIII Idus Januarias. Et levatus eſt Maximus Imp. XVI Kal. April. & occiſus eſt prid. Idus Jun. Et intravit Geſericus Romam & prædavit eam per dies XIIII. Et levatus eſt Imperator in Galliis Avitus VI Idus Julias. Et everſa eſt Sabaria à terræ motu VII Idus Septembris die Veneris.

Joanne & Varone. 456
His Conſulibus occiſus eſt Remiſſus Patricius in Palatio Claſſis XV Kal. Octob. Et Captivus eſt Imp. Placentia à Mag. mil. Ricimere, & occiſus eſt Meſſiam Patricius ejus XVI Kal. Nov.

Conſtantino & Rufo. 457
His Coſſ. Ricimer Mag. mil. Patricius factus eſt prid. Kal. Martias. Et factus eſt Majorianus Mag. mil. ipſo die. Et levatus eſt Imp Dom. Majorianus Kal. April. in miliario VI in campo ad Columellas.

Leone Auguſto & Apollonio. 458
Fl. Ricimere & Patricio. 459
Magno & Apollonio 460
Severino & Dagalaiſo. 461
His Coſſ. depoſitus eſt Majorianus Imp. à patricio Ricimere Dertona IIII Nonas Aug. & occiſus eſt ad fluvium Ira VII Idus Aug. Et levatus eſt Imp. Dom. Severus XIII Kal. Dec.

Leone II *& Severo.* 462

Ruſtico & Olybrio. 464
His Coſſ. occiſus eſt Beorgor Rex Alanorum Bergamo ad Pedemontis VIII Idus Februarias.

Herminerico & Baſilio. 465
His Coſſ. defunctus eſt Imp. Severus Romæ XVIII Kal. Septembris.

Leone III *& Tatiano.* 466
Puſeo & Joanne. 467
His Coſſ. levatus eſt Imperator Dom. Anthemius Romæ pridie Idus Aprilis.

D. N. Anthemio Auguſto II. 468
His Coſſ. occiſus eſt Marcellinus in Sicilia menſe Aug. *Marciano & Zenone* II. 469

Feſto & Marciano. 472
His Coſſ. bellum civile geſtum eſt Romæ inter Anthe-

Anthemium Imperatorem & Ricimere Patricio. Et levatus est Imp. Olybrius Romæ. Et occisus est Imp. Anthemius v Idus Julias. Et defunctus est Ricimer xv Kal. Septemb. Eo anno Gundobadus Patricius factus est ab Olybrio Imp. & defunctus est Imperator Olybrius Romæ x Kal. Novemb.

Leone Augusto v.

473 Hoc Consule levatus est Imp. Glicerius Ravenna III Non. Martias.

Dom. Leone Juniore Augusto.

474 His Coss..... de Imperio Glicerius in portu urbis Romæ. Eo anno levatus est Dom. Julius Nepos VIII Kal. Julias.

P. C. Leonis Jun. Aug.

475 His Coss introivit Ravennam Patricius Orestes cum exercitu & fugavit Imp. Nepos ad Dalmatias v Kal. Septemb. Eo anno Augustulus Imp. levatus est Ravenna à Patricio Oreste patre suo prid. Kal. Novembris.

Basilisco II *& Armato.*

476 His Coss. levatus est Odoacer Rex x Kal. Sept. Eo anno occisus est Orestes Patricius Placentia v Kal. Septemb. Eo anno occisus est Paulus Frater ejus Ravenna in Pinita prid. Non. Sept.

P. C. Basilisci & Armati.

476 His Coss. occisus est Branila à Rege Odoacro v Idus Julias Ravenna.

Hello unico Cons.

478

Basilio Jun. VI *Cos.*

480 His Coss. occiditur Nepos Imp. VII Idus Maias.

Placido unico Cons.

481 His Coss. occisus est....VII Idus Octobris.

Severino unico Cons.

482 His Coss occisus est, ... Dalmatias v Kal. Dec.

Faustone unico Cons.

483

Vetio unico Cons.

487 Hoc Consule pugna facta est inter Odoacrem regem & Feunanum regem Jugorum, & vicit Odoacer, & adduxit captivum Feunanum regem sub die XVII Kal. Decemb.

Dinanno & Sisidio.

488 His Coss. arsit pontus Apolinaris noctu in Pascha xv Kal. Maias.

Probino & Eusebio.

489

Fausto unico Cons.

490 His Coss. ingressus est rex Theodoricus in Fossato Pontis Sontis v Kal. Septembris: & fugit Odoacer rex de Fossato & abiit in Veronam. Eo anno ingressus est Odoacer rex in Fossatum Erulis in Pinita, & occisus est Libila Mag. mil. & ceciderunt populi ab utraque parte, & clausit se Ravenna Odoacer rex VI Idus Jul. Et regressus est rex Theodoricus in Ticino XI Kal. Septemb.

Dom. Anastasio Aug. & Rufo.

492 His Coss. terræ motus factus noctu ante pullorum cantus VII Kal. Jun.

Albino unico Cons.

493 Hoc Cons. regressus est Rex Theodoricus Arimini & venit cum dramonis ad Fossatum Palatioli IIII Kal. Septembris. Eo anno pugna facta est inter Theodoricum & Eufanem Mag. mil. inter Tridentum & Veronam.

Hoc Consule facta est pax inter Dom. Theodoricum regem & Odoacrem III Kal. Martias. Et ingressus est Dom. Theodoricus in Classem...

Hoc Consule ingressus est Ravennam rex Theodoricus III Non. Martii & occisus est Odoacer rex à rege Theodorico in palatio cum commilitibus suis.

Atque hæc quidem è primo Catalogo excepta sunt: quibus nos nihil addendum putavimus, quam annos æræ vulgaris, in margine notatos, quibus nominati Consules processerunt, ad sublevandam lectoris memoriam; utque inde numerus consulatuum, qui multis consulibus per peram adscribitur, forte ex incuria librariorum, facilius corrigi possit. Alter Catalogus, de quo meminimus, multo turbatior ac vitiosior est, pluraque continet, quæ ad historiam profanam, quam quæ ad sacram spectent. Ponit, Duobus Geminis consulibus, *qui anno* XXIX *æræ vulgaris consules fuere,* Christum passum esse VIII Kal. Apr. die Veneris, luna III, anno XXXI Adventus ejus. *Crediderо scriptum ab Auctore fuisse, ut scribi debuit,* anno XXIX; *quia proximo post Geminos Consulatu notat* Unicium & Longinum, *qui fuerunt anno* XXX *æræ vulgaris. Habet quoque nonnullas temporum notas. Puta, quod fuerint* à Passione Domini usque ad Consulatum Nigri & Aproniani, anni LXXXIIII. *Item quod fuerint ab Adventu Domini usque ad Consulatum Viatoris anni quingenti. Fuerunt Consules Niger & Apronianus anno æræ vulgaris* CXVII; *Viator vero,* CCCXCIIII. *Videat lector, an inde aliquid commodi haurire possit, & quæ errata in Catalogo animadverterit, per se emendet: ego plura non prosequor.*

Superest nobis & aliud opusculum ms. antiquum sub Liberio Papa, anno CCCLII *creato, absolutum; quod enumerat etenus Pontifices Romanos, indicans, quis, quantum temporis præsederit Ecclesiæ; quibus Consulibus Romanis cœperit, quibus desierit. Verum quia id ipsum pridem ex eodem ms. nostro Bucherius edidit in suo, ad Victorii Aquitani Canonem Paschalem Commentario, pag.* 269; *ac præcipue, quia Henschenius noster ante tomum primum de Actis Sanctorum Aprilis denuo illud recudit, multisque solicite illustravit; eò scienda cupidum lectorem remittimus; ut hîc tandem Acta Sanctorum primi semestris, sive sex priorum anni mensium, à P. Joanne Bollando inchoata, à P. Godefrido Henschenio formata, à P. Daniele Papebrochio mirifice promota, finiamus; progressuri nunc, Deo Sanctisque adjuvantibus, ad alterum semestre, quo decurso, qui tunc operi allaborabunt, denique recudent & in duplum augebunt menses Januarium & Februarium, qui, ut principium Operis, imperfectiores sunt, multaque accessione Actorum, postea ac præcipue anno* MDCLX *ab Henschenio & Papebrochio, per Germaniam, Italiam, Galliam ea propter peregrinatis collectorum, indigent. Non tam indigent reliqui menses, qui post prædictum annum editi fuerunt.*

IN-

INDEX IN TOMUM VII

DE ACTIS SANCTORUM MENSIS JUNII.

A

ABbatiæ Romanæ 51 b
Abundius, cuſtos baſilicæ S. Petri, juſſu ejus ſanat paralyticam 74 b
Adriani opera magnifica 82, ejus erga S. Petrum munificentia 72 d
Ædificia duo ad latus meridionale baſilicæ veteris 156. An fuerint deorum fana ibid. b

ALTARIA.

S. Abundii, Manſionarii baſilicæ S. Petri 84 e. 95 e
S. Adriani, ſitum inter oratoria S. Leonis & S. Mariæ de Cancellis 104 b. An ædificatum ab Adriano PP. I, ibid. Hoc in Altari conſervata fuit Cathedra S. Petri ibid.
S. Ægidii abbatis 44 a. Locupletiſſimè dotatum à Joanne Tomacello, Comite Soræ, Bonifacii PP. IX fratre 102 c. Manlius quoad ejuſdem altaris ſitum corrigendus aut conciliandus ibid. c
S. Agathæ virginis & martyris ab Ægidio de Roffredis reſtauratum. Poſtea locum ceſſit ſepulcro Marcelli II 95 e
S. Ambroſii, epiſcopi Mediolanenſis, Doctoris, vetuſtiſſimum 102 d. Non fuit in loco oratorii B. Virginis Innocentiani 102 e
S. Andreæ, 93 f. Quare S. Gregorii ab aliis vocetur, ibid. Conſecratum non fuit à Gregorio IV, qui nec in eo recondidit corpus S. Gregorii Magni, & SS. Martyrum Gorgonii ac Tiburtii. ibid. Pius PP. II inſtauravit, & in impoſito à ſe tabernaculo marmoreo, collocavit caput S. Andreæ 93 f. 94 a
S. Annæ, à Mathia Paparonio baſilicæ canonico ornatum, à Parafrenariis Cardinalium frequentatum 104 f. Imago Sanctæ hinc extracta, nomen altaris alio tranſtulit ibid. f
Annuntiationis B. Mariæ, in quo imago S. Margaretæ perquam venerabilis 100 a
Anonymum, ad latus altaris SS. Laurentii & Georgii 102 b. Aliud Anonymum. ibid. c, 100 b
S. Antonii, dein Spiritus ſancti, denique S. Annæ, ob effigiem iſtius Sanctæ eò tranſlatam. 98 d
S. Antonii abbatis, ab Antoniotto de Pallavicinis Cardinale ædificatum 105 c. Ejus ſepultura cum epigraphe ibid.
S. Antonii Patavini. *Vide altare S. Tridenti.*
S Auguſtini, Doctoris Eccleſiæ, ab Altaruſio Canonico reſtitutum & locupletatum 102 d
S. Bartholomæi Apoſtoli 80 d. 105 c. An eò tantiſper delatum corpus S. Bartholomæi poſt inundationem Tiberis? ibid d
S. Blaſii epiſcopi & martyris, à Poncello de Urſinis excitatum 100 a
S. Brigidæ. *Vide altare S. Tridenti.*
S. Catharinæ virginis & martyris, ab Ægidio Laurentio de Gerla dotatum 103 b. Illîc ſepulcrum condidit ſibi, familiæ ſuæ & Cardinali Tiburtino ibid. b
S. Crucifixi, quod & S. Petronillæ. 94 b. Rectius à Ciampino quam à Bonannio collocatum, ibid. Corpus S. Petronillæ eò delatum à Gregorio XIII. ibid. Dein ad altare ejuſdem Sanctæ in eccleſia nova tranſportatum à Paulo V ibid. c.
S Eraſmi. *Vide altare S. Wenceſlai, & Tridenti.*
S. Euſtachii, & S. Georgii, aliis anonyma. 100 a
S. Gabinii 39 b, 83 a. Sardinia & Corſica eò tributum quotannis mittebant 83 a
S. Gregorii. *Vide altare S. Andreæ.*
S. Hieronymi, Eccleſiæ Doctoris, ab Acheruntio de Bovenis erectum, atque dotatum 102 d
S. Jacobi Apoſtoli, à Cardinale Antonio de Calvis reſtitutum 102 d
S. Joannis Chryſoſtomi, ſubter quo ipſius corpus, aliò atque aliò tranſlatum 157 c
S. Laurentii, aliis SS. Laurentii & Gregorii, Ugonio ignotum. 96 a. Duone an unum dumtaxat altare fuerit ibid.
SS. Laurentii & Gregorii (rectius Georgii) 102 b. à Jacobo Cajetano de Stephaneſcis Cardinale exſtructum, & dotatum, ibid. à Lello de Miglis novis beneficiis donatum ibid.
S. Luciæ virg. mart an à Gregorio I PP. exſtructum 105 b. Brachio ejuſdem Sanctæ ditatum. ibid. Primus ejus ſitus 95 d
SS. Magorum trium Altare ac oratorium in angulo navis, qui reſpicit boream orientaliter. 105 b
Majus Altare baſilicæ S. Petri nullius conſecrationi adhibetur, præterquam ſummi Pontificis 75 c. A Severino ornatum 72. e. Et ab Innocentio III 72 f
Majoris Altaris S. Petri dedicatio. 69 e
S. Marci Euangeliſtæ, erectum à Paulo Veneto in veteri eccleſia, omnibus redditibus eccleſiæ S. Mariæ Hungarorum à Pio V ditatum 95 e. Ibi antiquitus ſtetit ara B. Mariæ de Miſericordia ibid.
S. Mariæ, in quo ſervatur & oſtenditur Sudarium Chriſti 85 a
S. Mariæ, à Gregorio III dicatum 100 c. Sanctorum reliquiæ illuc ab eodem delatæ ibid. Quid de iis Anaſtaſius bibliothecarius. ibid. Miſſæ illic juſſu prædicti Pontificis celebratæ, cum additamento, in canone. ibid. Oblata ab eodem munera. ibid. Corpus S. Gabinii martyris (non presbyteri) in eo reconditum. ibid. Primitus ibi etiam S. Gabinii altare fuit. ibid. d. Tres ſub ipſis repertæ ſepulturæ. ibid. e. Altaria hæc cancellis æneis cincta. ibid. Quæ Eugenius III mutavit in unum ſacellum B. Mariæ. ibid. Dona Gregorii III. ibid. An imago B. Virginis eadem tempore Manlii, quæ tempore Gregorii. ibid. Supra hanc dexter armus S. Stephani protomartyris in loculo collocatus. ibid. Stetit hoc ſacellum ſeculis fere tribus cum dimidio. ibid. f. Dictum hoc altare B. Mariæ Virginis Chori 101 c

B. Mariæ de Columna, à Gregorio XIII ædificatum, ultra annos 30 non ſtetit 93 e
Ejuſdem ſitus ibid. f
B. Mariæ à Gregorio PP. III erectum & conſecratum. 83 a
B. Mariæ, ab Eugenio IV exſtructum, 100 b. Secundum Ciampinum ab Eugenio reſtitutum, & B. Mariæ & SS. Petro & Paulo ſacratum. ib.
S. Mariæ de Miſericordia, ubi olim ſteterit, 100 a. Innovatum dein ac dedicatum S. Marco Euangeliſtæ à Marco Barbo Patriarcha Aquileienſi, vel, ut alii, à Paulo II ibid.
S. Mariæ Aſſumptæ aut Prægnantium, 94 c. Præſens ſitus ejus certior, quam præteritus. ibid. d
S. Mariæ de Prægnantibus, fundatum à Joanne Cajetano Urſino Cardinale diacono S. Theodori 103 e. A Jordano Urſino Cardinale epiſcopo Sabinenſi reſtitutum & dotatum, ibid. Denique hinc ſublatum & collocatum in navi mediana baſilicæ ad murum tranſverſarium. ibid. Hoc altare potius appellandum S. Mariæ in cælos aſſumptæ ibid.
Sacellum & altare S. Mariæ de Prægnantibus, 106 b. Ejus etymon, ibid. Triplex ejus ſitus, ibid. b, c. Triplex ejus nomen, ibid. d. 108 e Ubi ſteterit ante tranſlationem, ibid. Ab Urſina familia excitatum & ornatum, ibid. Id probatur ex antiquis inſcriptionibus, poſt demolitionem partis anterioris baſilicæ, juſſu Pauli V in Cryptas illatis, ibid. e. Sacellum S. Mariæ de Prægnantibus, & altare B. Mariæ in cælos aſſumptæ diverſa ſunt; hoc minus antiquum, quam illud, ibid. f. Quo loco ſteterint, ibid. Situs altaris Prægnantium probatur à ratione, 107 a. Et ab auctoritate Scriptorum, ibid. b. Ubi poni debeat altare B. Mariæ in cælos aſſumptæ, ibid. e. Error Ciampini hîc. ibid. 107 f. Ejuſque cauſa 108 a. In ſacello B. Mariæ de Prægnantibus ſepulcrum Urſinorum, 108 c. Dubia circa inſcriptiones imaginis B. Mariæ Prægnantium. 108 e. Error Turrigii 109 a
Altare S. Mariæ, ſuper quod Cyborium, pro conſervatione Vultus ſancti. 96 c. S. Mariæ in Turri 159 b.
S. Martialis. 40 f. 84 c. 100 b. Primus ejus fundator. ibid. Situs, ibid A Panvinio perperam collocatum ibid.
S. Martini, epiſcopi Turonenſis, ampliſſimè dotatum à Joanne Gallo, Cardinale Vivarienſi, epiſcopo Oſtienſi, ac Vice-cancellario 102 e
S. Mauritii martyris 39 e. 82 f.
S. Mauritii, ad quod Romanorum Imperator à Cardinalibus benedici & ungi conſuevit. 103 a
Mortuorum, ſeu privilegiatum, à Gregorio XIII innovatum, SS. Philippo & Jacobo, & S. Hieronymo conſecratum 93 c, d. A Gaio de Bartholinis locupletatum 105 b
S. Nicolai epiſcopi & confeſſoris, à Nicolao V conditum, 100 b. Inſigne ejus ſepulcrum ubi ibid.
S. Nicolai epiſcopi, à Nicolao III PP. exſtructum, 102 d. Ubi dicti PP. & Honorii IV olim ſepulcrum ibid. d
Altare novum, in quod tranſlata S. Mariæ filium amplexantis imago, antiquitus in oratorio S. Leonis PP. poſita, 95. c. Non mirum de illo non meminiſſe Vegium ibid.
Altare dictum de Oſſibus Apoſtolorum, 96 f. Ejus lapis poſtea tranſlatus in Cryptas Vaticanas; inde in baſilica repoſitus prope altare Crucifixi, ibid. Inventæ in ejus tranſlatione reliquiæ, 97 a. Altaris prædicti vetuſtas, ibid. Franciſcus de Thebaldeſcis Cardinalis reſtaurator ejus ibid. b.
S. Paſtoris 80 d. 101 e. A Cardinale Urſo Urſino magnificè reſtauratum. ibid f. In exciſo inibi tumulo ipſe & frater ejus funerati. ibid. Situm fuit juxta arcum triumphalem, ibid. Juxta illud organum, diſtinctum ab eo, quod fuit in ſacello SS. Proceſſi & Martiniani. 101 f
Pereriorum, dicatum SS. Petro & Paulo. 93 e
S. Petri à Calliſto II renovatum & conſecratum, ab Innocentio II ornatum 54 a, b
Altaris & reliquiarum S. Petri ſumma veneratio ex Gregorio magno probata 73 a
SS. Petri & Pauli, etiam dictum de Oſſibus Apoſtolorum, quia ibi à S. Silveſtro diviſa SS. Apoſtolorum oſſa, & in nova baſilica Conſtantiniana recondita bipartita, 105 d. Ejus ſitus fuit ante aditum Confeſſionis B. Petri, in navi tranſverſa, ibid. & vicinum altari majori ejuſdem S. Petri 80 d
Altare ſupra corpus S. Petri erectum 70 d
S. Petronillæ. *Vide SS. Crucifixi.*
SS. Philippi & Jacobi 48 a. 84 d
Altaria SS. Philippi & Jacobi, & Simonis & Judæ, incerti conditoris, valde antiqua, à Leone IV pretioſè ditata, 98 e. Ubi ſteterint olim, ibid. Quædam ſingulatim de altaris Simonis ac Judæ ſitu & tranſlatione. 99 a, b, c. Cur dictum aliquando altare Sanctiſſimi Crucifixi, vel ad Crucifixos, ibid. c. Error de ſitu ibid f
SS. Proceſſi & Martiniani; verius à Paſchale I, quam à Symmacho exſtructum 94 d. Paſchalis eò detulit corpora dictorum Sanctorum. ibid. Tranſtulit Paulus III ſimul cum organo, & ſtatua ahenea S. Petri in navim medianam baſilicæ. ibid. e. Vetus ejus ſitus, ibid. Ornatus 103. Antiquior eorumdem Martyrum eccleſia, in ſacellum mutata. 103 d. De quo certius conſtat quam de ſecundo. ibid e. Idem altare S. Mariæ ſub Organo & Viſitationis dictum. ibid. f. Organi iſtius ſitus. ibid.
S. Joannis Bapt. in Fonte cum imagine B. Mariæ virginis prope organum verſus meridiem in muro tranſverſario à Paulo III collocatum. 95 a. Ubi ſteterit ibid. b
S. Silveſtri PP., in quo brachium ejus reconditum, 82 f. 93 e. 103 a. Ibidem requieſcit Vigilius PP. & Adrianus IV. ibid. Vigilius primò ſepultus ad S. Marcellum viâ Salariâ in cœmeterio Priſcillæ ibid.
SS. Simonis & Judæ proximum oratorio S. Gregorii II 84 d
S. Sixti Papæ I, à Paſchale I erectum 102 f. Qui & prædicti Sancti corpus eidem impoſuit. ibid. Eodem illata SS Fabiani & Sergii II Pontificum corpora. ibid. Non longe aberant corpora SS. Peregrini, & Cedwallæ. ibid.
S. Tridentii martyris, dein ſine nomine. 85 a
S. Tridenti vel Tridentii martyris inter portam Guidoneam & Romanam 47 f. 96. e. Dein S. Brigidæ dedicatum 96, tandem S Eraſmi dictum, denique ſublatum ibid. f. Dicatum olim S. Antonio Patavino. 97 c
Altare unum quondam in ſingulis eccleſiis. 132 d
S. Wenceſlai martyris, poſtea S. Eraſmi dictum 97 c. Ubi collocandum. ibid d. Imago S. Wenceſlai, ejuſque deſcriptio ibid. e f. Idem altare

altare in nova basilica restitutum 98 b
Altaria duo anonyma perantiqua, septemtrionale latus apsidis claudentia 104 d
Altaria 4 muro transversario apposita 95 d
Altaria plura non admittunt Græci 132 e. In uno semel tantum per diem celebrant ibid.
Altaria 69 in basilica Vaticana recensetTiberius Alpharanus 86 d
Altaria ecclesiæ S. Mariæ de Febribus 157 d
Altarium numerus ex opinionibus variorum. 86 c
Ambo, sive suggestus, in quo legebatur Euangelium & populo explicabatur, ubinam steterit 102 f
Anastasius Bibliothecarius non illustravit basilicam S. Petri ultra seculum IX 85 e
Apsis quodlibet generatim arcuatum opus significat 131 f. Speciatim designat extremum ædis sacræ murum extrorsum arcuari solitum in hemicycli figuram &c. ibid. Observatio circa vocem apsis. ibid. 132 a. Partes ejus præcipuæ ibid. 132 b. Una olim apsis in singulis ecclesiis 132 c. In qua altare etiam unum. ibid. d. Nihil officit altaris unitati, tametsi tam in basilica S. Petri, quam in confessione altare feciſſet Silvester PP. ibid. f. 133 a. Crescente numero presbyterorum & fidelium plura erecta altaria. ibid. An plura fuerint in eadem ecclesia tempore SS. Ambrosii, Paulini, aut Hilarii PP. ibid. Explicantur loca Paulini. ibid. 183. Quid apsis trichora. ibid. d, e.
Apsis Vaticana à S. Silvestro facta simul cum ipsa basilica 134 a. Apsis ecclesiæ S. Hermetis. ibid. b. Apsis à S. Paulino ædificata. ibid. d. Verosimiliter juxta formam Romanorum. ibid. e
Pictura musiva veteris apsidis Vaticanæ delineata 135 a. 136. Ab Innocentio III restaurata ibid. b. Primus ejus auctor Silvester. ibid. Priscas imagines refert similes illis, quas S. Paulinus descripsit. ibid. c. An Christus in Vaticana repræsentetur, tamquam benedicens more Græcorum. ibid. d. Opinio Malaxi videtur contraria veteribus picturis ibid. f.
Apsidis, in segmento inferiore conchæ, pictura, ejusque mysteria singulatim explanata 137 c. & seqq.
Pictura in conchæ segmento superiore apsidis illustrata 137 c. Quid Agnus sub cruce vulneratus ibid. Quid oves XII ad agnum accedentes. ibid. d
In summa apside perperam videtur picta manus duos digitos extendens, & parva crux 139 a, b, c. Pro qua substituenda fuerit columba. ibid. c. Ulterior segmenti superioris apsidis Vaticanæ explicatio ex Ciampino, Salvatoris sedentis 145 a. S. Pauli, S. Petri, palmarum, fontium, crucis gemmatæ, & agni cum diademate, è quinque vulneribus sanguinem fundentis. ibid. a, b, c. Et Christum repræsentantis 146 b. Quod non est reprehendendum. ibid. De duabus personis in forma humana pictis. ibid. c. De arboribus post tergum stantibus, & duabus civitatibus. ibid. e. Iterum de agnis & ovibus. ibid. f. Sinceritas auctoris, scriptum notariale ad fidem faciendam adducentis, 147 a. In quo compendio notantur, quæ supra sunt explicata. ibid. b. Positio imaginum SS. Petri & Pauli dextrâ lævâque inter se. 161 c. Observatio Joannis Lucii. ibid. Petri de Marca. 161 f. Commentarius Franciſci Mucantii. 162 b. Præfatio Auctoris ad Gregorium XIII. ibid. Rationes cur Petrus præferendus. ibid. e. Rationes cur Paulus præferatur 163 c. Alia in apsidem Vaticanam notata ex Batello nuper edito. 167 b. De cruce gemmata. ibid. c. A Constantino Magno honorata. 167 d. Quid mons, supra quem Salvator volumen præfert. ibid. f. De figuris tunicatis & palliatis 168 a. Quid de pallio SS. Patres. ibid. c. De Sandaliis in pedibus. ibid. De quatuor fontibus sub monte fluentibus ibid. f
Augustinus Oldoinus edidit vitas Pontificum Romanorum anno MDCLXXVII 86 a

B.

BAsilica S. Petri à Constantino Magno ædificata. 16 c. 37 f Indulgentiæ in dedicatione ejus Fidelibus concessæ. 38 a. A Leone PP. IV ornata. 39 f. Ejus veneratio. 48 b. Prærogativæ. ibid. c. Lampades. ibid. f. Quot in stationibus candelæ. 49 a. Thesaurus. 53 e. Dignitas. 61 f. Possessiones à Leone IV oblatæ. 71 d. Area exterior à Nicolao III renovata, adjecto ecclesiæ palatio. 72 f. A variis Pontificibus mirificè ditata, & ornata. 72 c, d. Area ante vestibulum (Paradisus dicta) à Dono PP. marmoribus strata 72 f
Basilica S. Petri habet selectos presbyteros, qui ibidem officia obeunt 75 d. Supplicationes majores eò conveniunt 75 e, f
Basilicarum omnium princeps. 76 a. Canonizationes Sanctorum ibi peraguntur. Pontifices coronantur. 76 b. Uti imperatores & reges. ibid. d, f. Caroli Magni, & Theodoræ imperatricis veneratio. 77 a, b. Caroli Magni erga S. Petrum munificentia. 77 b. Mathildis Comitissæ, 77 d. Regis Angliæ, & gentium aliarum in eam favores. ibid. d, e. A Pontificibus Romanis, atque Imperatore Constantino promota. 77 e, f. Joannes & Agapitus eò translati 83 f. Et Gregorius VI. 84 b. Cultu divino celebrior præ ceteris. 78. e. Ejus altaria Commentario illustrata. 85 b. Auctores adhibiti 86 a. Ichnographia ex delineatione Alpharani 86, b. Fons baptismalis à Damaso PP. erectus 88 f. Pammachius in basilica S. Petri in morte Paulinæ conjugis epulum præbuit pauperibus 90 c. S. Paulini verba de basilica Vaticana. ibid. Ichnographia in varias sectiones dispertita. 91 a, b. Descriptio brevis ex Gregorio Turon. & Prudentio. 88 b, c. Vocum quarumdam obscuriorum explanatio ibid. e.
Basilicæ novæ S. Petri primus lapis positus à Julio II 93 b. Portæ quinque veteris templi. 50 a, b. 71 a, b, c. 84 e. 92 d. Hisce à Sixto IV addita sexta, anno 1475 in solenni jubilæo, quam vocavit Portam sanctam. ibid. Quot jubilæis aperitur. ibid. Porta media & regia ab Honorio I & Leone IV argento vestita, unde dicta Argentea 84 e. Ejus valvæ ab Eugenio IV ære obductæ. ibid. f. A Paulo V ad frontispicium novæ basilicæ translatæ. ibid. Portæ Ravenniana & Romana unde dictæ. ibid. Porta judicii, Guidonea, Sancta, earumque etymon. 92 a. Verba Canonici Romani de prædictis portis. ibid. b. Basilica S. Petri antiqua, quo anno completa, consecra-

ta, & in ea Apoſtolorum corpora depoſita. 124 b. Arcus in baſilica, choro, & presbyterio S. Petri. 128 a. Vela iiſdem appendi ſolita. ibid. Baſilica S. Petri Laude veteri à Baſſiano ædificata 73 f
Beneficia Adriani & Leonis in monaſterium S. Stephani 80 c
Bonifacius VIII, poſt annos plus quam ccc ſub Pontificatu Pauli V incorruptus eſt repertus. 93 e. Mendacium de præmorſis ſibi digitis & manibus præ rabie ibid.
Brachium S. Andreæ & S Lucæ Euangeliſtæ in altari S. Andreæ repoſitum 82 e
Brandeum incîdit Leo Magnus, effluente ex eo ſanguine. 119 a. Id miraculum renovavit Gregorius Magnus ibid. b

C

CÆdes Neronis 16 c
Calliſtus II ornavit altare majus S. Petri 72 e. Ac conſecravit 104 b
Candelabro grandi cereus paſchalis imponi conſuetus 102 f
Cantharum columnis porphyreticis ornatum. *Vide baſilica S. Petri.*
C antiquitus notabat Sigma Græcum 141 c
Capella S. Bonifacii, à Bonifacio VIII PP. reſtaurata, & Sanctorum reliquiis dotata 93 d
Caput S. Lucæ brachio ejus junctum. 82 e
Cardinalis d'Armaignaco bonarum artium fautor 60 f
Caroli Magni & Theodoræ imperatricis veneratio erga baſilicam S. Petri 77 a, b
Catalogus Pontificius, non totus eſt Manlii. 36 f
Cathedra Pontificia ubi locata 132 b
Cenſuræ in Acta Sanctorum à Generali Inquiſitione Hiſpanica latæ, auctoritate ejuſdem Inquiſitionis ſublatæ, edito publico decreto 34.
Chorus Cantorum ſeu potius Canonicorum in media templi navi fuit. 101 b. Tranſlatus ad ſacellum à Sixto IV ædificatum 101 e
Chriſtianis primis fuere certa orandi loca. 86 f
Chriſti doctrina & exemplum 67 e
Circus Gai & Neronis, infamis ante locus, ædificatione eccleſiæ B. Petri ſanctificatus. 65 a
Cœmeteria, quæ inveniuntur in Paſſionibus Sanctorum, eorumque nomina 54 e
Cœmeterium poſt templum Probi 79 f
Cœmeterium Vaticani, ſeu potius ſacellum in cœmeterio 159 e

COLUMNÆ PORPHYRETICÆ.

Altare majus, quod in ipſa baſilica ſupra Confeſſionem ſtabat, habebat cyborium cum columnis quatuor porphyreticis. 124 f. Ante idem altare erant aliæ columnæ vitineæ (non tamen numero duodecim) è Græcia tranſvectæ. ibid. Camera ſeu fornix baſilicæ ex trimmate auri. ibid. Hæc omnia fuêre in baſilica ipſa, non in ejus Confeſſione. ibid. Quatuor columnæ niveæ, cyborium ſepulcri ſuſtentantes, à Gregorico Turonenſi viſæ. 125 a. Aliæ columnæ quatuor, quæ ſuſtentabant cyborium altaris majoris. ibid. Seculo XIII & XIV ſuperſtites. ibid b. Imo & ſeculo XV. ibid. d. Non fuerunt ablatæ à Leone IV, ſed argento ornatæ ibid.

COLUMNÆ VITINEÆ.

Veroſimilius ſex tantum, ante majus altare, & gradus Confeſſionis, à Conſtantino poſitæ. 125 f. Aliæ ſex veroſimilius à Gregorio PP. III Conſtantinianis adjunctæ. 126 a. Eodemque, quo illæ, loco poſitæ, ibid. Vitinearum columnarum etymon ibid. b

CONFESSIO S. PETRI IN VATICANO.

Quæ & quotuplex huic voci notio ſubſit. 111 f. 112 a. Græcis vocatur Martyrium. 111 f. Quid vox Confeſſio ſignificet apud Anaſtaſium bibliothecarium. 112 a. Sumi quoque videtur poſſe pro lipſanotheca, quæ ſupponi altari & amoveri poſſit. 112 f & 113 a. Qualis eſt in altari B. Aloyſii Romæ. ibid. b. Et qualem fecerit Valentinianus imperator S. Paulo viâ Oſtienſi. ibid. Januæ in Confeſſionibus, non fuerunt ipſius thecæ aut cenotaphii: ibid. c. Deſcriptio Confeſſionis S. Petri antiquæ, ejuſque formæ. ibid. e. Ejus adjuncta. ibid. f. Similis ei fuit magna ex parte antiqua crypta eccleſiæ Cantuarienſis 114 b, c, d.
Confeſſionis S. Petri capacitas 115 b, f. Fuit in illa altare ſuper ſepulcrum S. Petri, ibid. f. Et cubiculum depreſſius, in quo corpus S. Petri. 116 a. Altare ejus diſtinctum ab altari majori baſilicæ. ibid. Præter januam erant gradus, per quos ad altare majus baſilicæ aſcendebatur. ibid. Sedem in ea Pontifex occupabat tempore officii divini. ibid. Pleraque hæc confirmantur ex Petro Damiani, & Anaſtaſio bibliothecario. ibid. b, c. Triplex ejus ingreſſus. ibid. e, f. Cancelli fuſiles, in ipſis presbyterii januis cancellatis. ibid. Columnæ tornatiles in ingreſſu confeſſionis dextrâ lævâque, vel in ingreſſu & deſcenſu ad corpus. ibid. 117 a. Arcus argentei octo, aliaque ejus ornamenta multò pretioſiſſima. 117 b. Confeſſionis S. Petri Conſuetudines 48 e, f
Conſecratio majoris altaris S. Petri in Vaticano facta à Calixto PP II 104 b
Conſtantinus Magnus conditor eccleſiæ S. Petri. 37 f. 45 d. 61 b. Cujus fundamentum priùs fodit ipſemet, & aſportavit duodecim cophinos terræ in honorem XII Apoſtolorum. ibid. Apocrypha quædam de ejus converſione. ibid. c. Veriora tradit Euſebius 63 e. Conſtantini religio, atque in Chriſtianos favor. ibid. c
B. Cornelius PP. Lucinæ rogatu, corpora SS. Apoſtolorum Petri & Pauli de catacumbis levat 37 e
Coronatio Papæ quibus feſtivitatibus fiat. 52 d

CORPORA SS. PETRI ET PAULI.

A Græcis ablata, à Romanis recuperata, ubi ſepulta. 54 b, c. An ſingula ſeorſim, an dimidiata in baſilicis Vaticana & Paulina ſerventur. 122 c. Textus Anaſtaſii bibliothecarii de incluſione S. Petri, corruptus & obſcurus. ibid. d. Collatus cum textu Manlii explanatur. ibid. d, e, f. Dimidiata utriuſque Apoſtoli corpora in utriuſque baſilica quieſcere, ſuadent traditio, & nonnullæ inſcriptiones 223 c, f. Refragante Cardinale Laurea. ibid. b. Reſponſio ad loca Baroniana. ibid. c. SS. Apoſtolorum oſſa non fuerunt ſic inter ſe confuſa ut non potuerint diſcerni. ibid. d, e. Creditur medietas amborum eſſe in utriuſque baſilica ex traditione. ibid. f. Et ex lapide porphyretico, dicto de Oſſibus Apoſtolorum. ibid. Ejuſdem lapidis inſcriptio. 124 a. Antiqua, non tamen ante ſeculum IX ſcripta. ibid. Bipartita Apo-

Apoſtolorum diviſio ſtabilitur ex aliis inſcriptionibus. ibid. c. Item ex S. Joanne Chryſoſtomo. ibid. Et Andrea Fulvio antiquario. ibid. e

CRYPTÆ.

Crypta hypogæa depreſſior, ubi eſt monumentum Apoſtolicum 117 c. Viam eò pandit foramen ſeu feneſtella, ſubter altare confeſſionis. ibid. Monſtrata à Gregorio Turonenſi. ibid. An foramen & feneſtella ſint una tantùm, an duplex apertura. ibid. Non fuit in fronte altaris. ibid. d. Ritus à Pontifice ibi ſervari ſolitus. ibid e, f. Arca altaris quid ſit 118 a. An fuerit cincta cancellis. ibid. b. An in cancellis feneſtra. ibid. Cataractæ & valvulæ. ibid. b, c. An foramen quadratum ſit an rotundum. ibid. c. Vidiſſe illud dicitur Clemens VIII & alii, & deſuper ædificaſſe novum altare. ibid. e, f. Quid tholus, quid jugulus. ibid. d, e. Per dictum foramen demittebantur brandea, ſive vela ſuper ſacrum ſepulcrum. ibid. f. Cujus contactu, mira patrabant. 119 a, b. Brandea à temporibus Leonis Magni adhibita. ibid. Præclarè de hiſce ſcribit Gregorius Magnus. ibid. a. Qui per illa miraculum patravit, uti & Leo Magnus. ibid. a, b. Claves aureæ eódem intromiſſæ, & ſepulcro ſuperimpoſitæ, pro medela tribulatorum. ibid. c. Quid de clavi, à ſe ad Recaredum miſſa, Gregorius PP. ibid. c. Sepulcri S. Petri diſtantia à laqueari. 119 d, e. Cryptæ ſubterraneæ erant primis Chriſtianis loca orandi 87 a

CRUCES.

Crux aurea 150 librarum à Conſtantino Magno impoſita loculo S. Petri 54 d
Crux bicornis, ejuſque forma. 140 e, f. Ejus deſcriptio poëtica, verius S. Victorino Pitabionenſi in Pannonia, tribuenda, quam S. Cypriano 141 a
Crux, Fortunati hymnis celebrata 66 e
Crucis lignum à Symmacho PP. reconditum, denuo inventum. Alia ejus portio inventa à Sergio PP. 66 f
Crux monogrammatica, ejuſque deſcriptio 141 b. Quæ explicata demonſtrat nomen Chriſtus. ibid. c. Paulini de ea verſus ibid. b
Crux immiſſa & commiſſa, ejuſque antiquitas indicatur 140 e, f.
Crux nuda ſine Crucifixo, primis aliquot continuis ſeculis repræſentata, 141 e. Quare gemmis & coronâ ornata. ibid. Videtur perſeveraſſe uſque ad finem ſeculi VII. 142 a. Expreſſo ſæpe ad pedem ejus agno, Chriſtum patientem repræſentante. ibid. b. Statutum Concilii Quiniſexti de pingendo Chriſto ſub humana forma. ibid. a, b. Sub eadem tamen forma antea quoque fuit depictus, uti & Apoſtoli, & alii homines ſæpe in apſidibus templorum & ſarcophagis mortuorum. ibid. c, d, e, f. Opinio Joſephi Scaligeri refutata. ibid. Uti & aliorum, negantium Chriſtum formâ humanâ ſolitum fuiſſe exprimi ante concilium Quiniſextum. 143 b. Crux nuda non uno coronabatur modo. 143 d. Crux ab imo uſque ad ſummum circulo coronata apparuit in extis victimarum, ſacrificante profanis diis impio Juliano. ibid. e. Corona Cruci ſuperne impoſita in labaro Conſtantini, & apſide Fundana. 144 a. Verſus Pauliniani de corona faſtigio crucis impoſita. ibid b. Uſus coronandi Crucem quando deſueverit. ibid. c. Coronatum Crucifixi caput. 144 c. Crucis Vaticanæ amplior explicatio ibid. d.
Crux qualis in labaro Conſtantini Magni 141 f
Crux ſtationum ſervatur in baſilica S. Petri 75 d
Cruces Paulinianæ ab ipſo deſcriptæ. 142 a
Crucum variarum ectypa in æs inciſa, ex quatuor apſidibus vetuſtiſſimarum quatuor baſilicarum urbis Romæ 141. Alia item aliquot ectypa antiqua 91, 135, 137
Cyborium pro conſervatione Vultûs ſancti 96 c

D

DExter armus S. Stephani protomartyris, baſilicæ S. Petri à Pelagio PP. donatus 39 c
Diaconiæ Romanæ 51 b
Diadema Chriſti diverſum à Diademate Apoſtolorum pingi ſolitum. 136 f. Id probatur ex apſide triclinii Leonis III, in una atque altera pictura 137 a
Diocletianus editiſſimam eccleſiam Nicomedienſem primo perſecutionis ſuæ die dirui juſſit 87 b
Dona variorum baſilicæ S. Petri facta 39 d
Donatio Caroli Imperatoris baſilicæ B. Petri facta 53 e
Donus PP. aream ante baſilicam S. Petri (Paradiſum vocant) marmore inſtravit 72 f

E

ECCLESIÆ.

S. Apollinaris 159 a
S. Crucis, à Symmacho PP. conſtructa 48 a
SS Philippi & Jacobi eadem quæ XII Apoſtolorum 99 f
S. Felicis Nolani deſcriptio è S. Paulino, 89 a. Unius cum apſide. ibid. b. Item alterius non orienti, ſed ſepulcro S. Felicis obverſæ. ibid. c. Triplex ejus porta. ibid. d. Tranſenna, ſecretarium. ibid. f. Tertiæ baſilicæ Fundanæ deſcriptio. ibid. Ejus in apſide picturæ, & reliquiæ Sanctorum ibi conditæ verſibus celebratæ 90 b, c
Eccleſiæ S. Auguſtini Romæ initia 60 e
Eccleſia & monaſterium ſanctorum Joannis & Pauli. 159 f. Eccleſia vel diaconia ſanctorum Sergii & Bacchi 160 a
Eccleſia S Mariæ de Febribus. 157 c. Imago ibidem miraculoſa. ibid. d. Ejus altaria & ſacella ex Paulo de Angelis ibid.
S. Petronillæ 156 f. Ejus forma ibid. An à Paulo I ædificata. 157 a. Ejus ſacella ex Paulo de Angelis 157 b
S. Salvatoris, quæ & de Oſſibus dicta 159 a
Eccleſia & monaſterium S. Stephani Majoris ac Minoris. 159 e. Fuerunt monaſteria diverſa. 160 c. Error Vegii in eorum nominibus. ibid. e. Situs utriuſque monaſterii 161 a
Eccleſiæ à tyrannis deſtructæ, tempore Conſtantini Magni à Chriſtianis reædificatæ. 87 c
Epigraphe primi lapidis baſilicæ S. Petri, à Julio PP. II locati 93 b

EPITAPHIA.

Epitaphium Agnetis imperatricis. 76 f. Venerabilis Bedæ. 111 b. Probi 79 c. Et conjugis ejus Probæ. 79 e. Epitaphia ſummorum Pon-

Pontificum, Joannis II. 41 f. Bonifacii IV. 42 c. Pelagii I, ibid. a. Gregorii I, 42 f. Sabiniani I, 44 b. Bonifacii IV, ibid. Theodori I, 44 d. Sergii I, ibid. f. Sergii II, 45 f. Stephani V, 46 a. Benedicti III, ibid. b. Joannis, ibid. Nicolai II, ibid. c. Stephani VI, ibid. Joannis VIII, ibid. d. Joannis IX, Joannis X, Benedicti IV, ibid. e, f. Chriſtophori, 47 a. Anaſtaſii III, ibid. Adriani, 81 d. Eugenii, à Maphæo poſitum, 83 c. Nicolai V. 83 d Eugenii IV & Nicolai V. 83 c, d. Adriani I. 109 c Hujus auctor, non Carolus Magnus, ſed Flaccus Alcuinus, ibid. e. 111 a. Quo ſenſu Carolus ipſius auctor dici poſſit 111 d

F

SS. Fabiani & Sergii PP. corpora ad altare S. Sixti delata 102 f
Felicis proconſulis mores, 27 f. Ejus avaritia 28 a
Fideles, Antiochiæ appellati Chriſtiani, ant. a Nazaræi dicti 10 b
Fontes Damaſi Papæ 48 b
Formoſus ornavit altare majus S. Petri 72 f
Formulæ, in ſubſcriptione diplomatum à Carolo Magno uſurpari ſolitæ 92 f.
Franciſcus de Thebaldeſcis Cardinalis, altaris de Oſſibus Apoſtolorum reſtaurator 97 b

G

S. Gabinii Martyris corpus reconditum in altari S. Mariæ 100 c
Gorgonii & Tiburtii MM. corpora ubi recondita 93 f
S. Gregorii Magni corpus in altari S. Andreæ reconditum 93 f
Gregorius IV non fecit ſacellum ſuum in baſilica S. Petri, ſed in ſecretario 153 f
Guidones à Carolo Magno inſtitutos fuiſſe, non probatur ex diplomate, 92 c. Quod perperam ipſi adſcribitur ibid. e

H

Herodes quot fuerint 9 c
Hinconis ſeu Oczkonis Cardinalis, epiſcopi primum Olomucenſis, dein archiepiſcopi Pragenſis mors & ſepultura 98 c
Hiſtoricus qualis eſſe debeat 63 a, b
Hoſpitale Campi ſancti 159 d

I

Jacobus Grimaldus plurima ſcripſit de eccleſia Vaticana, vixit ſaltem uſque ad initium ſeculi XVII 86 e
Jacobus Herculanus quando obierit 86 e, f
Imagines SS. Patricii & Columbæ 98 a
Imago Innocentii PP. III 137 f
Innocentius III reſtauravit picturam muſivam veteris apſidis Vaticanæ 135 b
Innocentius X Decretum edidit contra novatores, de ſubordinatione & ſubjectione S. Pauli cum S. Petro in poteſtate ſuprema & regimine univerſalis Eccleſiæ 171 d
Joannis Cajetani de Urſinis diaconi Cardinalis obitus, ſepultura, & fundatio 108 b

JOANNIS DE BEKA CHRONICON.

Dedicatio ejus ſtatuitur Wilhelmo ante annum MCCCLI à Becano facta fuiſſe, 175 a, b. Illudque tum deſiiſſe in anno MCCCXLVI. ibid. c. Quod confirmatur primò ex codd. Mss. ibid Secundò ex ipſis chronici verbis. ibid. e. Tertiò ex additamento, quod impreſſit Frumerius. ibid. f. Multis pòſt annis ſcriptum, & veroſimiliter poſt annum MCCCXCIII. ibid. In quo ſtatuitur completum fuiſſe, 176 a. Alia additamenta à Suffrido viſa. ibid. Sex tantum annos complectentia, nempe à MCCCLVIII ad MCCCLXIV ibid b, d. Nihilo magis Becani ſunt. ibid. d. Sunt tamen non minoris auctoritatis ibid. e
Joannes Gallus, Ep Oſtienſis, altare S. Martini liberaliſſime dotavit 102 e
Jubilæum in baſilica S. Petri inchoatum 75 e
Julius II PP baſilicæ novæ S. Petri primum lapidem poſuit 93 b

K

Kalendarium antiquum Furii Dionyſii Filocali 176

L

Labarum Conſtantini deſcriptum ab Euſebio 144 a

LANCEA DOMINICA.

Ferrum ejus à magno Turcarum Sultano oblatum Innocentio VIII. 100 f. Solenniter delatum à porta Flaminia ad baſilicam S. Petri. 101 a Dein illatum palatio pontificis. ibid. Denique in Cyborio Vultûs ſancti repoſitum. ibid d Delatum, & relatum 101 a, b
Lapis porphyreticus, ſuper quo diviſa ſacra oſſa SS. Petri & Pauli 105 f
Lapis ſceleratus, ſuper quo necati multi Martyres, quò delatus, & tranſlatus 97 c
Leo IV de monaſterio S. Martini, in quo educatus fuerat, optimè meritus 81 b
Leo IX munificus S. Petro 72 d
Liber Moralium S Gregorii, divinitus Sagioni epiſcopo Cæſarauguſtano Romæ oſtenſus 47 f
Litaniæ quot Sabbatis è S. Apollinaris templo pergunt ad baſilicam S. Petri 75 f
Luminaria in natali SS. Petri & Pauli, & in electione aut conſecratione Pontificis accendi ſolita 130 d

M

MAPHÆUS VEGIUS.

Orator & Poëta inſignis. Ejus Natales, litteræ humaniores, 57 b, c, d, e, f. S. Bernardini Senenſis vitam conſcripſit 57 f
Quibus maximè præſidiis incitatus ad diſcendum. 58 a. Ejus magiſtri. ibid. b, c. Propenſio in poëticen. Studia altiora. ibid. e, f. Quando Romam profectus. ibid. f. An factus ſit Datarius ſub Martino V, an ſub Eugenio IV, 59 b. Epiſcopatum recuſat præ modeſtia. ibid. An tranſlationi S. Monicæ adfuerit. ibid e. Opera ab ipſo compoſita, atque impreſſa. ibid. f. Alia deinde à Deceſſoribus noſtris Romæ inventa, 60 a Ejus obitus. ibid. b. Quædam de illo obſervanda. ibid. c. Item de templo S. Auguſtini, ac tranſlatione S. Monicæ ibid. d. Nonnullæ ejus halucinationes, omiſſiones, & promiſſiones non impletæ, 61, a, b, d. Quandónam editi libri quatuor de rebus antiquis memorabilibus baſilicæ S. Petri Romæ 85 f
S. Mar-

S. Margaretæ imago perquam venerabilis. 100
Merces operariorum & officiantium in Majori hebdomada, 49 b, c, d. Item in aliis festivitatibus ibid. d
Missæ Cardinalium hebdomadariæ, & earum divisio 50 f

MONASTERIA

Monasteria aliquot Canonicorum juxta basilicam S. Petri 80 b
Monasterium Hierusalem an fuerit prope basilicam S. Petri 155 e
Monasterium S. Martini prope altare majus basilicæ S. Petri, in quo habitabat congregatio servientium basilicæ, 80 f. Ejus celebritas ex statua ænea S. Petri, & educatione S. Leonis IV 81 a
Monasterium S. Martini incerto auctore 159 f
Monasterium S. Stephani Majoris & Minoris. *Vide, Ecclesia S. Stephani.*
Monasterium SS. Joannis & Pauli. *Vide, Ecclesia SS. Joannis & Pauli.*

MONUMENTUM APOSTOLORUM AHENEUM.

Corpora SS. Apostolorum ei inclusit S. Silvester PP. contra aquarum & furum injurias, 119 e. Inclusus eidem loculus argenteus. ibid. f. Monumenti descriptio ex Anastasio, 120 a. Consonat liber Pontificalis, & Petrus Manlius. ibid. a, b. Ejus dimensio quanta. ibid. c, f. Ejus figura. ibid. e. Quæ cui, de dimensione ejus & pondere, præferenda sententia. ibid. c. & seqq. Moles ænea non simul & semel circum loculum fusa, 121 e. Sed seorsim massis duabus, aut forte sex distinctis. ibid. f
Munificentia Eugenii III, Gregorii & Hormisdæ erga S. Petrum 72 c, d

MURUS TRANSVERSARIUS.

Totam hic intersecat basilicam S. Petri, à Paulo III conditus, 94 a. Quatuor in eo altaria, duo dextrorsum, totidem siniſtrorsum. ibid. Ædicula S. Luciæ antiquissima à læva muri transversarii aliquando fuit ibid.

N

NEronis, ob mortem Simonis magi, in Apostolos indignatio, 13 b. Eos mortis damnat, 15 a. Ejus crudelitas in Christianos. 31 e

O

OBeliscus famosus ubi quondam steterit. 159 d
Officia S. Gregorii ubique in ecclesiis legenda esse, S. Ambrosii verò Mediolani tantùm, divinitus monstratur 75 a
Onuphrius Panvinius de VII urbis ecclesiis impressus Romæ anno MDLXX 86 a
Opus musivum ab Exuperantio Ravennate episcopo constructum 143 e

ORATORIA.

Oratoria SS. Adriani., Sixti & Leonis noviter detecta 81 c, d
S. Adriani. *Vide, Altare S. Adriani.*
Adriani I, ejusque epitaphium 40 c
S. Ambrosii, quod fuit extra murum septemtrionalem basilicæ, nomen suum perdiderat tempore Vegii 85 a
S. Antonii martyris, nunc S. Brigidæ 85 a
S. Antonii martyris inter portam Guidoneam 96 e
S. Crucis ad fontem, in basilica S. Petri à Symmacho exstructum ex argento, Confessio & crux ex auro cum gemmis, ubi inclusit lignum Dominicum 104 e. Nicolaus PP. I ibi fecit gabbatam argenteam unam, pensantem libras duas. ibid. Portio ligni S Crucis non seorsim, sed simul cum cruce aurea, pendebat libras x ibid.
Fontis baptismalis cum versibus Damasi 80 e
S. Gregorii I 42 f 84 c
S. Joannis Apostoli & Euangelistæ à Symmacho conditum 105 a
S. Joannis Baptistæ, vulgo ad Fontes, à Symmacho conditum 105 a. Prope aberat fons baptismalis à Leone III restauratus ibid.
S. Leonis IV, in quo à Paschale PP. II Corpora SS. Leonis I, II, III & IV recondita. 104 c. Verosimilius à Leone IV excitatum fuit aut saltem instauratum ibid.
S. Luciæ à Gregorio PP. consecratum 48 a. recondito ibidem ejus brachio 80 f
Oratorium magnum S. Crucis à Symmacho exstructum 80 e
SS. Trium Magorum. *Vide, Altare.*
B. Mariæ, reliquiis plurimis à Gregorio III PP. locupletatum 82
B. Mariæ in choro Canonicorum 39 b
B. Mariæ à Paulo Papa I exstructum & ornatum 40 d, 82 b
B. Mariæ, dictum Veronica 47 f
B. Mariæ, cum altari, in quo prima Missa noctis Natalis semper celebratur, cujus auctor Joannes VII PP. 84 f
SS. Processi & Martiniani MM. 40 f 82 c *Vide, Altare*
Ordo & successio Romanorum Pontificum 55 b
Ornamenta altari S. Petri à Leone IV addita, tum argentea, tum aurea 70 e, f
Ornatus multiplex, auro & argento dives tum altaris majoris, tum Confessionis ab Anastasio descriptus 125 f

P

PAllia tantùm vigilantur in ecclesia Vaticana 38 b
Pallia Pontificalia ubinam consecrentur 75 b
Pammachii in morte Paulinæ conjugis erga pauperes beneficentia 90 c
Paradisus ante basilicam S. Petri, 157 f. Fuêre in eo fontes. ibid. Ejus dimensio. 158 a. Pinea ænea. ibid Cantharum. ibid. b. An Pinea à cantharo distincta. ibid. Status istius fontis seculo XVI ibid. c. Fons alius in paradiso à pinea cum Cantharo diversus. ibid. d. An à Symmacho Papa factus. ibid. Gradus. ibid. Ædificia circa gradus. ibid. e. Ædificia supra gradus. ibid. f. Ubi & ecclesia S. Apollinaris, 159 a. Et alia multa ibi, ab Anastasio Biblioth. & Ciampino descripta ibid. b, c
Paschalis I erexit altare S. Sixti PP. 102 f
Παρεκκλησίαι Græcorum, oratoria seu appendices templorum 132 e

S. PAULUS APOSTOLUS.

Pauli genus, 16 f. Statura, magistri, 17 a. Ardor animi. ibid. b. Odium in discipulos Christi. ibid. d. Conversio. ibid. Damascum cæcus deducitur. ibid. e. Christum prædicat, 18 b. Antiochiam tendit. ibid. e. Inde aliò usque in Cyprum. ibid. f. Et Antiochiam Pisidiæ. ibid. Ubi docet ex Scripturis, 19 a. Multos con-

vertit. ibid. b. Inde ejicitur à Judæis. ibid. c. Idem fit Iconii: ibid. d. Lyſtris ſanato claudo habetur pro Deo à gentibus. ibid. d. Et lapidatur à Judæis. ibid. e. Redit Antiochiam & Jeroſolymam, ac denuo Lyſtras. ibid. f. Mittitur Berrhœam & Athenas, 21 a. Ubi multa diſputat. ibid. b. In Areopago perorat de ignoto ipſis Deo. ibid. c. Convertit Dionyſium ac Damarim, 22 c. Adit Corinthum magno cum animarum lucro. Ibidem. Apud Aquilam & Priſcillam commoratur, 23 a. Proficiſcitur Epheſum, Cæſaream, Antiochiam &c. docens & baptizans. 23 b. Feris objicitur. ibid. c. Miracula patrata. ibid. Turbæ Epheſi contra Paulum. ibid. e. Sedatæ, 24 a. Alio peregrinatur. ibid. b. Troade mortuum revocat ad vitam. ibid. Ejus dicendi vis, atque alia itinera. ibid. c. Oratio ad ſuos Mileti, non amplius eum viſuros. ibid. d. Tendit Jeroſolymam. ibid. e. Pericula ibidem illum manentia, ab Agabo prædicta, ibid. f. Ipſum minimè terrentia, 25 a. A Judæis ad mortem quæritur. ibid. c. A Romanis ſervatur. ibid. d. Quibus rationem reddit factorum ſuorum. ibid. e. Virgis cædendus edicit, civem Romanum ſe eſſe. ibid. f. Productus ad Judæos, cauſam agit. 26 a. Accuſatur in multis à Judæis, 27. Ejus reſponſio. ibid. e. Coram rege Agrippa, & Feſto proconſule, ſtrenue perorat, 29 c. Navigat in Italiam. ibid. e. Tempeſtatem prænuntiat. ibid. f. Divinitus promittit, neminem vectorum inde periturum, 30 a. In inſulam Melitam appellit. ibid. c. Mordetur à vipera innoxiè. ibid. Chriſtum prædicat cum fructu. ibid. d. Venit Regium ac Puteolos. ibid. e. Romam intrat, 31 a. Agit cum primoribus Judæorum. ibid. c. Multos gentilium baptizat. ibid. d. Patroclum Neronis familiarem reſuſcitat, 32. b. Malè ipſi ſolvitur, 32 c. Sententia mortis in illum fertur. ibid. 32 f. Pauli inter hæc gaudia. ibid. f Aliquot militum converſio, 33 a. Martyrio proximus linteum accipit à pia femina ad velandos oculos. 33 c. Cæſus ſanguinem lacteum fundit. 33 c. A nobili matrona conditur. ibid. d, c. Pauli ætas. ibid. e. Epiſtolæ. ibid. f. Corpus à Lucina in prædio poſitum. 37 e.

Pauli I Pontificis Rom. corpus è baſilica S. Pauli Apoſt. ad oratorium S. Mariæ in baſilica S. Petri tranſlatum 82 c. 40 e

Paulus III condidit murum tranſverſarium. 94 a

S. Petronillæ corpus à Gregorio XIII ad altare SS. Crucifixi delatum 94 b

Pius Pontifex II inſtauravit altare S. Andreæ. 93 f. 94 a

Pauli Æmilii Sanctorii patria, Natales, elogium &c. 1 b

S. Petronillæ corpus, 82 e

S. PETRUS APOSTOLUS

Petrus natus Juliæ ad lacum Geneſareth, quæ & Bethſaida, 2. d. Uxor filia Ariſtobuli, ibid. e. Forma, ſtatura, & corporis habitudo, ibid. f. S. Andreas frater ejus major natu, ibid. Primus cum Chriſto congreſſus 3 a. A Chriſto vocatur, ſequitur, baptizatur, 3. Favores, ibid. e. Confeſſio privilegiis à Chriſto confirmata, ibid. Interrogatio de præmio obtinendo, ibid. e. Ægrè obtemperat in lotione pedum, 4 d. Fervor in ſequela Chriſti, ibid. e. Chriſtum negat tertiò, ibid. f, 5 a. Chriſti ſepulcrum inſpicit, ibid. b. Reſipiſcens reſurrectionem Chriſti cognoſcit, 5. b. Chriſtus redivivus ei apparet, ibid. Pœnitentia inſignis, 5 b. Petrus eccleſiæ caput, ibid. d. Loco Judæ alium curat ſubſtitui Apoſtolum, ibid. Cum reliquis Apoſtolis accepit Spiritum ſanctum, ibid. e. Judæos increpat, & inſtruit, ibid. f. Tria millia hominum convertit, 6 e. Sanat paralyticum ad portam templi, ibid. e. Viſo Petri miraculo quinque hominum millia ad fidem converſa, ibid. e. In ſynagoga cauſam dicit & abſolvitur, ibid. f. Jacobum cognomento Juſtum conſtituit Jeroſolymorum epiſcopum, 7 b. Ananiam cum uxore punit, ibid. c. Sanctitas longè latéque pervagata, ibid. Miracula, ibid. Mittit diſcipulos in Galliam, ibid. d. Simon magus à Petro repreſſus, ibid. f. 8 a. Videt deſcendens è cælo linteum, ibid. d. Cornelii centurionis divinitus præmoniti juſſu advocatur Cæſaream, 8 f. Ipſumque cum familia gentilem convertit ad Chriſtum, 9 a. Ab Herode Agrippa carceri incluſus, 9 f. Divinitus liberatur, 10 a. Ejus vincula ab Eudoxia Theodoſii junioris conjuge Romam miſſa, ibid. Provinciæ quænam illi obtigerint ad prædicandum Euangelium, quænam aliis Apoſtolis, ibid. c. Sententia de non circumcidendis gentilibus, ibid. d. Romam ingreditur anno ſecundo Claudii imperatoris, 11 b. Aram conſecrat Romæ in domo Pudentis ſenatoris, ibid. c Peragratis extimis mundi plagis in Italiam redux, 11. Mortuum ad vitam revocat, quod fruſtra tentaverat Simon magus, 13 a. Petri ætas, 16 c. Lectorii S. Petri ornatus qualis & quando, 50 e. Gloria ob humilitatem exaltata, 67 d. Corpus è catacumbis elatum, 69 e. Aut forte ex monte Aureo, ibid. f. In monte Aureo ſive Janiculo paſſus, non ad molem Adriani, 70 a, b, c. Corpus thecæ argenteæ, ære undique munitæ, incluſum 70 d. S. Petri brandeum forfice ſciſſum, ſanguinem fundit, 73 c. Petri clavis aurea temerè violata, non impune 73 d. Ferrea, morſus luporum ac canum rabidorum ſanat, ibid e. S. Petrus apparet manſionario Eccleſiæ ſuæ 74 a. Primatus S. Petri, & baſilicæ ejus 77 f. Statua ænea S. Petri, ex oratorio S. Martini tranſportata ad oratorium SS. Proceſſi & Martiniani 81 a. Apoſtrophe ad S. Petrum, 85 d

SS. PETRUS ET PAULUS

Petrus & Paulus ſuper Simone mago cum Nerone expoſtulant 11 c. Incluſi carcere Mamertino, baptizant ejus cuſtodes 15 b. Petrus lacrymis ſuorum exire carcere coactus 15 a. Chriſto fit obviam, 15 e. Et Romam denuo regreſſus, crucis damnatur, ibid. f. Petri & Pauli martyrium, 16 b. Supremum vale, ibid. Petri & Pauli mixta inter ſe oſſa 16 d. Loculi in quo conditum SS. Petri & Pauli corpus, ornatus & dimenſio, 37 f. Arca aurea ſupra eorum corpora, 38 a. Terræ motus in ablatione corporum SS. Petri & Pauli, 54 c. Poſitio imaginum SS. Petri & Pauli dextrâ lævâque inter ſe, 161 c. Obſervatio Joannis Lucii, ibid. Item alia, ibid. e. Petri à Marca, ibid. f. Commentarius Franciſci Mucantii, 162 e. Cur Paulus ad dextram

tram Petri ex Battello, 169 b. An pars ſiniſtra dignior ſit, quam dextra, ibid. b. Honoris causâ Paulus Petro prælatus, quia utilior fuerit eccleſiæ in multis, ibid. c, d. Quia præſignatus in Benjamin, ibid. e. Quia doctor gentium præcipuus, & è cælo vocatus ad apoſtolatum, ibid. f. Item ut extolleretur Petri humilitas, 170 a. Ob æqualitatem meritorum, non ex arbitrio pictorum ſic poſiti fuerunt, ibid. b. Paulus non ſemper à dextris Petri collocatus, ibid. Petrus major poteſtate, Paulus ſapientiâ, ibid. e.
Petri Manlii ſeu Malli Hiſtoria ſacra cum præfatione ad Alexandrum III PP., collecta ex antiquis baſilicæ S. Petri monumentis ſub medium ſeculi XII 85 f
Petrus Manlius Hiſtoriæ ſacræ auctor 36 b
Pompeius Ugonius de Stationibus Romanis editus anno 1588 86 a

PHARUS SEU LYCHNUCHUS.

Pharus ſeu lychnuchus quid ſit, 129 b. Eorum origo altiùs repetita, ibid. Nutriebantur oleo & candelis, ibid. c. Forma eorum rotunda unius circuli, uti nunc etiam ſunt, ibid. d. Coronæ unde dictæ, ibid. Phari unius circuli diverſorum locorum, ibid. e, f. Quidni rotæ dici poſſint? ibid. f. Phari turritæ plurium circulorum, 130 a. Aliarum item formarum, ibid. c. Pharus una in formam crucis facta, & ab Adriano I ante presbyterium ſuſpenſa, candelas capiebat 1370. ibid. d. Quater quotannis accendi ſolita, ibid. Phari aliæ non pendulæ, 130. e. Quid ceroſtatæ & lucernæ bimixæ 131 a. Vaſorum, lumen in pharis alentium, formæ variæ & nomina diverſa, ibid. Quid gabatæ, ibid. b. Quid caniſtra, ibid. c. Delphini unde dicti, ibid. Gryphes & leones, canthara, arbores ibid. d, e.
Philippus Bonannius Hiſtoriæ templi Vaticani editor, quæ dein recuſa 86 a
Polemei Silvii laterculus 176
Pontes Romæ, qui in Legendis Sanctorum inveniuntur 54 f
Pontificum habitatio apud S. Petri eccleſiam exædificata 78 d
Portæ. *Vide*, *Baſilica S. Petri.*

PRESBYTERIUM.

Presbyterium quid ſit 132 c
Presbyterium & chorus loca diſtincta, 114 f. 126 d. Presbyterii deſcriptio ex eccleſia Cantuarienſi, 126 f. In qua inter Miſſarum ſolennia epiſcopus ſedebat retro vel poſt altare. 127 b. Presbyterium muro ſecluſum & laicis inacceſſum. ibid. c, d. Ejus notionis origo. ibid. e. Peribolus presbyterii. ibid. f. Elevabatur communiter ad altitudinem circiter dimidii corporis humani. ibid. Hinc ſepta hujuſmodi, Pectoralia dicta. ibid. Peribolus alibi elatior, 128 a. Videtur partim ſaltem ex cancellis fuiſſe in baſilica S. Petri 128 a
Privilegium Gregorii I, fundantis pro lampadibus alendis multa oliveta 43 d, e, f

R

Ritus qualis pannis laneis, unde fiunt pontificalia, adhibitus 38 c

ROBERTUS DE MONTE

Supplementum Chronicum, Roberto de Monte paſſim adſcribi ſolitum, Voſſius abjudicat Roberto abbati Montis S. Michaëlis, 171 c. Adjudicat cuidam Roberto Montenſi, abbati Abrincenſi. ibid. e. Nullius auctoritate oſtendens, talem uſpiam in mundo fuiſſe. ibid. f. Tribuunt iſtud priori Roberto Sammarthani 172 a. Uti etiam Trithemius, Geſnerus, Poſſevinus, Miræus & alii. ibid. b. Hic Robertus ipſemet, non totius quidem ſupplementi, ſed partis ejus ſe auctorem prodit. ibid. Obiit autem anno 1186. ibid. c. Reliqua exinde ſequentia, à monacho Gemeticenſi adjecta. ibid. e. Fruſtra adſtructi à Voſſio Roberti duo Normanni, abbates Montenſes. ibid. f. Chronicon Sigeberti à Miræo expurgatum, non item appendix Roberti. 173 a. Qui & abbas Montis Navalis appellatur. ibid. b. Idem vero eſt qui Montis S. Michaëlis. ibid. c. Propria Roberti appendix anno 1651 edita. ibid. d. Orditur ab initio ſeculi XII. ibid. Terminatur non anno 1182. ibid. e. Sed ſaltem biennio poſt & amplius. ibid. f. Ejuſdem ſtyli tenore, 174 a. Et loquendi modo. ibid. b. Chronicon Roberti nomine olim impreſſum, tripartitum. ibid. c. Quiſnam primæ partis Auctor, duobus aliis jam inventis. ibid. c, d. Vixit ille ſaltem poſt annum 1155. ibid. d. Robertus de Monte etiam ſcripſit geſta Henrici primi, non ſecundi, Angliæ regis. ibid. e. Natus ſub initium ſeculi XII. ibid. f
Romanorum antiquorum gloria conſpurcata, 68 a. Atque ob factum depreſſa fuit 67 c
Romanorum Imperator ad altare S. Petri coronari à Pontifice conſuetus 103 b. Benedici item & inungi ſolebat ad altare S. Mauritii, 103 a. Apud quos Auctores hujus ceremoniæ deſcriptio ibid.
Romanus Canonicus, hiſtoriæ ſacræ à Manlio conſcriptæ interpolator. 36 d. Editus perperam ſub tali nomine, tamquam auctoris, à Paulo de Angelis 90 f
Rota porphyretica unde dicta 99 d. Variis ceremoniis aptata ibid.

S

SACELLA.

Sacella duo anonyma. 80 d. Alia anonyma. 155 f
Sacella eccleſiæ S. Mariæ de Febribus 157 a
Sacella eccleſiæ S. Petronillæ 157 b
Sacellum vel baſilica S. Andreæ Apoſtoli. 155 c. A quibus Pontificibus ditata. ibid. Oblata ibidem dona, & opera à variis Pontificibus facta. ibid. d. Altare in medio cum brachio S. Andreæ & Lucæ Euangeliſtæ. ibid. e
Sacellum Gregorianum ſucceſſit in locum ſecretarii antiquiſſimi. 153 c. Ejus apſis. ibid. e. Fuit appellatum S. Mariæ à Febribus. ibid. f
S. Mariæ ab Innocentio VIII renovatum, in eoque repoſitum lanceæ Domini ferrum. 95 f. Reliquiis frequens. ibid.
Præſepis Domini, aliis S. Mariæ de Præſepi, ædificatum à Joanne VII. 96. Ejus deſcriptio. ib. b
Dei genitricis, à Laurentio Cardinale Beneventano conſtructum, loco, quo Gregorianum, ab Eugenio III reſtauratum, ſteterat. 101 a. Lanceæ Dominicæ ferrum eò delatum. ibid. Et relatum in locum priſtinum ibid. b
Dei Genitricis Mariæ, alibi ab aliis collocatum 101 b. Dictum putatur S. Mariæ de Conventu. Et quare ibid.

S. Mariæ de Cancellis; unde ſic appellatum, 103 f. Ab aliis dictum S. Mariæ in Oratorio. ibid. Ædificatum à Paulo PP. I in angulo navis tranſverſæ. ibid. Signo argenteo B Mariæ Virginis librarum centum ab eodem ditatum. ibid. Conſtructa illic dicti Pontificis ſepultura. ibid. Multa Sanctorum corpora ibi ſepulta ibid.
S. Mariæ de Prægnantibus. *Vide*, *Altare*
Secretarium vetus eccleſiæ S. Petri juxta Ugonium fuiſſet prope altare S. Andreæ 94 a
Secretarium antiquiſſimum & novellum. 153 a. An novellum eodem loco, ubi antiquiſſimum ſteterat ibid. Secretarii novi ſitus ibid. b
Seneca ac Tacitus, Chriſtianorum ſub Nerone miſerati 65 a

SEPULCRA ROMANORUM PONTIFICUM.

Adeodati, 44 d. Adriani I, 40 c. 82 f. Adriani III, 83 b. Adriani IV, 39 d. 101 d. 103 a. Adriani V, 84 c. Agapiti, 42 a. Agathonis, 44 e Anacleti, 41 e. 83 e. Anaſtaſii II, 41 d. Anaſtaſii III, 47 a. Benedicti I, 42. Benedicti II, 44 e. Benedicti III, 46 b. 84 e. Benedicti IV, 46 f. 84 d. Bonifacii I, 41 f. Bonifacii III, 84 a. Bonifacii III & IV 44 b. Bonifacii IV, 42 c. Bonifacii V, 44. c. Bonifacii VIII, 93 e. Cæleſtini III, 83 e. Chriſtophori, 46 f. Cleti, 41 c. Cononis, 44 e. 83 e. Conſtantini 45 c. 83 e. Deodati, 83 e. Deuſdedit, 44 c. 83 e. Doni, 44 d. 83 e. Eleutherii, 41 d. 83 e. Euariſti, 41 c. 83 e. Eugenii I, 44 d. Eugenii III, 101 d. Eugenii IV, 83 b. Felicis, 41 f. Formoſi, 83 e. Gelaſii, 41 d. Gregorii II, 45 e. 84 d. Gregorii III, 45 c. 39 c. 83 b. 101 c. Gregorii IV, 45 e. Gregorii V, 47 a. Gregorii, 84 a. Higini, 41 e. Honorii I, 44 c. 83 e. Honorii, 83 e. Honorii IV, 102 d. Hormiſdæ, 41 e. Iginii, 83 e. Innocentii VIII, 101 d. Joannis I, 41 e. Joannis II, 41 f. 84. Joannis III, 42 b. 84. Joannis IV, 44 d. Joannis V, 44 e. Joannis VI, 45 b. Joannis VII, 45 c. 82. Joannis VIII, 46 d. Joannis IX, 46 e. Joannis X, 46 e. Joannis, 46 b. 82 c. Landonis, 83 e. Leonis I, 41 d Leonis II, 44 e. Leonis III, 45 d. Leonis V, 46 a. Leonis IX, 46 a. 93 d. Lini, 41 b. Lucii II, 83 e. Nicolai 46 c, 83 e. Nicolai V, 83 c. Nicolai III, 102 d. Paſchalis I, 45 e. 103 a. Pauli, 45 d. Pelagii, 48 a. Pelagii I, 42 a. Pii, 41 c. 83 e. Sabiniani, 44 b. Sergii I. 44 e. Sergii II, 45 f. Severini, 44 c. 83 e. Simplicii, 41 d. Siſinnii, 45 c. 83. e. Sixti 41 c. Stephani II, 45 d. 84 d. Stephani III, 45 d. Stephani IV, 45 d. Stephani V. 46 a. 84 d. Stephani VI, 46 e. 84 d. Symmachi 41 e. 83 e. Teleſphori, 41 c. 83 e. Theodori I, 44 d. Theodori II, 84 d. Valentini, 83 e. Victoris, 41 d. 83 e. Vigilii 82 f. 103 a. Vitaliani 44 d. Vitelliani, 83 e. Urbani II. 40 d. 82 b. Zachariæ 45 d. 83 e. 84 d
Sepulcrum & epitaphium Joannis Cardinal. 40 e
Petri Diaconi 101 d
Sepulcrum S. Petri quantum abfuerit à laqueari depreſſioris cryptæ 119 d, e.
Sepulcrum Romuli, Meta dictum, ex cujus lapidibus opus graduum S. Petri factum 50 d
Sepulcrum Urſinorum 108 c
S. Silveſter primus, auctor picturæ muſivæ veteris apſidis Vaticanæ 135 b
S. Silveſtri brachium ubi reconditum 103 a

SIMON MAGUS.

Ejus perverſitas. 7 e. Simonia à Simone dicta. 8 a. Ejus ſcelera, 8 c. Veneratio, 12 a. Pavor conſpectis Apoſtolis, 12 d. Irritus in ſuſcitando mortuo conatus. ibid. f. Veneficus volatus 14 b. Exitium ac mors 14 e
S. Sixti corpus altari ejus impoſitum 102 f
Stationes Romani Pontificis 51 c
Statuta de celebratione Miſſarum. 43 a. Et de Aſſiſtentibus ſummo Pontifici ibid. b, c
S. Stephani armus dexter ubi collocatus 100
Urſus Urſinus Card reſtaurator altaris S. Paſtoris. 101 f. Ejus tumulus ibid.

T

TAgio epiſcopus Cæſarauguſtanus, in baſilica S. Petri pernox vigilans, videt cum eo turmam ſanctorum Pontificum 74 e

TEMPLA PROFANA.

Apollinis olim, nunc S. Petronillæ 40 f
Tria Romæ conſtructa ab Auguſto Cæſare 86 c
Pudicitiæ in lupanar converſum 68 b, c
Auguſto dicatum, penitus collapſum 69 b

TEMPLA SACRA.

Templa à Leone IV Conſtructa 71 d
Templum Probi, ſub Nicolao V deſtructum. 78 e, f. A quibus, & quando conditum 159 f
Probi elogia ex ejus inſcriptionibus 79 f
Templum S. Stephani 80 a
Templum Tyrium deſcriptum ex Euſebio 87. Cum baſilica S. Petri comparatum 88
Tholus, quid ſit 118 d
Thuribulum aureum, quod à Leone III factum, & in Confeſſione S. Petri ſuper corpus ejus miſſum fuit 118 a
Tiara Pontificia tempore Innocentii III necdum duplici aut triplici coronamento clauſa. 137 f. Circulo aureo diſtincta, ab Innocentio II adhibita. 138 a. Alia coronamenta à quibus addita ibid.
Trabes diverſæ in presbyterio. 128 c. Earum ſitus, numerus & ornatus ibid. c, d, e
Trabis in eccleſia Cantuarienſi deſcriptio 129 a
Trimma auri quid ſit. 126 c. Quis ejus uſus. ib. d
Trinitas Perſonarum, diverſimodè poſt debellatum Arium repræſentari ſolita. 139 d. Symbola item Patris, Filii, & Spiritus ſancti. ibid.
Tyri eccleſia ſub idem fere tempus ædificata à Paulino Tyri epiſcopo, quo Vaticana Romæ 87 c. Ejuſdem deſcriptio ex Euſebio. ibid. Quadriporticus, 87 e. Intercolumnia. ibid. *Vide*, *Templum Tyrium.*

V

VAticanum unde dictum 41 a. Vetus cum novo comparatum 65 b. & ſeqq.
Veronica ſeu vera icon, 96 d. Quænam de ea fuerit traditio; & quomodo mutata, ibid. e.
Vigiliæ ſolennes ac Pontificiæ in Confeſſione hypogæa S. Petri 115 f
Urbis Romanæ pars, muris munita à Leone IV, 71 e. Nicolaus V hos reſtaurare aggreſſus, ſed morte præventus non abſolvit ibid.

FINIS.

ADDENDA ET MUTANDA.

Pag. 84 *num.* 140 *in margine* — *Nicolao ſexto* — lege — *Gregorio ſexto.*

Pag. 90 *col.* 2, *verſu* 14 — oribus fluenta — *lege* — oribus noſtris fluenta —

Pag. 159 *col.* 1 *verſu* 15. *Poſt textum ex Anaſtaſio ibi citatum, cancellatis ſex verſibus uſque ad num.* 400, *hæc ſubſtitue.* — *Situs hujuſce eccleſia S. Apollinaris, non eodem loco determinatur ab omnibus. Sunt qui illam ponant ad latus ſeptemtrionale baſilicæ extra murum illius, prope templum S. Ambroſii, quod nobis ſectione* E *litt.* h. *Manlius noſter pag.* 44, *Anaſtaſium ſecutus, ait, fundatam fuiſſe in porticu B. Petri, quæ appellatur* Palmata; *Anaſtaſius habet etiam,* Ad Palmatam; *Synodus Romana quarta ſub Symmacho PP. appellatur* Palmaris *à loco, ubi celebrata fuit anno* DII, *ab epiſcopis* LXV *ſubſcripta. Sed quæ illa Porticus?*

Situs eccleſiæ S. Apollinaris in Porticu.

Quinque apud ſcriptores invenio porticus prope baſilicam Vaticanam, prima obtendebatur frontiſpicio ejus, & paſſim intelligi ſolet, quando aliud non adjungitur. Altera, quæ huic duabus alis committitur, eſt Quadriporticus. *Tertia, quæ intra baſilicam ducit per navim ejus maxime meridionalem, aliquibus dicitur* Porticus Pontificum, *quod plures ibi Pontifices tumulati fuerint. Quarta initium ſumebat à mole Adriani Imp. aut ab eccleſia S. Mariæ Tranſpontinæ, atque ducens ſecus Tiberim, terminabatur ad primas ſcalas, quibus aſcendebatur ad priora ædificia & ſequentem Quadriporticum S. Petri. Expreſſus de his locus eſt apud Anaſtaſium in Adriano Papa, qui* (*pag.* 115) conſiderans .... ſuper ripam fluminis porticum, quæ ducit ad B. Petrum Apoſtolum, arctam & anguſtam exiſtentem, per quam viam tranſeuntes, ad eumdem beatum Apoſtolorum Principem Petrum perveniebant; pluſquam duodecim millia tufos in littore alvei fluminis in fundamentis ponens, à ſolo uſque ad ſummum tectum miræ magnitudinis porticum reparavit, & uſque ad gradus B. Petri reſtauravit. *Quinta denique porticus fuit ſupra gradus iſtos, in planitie ante priora ædificia, in quibus ſtabat turris & ædes Archidiaconi, & ad latus meridionale erat eccleſia S. Apollinaris in capite porticûs; quod me docet citatus Anaſtaſius in eodem Adriano pag.* 111 *verbis ſuis, quæ in commentario noſtro pag.* 159 *num.* 400 *citabimus paulo poſt. Ibi ait, ædificaſſe Adrianum turrem miræ pulcritudinis, quæ decorabatur* cohærente porticu; *& porticum ipſam, quæ vetuſtate diruta erat, renovavit. Et hæc porticus fuit ad partem orientalem dicti ædificii ac turris; Quadriporticus vero ad occidentalem.*

Plures ibi fuere porticus:

Hinc jam inquirendum, quænam ex dictis porticibus fuerit antiquitus appellata Palmaris, Palmata, Ad palmatam *aut* Palmaria. *Plerique ſcriptores de hac poſtrema porticu non ſatis diſtincte meminerunt; ac referunt cognomen ad alias. Grimaldus videtur illud referre ad porticum quartam ſupra dictam, quæ ſecus Tiberim tendebat ad gradus. Ciampinus vero refert ad Quadriporticum, quæ etiam prope erat. Ego opinor, aliam non fuiſſe porticum* palmatam, *quam quæ quinto loco deſignata eſt; tum quod eccleſia S. Apollinaris in capite meridionali dicta porticus & ſuper muros circi Neroniani, ædificata fuit, in loco, ubi ex opinione Grimaldi victores in ludis circenſibus* palmati, *ut ait, ſuis donis ac braviis honeſtabantur; unde & antiquum nomen* Palmata *ei adhæſerit: tum quod ſynodus Palmaris Symmachi in illa porticu aut contiguis ei ædibus celebrari commodius potuit, quam alibi ulla in porticu. Ex hac multiplicitate porticuum circa baſilicam Vaticanam (forte fuerunt & aliæ) atque ex ignorantia diſtincti ſitus ſingularum, acciderit, ut varii ſcriptores in variis locis deſignandis hallucinati fuerint: & ego fortaſſis, antequam tam diſtinctam ſingularum notitiam mihi comparaveram, alicubi hallucinatus ſum. Quod ſicubi obſervaverit lector, rogatum velim, ut ſecundum hîc dicta benignus emendet.*

determinatur, quæ fuerit Palmaria.

Varia notavit Grimaldus ſpectantia ad hanc S. Apollinaris eccleſiam eique vicina loca, quæ ipſe ſententia, ſuo tempore vidit, quæque tum hîc, tum alibi à nobis dicta illuſtrare poſſint. Quamobrem juverit ejus textum, prout à Floravante in Roma ſacra pag. 343 *deſcriptus legitur, huc afferre.* Eccleſia S. Apollinaris, *inquit*, ab Honorio I ædificata, erat in loco, ubi nunc eſt ſtabulum cum pluribus domibus pertinentibus ad Archipresbyteratum S. Petri, juxta ſcalas baſilicæ, quæ domus inſulam faciunt ante forum; ab uno latere vicus, tendens ad S Officium; ab alio, via tendens ad portam Turrionis; retro, via publica ſancti Spiritus. Ab iſta eccleſia, inquit Anaſtaſius, Honorii decreto ſingulis Sabbatis Litania ad baſilicam ſancti Petri exibat, & dicebatur ad Palmata, retinens antiquum nomen circi ob victores palmatos in circi ludis, donis ibi honeſtatos Nam circi finis vel caput ibi erat ex quodam muro, quadratis lapidibus fabrefacto, qui in ſemicirculum vergebatur. Anno MDCXVI, dum ſcalæ ſancti Petri amoverentur, apparuerunt muri antiqui reticulati craſſi, qui videbantur fuiſſe è ruinis turrium circi: ibi repertus fuit æreus nummus Agrippinæ Aug. Dum fundaretur hæc altera Vaticani templi pars ſub Paulo Quinto inſpectum eſt, circi longitudinem fuiſſe palm. 720 Romanorum; latitudinem 400. Area, ubi ludi edebantur, lata p. 230. Incipiebat ab infimis gradibus baſilicæ; deſinebat ubi nunc eſt eccleſia S. Marthæ retro abſidam ad occaſum Obeliſcus erat in medio, qui locus nunc eſt retro ſacellum chori. Extremus baſilicæ paries & duplex columnatum ſanctiſſimi Crucifixi, & ſancti Andreæ, fundatum erat ſuprà tres magnos parietes circi Caii & Neronis ſupradicti: ſimilis erat circo Caracallæ, qui hodie pro majori parte extat.

de illius,

Altis utrimque parietibus cinctus erat, ternis ab una parte, ſuper quibus extabant dictæ naves Crucifixi & ſancti Andreæ; & ternis ab altera, ubi nunc eſt cœmeterium Campi ſancti; qui ſe in longum trahentes lateritii, ſuſtinebant olim arcuatos fornices, in quibus ſedilia extabant pro ſpectatoribus. Inter utrumque parietem ſpatium latum p. 42, ſemis erat. A capite ad pedes nullum impedimentum, ſed tamquam ambulationes & curritoria, è ruinis ipſis conſpiciebantur. Horum parietum poſtremum, in circum reſpicientem, dum terra fundamenti chori egereretur, menſurandum curavi. Altus erat paries ipſe ab area palmis 31, ſemis; latus p 14; fundatus p. 30. Antiquæ Vaticanæ Baſilicæ, à Conſtantino Max. fabrefactæ facies anterior, apſis & muri extremi, ac illi ſuper columnis ſurgentes, qui tecta gravi pondere ſuſtinebant à laterum tophorumque fragmentis, circo adjacentibuſque ædificiis everſis, celeri opera, rudique arte ædificati fuerunt: Baſilicam ipſam brevi tempore à Conſtantino acceleratam fuiſſe fides oculata teſtabatur. Capitella partim abſoluta, partim imper-

& locorum vicinorum ſitu.

perfecta: baſes multæ columnis abſimiles : feneſtræ arcuatæ, lateritiæ primùm, poſtea germanico opere marmoreæ effictæ. Limina ex magnis marmoribus, quæ ablata eſſe ex circi, vel alterius ædificii ruinis, pars inferior terrâ obruta indicabat, cum ſub uno ex his modice arcuato, Roſæ ſculptæ erant; in altero literæ legebantur *cum ſpeculator*, quas, judicatum eſt, arcum ſeu locum ſpeculatorium ipſius forſitan circi ſignificaſſe. Hæc de circo. Eccleſia S. Apollinaris dicebatur in Porticu; nam porticus ducens ad baſilicam S. Petri, incipiebat ab eccleſia ſanctæ Mariæ Tranſpontinæ; ad prætatam eccleſiam S. Apollinaris deſinebat.

Corrigendus quoque eſt ex prædictis, Vegius noſter, qui pag. 75 tractans de eccleſia ſancti Apollinaris, quæ olim prope circum Agonalem fundata fuit, & nunc eſt Collegii nationis Germanicæ, officiaturque à ſtudioſa illic juventute; transfert eò Statutum Honorii primi, quo decernit, litanias ſingulis Sabbatis ab eccleſia S. Apollinaris exire debere ad baſilicam S. Petri, quaſi id decreverit de eccleſia S. Apollinaris jam dicta ad circum Agonalem, quæ tempore iſtius Honorii nondum extabat, utpote fundata, juxta Anaſtaſium, ab Adriano primo Pontifice, qui ſub finem ſeculi VIII *præfuit Eccleſiæ, defuncto pridem ante ſeſqui ſeculum Honorio. Redeamus nunc ad pag. noſtram* 159 *& numerum ibi* 400. *Corrigenda in Mapl. Vegia.*

EPHEMERIDES UNIVERSALES
SANCTORUM

SEX PRIMIS SACRI ANNI MENSIBUS ILLUSTRATORUM.

LECTORI C. J.

HAbent Acta noſtra Sanctorum ab initio anni per ſingulos Tomos Indices ſex, quorum duo, videlicet Sanctorum *&* Chronologicus *ubique præmittuntur, quatuor verò alii,* Hiſtoricus, Topographicus, Onomaſticus *atque* Moralis, *ubique poſtponuntur. Excipe Tomum quintum Maii, in quo omnes ad calcem ſimul conjuncti ſunt. Indicavit Papeprochius noſter P. M. per decurſum operis loco non uno, futurum ut, abſoluto ſacro ſemeſtri, omnes dicti Indices, uno in Tomo ſeorſim colligerentur; item ut Menſes* Januarius *atque* Februarius, *quod deficerent eorum exemplaria, recuderentur, priuſquam procederetur ad ſecundum ſemeſtre ſacrum ſeu Julium menſem. Non contemnendum quidem hoc conſilium: verumtamen ipſo adhuc ſuperſtite & approbante mutatum eſt, uti putamus, in melius. Videlicet ut non interrupto curſu operis, aggrediamur menſem Julium, deducamuſque opus continuata ſerie per reliquos menſes uſque ad finem anni: ac tum denique reformentur, augeantur, recudanturque Januarius & Februarius. Æquum enim non eſt, ut omnes illi, qui ab initio anni Acta Sanctorum ſibi compararunt huc uſque, & cupiunt ſequentia videre, fruſtrentur deſiderio ſuo propter paucos, qui nunc primùm volunt hactenus edita ſibi comparare.*

2 *His ego auctor ſim, ut incipiant à menſe Martio (dum exemplaria ejus & ſequentium menſium ſuperſunt) reliquoſque, quando eduntur in lucem, ſibi comparent, ultimo demum loco accepturi duos primos anni menſes, qui propter acceſſionem multorum Sanctorum & Actorum, in plures Tomos extendendi erunt. Non ita fiet Martio & reliquis anni menſibus, qui completiores ſunt, & fortaſſe numquam recudendi. Ratio eſt, quia Martius imprimi cæptus eſt, poſtquam Henſchenius & Papebrochius anno* MDCLX *ab Alexandro PP. VII evocati Romam, per Germaniam, Italiam atque Galliam peregrinati ſunt biennio fere ac dimidio, ubique locorum ſedulo conquirentes deſcribenteſque aut deſcribi magnis ſumptibus curantes, quidquid ad Sanctos ſpectans, noverant eatenus ſibi deeſſe. Hinc novum ingentemque librorum ſcriptorumque pro ſingulis anni menſibus theſaurum comportantes in Belgium, ſingula quæque ſuis locis ac diebus repoſuerunt, etiam pro menſibus Januario & Februario; qui inde ſuo tempore, ut dixi, immenſum augendi ſunt. Hæc ad inſtructionem volentium nunc ſibi comparare Acta Sanctorum.*

3 *Conſilium quoque quod captum fuit, de Indicibus omnibus in unum colligendis, ſimiliter mutatum eſt, tum quod ex illo labore notabiliter retardaretur proſecutio operis, tum quod non omnes æque neceſſarii ſint. Hinc duos tantum univerſales hic dabimus, qui propius ad Sanctos eorumque Acta ſpectant. Illorum primus ordine dierum, adinſtar Martyrologii, proponet Sanctos, qui quoquo die per decurſum operis illuſtrati ſunt: indicabit quoque breviter, quo ſeculo ipſi vixerint obierintve, qualia item Acta aut monumenta, unde accepta, & à quibus ſcripta, habeantur. Sanctos alioſque qui ad ſingulos dies inter* Prætermiſſos *collecti ſunt, ad hunc indicem non referimus; quia de illis, qui iſtic verè Sancti ſunt, actum eſt loco magis proprio diebus præcedentibus, aut agetur ſequentibus. Alii, quorum ſanctitas aut beatitas probata non eſt, non debent in indice Sanctorum memorari.*

4 *Sunt tamen inter eoſdem Prætermiſſos nonnulli, qui vel certum nobis diem quo referantur, vel publici cultus ſufficiens argumentum non habent; quorum pauculi & præcipui ſingulis diebus ſubjicientur, à prioribus diſtincti. Debet Lector harum Ephemeridum, juxta ac Indicis Sanctorum ſequentis collectionem Papebrochio noſtro, qui ingraveſcente ſenio, dum graviora ſtudia tractare amplius nequibat, otii impatiens, animum atque operam huic rei applicuit, otiumque ſuum ſupremis vitæ annis conſtanter impendit in publicam, uti recte arbitrabatur, utilitatem, totiuſque ſacri ſemeſtris uſum faciliorem. Contenta Tomo ſexto Junii, qui poſt obitum ejus prodiit in lucem, ſuis quæque locis inſerta etiam ſunt.*

5 *Notæ compendiariæ, quarum in hiſce Indicibus frequens eſt uſus, denotant ex præſcripto Collectoris,* M. *Martyr.* Ep. *Epiſcopus.* Aëp. *Archiepiſcopus.* Conf. *Confeſſor.* Ab. *Abbas.* m. *Monachus.* Er. *Eremita.* V. *Virgo.* A. *vel* Auct. *Auctor.* ms. *Manuſcriptum.* mss. *Manuſcripta.* Mrl. & Mrol. *Martyrologium.* Mrll. & Mroll. *Martyrologia.* Men. *Menæa, non ſolum magna Venetiis excuſa, ubi integer Officiorum ſacrorum curſus definitur; ſed etiam Synaxaria Græcorum mss. ubi ſola deſcribuntur Sanctorum elogia. Si quæ Notæ duplicantur, indicant numerum pluralem; uti* MM. *Martyres &c. auſpicemur opus ſecundum deſignationem Papebrochii.*

EPHEMERIDES SANCTORUM
MENSIS JANUARII
TOMUS PRIMUS.

ANno Christi Domini MDCXLIII à P. Joanne Bollando, adjutore Godefrido Henschenio, in lucem emitti cœperunt Acta Sanctorum Mensis Januarii, duobus prægrandibus Tomis, suo tempore in quinque aut sex moderatiores extendendis, quando licebit ipsum mensem post absolutum Decembrem recudere, cum iis, quæ post editionem istius Mensis, imo & Februarii, accesserunt monumenta nova, eatenus nobis non inventa; deinde vero tum nostra inquisitione, tum amicorum sedulitate eruderata & eruderanda forte posthac. Tomus primus inscribitur *Sancto Sanctorum Jesu Christo Pontifici aterno, ejusque inter mortales Vicario, Urbano* VIII, *Romano Pontifici.* Secundus, *Eminentissimo Principi Francisco Barberino, S. R. E. Cardinali Vicecancellario.* Primum præcedit ampla Præfatio, inscripta *adm. R. Domino ac Patri Thomæ Luytens, monasterii Latiensis, Ordinis S. Benedicti Abbati, & Religioso ejus Conventui*; diducta per quinque capita, quorum primo explicatur *occasio scriptionis & scopus.* Secundo *Methodus & Symmetria.* Tertio, *editorum in eo probabilitas.* Quarto, *adjutores ejus, aliaque adminicula.* Quinto denique, *Lectoribus commendata ab Auctore.* Horum quinque capitum summa reducitur ad memoriam in Præfatione Tomi secundi.

DIE PRIMO.

CIrcumcisio Domini, cum Sermone Faustini Ep. *Ex Ms.* Et Commemoratio sacrosancti Præputii Antverpiæ & alibi, cum eò spectantibus documentis & miraculis 2, 1083
Gaspar, Rex Magus in Oriente 8
Martyres Syracusani sub Nerone in Sicilia 9
Concordius Pr. & M. Spoleti 9
Elvanus Ep. & Meduinus 2 *sec.* Apostoli in Britannia 10, 1083
Martina V. Romana M. *sub Alexandro.* Acta *ex Mss*; & inventio corporis anno 1634 *ex Italico.* 13
Cajus, Jactus, Heraclus, MM. Bononiæ, *ex Mrll.* 19
Victor, Felix, Narcissus, Argyrus, & Socii MM. in Africa *ex Mrl.* 19
Primianus, Saturninus, Victor, Honoratus, Leucius, Hermes, MM. *ex Mrll.* 19
Paracodas Ep. Viennæ in Gallia 3 *sec.* 20
Milites xxx MM. Romæ *ex Usuardo* 20
Euphrosynus Ep. Primianus *vel* Prianus & Alii IX MM. Nicomediæ *ex Mrll.* 20
Severus M. Ravennæ *ex Mrll.* 20
Evantus & Hermes, Martyres in Rhetia *ex Mrll.* 21
Magnus M. *ex Martyrologiis* 21
Theodotus M. *ex Menæis* 21
Gregorius Ep. Nazianzi, pater Greg. Theologi, hujus encomio laudatus 4. *sec.* 21
Almachius sive Telomachus M. Romæ *ex Mroll.* 31
Fulgentius Ep. Ruspensis in Africa 6 *sec.* Vita *Auctore Discipulo.* 32
Mochua, sive Crianus, Abbas Hibernus. Vita *ex Mss.* 45, 1083
Mochua Ballensis, sive Cronanus. Vita *ex Mss.* 47, 1083
Agrippinus Ep. Augustodunensis 6 *sec. ex Martyrol.* 49, 1083
Eugendus Abbas Jurensis. Vita Auctore Discipulo *ex Mss.* 49, 1083
Marinus Ab. Jurensis Lerini 55, 1083
Clarus Abbas Viennæ. Vita *ex Mss.* 55
Stabilis Ep. Arverniæ 9 *sec.* 57
Guilielmus Ab. S. Benigni Divione 11 *sec.* Vita *Auct. Glabro Rodulpho* 57, 1084
Clarus Mon. Saligenstadii 11 *sec.* 65, 1084
Odilo Ab. Cluniaci 11 *sec.* Vita *A. Letzaldo seu Jotfaldo.* 65. Alia *Auctore Petro Damiano* 71, 1084
Osmundus Ep. Sarisburiensis. Canonizatio 77

INTER PRÆTERMISSOS.

Albero 1 Ep. Leodiensis, passim *Beatus* habitus *pag.* 1 *f*
Joannes, Prior Domus montis Cornelii juxta Leodium 2 *a*

DIE II.

Frontasius, Severinus, Severianus, Silanus, MM. 1 *sec.* Passio *ex Ms.* 79, 1085
Maximianus, Acutio, Timotheus, Herissus, Artaxus, Vitus, Acutus, Tobia, Eugenda, MM. *ex Mrll.* 80
Martyres multi Placentiæ in Italia *sub Dioclet. ex Ferrario* 80
Defendens & Socii *sub Dioclet.* 80, 1085
Sebastianus & Alverius MM. Thebæi *sub Diocl. ex Ferrario* 81
Theodote, mater SS. Cosmæ & Damiani, *ex Menæis* 81
Martyres plurimi Romæ *sub Diocl. ex Euseb.* 81
Theopistus M. *ex Menæis* 81
Stratonicus, Macarius, Abbanus, Saturus, Possessor *ex Mrll.* 82
Martyres Britanni Lichfeldiæ, *ex Beda* 82
Rutila, Claudia, Auriga, in Æthiopia: Vitalis & Stephanus Hierosolymis *ex Mrll.* 82
Argeus, Narcissus, Marcellinus Tomis in Ponto MM. *ex Mrll.* 82
Isidorus Ep. M. Antiochiæ; & Siridon Episcopus *ex Mroll.* 83, 1085
Basilius Presb. Ancyranus Cæsareæ in Cappadocia *ex Menæis* 83
Isidorus Episcopus & Conf. in Ægypto 4 *sec. ex Mrl.* 84, 1085
Macarius Alexandrinus, Ab. in Ægypto 4 *sec. ex Vitis Patrum* 85, 1085
Martinianus Aëp. Mediolani 5 *sec. ex Ripamontio* 89
Macarius Romanus apud Lavinium in Latio 5 *sec. ex Ferrario* 90
Marcus Surdus *ex Menæis* 90
Aspasius Confessor Meleduni in Gallia 6 *sec.* 90, 1085
Maximus Abbas & Martyr in Gallia 7 *sec.* Passio *ex Ms.* 91, 1086
Bladulfus Mon. Bobii 7 *sec. ex Baronio.* 94

Ade-

IN TOMUM I JANUARII.

Adelardus Ab. Corbejenſis 9 *ſec.* Vita, *Auct. S. Paſchaſio Ratberto*, 95. Alia, *Auct. S. Gerardo abbate Silvæ-majoris* 111, 1086
Vedaſti inventio capitis Atrebati 11 *ſec.* 124
Silveſter monachus Trainæ in Sicilia 12 *ſec.* 124
Odino ſeu Otteno Ab. Rothenſis, Ordinis Præmonſtraten. in Suevia 12 *ſec.* 1086

INTER PRÆTERMISSOS.

Coſmas Patr. CP. Thaumaturgus 74 *c*

D I E III.

Anterus Papa M. Romæ, 3 *ſec.* 127
Florentius Ep. Viennæ in Gallia M. 3 *ſec.* 127
Theopemptus Ep. & Theones, MM. Nicomediæ, 3 *ſec.* 127. Acta *ex Mss.* 1087
Zoſimus Mon. & Athanaſius Commentarienſis, MM. *ſub Dioclet.* 128
Petrus Balſamus ſive Abſelamus M. 3 *ſec.* Acta *ex Mss.* 129
Martialis, Statilianus, Conſtantius, Poſſeſſor, Hilarinus, Firmus, Candidus, Rogatianus, Eugenia, Lucida, Acuta, Pænica, MM. in Africa, *ex Mrll.* 130
Gordius, Comes ac Centurio, M. Cæſareæ, *ſub Licinio. S. Baſilii de eo hiſtorica oratio.* 130
Theogenes, Primus, Cyrinus, MM. *ſub Licinio.* Acta *ex Mss.* 131
Claudo, Eugenes, Rhodus, Diogenius, Eugenius, Rodon, Prima, MM. *ex Mrll.* 135
Lucianus Epiſcopus apud Leontinos in Sicilia, 4 *ſec.* 136
Melorus *ſeu* Melior M. in Anglia, 5 *ſec.* Meldis in Gallia. Vita *ex Mss. & Capgravio* 136. Alia, *Meldis accepta* 1089
Salvator Ep. Beluni in Italia *ex Ferrario* 137
Genovefa V. Pariſiis 6 *ſec.* 137, 1089. Vita *ex Mss.* 138. Miracula poſt mortem, 147. Revelatio Reliquiarum 152
Euſtadius Abbas Divione in Burgundia 6 *ſec. in App.* 1090
Blidmundus, ſive Gogus, Ab. in Gallia 7 *ſec. ex Mss.* 154
Quintini M. Inventio ſecunda 7 *ſec. ex vita S. Eligii* 154
Bertilia V. Mareoli in Arteſia 7 *ſec.* Vita *ex Mss.* 155. Elevatio & Tranſlatio 157, 1115
Jacobi Apoſt. relatio Capitis ad monaſt. S. Vedaſti, 12 *ſec.* 158. Miracula ſecuta 159
Daniel M. Patavii. Inventio corporis, & Tranſlatio 13 *ſec.* 160

INTER PRÆTERMISSOS.

S. Theodoricus, Glamorganiæ in Wallia Regulus, vulgo *S. Teudriche.* 1087 *b*

D I E IV.

Titus Ep. & Apoſt. Cretæ 1 *ſec.* Vita *ex Men.* 163; & *Petro de Natalibus* 164
Celſus Ep. Trevir. 2 *ſec.* 164
Mavilus M. Adrumeti in Africa *ſub Scapula Præſide*, *ex Mrl. Rom.* & *Tertulliano* 165
Aquilinus, Geminus, Eugenius, Marcianus, Quinctus, Theodotus, Tryphon, MM. in Africa, *ex Mrll.* 165
Æduus Ep. *ex Mrll.* 165
Hermes, Aggæus, Caſus, MM. Bononiæ 165
Priſcus Pr. Priſcillianus Diac. Benedicta, MM. Romæ, *ex Mrll.* 165
Fauſta V. M. apud Bituricas 1090. Tranſlatio & miracula *ex Ms.* 1091
Dafroſa Vidua Romana M. *ſub Juliano* 166
Neophyta V. M. Româ Limburgum tranſlata, *ex Ms.* 166
Rumonus Ep. Taveſtokæ in Anglia 1092
Gregorius Ep. Lingon. in Gallia, 6 *ſec.* Vita *ex Greg. Turon.* 167
Pharaildis V. in Brabantia. Vita *ex Ms.* Tranſlatio Gandavum *ex Sandero* 171
Rigobertus, Archiep. Remen. 8 *ſec.* Vita *ex Mss.* 174
Theoctiſtus Ab. in Sicilia 180
Libentius Archiep. Bremen. 11 *ſec.* Vita *ex Adamo Bremenſi* 181
Rogerius Ab. in Anglia, 12 *ſec.* Vita *A. Mon. Ellantino*, *ex Ms.* 182
Angela de Fulginio Vidua, 14 *ſec.* Vita *A. Arnaldo Ord. Minor. ejus Confeſſario* 186

INTER PRÆTERMISSOS.

Ciſinandus, S. Bernardi diſcipulus ad propagationem Ordinis ab eo directus in Hiſpaniam. Sed nihil de eo in ſuo Mrlio Hiſp. Tamayus 162
Eliſabeth Virgo, pietate & patientia celebris circa annum 1560 in Valle-Roſarum prope Mechliniam, ſed in reſtaurato poſt ruinam monaſterio, ſola nominis memoria ſupereſt: creditur tamen in veteri clauſtro ſepulta nunc latere 162

D I E V.

Teleſphorus Papa M. Romæ 2 *ſec.* Vita *A. Segero Pauli Carm.* 156, 1093
Sais M. *ex Menæis* 240
Felix, Secundus, Honorius, Lucianus, Candidus, Januaria, Cælifloria, Jucundus, Acutus, Petrus, Marcus, Severus, Anaſtaſia, Teleſphorus, Martyres in Africa, *ex Mrll.* 240
Euprexia Vidua, Theognia ejus filia Virgo; in Sicilia, *ex Menæis* 240
Martyres plurimi in Thebaide, *ſub Dioclet. ex Mrll. & Euſebio* 241
Theoïdus M. *ex Menæis* 241
Domnon M. Bergomi, *ſub Dioclet. ex Jo. Ant. Guarnerio* 242
Theodorus M. Calari, *ex Seraphino Eſquirro* 242
Syncletica V. Ab. Alexandriæ. Vita, *ex Ms. Græco. A. Athanaſio vel Anaſtaſio, an ſancto?* 242, 1093
Ruſticianus Ep. Brixien. *Ex Ferrario.* 257
Tatiana, *ex Menæis.* *ibid.*
Talida ſive Amata, Ab. Antirici in Thebaide 5 *ſec. ex Palladio* 257
Apollinaris Syncletica, alias Dorotheus, *Auct. coævo ex Gr.* 258
Simeon Stylita 5 *ſec.* 261. Vita, *A. Antonio Diſc.* 264. Alia, *ex Mss. Latinis.* Alia, *A. Simeone Metaphr.* 274
Phoſterius Ab. *ex Menæis* 286
Æmiliana V. Romana, *ex S. Gregorio.* 287
Honobertus & Honulfus Epp. Senonenſes, 8 *ſec.* 288, 1094
Flamidianus M. Hiſpanus, *ex Domenecco* 288
Victorinus Ab. Lucæ; Ambroſius, Privatus, Monachi: eorum tranſlatio, *ex Ferrario.* 289
Gregorius Acritenſis Conf. 9 *ſec. ex Menæis* 289
Eduardus Conf. Rex Angliæ 11 *ſec.* 290 Vita *Auct. S. Ealredo*, *ex Surio* 293. Tranſlatio an. 1163, 302
Gerlacus Erem. in Belgio, 12 *ſec.* Vita & Mi-

Miracula lib. 2. *A. Anonymo Præmonſtratenſi, ex Ms* 306. Alia recentior *A. Guil. Cripio* 320. Aliqua *in App.* 1094

INTER PRÆTERMISSOS.

Leonora Perezia, Clariſſa & prima Pontis viridis Abbatiſſa, *ſec.* 16. Magnâ in veneratione dicitur eſſe propter frequentia, quæ patrabat miracula, cum Franc. Gonzaga & Barezus ſcriberent, ſed ante Urbani VIII decreta; an etiam nunc? Tacet Tamayus. 1093

Ægidius à Walcuria fundator monaſt. Oigniacenſis, cujus vita habetur à Franc. Meſco edita, cum vita B. Mariæ Oigniacen. 235 *f*

D I E VI.

Epiphania Domini 323

Melchior, unus ex tribus Magis 323

Teleſphorus, Florus, Jocundus, Petrus, Marcus, Acutius, Januaria, MM. in Africa *ex Mrll.* 323

Honorius, Julius, Antoninus, MM. *ex Mrl.* 324

Pompejanus M. Calari in Sardinia *ex Seraph. Eſquirro* 324

Anaſtaſius M. Sirmii; *ex Mrl.* 324

Macra V. M. in Gallia, 4 *ſec.* Acta *ex Ms.* 324

Nilammon, Recluſus in Ægypto, 5 *ſec. ex Sozomeno* 326

Melanius, Ep. Redonen. Vita *ex Mss.* 327

Miracula *Auct. Gervaſio Archiep. Rem.* 333

Petrus Ab. Cantuarien.; *ex Beda* 334

Erminoldus Ab. M. in Germ. 12 *ſec.* Vita *A. Monacho Prufeningen. lib.* 2 335

Guarinus, Ep. Sedun. 12 *ſec.* 347

Gertrudis ab Ooſten, Beggina, 14 *ſec.* Delfis in Hollandia. Vita *ex Ms.* 348

D I E VII.

Relatio Pueri Jeſu. 355

Julianus M. in Sardinia, *ex Eſquirro* 355

Spolicoſtus, Pallada, Candida, MM. in Græcia; *ex Mrl.* 355

Criſpinus Ep. Ticinen. 3 *ſec. ex Ferrario* 356

Felix & Januarius, Martyres Heracleæ, *ex Mrll.* 356

Polianthus, Philon, Candida; *ex Mrl.* 357

Julianus M. in Gallia, *ex Sauſſayo* 357

Senator Ep. Veronen. *ex Ferrario* 357

Lucianus Presb. Antioch. M. 4 *ſec.* Acta *ex Metaphr.* 357. Alia, *ex Rufino & aliis* 359

Clerus Diac. Antioch. & M. *ex Mrll.* 365

Theodorus Monachus in Ægypto; *ex Mrl.* 365

Nicetas Ep. in Dacia 5 *ſec.* Acta *ex S. Paulino.* 365

Valentinus Epiſc. Paſſavien. 5 *ſec.* Vita & Tranſl. *ex Surio* 368. Alia genuina *ex Ms. in App.* 1094

Criſpinus III, Ep. Ticinen. 5 *ſec. ex Ferrario* 372

Valentinus II, Ep. Interamnen. 6 *ſec. ex Ferrario* 372

Cedda Epiſc. Londinen. 7 *ſec.* Vita *ex Venerabili Beda* 373

Tillo Paulus, Monachus in Gallia 7 *ſec.* Vita *ex Ms.* 376

Wittekindus Dux Weſtphaliæ 9 *ſec.* Vita *ex Variis* 380

Reinoldus Mon. M. in Diœc. Colon. Vita *ex Ms.* 385

Aldricus Ep. Cenoman. 9 *ſec.* Vita ex Gallico 387. Acta vetera & prolixa *expecta in alterâ editione.*

Anaſtaſius Archiep. Senonen. 10 *ſec.* 389

Vitalis Ab. Silviniacen. in Gallia, 12 *ſec.* 379

Canutus Lawardus, Rex Obotritorum & Dux Sleſwicen. M. 12 *ſec.* 390. Vita *ex Helmoldo & Saxone Grammatico* 393. Tranſlatio & canonizatio 400

Albertus Erem. Senis, 12 *ſec.* Vita *ex Ital. Silvani Razzii* 402

Raimundus de Pennaforti, O. Prædic. 13 *ſec.* Vita *ex Leandro Alberti*, 404. Canonizatio 407. Miracula *ex Proceſſu & aliis* 419, *& in App.* 1097. *Colitur nunc* 23 *Jan.*

Benjamini & Maximi MM. Inventio Brixiæ 16 *ſec. ex Galeſinio* 429

Ludovicus Bloſius, Vener. Abbas Lætienſis, 430. Vita, ab Ant. Wingio ſucceſſore recognita, *cur hic data ex Ms.* 432

INTER PRÆTERMISSOS.

Melania ſenior, nobiliſſima & religioſiſſima matrona, Hieroſolymis 354 *b*

Matthæus O. Min. Ep. Agrigentinus, videtur ab Arturo ſatis probari, quod dignus ſit, qui inter Beatos numeretur 354 *c*

Maria Raggia, Ord. Prædicatorum, duplex Vita, Barcinone Hiſpanice edita habetur, una etiam Latine reddita editaque Duaci 354 *e*

D I E VIII.

Semeias Propheta, *ex Menæis* 458

Lucianus Ep. Maximianus Presb. Julianus Diac. MM. Bellovaci in Gallia. 459. Acta *Auct. Odone Ep. ex Mss.* 461. Alia *A. Anonymo ex Ms.* 466

Patiens Ep. Meten. 2 *ſec.* Vita *ex Ms.* 469

Anaſtaſius, Jucundus, Ratites, Petrus, Florus, Tiles, Florianus, Tatia, MM. Sirmii, *ex Mrl.* 470

Claudius, Carbonianus, Tibudianus, Planius, MM. Interamnæ, *ex Ferrario.* 471

Maximus I & II Epp. Ticin. *ex Mrll.* 471

Patheus M. *ex Mrl.* 472

Carterius Presb. M. Cæſareæ in Cappad. *ex Menæis.* 472

Theophilus & Helladius MM. in Libya, *ex Mrl.* 472

Timotheus, Euctus ſeu Polyeuctus, Ruſticus, Piſſeus vel Cipiſeus, Secundus, Lucius, Felix, Januarius, Palladius, MM. in Græcia; *ex Mrll.* 473

Eugenianus M. in Gallia, *ex Mrll.* 473

Egemonius, vel Igomonus, Ep. Auguſtodun. *ex Mrll.* 473

Atticus, Epiſc. Conſtantinopol. 5 *ſec. ex Variis* 473

Dominica V. Georgius Chozebites, Æmilianus Conf. Conſtantinopoli, 5 *ſec. ex Menæis.* 483

Severinus Presb. Noricorum Apoſtolus, 5 *ſec.* 483 Vita, *A. Eugippio Presb. ex Surio & Mss.* 484. Tranſlatio, *A. Joanne Diacono ex Ms.* 497. *In App.* 1098

Severinus Epiſc. Septempedæ in Italia 6 *ſec.* 499. Vita ejus & Victorini fratris, *ex Mss.* 500. Alia *ex Brev. Ms. In App.* 1103

Afflinus Ep. Conf. *ex Mrl.* 502

Balduinus Archidiac. M. 7 *ſec. ex Mrll.* 502

Vita *ex Ms.* Corſendoncano 503

Maurontus, Ab. in Gallia, 7 *ſec.* 505

Fro-

Frodobertus Ab. Trecis, 7 *sec.* Vita *A. Monacho Cellensi ex Camuzato* 505, 1107
Gudula V. Bruxellis. 8 *sec.* 513. Vita *A. Huberto ex Ms.* 514. Alia *ex Surio* 524
Cyrus Patr. CP. 8 *sec.* 531
Pega V. in Anglia, 8 *sec.* 532
Erardus Ep. Ratispon. ejusque frater Albertus, 8 *sec.* 533. Vita *A. Paulo, ex Ms.* 535 Aliæ duæ, *ex Mss.* 539 & 541. *Item* 1108
Garibaldus vel Gaubaldus Ep. Ratispon. 8 *sec.* 546
Wulfinus Ep. Schireburnen. in Anglia. 10 *sec.* Vita *ex Capgravio* 547
Torphimus Ep. in Nortwegia, 12 *sec.* Brugis in Flandria 548
Laurentius Justinianus Protopatriarcha Venetus, 15 *sec.* 549. Vita *A. Bernardo Justiniano* 551. Colitur nunc ut Sanctus 5 *Sept.*

INTER PRÆTERMISSOS.

Victurus M. in Africa 23 *Apr.* 164
Victurus M. in Africa 7 *Iun.* 8
Victurus M. in Africa 7 *Maii* 136
Victurus II M in Africa 7 *Maii* 136
Victurus III M. in Africa 7 *Maii* 136
Victurus IV M. in Africa 7 *Maii* 136
Victurus M. Romæ 5 *Iun.* 422
Victurus M. Romæ 10 *Iun.* 272
Victurus M. Tarſi 10 *Maii* 557
Victus M. in Africa 21 *Maii* 5
* Vidulfus Ep. Atrebati 6 *Feb.* 763
* Vigilius Papa 8 *Iun.* 1078 *e*
Vigilius Ep. Autiſſiodori 11 *Mart.* 72
Vigilius Ep. Tridenti M. 26 *Iun.* 163
Vihulfus Ep. Irien. in Hiſp 26 *Ian.* 751
Villanus Ep. Eugubii 7 *Maii* 282
Vimaraſius Ep. Aurien. in Hiſp. 26 *Ian.* 751
Vimgeloſinus M. Nicomediæ 12 *Mart.* 106
Vimius Scotus in Bavaria 12 *Iun.* 596
Vinamannus M. in Suecia 15 *Feb.* 847
Vincentia Martyr 21 *Ian.* 341
Vincentia M. in Africa 1 *Febr.* 37
Vincentia M. in Africa 17 *Ian.* 80
Vincentia M. in Africa 27 *Ian.* 769
Vincentia M. in Africa 26 *Ian.* 708
Vincentia uxor Severi Ravennæ 1 *Feb.* 78
Vincentius Martyr 16 *Apr.* 405
Vincentius alter Martyr 16 *Apr.* 405
Vincentius Martyr 16 *Feb.* 867
Vincentius M. in Africa 20 *Apr.* 748
Vincentius M. in Africa 27 *Ian.* 769
Vincentius M. in Africa 9 *Ian.* 567
Vincentius M. in Africa 11 *Ian.* 666
Vincentius M. in Africa 16 *Feb.* 864
Vincentius M. in Africa 13 *Ian.* 767
Vincentius M. Aginni 9 *Iun.* 164
Vincentius M. Carthagine 11 *Febr.* 513
Vincentius M. Caucoliberi 19 *Apr.* 620
Vincentius M. Cortonæ 16 *Maii* 572
Vincentius M. in Creta 25 *Maii* 25
Vincentius M. Gerundæ 22 *Ian.* 399
Vincentius Ab. M. in Hiſp. 11 *Mart.* 60
Vincentius M. in Italia 12 *Febr.* 581
Vincentius M. Lugduni 2 *Iun.* 168
Vincentius Ep. M. Mevaniæ 6 *Iun.* 623
Vincentius M. in Portu Rom. 24 *Maii* 281
Vincentius Theſſalonicæ 1 *Iun.* 48
Vincentius M. in Tuſcia 25 *Maii* 24
Vincentius Ep. Fulginii 24 *Maii* 296
Vincentius Ep. Teate 6 *Iun.* 639
Vincentius Ep. Tricaſſ. 4 *Febr.* 480
Vincentius Lerinen. Pr. 24 *Maii* 284
Vincentius Ferrerius O. Pr. 5 *Apr.* 475
Vincentius Diac. Cæſaraug. 22 *Ian.* 393
Vindemialis Ep. M. in Africa 1 *Maii* 270
Vindemialis Ep Conf. 1 *Maii* 270
Vindemialis Ep. Afer Tarviſii 8 *Iun.* 179
Vindemialis Ep. Veronæ 28 *Febr.* 729
Vindeus M. Antiochiæ 26 *Apr.* 415
Vindicianus Ep Cameraci 11 *Mart.* 75
* Vindricus Ab. Tulli 9 *Mart.* *4 *d*
Viola V. & M Veronæ 3 *Maii* 383
Vippia M. Romæ 28 *Maii* 746
Vircus M. 26 *Mart.* 619
Virgilius Aëp. Arelate 5 *Mart.* 399
Virgines Canonicæ VII MM. 9 *Apr.* 820
Virgines MM. tres ex Chio 9 *Iun.* 164
Virgines Interamnenſes MM. 14 *Apr.* 211
Virgines VII MM. Sirmii 15 *Maii* 455
Virgines V Sirmii MM. 9 *Apr.* 819
Virianus M Romæ 3 *Iun.* 287
Virianus M. Tiferni 1 *Iun.* 58
Virtunia M. Mediolani 6 *Maii* 101
Viſſia V. M Firmi 12 *Apr.* 81
Vitalianus M. in Africa 10 *Ian.* 60
Vitalianus M. Spoleti 14 *Febr.* 746
Vitalianus Papa Romæ 27 *Ian.* 779
Vitalica M. Romæ 2 *Iun.* 209
Vitalicus M. in Africa 7 *Maii* 136
Vitalina V. apud Arvernos 21 *Febr.* 245
Vitalis Martyr 12 *Apr.* 80
Vitalis Martyr 11 *Apr.* 13
Vitalis Martyr 20 *Iun.* 8
Vitalis M. Abulæ 6 *Febr.* 768
Vitalis M. in Africa 9 *Ian.* 567
Vitalis M. in Africa 19 *Ian.* 229
Vitalis M. in Africa 11 *Feb.* 510
Vitalis M. in Africa 23 *Apr.* 164
Vitalis M. Alexandriæ 21 *Apr.* 843
Vitalis M. Byzantii 8 *Maii* 291
Vitalis M. Lugduni 2 *Iun.* 160
Vitalis M. Peruſii 29 *Apr.* 616
Vitalis M. Ravennæ 28 *Apr.* 462
Vitalis M. Romæ 14 *Feb.* 743
Vitalis M. Romæ 23 *Apr.* 165
Vitalis M. Smyrnæ 9 *Ian.* 567
Vitalis M. Spoleti 14 *Feb.* 746
Vitalis Conf. Spoleti 21 *Ian.* 341
Vitalis Ab. in Gallia 7 *Ian.* 389
Vitalis Hieroſolymis 2 *Ian.* 82
Vitalis Ab. Ord. Baſil. 9 *Mart.* *26
Vitalis à Baſtia 3 O. S. Franc. 31 *Maii* 475
Vitalius M. Corcyræ 28 *Apr.* 461
Vitalius Mon. Alexandriæ 11 *Ian.* 702
Viticus M. Nicomediæ 8 *Iun.* 56
Vitus M. in Africa 26 *Apr.* 415
Vitus M. Cæſareæ 21 *Maii* 5
Vitus M. Nicomediæ 20 *Ian.* 297

Vitus M Romæ 29 *Maii App.* 855
Vitus Siculus M. Romæ 15 *Iun.* 1013. *App.* 137
Vitus M. Sirmii 2 *Ian.* 80
Vivaldus Erem. in Etruria 1 *Maii* 160
Viventia V. Coloniæ Agrip. 17 *Mart.* 604
Viventius Presb. in Burgundia 13 *Ian.* 803
Vivinus M. Epheſi 14 *Iun.* 797
Vius Ep. in Armorica 15 *Iun.* 1058
Ulboldus Fund. Ciſterc. in Friſia 26 *Ian.* 690
Ulfridus M. in Suecia 18 *Ian.* 210
Ulfricus Pr. Erem. in Anglia 20 *Febr.* 226
Ulgiſus Ep. Ab. Lobienſis 4 *Feb.* 498
* Vlodimirus Princeps Bulgariæ 22 *Maii* 126
Ulphia V. Ambiani 31 *Ian.* 1121
* Ulphius M. in diœc. Trecen. 22 *Ian.* 388 *c*
* Ulpho maritus S. Birgitte 12 *Febr.* 574
Ulpianus M. Tyri 3 *Apr.* 250
Ulpius M. Lugduni 2 *Iun.* 160
Ulricus Presb. Erem. in Anglia 20 *Febr.* 226
Ultanus Ab. in Belgio 1 *Maii* 118
Unamannus M. in Suecia 15 *Febr.* 847
Vodalus cogn. Benedictus Sueſſion. 5 *Febr.* 690
* Volferius Ep. Viennæ Gall. 16 *Mart.* 416
Volkerus M. in Holſatia 7 *Mart.* 653
Voluſianus Ep. Turon. M. 18 *Ian.* 194
Voluſus M. Alexandriæ 21 *Mart.* 259
Volutianus M. Alexandriæ 21 *Mart.* 259
Vonecta Martyr 19 *Mart.* 27
Votus Erem. Pignaten. 29 *Maii* 58
Vonga Ep. in Armorica 15 *Iun.* 1058
Uranius Martyr 4 *Mart.* 310
Urbana M. Nicomediæ 22 *Febr.* 189
Urbana M. Romæ 2 *Iun.* 209
Urbana alia M. Romæ 2 *Iun.* 209
Urbanæ duæ MM. Romæ 19 *Maii* 308
Urbana I, II, III, IV MM. Theſſal. 1 *Iun.* 48
Urbanus Papa M. 25 *Maii* 5
Urbanus Martyr 2 *Maii* 179
Urbanus Puer M. cum Babyla 24 *Ian.* 569
Urbanus Martyr 6 *Apr.* 538
Urbanus M. in Africa 8 *Mart.* 757
Urbanus M. in Africa 4 *Maii* 460
Urbanus M. in Africa 2 *Febr.* 286
Urbanus M. in Africa 24 *Apr.* 265
Urbanus M. Ancyræ 23 *Iun.* 471
Urbanus M. Cæſar Auguſtæ 16 *Apr.* 406
Urbanus M. CPoli 18 *Maii* 170
Urbanus M. Nicomediæ 29 *Apr.* 616
Urbanus M. Romæ 3 *Iun.* 287
Urbanus M. Romæ 25 *Maii* 5
Urbanus M. Theſſalonicæ 2 *Apr.* 67
Urbanus M. Roman. Catalauni 25 *Maii* 5
Urbanus Ep Lingon. 23 *Ian.* 491
Urbicius Ep. Meten. 20 *Mart.* 86
Urbicius Ab. in Gallia 3 *Iun.* 298
Urbicus M. Romæ 5 *Iun.* 422
Urbicus Ep. Claromont. Gall. 3 *Apr.* 251
Uroria M. Romæ 28 *Maii* 746
Urpaſianus M. Nicomediæ 13 *Mart.* 259
Urſicinus M. Podii 1 *Feb.* 204
Urſicinus M. Ravennæ 19 *Iun.* 809
Urſicinus Ep. Ticinen. 21 *Iun.* 69
Urſinus M. Alexandriæ 31 *Ian.* 1080
Urſius in Agro Vicentino 3 *Maii* 426
Urſmarus Ep. Ab. in Belgio 18 *Apr.* 557
Urſulina V. Parmæ 7 *Apr.* 723
Urſus M. in Africa 23 *Apr.* 164
Urſus M. Nicomediæ 20 *Ian.* 297
Urſus Ep. Fani 15 *Maii* 502
Urſus Ep. Ravennæ 13 *Apr.* 131
Urſus Presb. Auguſtæ Prætoriæ 1 *Feb.* 97
Ururia M. Theſſalon. 1 *Iun.* 48
Uſthazanes nutritius Regis Saporis 21 *Apr.* 844
Utus M. in Africa 24 *Mart.* 479
Ulfrannus Ep. Senonen 20 *Mart.* 143
Uxor Cratonis M. Romæ 15 *Feb.* 822

W.

WAccarus Mon. M. in Friſia 5 *Jun.* 452
Walaricus Ab. in Picardia 1 *Apr.* 14
Walabonſus Diac. M. Cordubæ 7 *Jun.* 37
Walbertus Com. in Hannonia 11 *Maii* 633
Walburgis V. Ab. Heidenhemii 25 *Feb.* 511
Waldebertus Ab Luxovii 2 *Maii* 274
Waldetrudis Abb. Mont. Hannoniæ 9 *Apr.* 829
Waldrada Abb. Metis 5 *Maii* 51
* Waldricus Ep. Lauduni M. 25 *Apr.* 343
Walericus Erem. in Gallia 10 *Jan.* 617
Walfridus Ab. in Etruria 15 *Febr.* 842
Walherus Paſtor M. 23 *Jun.* 613
* Wallonus Ab. in Scotia 3 *Maii* 360
Walterus Pr. M. in Friſia 5 *Jun.* 452
* Walterus Ab. in Bavaria 17 *Maii* 3
* Walterus Ab. Viconii 15 *Mart.* 373
Walterus de Birbeke O. Ciſterc. 22 *Jan.* 447
* Waltmannus Ab. Antverpiæ 15 *Apr.* 370
Walus Miles M 2 *Febr.* 309
* Wamba Rex Hiſpaniæ 14 *Jan.* 993 *f*
Wambertus M. in Normannia 26 *Jun.* 225
* Wando Ab. Fontanellæ 17 *Apr.* 476
Waningus Fund. Fiſcanen. 9 *Jan.* 590
Warſanopha M. in Ægypto 4 *Jun.* 379
Wedegundis ſeu Redegundis V. 29 *Jan.* 975
* Wederadus Ab Fuldæ 16 *Jun.* 3
* Wenceſlaus Pius Rex Bohemiæ 21 *Jun.* 65 *f*
Wereburga V. in Anglia 3 *Febr.* 384
Werinhartus Miles M. 2 *Febr.* 309
Wernherus Puer M. Weſaliæ 19 *Apr.* 697
* Wernherus Ep Merſeburg. 11 *Jan.* 664 *a*
* Wernherus Mon. Hemmerod. 19 *Apr.* 68
Wiborada V. M. in Helvetia 2 *Maii* 282
Wibrandis V. Peregr. Conſtantiæ 16 *Jun.* 114
Wicterpus Ep. Auguſtanus 18 *Apr.* 547
* Wideradus Ab. Fuldæ 16 *Jun.* 3 *b*
Wigmannus M. Ebbeckeſdorpien. 2 *Feb.* 309
Wiho Ep. Oſnabrugi 20 *Apr.* 762
Wilfridus Aëp. Eboracen. 24 *Apr.* 292
Wilfridus II Ep. Eboracen. 29 *Apr.* 626
* Wilgiſus Ep. Moguntiæ 18 *Apr.* 521
* Wilicarus Ep. Viennæ Gal. 14 *Apr.* 200
Wilielmus Puer M. in Anglia 25 *Mart.* 588
Willielmus Aëp. Eboraci 8 *Jun.* 136
Wilhelmus Ab. in Dania 6 *Apr.* 620
Wilhelmus Gallonen. 28 *Maii* 809
* Willericus Ep. Bremæ 4 *Maii* 431
Willeicus Presb. ad Rhenum 2 *Mart.* 148
* Winebaldus M. Monachii 25 *Maii* 3
Winebaudus Ab. Trecis 6 *Apr.* 572
Wintrungus Pr. M. in Friſia 5 *Iun.* 452
Winwaloëus Ab. in Brit. Arm. 3 *Mart.* 245
* Wipertus Ep. Raceburgi 23 *Maii* 234
Wiro Ep. Ruremundæ 8 *Maii* 309
Wiſtanus nobilis in Anglia 1 *Jun.* 85
Wiſtremundus Mon M. Cordubæ 7 *Jun.* 37
Witburga V. in Anglia 17 *Mart.* 605
Witeſindus M. Cordubæ 15 *Maii* 509
Wittekindus Dux Weſtphaliæ 7 *Jan.* 380
Wolbodo Ep Leodii 21 *Apr.* 855
Wolfholdus Presb in Bavaria 1 *Feb.* 247
Wolfredus M. in Suecia 18 *Jan.* 210
Wolphelmus Ab. prope Coloniam 22 *Apr.* 76
* Woradus Pr. M. Monachii 25 *Maii* 3

Wulgiſus Ep. Ab. Lobien. 4 *Febr.* 498
Wulphagius Pr. in Pontivo 7 *Jun.* 30
Wulſinus Ep. in Anglia 8 *Jan.* 547
Wulſtanus Ep. in Anglia 19 *Jan.* 238

X.

Antheas M. Sebaſtæ 10 *Mart.* 12
Xene Martyr 18 *Jan.* 190
Xene ſive Euſebia V. in Caria 24 *Jan.* 598
Xenophon & Maria Jeroſol. 26 *Jan.* 723
Xyſtus M. in Syria 15 *Jan.* 824

Y.

Sicius Miles M. Doroſtori 15 *Jun.* 1049
Yſicus M. in Africa 9 *Mart.* *3
Yſicus M. Carthagine 11 *Mart.* 54
Yvo Ep. Perſa in Anglia 10 *Jun.* 287
Yvo Presb. in Brit. Armor. 19 *Maii* 537

Z.

Acharias M. Nicomediæ 10 *Jun.* 273
Zacharias Ep. Viennæ M. 27 *Maii* 659
Zacharias PP. Rom. 15 *Mart.* 406
Zacharias Patriarcha Hieroſol. 21 *Febr.* 247
Zacharias Pr. Lugdun. 2 *Jun.* 160
*Zacharias O. Min. 3 *Feb.* 318
Zacharias Recl. apud Græcos 24 *Mart.* 482
Zaderus M. Byzantii 8 *Maii* 291
Zama Epiſc. Bonon. in Ital. 24 *Jan.* 591
Zambdas Ep. Jeroſol. 19 *Feb.* 129
Zanitas M. Perſa 27 *Mart.* 691
Zebellus M. in Iſtria 24 *Maii* 277
Zebinas Anachor. in Syria 23 *Feb.* 377
Zabinus M. Romæ 12 *Jun.* 507
Zeddinus M. Cordubæ 27 *Jun.* 252
Zeddonus Presb. M. 13 *Mart.* 261
Zenais matrona CPoli 6 *Jun.* 621
Zenais Thaumaturga CP. 6 *Jun.* 621
Zenas M. in Arabia 23 *Jun.* 474
Zeno Martyr 4 *Maii* 471
Zeno M. cum Aſterio 18 *Jan.* 190
Zeno M. in Ægypto 15 *Jan.* 997
Zeno M. in Africa 23 *Febr.* 362
Zeno M. in Africa 10 *Apr.* 860
Zeno M. in Aſia 23 *Febr.* 363
Zeno M. Antiochiæ 15 *Febr.* 821
Zeno M. in Arabia 23 *Jun.* 474
Zeno M. in Bulgaria 9 *Maii* 363
Zeno M. in Bulgaria 10 *Maii* 557
Zeno M. Corcyræ 28 *Apr.* 461
Zeno M. apud Græcos 5 *Apr.* 599
Zeno Ep. M. in Lydia 27 *Apr.* 486
Zeno M. Nicomediæ 20 *Apr.* 747
Zeno M. Romæ 14 *Febr.* 743
Zeno M. Roman. Bononiæ 14 *Feb.* 745
Zeno Ep. Veronæ 12 *Apr.* 69
Zeno Anach. in Ægypto 19 *Jun.* 853
Zeno Mon. juxta Antiochiam 10 *Feb.* 390
Zeno Conf. apud Græcos 3 *Mart.* 241
Zeno Diac. Bajocis 16 *Maii* 618
Zeno apud Græcos 12 *Jun.* 556
Zenobius Ep. Florentiæ 25 *Maii* 49
Zenon M. Alexandriæ 1 *Jun.* 31
Zeon M. in Numidia 30 *Apr.* 745
*Zeofricus Ep Oxoniæ 26 *Apr.* 408
Zertulus vel Tertulus M. in Africa 19 *Jan.* 219
Zethas Martyr 28 *Feb.* 724
Zetula M. Romæ 3 *Jun.* 287
Zetula M. Tarſi 10 *Maii* 557
Zetulus M. in Pamphilia 28 *Maii* 744
Ziddinus M. in Numidia 10 *Jun.* 267
Zimius Pr. Scotus in Bavaria 12 *Jun.* 596
Zita V. Lucæ 27 *Apr.* 497
Zocus Presb. M. Antiochiæ 15 *Feb.* 821
Zoë M. in Pamphilia 2 *Maii* 177
*Zoë meretrix converſa 13 *Febr.* 643
Zoëlus M. in Iſtria 5 *Jun.* 423
Zoëli duo MM. in Syria 24 *Maii* 282
Zoilus M. in Africa 30 *Jun.* 573
Zoilus M. Cordubæ 27 *Jun.* 252
Zoilus Perſa M. 13 *Apr.* 130
Zoilus Confeſſor 3 *Mart.* 241
Zonus Ep. M. Alexandriæ 12 *Mart.* 105
Zoniſus M. Theſſalonicæ 2 *Apr.* 67
Zoſimas Presb. Mon. 2 *Apr.* 67
Zoſimus Mon. M. 3 *Jan.* 128
Zoſimus M. in Africa 3 *Mart.* 227
Zoſimus M. Antiochiæ 1 *Jun.* 42
Zoſimus M. Antiochiæ 15 *Febr.* 821
Zoſimus M. cum Aſterio 18 *Jan.* 190
Zoſimus M. Carthagine 11 *Mart.* 54
Zoſimus M. Lugduni 2 *Jun.* 160
Zoſimus M. Nicomediæ 13 *Mart.* 260
Zoſimus miles M. in Piſidia 19 *Jun.* 812
Zoſimus M. in Scythia 3 *Apr.* 244
Zozimus Ep. in Ægypto 24 *Jan.* 607
Zoſimus Ep. Syracuſis 30 *Mart.* 837
Zotica M. Alexandriæ 24 *Apr.* 265
Zoticus Martyr 1 *Febr.* 47
Zoticus Martyr 11 *Febr.* 510
Zoticus M. in Ægypto 9 *Feb.* 294
Zoticus M. in Ægypto 18 *Jan.* 188
Zoticus M. in Ægypto 12 *Jan.* 725
Zoticus M. in Africa 30 *Jun.* 573
Zoticus M. in Africa 6 *Jun.* 632
Zoticus M. in Africa 12 *Jan.* 725
Zoticus M. Alexand. 12 *Feb.* 580
Zoticus M. Alexandriæ 31 *Jan.* 1080
Zoticus M. Cæſareæ Cappad. 8 *Jun.* 57
Zoticus M. Lugduni 2 *Jun.* 160
Zoticus M. in Lydia 23 *Apr.* 486
Zoticus M. Neapoli 13 *Jan.* 767
Zoticus M. Nicomediæ 20 *Apr.* 747
Zoticus N. Noviduni 4 *Jun.* 377
Zoticus M. Romæ 10 *Feb.* 380
Zoticus M. Tomis 27 *Maii* 679
Zuwarda V. M. Dordraci 10 *Feb.* 430

MARTYROLOGIA
HIERONYMIANA CONTRACTA

Ex MSS. Codicibus recenſuit
Idem, qui USUARDUM illuſtravit,

JOANNES BAPTISTA SOLLERIUS.

Editoris Præfatio.

NON diſplicuiſſe eruditis antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudioſis noſtrum in illuſtrando Uſuardi Martyrologio conatum, habeo, quæ proferre poſſim, plurimorum teſtimonia; nec pauciora aut minus expreſſa, de probata Martyrologorum geneſi atque progenie in operis iſtius præfatione expanſa deductaque. Primum omnium & vetuſſimum & ceterorum caput aut ſtirpem, Hieronymianum eſſe, nemo hodie in dubium revocaverit. Placuit igitur inter alia conſpectus ille variorum Martyrologiorum quantumvis contractorum, à primo illo ſtipite profluentium, de quibus cap. I, art. I, § 2 curſim egimus, plura pollicentes, ſi ſpecimen ibi exhibitum curioſis harum rerum ſcrutatoribus arriſiſſet. Arriſit omnino, idque ſtimulum non mediocrem addidit, quò datam ibi fidem quantocius liberarem, tametſi proſecutio operis, ſeu menſis Julius illuſtrandus tantum laboris ſuppeditaret, ut vix quidquam otii reliquum fieret, ad vetuſta illa cimelia pro merito eruderanda. Repertus eſt modus, quo utrique debito fieret ſatis; nimirum & promovendo operi, & Hieronymianis nonnullis recenſendis, quibus in altera Supplementi Junii parte opportunum locum ſupereſſe animadvertebam. Hac itaque occaſione uſus, præcipua quædam ſelegi utriuſque ordinis, nempe priora magis pura & integra, paucioribuſque aut Sanctis aut elogiis interpolata & aucta; tum vero ex multis unum, variis Bedæ aut Flori elogiis hinc inde amplificatum, ut infra de ſingulis ſeorſim erit exponendum.

2 Præmitti hîc velim ex dicta præfatione Uſuardina totum articulum ad Hieronymiana ſpectantem, ne repetenda ſint, quæ ibi ſatis explicata exiſtimo. Plura ſiquidem eo loco contractiora Hieronymiana enumeravi, ſuis characteribus eò ſaltem uſque diſtincta, ut modo exempla, quæ jam edimus, præ oculis ſint, ac cum Gellonenſi, quod Spicilegii tomo XIII vulgavit Acherius, & cum Variantibus Additionibuſque aliorum ibi ſubjunctorum, conferantur, idea ſatis genuina & propria haberi poſſit, ad ferendum judicium de quibuſcumque aliis id genus Martyrologiis, quæ ad Hieronymianorum claſſem reducuntur. Monendus ſemper lector, horum Martyrologiorum ſtylum, modum, ſymmetriam, totumque ordinem, ad eorum fontes, ſcilicet vetuſtiſſimum Epternacenſe, Lucenſe, Corbeienſe & Blumianum apud Florentinium exploranda, cujus commentarii, annotationes, exercitationes hiſce brevioribus æque ac majoribus iſtis planiſſime ſubſerviunt; ut proinde actum agere, aut multas hîc obſervationes congerere ſupervacaneum ſit; præterquam

terquam quod de Sanctis priorum ſex menſium in Actis abunde dixerimus, reliquis vero operoſius explanandis, proprius in altero ſemeſtri locus ſuperſit. Id tamen neceſſarium duximus, nonnulla hîc præfari & explicare, quæ harum rerum minus peritos nata ſunt offendere, ne ſi hac luce careant, ſpernenda putent, omni æſtimatione & veneratione digniſſima monumenta, quòd manca, mutila, corrupta, luxata & ſcabroſa videantur tum in locorum, tum in Sanctorum nominibus turpiter paſſim tranſpoſitis aut mutatis, quemadmodum à Bollando, Henſchenio, Florentinio, & in citata jam Uſuardina præfatione ex profeſſo expoſitum eſt.

3 Aſſueſcant, obſecro, curioſi lectores incondito, barbaro & horrido amanuenſium ſcribendi modo, eorumque negligentiæ, oſcitantiæ, ſocordiæ ignoſcant, tametſi tranſlati & repetiti, tribus ſæpe aut pluribus diebus Sancti, nunc ſoli, tum ſociis juncti, aliàs non modice deformati repræſententur. Propria hæc quodammodo ſunt ſeculorum iſtorum ignorantiæ, quæ non minus in Hieronymianis majoribus, quam in hiſce contractis omni prope Sanctorum laterculo elucent. Turbationibus illis cauſam aut occaſionem dederunt tum repetitæ toties tranſcriptiones, tum maxime abbreviationes pro variorum arbitrio, dicam, an inſcitia, efformatæ, ſubinde ab aliis perperam correctæ, tum tranſpoſitæ, poſtea amplificatæ, demum rurſus contractæ, unde ex eodem nomine diverſa promanarunt. Exemplo ſint *Al.* quod pro *Alibi* poſitum, forte in *Ab* mutatum, codex Gellonenſis ſæpenumero in *Abbatis* vel *Abbæ* ridicule vertit, ut videſis ſolo menſe Martio, XIII, XVI, XXIII, XXIV, XXVI. Ad eumdem modum *Nic.* ab aliis pro *Nicomedia*, ab aliis pro *Nicea* acceptum, *Alex.* vel *Alexand.* modo locum ſeu poſitionem *Alexandriæ*, modo Martyris nomen *Alexandri*; *Af. Africæ*, *Afri*, *Afræ*, *Ant. Antiochiam* vel *Antiſiodorum*; *Arv*, *Arvernis*, vel *Arvennis* educendi anſam librariis præbuere; ut pluribus locis contingit; quibus totidem alia vitioſiſſime expreſſa adjungere liceret, uti & tetricas eorumdem Sanctorum repetitiones ac tranſpoſitiones, niſi præfationis limites prætervehi vereremur: tam obvia ſunt tum in laterculis Florentinianis, tum in his noſtris, ut nullo non die in oculos continuo incurrant.

4 At vero nec ſeculorum, quibus laudata Martyrologia ſcripta ſunt, barbaries, nec librariorum ſeu amanuenſium pingendi imperitia, ſtupiditas & incuria quidquam detrahunt iſtiuſmodi monumentorum auctoritati & venerationi; utpote quæ vetuſtiſſima atque evidentiſſima ſunt, tum cultûs Sanctorum in Eccleſia perpetui, tum ritûs eoſdem quotidie invocandi honorandique argumenta, ut alibi ſæpius demonſtratum eſt. Singulorum codicum juſtam ætatem accuratius figere, aut ſcrupuloſius determinare, nec vacat, nec vero ſatis obvium eſt. Remotiſſimam vetuſtatem ſpirat ipſe annuntiandi modus, per ſola Sanctorum, ſæpius per poſitionis ſeu locorum nomina, ut pridem ex notiſſima S Gregorii ad Eulogium Alexandrinum epiſtola explicuere Majores noſtri, Florentinius, & nos in ſæpe dicta ad Uſuardum præfatione. Quod autem ſeculis quandoque poſterioribus ſcripta eſſe, ex recentiorum Sanctorum appoſitione pateſcat, id ceterorum antiquitati nequaquam præjudicat, cum pro variis locis, ubi uſitata fuerunt, aut pro deſcribentium guſtu, adjecta tantummodo ſint paucula nomina, nonnumquam alio charactere diſtincta, aut adoptati loquendi modi, quæ omnia, ut facile dignoſcuntur, ſic antiquiores textus minime inficiunt. Inverſa nomina ad marginem aliquando correxit Acherius: cœperam & ego notulas hinc inde adjicere, aut textui correctiones inſerere; verum inutilis ferme viſus eſt labor, cum ex codicum inter ſe collatione, occurentia ſphalmata lector ipſe ſuo marte poſſit reſtituere, & non ſine aliqua voluptate in ea diſquiſitione verſari, nonnulla detegendo, quæ intellectum oblectent atque ad plura examinanda alliciant.

5 Unum fortaſſe moroſioribus hominibus diſplicere poſſit, quod nimirum plura unius prope formæ Martyrologia hîc publicemus, eaque talia, ut à Gellonenſi quod Acherius primum edidit, non magnopere differant; quorum proinde variantes lectiones ſatis fuiſſet adducere, ut ipſe ibidem præſtitit, alios codices cum præfato Gellonenſi conferendo. Siqui tales reperiantur; ii ſibi reſponſum habeant, I. Pluris apud me eſſe curioſorum id genus cimelia expetentium deſiderium. II. Non omnibus ad manum eſſe Acherianum Spicilegium. III. Et quamquam in promptu fuerit, adeo diverſa eſſe Martyrologia noſtra, ut in iis recenſendis nec laboris me pœniteat, nec alium lectionis merito tædere poſſit. Adde quod in multis præſtantiora hæc ſint Gellonenſi, ut ex pluribus mox perſpicies. IV. Intelligant, variantes colligi non potuiſſe, niſi hîc denuo ederetur Gellonenſe, quod ab inſtituto noſtro alienum erat. Ceterum ne integra deficiant, neve plura edendo, ſæpius eadem reproducere videamur, ſena dumtaxat exempla exhibebimus, ad quorum normam, tum reliqua noſtra, tum alia ejuſdem generis revocanda eſſe, ex paulo longiori ſpecimine, ad hujus opuſculi calcem, manifeſte patebit. Nunc proprios ſæpe dicti Martyrologii Gellonenſis characteres præmitto; idem de noſtris ex ordine facturus, ut de ſingulorum merito & pretio facile ſtatuatur.

DE

DE MARTYROLOGIO GELLONENSI.

Ex editione Acherii tomo XIII à pag. 388.

6 AD lectorem sic loquitur editor num. v.: *Martyrologium Gellonense, sive monasterii S. Guillelmi de deserto, O. B. diœcesis Lutevensis, pervetustum, ineunte scilicet seculo nono, anno circiter* DCCCIV *conscriptum, extat in fine libri Sacramentorum, ex Gelasiano & Gregoriano compositi ab Albino Alcuino, uti refert Hariulfus ..... Porro Martyrologium Gellonense contulimus cum Martylogio Hieronymiano San-Remigiano MS. & aliis, ac variis lectionibus excerptis ex duobus manu exaratis Martyrologiis antiquis, uno monasterii S. Galli in Helvetia, altero anonymi, quæ V. Cl. Stephanus Baluſius manu ſua deſcripſit, & nobis perhumaniter ſuo more conceſſit.* Recte censuerunt viri illi doctissimi, pretiosa esse & luce dignissima, tum alia ista Martyrologia, tum Gellonense, quamvis brevius & locis aliquibus mutilum, tamen antiquitate sua venerandum; quale etiam eruditis omnibus & id genus cimeliorum æstimatoribus semper visum est. Idque adeo Castellanum pridem impulerat, ut, qui plura ejusdem Mattyrologii exemplaria in Museo nostro exstare compererat, nos ad eadem evulganda toties & tanta contentione excitaret. Vicit ipsius aliorumque eruditorum amicorum auctoritas, tanto facilius, quod nostra illa, cum Gellonensi comparata, tametsi fortasse antiquiora non sint, aliis certe titulis ipsum superent, ut ex singulorum cum eo collatione curiosus lector intelliget.

7 Signatam supra ab editore codicis ætatem nec improbo nec impugno; qualescumque sint adductæ ab eo notæ, equidem pro indubitato habeo, non posse non esse antiquum, quod Hieronymiana methodo & ratione dispositum est. Solum adverti, unicum esse locum XIV Decembris: *Dedicatio Basilicæ sancti Salvatoris in Gellone,* unde codici isti appellatio indi potuerit, *Gellonensis*, cum argumentis pluribus educi posse videatur, spectasse olim ad Resbacense cœnobium, à S. Audoëno Rothomagensi archiepiscopo in diœcesi Meldensi fundatum. Habe in eam rem textus varios. Sic lego XXV Junii: *Rarbacis* [pro *Rasbacis*] *monasterio, dedicatio ecclesiæ sancti Audoëni episcopi.* Argumentum in hoc genere convincentius nemo desideret. Habe aliud ex XXVI Augusti: *Rabasc. mn .... sancti Quutuaierdi mart.* Rursus XXX Augusti: *Rabascis monasterio, depositio Agili abbatis.* Pluribus opus non est, sed quæ hîc obiter notasse sufficerit; de voce aut nomine contendere non lubet; mihi sus deque est sive Resbacense sive Gellonense nuncupetur prædictum Martyrologium, è re nostra est, alias ejus proprietates observare.

8 Præter corrupta, inversa, truncata, luxata, tum locorum, tum Sanctorum nomina, quod omnibus convenire sæpius monuimus, illud huic codici peculiare, quod in frequentissimis textibus, nec unum locum exprimat, ad quem enumerati Sancti pertineant. Ne singula cum lectorum tædio recenseam; solo mense Februario, à die XII usque ad finem, non nisi quater locum designat; quod ineluctabili confusioni obnoxium esse, nemo non percipit. Non diffitebor, idem quandoque in nostris & vel in ipsis Florentinianis recurrere, verum longe rarius, ut saltem in hac parte, aliis multo defectuosius sit prædictum Gellonense. Aliud invenio, ab Hieronymiano stylo abhorrens, quòd verbo supra indicabam, inter mera Sanctorum martyrum nomina toties interseri titulum *abbatis*, ubi legendum est *alibi.* Plures *octavas*, v. g. S. Martini, & alias habet, quam in nostris reperiam, ex quo non inepte quis argueret, fallere ætatis notam ab Acherio assertam. De hoc alibi disputavimus. Martii die IV, præter alios codices omnes legit: *Adriani episcopi ordinatio.* XIX Augusti signatur: *Reversio sanctæ Crucis*, quæ in nostro Labbeano ad marginem posita est. Utrum hæc omnia prædictæ epochæ ab Acherio adscriptæ nihil officiant, quærere supersedeo; mihi satis antiquum est, ut iterum dicam, quidquid Hieronymianum est, aut Hieronymianorum codicum stylum sapit, qui in hoc & in nostris exemplaribus se prodit manifestissimè. Jam ad editionem nostram accedamus.

DE MARTYROLOGIO RHINOVIENSI.

9 EX Hieronymianis majoribus solum Epternacense viderat Bollandus dum Januarium ederet; ex contractioribus unicum hoc Rhinovienſe, de quo in Præfatione generali sic meminit: *Aliud quoque Martyrologium perbreve & mutilum, sed cum illo Trevirensi sive Epternacensi consentiens, quod olim Rhinovienſis juxta Basileam cœnobii fuit, reperi in Rosweydi schedis.* Porro ex eodem tredecim primos Januarii dies, speciminis gratiâ, descripsit; ego pluscula ad ipsum codicem seu fragmentum membraneum spectantia explicui num. 27 Præfationis Usuardinæ, quibus hîc reliqua addo ex laudata ibidem epistola nostri Stephani Viti, sic Rosweydum alloquentis: *Gratissimum scio munusculum, ere-*

ptum de incendio torrem, fragmenta veteris Martyrologii (multo antiquioris, nisi me fallant manus & notæ, quam sit vestrum Romanum vetus evulgatum) quod incipit à die natalis Jesu Christi in terris. Sunt tredecim folia, in forma 8 *majore, membranæ, boni characteris prisci, quamvis ob nimiam senectam non raro fugientis & evanidi. Desunt .... cetera talia sunt, ut vestris oculis placitura; nisi forte ..... displiceat ad ix Kal. Maii: In Persida, nat. S. Mathei Apostoli & Euangelistæ; pro, Romæ, Joannis ante portam Latinam. Nam idem istud meum fragmentum diserte rectèque sic ad xxi Septembris: In Persida, nat. S. Mathei Apostoli & Euangelistæ; & xi Kal. Sept. Romæ, Timothei, discipuli S. Pauli Apostoli: male dies, mensis, locus.* Hactenus Vitus, necdum Martyrologiis istiusmodi versandis assuetus.

10 Etenim in adductis exemplis nihil singulare habet hoc Rhinovienſe Martyrologium, quod aliis Hieronymianis, etiam majoribus, satis commune non sit, de quibus tunc temporis haud quidquam noverat laudatus Vitus, cetera vir doctissimus. Neque certior est ejus conjectura de tempore, quo Rhinovienſe scriptum fuerit, quod an Romano parvo antiquius sit, definire non ausim. Annuntiatio *Assumptionis sanctæ Mariæ* xv Augusti, remotissima secula non redolet; nec forte adeo vetusta sunt, quæ duobus sequentibus diebus signantur. Augusti xvi: *Dedicatio ecclesiæ Mariæ Insula.* Item xvii: *Dedicatio oratorii sancti Johannis Baptistæ in Insula. Margaretam* xv Julii manu recentiori adjectam, alio charactere distinximus, uti & i Septembris: *Verenæ virginis.* Quod & factum in *Depositione sancti Benedicti abbatis* xi Julii, quantum colligere licet, adjectitia, quamquam in aliis nostris prima manu referatur. De cetero pauciſſima habet præfatus codex, quæ ex antiquissimo aliquo decerpta non sint, ut proinde & ipse antiquissimus appellari mereatur; istis nihil vitii est relictum, quin & sit idem huic, præter mutila verba aut evanida, quæ recte observavit Vitus. Lucem modicam hinc inde asperſimus, sed quæ cum originali textu non facile confundatur, utpote hamulis suis inclusa. Non minus recte fragmentum vocavit Vitus, in quo nimirum *desunt folia ab* viii *Kal. Februarii usque ad* xiv *Kal. Aprilis; & à* xxvii *Septembris, ad usque Decembris* xxiv. Passim convenit cum proxime sequenti Richenovienſi, quod tamen plenius est, & locis nonnullis auctum, ut statim declarabimus.

DE MARTYROLOGIO RICHENOVIENSI,

Sive Augiæ divitis prope Constantiam.

11 QUemadmodum cognata sunt monasteria Rhinovienſe & Richenovienſe, sic affinitatem contraxerunt utriusque loci Martyrologia. De hoc codice pauca notavimus sæpe dictæ præfationis num. 29, diximusque Majores nostros ipsum accepisse anno MDCLI; antiquum esse & notæ optimæ, neque Gellonenſi posthabendum, quamvis hinc inde recentiora Sanctorum, præsertim Germanicorum, nomina adscripta habeat. Absque hoc si foret, ceteris prope omnibus incunctanter præferrem. At superius monui, auctaria paucula ceteris sanis, sinceris & integris fraudi esse neutiquam posse, præsertim cum in distinguendis positionis seu martyrii locis, aliisque accuratius exprimendis excellat. Quæ autographo scriptura posteriori addita erant, ex litteris Italicis dignoscuntur. Verissimum Hieronymianum esse, propriæ characteristicæ satis demonstrant, vel in truncatis inversisque nonnumquam Sanctorum nominibus, iisque non raro sæpius repetitis. Exemplum se offert in ipso principio, dum *S. Stephanus* ponitur loco proprio xxvi Decembris; tum vero i Januarii: *In Oriente, Stephani*: rursus ii Januarii: *Hierosolyma, Stephani*; præterquam quod idem nomen annuntietur xxx & xxxi Decembris. Sed hæc & id genus plura in propatulo sunt; alia observemus, quæ aut ignota sunt lectori, aut eum facilius fugere possunt. Displicet titulus *Sancti*, paulo frequentius, quam Hieronymianis in usu sit, à librario appositus. Reliquas maculas ordine referam, nihil negligens, quo plena &, quantum fieri potest, distincta operis notitia habeatur.

12 Suspicor *Dedicationem ecclesiæ S. Albini martyris* xxx Decembris loci, cujus Martyrologium aliquando fuerit, propriam esse. Transposita aliqua sunt xxvii, xxviii, & xxix Januarii. *Blasius* iii Februarii videtur adjectitius. Ejusdem mensis xiii, scriptoris vitio legitur: *Et Albini, natale ducentorum*, pro, *Et alibi, natale Dicenti.* En stylum recentiorem, xix Martii: *Bethleem, sancti Joseph nutritoris Domini.* Reliqua brevius assignemus. Nescio cur subvirgulata fuerit *translatio* posita ix Aprilis. Eodem mense xxiii est *Adalbertus episcopus* sancto Georgio junctus. Maii i, *Waldburga.* iv Maii, *Gotehardus episcopus.* viii Maii, *inventio basilicæ S. Michaëlis.* Junii v, *Bonifacius.* xvi, *Aureus & Justinus.* Julii iv, *Udalricus.* viii, *Chilianus, Colmanus* &c. xxii, *Maria Magdalene.* Augusti iv, differt textus ab aliis Hieronymianis. v legitur, *Oswaldi martyris.* xv, xvi & xvii, eadem habet, quæ in Rhinovienſi notavimus. Prætereo quæ cursivo impressa sunt. Septembris i, recurrit *Verena.* ix, *Keranus.* xxiii, *Athemananus.* Novembris xii, *Burchartus.* xvi, *Otmarus.* xviii, *Dedicatio ecclesiæ S. Georgii* &c. xxiv, *Gebhardus & Eberhardus.* Demum

mum XXV : *Et in Alexandria, Katherinæ virginis & martyris.* Hæc ſunt præcipua, quæ animadverſione digna exiſtimavi. Conſulto omiſſa ſunt, quæ huc nihil faciebant, tum Dominicales litteræ, tum notæ Epactarum. Ex Paſchali tabula ad calcem adjecta, ab anno MCXXXIX ad MCXLIX, haud obſcure colligitur, eo circiter tempore deſcriptum fuiſſe.

DE MARTYROLOGIO AUGUSTANO
Monaſterii S. Udalrici.

13 SEriem proſequor in MSS. noſtrorum ordine ab Henſchenio diſpoſitam, nullo codicum merito aut præjudicio. Auguſtanum hoc Gellonenſi ſimillimum eſt in prætermittendis aut in Sanctorum nomina mutandis poſitionibus ſeu martyrii locis. Neque in aliis ab eodem deflecteret, niſi cœnobii Germanici, uti præcedens, uſibus quoque aptatum, pauca popularia & recentiora tum admixta, tum ſuperaddita aliquando exhiberet; ac præterea in multis deformatum eſſet, quæ vix reſtitui aut corrigi potuere, quamvis hamulis & parentheſibus ſæpe uſi fuerimus. Pro magna parte Papebrochii manu deſcriptum eſt, tum, opinor, cum per Germaniam in Italiam proficiſceretur, ſocius Henſchenio, cujus etiam calamus apparet. Incipit à Kalendis Januarii, deficitque in IV Novembris. Utrum abbreviationes omnes ſcrupuloſe obſervatæ ſint, fruſtra modo quæſiveris; tertia manus in iis ſupplendis liberalius verſata videtur: licitum nobis putavimus, (quod de aliis etiam noſtris hiſce Martyrologiis dictum ſit) licitum, inquam, putavimus; pro *Al.* ſubſtituere *Alibi*; *Martyris* pro *M*; *Virginis* pro *V*; *Apoſtoli* pro *Apli*; *Epiſcopi* pro *Epi*: & ſiquæ ſunt aliæ ejuſmodi minutiæ, ſervato in ceteris accuratiſſime ſcribendi, imo & nomina invertendi, truncandi, luxandique modo. Codici huic ſingulare prorſus advertet lector, quod in *Vigiliis* notandis, quæ deſunt apud alios, frequentior ſit, neglectis *Octavis* quarum tamen alii meminerunt. Siquis laterculos ſingulos Gellonenſis & Auguſtani hujus componat, non magna in antiquis diſcrimina inveniet; nonnumquam excedunt & exceduntur. Ad XXIV Maii Gellonenſe legit: *Africa, Joannis Apoſtoli*; melius noſtrum, *Epheſo*. En modo reliqua obſervatu digna.

14 Ad codicis commendationem facit, quod *Vigiliam Epiphaniæ*, tum Januarii VIII, *Severini Conf.* (quem & alibi notat,) III Febr. *S. Blaſii.* IV Febr. *S. Helenæ reginæ*, alio charactere diſcernat. Ad textum pertinent, XVII Martii: *Obitus ſanctæ Gertrudis.* XXVII: *Rudperti epiſcopi & conf.* qui XXIV Septembris denuo recurrit. XXIV Aprilis: *S. Quirini martyris.* Idem, ſed aliis verbis quam in Richenovienſi, annuntiatur: *Adventus S. Michaëlis in monte Gargano.* Habet V Junii, *Bonifacios* duos; IX, *Columbam* refert. *Bernabas Apoſtolus*, Hieronymianis ignotus, hodiernum locum obtinet XI Junii. Ejuſdem menſis XXVI refertur *Vigilius epiſcopus.* Julii IV, rubris litteris in autographo ſcriptum erat: *N. S. Udalrici epiſcopi.* VI, *Goari.* VII, *N. S. Willibaldi epiſcopi & conf.* VIII, *Ciliani epiſcopi & ſociorum.* Adjecti ſunt *Filii Felicitatis.* XIII adjungitur: *Margaretæ virginis.* Et XXII, in medio textu: *S. Mariæ Magdalene*, ſed curſivo diſtincta. Quæ III Auguſti refertur, *inventio ſancti Stephani* &c. aliis etiam deeſt, & hîc ſatis diſtinguitur. VII & IX, *Afra & Romanus.* XVI repetitur *Arnulfus*, qui in hoc, Gellonenſi & Labbeano eſt XVIII Julii. Ad I Septembris, *Egidii & Verenæ.* IV, *Erendrude. Gorbinianus epiſcopus.* XXII, aliunde acceſſit determinatus Agaunenſium numerus *ſex millium ſexcentorum ſexaginta ſex*; additurque *Emmeramus. Wenceſlaus* ſuperadditus eſt, uti & *Bavo*, I Octobris. Tum XII: *Dedicatio baſilicæ S. Maximiliani conf* Patentiſſimum vero augmentum præbet XXI Octobris, *undecim millium Virginum*; unde de codicis ætate conjicias, cum in nullo, quod ſciam, vel Uſuardino Martyrologio, ſeculo XII antiquiori, harum Virginum reperiatur memoria, rotundo undecim millium numero expreſſa.

DE MARTYROLOGIO LABBEANO.

15 LAbbeanum appellamus hoc Martyrologium, quod in fronte manu Bollandi adſcriptum ſit: *Miſſum à P. Philippo Labbe*; quodque hactenus notam nullam ſatis certam deprehenderimus, ex qua ſtatui poſſit, cujus olim loci, eccleſiæ vel cœnobii fuerit. Autographum ipſum ad Majores noſtros miſſum fuiſſe, hîc vero tranſumptum, colligo ex charactere plane Belgico, quo exaratum eſt, atque ex correctionibus manu Henſchenii non raro appoſitis. Notavit alicubi Papebrochius, allatum eſſe poſt excuſum diem XX Februarii. Incipit à Natali Domini ſecundum carnem, in quo erravit præfatio Uſuardina; ſed nullis litteris Dominicalibus aut ſignis aliis variegatum eſt. Dies omnes in lato margine extenduntur; *Octavo Kalendas Januarii*, & ſic porro de ceteris, quos in editione ad aliorum normam nos contraximus. Nonnulla ad oram adjecta, ut XV Februarii: *Et dia-*

bolus retro à Domino receſſit. XVIII Martii: *Primus dies ſeculi.* XXVIII Aprilis: *Egreſſio Noë de Arca.* I Maii: *Initium prædicationis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & id genus alia, laterculis à nobis ſubjuncta ſunt, diverſo charactere diſcriminata, quantumvis in Gellonenſi iiſdem litteris expreſſa ſint. De cetero Martyrologium hoc cum præfato Gellonenſi, non minus quam Auguſtanum, imo magis integrè conſonat; in ſignandis poſitionibus ſeu locis martyrii æque deficiens, ut multoties ſanctorum Martyrum nomina coacerventur, quorum nullum, niſi aliorum codicum auxilio, ad certum locum poſſis reducere.

16 Aliud vitii ipſi quodammodo proprium eſt, quod poſitionem *Alexandriæ*, ſæpe in nomen martyris *Alexandri* verterit. Id quidem & in Gellonenſi & in Auguſtano quandoquè invenitur; aſt in hoc noſtro frequentius: ut vide XXI, XXIX & XXX Aprilis. XXVI Junii. VII, XIII, XV, XIX Julii. VIII Septembris &c. Sic III prædicti menſis Septembris ponit *Afri* pro *Africa*: ſimilia obſervabit lector, ſi Martyrologia ſingula inter ſe, & cum Hieronymianis majoribus contulerit. Verum de his aliiſque hujuſmodi tranſmutationibus abunde ſupra diximus. Neſcitur quid velit XVI Januarii: *Fuſſione conf. S. Feriali epiſcopi & martyris.* Primum nomen accipi poſſet pro *Furſeo*, at *Ferreolus* neque Epiſcopus fuit, neque ad eum diem ſpectat. Repetitiones Apoſtolorum & Sanctorum aliorum omnibus communes ſunt; una ſatis inepta III Aprilis, ubi hoc Labbeanum legit: *In Nicea, Thomæ Apoſtoli*; Gellonenſe, *In Nicomedia*: utrobique male: nec magis rectè Auguſtanum: *In India*, ut videre eſt apud Florentinium & in Actis citato die. Maii I die, non ſatis pura ſunt omnia, & quod VI Maii habet: *Natale Joannis ante portam latinam* in Hieronymianis non reperitur, præterquam in majori Corbeienſi apud Acherium & Florentinium, atque in præcedenti Auguſtano. Maii IX eſt; *Pachomii abbatis.* XXV Julii: *Florenti confeſſoris.* III Septembris: *Tullo, Manſueti* &c. In conſignandis vigiliis Auguſtano non cedit. Habes VII Septembris *Vigiliam S. Mariæ.* XX Septembris *Vigiliam S. Matthæi.* Ut omittam reliquas, rara ſane eſt *Vigilia S. Cæciliæ*; nec minus Hieronymianis incognita, quæ hìc refertur I Decembris, *Dedicatio baſilicæ S. Stephani in Hieroſolyma.* De reliquo, in toto codice nihil reperitur, ex quo prohibeamur aſſerere, Gellonenſi ætate ſupparem eſſe. Videbatur & pro ætate & pro loco lucis aliquid afferre *Domnus Pirminius bonæ memoriæ*; aliud *Octava S. Martini*: at re maturius expensâ, video, nihil ſatis tuto hactenus definiri poſſe.

DE MARTYROLOGIO CORBEIENSI MINORI.

17 DE hoc codice meminit præfatio Uſuardina num. 31, ubi paucis notata ſunt, quæ ad ejus commendationem facere poſſunt, præſertim ad ætatem, quam, *ſaltem octingentorum annorum* eſſe, cenſuit Acherius, cum id *anno* MDCLXI *menſe Decembri*, in Majorum noſtrorum gratiam deſcribi curavit. An in Martyrologio iſto evolvendo operam aliquam poſuerit vir eruditiſſimus, dubitari merito poteſt. Nam ſi legiſſet, quæ habentur XVII Junii: *Eodem die interfectus eſt venerabilis Fulco archiepiſcopus ab impio*: Si hæc, inquam, legiſſet, prima manu ſcripta, non tam facile epocham illam determinaſſet. Cum enim prædictus Fulco, anno primum DCCCC interemptus ſit, evidenter conſequens erat, non potuiſſe codicem illum ſcribi ante ſeculum decimum fortaſſe adultum; eſſetque adeo ætas ejus annorum, ut ſummum ſeptingentorum, quibus veroſimiliter ſeculo non integro antiquius eſt Corbeienſe Hieronymianum majus, ab eodem Acherio vulgatum Spicilegii tomo 4. Ex iſto, brevius hoc ſtudioſe contractum videtur, ad uſum chori, opinor, ne longiores nudorum fere nominum quotidianæ recitationes tædium parerent. Certe cum altero paſſim concordat, niſi quod hinc inde magis corruptum ſit, annuntiationibus non ſatis perfectis & mutilis, pravis item conſtructionibus, quarum initium ſit: *Natalis* aut *paſſio ſanctorum*, pro Sancto unico &c. Exempla hìc congerere nimis longum foret, ſatis ſit, dies ſignare, quibus reperiri poſſint; XVII Februarii; IX Martii; VII, XII & XX Aprilis; X, & XIX Maii; XXIV & XXV Junii. II & XI Julii. XIII Auguſti. XIII & XX Septembris; X Novembris &c.

18 Porro noſtrum hoc ex majori Corbeienſi deſumptum, oſtendunt exempla plurima iſti propria. Sic XV Januarii habet: *Pictavis, dedicatio baſilicæ ſancti Amanti.* XXX Januarii: *Cala monaſterio, depoſitio Baldechildis reginæ.* Item: *Corbeica monaſterio, dedicatio baſilicæ ſancti Joannis Euangeliſtæ.* II Aprilis: *Leganau monaſterio, depoſitio ſancti Ualerici confeſſoris*: de quo vide commentarium Henſchenii I Aprilis. Ejuſdem menſis XV ponitur: *In Antiſiodoro, dedicatio baptiſterii, qui eſt juxta baſilicam S. Germani* &c. XXVII: *Centulo monaſterio in Galliæ, depoſitio ſancti Richarii confeſſoris.* Item VI Junii, ex dicto Corbeienſi majori profluit annuntiatio: *Paſſio ſanctorum martyrum Vincentii epiſcopi & Benigni diaconi.* XXI Septembris: *Corbeica monaſterio, dedicatio baſilicæ domni Albini & Marcellini epiſcoporum.* IX Octobris: *Corbeica monaſterio, depoſitio Teodefridi abbatis.* Non eſt opus reliqua operoſius conquirere; habent ex his curioſi lectores, quo rei veritatem indubitate perſpiciant; brevius hoc Mar-

Martyrologium cum majori, vel pro ut ab Acherio editum, vel pro ut à Florentinio citatur, conferendo. Ab his raro deflectit, vel illud ſervando, ut menſi Octobri *novem Idus* tribuat, omiſſo Nonarum die. Deflectit tamen XIV Junii. Nonnumquam codici Florentiniano ſimilis eſt, ut XXX Junii, ubi alterum cum altero commiſcet, ex uno Sanctos, ex alio locum decerpens. Ut autem & id obiter indicem; in deſignandis locis tam eſt accuratum, quam iſta facile negligant Auguſtanum, Labbeanum & Gellonenſe; quamvis tamen iiſdem nonnumquam nævis obnoxium ſit, ut tribus primis diebus Martii & paucis aliis.

19. Sed nec aliis caret defectibus. Habe aliquot. Januarii XXVII ſignatur, *Sanctæ Agnetis Virginis*, & Sancti qui eo die referendi erant, ponuntur die ſequenti XXVIII Februarii. Ultimus dies in apographo noſtro perperam collocatus erat poſt Kalendas Martii, & *Sanctus Albinus* ibi legitur, qui ad diem I Martii pertinet. Maii VI, *S. Gerontius* acceptus eſt ex interpolatione majoris alicujus Hieronymiani, de qua re eo die diſputant Florentinius & Henſchenius. Maii XIX, non uno modo corrupta eſt laterculi conſtructio, reſarcienda ex laudatis modo Florentinio & Henſchenio. Neque recte conſignatur *Petronilla* XXIX ejuſdem menſis. Notabilis eſt annuntiatio ex Corbeienſi majori deſumpta XXV Junii: *Theſſalonica, Lanitani, Theſſalonicæ.* Julii VI, *ſancto Goaro* adſcribitur titulus *Epiſcopi.* Ibidem X Julii vitioſus denuo textus, ſed qui ex eodem fonte, ſeu majori Corbeienſi acceptus eſt. At parvo huic ſingulare, quod XXVIII Julii legat: *Corbeia monaſterio, dedicatio baſilicæ ſancti Petri Apoſtoli.* XXX Julii ex codice ſimili Florentiniano hauſit *Puerenſe* pro *Portuenſe*, ut plerumque amanuenſes in deſcribenda ſphalmata proni videntur. Deeſt textus XIII Octobris: nam qui ibi ponitur textus III Idus, legendus eſt pridie Idus. Novemb. XVI annuntiationes male tranſpoſitæ ſunt, ut ibi & aliis locis annotavi. Ejuſdem menſis XXIII *S. Trudo*, rurſus ex majori acceptus eſt. Quæ hîc annuntiatur IV Decembris *depoſitio Benedicti abbatis*, in Labbeano eſt *adventus corporis à partibus Romæ.* An ſatis recte, dicemus ad XI Julii. Obſerva elogiorum lacinias ſubinde adjectas, ut V & VII Januarii; XXV Martii, XVII Junii & II Auguſti, & alibi; quod ab Hieronymianorum ſtylo alienum eſt, uti & Sancti appellationes, quæ frequenter apponuntur. In repetitionibus Apoſtolorum nihil adeo ſingulare habet; ſed mirum eſt, tot dedicationes baſilicarum referri. Cetera ſcrupuloſius percurrere, operæ pretium non eſt: hactenus dicta ad diſtinctiorem codicis notitiam abunde ſufficiunt.

DE MARTYROLOGIO REGINÆ SUECIÆ,

Olim S. Columbæ Senonenſi.

20. SExtus ordine & ultimus, qui hîc integre typis ſubjectus eſt, codex, aliis non minus illuſtris, pluresque encomiaſtas nactus eſt, à Cl. Holſtenio ex Ms. codice Reginæ Sueciæ primùm erutus, & ex parte editus in Animadverſis ad Martyrologium Romanum, quæ Actis S. Bonifacii Romæ publicatis anno MDCLXIII ſubjuncta ſunt. Hinc Martyrologii iſtius meminit Florentinius in ſuis ad Hieronymiana annotationibus, & Majores noſtri paſſim, qui poſt editum Februarium, ex præfato codice Reginæ Sueciæ apographum nacti, eodem ſæpe uſi ſunt, etiam in accurando Bedæ Martyrologio ante tomum II Martii, uti docet prologus num. 12. Confuſionis vitandæ gratia, idem nomen Reginæ Sueciæ & nos ſervandum putavimus, tametſi vere & proprie appellandum eſſet Senonenſe S. Columbæ, ut ante me docuit Caſtellanus pag. 28 Præmonitionis ad primum ſuum Bimeſtre Martyrologii Romani gallicè verſi, cùm eruditiſſimis notis, cujus editionis ſequelam avidiſſime exſpectamus. Originem ſuam, ſaltem diuturnam commorationem ſatis indicat Martyrologium ipſum, dum VII Januarii notat: *Eodem die; octavas ſanctæ Columbæ virginis & martyris*, de qua in nullo alio Martyrologio uſpiam memoria: aliàs ejuſdem Martyrologii proprietates explicat laudatus Caſtellanus; alia in lectorum oculos ultro inſiliunt. Id maxime dolendum, codicem, ex quo deſcriptum fuit, mutilum opus retuliſſe, utpote quod deficit in VII Idus, ſeu VII die Septembris. Incipit à Kalendis Januarii, forte ad exemplum Bedæ, cujus elogia mutuanda ſuſceperat operis compilator. Antiquiſſima eſſe, quæ Hieronymiana ſunt, principio oſtendimus: de cetero indicia deſunt, ex quibus de ejus vera ætate certi quidpiam ſtatuatur.

21. In quinque præmiſſis codicibus habetur Hieronymianorum textus purus ab omnibus elogiis, quæ ex Martyrum Actis colligere ac Martyrologiis inſerere primus cœpit Venerabilis Beda. Verum eſt, in Richenovienſi & Auguſtano ac aliis nonnulla adjuncta reperiri, quæ recentiora eſſe, propriis locis ſupra indicavimus; aſt in hoc, de quo jam agimus, non ſolum brevia aliqua & contracta, ſed & integra Bedæ elogia referuntur, ut legenti ſaltem, codicis textus auctiores cum Beda à nobis edito conferenti, manifeſte pate-

patebit. Id pridem obſervarunt Henſchenius & Papebrochius, non in hoc ſolum codice, ſed & in aliis, quibus in adornanda præfata editione uſi ſunt, quemadmodum in laudato eorum Prologo pluribus locis declaratur. Atque hæc prope eſt Rabani & Notkeri ratio, qui ſicciori Hieronymianorum ſtylo non contenti, elogia hinc inde collegerunt, aut concinnarunt ipſi, quæ nudis, tranſpoſitis, diſtractis confuſiſque nominibus ſuperadderent. Propria Senonenſia & vicinorum locorum facile agnoſcentur, ut *Balduinus Laudunenſis* VIII Januarii, *Lupus* I Sept., tot Autiſſiodorenſes aliique apud Caſtellanum ſignati. Errata, ut diximus, ex mutua collatione corrigenda ſunt. Titulum *Martyris* ſancto Auguſtino Hipponenſi adſcriptum & id genus alia conſulto notare negleximus.

22 Ad eamdem hanc plane normam contextum eſt non minus celebre Martyrologium à Cardinale Baronio atque ab Holſtenio, tum à noſtris Majoribus ſæpe commendatum ſub nomine S. CYRIACI, de quo in præfato ad Bedam Prologo num. 12 & in Præfatione Uſuardina fuſius actum eſt. Normam hîc voco modum illum interſerendi elogia Bedæ, quæ in Martyrologio ſancti Cyriaci nonnumquam magis integra ſunt. Differt hoc item à Senonenſi, quod ejus compilator pro proprio & ſingulari ſuo delectu ſeu guſtu, ſi ita loqui licet, nomina plura aut pauciora, hoc vel illo ordine, iſto vel alio modo efformata decerpſerit, cujus rei certa ratio nequaquam reddi poteſt. Ne vero faſtidium aut nauſeam pariat plurium codicum, eadem prope referentium, repetita editio, viſum eſt ex reliquis noſtris Martyrologiis terna tantummodo ſeligere, quæ inter ſe & cum editis conferantur, ſumpto in eum finem menſe uno alterove, qui ad operis hujus calcem ſubjungatur. Porro in ea collatione ſecundum locum occupabit exemplar ſancti Cyriaci, quantumvis deforme & vitioſe deſcriptum, eique comparabitur BARBERINIANUM illuſtrius, pari fermè methodo ex Beda interpolatum & auctum, ſicque ex diebus aliquot, de ceteris fieri poterit conjectura. Primum erit SAN-MAXIMIANUM, brevius illud ſed & antiquius, quod cum Rhinovienſi majorem haberet affinitatem, niſi ſtylo recentiori hinc inde accommodatum eſſet, quod & de breviori Corbeienſi ſupra notavimus. Atque hæc, niſi vehementer fallor, ſufficient, ut, quod unice intendo, curioſi lectores ſpecimina habeant, ad diſcernendam à Martyrologiis reliquis totam Hieronymianorum claſſem, ſeu puram & ſimplicem, ſeu aliunde interpolatam. En modo editionis ſeriem.

MARTY-

MARTYROLOGIA
HIERONYMIANA CONTRACTA
MARTYROLOGIUM PRIMUM
RHINOVIENSE.

In nomine Jesu incipit Martyrologium per circulum anni.

VIII *Kal. Januarias.* Bethleem, nativitas Salvatoris Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Romæ, Jovini. Sirmio, Anastasiæ.

VII *Kal. Jan.* Passio sancti Stephani primi martyris & diaconi. Romæ, Dionysii conf. Heliæ, Juliani.

VI *Kal. Jan.* In Basilica montis Oliveti, natale sancti Joannis Euangelistæ, & ordinatio episcopatus [S. Jacobi fratris Domini]

V *Kal. Jan.* Bethleem Judæ, natale sanctorum martyrum infantium & lactantium.

IV *Kal. Jan.* In Africa, Victoris. Librosi episcopi, Honorati. Saturi, Secundi, Saturnini.

III *Kal. Jan.* In Alexandria, Mansueti, Honorii, Pauli, Polecliti, Stephani, Cleti.

II *Kal. Jan.* Sancti Silvestri episcopi & confessoris. Kartagine, Donati, Gaii, Bononi.

JANUARIUS HABET DIES XXXI.

Kal. Ian. Circumcisio Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. In Oriente, Stephani. Nicomediæ, Eosrosini episcopi, Priamiani. Et al... .

IV *Non. Ian.* Antiochiæ, Isidori episcopi, Macharii abbatis. Saturi, Possessoris, Firmi.

III *Non. Ian.* Parisius, Genosevæ virginis. In Ellesponto, Cirici, Primi.

II *Non. Ian.* In Africa, Aquilini, Gemini, Martiani, Eugenti. Quinti, Theodati.

Non. Ian. In Africa, Felicis, Secundi, Luciani, Jocundi, Petri, Marci. Alibi, depositio [Simeonis prophetæ.]

VIII *Idus Ian.* Epiphania Domini nostri Jesu Christi. In Africa, Telespori, Acuti, Januariæ.

VII *Id. Ian.* In Nicomedia, Luciani presbyteri, Liceri diaconi, Polioti, Felis, Januarii.

VI *Id. Ian.* Grecia, Cipisei, Secundi, Timothei, Lucii, Rustici. AUG DNO [*legendum*, Augustoduno, depositio Agemoni.]

V *Id. Ian.* In Africa, Epictiti, Jocundi, Saturnini, Vitalis, Felicis, Fortunati.

IV *Id. Ian.* Romæ, depositio Melciadis episcopi. In Sirmis, Revocati. In Africa, Firmi.

III *Id. Ian.* In Alexandria, Petri, Abalsamii, Filoromi. In Africa, Felicis. Et sancti Gregorii episcopi [Nazianzeni]

II *Id. Ian.* In Achaia, Cyriaci. In Africa, Zotici, Castoli, Quinti, Rogati, Modesti.

Id. Ian. Pictavis, depositio sancti Hilarii episcopi. In Neapoli, Vincentiæ. In Africa, Ingenii.

XIX *Kalend. Februarii.* In Campania Nola, Felicis confessoris. In Antiatia [Antiochia,] Glicerii diaconi.

IV *Non. Febr* Purificatio beatæ Mariæ ſemper virginis, quando Dominum præſentavit in templo. Romæ, miliario ab Urbe CLXXIV, Laurentii, & Ippoliti. Aurelianis, depoſitio beati Fuſculi epiſcopi.

III *Non. Febr.* In Africa, Felicis & Felicitatis. Lugduno Galliæ, depoſitio beati Lupicini epiſcopi.

Prid. Non. Febr. Roma Foro Simpronii, natale Gemini, Gelaſii, Magni. Trecas, depoſitio Aventini abbatis.

Non Febr In Sicilia, Catenas civitate, paſſio ſanctæ Agatæ virginis ſub Quintiano conſule, tempore Diocletiani, quæ poſt alapas, & carcerem, poſt eculeum, & tortiones, poſt mamillarum abſciſionem, ſed a Domino ſanationem, poſt volutationem in teſtis & carbonibus, tandem in carcere conſummata eſt. Vienna, Aviti epiſcopi.

VIII *Id. Febr.* Romæ via Appia, in cymiterio juxta Catacumbas, paſſio Soteris virginis. In Acaia, Saturnini. Et alibi, depoſitio ſancti Amandi epiſcopi.

VII *Id. Febr.* In Britanniis, civitate Agaſta, paſſio Auguli epiſcopi & martyris. Et alibi, Anatolii, Ammonis, Nepotiani.

VI *Id. Febr.* Romæ, depoſitio ſancti Pauli epiſcopi. In Arminia minori, natalis ſancti Dionifii, cum aliis duobus.

V *Id. Febr.* Apud Cyprum, natale ſanctorum Alexandri, Ammonis. Alexandria, Pauli, Dionifii & aliorum XXVIII. In Egypto, Pleſii, Orſati, Agaton, Proti, Orion, Cyriaci.

IV *Id Febr.* Alexandria, paſſio Apollinis & aliorum XX. Romæ, Zotici, Hireni. In Campania, natale ſancti Silvani epiſcopi & confeſſoris In Bethleem civitate Judeæ, paſſio ſanctorum Andreæ, Aporis. Sanctonis civitate, depoſitio Troiani epiſcopi.

III *Id.*

III *Id. Febr.* In Appamia, Eufraxi. In Campania, Baſiliani. Romæ, Calocerii, & Parthenii. Lugduno, Deſiderii epiſcopi.

Prid. Id. Febr. Paſſio ſancti Damiani militis. Cartagine, Modeſti. Alexandria, Juliani. In Italia, Donati, cum aliis v. Et alibi, depoſitio Simplicii epiſcopi.

Idus Febr. Nicomedia, paſſio ſanctæ Julianæ. Alexandria, Juliani, Ammonii. Lugduno, depoſitio beati Stephani epiſcopi

XVI *Kal. Martii.* Romæ, ſancti Valentini presbyt. Eodem die, ſancti Valentini Interamnæ urbis epiſcopi. In Tuſcia, natalis ſanctorum Vitalis, & Martiani. In Eraclea, Felicis, Januarii. In Græcia, Palladii, Candidiani. Alexandria, Saturnini, Advocati.

XV *Kal. Mart.* In Antiochia, Juſippi diaconi. Interamnæ civitate, natale ſanctæ Agapis virginis.

XIV *Kal. Mart.* Sancti Oneſimi Apoſtoli. Et in Cumas, natalis ſanctæ Julianæ virginis, quæ tempore Maximiani imperatoris, poſt multa tormenta, decollatione capitis martyrium conſumavit: quæ paſſa eſt quidem in Nicomedia, ſed poſt paucum tempus, Deo diſponente, in Campaniam tranſlata. In Britanniis, natale ſanctorum Fauſtini, Juventiæ. In Hiſpaniis, civitate Barcelona, paſſio Cucufati martyris. Et alibi, Valentis diaconi, cum Ægyptiis numero quinque millibus.

XIII *Kal. Mart.* In Babilonia, natale Policronii epiſcopi ejuſdem civitatis, qui præſente Decio perſecutore, os lapidibus cæſum, manibus tenſis, oculos ad cælum elevans, emiſit ſpiritum. Scriptum in paſſione ſancti Laurentii. In Africa, civitate Concordum, paſſio ſanctorum Donati, Secundiani. In Aquileia, Criſantiani. Et alibi, Romuli, Salviani, cum aliis LXXXIV.

XII *Kal. Mart.* In Africa, natalis ſanctorum Rutuli, Silvani, & aliorum XII.

XI *Kal. Mart* In Africa, natalis ſanctorum Publii, Maurobii, Juliani & aliorum VIII.

X *Kal. Mart.* Romæ via Appia, in cymiterio Caliſti, depoſitio Gagi epiſcopi. Apud Cyprum, natalis ſanctorum Potamini, Miſis, Didimi. Et alibi, Victoris & Coronæ & aliorum X.

IX *Kal. Mart.* In Africa, civitate Adromit., natalis ſanctorum Veruli, Secundini, Servuli, Sirici & aliorum XXI. Et alibi, Victurini, Criſpini, Ruſtici, cum aliis XVI.

VIII *Kal. Mart.* Apud Antiochiam, Cathedra ſancti Petri Apoſtoli. Nicomediæ, natalis ſanctæ Teclæ virginis. Romæ via Tiburtina, natalis ſanctæ Concordiæ.

VII *Kal. Mart.* In Pannoniis, natalis ſanctorum Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii. In Aſia, Polycarpi epiſcopi, cum aliis XIII.

VI *Kal. Mart.* Inventio capitis Præcurſoris. In Cæſarea Cappadociæ, natalis ſanctorum Heracli, Luci. Romæ, ſanctæ Primitivæ. Nicomedia, natalis ſanctorum Luciani presbyteri, Petri, Palatini. In Ægypto, paſſio ſanctorum Victurini, Victoris.

V *Kal. Mart.* In Africa, natalis ſanctorum Donati, Juſti, Rutuli, Erenei. Pamfilia, Neſtoris & Caſti.

IV *Kal. Mart.* In Alexandria, Felicis, cum ſociis ſuis. Et alibi, natalis ſanctorum Alexandri, Juſti, Theonis & aliorum XXVIII.

III *Kal. Mart.* In Theſalonica, Abundantii, Titiani, Severiani. In Africa, Dioniſii. In civitate Smirna Aſiæ, natalis ſanctorum Serviliani, Datiani, Leandri.

Prid. Kal. Mart. Natalis ſanctorum Celeris, Pupilli, Serapionis, Theophili. Et alibi, Felicis, Gagi, Quintiani, Manſueti. Alexandriæ, Victurini, Secundellæ.

Letaniæ indicendæ.

MARTIUS HABET DIES XXXI.

Kalend. Martii. Natalis ſanctorum Leonis, Donati, Abundantii. In Africa, Adriani, Victurii. Maſilia, Hermetis, Felicis. Andecavis, depoſitio Albini epiſcopi.

VI *Non. Mart.* Cæſareæ Cappadociæ, Luci epicopi, Primitivi. Romæ, Pauli.

V *Non. Mart.* Felicis, Lucioli, Fortunati. In Africa, Gaioli.

IV *Non. Mart.* Romæ, in cymiterio via Appia, depoſitio Julii epiſcopi & aliorum XXVI. Nicomedia, paſſio ſanctorum Adriani, cum aliis XXXIV.

III *Non. Mart.* In Africa, paſſio ſancti Focæ. Antiochia Syriæ, Saturnini, Juſti, Petri.

Prid. Non. Mart. Nicomedia, natalis ſanctorum Victoris, Victurini, Claudiani & Baſſæ uxoris ejus.

Non. Martii. In Africa, natalis ſanctorum Saturi, Revocati. Et apud Cartaginem, Perpetuæ, Felicitatis, quæ beſtiis ſunt deputatæ ſub Severo principe. In civitate Traciæ, natalis ſanctorum Dandæ, Lenuci, Fecundi.

VIII *Id. Mart.* In Nicomedia, natalis ſanctorum Quintini epiſcopi & Capitulini. In Africa, Rogati, Felicis & Cyrilli epiſcopi, cum aliis VII.

VII *Id. Mart.* In Sebaſte, in Armenia majore, XL militum tempore Licinii regis ſub preſide Agricolao, qui poſt vincula & carceres creberrimos, poſt cæſas lapidibus facies, miſſi ſunt in ſtagnum; ubi gelu conſtricta corpora eorum nocte diſrumpebantur, & mane curifagio martyrium conſumarunt. Deinde corpora eorum combuſta, & in fluvium projecta, ſed divina diſpenſatione reliquiæ eorum integræ ſunt repertæ & honore digno conditæ. Erant autem nobiliores inter eos Quirion & Candidus.

VI *Id. Mart.* In Niceria, natalis ſanctorum Gorgoni, Palatini, Firmi. In Antiochia, Agapæ virginis. In Perſida, Martyrum XLII. Alexandria, Zozimi & Alexandri, cum aliis tribus.

V *Id. Martii.* In Cartagine, natalis ſanctorum Eraclii, Candidi, Quirilli, Martiani, cum aliis XXII. Nicomedia, Eunuchi & Gorgonii.

IV *Id. Mart.* Romæ, depoſitio ſancti Gregorii Papæ beatæ memoriæ. Et depoſitio ſancti Innocentii epiſcopi. In Africa, Joannis & aliorum XLIV. In Aſia, Petroni epiſcopi, Modeſti, Domitiani, Zoſimi, Euſtaſii presbyterorum.

III *Id. Mart.* In Nicomedia, natalis ſanctorum Macedonii presbyteri, & Patriciæ uxoris ejus, nec non & Modeſtæ filiæ ipſius. Nicea civitate, ſex Martyrum, qui omnes igne cremati ſunt.

Prid. Id. Mart. In Nicomedia, Feliciſſimi, Dativi. In Africa, Petri. Theſſalonica, Alexandri, cum aliis duobus. Antiochia, Pionis.

Id.

Idus Mart. In Capadocia, natalis ſancti Longini. In Nicomedia, Lucii epiſcopi & martyris. Hieroſolyma, Jacobi Apoſtoli fratris Domini. Lucæ Euangeliſtæ.

XVII *Kal. Apr.* Romæ, natalis ſancti Cyriaci, qui poſt longam carceris macerationem aliaque tormenta, jubente Maximo, capite truncatus eſt, cum Largo & Smaragdo & aliis XX. In Aquileia, natalis ſanctorum Clari, Tatiani. In Nicomedia, Caſtoris, Dioniſii.

XVI *Kal. Apr.* Romæ, Alexandri epiſcopi, Theodoli diaconi. In Scotia, natalis ſancti Patritii confeſſoris. Eodem die, obitus ſanctæ Geretrudis virginis.

XV *Kal. Apr.* In Alexandria, Collegi diaconi. In Campania, Quinti, Rogati. In Mauritania, Timothei, cum aliis duobus.

XIV *Kal. Apr.* Cæſarea Capadociæ, natalis ſancti Theodori presbyteri. In Africa, Baſſi, Lucilli, cum aliis XIII. Et alibi, de depoſitione ſancti Leontii epiſcopi.

XIII *Kal. Apr.* In Antiochia, natalis ſancti Joſeph. In Siria, Pauli, Cirilli, cum aliis IX. Et depoſitio ſancti Cuthberti epiſcopi.

XII *Kal. Apr.* In Benevento, monte Caſſino, depoſitio ſancti Benedicti abbatis. In Alexandria, ſancti Serapionis monachi & aliorum IX.

XI *Kal. April.* In Narbona civitate, natalis ſancti Pauli confeſſoris. In Africa, Saturnini & aliorum IX.

X *Kal. April.* In Africa, natalis ſancti Felicis. In Antiochia, Theodori epiſcopi.

IX *Kal April.* In Siria, natalis ſancti Seleuci. In Africa, Rogati, cum aliis IX. In Frigia, Acapiti. In Mauritania, Secundi, Felicis, Saturnini, cum aliis XIX.

VIII *Kal. April.* Sanctæ Mariæ, quando ab Angelo ſalutata eſt. Hoc eſt conceptio Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hieroſolyma, Dominus crucifixus eſt. In Nicomedia, natalis Dulæ ancillæ militis, quæ pro caſtitate occiſa eſt. Romæ, Cyrini, qui interfectus à Claudio, & in Tyberim jactatus, in inſula Licaonia inventus, & in cymiterio Pontiani conditus eſt. Scriptum in paſſione ſancti Valentini. Et immolatio Iſac Patriarchæ.

VII *Kal. April.* Romæ, via Lavicana, natalis ſancti Caſtuli. In Syrmia, Montani presbyteri, & Maximæ uxoris ejus. In Tracia, natalis ſancti Marciani epiſcopi. In Pentapoli Libiæ, natalis ſancti Theodori epiſcopi. In Africa, Victoris & aliorum XIV.

VI *Kal. April.* Reſurrectio Domini noſtri Jeſu Chriſti In Africa, natalis ſanctorum Romuli, Acuti, & aliorum X.

V *Kal. April.* In Cæſarea, natalis ſanctorum Rogati, Alexandri, Dorothei. In Tarſo Ciliciæ, natalis ſancti Caſtoris. Cavillono, obitus Domini Guntramni regis.

IV *Kal. April.* In Nicomedia, natalis ſanctorum Paſtoris, Victurini & aliorum VII. Antiochia, natalis ſancti Theodori presbyteri.

III *Kal April.* In Theſſalonica, natalis ſanctorum Domnini, Philippi, Acati, Palatini. Et alibi, Victoris, Marcellini, cum aliis VII. Aurelianis civitate, depoſitio Paſtoris.

Prid. Kal. April. In Africa, natalis ſanctorum Aneſii, Felicis, cum aliis V.

Letaniæ indicendæ.

APRILIS HABET DIES XXX.

Kalend. Aprilis. In Theſalonica, Agapis, & Chioniæ ſub Diocletiano, quæ primo in carcere maceratæ, poſt in ignem miſſæ ſunt, ſed mactate * flammis, poſt orationem a Domino [ad Dominum] fuſam, animas reddiderunt. In Ægypto, paſſio ſanctorum Victoris, Stephani. *intactæ.

IV *Non. Apr.* In Africa, natalis ſanctorum Amphiani, Victoris, cum aliis num. X. Lugduno Galiis, depoſitio ſancti Niceti epiſcopi.

III *Non. Apr.* In Scithia, natalis ſanctorum Thomæ, Euagri, Benigni, cum aliis V. In Cæſarea Paleſtinæ, natalis ſanctæ Theodoſiæ virginis.

Prid. Non. April. In Mediolano, depoſitio ſancti Ambroſii confeſſoris. Theſſalonica, natalis ſanctorum Theonis, Theodoli, Agatonis diaconi.

Non. April. In Theſalonica, natalis ſanctæ Hirenis, quæ poſt tolerantiam carceris, inter orationes ſagitta percuſſa eſt, & a Siſinio comite, ſub quo, & ſorores ejus Agapis, & Chionia martirizaverunt.

VIII *Id. April.* In Africa, ſanctorum Epiphanii epiſcopi, Donati & aliorum XIII. In Macedonia, Thimothei, Diogenis. In Alexandria, natalis ſancti Cluſi presbyteri. Libia ſuperior, natalis ſanctorum Theodori epiſcopi, Herenei diaconi & aliorum V. Et alibi, natalis ſanctæ Marinæ.

VII *Id. April.* Antiochia Syriæ, natalis ſanctorum Thimothei, cum aliis III. Alexandria, Peluſi presbyteri.

VI *Id. April.* In Africa, Timori, Mæcharii, cum aliis III. Et alibi, Conceſſis, Solutoris, Succeſſi, cum aliis II.

V *Id. April.* In Syrmia, natalis V Virginum. Et alibi, Demetrii diaconi, & ſeptem Virginum, quæ in unum meruerunt coronari.

IV *Id. April.* Ezechielis prophetæ. In Alexandria, Appollonii presbyteri & aliornm V. In Africa, Martyrum XL, quorum nomina Deus ſcit.

III *Id. April.* Romæ, Leonis Papæ & confeſſoris. In Mauritania, natalis ſanctorum Salonis, Maximi, Helarii, Conceſſi, cum cæteris Sanctis. Salona Dalmatiæ, beati Domnionis epiſcopi & militum VIII.

II *Id. April.* Romæ, depoſitio Julii epiſcopi & confeſſoris, qui ſub Conſtantio Arriano filio Conſtantini, decem menſibus tribulationes & exilia perpeſſus, poſt ejus mortem cum magno decore ad ſuam ſedem reverſus eſt.

Idus April. In Calcedonia, natalis ſanctæ Euſemiæ. Pergamo Aſiæ, Policarpi epiſcopi. Pauli diaconi.

XVIII *Kal. Maii.* Romæ viâ Appiâ, in cymiterio Prætextati, natalis ſanctorum Tyburtii, Valeriani, Maximi, ſub Almachio Urbis præfecto, quorum primi fuſtibus cæſi & gladio ſunt percuſſi, ultimus tamdiu ad plumbatas verberatus, donec ſpiritum redderet.

XVII *Kal. Mau.* In civitate Cordula, natalis Olimpiadis & Maximi nobilium, qui jubente Decio, fuſtibus cæſi, & deinde plumbatis, ad ultimum capita eorum ſecuribus tunſa, donec emitterent ſpiritum.

XVI *Kal. Maii.* In Achaia, Corintho, natalis ſancto-

ſanctorum Caliſti, Cariſii & aliorum VII.

XV *Kal. Mai.* In Antiochia, natalis ſanctorum Petri diaconi & Hermogenis miniſtri Petri. In Africa, Victurici, Januarii & Juliani presbyteri.

XIV *Kal. Maii.* Salona civitate, natalis ſanctorum Septimi diaconi, Victuri. In Africa, Victoris, Pamphilici, Sirici, Priſciani. Romæ, Eleutherii epiſcopi & Antiæ matris ejus.

XIII *Kal. Mai.* In Militana, civitate Arminiæ, natalis ſanctorum Hermogenis, Gagi, cum aliis IV una die coronatorum. In Africa, Donati, Siriciani, cum aliis V.

XII *Kal. Mai.* In Africa, natalis ſanctorum Silviani, Fortunati, Joannis, cum aliis VIII. Romæ, depoſitio ſancti Victoris epiſcopi. Autiſiodero, depoſitio ſancti Mariani epiſcopi & confeſſoris.

XI *Kal. Mai.* Romæ, in cymitherio Caliſti, via Appia, natalis ſanctorum Valeriani, Maximi, Tiburtii. Nicomedia, Pantaleonis monachi. In Campania, natalis ſancti Cæſarei.

X *Kal. Mai.* In Frigia, civitate Gerapoli, natalis S. Philippi Apoſtoli. Romæ, paſſio ſancti Gagi Papæ, qui cum Eccleſiam XI annis, menſes IV, dies XII rexiſſet, martyrio coronatur ſub Diocletiano principe, cum Gabinio fratre. Eodem die, in Cordula civitate, natalis Parmenii, Elimæ & Chriſtoteli presbyterorum, & Lucæ & Muci diaconorum, qui omnes poſt multa tormenta gladio cæſi ſunt ſub Decio perſecutore. Senona civitate, depoſitio beati Leonis epiſcopi.

IX *Kal. Mai.* In Perſida, civitate Dioſpoli, paſſio ſancti Georgii martyris. In Galliis, civitate Valentia, natalis ſanctorum Felicis presbyteri, Fortunati diaconi.

VIII *Kal. Mai.* In Alexandria, Theonis presbyteri. In Britanniis, depoſitio Meliti epiſcopi. Lugduno Galliis, paſſio ſanctorum Alexandri, cum aliis XLV.

VII *Kal. Mai.* In Alxandria, natalis Marci Euangeliſtæ, qui conſtitutis & confirmatis eccleſiis, per Libyam, Armaricam, Amoniacam, Pentapolim, Alexandriam atque Ægyptum univerſam, ad ultimum tentus eſt à paganis, qui remanſerant in Alexandria, qui videntes eum, die ſancto Paſche miſſas facientem, miſerunt funem in collo ejus, & trahebant eum ad loca Buculi, quæ erant juxta mare ſub rupibus, ubi erat eccleſia conſtructa, & defluebant carnes ejus in terram, ac ſaxa inficiebantur ſanguine. Veſpere autem facto, miſerunt eum in carcerem, ubi circa mediam noctem, primo angelica viſitatione confortatus eſt, deinde ipſo Domino ſibi apparente, ad regna cæleſtia vocatus. At mane dum traheretur ad loca Buculi, gratias agens & dicens, Domine in manus tuas commendo ſpiritum meum, defunctus eſt & à viris religioſis ſepultus in loco lapidis exciſi, cum gloria. Ordinaverat autem pro ſe Alexandriæ epiſcopum Anianum: aliis quoque longe lateque eccleſiis presbyteros & diaconos dederat. Lugduno, depoſitio beati Ruſti epiſcopi. *Voluit dicere* Ruſtici.

VI *Kal. Mai.* Natalis ſancti Cleti Papæ & martyris. Et egreſſio Noë de Arca. Ipſo die, depoſitio ſancti Marcellini Papæ, qui cum eccleſiam IX annis & menſ. IV rexiſſet, temporibus Diocletiani & Maximiani, ab eodem Diocletiano pro fide Chriſti, cum Claudio & Cyrino & Antonio capite truncatus eſt, & poſt dies XXV ſepultus via Salutaria, in cubiculo, à Marcello presbytero & diaconibus, cum hymnis VI Kal. Mai.

V *Kal. Mai.* Tarſo Ciliciæ, natalis ſancti Caſtoris. In Nicomedia, Antimi & Stephani epiſcoporum. In Armenia, Ephei presbyteri & Ermogenis militis. In Egypto, Victoris, Maximi, Pauli, Martiani, Germani, cum aliis VI.

IV *Kal. Mai.* Romæ, natalis ſancti Vitalis mart. Eodem die, ſancti Criſtophori. In Pannonia, Euſebii epiſcopi. In Alexandria, natalis ſancti Victurini. In Africa, provincia Numidiæ, natalis ſanctorum Manilii, Donati & aliorum multorum.

III *Kal. Mai.* In Alexandria, natalis ſancti Germani. Et alibi, Proſduci diaconi. In Nicomedia, Prudentii, Martialis & aliorum XV.

Prid. Kal. Mai. In Alexandria, natalis ſanctorum Dorothei presbyteri, Rodociani diaconi, Terentii martyris, cum aliis DLII. Romæ, in cymitherio Prætextati, via Appia, depoſitio ſancti Quirini epiſcopi.

Letaniæ indicendæ.

MAIUS HABET DIES XXXI.

Kalend. Mai. Initium prædicationis Domini noſtri Jeſu Chriſti. In Frigia, Hierapoli, natalis Philippi & Jacobi Apoſtolorum. Eodem die, Hieremiæ prophetæ Hieroſolymis, natalis ſancti Judæ epiſcopi, qui cognominatus eſt Quiriacus. Toloſa, Orgenii epiſcopi. Autiſiodero, ſancti Amatoris epiſcopi. Et paſſio Sigiſmundi regis.

VI *Non. Mai.* Sancti Patris noſtri Athanaſii epiſcopi Alexandriæ. Et Juvenalis. Et alibi, natalis ſanctorum Germani, Cæleſtini, Felicis.

V *Non. Mai.* Hieroſolyma, inventio ſanctæ Crucis ab Helena regina anno CCXXXIII. Romæ, natalis ſanctorum Alexandri, Euenti, Theodoli. Autiſiodero, depoſitio Euſebii presbyteri. *De notato anno alibi diximus.*

IV *Non. Maii.* In Nicomedia, natalis ſanctæ Antoniæ, quæ poſt multa tormenta flammis exuſta obiit. Autiſiodero, depoſitio Cocordimi confeſſoris.

III *Non. Mai.* Aſcenſa Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et in Theſalonica, natalis ſanctorum Hereneï & Peregrini, ignibus aduſtorum. Arelato, depoſitio ſancti Hilarii epiſcopi. Vienna, Niceti epiſcopi. Autiſiodero, paſſio ſancti Jocuniani lectoris.

Prid. Non. Mai. Mediolano, Victoris, Felicis, cum aliis triginta tribus. Autiſiodero, Stavii * epiſcopi. Auguſtiduno, depoſitio beati Placidi presbyteri & abbatis baſilicæ ſancti Sinforiani martyris. * *al.* Valerii.

Nonas Mai. Mediolano, natalis ſancti Victoris martyris, cujus paſſio ibidem celebratur.

VIII *Id. Mai.* Conſtantinopoli, Maximi presbyteri, Antos diaconi & aliorum multorum. In Ægypto, Victoris, Stephani. Autiſiodero, depoſitio beati Elladii epiſcopi.

VII *Id. Mai.* In Axiopoli, natalis ſanctorum Quirilli, Quindei, Zenonis. In Tarſo Ciliciæ, Afrodii. In Territorio Carnotinæ civitatis, caſtro Vindocino, natalis ſancti Beati confeſſoris.

VI *Id. Maii.* Natalis ſanctorum Gordiani & Epimachi Romæ. Et natalis Calipodi ſenis presbyteri ſub Alexandro imperatore. Et alibi, natalis ſancti Job prophetæ.

V *Id. Maii.* Romæ, miliario XII, natalis ſancti Antimi. In Aſia, natalis ſanctorum Demetrii, & Tadei. Vienna, depoſitio Mammi & Martini epiſcoporum.

IV *Id. Maii.* Romæ, natalis ſanctorum Nerei & Achillei fratrum, & ſancti Pancratii, qui cum eſſet annorum XIV, ſub Diocletiano martyrium capitis detruncatione complevit. Et ſancti Patris Epiphani epiſcopi Cypri.

III *Id. Maii.* Natalis ſanctæ Mariæ ad Martyres. Eodem die, natalis ſancti Servatii. In territorio Sanctonico, depoſitio ſancti Martini presbyteri. Autiſiodero, depoſitio ſancti Marcelliani epiſcopi.

Prid. Id. Maii. Sancti Patris Pachomii: qui cum eſſet factis Apoſtolicæ gratiæ inſignis fundatorque Egypti cœnobiorum, ſcripſit monaſteriorum regulas, quas angelo dictante didicerat; ſimul & de tempore Paſchali. Ipſo die in Syria, natalis Victoris & Coronæ, ſub Antonino imperatore, duce Alexandriæ Sebaſtiano. Erat autem Victor miles à Cilicia, cui Sebaſtianus in confeſſione fidei confringi digitos & evelli juſſit à cute. Deinde in caminum ignis juſſit illum mitti, ubi triduo permanens, non eſt læſus. Deinde venenum bibere [juſſus,] non eſt mortuus, ſed veneficum potius ad fidem convertit; deinde juſſum eſt, nervos corporis ejus tolli; deinde oleum bulliens mitti in pudendis ejus. Poſt hoc juſſit lampadas ardentes ſuſpenſo ad latera applicari, acetum & calcem ſimul miſceri, & dari ei in ore; deinde oculos erui, deinde triduo juſſum capite ſuſpendi; & dum adhuc ſpiraret, juſſit eum excoriari. Tunc Corona, cum eſſet uxor militis cujuſdam, cœpit beatificare ſanctum Victorem, pro gloria martyrii, & dum hoc faceret, vidit duas [coronas] de cælo lapſas, unam Victori & alteram ſibi miſſam. Cumque & hoc cunctis audientibus proteſtaretur, tenta eſt, juſſumque duas arbores palmæ curvari ad invicem, & cannabinis funibus ligari Coronam in utraque, manibus & pedibus, & ſic arbores dimitti; quod dum fieret, diviſa eſt Corona in duas; erat autem annorum XVI. Tum quoque Victor decollatus eſt, & ipſe victoriæ perennis triumphum meruit.

Idus Maii. In Sirmia, natalis ſancti Thimothei. Et alibi, VII Virginum. Mediolano, natalis ſancti Victoris.

XVII *Kal. Junii.* In Iſauria, natalis ſanctorum Aquilini, Victurinæ, quorum geſta habentur. In Epheſo, Mengenis, Gaiani, Jovini. In territorio Autiſiodorenſi, paſſio ſancti Peregrini, primi civitatis ipſius epiſcopi. Et in territorio Tricaſſinæ civitatis, depoſitio beati Fedoli confeſſoris.

XVI *Kal. Jun.* In Alexandria, natalis ſanctorum Victoris, Baſiliæ. Romæ, via Salutaria veteri, natalis ſanctorum Partheni, Gallæ, Chori, Primi, & depoſitio Liberi epiſcopi. Nividuno, Eraclii, Pauli, Minervi, Aquilini, Victoris.

XV *Kal. Jun.* In Alexandria, natalis ſanctorum Pantamon, Oſtaſii & Serapionis presbyterorum, cum aliis XIII. In Ægypto, Dioſcori lectoris.

XIV *Kal. Jun.* Romæ, natalis ſanctorum Calocerii & Parteni eunuchorum, quorum ex his alter præpoſitus cubiculi Decii imperatoris, alter primicerius, nolentes ſacrificare, à Decio occiſi ſunt. Item in cymitherio Caleſti, via Appia, natalis ſanctorum Paterni, Gallicoli, cum aliis IX. Et paſſio ſanctæ Pontentianæ virginis.

XIII *Kal. Jun.* Mediolano, natalis ſanctorum Gervaſii & Prothaſii. Romæ, via Salutaria, natalis ſanctæ Baſiliſſæ, cum aliis duobus. In Galliis, civitate Nemauſo, natalis ſancti Baudilii martyris.

XII *Kal. Jun.* In Mauritaniis, natalis ſanctorum Thimothei, Eutici diaconi. In Africa, natalis ſanctorum Victi, Maurellæ, Quinti, cum aliis V. Cæſarea Capadociæ, natalis ſanctorum Donati, Primi, cum aliis IV. In Britannia, natalis ſanctorum Thimothei diaconi. Et in civitate Autiſiodero, depoſitio beati Valis presbyteri, & confeſſoris.

XI *Kal. Jun.* Romæ, natalis ſanctorum Fauſtini, Thimothei, Venuſti, cum aliis XIII. In Corſica, paſſio ſanctæ Juliæ. Et in Africa, Caſti & Mili, qui per ignem paſſionis martyrium conſumarunt. Scribit Cyprianus in lib. de Lapſis. In civitate Autiſiodero, depoſitio ſanctæ Helenæ virginis.

X *Kal. Jun.* Hiſpaniis, civitate Valentia, natalis ſanctorum Baſilii epiſcopi, cum aliis III. In Cæſarea, Lucii, Juliani, Felicis, cum aliis X. Vienna, paſſio ſancti Deſiderii epiſcopi, cum aliis VII.

IX *Kal. Jun.* In porto Romano, natalis ſancti Vincentii, cum aliis XII. In Galliis, civitate Nametis, natalis ſanctorum Rogatiani & Donatiani germanorum martyrum.

VIII *Kal. Jun.* Romæ, ſancti Urbani Papæ, cujus doctrina multi martyrio coronati ſunt. Mediolani, natalis Dionyſii epiſcopi. Trecas, depoſitio ſancti Leonis confeſſoris & ab.

VII *Kal. Jun.* In Britannia, depoſitio Auguſtini, primi Anglorum epiſcopi. In Africa, Pauli, Quadrati, cum aliis tribus. In territorio Autiſioderenſæ civitatis, loco Quintiaco, paſſio ſancti Priſci, cum innumera multitudine ſociorum ſuorum Martyrum.

VI *Kal. Jun.* In Alexandria, natalis ſanctorum Aculi presbyteri, Euangelii & aliorum XIV. In Thomis, Heleæ, Luciani, Zotici, Martialis, Victuri, Murianæ. In Africa, natalis ſanctorum Sacci, Juli, Damiæ, Carpiæ. In Sardinia, natalis ſanctorum Saluciani, Eutici epiſcopi, Creſcentini, Ticiani, Quinti, Sciabili.

V *Kal. Jun.* Pariſius, Germani confeſſoris. Ipſo die, depoſitio ſancti Joannis Papæ, quem quia orthodoxus erat, & à Juſtino imperatore orthodoxo, Conſtantinopolim veniens, glorioſe ſuſceptus erat, Theodoricus rex Arianus inreverenter in Ravenna in cuſtodia tentum, uſque ad mortem, cum aliis æque Catholicis viris, perduxit XV Kal. Junii. Meminit S. Gregorius in Dialogis, cujus corpus tranſlatum in [de] Ravenna, ſepultum eſt in Baſilica ſancti Petri Apoſtoli V Kal. Jun. Olibrio Cos.

IV *Kal. Jun.* Apud Nicomediam, natalis ſancti Criſpoli. In Cæſarea Cappadociæ, Cyrilli. In Africa, natalis ſanctorum Primi, Baſſimonii, & aliorum CLIV. Treveris, depoſitio ſancti

ſancti Maximini epiſcopi. Romæ, via Aurelia, natalis ſancti Reſtituti. Via Tiburtina, VI Germanorum. Hyſpaniis, natalis ſancti Genti.

III *Kal. Jun.* Antiochia, natalis ſanctorum Sitii, Palatini. Turribus Sardiniæ, natalis ſanctorum Gabini, Criſpoli.

Prid. Kal. Jun. Romæ, via Aurelia, natalis ſanctorum Petronillæ, Proceſſi, Martiniani. In Aquileia, natalis ſanctorum Canti, Cantiani, Griſogonæ, Cantianellæ. Cartagine, natalis ſancti Datiani. Turribus Sardiniæ, natalis ſancti Criſentiani.

Letaniæ indicendæ.

JUNIUS HABET DIES XXX.

Kalend. Junii. Natalis ſancti Nicomedis martyris. Antiochia, natalis ſanctorum Zoſimi, Teclæ. In Africa, natalis ſancti Criſpini. Romæ, Cyriaci, cum aliis tribus. In Theſſalonica, Lucciæ & Auccie regis, & aliorum multorum. Vienna, depoſitio Helladi epiſcopi.

IV *Non. Jun.* Romæ, Marcellini presbyteri & Petri exorciſtæ, qui multos in carcere ad fidem erudientes, poſt dira vincula & plurima tormenta decollati ſunt ſub Judice Sereno. Et qui eos decollavit, vidit animas eorum ſplendide ornatas ab angelis ferri ad cælos, & pœnitentiam agens, ſub Julio Papa baptizatus eſt in ſenectute ſua nomine Dorotheus. Ipſo die in Lugduno, ſanctæ Blandinæ cum XLVII Martyrum, cui à prima luce, uſque ad veſperam tormenta ſemper innovantes, ad ultimum victos ſe tortores confitentur. Quæ & ſecundo pulſata cruciatibus, non ſuperatur. Tertio quoque die religata eſt ad ſtipitem, atque in crucis modum diſtenta, beſtiis pabulum præparatur; quam cum nulla ex beſtiis auderet attingere, rurſum revocatur ad carcerem. Quarto etiam verberibus acta, graticulis exuſta, & multa alia perpeſſa, ad ultimum gladio jugulatur. Tunc & Pontius annorum XV per omnia tormentorum genera, cum ipſa per circum actus, & materna ejus cohortatione roboratus, ante illam martyrium conſumavit ſub Antonino. Scriptum eſt vero in hiſtoria eccleſiaſtica l. 5.

III *Non. Jun.* In Africa, natalis ſanctorum Quirini, Gagi, & aliorum LIV. Romæ, natalis ſancti Marcelli & aliorum multorum. Et alibi, depoſitio ſanctæ Juliæ, ſacræ puellæ. Et in territorio Aurelianenſi, vico Maiduno, depoſitio ſancti Lifardi presbyteri & confeſſ.

Prid. Non. Jun. Romæ, via Appia, natalis ſanctorum Pecti, Arethei, Datiani. In Panonia, natalis ſancti Quirini. In Sicilia, natalis ſanctorum Itali, Philippi, Euthici, cum aliis X. Et alibi, natalis ſancti Rutuli, cum aliis duobus.

Nonas Jun. Romæ, via Ardeatina, miliario VII, natalis ſanctorum Felicitatis, Gregorii, Saturnini & aliorum XXII. In Ægypto, natalis ſanctorum Martiani, Nigrandi, Apollonii. In Africa, Euaſi, Privati. In Friſia Germaniæ, paſſio ſancti Bonefacii archiepiſcopi & Eobanii ejus epiſ. cum aliis ſervis Dei.

VIII *Id. Jun.* In Nividuno, natalis ſanctorum Amantii, Lutii, Alexandri, cum aliis tribus. In Africa, natalis ſanctorum Zotici, Philippi, Camati, cum aliis II. Gratianopolim, depoſitio Cerati epiſcopi.

VII *Id. Jun.* Conſtantinopolim, natalis ſanctorum Fortunati epiſcopi, cum aliis IV. In Africa, natalis ſanctorum Victuri, Euaſi, Quirilli, cum aliis IV. In Cæſarea Capadociæ, natalis ſancti Luciani.

VI *Id. Jun.* In Cæſareæ Paleſtina, natalis ſancti Chriſti. In Doroſtoro, natalis ſancti Marci. Romæ, via Aurelia, natalis ſanctorum Naboris & Nazarii. In Sardinia, natalis ſancti Saluſtiani. In Galliis, Serſione civitate, depoſitio ſancti Medardi epiſcopi & confeſſoris.

V *Id. Jun.* Romæ, via Nomentana, natalis ſanctorum Primi, & Feliciani. In Alexandria, natalis ſancti Maximi presbyteri. In Nicea civitate, natalis ſancti Diomedis, cum aliis IV. In Galliis, vico Pompeiaco, paſſio ſancti Vincentii martyris.

IV *Id. Jun.* Romæ, via Aurelia, miliario XII, natalis ſancti Baſilidi, cum aliis XXIV. In Hiſpaniis, natalis ſancti Criſpoli. In Nicomedia, natalis ſancti Zachariæ. Autiſiodero, depoſitio beati Cenſurii epiſcopi.

III *Id. Jun.* Natalis ſancti Barnabæ Apoſtoli. Romæ, via Salutaria veteri, natalis ſanctæ Aſellæ. Et via Nomentana, natalis ſanctorum Reſtituti, Criſpoli. In Aquileia, Emeriti, cum aliis tribus.

Prid. Id. Jun. Romæ, via Aurelia, miliario VIII, natalis ſanctorum Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazari. Tripolim, natalis ſanctorum Zabini, Aurilii, Donatellæ, Secundæ, cum aliis IV.

Idus Jun. Romæ, via Ardeatina, natalis ſanctæ Feliculæ. Et alibi, natalis ſancti Luciani, Fortunati, Criſcentiani, Teclæ.

XVIII *Kal. Julii.* Eliſei prophetæ. In Frigia, civitate Laodicia, natalis ſancti Antiani & Afræ. In Africa, natalis ſanctorum Quintiani, Teodoli, cum aliis II. In Aquileia, natalis ſancti Proti. In territorio Seſſionis civitatis, paſſio ſanctorum Valerii & Ruffini.

XVII *Kal. Jul.* In Aquileia, natalis ſanctorum Clementis, Cantiani, cum aliis duobus. In Provincia Siciliæ, paſſio ſanctorum Viti, Modeſti & Criſentiæ.

XVI *Kal. Jul.* Ferroli presbyteri & Ferructionis diaconi in civitate Viguncenſi, qui ſub Julio Claudio ad trocleas extenti & flagellati, deinde in carcerem recluſi, & mane amputatis linguis prædicabant verbum Dei. Poſt hoc ſubulæ XXX utriuſque infixæ in manibus & pedibus & pectore; ad ultimum gladio feriuntur. In Antiochia, Cirici martyris, & Julitæ matris ejus, cum aliis CCCCIV. Nammetis, natalis ſancti Similiani.

XV *Kal. Jul.* Romæ, via Salutaria veteri, natalis ſancti Quiriaci, cum aliis VIII. Alexandria, Dioſcori, Marini. Aquileia, natalis ſanctæ Ciriæ, cum aliis duobus. Aurilianis civitate, depoſitio ſancti Aviti presbyteri & conf.

XIV *Kal. Jul.* Natalis ſanctorum martyrum Marci & Marcelliani. Scriptum in paſſione ſancti Sebaſtiani. Ravenna, natalis ſanctorum martyrum Felicis, Emili, Criſpini. Alexandria, natalis ſanctæ Marinæ.

XIII *Kal. Jul.* Mediolano, natalis ſanctorum Gervaſii & Protaſi, quorum ſepulchra Ambroſius, Domino revelante, repperit, & ita incorrupta eorum corpora, acſi eodem die fuiſſent interempti. Romæ, in Cymitherio Hippoliti, natalis ſanctorum Honorii, Euodi, Petri.

XII *Kal. Jul.* In Thomis civitate, Pauli, Cyriaci & aliorum V. Et alibi, Vitalis, Criſpinæ, Martyriæ.

XI *Kal. Jul.* In Africa, natalis ſanctorum Saturnini, Quiriaci, Apollonaris, cum aliis III. In Sicilia, civitate Siracuſa, natalis ſanctorum Rufini, Marciæ.

X *Kal. Jul.* Nola civitate, depoſitio ſancti Paulini epiſcopi & confeſſoris. In Britanniis, ſancti Albani martyris, qui tempore Diocletiani, in Verolamio civitate, poſt verbera & tormenta acerrima, capite plexus eſt, ſed illo in terram cadente, oculi ejus, qui eum percuſſit, pariter ceciderunt. Paſſus eſt cum illo etiam unus de militibus, eo quod eum ferire juſſus, noluerit. Divino utique perterritus miraculo, quia viderat beatum Martyrem ſibi, dum ad coronam martyrii properaret, alveum amnis interpoſiti, orando tranſmeabile reddidiſſe.

IX *Kal. Jul.* Britanniæ, ſanctæ Ediltrudæ virginis & reginæ, cujus corpus cum XVI annis eſſet ſepultum, incorruptum inventum eſt. Nicomedia, natalis ſanctorum Aviti, Cinzami. Et alibi, Orionis & aliorum LXXXI.

VIII *Kal. Jul.* Nativitas Præcurſoris Domini. Auguſtiduno, depoſitio ſancti Simplicii epiſcopi.

VII *Kal. Jul.* Theſſalonica, natalis ſancti Laricanitis & aliorum III. Romæ, natalis ſanctorum Luciæ virginis & Aceiæ regis.

VI *Kal. Jul.* Romæ, Joannis & Pauli, quorum primus præpoſitus, ſecundus fuit primicerius Conſtantinæ virginis, filiæ Conſtantini: qui poſtea ſub Juliano martyrium capitis abſciſione meruerunt, per Terrentianum Campiductorem, qui deinde Chriſtianus factus eſt. Pictavi, ſancti Maxentii confeſſoris.

V *Kal. Jul.* Romæ, natalis ſeptem Germanorum. Cordoba Hiſpaniis, natalis ſanctorum Creſcentis, Juliani, Nemeſii, & aliorum XVIII.

IV *Kal. Jul.* Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli. Ipſo die, natalis ſancti Leonis Papæ. In Africa, Fabiani, Felicis & aliorum XXV. In Alexandria, natalis ſanctorum Theodori, cum aliis XXVII. Lugduni Galliis, natalis ſancti Irenei epiſcopi.

III *Kal. Jul.* Romæ, natalis ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Et in eadem urbe, natalis ſancti Novatiani & aliorum DCCCCLXXIX martyrum.

Prid. Kal. Jul. In Africa, natalis ſanctorum Timothei, Zotici. Italiæ, Galati. In Agrippinia, natalis ſanctorum Aſclini, Puphili. Lemodecas, depoſitio ſancti Marcialis epiſcopi & confeſſoris.

Letaniæ indicendæ.

JULIUS HABET DIES XXXI.

Kalend. Julii. In Nicomedia, natalis ſancti Zoili. Romæ, depoſitio Gagi Papæ. In monte Hor, depoſitio Aaron ſacerdotis. Auguſtiduno, depoſitio Leontii epiſcopi.

VI *Non. Jul.* Romæ, natalis ſanctorum Proceſſi & Martiniani. Et in eadem urbe, via Appia, natalis ſancti Euticii.

V *Non. Jul.* Tranſlatio corporis in eccleſia ſancti Thomæ Apoſtoli, paſſus vero in India. In Alexandria, natalis ſanctorum Tiphonis, Meneleai & aliorum X. In Tarſo Ciliciæ Capadociæ, natalis ſanctorum Elionis, Montani, Germani, cum aliis VI. Conſtantinopolim, natalis ſanctorum Eufemiæ, Accacii, & aliorum XXII.

IV *Non. Jul.* Turonis, tranſlatio corporis ſancti Martini, & ordinatio epiſcopatûs, ſeu & dedicatio Baſilicæ ipſius. In Africa, natalis ſancti Succidiani martyris. Et in territorio Biturico, natalis ſancti Lauriani.

III *Non. Jul.* In Sicilia, natalis ſanctorum Agathonis, Triphonis. Et in Thomis, Theodoti, Mariæ. Alexandria, natalis ſancti Arpotis.

Prid. Non. Jul. In Alexandria, natalis ſanctorum Palladii, Philippi. In Syria, natalis ſancti Aratoris. Nividuno, natalis ſancti Zotici, Aretis. Lugduni, depoſitio beati Leontii epiſ.

Nonas Jul. In Alexandria, Parthenii, Appollonii, Publii, cum aliis numero XVI. Et alibi, natalis ſanctorum Partemii, Paterni, cum aliis numero XIX.

VIII *Id. Jul.* Natalis ſancti Procopi in Paleſtina, qui ab Scitopoli ductus Cæſaream, ad primam reſponſionum ejus confidentiam irato judice Fabiano, capite cæſus eſt. In Syrmia, natalis ſanctorum Parentii, Cæciriæ. In Eraclea, natalis ſanctorum Joannis, Apri.

VII *Id. Jul.* In civitate Tyre, natalis ſanctorum Anatoliæ virginis & Audacis Marſi, qui uterque capitali ſententia coronati ſunt. Romæ, natalis ſanctorum Felicis, Philippi. Et in Cymitherio Prætextati, natalis ſancti Januarii. Et in eadem urbe, natalis ſanctarum Rufinæ & Secundæ. Senonas, ſancti Eracli epiſcopi.

VI *Id. Jul.* Romæ, ſeptem Fratrum filiorum ſanctæ Felicitatis, id eſt Felicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri & Silani & Januarii, ſub præfecto Urbis Publio, tempore Antonini principis.

V *Id. Jul.* In Africa, natalis ſancti Mariani. Et in Arminia minore, natalis ſanctorum Januarii & Pelagiæ. Et depoſitio ſancti Benedicti abbatis.

IV *Id. Jul.* Romæ, natalis ſanctorum Stephani, Leontii, Mauritii, cum aliis numero XXXIX. In Antiochia, nat. ſanctor. Prodociæ, Veronicæ & Specioſæ. Alexandria, natalis ſancti Eutici.

III *Id. Jul.* In Aquileia, natalis ſanctorum Fortunati, & Armagiri. Modiolano, natalis ſanctorum Namoris, Felicis. Cæſareæ Cappadociæ, natalis ſanctorum Divi, Cornelii. Lugduno Galliæ, depoſitio beati Inventioli.

Prid. Id. Jul. Africa, natalis ſanctorum Papiæ Donati. Ponto, ſancti Focæ epiſcopi, qui ſub Traiano imperatore, præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Chriſto ſuperavit: cujus reliquiæ in Baſilica Apoſtolorum, in Galliis civitate Vienna habentur. Et alibi, depoſitio beati Amici presbyteri.

Id. Jul. In Alexandria, natalis ſanctorum Philippi, Zenonis, Naſei & X infantum. In Syrmia, natale ſanctorum Agripini, Secundi, Maximi, Fortunati, Marcialis. Romæ, natalis ſanctorum Eutropi, Zozimæ & Bonoſæ ſororum. Cartagine, natalis ſancti Catulini diaconi.

XVII *Kal. Auguſti.* In Hoſtia, natalis ſancti Hilarini, qui ſub perſecutione Juliani, cum nollet ſacrificare, fuſtibus cæſus, martyrium ſumpſit. In Antiochia, natalis ſanctorum Theodoſii, Euſtaſi, Dioniſii, Theodoti.

XVI *Kal.*

XVI *Kal. Aug.* In Cartagine, Silicitanorum, id eſt Sperati, Martialis, Felicis, Aquilini, Lactantii, Januarii, Generoſi, Veſtæ, Donatæ & Secundæ ſub Saturnino præfecto, qui poſt primam Chriſti confeſſionem in carcerem miſſi & in ligno confixi, & mane gladio decollati ſunt. Mediolano, natalis ſancti Marcelli. Autiſiodero, depoſitio beati Theodoſii epiſcopi.

XV *Kal. Aug.* Romæ, Semperoſæ matris cum VII germanorum, id eſt Petri, Marcelliani, Januarii, Dioniſii, Simpronii, Clementis, Germani. In Doroſtoro, natalis ſanctorum Miliani, Baſſi, Maximi, Pauli, cum aliis duobus.

XIV *Kal. Aug.* Sancti Patris noſtri Arſenii, de quo in verbis Seniorum refertur, quia propter redundationem lacrymarum tergendam, ſudarium ſemper in ſinu vel in manu habuerit. Conſtantinopoli, natalis ſanctæ Dariæ. Lugduno Galliis, natalis ſancti Ruſtici presbyteri & confeſſoris.

XIII *Kal. Aug.* In Africa, natalis ſanctorum Sabini, Luciani, Petri, cum aliis numero XXIX. In Tebaida, natalis ſancti Victoris. Et in Damaſo, natalis ſanctorum Maximi, Juliani, Macrobi & aliorum XIV. In Corintho, natalis ſanctorum Ciriaci, Donati, cum aliis XIX.

XII *Kal. Aug.* Romæ, natalis ſanctæ Praxitis virginis. Et ſancti Danielis Prophetæ. Et apud Tiburtinam urbem Italiæ, natalis ſanctæ Simphoroſæ, cum VII filiis, Creſcente, Juliano, Nemeſio, Primitivo, Juſtino, Stacteo, Eugenio, cum quibus ſimul paſſa eſt. Maſſilia, natalis ſanctorum Victoris, Alexandri, Deuteri.

XI *Kal. Aug.* Natalis ſanctæ Mariæ Magdalenæ. In Antiochia, natalis ſancti Cirilli, cum aliis IV. Et in Anquira Gallaciæ, natalis ſancti Platonis, cujus geſta habentur.

X *Kal. Aug.* Ravenna, natalis ſancti Apollinaris epiſcopi, qui Romæ ordinatus ab Apoſtolo Petro, & illuc miſſus eſt; qui etiam in Emilia prædicavit, & in partibus Corinthiorum, & in Miſia, & in partes Danubii; in partibus quoque Tarchiæ; in quibus locis exilio religatus eſt, & ubicumque pervenit, innumeras virtutes fecit, & paſſiones ſuſtinuit; nam nimia cæde mactatus eſt, & rurſum diutius fuſtibus cæſus ac nudis pedibus ſuper prunas impoſitus, rurſum cæſus, & ſaxo os ejus contuſum eſt & cum graviſſimo ferri pondere inclauſus in carcere horifico atque in ligno extenſus eſt, ubi ab omnibus quidem neglectus, ſed ab angelo publicè paſtus eſt; deinde cathenatus atque in exilium directus eſt. In quo rurſum diutius fuſtibus cæſus & rurſum in Ravenna ligatus à paganis, cæſus & vulneratus, & rurſus in carcerem miſſus, & cæſus ſic martyrium conſumavit ſub Veſpaſiano cæſare, Demoſtene Patricio. Rexit eccleſiam annis XXVIII, dies IV.

IX *Kal. Aug.* In Tyro, natalis ſanctæ Criſtinæ virginis. In Namiternina civitate, miliario LXXXIV ab urbe Roma, natalis ſancti Victurini.

VIII *Kal. Aug.* Natalis ſancti Jacobi Apoſtoli fratris beati Joannis. Et in porto urbis Romæ, natalis ſanctorum Aconti, Nni [Nonni.] In Sicilia, civitate Samon, natalis ſancti Criſtofori.

VII *Kal. Aug* In Leadicia Frigiæ, natalis ſanctorum Joviani, Emilli, Felicis, Martiani & aliorum III.

VI *Kal. Aug.* Sancti Simeonis monachi. Nicomedia, natalis ſanctorum Juliæ, Jucundæ, Januarii. Autiſiodero, depoſitio beati Æterii epiſcopi.

V *Kal. Aug.* Laodicia Frigia, natalis ſanctorum Titi, Philippi, Alexandri. Nicomedia, natalis ſancti Pantaleonis. Mediolano, natalis ſanctorum Nazarii & Celſi pueri

IV *Kal. Aug.* Romæ, natalis ſanctorum Felicis, Simplicii, Fauſtini, & Viatricis. Eodem die, depoſitio ſancti Lupi epiſcopi de Trecas, qui cum Germano venit Britanniam, & LII annis ſacerdotio functus eſt: qui tempore Regis Attillæ, qui Galliam vaſtabat, ſicut in himno ejus canitur; dum bello cuncta perderent, orando Trecas munivit. Aurilianis civitate, depoſitio beati Proſperi epiſcopi.

III *Kal. Aug.* Romæ, Abdonis & Sennis ſubregulorum, qui cum in Cordula civitate Perſarum vincula paterentur à Decio, ad ultimum duxit eos Romam cathenis obligatos, & diverſis pœnis maceratos, ubi primo plumbatis cæſi, & deinde gladio interfecti ſunt. Autiſiodero, depoſitio beati Urſi epiſcopi.

Prid. Kal. Aug. In Africa, civitate Sinnada, natalis ſanctorum Democriti, Secundi, Dioniſii, Tiri. Autiſiodero, depoſitio ſancti Germani epiſcopi, qui multis virtutibus, doctrina, & continentia clarus, etiam Brittonum fidem per duas vices à Pelagiana hæreſi defendit.

Letaniæ indicendæ.

AUGUSTUS HABET DIES XXXI.

Kalend. Auguſti. Romæ, ſancti Petri Apoſtoli ad vincula. Antiochia, paſſio ſanctorum Machabæorum VII fratrum, cum matre ſua. Gerunda, paſſio ſancti Felicis martyris. Vercellis, Euſebii epiſcopi, qui moventibus perſecutionem Arrianis, ſub Conſtantino principe martyrium paſſus eſt. Galliis, civitate Bitturicas, depoſitio beati Archadii epiſcopi.

IV *Non. Aug.* Romæ, ſancti Stephani Papæ, qui martyrio coronatus eſt in perſecutione Valeriani principis. Eodem die, natalis ſanctæ Theodotæ, cum III filiis ſuis, qui omnes igne conſumpti ſunt, præcipiente Diocletiano imperatore ſub comite Laodicio.

III *Non. Aug.* Hieroſolyma, inventio corporis ſancti Stephani Protomartyris, ubi haberi dicitur unus de lapidibus, quibus percuſſus eſt, & multas ex eo virtutes ſanitatum fieri. Auguſtiduno, depoſitio Eufronii epiſcopi.

Prid. Non. Aug. Via Lavicana, miliario ab Urbe XIV, natalis ſancti Sachinti. Nicomedia, natalis ſanctorum Segæ & Bartholomei. Lugduno Galliæ, adventus corporis ſancti Juſti epiſcopi de eremo.

Non. Aug. In civitate Auguſtana, paſſio ſancti Afri. Axiopoli, natalis ſanctorum Herenei, Eracli & Baſſi. Auguſtuduno, depoſitio ſancti Caſſiani epiſcopi. Catalonis, depoſitio beati Memii epiſcopi.

VIII *Id. Aug.* Sancti Sixti epiſcopi, Feliciſſimi, & Agapiti diac., qui decollati ſunt ſub Decio. Decollati ſunt cum eo & alii IV ſubdiaconi Januarius, Magnus, Vincentius & Stephanus, ut in geſtis Pontificalibus legitur.

VII *Id. Aug* In Aregio, Donati episcopi, qui, ut Gregorius in Dialogorum meminit, fractum à paganis calicem sanctum ad missas, orando restauravit. Romæ, passio sanctorum XXV Martyrum.

VI *Id. Aug.* Romæ, via Appia, natalis sancti Secundi. Via media, natalis sanctorum Nazarii, Julianæ & Agapæ virginis. Philadelfia, natalis sancti Leonidis. *Eodem die, sancti Cyriaci.*

V *Id. Aug.* Vigilia sancti Laurentii. Eodem die Romæ, natalis sancti Romani militis, qui confessione sancti Laurentii compunctus, petiit ab eo baptizari, & mox jubente Decio cum fustibus exhibitus ac decollatus est. Et in Collonia Thusciæ, natalis sanctorum Faustiniani, Marcellini, cum aliis tribus.

IV *Id. Aug.* Natalis sancti Laurentii sub Decio, qui post plurima tormenta carceris, diversarum laminarum ardentium, ad ultimum in crate ferre [ferrea] assatus martyrium consumavit.

III *Id. Aug.* Romæ, sancti Tiburtii mart. Et in eadem urbe, juxta duas domus Diocletianas, natalis sanctæ Susannæ.

Prid. Id. Aug. In Sicilia, civitate Cantenensium, Eupli diaconi, qui cum diutius torqueretur, decollatus est tempore Diocletiani & Maximiani. Romæ, natalis sanctorum Crisanti & Dariæ; & cum eis passi sunt Claudius, Jason, Maurus & milites LXX. In Istria, natalis sancti Juliani.

Idus Aug. Romæ, natalis sancti Yppolyti martyris & Concordiæ nutricis ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martirizavit, & aliorum XIX de domo ejus, qui simul decollati sunt. Eodem die, natalis sancti Cassiani martyris, cujus passionem Prudentius poëta versibus explicavit.

XIX *Kal. Septembris.* Natalis sancti Eusebii presbyteri. In Africa, natalis sancti Demetrii. In Aquileia, natalis sanctorum Felicis, Fortunati, Januarii.

XVIII *Kal. Sept.* Assumptio sanctæ Mariæ semper Virginis, matris Domini nostri Jesu Christi. Nicomedia, natalis sanctorum Stationis, Philippi, Euticiani.

XVII *Kal. Sept.* Alexandria, natalis sanctorum Orionis & Emili. In Persida, natalis sancti Tyrsi.

XVI *Kal. Sept.* In Cæsarea, natalis sancti Mammetis monachi. Et octavas sancti Laurentii.

XV *Kal. Sept.* In civitate Prænestina, natalis sancti Agapiti. Et in Ponto, natalis sancti Pontani & Helianæ virginis.

XIV *Kal. Sept.* Natalis sancti Magni & sancti Andreæ martyrum, cum sociis suis duo mil. quingentorum CX & VII. Ponto in Amatica civitate, natalis sanctorum Philonis, Rufini & aliorum V. Et in territorio Biturice civitatis, natalis sancti Mariani.

XIII *Kal. Sept.* Cainone castro, depositio sancti Maximini episcopi. Heræ insula, depositio sancti Philiberti abbatis. In Lucana civitate, natalis sanctorum Valentiani, Leonti. In Alexandria, natalis sancti Dioscori.

XII *Kal. Sept.* Hispaniis, natalis sanctorum Julii & Juliani, cum aliis tribus. In porto Romano, natalis sancti Hippoliti. In Sardinia, natalis sanctorum Quadrati episcopi, Traiani. Et in territorio Gavallæ civitatis, natalis sancti Privati martyris.

XI *Kal. Sept.* Natalis sancti Timothei, qui ab Antiochia veniens Romam, sub Militiade Papa susceptus est in ospitium à Silvestro, qui postea episcopus fuit. Qui cum annum totum & aliquot menses ibi prædicans, multos ad Christum convertisset, tentus à Tarquinio Urbis præfecto & lunga carceris custodia maceratus, cum sacrificare idolis noluisset, tertio cæsus & gravissimis suppliciis attractatus, ad ultimum decollatus, & juxta beatum Paulum Apostolum sepultus. Augustiduno, passio sancti Simphoriani martyris.

X *Kal. Sept.* In Aquileia, natalis sanctorum Fortunati & Ermogenis, cum aliis II. Lugduno Galliæ, natalis sanctorum Minervi & Eleazari. Remis civitate, natalis sanctorum Timothei, Appolinaris. Augustiduno, depositio sancti Flaviani episcopi. Arvennis, depositio sancti Sindonii episcopi.

IX *Kal. Sept.* In India, natalis sancti Bartholomei Apostoli. Romæ, passio sancti Genesii martyris. Rotomaco, depositio sancti Audoëni episcopi & confessoris. Nevernis, depositio beati Patricii abbatis.

VIII *Kal. Sept.* In Provintia Syriæ, natalis sancti Juliani. Capua Campaniæ, natalis sanctorum Rufinæ, Euticæ. Arelato, passio sancti Genesii martyris. Et in eadem Provincia, natalis sanctorum Justi & Pastoris.

VII *Kal. Sept.* Natalis sanctorum Erenei & Abundi Romæ, quos Deciana persecutione, jussit Valerianus incloacari, eo quod corpus beatæ Concordiæ in cloacam missum, levaret; & ipsorum quoque corpora levavit Justinus presbyter & sepelivit in cripta juxta beatum Laurentium. Et in eadem urbe, natalis sanctorum martyrum Mercurii, Maxiliani, Quintini.

VI *Kal. Sept.* Romæ, natalis sanctorum Hermetis & Basillæ. In Lucana, natalis sancti Felicis cum aliis III. Arelati, depositio sancti Cæsarii episcopi & confessoris. Augustiduno, depositio beati Siagrii episcopi.

V *Kal. Sept.* In Africa, Ippone regius, passio sancti Augustini episcopi, qui primo de sua civitate Sardiniam translatus, sed nuper à Luitbranno rege Langobardorum Ticinis relatus, & honorifice conditus est. Romæ, natalis sancti Ermetis. In territorio Arvennis, passio sancti Juliani martyris. Sanctonis civitate, depositio beati Biviani episcopi & confessoris.

IV *Kal. Sept.* Romæ, natalis sanctæ Sabinæ virginis & martyris. Eodem die, decollatio sancti Joannis Baptistæ, qui primo in Samaria conditus, nunc in Alexandria: porro caput de Hierosolymis ad Phœnicem urbem Emissam delatum. Et depositio Elisei prophetæ.

III *Kal Sept.* In Venusia, civitate Apuliæ, natalis sanctorum Felicis epis. civitatis Tubzocensæ, & Audacti presbyteri, & Fortunatiani & Septemini lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti à Magnelliano curatore XVIII Kal. Julii, inde multis diu vinculis & carceribus macerati, & in Africa & in Sicilia, tandem gladio consumati sunt. Felix LVI annorum virgo obiit Romæ, Gaudentiæ virg.

II *Kal Sept.* Treveris, depositio sancti Paulini episcopi, qui pro fide Catholica à Constantio imperatore Arriano exilium passus, ubi & requievit. Ancyra Galatiæ, natalis sanctorum

rum Gaiani, Juliani, Rufini, cum aliis XI. Autisiodero, depositio beati Optati episcopi.

Letaniæ indicendæ.

SEPTEMBER HABET DIES XXX.

Kalend. Septembris. In villa Erdona, in Appollia', in Galliis, Senonas civitate, depositio beati Lupi episcopi & confessoris. Capua, natalis sancti Prisci. Cartagine, natalis sanctorum Fortunati, Donati, Felicis. Celomannis, depositio sancti Victoris episcopi.

IV *Non. Sept.* Nicomedia, natalis sanctorum Zenonis, Gorgoni, Theodotæ, cum filiis suis. Lugduno Galliæ, depositio sancti Justi episcopi & confessoris.

III *Non. Sept.* In Provincia Syriæ, sub Constantio imperatore, passio sancti Antonii adolescentis annorum XX & Aresti episcopi, cujus gesta habentur.

Prid. Non. Sept. In Ancyra Galatiæ, natalis sanctorum Silvani, Marcelli, Maximi, cum aliis XIV. Romæ, depositio sancti Bonifacii episcopi. Galliis, civitate Cavillono, passio sancti Marcelli episcopi & martyris.

Nonis Sept. Romæ, natalis sanctorum Taurini, Arestosii. In Capua Campaniæ, natalis sanctorum Ferreoli & Ferructionis.

VIII *Id. Sept.* Romæ, natalis sancti Eleutheri episcopi. Et depositio Zachariæ prophetæ.

VII *Id. Sept.* Cappua, natalis sancti Senoti. Et passio sancti Anastasii. Arelato, depositio Augustalis episcopi. Aurelianis, depositio beati Euortii episcopi. Et in territorio.....

SPECIMINA

Ex Martyrologiis S. Maximini apud Treviros, S. Cyriaci Romæ, & Barberiniano majori.

PRIMUM

Ex Sanmaximiano, descripto manu P. Alexandri Wilthemii, quod incipit à festivitatibus Apostolorum.

MENSIS JULIUS.

Kalend. Julii. In monte Or, depositio Aaron. Passio sanctorum Apostolorum Simonis Cananei & Judas Zelotis. Remis civitate, depositio sancti Teuderici presbyteri

VI *Non. Jul.* Natale sanctorum Processi & Martiniani & aliorum.

V *Non. Jul.* Translatio sancti Tome Apostoli, qui passus est in India.

IV *Non. Jul.* Turonis civitate, ordinacio episcopatus & translatio corporis sancti Martini. Et natale sanctorum Petri & Marcellini.

III *Non. Jul.* In Africa, natale Jocundiani, Agathoni, Trifonis, Thomi.

Prid. Non. Jul. Octabas Apostolorum. Augustiduno, depositio sancti Leonti.

Nonas Jul. In Alexandria, Eracli, Apollonis, Publi, cum aliis.

VIII *Id. Jul.* In Nicia, Sustrati, Eracli, Speri, Emmi ib. [*Forte* alibi *aut* aliorum.]

VII *Id. Jul.* In Tomis, Zenonis, Vitalis, Cirilli episcopi, Fraterni.

VI *Id. Jul.* Romæ, natalis sanctorum septem fratrum, Felicis, Philippi, Maximi.

V *Id. Jul.* Natale sancti Benedicti abbatis. Alibi, Januarii, Stephani.

IV *Id. Jul.* In Sicilia, civitate [Catana,] natale sanctæ Agathæ virginis. Namoris.

III *Id. Jul.* In Alexandria, Seraphionis, Menei presbyteri, Trofimi vir. [*Lege* Trophimæ virginis]

Prid. Id. Jul. In Africa, Donatæ. Sancti Foci episcopi. Natale Justi episcopi. Amici.

Id. Jul. In Alexandria, natale sanctorum Philippi, Zenonis, Jacobi.

XVII *Kalend. Augusti.* In civitate Hostia, natale sancti Hilarini. Et natale sancti Valentini.

XVI *Kal. Aug.* In Africa, Aquilini. Sancti Marcelli. Depositio beati Teodosi.

XV *Kal. Aug.* Romæ, via Tiburtina, natale sanctorum Symphorosæ.

XIV *Kal. Aug.* In Alexandria, Sisinni, Machadori. Sancti Dariæ & aliorum.

XIII *Kal. Aug.* In Africa, natale sanctorum Sabini, Luciani, Victoris.

XII *Kal. Aug.* Natale sancti Pancrati. In Africa, natale sanctorum Victoris.

XI *Kal. Aug.* Natale sancti Apolonaris. Antiochia, Cirilli, Andrei.

X *Kal. Aug.* Romæ, via Tiburtina, natale sancti Vincenti. Et sancti Apol. [Apollinaris]

IX *Kal. Aug.* In Arminia civitate, milites LXXXIII. Sanctæ Christinæ.

VIII *Kal. Aug.* Natale sancti Jacobi Apostoli, fratris sancti Johannis. Passio sancti Cristofori.

VII *Kal. Aug* In Laudiciæ Frigiæ, Emili, Felicis, Marciani.

VI *Kal. Aug.* In Nola civitate, natale sancti Felicis, Jocunde & aliorum.

V *Kal. Aug.* Natale sanctorum Simplici, Faustini & Beatricis. Nazari & Celsi.

IV *Kal. Aug.* Natale sancti Felicis. Tricas civitate, depositio sancti Lupi episcopi.

III *Kal. Aug.* Natale sanctorum Abdo & Senes. Fausti, Justi. Antisiodero, Ursi.

Prid. Kal. Aug. Democreti, Dionisi. Antisiodero, Germani confessoris.

In reliquis idem annuntiandi modus.

SECUNDUM
EX MARTYROLOGIO S. CYRIACI,
Quod incipit à Kalendis Januarii.

JULIUS HABET DIES XXXI.

LUNA VERO EJUS XXX.

Kalend. Julii. Rome, Gagi Pape & ſanctorum Luceie virg. & Acceie regis, cum aliis VIII. Et in monte Hor, depoſitio Aaron ſacerdoti primi.

VI *Non. Jul.* Rome, natalis ſanctorum Proceſſi & Martiniani. Et depoſitio Melziadis PP.

V *Non. Jul.* Tranſlatio Thome Apoſtoli in Edeſſa; paſſus vero in India.

IV *Non. Jul.* Turonis, tranſlatio ſancti Martini confeſſoris, vel ordinatio epiſcopatus ejus, ſeu dedicatio baſilice ipſius. Et natalis ſancti Lauriani martyris, cujus caput Hiſpalim portatum eſt.

III *Non. Jul.* In Sicilia, Agathoni, Triphonis, Feratoris, Theodoti, Secundini.

Prid. Non. Jul. Iſaie Prophete. Et octabas Apoſtolorum.

Non. Jul. In Alexandria, Partheni, Eraclei, Publici, cum aliis XVIII.

VIII *Idus Julii.* Natale Procopii in Paleſtina, qui ab Scitopoli ductus Ceſaream, ad primam reſponſionum ejus confidentiam irato judice Flaviano, capite ceſus eſt.

VII *Id. Jul.* In civitate Tyre, nat. ſanctorum Anatholie, & Audacis ſub Decio imperatore, quorum Anatolia cum multos in Piceno infirmos, lunaticos ac demoniacos curaſſet, ducta eſt jubente Feſtiano ad civitatem Tyrie & diverſis plagarum generibus vexata; deinde cum repente tota nocte incluſa eſt, nihil leſa eſt. Quin & ipſum Marſum, qui ſerpentem dimiſerat, nomine Audacem, mane à ſuo ſerpente devorandum, eripuit & ad Chriſti martyrium devertit. Nam ipſe poſt hoc ob confeſſionem veritatis in cuſtodiam datus, nec mora, capitali ſententia coronatus eſt. Ipſa quoque Chriſti virgo gladio tranſverberata, cum ſtaret extenſis manibus in oratione, ita ut per dextrum latus gladius miſſus, per ſiniſtrum exiret; quæ paſſa eſt VIII Idus Julii, ſepulta autem mane à civibus Tyrenenſibus. Audax vero, quia de Oriente erat, ab uxore ſua & filiis illo tranſlatus eſt. Eodem die VII Iduum Juliarum, de preſidio [depoſitio] ſancti Patris noſtri Effrem.

VI *Id. Jul.* Septem fratrum filiorum ſanctæ Felicitatis; id eſt Felicis, Philippi, Vitalis, Marcialis, Alexandri, Silani & Januarii ſub prefecto Urbis Publio, tempore Antonini Principis. E quibus Januarius poſt verbera virgarum & carcerem ac plumbatis occiſus eſt; Felix & Philippus fuſtibus mactati, præcipitio Silanus interemptus eſt: Alexander, Vitalis & Marcialis capitali ſententia ſunt puniti. Et ſanctarum Ruffine & Secunde.

V *Id. Jul.* Depoſitio ſancti Benedicti abbati. Romæ, ſanctorum Leonitii, Stephani, Mauricii.

IV *Id. Jul.* In Aquileia, Fortunati, Agathe virginis, Naboris & Felicis.

III *Id. Jul.* In Alexandria, Sertipionis, Actali, Zeononis, Trophime virginis.

Prid. Id. Jul. Sancti Focati epiſcopi Ponti, qui ſub Traiano imperatore, prefecto Africano, carcerem, vincula, ferreum igneum etiam pro Chriſto ſuperavit; cujus reliquie in Baſilica Apoſtolorum in Gallia civitate Vienna habentur. Gallia, natale ſancti Juſti epiſcopi & confeſſoris.

Idus Julii. Sancti Cirici, Philippi, Secundi, Marcialis. Et Jacobi epiſcopi Nizivis, qui in corpore multa ſigna fecit, & arca Noë ſolus vidit in monte, nulli alio, de his qui cum eo perrexerant, videre eſt permiſſum.

XVII *Kal. Auguſtas.* In Hoſtia, natalis ſancti Ylarini, qui perſecutione Juliani, cum nollet ſacrificare, fuſtibus ceſus, martyrium ſumpſit. In Antiochia, Theodoſii, Euſtaſi, Dioniſi.

XVI *Kal. Aug.* In Cartagine, Sulidanorum, id eſt Sperati, Marcialis, Cithii, Veſtorii, Felicis, Aquilini, Lactantii, Januarii, Generoſi, Veſte, Donate & Secunde ſub Saturnino prefecto, qui poſt primam Chriſti confeſſionem in carcere, & in ligno confixit & mane gladio decollati ſunt. Autiſiodoro, Theodoſii epiſcopi. *Et ſancti Alexii confeſſoris.*

XV *Kal. Aug.* Natale ſancti Arnulphi confeſſoris. Romæ, Symphoroſe matris VII germanorum.

XIV *Kal. Aug.* Sancti Patris noſtri Arſenii, de quo in verbis Seniorum refertur, quæ per pater [quia propter] redundationem lacrimarum tergendam ſudarium ſemper in ſinu vel in manu habuerit. Et alibi, Ruſtici.

XIII *Kal. Aug.* Romæ, paſſio ſancti Strie, Magrini, Neſtite, Satiri, Amirini, Secundi. Sancte Margarite virginis & martyris.

XII *Kal. Aug.* Natale ſanctæ Praxedis virginis. Et ſancti Danihelis prophete. Et apud Tiburtinam urbem Italie, natale ſanctæ Symphoroſe, cum ſeptem filiis, Creſcentie, Juliano, Necomeſio, Primitivo, Juſtino, Stacteo, Eugenio, cum quibus ſimul paſſa eſt ab Adriano principe, qui ipſam Symphoroſam juſſit palmis cedi, deinde ſuſpendi crinibus, ſed cum ſuperari nullatenus poſſet, juſſit eam alligato ſaxo in fluvium precipitari. Cujus frater Eugenius, curie principalis Tyburtine, colligens corpus ejus ſepelivit. Mane imperator juſſit ſeptem figi ſtipites, ibique filios ejus ad trocleas extendi, & Creſcentem in gutture transfigi, Julianum in pectore, Nemeſium in corde, Primitivum per umbilicum, Juſtinum per membra diſtenſum ſcindi per ſingulos corporis nodos atque junc-

turas,

cturas ; Stacteum lanceis innumerabilibus ; donec moreretur, in terra configi ; Eugenium findi à pectore uſque ad inferiores partes. Altera autem die Adrianus precepit corpora eorum ſimul auferri & projici in foveam altam , & poſuerunt pontifices nomen loci illius, ad ſeptem Biathanatos.

XI *Kal. Aug.* Nat. ſanctæ Marie Magdalene. In Antiochia , Arilli Andree.

X *Kal. Aug.* Natale ſancti Apollenaris epiſcopi in Ravenna. Qui Romæ ordinatus ab Apoſtolo Petro, & illuc miſſus eſt. Qui etiam in Emilia prædicavit, & in partibus Corinthiorum, & in Miſia, & in ripa Danubii, & in partibus Tharachie, in quibus locis exilio religatus eſt, & ubicumque pervenit, innumeras virtutes fecit & in paſſiones ſuſtinuit: nam nimia eum cede mactatus eſt, & rurſum diutius fuſtibus ceſus ac nudis pedibus ſuper prunas impoſitus ; rurſum ceſus, & eculeo appenſus tortus eſt, & ſaxo hos ejus contuſum eſt, & cum graviſſimo ferri pondere incluſus in carcere horrifico atque in ligno extentus eſt, ubi ab hominibus quidem neglectus , ſed ab Angelo publice paſtus eſt. Deinde catenatus in exilium directus eſt ; in quo rurſum diutius fuſtibus ceſus & rurſum in Ravenna ligatus à paganis , ceſus & vulneratus & rurſum in carcerem miſſus, & ceſus ; ſic martyrium conſumavit ſub Veſpaſiano ceſare, Demoſtene Patricie. Rexit eccleſiam annos XXXVIII, dies quatuor. *Vide Bedam.* Romæ, Vincentii. Natale Primitivi.

IX *Kal. Aug.* Natale ſanctæ Criſtine virginis. In A.... tino [Amiterno,] ſancti Victorini martyris.

VIII *Kal. Aug.* Natale ſancti Jacobi Apoſtoli Zebedei. Et ſancti Chriſtophori.

VII *Kal. Aug.* In Laodicie Frigie , Jobiani , Juliani, Felicis, Marciani. *Sancti Paſtoris presbyteri.*

VI *Kal. Aug.* In Siria, Simeonis monachi. In Nicomedia , Juliani , Jocundi. In Nicomedia, ſancti Pantaleimonis.

V *Kal. Aug.* In Mediolanum, Nazarii & Celſi. In Britannia , ſancti Samſonis epiſcopi & confeſſoris.

IV *Kal. Aug.* Natale ſanctorum Felicis, Simplicii, Fauſtini & Beatricis. De preſidio [Depoſitio] ſancti Lupi epiſcopi de Trecas, qui cum Germano venit Brittania, & anni [annis quinquaginta] ſacerdotio functus eſt. Qui tempore regis Attile, qui Galliam vaſtabat, ſicut in ymno ejus canitur : Dum bella cuncta perderent , orando Trecas muniit. Alibi, depoſitio Proſperi epiſcopi.

III *Kal. Aug.* Romæ, Abdon & Sennes ſubregulorum , qui cum in Corduba civitate Perſarum, vincula paterentur à Decio, ad ultimum adduxit eos Romam catenis obligatis & diverſis pœnis maceratis, ubi primùm plumbatis ceſos deinde gladio interfecti ſunt.

Prid. Kal. Aug. Autiliodoro , depoſitio ſancti Germani epiſcopi. Et natale ſanctorum Secundini, Maxime. Eodem die, reconciliatio ſancti Nicolai.

TERTIUM
EX BARBERINIANO ACEPHALO
Quod incipit ab Idibus Martii.

JULIUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

Kalend. Julias. Romæ, natale ſanctarum Luciæ virginis, & Aucenæ reginæ, cum aliis XXI. Aniſolæ monaſterio , depoſitio S. Carilephi presbyteri. In monte Or, depoſitio Aaron ſacerdotis. In Meſopotamia, Zeli, cum aliis ſex. Orionis, cum aliis IX. Et aliorum ducentorum ſeptuaginta quatuor. Auguſtiduno, depoſitio Leontii epiſcopi & S. Quintiani.

VI *Non. Jul.* Romæ, paſſio ſanctorum militum Proceſſi & Martiniani. Et nat. S. Damaſi Papæ, & depoſitio Meltiadis epiſcopi. Turonis, depoſitio S. Monegundæ virginis.

V *Non. Julii.* In Ediſſa, tranſlatio S. Thomæ Apoſtoli , qui fuit paſſus in India XII Kal. Januarii. In Alexandria, Triponis, Menelai, Cyrilli, Juliani. Conſtantinopoli, Eufemiæ, Acaci, Demetrii.

IV *Non. Jul.* Turonis, ordinatio epiſcopatus, & tranſlatio corporis & dedicatio baſilicæ S. Martini epiſcopi & confeſſ. In Syrmia, Sabbatiæ, Innocens, cum aliis triginta. Betirivo civitate, nat. ſancti Lauriani epiſcopi & mart.

III *Non. Jul.* In Sicilia , Agathonis & Triphonis. In Thomis, Stratoris , Theodoci , Rodoſiæ, Secundini. In Alexandria, Arpotis.

Prid. Non. Jul. Eſaiæ prophetæ. Romæ, octava Apoſtolorum. In Syria, Zotici, Amandi

Artetis. Auguſtiduno, depoſitio S. Leontii epiſcopi. In Alexandria, Arthoti, Zeti, Philippi, Severi. Eodem die in Binga , natalis S. Goaris.

Non. Julii. In Alexandria, Partheni, Eradii, Apollonii, cum aliis decem & octo. Et alibi, Alexandri , Partiminii.

VIII *Idus Jul.* In Paleſtina, natalis S. Procopii martyris, qui ab Scithopoli ductus Cæſaream, ad primam reſponſionum ejus confidentiam irato Judice Flaviano, capite cæſus eſt. Auguſta Virmandorum , inventio corporis S. Quintini mart. Et alibi , Agreſti, Primuli. In Nicæa, Soſtrati, Eradii.

VII *Id. Jul.* In civitate Tyræ, natale ſanctorum Anatholiæ virg. & Audacis mart. ſub Decio imperatore, quorum Anatholia, cum multos in Picæno infirmos , lunaticos , ac dæmoniacos curaſſet , deducta eſt, jubente Feſtiniano , in civitatem Tyriæ, & diverſis plagarum generibus vexata. Deinde cum ſerpente tota nocte incluſa, nihil læſa eſt : quin & ipſum Marſum, qui ſerpentem dimiſerat, nomine Audacem, mane à ſuo ſerpente Devorandum eripuit & ad Chriſti martyrium convertit. Nam ipſe poſt, ob confeſſionem veritatis, in cuſtodiam datus, nec mora, capi-

tali ſententia coronatus eſt. Ipſa quoque Chriſti virgo gladio tranſverberata, cum ſtaret extenſis manibus in oratione, ita ut per dextrum latus gladius miſſus, per ſiniſtrum exiret : quæ paſſa eſt VII Id. Jul., ſepulta autem mane a civibus Tyrenenſibus. Audax verò, quia de Oriente erat, ab uxore ſua & filiis illò tranſlatus eſt. Eodem die, depoſitio ſancti Patris noſtri Effrem. Romæ, nat. virginum Flavianæ, Fauſtinæ.

VI *Id. Jul.* Romæ, paſſio ſanctorum ſeptem fratrum filiorum S. Felicitatis. Id eſt, Felicis, Philippi, Vitalis, Marcialis, Alexandri, Silani, & Januarii, ſub præfecto Urbis Publio, tempore Antonini principis. E quibus Januarius poſt verbera virgarum & carcerem ac plumbatis occiſus eſt; Felix & Philippus fuſtibus mactati; Silanus præcipitio interemptus eſt; Alexander, Vitalis, & Martialis capitali ſententia ſunt puniti. Romæ, paſſio *S. Ruſinæ & Secundæ.*

V *Id. Jul.* Romæ, paſſio ſanctorum Stephani, Leontii, Mauricii & Militonis. In pagum Aurelianenſem, inventio corporis S. Benedicti abbatis & depoſitio ejuſdem.

IV *Id. Jul.* Mediolano, Naboris, Felicis & Primitivi. In Aquileia, nat. ſanctorum Fortunati & Armogeni. Lugduno Galliæ, depoſitio S. Viventioli epiſcopi.

III *Id. Jul.* In Alexandria, Serapionis, Melei, Zenonis, Naſei, Attali, Menei presbyteri & Trofimæ virginis.

Prid. Id. Jul. Natalis S. Focati epiſcopi Ponti, qui ſub Traiano imperatore, præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Chriſto ſuparavit, cujus reliquiæ in baſilica Apoſtolorum in Gallia civitate Vienna habentur. Lugduno Galliæ, depoſitio ſanctorum Juſti & Amati epiſcoporum.

Idus Julii. In Alexandria, natal. ſanctorum Philippi, Zenonis, Naſei & decem ſororum. In Cartagine, nat. S. Catholini diaconi. Eodem die, S. Quirici & Julitæ matris ejus.

XVII *Kal. Auguſti.* In civitate Hoſtia, paſſio S. Hylarini, qui ſub perſecutione Juliani, cum nollet ſacrificare, fuſtibus cæſus martyrium ſumpſit. In Cæſarea, natal. ſanctorum Pauli & Mammetis. Et natal. ſanctorum Valentini Theoni, Diocletis.

XVI *Kal. Aug.* In Cartagine, paſſio ſanctorum Sicilitanorum martyrum, id eſt, Sperati, Marcialis, Cithii, Veſturii, Felicis, Aquilini, Lactantii, Januarii, Generoſi, Vaſtæ, Donatæ & Secundæ, ſub Saturnino præfecto; qui poſt primam Chriſti confeſſionem, in carcerem miſſi, & in ligno fixi, & mane gladio decollati ſunt. Mediolano, nat. S. Marcelli. *Romæ, S. Alexii.*

XV *Kal. Aug.* Romæ, apud Tiburtinam urbem Italiæ, paſſio S. Simphoroſæ, cum ſeptem filiis ſuis (S. Brunonis epiſcopi confeſſoris.) Nemeſio, Primitivo, Juſtino, Stracteo, Eugenio, cum quibus ſimul paſſa eſt ab Adriano principe, qui ipſam Simphoroſam juſſit palmis cædi, deinde ſuſpendi crinibus. Sed cum ſuperari nullatenus poſſet, juſſit eam alligato ſaxo in fluvium præcipitari. Cujus frater Eugenius curiæ principalis Tiburtinæ, colligens corpus ejus, ſepelivit, & mane imperator juſſit ſeptem figi ſtipites ibique filios ejus ad trocleas extendi & Creſcentem in gutture transfigi, Lucianum in pectore, Nemeſium in corde, Primitivum in umbilico, Juſtinum per membra diſtenſum, ſcindi per ſingulos corporis nodos atque juncturas; Stacteum lanceis innumerabilibus, donec moreretur, in terra configi; Eugenium findi in pectore uſque ad inferiores partes. Altera autem die Adrianus præcepit corpora colligi. In Ponto, Amantiæ civitate, natale Pontini, Filantii, Helianæ virginis, Mariæ virginis.

XIV *Kal. Aug.* Natalis S. Arſeni monachi, de quo in verbis Seniorum refertur, quia propter redundationem lachrimarum tergendam, ſudarium ſemper in ſinu vel in manu habuerit. In Alexandria, Siſinni. In Spania, natal. S. Juſti. Lugduno Galliæ, depoſitio Ruſtici epiſcopi & confeſſoris.

XIII *Kal Aug.* Romæ, natal. ſanctorum Paſſeriæ, Macrini, Saturi. In Africa, Sabini, Luciani, Amabilis. In Thebaida, nat. Victoris. In Damaſco, nat. Maximi, Luciani, Macrobii, cum aliis decem.

XII *Kal. Aug.* Romæ, nat. S. Praxedis virginis. Eodem die, S. Danielis prophetæ. In Maſſilia, natal ſanctorum Victoris, Alexandri, Feliciani & Longini.

XI *Kal. Aug.* Natal. S. Mariæ Magdalenæ. In Anthiochia, natal. ſanctorum Cyrilli, Andreæ, Tabeili. Et alibi, nat. S. Platonis.

X *Kal. Aug.* In Ravenna, nat S Apollinaris epiſcopi & martyris, qui Romæ ordinatus ab Apoſtolo Petro, & illuc miſſus eſt. Qui etiam in Æmilia prædicavit, & in partibus Corinthiorum, & in Meſia, & in Ripa Danubii, & in partibus Traciæ, in quibus locis exilio religatus eſt, & ubicumque pervenit, innumeras virtutes fecit & paſſiones ſuſtinuit; nam nimia cæde mactatus eſt, & rurſum diutius fuſtibus cæſus, & eculeo appenſus, tortus eſt, & ſaxo os ejus contum eſt, & cum graviſſimo ferri pondere incluſus in carcere horrifico atque in ligno extenſus eſt, ubi ab hominibus quidem neglectus, ſed ab Angelo publicè paſtus eſt. Deinde catenatus in exilium directus eſt, in quo rurſum diutius fuſtibus cæſus & rurſum Ravennæ ligatus, a paganis cæſus, ſic martyrium conſumavit ſub Veſpaſiano cæſare, Demoſtene Patricio. Rexit eccleſiam annis viginti octo & diebus quatuor. Romæ, natal. S. Primitivæ & S. Vincentii martyris.

IX *Kal. Aug.* Romæ, nat. S. Victurini. In Arminia civitate, natal. ſanctorum Theonis, Victoris, Militonis. In Tyro civitate, nat. S. Chriſtinæ virginis.

VIII *Kal. Aug.* Hieroſolimæ, paſſio S. Jacobi Apoſtoli Zebedei, fratris Joannis Euangeliſtæ, qui decollatus eſt in civitate Hieroſolima juſſu Hærodis, qui fuit nepos Hærodis, filius Archelai. In Licia, civitate Samon, paſſio S. Chriſtophori mart. Pariſio, tranſlatio corporis S. Germani epiſcopi & conf.

VII *Kal. Aug.* In Laodicia Phrigiæ, nat ſanctorum Joviniani, Juliani, Felicis, Marciani. Et alibi, nat ſanctarum Mucianæ, Laudaiæ.

VI *Kal. Aug.* In Nicomedia, natal. ſanctorum Juliæ, Secundæ, Januarii Et in Sicilia, nat. S. Symeonis monachi. Autiſiodoro, depoſitio ſancti Ætherii epiſcopi & confeſſoris. Et S. Pantaleymon.

v *Kal. Aug.* In Nicomedia, nat. ſanctorum Nazarii & Celſi. In Laodicia, civitate phrigiæ, nat. ſanctorum Theophili, Prudentii, Philippi, Alexandri. Et alibi, natal. S. Auguſtæ virg. In occiduis partibus....

IV *Kal. Aug.* Romæ, natal. ſanctorum Felicis Papæ, Simplicii, Fauſtini, & Beatricis. Trecas civitate, depoſitio S. Lupi epiſcopi [qui] cum Germano venit Britanniam, & quinquaginta annis ſacerdotio functus eſt. Qui tempore regis Atilæ, qui Galliam vaſtabat, ſicut in hymno ejus canitur : Dum cuncta bella perderent, orando Trecas muniit.

III *Kal. Aug.* Romæ, paſſio ſanctorum Abdon & Sennes ſubregulorum, qui cum in Cordula civitate Perſarum vincula paterentur à Decio, ad ultimum duxit eos Romam catenis obligatos & diverſis pœnis maceratos, ubi primò plumbatis cæſi, deinde gladio interfecti ſunt. Autiſiodoro, depoſitio S. Urſi epiſcopi.

Prid. Kal. Aug. In Africa, civitate Sindana, natalis ſanctorum Democriti, Secundi, Dionifii, Tyrſi.

MARTYROLOGII
USUARDINI

PARS SECUNDA

A Menſe Julio.



MENSIS JULIUS

Habet Dies XXXI.

Kalendis. *Die* I.

IN monte Or, depoſitio Aaron ſacerdotis primi. In territorio Lugdunenſi, depoſitio beati Domitiani abbatis, qui primus illic heremiticam vitam exercuit, & plurimos ſibi in Dei ſervitio aggregans, magniſque virtutibus & glorioſis miraculis valde clarus, collectus eſt ad patres in ſenectute bona. Civitate Engoliſma, ſancti Eparchi monachi & confeſſoris. Aninſulæ monaſterio, ſancti Carilefi presbiteri. In territorio Remenſi, ſancti Theoderici presbiteri. In portu Valencianas, ſancti Salvii confeſſoris. *Aaron.* *Domitian.* *Eparchi.* *Carilefi.* *Theoderic.* *Salvii.*

Sola fere pura eſt *Greveni* editio.

VARIA LECTIO. Legit Greven. *Hor* & ſic ex Romano parvo & Adone deſcribere debuit Uſuardus. Nihilominus codices reliqui, excepto Molano, habent ut eſt in textu. Rurſus in Greveno eſt *Eparchii*, ſcripſi cum aliis *Eparchi*. Item *Aninſulæ* & *Carileſi*, contra quam in edito ſit *Anynſulæ*, *Karileffi*. *Theoderici* & *Theodorici* promiſcue ſcribitur; aliqui habent *Teoderici*, nos primo modo uſi ſumus. Denique citatus codex & Molanus ponunt, *Salvii martyris*, nos cum ceteris, *confeſſoris*, licet aliam lectionem præferendam ſciamus.

OBSERVATIO. Celebrem olim fuiſſe oportet in Eccleſia Latina *Aaronis* memoriam, quam vel ipſe Wandelbertus, pauciſſimos Sanctos complecti ſolitus, tribus hodie verſibus, quos paulo inferius dabimus, prædicat. Exſtat apud Hieronymiana pleraque; item in Romano parvo, unde in Adonem tranſiit, & ex hoc totidem verbis in textum noſtrum. *Domitianum* ſacris Faſtis primus inſeruit Ado, eumdem elogio proſecutus, quod Notkerus liberalius, Noſter parcius, ſed eleganter delibavit. Nec eatenus dubitatio ulla poteſt occurrere. Quæ ſecundo loco ab Adone refertur *Monegundis*, ea à Noſtro in ſequentem diem tranſlata eſt: *Martinus* autem Viennenſis epiſcopus tertius, plane omiſſus, ut ſæpe Uſuardum feciſſe, non ſemel alibi obſervavimus. Qui in Uſuardo ſequitur *Eparchus* Enculiſmenſis, in Lucenſi vocatur *Separcus*, in Corbeienſi *Eparcus*, utrobique *epiſcopus*, quem rectius codices noſtri *monachum* dicunt & *presbyterum*, ex alterutro Hieronymiano ab Uſuardo acceptum. Vide Surium & Acta Benedict. tomo 1 pag. 267. Ex citato Corbeienſi profluxiſſe credimus *Carilefum* ſeu *Karilefum*, itidem presbyterum, hoc modo ibi notatum: *Cinomannico*, *Aniſola monaſterio*, *depoſitio S. P.* *Aaron.* *Eparchi.* *Carileſi.*

Karileſi, presbyteri & confeſſoris. At quæri poteſt, qua phraſi Uſuardus annuntiationem ſuam expreſſerit; An, *In pago Cenomanico*, ut legit Pratenſis & ei conſimiles Antverp-major & Roſweyd.; an potius, *Aninſulæ monaſterio*, ut reliqui? Nos horum auctoritati innixi, ſcripſimus, ut eſt in textu. Molanus, qui in prima editione *Carilefum* Auctariis annumeraverat, re melius expenſa, in poſterioribus loco eum ſuo reſtituit. Plura de hoc Sancto memorant Rabanus & Notkerus, quorum ille *Arilefum*, hic *Arileffum* nominant, quæ indicaſſe ſufficiat, alibi ex profeſſo diſcutienda; dum vitam dabimus, à B. Siviardo ſcriptam, inter Acta Benedictina editam, tomo 1 pag. 642, & cum Suriana aliiſque Mss. conferemus. Hîc locum habeant verſus Wandelberti de Aarone & Carilefo:

Primus qui veteris populi legiſque ſacerdos
Extitit, incenſi primuſque litavit ad aram,
Aaron orditur Juli ſacratque Calendas.
Has quoque contemptor mundi Carilephus honorat.

Theodericum Remenſem ſignant codices univerſim omnes, cum ea tamen differen- *Theoderic.*
tia, quod Pratenſis cum ſuis, tribuat ſolum *Confeſſoris*, alii omnes ſolum *presbyteri* titulum. Dubium itaque non eſt, quin hic ab Uſuardo primum conſignatus fuerit. Exſtat vita Theoderici in Appendice Benedict. tomo 1 à pag. 614. In fine, nodus intricatior.
Monuimus ſupra ad XXVI Junii, eraſam in codice Pratenſi *Perſeverandam*, inſcriptam- *Salvii.*
que commemorationem *Salvii Enculiſmenſis epiſcopi.* Hîc adverto, ab eodem codice & Munerato notari: *In Britannia, ſancti Leonorii confeſſoris & epiſcopi.* Et in hoc quidem omiſſa non eſt Salvii annuntiatio, quæ in Pratenſi omnino deeſt, alio nempe tranſlata, cujus locum ſubinde impleverit *Leonorius*, ceteris omnibus, etiam Antverp-majori & Roſweyd. incognitus. Unde patet cur binos illos codices è purorum numero excluſerimus. Ubi & hoc obſervandum, Grevenum & Molanum legere *Salvii martyris*; & recte prorſus; ſic tamen ut ſatis indicent, ſe antiquiores codices correxiſſe, in quibus paſſim ſolo *Confeſſoris* titulo honoratur. Itaque, ſi non plane certum, ſaltem veroſimillimum eſt, ſimplicem & genuinum Uſuardi textum à nobis in laterculo productum eſſe. Equidem Salvium hîc ab Uſuardo ipſo conſignatum, vix dubito. Cetera vide ad XXVI Junii, quo die Henſchenius plures Salvios perperam in unum conflatos diſtinxit. Siquid forte diſtinctioris notitiæ aliunde accedat, in Actis proprio loco poterit recenſeri.

AUCTARIA.

Leonorii. PRATEN. & MUNERAT. In fine: *In Britannia, ſancti Leonorii confeſſoris & epiſcopi.* Sed cum differentia, de qua in Obſervatione jam diximus.

HERINIEN. Proprium habet, quod Theodericum memoret 3 loco, cum hoc elogio: *De Theoder.* *Abbatis, diſcipuli ſancti Remigii, qui ejuſdem magiſtri ſui ſuffragantibus meritis, regis Francorum filiam aſſeritur reſuſcitaſſe à mortuis.* Cetera puriſſimus eſt.

TORNACEN. Omiſit elogium Domitiani. De reliquo etiam plane cum textu convenit.

ROSWEYD. De Theoderico, addit, *Pontificis.* In fine autem: *Item ſanctarum virginum, Fidei &c.* *Fidei, Spei, & Charitatis, & Sophiæ, matris earum.*

PULSANEN. Incipit: *Paſſio ſanctorum* DCCC *Martt.* 800. *martyrum, qui tempore Diocletiani in Verolanio civitate paſſi ſunt.* Vide XXII Junii. In Aaron, purus eſt. Deeſt elogium Domitiani. De Eparcho, Carilefo, & Theoderico, nihil. Salvium, vocat *Silvanum.*

ANTVERP-MAJ. Forte dubitans quem ex duobus ultimo loco ſignaret, Salvium an Leonorium, utrumque prætermiſit.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Deficiunt in Ca- *Oct. I. B.*
rilefo. Abundant in fine: *Eodem die, octava ſancti Joannis Baptiſtæ.*

MOLAN. In prima editione, ut jam diximus, è textu Carilefum expunxit, quem in poſterioribus repoſuit.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERG. & DANIC. Omnes, ſed non eodem loco annuntiant: *Octavæ ſancti Joannis Baptiſtæ.* In omnibus deeſt, *Carileſi.* Tres primi legunt: *Salvii epiſcopi & confeſſoris.*

LOVANIEN. Initio: *Apud Mechliniam, paſſio* *Rumoldi.*
ſancti Rumoldi martyris, epiſcopi Dunellenſis, filii regis Scotiæ. Vide Auctarium MOLANI. Elogium ſancti Domitiani expunctum eſt. In ceteris convenit cum ANTVERP-MAX. &c.

CENTULEN. Incipit: *Octava ſancti Joannis* *Octav. I. B.*
Baptiſtæ. In Aaron, purus eſt. Sequitur: *Remis, ſancti Theodorici abbatis, diſcipuli ſancti* *Textus*
Remigii. Cenomanis, ſancti Careſſi epiſcopi & *mutilus.*
confeſſoris. Civitate Engoliſma, ſancti Ebarchii confeſſoris & monachi. In territorio Lugdunenſi, depoſitio viri Dei, beati Domitiani abbatis. In margine, recenti manu adjectum eſt: *Depoſitio S. Teobaldi confeſſoris.*

BRUXELLEN. Sic orditur: *Octava ſancti Joan-* *Octav. I. B.*
nis Baptiſtæ. Turonis, depoſitio ſanctæ Monegundis, religioſæ virginis. De Aaron addit: *Fratris Monegund.*
Moyſi. Tum: *Vienna, ſancti Martini, tertii Martini.*
ejuſdem urbis epiſcopi, & ab Apoſtolis ad præfatam urbem miſſi. Quæ ex Adone, ſumpta ſunt. *In territorio Lugdunenſi, loco qui Vallis Nebronia dicitur, depoſitio viri Dei beati Domitiani* &c. *Theodorici*, ſubdit, *abbatis.* In Eparcho purus eſt. In fine: *Item Carileſi presbyteri & confeſſoris.* De Salvio fuſe egit XXVI Junii.

HAGENOYEN. De Aaron multa ſubjungit, quæ ex ſacris paginis certius noſcuntur. Textûs reliqua ſatis pura ſunt. Demum huc differt annuntiationes duas diei præcedentis, de martyribus

tyribus *Corſico* & *Leone*. Item de *Hoſtiano*, ut ipſe ſcribit, *epiſcopo & confeſſore*.

AQUICINCT. Habet: *In pago Cenomanico. Ad Carileſi*, addit: *confeſſoris*, ſine *presbyteri*. Item,
Octav. I. B. *Theodorici, abbatis*, tantum. In fine *Octavæ, ſancti*
Tetbaldi. *Joannis Baptiſtæ. Et ſancti Tetbaldi confeſſoris.*

VICTORIN. Legit cum textu: *Salvii con-*
Quintiani. *feſſoris.* Tum: *Eodem die, ſancti Quintiani mar-*
Octav. I. B. *tyris. Octavæ ſancti Joannis Baptiſtæ.*

DAVERONEN. *Avinſdæ monaſterio, ſancti Carileffi presbyteri.* De Salvio, recte. *Auguſtodu-*
Leonis ep. *no, depoſitio Leonis epiſcopi.*

AMBIANEN. *Eodem die, natalis ſancti Carile-*
De Karilef. *phi epiſcopi & confeſſoris. Qui in loco, Anſula nuncupatus* [nuncupato,] *heremiticam vitam gerens, plurimorum poſtea ibidem exſtitit pater monachorum, ubi etiam clarus miraculis in pace quievit. In Galliis civitate Ambienſi* [an non *Ambianenſi?*] *dedicatio baſilicæ ſanctæ Mariæ Virginis.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Aaron ſacerdotis. Salvii epiſcopi & martyris cum diſcipulis. Theodorici abbatis. Karilephi epiſcopi & confeſſoris.*
Conrardi. *Conrardi epiſcopi & martyris.* Puto Cunonem Trev. indicari, de quo 1 Junii. *Domitiani abbatis.*

AUGEN. & BURDEGALEN. Pure habent cum textu: *In portu Valentianas; ſancti Salvii confeſſoris.* An de aliis agant, neſcio.

REG. SUEC. num. 130. *Eodem die, ſancti*
Udalrici. *Quintiani martiris. In Alemannia, apud Auguſtanam civitatem, depoſitio B. Udalrici epiſcopi & confeſſoris, magni & glorioſi ab infantia uſque ad obitum ſuum.* Colitur 1v Julii. Alius ſub num. 428:
Leonorii. *Eodem die, ſancti Leonorii epiſcopi & confeſſoris.*

VATICAN. Meminit ſolius Domitiani, re-
Luceiæ &c. jecto elogio. Adjicitur: *Natale ſanctæ Luceiæ virginis & Auceiæ regis, cum aliis octo.*

FLORENTIN. *Apud Ravennas, ſancti Mar-*
Martialis. *tialis confeſſoris, ejuſdem urbis archiepiſcopi.*

JURENSIS S. Ragnoberti. *In pago Cenomannico, Aniſola monaſterio, beati Carileffi confeſſoris & abbatis.* Vide ſuperius.

EDITIO LUBECO-COL. *Octava ſancti Joannis*
Octavæ *Baptiſtæ.* De Aaron, addit, *ut liber Leviticorum teſtatur. In territorio Priviniaco, beati Theobaldi epiſcopi & confeſſoris. Hic ſeipſum ſeculo ſubripuit, & heremiticam vitam per novem annos expetens, pro Chriſto pauperrime vixit, quem propter vitæ ſanctitatem, angeli de cælo, infula pontificali decoraverunt.* De Domitiano, ſatis pure. Tum: *In Brabantiæ civitate Mechlinia,*
Rumoldi. *ſancti Rumoldi epiſcopi Hiberniæ & martyris, filii regis Scotiæ, qui licet ipſo die natalis Præcurſoris Domini paſſus ſit, ejus tamen ſolemnitas hic feſtive peragitur. In territorio Remenſi, ſancti*
De Theoder. *Theodorici abbatis & confeſſoris, qui educatus à beato Remigio epiſcopo, & ab eodem conſtructo monaſterio, pater exiſtens multorum ſervorum Dei; multis clarus miraculis, inter quæ filiam regis a morte ſuſcitaverat, tandem & ipſe quievit in pace. Turonis, depoſitio ſanctæ Monegundis virginis*
Monegund. *Deo ſacratæ.* De Eparcho, pure. *In territorio Cameracenſis urbis, portu Valencianas, ſancti Silvii martyris, qui capitalem ſuſtinuit ſententiam.*
Leonis ep. *Auguſtoduno, depoſitio ſancti Leonis epiſcopi & confeſſoris.* De Martino, ut BRUXELLEN. ſupra. In fine: *In portu Valencianas, ſancti Salvii confeſſoris.* Geminatur hîc idem, qui XXVI Junii etiam relatus eſt. Omittitur autem Carilefus.

BELIN. *Octava ſancti Joannis Baptiſtæ.* Turbatus eſt ordo, & in prima editione male prætermiſſus eſt Carilefus, qui in altera apponitur.

GREVEN. *Nota. Alibi legitur, Salvii confeſſoris. In Brabantia, ſancti Rumoldi epiſcopi Hi-* *Rumoldi.*
berniæ & martyris, qui paſſus eſt quidem VIII *Kal. Julii, ſed ejus celebritas hic feſtivius recolitur. Viriani martyris & ſociorum ejus. Aaron* *Viriani &c.*
& Julii martyrum, cum aliis pluribus. Gaii Papæ. *Aaron &c.*
Viennæ, ſancti Martini, tertii ejuſdem urbis epi- *Gaii PP.*
ſcopi, ab Apoſtolis illuc miſſi. Auguſtoduni, ſancti *Martini.*
Leontii epiſcopi & confeſſoris. Servani epiſcopi & *Leontii.*
confeſſoris. Pambo abbatis & confeſſoris. Qui cum *Servani.*
eſſet illiteratus, & pſalmum aliquem diſcere cu- *Lupiani.*
peret, lecto ſibi verſu illo; Dixi, cuſtodiam vias *De Pambo.*
meas, ut non delinquam in lingua mea, ſecundum verſum audire noluit, ſufficere ſibi dicens, ſi primum implere poſſet. Romæ, ſanctarum Fidei, Spei *Fidei &c.*
& Charitatis, ſororum virginum & martyrum. Li- *Liberiæ &c.*
beriæ imperatricis & Agrippinæ. Mariæ, ſororis *Mariæ &c.*
Moyſi & Aaron. Eleazari, filii Aaron, & Phi- *Eſther.*
nees nepotis ejus. Heſter reginæ.

MOLAN. Ad Theodorici, aliis litteris inſerit verba HERINIEN. ſupra. Et typis minoribus: *Theodorici, filii Clodovei. Cum autem multas virtutes operatus eſſet gregis Dei ductor Theodo-* *De Theoder.*
ricus (natus patre latrone, tamquam roſa de ſpinis) & angelis eum ſuſcipientibus, cum gloria migraſſet, Rex Theodoricus, ad monaſterium veniens, ſanctum corpus propriis humeris, ad ſepulchrum evexit. In fine textûs: *Qui capitali ſententia mul-* *Octav. I. B.*
tatus, coronam meruit ſempiternam. Octava ſancti *De Rumold.*
Joannis Baptiſtæ. Machliniæ, paſſio ſancti Rumoldi glorioſiſſimi martyris atque Pontificis, Scotorum regis filii, ſignis & doctrina mirabilis. Qui regalis celſitudinis ſolium, & pontificalis dignitatis reſpuens honorem, Machliniam petiit ſibi divinitus revelatam, quam VIII *Kal. Julii conſecravit martyrio, ſed quia eadem die ſanctiſſimi Baptiſtæ & Præcurſoris Domini celebratur nativitas, Romanus Pontifex Alex.* IV, *paſſionem noſtri martyris in nativitatis prædictæ octavis inſtituit ſolemnizari.* Sequitur de Carilepho. Dein:
Eodem die, depoſitio ſancti Theobaldi confeſſoris. *Theobaldi.*
De Leonorio, ut ſupra. Rurſus typis minoribus; *Heſter reginæ Aaron & Julii martyrum* *Eſther.*
cum aliis pluribus, quorum Beda meminit lib. I *Aaron &c.*
Hiſtoriæ ſuæ. Eodem die, Symeonis abbatis, qui *Symeonis*
fuit propter Chriſtum cognominatus Salus, id eſt *Sali.*
ſtultus. Notatur & hac die Simeon in Romano moderno; ubi Baronius: *Agunt de eodem hac die Græci in Menologio.* Ad quæ Roſweyd. in citato non ſemel Ms. *Imo vero*, inquit, *Menologium, uti & Menæa*, XXI *Julii Simeonem Salum ſtatuunt. Exiſtimo Baronium* I *Julii Simeonem poſuiſſe in Martyrologio, quia Aloyſius & Surius inter Vitas Sanctorum eo die exhibent. Qui videntur eam opinionem ſumpſiſſe ex fine vitæ, ubi dicitur* I *Julii obiiſſe. Sed conſulendus textus Græcus, videndumque, an ibi habeatur ά unde interpres* I *Julii expreſſit, an vero κά, quod eſt* XXI *Julii, uti Menæa & Menologium repræſentant.* Unde Molanus hac die acceperit, neſcio, certe XXI Julii, in poſterioribus editionibus, in quibus Græcos adjicit, iterum repetitur idem Simeon. Pergit Molan: *Ar-*
vernis, depoſitio beati Galli, ejuſdem civitatis *Galli.*
epiſcopi & confeſſoris. Cujus vitam beatus Gregorius Turonenſis ſcribit. Item Dononio monaſterio,
ſanctæ Reginæ, matris ſanctæ Rainfridis. In edi- *Reginæ.*
tionibus aliis, incipit litteris Italicis: *Octava ſancti Joannis Baptiſtæ.* Tum: *Mechliniæ* &c. ut ſupra. In textu ponitur Carilefus, omittitur Salvius. De Theoderico ad verba HERINIEN.

ſolum

ſolum hic addit : *Theodorici : idemque Rex ſanctum defuncti corpus propriis humeris ad ſepulcrum evexit. Eodem die, ſolemnitas ſanctæ Reginæ, quæ quieſcit apud Valencenas in Dononio monaſterio. In territorio Pruvino, ſancti Theobaldi confeſſoris.* De Leonorio, ut ſupra. Denique : *Arvernis, depoſitio beati Galli epiſcopi & confeſſoris.* Vide de Gallo plura ſuperius.

VI *Non.* *Die* 2.

Proceſſi & Martinian. ROmæ via Aurelia, natalis ſanctorum Proceſſi & Martiniani, qui à beato Petro Apoſtolo baptizati, ſub Nerone autem oris contuſionem, equuleum, nervos, fuſtes, flammas, ſcorpiones perpeſſi, noviſſime gladio cæſi martyrio coronantur. Ipſo die, ſanctorum trium militum, qui cum beato Paulo Apoſtolo paſſi ſunt. *3 Militum.* Item, *Ariſtonis & ſocior.* ſanctorum martyrum Ariſtonis, Creſcentiani, Euticiani, Urbani, Vitalis, Juſti, Feliciſſimi, Felicis, Martiæ, & Symphoroſæ, qui omnes apud Campaniam glorioſo martyrio coronati ſunt. Turonis, depoſitio *Monegund* ſanctæ Monegundis religioſæ.

Ita ſcribunt *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp. Max-Lubec.* & *Molan.* Adjungitur etiam *Danic.*

VARIA LECTIO. *Eculeum*, *Marciæ*, *Simphoroſæ*, *Fæliciſſimi*, & hujuſmodi alia indicare ſufficiat. Antverp. & Max-Lubec. cum aliis ſecundæ notæ codicibus, legunt *ſcorpioneſque*. Solus Molanus pro *oris contuſionem*, poſuit *concuſſionem*. Idem recte correxit *Eutychiani*, ſed nos codices reliquos ſequimur, in quibus conſtanter *Euticiani*. Dubium eſt circa titulum, Monegundi adſcribendum. Praten. cum ſuis, nempe Antverp-majore & Roſweyd. legit, *Deo ſacratæ*, Optime quidem, ſed nos cum Herinien. Tornacen. & Greven. *religioſæ*, ubi addendum eſſet cum Baronio, *feminæ*. Tu præfer quod magis placuerit, modo ne cum Molano & codicibus reliquis apponas lauream *Virginis*, quæ viduæ, duarum filiarum matri, minime convenit.

Proceſſi & Martinian OBSERVATIO. Illuſtris eſt in Sacramentario Gregorii, nec non in Kalendariis ab Allatio & Frontone editis, atque item apud antiquos Martyrologos omnes, *Proceſſi* & *Martiniani* hoc die memoria, ſimpliciter & recte à Beda prædicata : auctius à Rabano, ſed tacito etiam martyrii & ſepulturæ loco. Difficultatem ingerunt Hieronymiana apographa, ad XXXI Maii *Via Aurelia* eos collocantia, hodie vero ſcribentia : *Romæ*, *Damaſi* &c. Quæ Florentinium ancipitem reddunt, an de *Damaſi cœmeterio*, an de ſancto aliquo Damaſo agatur. Creſcit apud illum ex Adone perplexitas, qui in Martyrologio Sanctos illos in *cœmeterio Damaſi* ſtatuit, cum tamen in Feſtivitatibus Apoſtolorum clariſſime exprimat *viam Aureliam*, à præfato cœmeterio longe diſſitam. Crediderim ego, errorem ex Romano parvo emanaſſe, quod Viennenſis in Martyrologio ſecutus fuerit. Prudentior Uſuardus ex libello de Feſtivitatibus totam ſuam annuntiationem belle concinnavit. Porro an poſitiones illæ variæ, tranſlationes vel quid ſimile indicent, opportunius in Actis diſcutiemus ; jam dicta pro præſenti inſtituto ſufficiunt. Verbulum adjicio de prædictorum Martyrum Actis, quæ *eo fideliora eſſe putavit* Baronius, ad annum LXVIII num. 24, *quo breviora noſcuntur*. Henſchenius ad XIV Martii *perantiqua* cenſuit. Aliter plane opinantur recentiores, ut vide apud Tillemontium tomo I pag. 179 & 532. Quid nobis videatur, dicemus propediem. Sic Wandelbertus carmine luſit :

Proceſſus ſextas retinet cum Martiniano
Nonas, martyrii læto irradiante decore.

Militum 3 Ariſtonis & ſocior. Monegund *Milites tres*, Apoſtoli Pauli ſocii, à Romano parvo primum conſignati ſunt, unde eos accepit Ado, & ex hoc Noſter ſua omnia ad verbum deſcripſit. Ex eodem fonte procedunt *Martyres* ſequentes *decem*, in Campania coronati, ſed non omnes nominatim à Romano parvo expreſſi. Haud dubium eſt, quin Adoni præluxerint geſta ſancti Sebaſtiani in quibus (vide Acta noſtra cap. XI) ſingulorum horum & aliorum item nomina enumerantur. Noſter bona fide Adonem ſequens, textum ejus immutatum huc tranſtulit. *Monegundam*, ſeu potius *Monegundem* in Corbeienſi & Lucenſi referri, notat Florentinius, non autem in vetuſtiſſimo Epternacenſi ; unde *Antiquarii Gallici* additamentum eſſe cenſet. Recte, opinor, ſed additamenta hujuſmodi nec in Epternacenſi alias deſunt, æque Gallico, ac ſunt apographa reliqua. Undecumque Monegundem

Usuardus habuerit, certum est, eam hac die ab eo memorari, quam præcedenti ab Adone signatam ibi observavimus. Et quidem in hoc expresse signatur titulus *Virginis*, uti & à Rabano hac ipsa die, sed ab eo Usuardus prudenter abstinuit, Molani idcirco excusatione nequaquam indigens, qui in prioris editionis suæ textu errorem non adverterat. Putat etiam Florentinius *Virginem* fuisse. At enim ex Gregorio Turonensi, ab ipso citato, sed non consulto, melius doceri potuit. En Flori verba ex laudato Gregorio probabiliter accepta: *Turonis, sanctæ Monegundis, quæ duabus filiabus orbata, spreto viri consortio, ad Christum convolavit: cujus amore in parva cellula se recludens, ibidem magna enituit abstinentia, & ante & post transitum multitudine miraculorum.* Censeo itaque Usuardum scripsisse *religiosæ*, vel si ita vis, *Deo sacratæ*, ut supra notavimus. Neque audiendus Molanus, qui in posterioribus editionibus, observato errore primæ, putat *virginem* dici posse, eo quod sanctimonialis fuerit. Monegundis vitam ex Greg. Turon. de Vit. Patrum cap. 19, edidit hoc die Surius: addi potest cap. 24 de gloria Confessorum; quæ omnia accuratius in Actis illustrabuntur.

AUCTARIA.

Swithuni. ANTVERP-MAJ. In fine textui superaddit: *Apud occidentales Saxones, civitate Wenta, depositio sancti Suuithuni mirificæ sanctitatis viri.*

ROSWEYD. Omisit annuntiationem trium militum. Et in fine etiam habet: *Apud occidentales Saxones, civitate Wenta, depositio Suithuni episcopi & confessoris.*

PULSANEN. Purus est usque ad, *qui cum beato Paulo Apostolo coronati sunt*, inclusive. Desunt reliqua omnia, ut alibi sæpe deficit.

MUNERAT. In fine subdit: *Item Visitatio beatæ Mariæ Virginis.*

Visitationis. GREVEN. Quod mirum est, textum incipit: *Visitatio beatæ Mariæ Virginis.* Vide infra.

BELIN. Sic annuntiat: *Visitatio gloriosæ Virginis Mariæ ad Helisabeth.*

ALBERGEN. Incipit simpliciter ut GREVEN. *Visitatio sanctæ Mariæ Virginis.* Alii autem, nempe ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. sic loquuntur: *Visitatio beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ.*

Textus mutilus. CENTULEN. *Romæ in cimiterio Damasi, natale sanctorum Processi & Martiniani, qui a sanctis Apostolis baptizati & sub Nerone passi sunt.* Huc refer notationem Rosweydi pag. 222. *Item sanctorum martyrum Ariston, Crescentiani* &c. (ut in textu) *qui omnes per beatum Sebastianum ad fidem conversi & ad martyrium corroborati sunt.*

BRUXELLEN. Incipit: *Visitatio beatæ Mariæ semper Virginis. Romæ via Aurelia in cimiterio Damasi, natale sanctorum martyrum Processi* &c. pure, uti in sequentibus usque ad finem, nisi quod desit Monegundis, quam per anticipationem, ut sæpe solet, retulit die præcedenti.

HAGENOYEN. De Processo & Martiniano inserit, *baptizati erant, dum adhuc teneretur in vinculis.* Cetera satis pura sunt. De Monegunde ait: *virginis religiosæ.*

De Leon. II. AQUICINCT. Post *Monegundis*, habet, *Deo sacratæ.* Deinde subdit: *Romæ, Leonis Papæ, viri eloquentissimi & divinis litteris sufficienter instructi, Græca Latinaque lingua eruditi. Hic constituit, ut qui archiepiscopus ordinatus fuerit, nullam consuetudinem pro usu pallii, in diversis officiis persolvere debeat.* Hiulcum sensum, clarius redditum vide in Auctariis ad diem XXVIII Junii. Tum: *In Britannia, sancti Suithuni episcopi & confessoris,*

Suithuni

Visitationis. Textus contractus. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Visitatio beatæ Mariæ. Processi & Martiniani martyrum. Sanctorum trium militum, qui cum beato Paulo passi sunt. Aristonis, Crescentiani, Urbani, Eutychiani cum sociis. Monegundis religiosæ.*

In VATICAN. num 5949. Deest, Trium militum & Monegundis.

STROZZIAN. *Sancti Vitumii episcopi & confessoris.* Imo *Swithuni*, ni fallor. *Vitumii.*

CODEX CASTRI KAROLI. *Ipso die, sancti Adegrini. Adegrini confessoris.* Habemus vitam Ms. *Adegrini.*

DIVION. ecclesiæ sancti Stephani. *Apud castrum Divionense, translatio corporis sancti Medardi episcopi & confessoris.* Vide VIII Junii. *Translat. Medardi.*

EDITIO LUBECO-COL. *Visitatio gloriosæ Virginis Mariæ. Quæ statim in montana post conceptionem filii Dei, abiit in civitatem Juda, ad salutandam Elisabeth cognatam suam, in qua salutatione Joannes, adhuc inclusus in utero matris suæ, sanctificatus est. Romæ via Aurelia, in cimiterio Damasi, natale* &c. quæ non nihil interpolata sunt usque ad finem. *De Visitat.*

De Monegunde egit pridie. In fine adjicitur: *Ipso die, beati Swituni episcopi & confessoris.* *Swituni.*

GREVEN. *Nota. Festum Visitationis beatæ Mariæ institutum fuit ab Urbano* VI, *anno Domini* MCCCLXXXIX, *superadditumque est hic Usuardo.* Melius intactum reliquisset Usuardi textum, ut alibi facere solitus est. Sequitur: *Mamertini martiris.* Fallor vehementer, nisi hîc ex carcere *Mamertini* imperitus aliquis Sancti & quidem martyris nomen efformaverit. *Ottonis episcopi & confessoris; secundum alios pridie Kal. Julii. In Anglia, Swituni episcopi Wintonienſis & confessoris. Item ibidem, Sibertini confessoris. Mariæ Jacobi, scilicet Minoris, filiæ Cleophæ.* *Mamertini. Ottonis. Swituni. Sibertini. Mariæ Jac.*

MOLAN. Litteris Italicis textui præfigit: *Visitatio gloriosæ Virginis Mariæ ad Elisabeth, à Domino Urbano cum multis indulgentiis instituta.* Post textum adjicit: *Dominica secunda post festum Joannis, Binchii, translatio sanctorum Ursmari, Ermini, Theodulphi, Ulgisi, Amoluini, Abel, Hydulphi & Amelbergæ, de ecclesia Lobiensi, in oppidum Binchiense facta anno* MCCCCIX, *die* XX *mensis Junii.* Dein minoribus typis: *In Anglia, sancti Swituni episcopi Wintonienſis & confessoris. Othonis episcopi & confessoris depositio in Bamberga.* In editionibus aliis, sic habet: *In Britannia civitate Vintonia, depositio sancti Suuithuni episcopi & confessoris, cujus merita usque hodie miraculis coruscant. Babenbergæ, sancti Ottonis episcopi & confessoris. Die secunda, depositio stolæ sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ in Blachernis. Dominica secunda post festum Joannis, Binchii, translatio sanctorum &c.* *Translat. Ursmar. &c.* *Swituni.* *Ottonis.* *Deposit. Stol. B. M. V.*

V *Non.* *Die* 3.

Tranſlat. Thomæ Ap. APud Edeſſam Meſopotamiæ, tranſlatio corporis ſancti Thomæ Apoſtoli. Ipſo die apud Cneocæſaream Ponti, natalis beati Gregorii epiſcopi & martyris, qui magnâ ſignorum ac miraculorum gloriâ prædítus, inter cetera quodam tempore, ut eccleſiæ faciendæ locus ſufficeret, montem precibus movit. Civitate Cluſina, ſanctorum martyrum Hirenei diaconi & Muſtiolæ nobilis matronæ, qui paſſi ſunt ſub Aureliano principe. In Laodicia Siriæ, ſancti Anatholii epiſcopi, qui non ſolum religioſis viris, ſed & philoſophis admiranda ſcripta dereliquit. Alexandriæ, ſancti Triphonis & aliorum decem. Item Conſtantinopoli, ſancti Eulogii.

Gregorii. *Irenæi & Muſtiolæ.* *Anatholii.* *Triphonis.* *Eulogii.*

Ita *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Cneocæſarea* aliàs dictum eſt, ſequor orthographiam plerorumque codicum: qui ferme omnes poſt Rom. parvum & Adonem legunt *epiſcopi & martyris*, ſed Antverp-maj. & Roſweyd, corrigunt *epiſcopi & confeſſoris*. Roſweyd. habet ſolus *faciundæ*. Scribendum *Cluſina* ut plerique ponunt: excipe Munerat. qui *Eluſina*; Greven. *Seluſina*; Molan. *Seleuſina*. *Hirenei* ut ſæpius ſupra, non *Hireni* ut Antverp-major, qui etiam male legit *Muſteolæ*. Rurſus idem & Roſweyd. *Laodiciæ Siria*, nos cum pleriſque *Laodicia Siriæ*. Melius Praten. *Laodicea*, & Molan. *Syriæ*. Errat Munerat. in *Antonii* pro *Anatholii*. Solus Roſweyd. habet *phyloſophis*. In Greven. & Molan. deeſt *ſcripta*. Praten. ſcribit, *reliquit*, alii omnes *dereliquit*. Greven. & Molan. cum pluribus mediæ notæ codicibus, Triphoni jungunt ſocios *duodecim*. Denique Antverp-maj. pro *Conſtantinopoli*, ſubſtituit *Conſtantinopolim*; qui ſatis frequens medii ævi annuntiandi modus.

Tranſlat. Thomæ Ap. OBSERVATIO. *Apoſtoli Thomæ* Edeſſam tranſlatio celebratur in pluribus Hieronymianis, in Beda & Rabano, in Romano parvo ac proinde in Adone, atque ex hoc in Noſtro, iiſdem ferme ubique terminis, niſi quod Hieronymiana & Beda addant, *ex India*, ubi tamen adhuc aſſervari corpus, ii teſtantur, qui ſeculo XVI, res Indicas proſecuti ſunt. Salvat utramque opinionem Baronius in Notis hac die; cui rei examinandæ proprius erit locus dum Acta Apoſtoli illuſtrabuntur ad XXI Decembris. *Gregorii martyris* meminit Romanum parvum, unde eum accipiens Ado, eos characteriſmos ex Euſebio Rufini lib. 7. cap. 26 & Hieronymo de Script. cap. 65 fuſe deduxit, ex quibus de *Thaumaturgo* agi minime dubium relinquatur, tametſi Acta ipſa clare demonſtrent, ſanctum illum *Thaumaturgum*, proprie dictum martyrium non ſubiiſſe, ut pluribus dicetur XVII Novembris. Ceterum Uſuardus, ductoris ſententiam ſequens & contrahens, nihil in laurea mutandum cenſuit, quod à poſteris nonnullis factum, in Variantibus lectionibus oſtendimus. Sequuntur *Irenæus & Muſtiola*, Cluſii in Etruria Martyres, à ſolo Uſuardo notati, ſiquidem vere Uſuardina ſint, quæ hîc ponuntur, ut tantiſper bona fide ſuppoſuimus ad XXIII Junii, ubi de *Felice Sutrino*; quamvis judicio noſtro præferendi eſſent codices Herinienſis & Tornacenſis, à quibus & hi, & ille omnino abſunt. Codicum numero & auctoritate vincimur, ex quorum unanimi conſenſu textus noſter eruendus eſt. Vide quæ de eorum paſſionis hiſtoria diximus ad citatum diem XXIII Junii. Ex Romano parvo ſumitur *Anatholius*, cujus verbis Ado vix quidquam ſuperaddidit, ita ut breve ejus elogium, totum Uſuardo tribuendum ſit, ex Rufini Euſebio lib. 7 cap. 28, unde nomen erutum erat, veroſimillime acceptum. *Triphonem* Alexandrinum cum pluribus ſociis memorant apographa Hieronymiana. In eorum numero, vel ipſi codices noſtri diſcrepant. At recte *decem* ſtatuit in Præfatione ſua generali Bollandus, Epternacenſis codicis ſenſum explicans: & nos Uſuardum ſic vere legiſſe exiſtimamus. Rurſus Conſtantinopolitanos plures eſſe, ex iiſdem Hieronymianis conſtat. Aſt ab auctore Romani parvi ſolus nominatur *Eulogius*, ſolus item ab Adone, ſolus à Noſtro, cujus genuinam ſententiam, ſub adhibita in Cluſinis cautione, toto textu productam cenſemus. Quo ſenſu intelligi debeat Wandelberti de Anatholio atque Eulogio verſiculus, dicetur in Actis. Ita ille hodie binos ſuos, quos vocat pontifices, cecinit:

Gregorii. *Irenæi & Muſtiolæ.* *Anatholii.* *Triph. &c.* *Eulogii.*

Pontifices quintas Anatholius Eulogiuſque.

AUCTA-

AUCTARIA.

HERINIEN & TORNACEN. Carent, ut diximus, Irenæo & Muſtiola, de cetero puriſſimi ſunt.

PULSAN. Caret præterea Gregorio & Triphone; hîc paſſim imperfectus.

De Gregor. ANTVERP. & MAX-LUBEC. De Gregorio ita ex Adone textum augent: *Qui jurgantibus de quodam ſtagno duobus fratribus, facta oratione, aquam lacui ſubduxit, & abiſſis divino nutu reſtituit, & virentem campum germanis concordibus dereliquit. Sed & quodam tempore ut eccleſiæ* &c. Deeſt Irenæi, Muſtiolæ & Anatholii. Triphoni tribuunt ſocios *duodecim.* Et in fine *Eulogii &c.* habent: *Item Conſtantinopoli, ſancti Eulogii, Eufemiæ, Acaci, Demetri.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN & LOVAN. Superioribus de Gregorio verbis præfigunt: *Qui ſicut Eccleſiaſtica lib. 7 narrat hiſtoria, jurgantibus* &c. Sequitur: *Alexandriæ, Triphonis & aliorum* XII. *Item Conſtantinopoli, ſancti Eulogii, Eufemiæ, Acacii & Demetrii.* Demum de Anatolio, ut textus, omiſſis annuntiationibus de Irenæo & Muſtiola.

ALBERG. & DANIC. Proxime citatis ſimiles, carent annuntiatione Anatholii.

CENTULEN. *In India, paſſio ſancti Thomæ Apoſtoli, cujus ſacrum corpus ad Ediſſam Meſopotamiæ relatum eſt* XII *Kal. Januarii, quando celebrior dies ei agitur. Apud Gneocæſaream Ponti, ſancti Gregorii epiſcopi & martyris, beati Athenodori fratris. Qui Gregorius maxima miraculorum gratia præditus fuit.*

BRUXELLEN. Secundo loco de Irenæo & Muſtiola. Tertio de Triphone & XII. Tum de Eulogio, Euphemia, Acacio & Demetrio. De Gregorio, fere ut ANTVERP. ſupra. Dein:

Leonis II. *Et Romæ, ſancti Leonis Papæ II, qui ſedit menſibus decem. Hic vir eloquentiſſimus, in divinis Scripturis, tam Græca quam Latina lingua eruditus* [fuit] *& Chriſti fidelibus in Miſſa poſt Agnus Dei, pacem dari conſtituit.* Tum de Anatholio,

Athenodori. pure. Demum: *Beati Antenodori epiſcopi, fratris* [beati Gregorii Thaumaturgi.]

HAGENOYEN. Poſt *Thomæ Apoſtoli; Quæ tranſlatio facta eſt ſub Alexandro imperatore.* Doceri cupio, quis hic Alexander fuerit. De Gregorio, ut ſupra. De Anatholio, pure. De Triphone & XII, item de Conſtantinopolitanis quatuor, ut ſupra. Caret Irenæo & Muſtiola.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Tranſlatio ſancti Thomæ. Muſtiolæ virginis & martyris cum*

Triphonis *ſociis. Gregorii epiſcopi & martyris. Anatholii epi-*

& ſoc. 12. *ſcopi, Doctoris. Triphonis martyris & aliorum* XII.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt, Thomæ, Gregorii, & Triphonis. Adjicitur: *Romæ, natalis ſancti Leonis Papæ,*

Leonis. *qui præfuit eccleſiæ menſibus decem.* Indicatur hîc ſæpius Leo II; longiori phraſi à MOLAN. infra; ſed vide de eo Obſervationes noſtras & Acta XXVIII Junii.

UGHELLIAN. Omittit Anatolium, & Eulogio conjungit ſocios tres, ut ſuperius.

FLORENTIN. *Apud civitatem Conſtantinopo-*

Eulogii &c. *lim, ſanctorum martyrum Eulogii, Achazii, Euphemiæ, & Demetrii. Apud Ravennam, ſancti*

Dati. *Dati,* vel *Dathi, archiepiſcopi & confeſſoris.* Notat Baronius ex ſcriptoribus Ravennatibus, eum claruiſſe temporibus Commodi imperatoris.

LUXOVIEN. *In pago Senonico, ſancti Sidronii martyris, fratris ſanctæ Beatæ virginis, Menrora quieſcentis vico.* Hic colitur XI Julii. *Sidronii.*

EDITIO-LUBECO-COL. Incipit: *Apud Gneocæſaream Ponti, natalis beati Gregorii epiſcopi & martyris doctrina & miraculis clariſſimi. Qui ſicut Eccleſiaſtica* &c. Sequitur tranſlatio Thomæ. Triphon cum XII. *Conſtantinopoli, ſanctorum Evolii, Eufemiæ, Accacii & Demetrii martyrum. Apud Leodiciam Syriæ, beati Anatholii epiſcopi & confeſſoris. Civitate Cluſina* &c. Demum: *Romæ, beati Leonis Papæ & confeſſoris, qui ſedit annis tres, menſes decem, dies decem & ſeptem. Hic eloquentiſſimus & divinis Scripturis eruditus, Græca & Latina lingua ſufficienter inſtructus fuit. Et conſtituit oſculum pacis dari poſt Agnus Dei. Hic ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum, & ut pro uſu Pallii archiepiſcopus nihil perſolvere debeat,* [ſtatuit.] Vide XXVIII. Junii. *Evolii &c.* *De Leon. II.*

BELIN. Pro *Gregorii*, ſcribit *Georgii*, additque quæ ſupra retulimus, pro *abyſſis* ſubſtituens *ab ipſis*, ubi & alia deformata ſunt, inverſo etiam textus ordine. In prima editione, deeſt, *Civitate Cluſina*, &c. Sed in altera ad finem annuntiatio hæc adjicitur.

GREVEN. *Accatii, Demetrii & Eufemiæ, cum Eulogio coronatorum. Leonis Papæ II, qui ſedit annis tribus menſibus decem. Hic conſtituit oſculum pacis dari poſt Agnus Dei. Lantfranci archiepiſcopi Cantuarienſis & confeſſoris, viri eruditiſſimi. Hujus fama illectus Anſhelmus, ad eum venit, eique poſtmodum in epiſcopatu, ut illi prophetico ſpiritu prædixerat, ſucceſſit. Heliodori epiſcopi Altinenſis & confeſſoris, ad quem extant beati Hieronymi quædam epiſtolæ. Berthæ viduæ, matris Caroli magni.* *Eulogii &c.* *Leonis.* *Lantfranci.* *Heliodori.* *Berthæ.*

MOLAN. Aliis litteris textui inſerit, quæ ſupra de jurgantibus fratribus retulimus. In fine: *Leonis Papæ. Qui ſedit Romæ menſes decem. Hic eloquentiſſimus, & divinis Scripturis ſufficienter inſtructus fuit, Græca Latinaque lingua eruditus. Hic ſanctam ſextam Synodum fecit, quæ in regia urbe celebrata eſt: ubi damnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Petrus, Paulus, Macharius, Stephanus, Polychronius & novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Domino Jeſu Chriſto prædicabant.* Dein typis minoribus. *Eodem die, natalis ſancti Sidronii martyris, ſub Aureliano principe, cujus corpus è Roma Meſſenas tranſtulit Adela, uxor Balduini pii, Comitis Flandriæ. Prope Brugas in Ooſtkerck, Gutagoni confeſſoris.* In editionibus aliis Gregorius ad calcem rejicitur, elogio ſuo privatus. Auctaria ſunt: *In Ooſtkercka burgo Flandriæ, ſancti Guthagoni confeſſoris, regis Scotiæ, qui ibi peregrinus pro Chriſto in pace quieſcit. Die tertia, ſancti martyris Hiacynthi, & ſancti patris Anatholii epiſcopi Conſtantinopolis. Eodem die, Vuibrandis & Mechtundis virginum, quæ in Eiſchel quieſcunt.* Hic jam locatur Gregorius, ubi poſt *epiſcopi*, typis minoribus, additur: *Quem Romana Eccleſia & Græcanica ponunt menſe Novembri. Item, beati Heliodori epiſcopi Altinenſis.* Notatio Baronii conformis eſt ſen ſui GREVENI. Verum dubitat Caſtellanus, an hic *Heliodorus* diverſus non ſit ab eo, de quo ſæpius meminit, & ad quem ſcripſit Hieronymus &c. *Sidronii.* *Gutagoni.* *Hyacinthi & Anatolii.* *Wibrand & Mechtund.* *Heliodori.*

Oseæ. Transl.&c. Martini. Jocund. Innocentii & socior. Lauriani.

OSeæ prophetæ. Turonis, translatio beati Martini episcopi & confessoris, & Ordinatio episcopatus ejus. In Africa, natalis sancti Jocundiani martyris, in mare mersi. Apud Sirmium, sanctorum martyrum Innocentii & Sebastiæ, cum aliis triginta. In territorio Bituricæ civitatis, sancti Lauriani martyris, cujus caput Hispalim ad Hispanias deportatum est.

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-majore*, *Munerato* & *Molano*. Puritati proximi sunt *Antverp-max.* & *Lovanien.*

VARIA LECTIO. Nescio cur Molanus simpliciter scribat *Osee*, id quidem mediæ ætatis codicibus concedendum, in quibus diphthongi ferme notæ non sunt; at vero cum ipse eas passim soleat restituere, non video cur hîc omittat, nisi nomen indeclinabile statuat. Ceterum recte legunt Praten. & Herinien. quos hîc sequimur. *Jocundiani* est in codicibus Hieronymianis & Romano parvo, in Adone *Jucundiani*, Noster antiquam lectionem restituit. *Smyrmium* in Antverp-maj. & *Syrmum* in Munerat. scriptoria sphalmata sunt. *Sebastiæ* habent codices nostri omnes. Mirum cur ab antiquioribus recesserit Usuardus, in quibus clarissime *Sabbatiæ* scribitur: Molanus longius deflectens, ponit *Scbastæ*, & Antverp-maj. *Sebaste*, in quo diphthongorum nulla habetur ratio. Idem Antverp-maj. male posuit *ab Hispalim*: Munerat. *Hyspalim* & *Hyspaniam.*

OBSERVATIO. Nihil hac die de suo posuit Usuardus, sed textum integrum, ut jacet, ex Adone transcripsit, nonnullis hinc inde truncatis. Sic in ipso principio *Aggæum* prophetam *Oseæ* socium sustulit, quem ex Romano parvo, prophetarum annuntiatore, alteri sociatum, Viennensis acceperat. Rursus in iis, quæ de *Martino* referuntur, mutilavit aliquid; nam ubi Ado præter translationem & ordinationem addidit, *& dedicatio basilicæ ipsius*, hanc partem Noster rescidit, tametsi & ita legisset in Martyrologio Bedæ. Mediæ notæ codices è nostris aliqui, ut in Auctariis dicetur, propria sua auctoritate avulsam laciniam restituendam putaverunt. Utrum ad Hieronymiana, in Galliis aucta, spectare possit prædicta annuntiatio, docebit Florentinius. Nos omnia quæ ad Martinum pertinent, ad proprium ejus natalem XI Novembris differemus. *Jocundiniani* (typographi, opinor, errore, pro *Jocundiani*) *martyris* meminit Romanum parvum, tacito loco & genere martyrii, in quibus etiam deficit apographum Hieronymianum Lucense, ubi solum ponitur, *sancti Jocundiani.* Epternacense præfixit: *In Africa, Jocundiani.* Corbeiense autem distinctius omnia exprimens, legit: *In Africa, Jocundiani, in altum missi & martyris.* Noster, ut jam dixi, Adonem plane secutus est, nisi quod *Jucundiani*, ut auctor scripsit, in *Jocundiani*, eum mutasse, ex codicum nostrorum unanimi consensu, existimemus. Sic in *Sirmiensibus* diserte scripsit Ado *Sabbatiæ*, ex Romano parvo, in quo & sociorum triginta numerus apponitur, variantibus denuo Hieronymianis apographis apud Florentinium. Nescio quid Usuardum moverit, ut pro *Sabbatiæ*, substitueret *Sebastiæ*, sic enim constanter habent codices nostri omnes, ii nempe, in quibus ea annuntiatio non omittitur.

Oseæ. De Martino. Jocundian. Innocentii & sociorum

An de hisce Sirmiensibus & Jucundiano quidquam superfit, præter solam in Martyrologiis memoriam, hactenus me latet. Ejus, qui sequitur, *Lauriani* Acta Mss. cum Bollando pridem communicavit V. C. Andreas du Chesne, quibus similia edidit Labbeus tomo 2 Biblioth. Mss. à pag. 411. Libuit ipsa evolvere, sed quo consideravi attentius, eo minus mihi placere fateor, nec scio utrum difficultatibus omnibus satis se expediat Cointius, ad annum DXVIII à num. 14, ut suo loco copiosius exponemus.

Lauriani.

Interim, quod ad præsens magis attinet, *Laurianum*, Hieronymianis apographis abjudicat Florentinius, immerito, ut mihi quidem videtur, quando in exemplis editis memoratur, quidquid interim in laurea discrepent. Epternacense recte scribit *Lauriani martyris*, male Corbeiense, *episcopi & confessoris.* Ab *episcopi* titulo præscindit Ado, quem ei tribuit Hagiologium Labbeanum, debitum sane, si, ut Acta volunt, constet *Hispalensem episcopum* fuisse: quæ causa fuerit, cur & in citato Hagiologio, caput Hispalim ad Hispanias deportatum dicatur. Noster nihil dubitans, nec à ductoris vestigiis deflectens, etiam hîc verba sua omnia ex ipso desumpsit. De solo hoc martyre & magni Martini translatione loquitur hac die Wandelbertus, geminis hisce versibus:

Lauriane tenes meritorum nomine quartas;
Ossaque Martini tumulo mutata venustant.

AUCTA-

AUCTARIA.

TORNACEN. Raro auctior, hodie ſuperaddit: *In Altovillarenſi monaſterio, octavo milliario ab urbe Remenſi, adventus & exceptio corporis ſancti Polycarpi presbyteri & martyris, atque reliquiarum ſanctorum martyrum Sebaſtiani, Urbani, Quirini.* Hinc conjectura eſt, ex eo cœnobio hunc codicem acceptum aut deſcriptum fuiſſe. *Advent. rel. Polycar. &c*

ROSWEYD. Omiſſo *Oſea*, incipit: *Turonis, tranſlatio ſive ordinatio ſancti Martini archiepiſcopi. Item Conſtantiæ* quidni *Auguſtæ? ſancti Odalrici epiſcopi.* Cetera purus eſt. *Odalrici.*

PULSANEN. Caret annuntiatione ultima de ſancto Lauriano.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. *Oſeæ & Aggei Prophetarum.* De Martino ex Adone ſupplet, quod in Uſuardo deſideratur: *Et dedicatio baſilicæ ipſius.* Deeſt, *apud Sirmium* &c. *Oſeæ & Aggei.*

GREVEN. Poſt Jocundiani, quarto loco annuntiationem textui inſerit, quam ſcire potuit, ad Uſuardum pertinere nequaquam poſſe, cum Sanctus, de quo agit, toto ſeculo ſit Uſuardo poſterior, nempe: *Eodem die, natalis beati Odolrici epiſcopi & confeſſoris, qui multis in mundo & inauditis miraculis claruit.* Scribit *Odolrici*, alii, *Olderici* & *Odalrici*; communior appellatio *Udalrici*. *Odolrici.*

ANTVERP-MAX. & LOVANIEN. Puritati proximi ſunt, nam ſolum addunt *Aggei.*

ULTRAJECT. & LEYDEN. Etiam ſcribunt: *Oſeæ & Aggei prophetarum.* Et in fine: *Apud provinciam Reciæ, civitate Auguſtana, natale Odalrici, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris.*

ALBERGEN. & DANIC. De Aggæo, ut proxime. In Martino, deeſt *ordinatio*, & tota annuntiatio de Sirmienſibus. In fine additur: *Apud provinciam Reciæ, natale ſancti Udalrici* &c.

CENTULEN. *Aggei*, ut ſupra. *Turonis, ordinatio epiſcopatus beati & magni confeſſoris Martini, & tranſlatio corporis ejus, & dedicatio baſilicæ ipſius. In territorio Biturica civitatis, ſancti Lauriani martyris. Apud Sirmium, ſanctorum Innocentii, Sabaciæ, cum aliis* XXX. *De Martino.*

BRUXELLEN. Incipit: *Machliniæ, tranſlatio ſancti Rumoldi epiſcopi & martyris. Eodem die, Oſeæ & Aggei prophetarum.* In Martino, Sirmienſibus & Jocundiano ſatis purus eſt. De Lauriano, ex Adone inſerit, *vico Juſtino. Apud provinciam Rethiæ, ſancti Uldarici, civitatis Auguſtanæ vel Ausburgenſis epiſcopi & confeſſoris.* *Tranſlat. Rumoldi.*

HAGENOYEN. *Oſeæ Prophetæ, qui fuit filius Beeri, de tribu Yſachar ..... Hoc temporibus Oziæ, Joathan, Achaz & Ezechiæ regum Juda, & Jheroboam rege Iſraël, filio Joas, prophetavit. Qui Ozeæ reprobationem filiorum Iſrael....* & multa alia, melius ex ſacris paginis intelligenda. De Martino addit, *& dedicatio* &c. Tum: *Civitate Auguſta, depoſitio ſancti Odalrici epiſcopi & confeſſoris. Qui in primo, propter magnam ſuam humilitatem, à Martino ſummo Pontifice epiſcopatum accipere noluit, qui poſtea illud coactus accepit, & in magno labore ibi præfuit, ſe & ſuos optime regens. Cujus meritis & precibus gens Noricorum & Alemanorum ex immaniſſima eſt Hungarorum vaſtatione liberata.* Sequitur de Jocundiano, pure: cetera deſunt. *De Udalric.*

AQUICINCT. In fine addit: *Apud provinciam Reciæ, civitate Auguſtana, natalis beati Udalrici, ejusdem civitatis epiſcopi. In pago Teruanenſi, depoſitio ſanctæ Bertæ nobilis matronæ.* *Udalrici. Bertæ.*

VICTORIN. *In Alemannia, apud Auguſtanam civitatem, beati Udalrici epiſcopi & confeſſoris, magni & glorioſi ab infantia uſque ad obitum ſuum.* Similia verba citavimus 1 Julii, ex codice REG. SUEC, ſub num. 130, quæ diximus hoc die referenda. *De Udalr.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Tranſlatio ſancti Martini. Donati epiſcopi & martyris.* Notatur in margine, eum *hoc die alibi non inveniri.* Vera eſt Obſervatio, nam licet pluſquam viginti Donati ſancti reperiantur, hoc die nullum uſquam ſignatum hactenus invenimus. Pergit codex: *Udalrici epiſcopi & confeſſoris. Innocentii & Sebaſtiæ, cum aliis triginta martyribus.* *Donati.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt Oſeæ & Martini. In UGHELLIAN, deſunt Sirmienſes.

ALTEMPS. *Item, depoſitio ſancti Malrici epiſcopi & martyris.* An non *Udalrici Auguſtani*?

BIZUNTICEN. *In Bavaria, depoſitio ſancti Olderici epiſcopi, virtute miraculorum clariſſimi.*

REMEN. SS. Tim. & Apoll. *In territorio Biturice civitatis, vico Veſcenno, natale ſancti Lauriani epiſcopi & martyris.*

EDITIO LUBECO-COL. *In monaſterio Tuicienſi, ſuper littus Reni, tranſlatio quarumdam reliquiarum ſanctæ Urſulæ virginis & reginæ, de civitate Colonia. Item, ſanctæ Florentinæ virginis & martyris de ſocietate ſanctarum undecim millium virginum.* Sequitur: *Oſeæ & Aggei. Apud provinciam Reciæ, civitate Auguſtana, natale ſancti Udalrici, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris. Qui quadam die Paſcæ, dum Miſſam celebraret, dextera Domini apparuit ſuper eum, quæ cum ipſius dextera hoc ipſum ſacramentum ſanctificavit, quod etiam antea in cœna Domini ſimiliter factum eſt.* Sequitur textus modice interpolatus & tranſpoſitus, ubi Sirmienſibus tribuuntur ſocii XXXIII. *In Bohemia, ſancti Procopii abbatis & confeſſoris.* A Caſtellano male ponitur 11 Aprilis. Notat Crugerius in Sacris Bohemiæ Pulueribus, obiiſſe XXV Martii, ſed hoc die ob canonizationem feſtivius recoli. *De reliquiis Urſulæ &c.* *De Udalrico.* *Florentinæ.* *Procopii.*

BELIN. Addit, *Aggei.* Et de Martino, *dedicatio baſilicæ ipſius.* Sirmienſes, inverſo ordine, ponuntur ultimo loco.

GREVEN. *Aggei prophetæ. In Bohemia, ſancti Procopii abbatis & confeſſoris. Nonnæ virginis Tungrenſis. Tranſlatio ſancti Wilhelmi comitis Pictavienſis & confeſſoris. In monaſterio Tuicienſi, è regione Agrippinenſis Coloniæ, tranſlatio quarumdam* &c. ut ſupra. *Item tranſlatio ſanctæ Florentiæ* &c. Supra ſcribitur *Florentinæ.* *Aggei. Procopii. Nonnæ. Tranſlat. Wilhelmi.*

MOLAN. Aliis litteris textui inſerit: *Et dedicatio baſilicæ ipſius.* In fine: *Et Aggei prophetæ. Eodem die, natalis beati Udalrici epiſcopi & confeſſoris, qui multis in mundo & inauditis miraculis claruit. Item ſancti Domitiani, diſcipuli ſancti Landelini.* In editionibus aliis, *Aggæi prophetæ* in textu additur litteris Italicis, uti & *dedicatio.* In fine: *Apud provinciam Rhetiam, civitate Auguſtana, natalis beati Udalrici, epiſcopi & confeſſoris, qui multis & inauditis miraculis claruit. Apud Blanciacum, depoſitio ſanctæ Bertæ, piiſſimæ abbatiſſæ, quæ ibidem vitam finivit in pace, multis in eodem loco virtutum ſignis uſque hodie refulgens. Die quarta, ſancti patris Andreæ Cretenſis, Hieroſolymitani.* Hunc diſtinguit Caſtellan. ab eo qui colitur XVII Oct. *Aggei. Udalrici. Domitiani. Bertæ. Andreæ Cretenſ.*

III *Non.* *Die* 5.

Domitii. *Zoæ.* APud Syriam, natalis ſancti Domitii martyris, qui virtutibus ſuis multa incolis beneficia præſtat. Romæ, ſanctæ Zoæ martyris, quæ dum ad Confeſſionem Petri Apoſtoli oraret, à perſecutoribus arctata & in cuſtodiam obſcuriſſimam truſa, dein à collo & à capillis in arbore ſuſpenſa, adhibito ſubter horribili fumo, in confeſſione Domini emiſit ſpiritum.

Sic habent *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-major. Roſweyd. Pulſanen. Munerat. Greven.* & *Molan.* Nec multum abſunt codices multi alii, ut infra patebit.

VARIA LECTIO. Turpiter in ipſo principio errat Munerat. forte errore librarii, dum legit: *Apud Siciliam. Syriam* vel *Siriam* promiſcue ſcribunt codices, ſic ut ſibi non conſtent. In textu eſt ſecundum Praten. Roſweyd. Pulſanen. & Molan.; alios præferas per me licet. *Domitii* legendum eſt, male Antverp-maj. *Domiciani*, & Roſweyd. *Domitiani.* Tornacen. omiſit titulum *Sancti*, ei præfigendum. *Zoæ* habent Praten. Herinien. & Molan. in quibus diphthongi ſervantur, ceteri omnes legunt Zoë, excepto Munerato, qui poſuit *Zoee.* Pauci habent, *ad Confeſſionem ſancti Petri*, plerique ut in textu. Bene legunt citati Praten. Herinien. & Molan. *arctata*, ubi ceteri fere omnes habent *artata.* In Antverp-majore eſt *à collo & capillis*; in Roſweyd. & Munerat. *collo & capillis*, alii forte melius cum textu. Sic etiam recte *adhibito ſubter horribili* &c. pro quo Pulſanen. perperam ſcripſit, *ibi ſubter.*

Domitii. OBSERVATIO. De martyribus *Domitio* & *Zôa* vel *Zöe*, qui ſoli in textu referuntur, nihil hac die in apographis Hieronymianis, nihil in genuino Beda, nihil in Floro, Rabano aut Notkero. Romanum parvum, ſolitum fontem Adoni aperuit, dum ita pronuntiavit: *In Syria, ſancti Domitii martyris.* Porro Viennenſis breviſſimo elogio multa complexus eſt: *Qui virtutibus ſuis multa incolis beneficia præſtat*; quæ totidem verbis, ut patet, in laterculum ſuum à Noſtro tranſlata ſunt. Hoc qualecumque elogium ex Gregorio Turonenſi acceptum eſt, lib. de Gloria Martyrum cap. 100. Ipſum autem Domitii noſtri martyrium paucis memoratur in Chronico Alexandrino ſeu Paſchali ad annum CCCLXIII, editionis Cangianæ pag. 297, ubi pro *Domitio*, ſcribitur *Dometius.* Hiſtoriam quantumvis brevem non deſcripſit Ruinartius; de Domitio tamen meminit, ubi de Martyribus ſub Juliano paſſis, pag. 645. Probat Domitii hiſtoriam Tillemontius tom 7 pag. 422, quæritque pag. 744, an idem ſit, qui in Rom. eſt VII Auguſti. Ex præcitato Romani parvi fonte etiam profluit annuntiatio altera: *Romæ,* *Zoæ.* *natale Zoæ uxoris Nicoſtrati.* Eam pridie collocavit Florus cum longiori elogio, ex geſtis ſancti Sebaſtiani contexto, quorum etiam partem, ſed ſolito brevius Ado commemorat. Totius rei ſeriem habes in Actis prædicti Sancti ad xx Januarii, in opere noſtro cap. 20. Encomii ſui delectum ex Adone fecit Uſuardus, ſic ut hîc etiam textus totus ex eo procedat; cujus compendium ſatis nitide metris innexuit Wandelbertus:

Domitius ternas dicat; & clariſſima Zoë
Auxit martyrio cœtum quæ jure beatum.

AUCTARIA.

CODices mediæ notæ ferme omnes parum à puritate deficiunt; ut ANTVERP. & MAX-LUBECANA, ANTVERPIEN-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. in quibus de Zoë vel Zoa, ſolum inſeritur: *Uxoris beati* (alii, *ſancti*) *Nicoſtrati.*

De Zoë. BELIN. Idem augmentum paulo aliter enuntiat: *Zoë martyris, uxoris beati Nicoſtrati martyris.* Qui præterea ſolus ſic ſcribit: *Ad confeſſionem beati Petri & Pauli.*

CENTULEN. In prima annuntiatione de Domitio, à puritate non recedit. Tum: *Romæ, ſanctæ Zoë, uxoris Nicoſtrati martyris. Quæ per capillos in arbore ſuſpenſa; adhibito ſubter horribili fumo, in confeſſione Chriſti emiſit ſpiritum.*

Anticipat. oct. Apoſt. BRUXELLEN. Primo loco: *Per anticipationem, octava beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum.* Sequitur de Domitio, in quo purus eſt. De Zoë, poſt *oraret*, legit, à *paganis perſecutoribus tenta.* Reliqua cum textu conveniunt.

De Aggæo. HAGENOYEN. De Oſea, die præcedenti ex ſacra Hiſtoria elogium concinnavit, pro quo lectorem ad fontem remiſimus. Huc Aggæum diſtulit, cujus encomium hîc in ſpecimen exhibeo. Ita habet: *Aggei prophetæ, qui fuit de Tribu Juda, & locutus eſt ad Zorobabel filium Salatiel, principem populi & ad Jeſum ſummum ſacer-*

ſacerdotem, filium Joſedech, ut redirent de Caldea in Jeruſalem in anno primo Cyri regis Aſſiriorum, qui illos ire licentiavit. Et hic propheta magis incepit populo prædicare quam prophetare, & ideo tarde egerunt. Prophetavit tamen populi reverſionem ſub Cyro, templi ædificationem, civitatis Jeruſalem revocationem, [renovationem] *obſervantiam ſacerdotalem, & interitum regnorum exterorum. Hic propheta non timuit regis Cambiſis edictum, quin confortaret manus ædificantium templum in Domino. Ipſe etiam filiis Juda ſterilitatem terræ prædixit, quia deſides erant in ædificatione templi, & mortuus eſt Aggeus propheta Domini in Ierusalem, & planxit illum omnis populus & ſepultus eſt ibidem:* Dein: *Apud Syriam, natale ſancti Dyomicii martyris, qui virtutibus* &c. pure. *Romæ, ſanctæ Zoë uxoris Nicoſtrati martyris. Quæ dum* &c. fere ut textus. Denique hic reponit, quod die præcedenti omiſerat: *Apud Sirmium, ſanctorum martyrum Innocentii & Sebaſtiæ, cum aliis* XXX. *In territorio Biturice civitatis, ſancti Lauriani martyris, cujus caput ad Hyſpaniam deportatum eſt.*

Innoc. &c.

Lauriani.

AQUICINCT. Pro *Domitii*, habet *Domiciani.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Apud Syriam, Domitii martyris. Zoë martyris, de qua legitur in geſtis ſancti Sebaſtiani.* Locum ipſum ex Actis noſtris citavimus ſupra in Obſervatione.

Textus contractus

CAMBERIEN. Conventualium S. Mariæ: *Item ſanctorum Demetrii & Numeriani.*

Demetrii & Numeriani.

EDITIO LUBECQ-COL. Incipit: *Romæ, ſanctæ Zoë uxoris beati Nicoſtrati martyris, cui beatus Sebaſtianus adhuc muta* [mutæ] *loquelam à Domino impetravit. Quæ dum ad ſepulcrum beati Petri Apoſtoli oraret, a perſecutoribus artata, & à patrono regionis naumachiæ per dies ſex in cuſtodiam obſcuriſſimam* &c. ut textus. In Domitio pura eſt. Additur in fine: *Treveris, beati Numeriani epiſcopi & confeſſoris.*

De Zoë.

Numeriani.

GREVEN. *In Sicilia, ſanctorum Agathonis & Triſinæ. Martini, Theodori & Godephæ. Triphonis.* Vide Hieronymiana. *Treveris, Numeriani epiſcopi & confeſſoris. Tranſlatio ſancti Wendelini confeſſoris.*

Agathonis & aliorum. Tranſlat. Wendelini.

MOLAN. Aliis litteris poſt *arctatæ*, textui immiſcet: *ducta eſt ad patronum naumachiæ.* In fine: *Treberis, depoſitio ſancti Numeriani archiepiſcopi.* Tum minoribus typis: *Depoſitio ſancti Valerii confeſſoris, primi Conſerani epiſcopi, de quo beatus Gregorius Turonenſis, de gloria confeſſorum cap.* 84. Editiones aliæ in textu conveniunt cum priori. In fine autem: *Treviris, depoſitio ſancti Numeriani archiepiſcopi. Die quinta, ſanctæ Marthæ, matris ſancti Simeonis, in mirabili monte. Et ſancti deiferi patris Athanaſii, qui fuit in Atho. Et ſancti Lampadi.*

Numeriani. Valerii. Marthæ. Athanaſii. Lampadi.

Pridie Non.

Die 6.

APud Judeam, Iſaiæ prophetæ, qui ſectus in duas partes occubuit, ſepultuſque eſt ſub quercu Rogel, juxta tranſitum aquarum. Item Octavæ Apoſtolorum, & primus beati Apoſtoli Pauli ingreſſus in urbem Romam, anno ſecundo Neronis imperii. Romæ, natalis ſancti Tranquillini martyris, qui dum ad beati Pauli Confeſſionem oraret, tentus à paganis ac lapidatus, martyrium conſummavit. In pago Treverenſi, ſancti Goaris presbiteri & confeſſoris.

Iſaiæ. Oct. Apoſt. Tranquil. Goaris.

Ita *Praten. Herinien. Tornacen. Munerat. Belini editio altera & Greven.*

VARIA LECTIO. *Judeam* ſimpliciter ſcribunt codices omnes, excepto Pratenſi noſtro apographo, in quo & *Eſaiæ*, uti Belin. & Molan. habent. Tornacen. Munerat. & alii *Yſaiæ*, nos cum Herinien. & Greven. ut in textu. In Tornacenſi deeſt *juxta*, ante *tranſitum*. *Octabæ*, more antiquo, eſt in Herinien., in Belino. *Octava*. Ceteri communius *Octavæ*. *Neronis imperii* tranſponit Munerat. in, *imperii Neronis*, uti & Tornacen. ſed Greven. ſenſum invertit, per *Neronis impii*. Et rurſus, ad.... *Confeſſionem memoraret*, pro *oraret*. Sic Munerat. *lapidibus* pro *lapidatus*. Inter puros, ſolus Praten. legit *Maginenſi*, ut mox pluribus dicam. Melius reliqui, *in pago Treverenſi*, pro quo male ſcribitur in Herinien. *Trecarenſi*. Alii aliter legunt, ſed, ni fallor, æque aberrant.

OBSERVATIO. Hodiernum etiam textum ex Adone Uſuardus, ille ex Romano parvo totum deſumpſit; neque enim in Hieronymianis, è relatis Sanctis quiſquam notatur, ſed de ſola *Octava Apoſtolorum* agitur, de qua & Beda, *Prophetam Iſaiam* præfigens, ut fecit perpetuus ejus ſectator Rabanus. De *Tranquillino* meminit quidem Florus, ſed ita ut nec Adoni nec Uſuardo præluxiſſe ullo modo videatur. Itaque Romanum parvum cum Iſaia *Joëlem* annuntiat, uti & Ado. At Noſter omiſſo poſteriore, genus mortis, & ſepulturæ locum alteri ſuperaddidit. Opinor ex Epiphanio, cujus extractum exhibet Surius hoc die, cum altero etiam ad Iſaiam ſpectante, ex Iſidoro Hiſpalenſi deſumpto. *Et Octavæ Apoſtolorum* iiſdem omnes verbis conſignant. De primo item *beati Pauli Apoſtoli ingreſſu in urbem Romam* phraſi parum admodum differunt. *Anno ſecundo Neronis imperii*, adjunxit Ado, quæ Noſter deſcripſit, neglecta Paulinarum peregrinationum longa ſerie, quæ apud Adonem videri poteſt. Sequitur in Romano parvo:

Iſaiæ. Oct. Apoſt.

Tranquill. vo : *Et Tranquillini martyris*, cujus breve elogium ab Adone ex Actis ſancti Sebaſtiani jam non ſemel citatis, concinnatum, Uſuardus in pauciora contraxit, à mediæ notæ codicibus ferme integre redditum, ut in Auctariis monſtrabitur.

Goaris. Ultima demum commemoratio ſic in Romano parvo effertur : *Et natalis ſancti Goaris confeſſoris* ; in Adone autem : *Eodem die, depoſitio beatiſſimi Goaris confeſſoris.* Ita ſimpliciter abſque ulla poſitione, quam ei perperam, *in pago Trecharenſi* adſcribit Mabilio, loco infra citando, ut in præfatione oſtendimus. Rabanus longiorem vitæ hiſtoriam texuit, cujus priorem partem ex Molano in Additionibus recitabimus. Ipſa Sancti vita ab anonymo ſubæquali, rudiori ſtylo compoſita, & altera à Wandelberto expolita editæ ſunt & obſervationibus illuſtratæ à Mabilione ſeculo 2 Benedict. à pag. 275. Poſterior etiam exſtat apud Surium, ſed antiquiorem præfert Cointius, ſparſim de Goare in Annalibus ſuis agens ad annos DXCVII, DCXVIII, DCXL & DCXLVII, quæ omnia ulteriori diſcuſſioni reſervamus. Quæritur hîc quo modo depoſitionis locum expreſſerit Uſuardus? Pratenſis cum tribus ſibi plerumque conſimilibus, Antverp-maj. Roſweyd. & Aquicinctino, legit : *In pago Maginenſi, Magnienſi*, vel *Machinenſi*, quem nobis prorſus ignotum fatemur. Pagum *Treverenſem*, ab aliis ſignatum probe novimus, nec dubitamus, quin ita Uſuardus primigenia phraſi ſcripſerit; ut proinde ab imperito quodam, Pratenſi codici ignotam vocem inſertam oporteat, quæ inde in alios, ex eo codice deſcriptos, tranſierit. Quid Molanum abſterruerit ab ultima hac annuntiatione Uſuardo vindicanda, conjicere prorſus nequeo, in tam aperta rivulorum cum ipſo fonte, hoc eſt Rom. parvi, Adonis & Uſuardi conſenſione, quam & illi oſtendit Wandelbertus, hodiernos Sanctos, quinque verſiculis ſic eleganter complexus :

Eximius Vates pridie defectus in orbe
Martyrio Eſaias virtute atque ore coruſcat.
Tranquillíne ſimul duplici ſplendore refulges,
Sanctorum genitor, Sanctos comitate peremptos :
Tumque Goar Chriſti colitur famuluſque ſacerque.

AUCTARIA.

Teufredi. ANTVERP-MAJ. Poſt Iſaiam, ſecundo loco inſerit : *Item, depoſitio ſancti Teufredi diaconi.* Et in fine ſubnectit : *Ipſo die, in Britannia, depoſitio*

Sexburgæ. *ſanctæ Sexburgæ.* Quod pro *Treverenſi*, ſcribat *Magnienſi*, jam diximus.

ROSWEYD. Incipit : *Octava Apoſtolorum Petri & Pauli.* Convenit in augmentis cum ANT-

De eiſdem. VERP-MAJORE, ſed pro *Teufredi* legit, *Theofredi :* & *Sexburgæ* perperam tribuit titulum *Virginis.* Pro *Treverenſi* habet *Machinenſi.*

PULSANEN. Purus eſt uſque ad *Tranquillini martyris* incluſive. Cetera deſunt.

BELINI prima editio & MOLANUS deficiunt in ultima annuntiatione, de qua ſuperius in Obſervatione plura diximus.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. *Yſaiæ Prophetæ*, ibi ſiſtendo. Deeſt annus ingreſſus Pauli. De

De Tranquil. Tranquillino adjungunt, quæ Uſuardus ſuppreſſerat, nempe : *Patris Marci & Marcelliani martyrum, qui ad prædicationem beati Sebaſtiani, credens in Chriſtum, dum ad* &c. In fine : *Ipſo die Goaris confeſſoris.* Nihil præterea.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Puri ſunt exceptis iis, quæ de Tranquillino inſerunt, ut jam proxime.

ALBERGEN. & DANIC. Incipiunt, ille : *Octava Apoſtolorum*, hic : *Octava ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.* Deeſt in utroque ingreſſus Pauli, & de Tranquillino eadem etiam habent quæ ANTVERP. & MAX-LUBEC.

Tranſlat. Gudilæ. Jobel s. De Paulo. BRUXELLEN. *Tranſlatio ſanctæ Gudilæ virginis, noſtræ patronæ. Apud Iudeam, Yſaiæ & Johelis prophetarum, qui, ſiquidem Yſaias ſectus* &c. *Ipſo die, primus ſancti Pauli Apoſtoli ingreſſus in urbem Romam. Dum ipſe ad imperatorem appellans, à Feſto præſide Judeæ illuc vinctus mitteretur, anno ſecundo imperii Neronis.* De Tranquillino, habet ut ſupra. Tum : (addere hic iterum poterat per anticipationem) *Apud Alexandriam,* *De Pantæno* *ſancti Panthemii* [Pantæni] *confeſſoris, viri apoſtolici & omni ſapientia adornati. Cujus tantum ſtudii & amoris erga verbum Dei fuit, ut etiam ad prædicandum Chriſti Euangelium omnibus gentibus, qui in Orientis ultimis ſeceſſibus reconduntur, fidei & devotionis ſuccenſus calore, profectus ſit.* Vide die ſequenti. In Goare purus eſt. Denique : *Apud Viennam, ſancti Foldi* [Eoaldi] *Eoaldi.* *epiſcopi, cujus induſtria reliquiæ ſanctorum martyrum Thebæorum ad urbem Viennam delatæ ſunt.* Verba Adonis ſunt relata ad diem ſequentem.

HAGENOYEN. Totus eſt in prophetarum elogiis, quorum ſpecimen dedimus die præcedenti. Hîc de Iſaia longam hiſtoriam narrat, quam non vacat deſcribere. De Tranquillino, ut ſupra. In aliis ſatis purus eſt. Tum : *Ipſo die, in pago Treverenſi, ſancti Goaris presbiteri & heremitæ,* *De Goare.* *cujus ſanctitatem audit* [puto velle dicere *prodidit*] *mirabiliter infans ab illo interrogatus. Nam Ruſticus archiepiſcopus Goari ſtuprum, quod ipſe perpetraverat, injecit, & infans ſeptem dierum illum excuſavit, & epiſcopum patrem ejus proclamavit. Pro quo facto epiſcopus debuit à rege Franciæ deſtitui & Goaris inſtitui. Et vix impetratis aliquibus diebus, infirmitatem perpetuam à Domino petiit, & accepit febres, quæ febris illum ſeptem annis vexavit, & in qua mortuus eſt.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Octava Apoſtolorum Petri & Pauli. Iſaiæ prophetæ, qui* *Textus.* *fuit ſecatus apud Iudæam. Goaris presbyteri ſuper* *contractior.* *Rhenum. Tranquillini martyris, de quo legitur in Actis ſancti Sebaſtiani.* Vide Acta cap. 12 & 20.

In

In VATICAN. num. 5949. Deeſt Iſaiæ & Goaris. Adjicitur: *Auguſtiduno, natalis ſancti Leonti epiſcopi & confeſſoris.*

Leonti.

ALTEMPS. *In Britannia, ſanctæ Sexburgæ, ſororis ſanctæ & perpetuæ virginis reginæ Etheldredæ, quæ copulata in conjugium erat regi Ovotibrichto, qui frater minor fuit Ermenredi, patris videlicet ſanctorum Aelthredi & Ethelberti; ex qua Sexburga rex præfatus genuit duas filias, ſuique heredem in regno Ethbrichtum, ſub quo Ethbrichto prædicti martyres* (indicat, opinor, ſanctos illos Aelthredum & Ethelbertum) *occiſi ſunt.*

De Sexburg.

FLORENTIN. *In Tuſcia Feſulis, paſſio ſancti Romuli, ejuſdem urbis epiſcopi & martyris & ſociorum ejus, ſcilicet Cariſſimi, Marchitiani, Creſcentii & Dulciſſimi, qui fuerunt diſcipuli beati Petri Apoſtoli & ab eo ad prædicandum verbum Dei ad eamdem civitatem miſſi ſunt.* Pergit STROZZ. *Prædictus autem S. Romulus à S. Petro conſecratus epiſcopus prædictæ urbis, una cum ſociis ſub Repertiano tyranno gravia & horrenda tormenta ſuſtinentes, & demum mortem pro Chriſti nomine libenter paſſi, martyrii coronam adepti ſunt & ad radices montis, in quo prædicta civitas Feſulana ſita eſt, ibidem ſepulti ſunt.* Rurſus omnes: *Sancti Goaris ..... ſepulti in valle Trioricha.* Demum STROZZ. & MEDIC: *Eodem die, ſancti Siri epiſcopi Januenſis & confeſſoris.*

Romuli & ſociorum.

Siri.

LUXOVIEN. *Lugduno, B. Leontii epiſcopi. Ipſo die SS. Bertharii & Athaleni martyrum, qui ab Allobrogis interfecti ſunt.*

Leontii Berthar &c

SALINEN. *Auguſtiduno, depoſitio ſancti Legontii epiſcopi.* Idem qui ſupra *Leontus* &c.

Legontii

CODEX MONTIS SANCTI: *Natale ſanctorum martyrum Bertharii ſacerdotis & Athaleni levitæ.*

Berthar. &c

EDITIO LUBECO-COL. In textu, nonnihil tranſpoſito, ſimilis eſt ANTVERP-MAX. &c. De Goare ſolum addit: *Miræ hoſpitalitatis & charitatis viri, cujus geſta habentur.* Deinde: *Apud Viennam, ſancti Eoldi epiſcopi & confeſſoris, cujus induſtria* &c. ut BRUXELLEN. *Ipſo die, beatæ Sexburgæ virginis, ſororis ſanctæ Etheldredæ reginæ. Item ſanctæ Gadalenæ* [Godelevæ] *virginis & martyris. Eodem die, tranſlatio ſanctæ Gudulæ virginis.*

Eoaldi. *Sexburgæ.* *Godelevæ.*

GREVEN. *In Syria, Zotici, Amandi, Artetis. In Tuſcia, Romuli epiſcopi & martyris, diſcipuli beati Petri, Marciani & aliorum. Palladii epiſcopi & confeſſoris. Leutfredi diaconi & confeſſoris. Gadalevæ virginis & martyris. Sexburgæ reginæ. In Hibernia, Noninnæ virginis. Eodem die, tranſlatio ſanctæ Gudulæ virginis.*

Zotici &c. *Romuli &c.* *Palladii.* *Leutfred.* *Godelevæ.*

MOLAN. *In pago Treverenſi, ſancti Goaris presbyteri & confeſſoris. Qui in provincia Aquitaniæ ortus, temporibus Hildeberti regis Francorum, ſtatim ab infantia verus Dei cultor fuit. Hic poſtmodum ibi presbyter conſecratus, patriam parenteſque deſeruit, & in provincia, quæ ripis Rheni fluminis contigua, Trigoria nuncupatur, atque ad diœceſim pertinet Trevirorum, ibi Deo libere ſervire elegit, uſque ad finem vitæ ſuæ.* Vide reliqua in Rabano atque etiam in Notkero, qui aliquot diebus vacavit. *In territorio Giſtellenſi, paſſio beatæ Godelivæ martyris.* Dein minoribus typis: *Rotornaci, tranſlatio ſancti Hermetis martyris, ſub Adriano principe, ex Indenſi monaſterio.* Editiones aliæ, plura, ſed aliis litteris textui inſerunt de Tranquillino. De Goare ut editio citata. Item de Godeliva. Tum: *In Britannia, depoſitio ſanctæ Sexburgæ viduæ. In Campania ſub Diocletiano, ſanctæ Dominicæ virginis & martyris; quæ idolis fractis, igne beſtiiſque ſuperatis, decollata migravit ad Dominum. Cujus corpus Tropeæ quieſcit in Calabria. Die ſexta, ſancti patris Siſoæ magni.* Rurſus minoribus characteribus: *Rotornaci* &c.

De Goare. *Godelevæ. Tranſlat. Hermetis.* *Sexburgæ.* *Dominicæ.* *Siſoæ.*

Nonis.

Die 7.

APud Alexandriam, natalis ſancti Panteni, viri apoſtolici & omni ſapientia adornati, cujus tantum ſtudii & amoris erga verbum Dei fuit, ut etiam ad prædicandum Chriſti Euangelium omnibus gentibus, quæ in ultimis Orientis ſeceſſibus reconduntur, fidei & devotionis calore profectus ſit. Romæ, ſanctorum martyrum Nicoſtrati, Claudii, Caſtorii, Victorini, Simphroniani, quos Fabianus judex per decem dies minis & blanditiis agens, cum in nullo penitus poſſet commovere, juſſit eos tertio torqueri ac poſtea in mare præcipites dari.

Pantæni.

Nicoſtrati & ſocior.

Conveniunt *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danicus.*

VARIA LECTIO. Varie effertur *Pantæni* nomen, aliis ſcribentibus *Pantheni*, aliis *Patemii*, aliis *Panthemii* &c. nos proxime ad puritatem accedimus ex Herinien. Antverp. & Max-Lubec. *Cui tantum ſtudii* &c. legunt Praten. Greven. & Molan.; ceteri ex Adone, prout eſt in textu. Antverp. Max-Lubec. & codices omnes mediæ notæ ſatis nitide ſcribunt *fidei & devotionis calore ſuccenſus*, ſed nec in Adone nec in purioribus codicibus reperitur ea vox *ſuccenſus*. Variant codices in ultimo nomine quinque martyrum, quem alii *Simphorianum*, alii rectius cum Romano parvo & Adone, vocant *Simphronianum*. In Antverp-max. Ultraject. & Leyden. deeſt *Victorinus*; in Lovanien. quintus vocatur *Simplicius*, quod eſt nomen Martyris quinti, in claſſe

ſignata VI Idus Novembris, primo loco. Tornacen. habet *movere*, pro *commovere*; Praten. *torquere* pro *torqueri*; & Greven. *penitus*, pro *poſtea*. Molan. ſuo modo, *pœnitus*, ſicut *Fœlix* &c.

Pantæni. OBSERVATIO. Quærit hodie Florentinius, utrum is, qui in Hieronymianis *Partheni*, *Parmenus*, vel *Parthemus*, vel alia quacumque inflexione nuncupatur, utrum, inquam, is cum celeberrimo *Pantæno* noſtro, de quo in Chronologia Patriarch. Alexandrinorum breviter meminimus pag. 21, commune aliquid habeat? At veroſimillimum eſt, ibi de Martyre agi ab Indorum Apoſtolo plane diverſo. Bedæ, Floro & Rabano etiam ignotus eſt Pantænus, à Romano parvo, cum aliis Sanctis Rufinianis, locum in Faſtis primùm nactus, ab Adone ex Euſebio, ni fallor, & Hieronymo, eo exornatus encomio, cujus elegantiorem partem Noſter ſuo more decerpſit, Notkero totum tranſcribente. Ad lectoris notitiam faciet, ſi verbo indicaverim vitam Pantæni, ex omnibus antiquis documentis ab Halloixio noſtro collectam & digeſtam, inter vitas Patrum Orientis tomo 2 à pag. 839. Gallicè ſuam ordinavit Tillemontius tomo 3 à pag. 170. In Wandelberto unicus de Sancto noſtro exſtat verſiculus :

Pantæni Nonis ſplendet meritumque fideſque.

Nicoſtrati & ſociorum. Proxima martyrum Romanorum claſſis, ab antiquioribus hac rurſus die præterita, diſerte notatur à laudato Romano parvo, his verbis: *Romæ, martyris Nicoſtrati primiſcrinii, Claudii, Caſtorii, Victorini, Symphroniani.* Atque hæc in textum ſuum tranſlata pluribus amplificat Viennenſis, ex Actis ſancti Sebaſtiani, in quibus apud nos cap. XI tres ſaltem primi nominatim exprimuntur. Notkerus autem, recitatis hiſce Sanctorum nominibus, de ultimo, quem *Symphorianum* vocat, obſervavit: *Vel ſicut in libro Sacramentorum continetur, Simproniani.* Tum pergens: *Quorum natalem ſexta die Iduum Novembris eatenus nos celebraſſe credidimus, donec venerabilis pater Ado, alios & alios pro eis nobis honorandos inſinuaret; de quibus ſuo loco, vita comite commodius diſſeretur.* Porro quid diſſeruerit, neſcimus, cum poſt XXVI Octobris reliqua ejus Martyrologii deſiderentur. Ceterum notari meretur appoſita Notkeri obſervatio, nam in Hieronymianis nomina eadem, præter *Simplicii*, pro *Victorini*; & *Simphroni*, vel *Simphoriani*, pro *Simphroniani*, citatâ ſextâ die Iduum Novembris referuntur, uti & in Beda, ad quem Flori augmentum expreſſe indicat, eos à ſancto Sebaſtiano ad Chriſti fidem converſos, à Polycarpo baptizatos, eâdem illâ plane ſententiâ, quam huic noſtræ claſſi Ado applicavit. Contra vero Romani parvi auctor ſextâ illâ Iduum, ſeu VIII Novembris, alios, licet ferme ſynonymos, producit, ſic loquens: *Romæ, martyrum Claudii, Nicoſtrati, Symphroniani, Caſtorii, Simplicii, artificum inſigniſſimorum*: quibus ipſiſſima die tale elogium præfatus Ado aptavit, ut ab hodiernis S. Sebaſtiani catechumenis, & à quatuor vel quinque *Coronatis* diſtinctiſſimos eſſe oporteat. Hæc ad præſens inſtitutum indicaſſe ſit ſatis, in proxime edendis menſis Julii Actis, ex profeſſo trituranda. Interim manifeſtum eſt, Uſuardum, licet paulo contractiorem, ab Adonis phraſi non magis hîc quam in priori annuntiatione receſſiſſe. *Euoldus*, ultimo loco in Adone notatus eſt, cum eo elogio, de quo die præcedenti in Auctariis diximus, delatarum nempe Thebæorum reliquiarum Viennam. Sed hunc cum pleriſque Viennenſibus epiſcopis Noſter omiſit. Nomen varie ſcribitur, ut ſatis oſtendunt varia Auctaria. Forte optima Caſtellani lectio *Eoaldi*.

AUCTARIA.

Tranſlat. Thomæ. ANTVERP-MAJ. Anglicis Sanctis ſæpe auctus, in fine addit: *Ipſa die, tranſlatio ſancti Thomæ martyris.*

PULSANEN. In prima annuntiatione purus, in altera mutatis non nihil nominibus, elogium reſcindit.

Willibaldi. Publii. ROSWEYD. Textui ſatis puro ſubjecit: *In Eiſtede, Willibaldi epiſcopi & confeſſoris. In Alexandria, Publii martyris cum aliis* XXIV.

Tranſlat. Thomæ. MUNERAT. Poſt textum in fine: *Apud Cantuariam, tranſlatio ſancti Thomæ epiſcopi & martyris.*

Octavæ Martialis. Eſt & in PRATENSI codice additamentum: *Eadem die, octavæ ſancti Marcialis:* ſed cum ea nota, ut ad marginem adjectum exiſtimem, vel ſaltem ad alterum codicem, quem B vocamus, potius quam ad vetuſtiorem ſpectet.

Textus mutatus. CENTULEN. *Apud Alexandriam, ſancti Panteni, viri apoſtolici & omni ſcientia adornati. Romæ, natalis ſanctorum Nicoſtrati primiſcrinii, Claudii commentarienſis, Caſtorii, Victorini & Simphoriani. Quos ſanctus Sebaſtianus credere Chriſtum docuit, & ad gloriam martyrii incitavit.* In margine recentiori manu adjicitur: *Marculfi.* *Eodem die, ſancti Marculfi abbatis.*

De Aquila & Priſcilla. BRUXELLEN. Omiſſo Pantæno, de quo pridie, hîc denuo anticipat: *Apud Aſiam minorem, ſanctorum Aquilæ & Priſcillæ, uxoris ejus. De quibus in Actis Apoſtolorum legitur. Apud quos, poſtquam ipſi ab urbe Roma in Achaiam venerunt, beatus Paulus Apoſtolus morabatur propter artificium: erant enim ejuſdem artis, id eſt ſcenofactoriæ, cujus & Apoſtolus operarius erat.* In ſequenti, ex voce *Primiſcrinii*, duos Sanctos facere videtur, *Primi* & *Serinci*. In reliquo textu purus eſt. Subdit: *In Paleſtina, natale beati Procopii martyris. Qui à Scitopoli Procopii.* *ductus Cæſaream, à judice Fabiano capite cæſus eſt.*

est. Hæc etiam ex sequenti die anticipantur.

Translat. Thomæ. Demum: *In Anglia, translatio sancti Thomæ archiepiscopi Cantuariensis & martyris.*

Hagenoyen. In prima satis purus, sic habet secundo loco: *In civitate Eystetensi, natalis sancti Wilibaldi pueri* [quid ni *viri*?] *ejusdem civitatis episcopi & confessoris. Item Viennæ, Coldi* [vult dicere Eoaldi vel Evoldi] *episcopi & confessoris.* Sequitur de Nicostrato & sociis pure. Tum ex die hesterna huc transfert: *Romæ, natalis sancti Tranquillini martyris. Qui dum ad beati Pauli confessionem oraret, tentus est à paganis ac lapidatus martyrium consummavit.*

Wilibaldi. *Eoaldi.* *Tranquill.*

Matric-Cartus-Ultraj. *Nicostrati martyris cum sociis. Pantheni viri apostolici & scientia adornati.*

Codex Divionen. S. Benigni in tribus diversis extractis: *Cœnobio Divionensi, translatio corporum sanctorum Urbani, Eustadii & Hilarii confessoris, & sanctarum Radegundis reginæ & Paschasiæ virginis; nec non & beatæ Quietæ conjugis præfati B. Hilarii.*

Translat. Urbani & aliorum.

Reg. Suec. sub num 428. *Apud Cantuariam, translatio sancti Thomæ archiepiscopi & martyris.*

Transl. Th.

Vatican. signatus num. 5949 *Natalis sanctorum Januarii, Laurentii & Petri in sancta Sophia. In Camerino, sancti Ansuini presbyteri.*

Januar. &c. Ansuini.

Altemps. *Item depositio sancti Boisili presbyteri & confessoris, & sanctæ Mariæ virginis: qui se pro libertate Ecclesiæ Dei, hostiam Deo placentem obtulit.* Ita legitur, non satis clare.

Boisili.

Strozzian. *Eodem die, sancti Wilebaldi episcopi & confessoris.*

Wilibaldi.

Editio Lubeco-Col. Post textum subdit: *Eodem die, sancti Willibadi episcopi eystedensis civitatis & confessoris. Treviris, beati Naviti episcopi & confessoris. Ipso die, beati Processi confessoris. In Anglia civitate Cantuaria, translatio sancti Thomæ episcopi & martyris. In Scotia, translatio sancti Kentigerni episcopi & confessoris.*

Naviti. Processi. *Transl. Th. Kentigerni.*

Belinus in utraque editione: *Eodem die, sancti Vilibaldi episcopi & confessoris.*

Wilibaldi

Greven. *Apud Viennam, sancti Eoldi episcopi & confessoris, cujus industria reliquiæ sanctorum Thebæorum ad præfatam urbem translatæ sunt.* Vide quæ supra diximus in fine Observationis nostræ. *Item Wilibaldi episcopi Eystadensis & confessoris. Naviti episcopi Treverensis & confessoris. Item Waltfridi episcopi. In Anglia, Heddæ episcopi. Translatio sancti Thomæ Cantuariensis episcopi & martyris. Materniani confessoris. Apollonii confessoris. Processi confessoris. Edilbergæ virginis abbatissæ, filiæ regis Orientalium Anglorum, cujus Beda meminit libro 3. Treveris, sanctæ Juliæ virginis. Mustiolæ viduæ.*

De Eoaldo. Wilibaldi. Naviti. Waltfridi. Heddæ. Transl Th. Materniani. Apollonii. Processi. Edilburgæ. Juliæ. Mustiolæ.

Molan. Textui aliis litteris adjungit ad Nicostrati, *Primiscrinii*; ad Claudii, *commentariensis*; & post *Simphoriani*, pro Simphroniani, interserit: *Hos beatus Sebastianus credere Christum docuit & sanctus Polycarpus presbyter baptizavit. Qui cum corpora sanctorum per ora Tyberina requirerent, tenti sunt.* In fine: *Apud Cantuariam, translatio sancti Thomæ episcopi & martyris. Eodem die, sancti Bilibaldi episcopi & confessoris. Eodem die, translatio sanctæ Beggæ viduæ.* Et minori charactere: *In Anglia, Heddæ episcopi. Edilburgæ virginis* &c. ut Greven. *Arvernis, sancti Illidii, ejusdem civitatis episcopi & confessoris.* Editiones posteriores, idem habent in contextu. In fine autem: *Eodem die, sancti Vuilibaldi episcopi & confessoris. Treviris, natalis sancti Naviti episcopi & martyris. Die septima, sancti patris Thomæ in Malæo & sanctæ megalomartyris Cyriacæ. Apud Cantuariam, translatio sancti Thomæ episcopi & martyris. Andennæ, translatio sanctæ Beggæ viduæ.*

d. Nicost. &c. Transl. Th. Bilibaldi. Transl. Beggæ. Heddæ. Edilburgæ. Illidii. Naviti. Thomæ & Cyriacæ.

VIII *Idus.* *Die* 8.

Apud Asiam minorem, sancti Aquilæ & Priscillæ ejus uxoris, de quibus in Actibus Apostolorum scribitur. In Palestina, natalis beati Procopii martyris, qui ab Scitopoli ductus Cæsaream, ad primam responsionum ejus confidentiam, à judice Fabiano capite cæsus est. Eodem die,. sancti Ciliani martyris.

Aquilæ & Priscillæ, Procopii. Kiliani.

Ita *Praten. Herimen. Tornacen. Pulsanen.* & *Grevenus.*

Varia lectio. Scythopoli recte scripsit Praten. vel saltem qui apographum nostrum transumpsit. Ceterum cum alii passim habeant *Scitopoli*, coactus fui sequi vel errantes. Solus Pulsanen. posuit *Scithopoli*, sed pessime Greven. *Sticopoli.* Molan. *Nicopoli. Cæsareæ* pro *Cæsaream*, vitium est in Pulsanen. Alius error in eodem, *ad primam confidentem responsionem*, ubi cum textu legendum, *ad primam responsionum ejus confidentiam.* Rursus, pro *Kiliani*, habet *Juliani.* Cum autem in omnibus codicibus præterquam in Greveno, inveniam *Ciliani*, ita in textu relinquendum fuit. In Rabano & Notkero legitur *Chiliani*, at pro prima inflexione stat usus communis.

Observatio. Pergit eodem tenore Usuardus haurire ex Adone, hic ex Romano parvo: prima siquidem annuntiatio apud eos tantummodo reperitur. En Romani parvi terminos: *In Asia minori, Aquilæ & Priscillæ uxoris ejus.* Ado legit: *Apud Asiam minorem* &c. prout in textum suum Noster verbatim transtulit. Sed iis in Adone alia adduntur, quæ ex ipso à Notkero desumpta sunt, eo ferme sensu quo die præcedenti in Auctariis ex Bruxellensi codice retulimus. Ex Actibus Apostolorum & Pauli epistolis vulgo nota sunt, quæ si in ordinem chronologicum redacta cupis, adi Tillemontium

Aquilæ & Priscillæ.

tomo 1 pag. 246 & aliis locis, quæ alibi diſcutiemus. Non placet notula Caſtellani, hoc die in Martyrologio univerſali appoſita; meliora ſunt, quæ obſervavit Motherius. Et hæc quidem de Aquila & Priſcilla, citatis quatuor Martyrologis propria ſunt. Notior eſt *Procopius*, ab Hieronymianis, Beda, Rabano & Wandelberto etiam memoratus. Dubitat Florentinius unuſne ſit an geminus *Procopius*, hicque ab eo diverſus, quem inter martyres Palæſtinæ celebrat Euſebius, tamquam ad tribunal raptum & capite truncatum VIII menſis Deſii, qui eſt apud Romanos, ante diem ſeptimum Idus Junias. Nos de ea controverſia, loco ſuo. Certum interim eſt, Procopium ab Hieronymianis hac die notari; an cum *Quarto* martyrii ſocio, alibi videbitur. Certum etiam, Romanum parvum legere: *In Palæſtina, Procopii martyris.* Certum denique, elogium idem inveniri in Beda, Rabano, Adone, Uſuardo & Notkero, cum hac ſola voculæ mutatione, quod Uſuardus pro *irato judice*, ſcribat, *à judice*, ſenſu clariori. Quis præiverit, pronum eſt colligere. Etenim Rabanus & Ado ſua ex Beda mutuati ſunt, Noſter ex Adone, Notkerus ex alterutro. Omnia celeberrimum Procopium indicant, à quo librum de martyribus Palæſtinæ orditur Euſebius, ex editione Valeſii relatus à Ruinartio à pag. 330, cuique ſubjungitur pag. 373 tantillo uberior hiſtoria ex laudati Valeſii notis pag. 172. Et hæc quidem ut vera & ſincera eidemque perſonæ apprimè quadrantia admittuntur. Quid de alterius Procopii ducis exercitus Actis, ut ſub nomine Metaphraſtis à Surio edita ſunt, cenſendum ſit, habes in Actis ad XIX Maii pag. 304 & in Reſp. Papebrochii ad art. 5 à num. 29, quibus plura adjicit Tillemontius tomo 5 à pag. 605. Hæc curſim hîc dicta ſufficiant.

Procopii

De *Kiliano* nihil in Romano parvo, nihil in Adone, à Baronio perperam citato, legitur; nihil item in Beda aut Floro. Quod autem in ſolo Lucenſi Hieronymiano apographo habetur: *In Auſtria, paſſio ſancti Kyliani*, cenſet Florentinius *laciniam* eſſe, *ex nota marginali interpoſitam à Gallico antiquario.* Quod ei facile conceſſerim, in eorum confirmationem, quæ alibi monui, nempe non magis Epternacenſem, quam ceteros Hieronymianos codices, in Gallia fuiſſe & auctos & interpolatos. Porro *Kilianum* Rabano notum fuiſſe, in ea locorum vicinia, mirum prorſus videri non debet, hinc Notkero communicatus duplo auctiori elogio exornatus eſt, ubi & *Auſtriam* illam ab hodierna diſtinctam invenies, ut alibi non ſemel dictum memini. Videatur duplex paſſio à Caniſio edita Antiq. Lect. tomo 4 à pag. 628, & quæ ad eas obſervavit Mabilio ſeculo 2 Benedict. pag. 991 & ſeqq. Dubium non eſt, quin & à Noſtro *Kilianus* conſignatus ſit, quamvis unde illum acceperit, minime liqueat. Molanus hîc iterum juſto ſcrupuloſior è textu eum expunxit. Noto, in Romano parvo memorari etiam hac die *Brictium*, quem Ado & Noſter in ſequentem diem diſtulerunt. De Kiliano & Procopio ita cecinit Wandelbertus:

Kiliani.

Octavo ante Idus Cilianus Procopiuſque
Excellent, Chriſtum virtute & morte ſecuti.

AUCTARIA.

Grimbaldi.

Kiliani & ſociorum.

Nomii. Theobaldi.

De Kiliano & ſociis.

Epictici & ſocior.

ANTVERP-MAJ. Rurſus ex Anglia, addit: *In Ventano* (vide infra) *monaſterio, depoſitio S. Grimbaldi monachi.* ROSWEYD. Sic orditur: *In Uuirziburc, Kyliani epiſcopi & martyris, & ſociorum ejus Colmanni & Totmanni.* De quibus vide cod. BRUXELL. & alios. Sequitur textus purus.

ANTVERP. MAX-LUBEC. MOLAN. & VATICAN. num. 5949. Carent ultima annuntiatione de Kiliano.

MUNERAT. Textum pluribus auget, hoc modo: *Eodem die, ſancti Ciliarii* [Kiliani] *martyris. In pago Pinciacenſi, ſancti Nomii confeſſoris. Ipſo die, ſancti Theobaldi confeſſoris.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVAN. ALBERG. & DANIC. Textui puro ſubdunt: *Eodem die, ſancti Kiliani epiſcopi & martyris, ſociorumque ejus. Qui de partibus inſularum Oceani maris adveniens in regnum Germaniæ, ad civitatem Herbipolim devenit, ibique ſub judice Gozberto martyrium, capitis obtruncatione complevit.* In hoc conveniunt omnes, ſed ANTVERP-MAX. inſuper adjicit: *Apud Almuridenſium civitatem, ſanctorum martyrum Epicticii* [Epicteti] *presbyteri & Aſtionis monachi, quorum geſta habentur.* Illa, opinor, quæ in vitis Patrum à Roſweydo edita ſunt, & ex iiſdem apud Surium vulgata, ſuo loco illuſtrabuntur.

CENTULEN. In textu, excepto Kiliano, præter morem ſatis purus, adjicit: *Apud Heracleam, ſanctorum Joannis & Apri. Eodem die, ſancti Quilliani & ſociorum ejus.* Satis patet *Kilianum* intelligi. *Joannis. & Apri.*

BRUXELLEN. Incipit: *In Oſtrofrancia, paſſio ſancti Kiliani epiſcopi & martyris, ſociorumque ejus. Qui de partibus inſularum Oceani maris veniens in regnum Germaniæ ad civitatem Herbipolim, Gorbertum ejuſdem loci ducem redarguit, quod Geylam* [Geilanam,] *quondam fratris ſui uxorem, ſibi conjugem ſociavit. Unde Geyla jubente, Kilianus epiſcopus & ſocii ejus pro veritate juſtitiæ clam perimuntur.* Sequitur nova anticipatio: *Romæ, ad Guttam jugiter manantem, natale ſancti Zenonis martyris, & aliorum decem milium ducentorum & trium. Item Juliani martyris. Et Grimbaldi confeſſoris. Apud Beliſiacenſe monaſterium, ſanctæ Landradæ virginis & abbatiſſæ. Quæ fuit eorum, quos Franci Majores domus appellant, inclita proles; & beatæ Gudilæ noſtræ patronæ conſanguinea. Et cum obiſſet, ſtatim beato Lamberto epiſcopo apparens, locum ei ſuæ ſepulturæ deſignat. Et cum populus ad id explendum non conſentiret, apud Beliſiam tumulatur, ſed poſt triduum inventa eſt cum ſarcophago divinitus tranſportata, ubi prædixerat.* Vita ejus exſtat apud Surium, ubi hæc videri poſſunt. *de Kiliano &c. Zenonis. & 10203. Juliani. Grimbaldi. Landradæ cum elogio.*

HAGE-

HAGENOYEN. Post priores annuntiationes satis pure relatas, de Kiliano plurima subjungit. At tu vide sis Rabanum vel Notkerum, quibus magis, quam huic compilatori, fidendum esie, ex supra hinc inde datis abunde constat.

AQUICINCT. In fine post textum integrum: *Grimboldi.* *Wintonia civitate, depositio beati Grimboldi sacerdotis & monachi Sithiensis.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Epictici & Astionis martyrum. Translatio sanctæ Barbaræ.* *Epictici &c.* *Transl. Barbaræ.* *Procopii martyris. Kiliani episcopi & martyris cum sociis. Landradæ virginis. Norberti archiepiscopi, fundatoris Ordinis Præmonstratensis.* *Landradæ.* *Norberti.* Agitur haud dubie de aliqua translatione. Alia Antverpiæ solenniter recolitur XI Julii.

REG. SUECIÆ num 428. *In pago Pintiavensi, sancti Nunni confessoris.* *Nunni.* Castell. scribit, *Nummii.*

ALTEMPS. *Translatus sancti Grimbaldi presbyteri & confessoris, magnæ sanctitatis viri.* *Grimbaldi.*

STROZZIAN. *Item, sancti Pauli martyris Constantinopolitani.* *Pauli Cosp.* An *episcopi*, de quo VII Junii?

ABDINGHOFFEN. *Eodem die, sancti Kiliani cum sociis suis Calamo & Totmanno.* *Kiliani &c.* Alii rectius.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Herbipoli, passio sancti Kyliani episcopi & martyris sociorumque ejus duorum Colonati & Thotuani. Qui Kylianus de partibus insularum Oceani maris, pro lucro animarum Romam devenit, & consecratus ibidem in episcopum, obtenta licentia prædicandi, applicuit partibus Germaniæ & venit ad civitatem Herbipolim; ibidem ducem Franconiæ Gosbertum ad Christum convertit. Qui cum uxorem fratris sui nomine Erilanam, illicite tenuisset, & sanctus episcopus eam relinquere suaderet, ipse sanctum virum & socios ejus fecit propter hoc plecti.* *De Kiliano.* In annuntiationibus duabus primis, satis pura est. In fine: *Treveris, sancti Auspucii episcopi & confessoris. Apud Eracleam, sanctorum Johannis & Primi confessorum. Eodem die, sancti Grumbaldi presbyteri & confessoris. Ipso die, beati Disibodi episcopi & confessoris.* *Auspicii. Joannis & Primi. Grumbaldi. Disibodi.* Vide ejus vitam apud Surium hoc die.

BELIN. In textu non omnino purus, in fine habet: *Item sancti Pauli martyris Constantinopolitani.* *Pauli Cosp.*

GREVEN. *Translatio prima sanctæ Barbaræ virginis & martyris, Nichomediæ in loco sepulturæ. Colonani presbyteri & Tornani diaconi. Qui cum beato Kiliano episcopo & martyre de Scotia egressi, apud Herbipolim civitatem Franconiæ Christum evangelizantes, ad martyrii palmam cum ipso pervenire meruerunt. Epictici presbyteri & Astionis monachi, martyrum. Qui tempore Diocletiani ab oriente in fines Scythiæ venientes, pro fide Christi tenti, in omnibus, quibus afficiebantur, tormentis, hæc creberrime verba dicebant: Christiani sumus, ô tyranne, fiat voluntas Dei nostri in nobis. Post varios tandem cruciatus, capite truncati, martyrium consummaverunt. Treveris, Auspicii episcopi & confessoris. Ipso die, Disebodi episcopi & confessoris. Item Wasonis episcopi Leodiensis & confessoris. Civitate Rothomagensi, translatio sancti Euodi episcopi & confessoris. Apud Eracleam, Johannis & Primi. Sumnivæ virginis & sociorum ejus martyrum. Qui de Hibernia egressi, in Norbegia coronas martyrii assecuti sunt.* *Transl. Barbaræ.* *Epictici &c. cum elogio.* *Transl.* *Auspicii.* *Disebodi.* *Wasonis.* *Transl. Euodi.* *Joannis &c.* *Sumnivæ & sociorum.*

MOLAN. *In pago Austriæ & castro nomine Vuirciburg, juxta Menum fluvium sito, natale sancti Kiliani martyris, & duorum sociorum ejus, qui ab Hybernia Scotorum insula venientes, nomen Christi in prædictis locis prædicaverunt, ibique ob veritatis confessionem, sub quodam judice Gozberto trucidati sunt, & multis postea signis, veri Christi martyres esse claruerunt.* *de Kilian &c.* Quæ Rabani verba sunt. *Item sancti Pauli martyris Constantinopolitani. In pago Pinciacensi, sancti Nomii martyris. In Gemblaco, adventus corporis sancti Exuperii, signiferi Thebææ Legionis & martyris glorioſi. Treveris, sancti Auspicii episcopi. Augustæ Veromandorum, inventio corporis sancti Quintini martyris. In monasterio Belisia, sanctæ Landradæ virginis.* *Pauli Cosp.* *Nomii.* *Advent. Exuperii.* *Auspicii.* *Invent.* *Quintini.* *Landradæ.* De Disebodo & Sumniva vel Summiva, ut GREVEN. In aliis editionibus ea est diversitas, quod addatur: *Wintonia civitate, depositio beati Grimbaldi abbatis & monachi Sithiensis.* *Grimbaldi.* Et de Disebodo: *In pago Trevirico, sancti Disebodi* &c. Denique, typis minoribus: *In Anglia, sanctæ Vuitceburgæ virginis.* *Witeburgæ* Colitur XVII Martii. Vide ibi Henschenium.

VII *Idus.*

Die 9.

ROmæ ad Guttam jugiter manantem, natalis sancti Zenonis martyris & aliorum decem milium ducentorum trium. Eodem die, beati Cirilli episcopi, qui flammis injectus, cum illesus evasisset, ac stupore tanti miraculi à judice esset dimissus, rursus pro instanti & alacri prædicatione facta de Christo, ab eodem capite plexus est. In civitate Tyro, passio sanctorum Anatholiæ & Audacis sub Decio imperatore, quorum Anatholia Christi virgo, diversis plagarum generibus vexata, novissimè gladio transverberata est in oratione. Audax quoque in custodiam datus; nec mora, capitali sententia coronatur. Civitate Martula, sancti Brictii episcopi & confessoris, qui pro confessione Domini postquam est multa perpessus, & ab angelo sancto & beato Petro Apostolo confortatus, item magnas populorum credentium multitudines omnipotenti Deo lucrifaciens, quievit in pace. *Zenonis & 10203 Cyrilli.* *Anatholiæ.* *Audacis.* *Brictii.*

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-majore, Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.* Item ex *Albergen.* & *Danico.*

VARIA LECTIO. *Milium, Cirilli, illeſus* ſcripſi ex codicum ferme omnium conſenſu. Pro *alacri prædicatione*, male Antverp. & Max-Lubec. *alacri perſecutione*; pejus Munerat. pro *alacri* habet, *altari*. In *Tyro* ſervanda fuit codicum lectio, pro qua in Antverp-maj. & Greven. eſt, *Tiro*; Sed neutrum valet, ut infra oſtendam. Puto Pratenſem recte ſcribere, *in oratione transverberata eſt*, at ex aliorum auctoritate tranſponenda fuit conſtructio, pro qua in Antverp. & Max-Lubec. poſitum, *tranſverberata in confeſſione eſt*, & in Munerat, *transverberata, martyrium complevit*. Lego *Brictii* cum Tornacen. Munerat. Greven. & Molan. Videtur in Praten. ſcriptum *Brixii*, alii *Bricii* vel *Briccii*. Munerat. vitioſe poſuit *es*, pro *eſt*. Molan. omiſit *item*, ante *magnas populorum* &c. Denique Antverp-maj. *ſecundo*, pro *ſancto*, & in fine, *lucrificans, quievit in Chriſto*.

Zenonis & 10203.

OBSERVATIO. Eadem rurſum Uſuardi ratio in deſcribendo Adone, eadem Adonis in ſequendo Romano parvo, in quo tamen, ut die præcedenti diximus, Brictius VIII Julii collocatus eſt. *Zeno* itaque cum ingenti illa ſociorum multitudine, aliis vetuſtioribus ignotus, à ſolis noſtris quatuor, eumdem funem trahentibus, conſignatur. Si major ſubinde notitia acceſſerit, ea in Actis noſtris dabitur. Eſt in Romano parvo; *Cyrilli epiſcopi & martyris*, qui non eumdem ubique locum occupat, ſed iiſdem ferme verbis in Adone, Uſuardo & Notkero laudatur: in prioribus abſque poſitione ſeu loco certaminis, quo modo & in Heronymianis poſitus eſt. De eo ſilet Beda; at Florus & *Ægyptum* expreſſit, & *Decium imperatorem* & *Lucium præſidem*, & ignem quo conſumptus dicitur In eamdem ſententiam loquitur Rabanus, contexto ſatis longo elogio. Notkerus item, licet in phraſi Adonem ſecutus, characteres hujuſmodi aliquot ductori ſuperaddidit. Alii interim *Gortynam Cretæ*, pro qua ſtat Baronius, alii *Romam* nominant, quæ omnia differendi materiam in Actis illuſtrandis ſubminiſtrabunt. Sunt ipſa in Surii collectione hac die, brevi, ſimplici & gravi ſtylo compoſita, ſic tamen, ut jam tactæ à nobis difficultates, ſuſpicionem Tillemontio ingerant, geminum fortaſſe Cyrillum in unum fuiſſe conflatum. Vide ipſum tomo 3 pag. 715. Nec contemnendas puto Caſtellani notatiunculas ad hanc & ſequentem annuntiationem. Quod dixi iiſdem ferme verbis etiam ab Uſuardo Cyrillum laudari, intellige contractum ab eo de more Adonis elogium.

Cyrilli.

Anatholiæ & Audacis

Sequens annuntiatio in citato Romano parvo refertur his verbis: *In civitate Tyriæ*, *Anatoliæ & Audacis*. Beda pro *Tyriæ*, ſcribit *Tiræ*, ex quo totum ſuum elogium deſcribunt Ado & Rabanus ac proinde Notkerus, qui forte æquivocationem veritus in voce *Tyro*, qua Rabanus utitur, ſtudioſe appoſuit; *non longe ab urbe Roma*. Quod certe opus non erat, circumſtantiis elogii ſatis indicantibus, non hîc *Tyrum Phœnicis urbem*, ſed oppidum aliquod Italiæ intelligendum Meliuſ id quadraſſet Uſuardo, qui floſculos, ut ita dicam, elogii ſolum colligens, & contra Adonis mentem etiam legens *Tyro*, ita annuntiationem ſuam efformat, ut qui eam legit, vix dubitare poſſit, quin omnino agatur de prædicta civitate Tyro, aliàs notiſſima. Utrum vero Anatholia noſtra etiam in Hieronymianis memorari cenſenda ſit, vide in Notatione Florentinii & hoc die & ſequenti, quo, *in Savinis* conjungitur *Victoriæ*. De cetero, nec *Tyriæ*, nec *Tiræ*, multo minus *Tyri* vel *Tyro*, ſed *Thoræ* legendum, quæ ad lacum Velinum in diœceſi Reatina ſita eſt, docebit Baronius: niſi cum noſtro P. Joanne Gravio, qui notas Mss. marginales adjecit editioni Molani anni MDLXXIII, quam *Molanum-Duacenum* vocarunt Majores noſtri, eas Notas Schotto tribuentes; niſi, inquam, cum Gravio pro *Thoræ*, ſubſtituas *Turii in Calabria*. Sed hæc propria erit Commentarii ad horum Sanctorum Acta diſquiſitio. Edidit ipſa Surius, more ſuo, nonnihil expolita, ſed non ita expurgata, ut de interpolatione ſuſpecta non ſint. Placet hiſtoria, ut à Tillemontio diſpoſita eſt tomo 3 pag. 329. Aſt ibi *Audax* excludi videtur, quem tamen Wandelbertus cum Anatholia conjunxit: *Audax ſepteno pariterque Anatholia claret*.

Brictii.

Brictius, in civitate Martulana à Romano parvo pridie ſignatus, hac die cum elogio ab Adone refertur, quod in Notkero deſcriptum invenies. Noſter ea carptim ſelegit, quæ brevitati ſuæ conveniebant, atque ita, ut principio dicebam, totus textus ex Adone acceptus eſt, & à nobis fideliter traditus. Quid de hac Brictii hiſtoria cenſendum ſit, colliges ex Actis S. Chryſopoliti & ſoc. XII Maii ab Henſchenio diſcuſſis & brevius apud Tillemont. tomo 5 pag. 132. In Beda & Wandelberto celebratur hac etiam die, *depoſitio S. P. N. Ephrem*; in Adone: *Item apud Ægyptum, ſancti Serapionis epiſcopi & confeſſoris*. De primo agit Noſter I Februarii; de Serapione fortaſſe dubitaverit; certe de eo hac die non meminit, tres alios aliis diebus memorans, Anachoretam martyrem, XXI Martii; Antiochenum, XXX Octobris; Alexandrinum, XIV Novembris. Plura in Actis diſcutienda erunt de Serapionum diſtinctione, præter ea, quæ XXI Martii diſputata ſunt. Sed de his ſatis, ne juſto longius evagemur.

AUCTARIA.

TORNACEN. Longiores textus decurtare ſolitus, hic omittit elogia Cyrilli & Brictii; cetera cum textu plane convenit.

PULSANEN. Satis recte procedit uſque ad, *ſub Decio imperatore*, deſunt reliqua omnia.

ROSWEYD. Poſt textum purum ſuperaddit in fine: *In Ægypto, ſancti Ephrem monachi.* Qui ſane ab Edeſſeno diacono diverſus eſſe debet. *Ephrem.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Textui puro, præfigunt: *Octava Viſitationis beatæ Mariæ Virginis.* *Octav. Viſit.*

LOVANIEN. In citato augmento, prioribus ſimilis, deficit præterea in elogio Brictii, quod totum omiſit.

CENTULEN. In Zenone purus eſt. *Eodem die, beati Cyrili epiſcopi, qui capite cæſus martyrium conſummavit. In civitate Syriæ* [pro *Tyriæ*, ni fallor,] *ſanctorum Anatholiæ & Audacis, ſub Decio imperatore. In civitate Martulana, ſancti Brictii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, ſancti patris noſtri Effrem dyaconi, magnarum virtutum & excellentis ingenii viri.* *Textus contractus.* *Ephrem.*

BRUXELLEN. De Zenone egit die præcedenti. In Anatholia, Audace & Cyrillo ſatis purus eſt. Sequitur ex Hieronymianis; *Romæ, natale ſanctarum virginum Florianæ, Fauſtinæ & Felicitatis, cum preſbyteris ſeptem.* De Brictio etiam recte, ſed ejus elogium auget his verbis: *Cujus animam in ſpecie columbæ niveæ, cælo recipi viderunt aſtantes.* In fine autem additur: *Eodem die, ſancti patris Effrem.* *Florianæ &c* *De Brictio.* *Ephrem.*

HAGENOYEN. In Zenone purus, ſecundo loco habet: *Item in Colonia Agrippina, ſancti Agylolfi epiſcopi & martyris.* Vide XXXI Martii. *Agilolfi.*

De Cyrillo. *Eodem die, beati Cyrilli epiſcopi & martyris, qui in Ægypto verbum Dei prædicavit, & ideo tentus eſt a rege Lucio, & flammis injectus eſt. Sed dum non læditur, ſtupet judex & illum abire permittit. Qui poſtea plures ad fidem convertit; unde judex de ſua dimiſſione dolens, jubet eum decollari. Aſtantes autem animam ejus in ſpecie niveæ columbæ ad cæleſtia conſcendere viderunt.* Cetera purus eſt.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Octava Viſitationis. Cyrilli epiſcopi & martyris. Anatholiæ virginis & martyris & Audacis. Romæ, Zenonis martyris & decem millium ducentorum cum ipſo.* *Oct. Viſit.*

VATICAN. num. 5949. *Apud Ægyptum, ſancti Serapionis epiſcopi & confeſſoris. Et depoſitio ſancti Ephrem.* Vide Obſervationem. *Serapionis.* *Ephrem.*

ALTEMPS. *Eodem die, ſanctæ Everildis virginis.* *Everildis.*

STROZZIAN. *Apud Ægyptum, ſancti Serapionis epiſcopi & confeſſoris.* *Serapionis.*

EDITIO LUBECO-COL. *Octava Viſitationis beatæ Mariæ virginis. Apud Coloniam Agrippinam, depoſitio ſancti Agillolphi archiepiſcopi ejusdem civitatis & martyris. Qui cum à Karolo Martello, cujus tutor & conſiliarius fuit, vocatus eſſet, in via à quibusdam æmulis ſuis juxta oppidum Malmandarienſe interfectus eſt, ſed poſt Coloniam tranſlatus & in eccleſiam ſanctæ Mariæ ad gradus honorifice locatus. Item Colonia Agrippina, commemoratio & ordinatio beati Heriberti archiepiſcopi & confeſſoris, quæ facta eſt ſub Ottone III Romanorum imperatore, anno ab incarnatione Domini* DCCCCXCIX. Sequitur: *Romæ ad Guttam jugiter manantem* &c. ubi fuſe enumerat varia tormentorum genera, quibus & Zeno & ſocii affecti ſunt. De Cyrillo addit, ut ſupra, *animam in ſpecie columbæ* &c. In Anatholia, Audace & Brictio, ſatis pura eſt. In fine: *Apud Ægyptum, ſancti Serapionis epiſcopi & confeſſoris. Senonis, ſancti Theraclii epiſcopi & confeſſoris.* *Oct. Viſit.* *De Agilolfo.* *De Heriberto* *de Zenon. &c* *Serapionis.* *Theraclii.*

BELIN. Incipit: *Octava Viſitationis glorioſæ Virginis Mariæ.* In fine, deeſt elogium *Brictii*, qui in 2 editione vocatur *Luricius.* *Oct. Viſit.*

GREVEN. *Octava Viſitationis beatæ Mariæ. Apud Coloniam Agrippinam, beati Agilolphi epiſcopi & martyris. Qui ob amorem juſtitiæ, impiis odioſus factus & ab ipſis occiſus, Coloniam relatus, in eccleſia beatæ Mariæ ad gradus honorifice locatus eſt. Apud Heliopolim, quæ eſt circa Libanum, ſancti Cirilli diaconi & martyris. Qui, ut lib. 6 Hiſtoriæ tripartitæ dicitur, cum ſub Conſtantio multa idola contriviſſet, ſub Juliano à paganis peremptus eſt. Apud Ægyptum B. Serapionis epiſcopi & confeſſoris. Materni, Galendi* (prima editio habet *Galendini*) *Gaii, Baſilii, epiſcoporum Mediolanenſium & confeſſorum. Senonis, Theraclii epiſcopi & confeſſoris. Apud Coloniam Agrippinam, ordinatio epiſcopatus ſancti Heriberti epiſcopi & confeſſoris, facta anno Domini* DCCCCXCIX. *In Ægypto, Effrem ſancti patris eremitæ & confeſſoris. In Hibernia, Germani confeſſoris. Salviæ virginis. Item Wichburgæ virginis. Tranſlatio ſanctæ Odæ viduæ.* *Agilolfi.* *Cyrilli diac.* *Serapionis.* *Materni &c* *Theraclii.* *Ordinat.* *Heriberti.* *Ephrem.* *Germani.* *Salviæ.* *Wichburgæ.* *Tranſl. Odæ*

MOLAN. *Octava Viſitationis glorioſæ Virginis Mariæ. Ipſo die, ſancti patris noſtri Ephrem. Coloniæ, ſancti Agilolfi, ejuſdem urbis archiepiſcopi & martyris.* Dein typis minutioribus: *Qui ob amorem* &c. ut GREVEN. Item: *Apud Heliopolim, quæ eſt juxta Lybanum* &c. etiam ut GREVEN. In editionibus aliis poſt, *jugiter manantem*, ineptè aliis litteris inſeritur: *quæ alias dicitur, eccleſia ſanctæ Mariæ fontis olei trans Tyberim*, cum hæc loca disjunctiſſima ſint, ut recte in Notationibus ſuis oſtendit Baronius. In fine ſolum additur: *Coloniæ, ſancti Agilolphi, ejuſdem urbis archiepiſcopi & martyris.* Ejus elogium non ſemel ſupra productum eſt. *Oct. Viſit.* *Ephrem.* *Agilolfi.* *Cyrilli diac.*

VI *Idus.* *Die* 10.

ROmæ, ſeptem fratrum filiorum ſanctæ Felicitatis, id eſt Januarii, Felicis, Philippi, Silvani, Alexandri, Vitalis, Martialis. E quibus Januarius tempore Antonini, poſt verbera virgarum & carcerem, ad plumbatas occiſus eſt. Felix & Philippus fuſtibus mactati. Silvanus præcipitio interemptus. Alexander, Vitalis, & *Septem fratrum.*

Mar-

Januar. & ſociorum. Martialis capitali ſententia puniti. In Africa, natalis ſanctorum Januarii, Marini, Naboris & Felicis decollatorum. Item Romæ, ſanctarum *Rufinæ & Secundæ.* virginum Rufinæ & Secundæ, quæ ſub perſecutione Valeriani & Galieni tormentis ſubactæ, ad ultimum una, capiti illiſo gladio, altera, cæſa cervice, migraverunt.

Ex *Praten. Herinien. Antverp-majore*, *Antv.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Scripſi *Martialis* cum Herinien. Antverp-maj. & aliis, licet Praten. & nonnulli alii diſcrepent. Solus Molan. habet *Sylvani*: qui cum Greven. pro *carcerem*, ponit *carceres*: Belin. *carceris macerationem*: & iterum *plumbatis*, pro *ad plumbatas*; ubi Antverp-maj. *& plumbatas*. Sunt qui cum Greven. & Molan. legunt, *interemptus eſt*, ſed Praten. Herinien. Antverp-maj. & alii, omittunt *eſt*. Ultimus vero male poſuit *puniti ſunt*, quod etiam Belin. habet, qui quatuor martyres Africanos ultimo loco recitat. *Decolatorum*, male ſcribitur in Antverp-majore, uti & *Criſtinæ* pro *Rufinæ*. In omnibus codicibus eſt *Galieni*, & ita proinde in textu. Pro, *altera cæſa cervice*, Greven. & Molan. legunt, *altera cervici*, nempe *illiſo gladio*, ſed alia eſt Uſuardi conſtructio. Belinus claritatis, opinor, gratia, interpoſuit *ad cælos*, ante *migraverunt*.

Septem fratrum. OBSERVATIO. Solita tenent veſtigia cognati Martyrologi, Romanum parvum, Ado, Uſuardus, quibus accedere, ex potiori parte poteſt Notkerus. De illuſtri matris & filiorum claſſe in primo ſolum ſcribitur: *Romæ, ſeptem fratrum.* Hieronymiana exempla ita confuſa ſunt, ut alienis auxiliis opus habuerit Florentinius, ad vera filiorum ſanctæ Felicitatis nomina a cæmeteriis aliiſque immixtis diſtinguenda. Nec ſatis diſtincte loquitur Frontonis Kalendarium; *ſeptem fratrum Apii & Salariæ*; de quibus vide editoris obſervationem pag. 103, ubi de tribus Miſſis &c. Clariora ſunt quæ tradit Beda & poſt illum Ado, pari uterque ſententia, licet non eiſdem omnino verbis, cum alter altero paulo ſit brevior, & niſi Noſter perpetuo Adonianus eſſet, dubitari poſſet, an non potius illum, quam hunc, præ oculis habuerit. Rabanus certo Bedam deſcripſit, Notkerus Adonem, addita brevi clauſula. Utrum autem fratres illi omnes hac die, an ſimul cum matre, an eodem loco confecti & ſepulti, ſuo loco diſcutietur; præeunte Bucherii vetuſtiſſimo Kalendario, cujus verba recitat Ruinartius pag. 20, Acta ipſa paſſionis ut ſincera ſubjungens, cum Surii, & Ughelli editione aliiſque Mss. collata. Mirum quam jejune de his agat Tillemontius tomo 2 pag. 312. De aliis germanis, itidem ſeptem, Tiburtinis egimus XXVII Junii, & porro agendum erit XVIII hujus.

Januarii & ſociorum. Africanos noſtros quatuor ita annuntiat Romanum parvum: *In Africa, Januarii, Marini, Naboris & Felicis.* Et eadem eſt Hieronymianorum phraſis, niſi quod ſocii adjungi videantur, à noſtris plane expuncti. Citatis jam verbis ſuperaddidit Viennenſis & ex eo Notkerus, *decollatorum*; ac præterea: *Quorum corpora Mediolanum tranſlata ſunt.* Suſpectam tranſlationem habuiſſe videtur Uſuardus, certe eam ſilentio plane involvit, de cetero annuntiationem totam ex Adone accipiens. Magna, ſaltem poſteriorum duorum, cum *Victore Mauro*, de quo egimus VIII Maii, affinitas, adeo ut Acta in multis convenire dicantur. Vide Tillemontium tomo 5 à pag. 267. Celeberrimas virgines *Rufinam* & *Secundam* ſolis nominibus appellavit Romanum parvum: *Romæ, Rufinæ & Se-* *Rufinæ & Secundæ.* *cundæ.* Has apud codices Hieronymianos, ſupra laudatis fratribus immixtas, obſervat Florentinius, nonnulla in earum laudem congerens. Aſt Ado uberius rem proſecutus, prolixo eas ornavit elogio, Actorum videlicet eleganti compendio, quod mirum eſt à Notkero non integre fuiſſe deſcriptum. Noſter paucula delibavit, ſatis parce, ut verum fatear, pro materiæ, ab Adone tam large digeſtæ, abundantia. Hunc ſua ſumpſiſſe conſtat ex Actis ipſis, quæ à Mombritio & Surio poſtea edita ſunt; quæque antiquitatis ſuæ teſtem habent Aldelmum, Virginum encomiaſten, alioſque veteres. Pro integritate ſtat Baronius; contra ſentiunt recentiores, quibus ferme accedit Tillemontius tomo 4 pag. 5, ſed maxime pag. 584. Illuſtrem Romæ earum memoriam probat vetuſtiſſimus epiſcopatus *Silvæ candidæ*, poſt loci everſionem Portuenſi unitus. Sed quidquid de his poſtea ſtatuendum ſit; patet interim, ut ſupra dicebam, Martyrologorum noſtrorum convenientia, & ex codicibus Uſuardinis, nativa Uſuardi ipſius ſimplicitas. De ſola prima claſſe meminit Wandelbertus:

Sexto germana Chriſto pro ſorte coronam
Progenie ſeptena dicat Felicitas alma,
Quam genuit, gratamque Deo præmiſit ad aram.

AUCTA-

AUCTARIA.

TORNACEN. Septem fratrum nomina enumerat, ſed omiſſo elogio. Cetera omnia pura ſunt.

PULSANEN. In prima purus; adjungit: *Item Romæ, ſanctarum virginum Rufinæ & Secundæ.* Deſunt reliqua.

ROSWEYD. Textui puro ſubjungit: *Item ſanctæ Amelbergæ virginis.* *Amelbergæ.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Omnes cum Belino, Africanos ultimo loco referunt, quibus addunt: *In portu Gandavo, monaſterio Blandinio, ſanctæ Amelbergæ virginis.* At LOVANIEN. caret elogio ſeptem fratrum: & DANIC. proprium ſuperaddit: *In Dacia civitate Otthonienſi, natale ſancti Canuti regis & martyris.* *Canuti.*

CENTULEN. *Romæ, natale ſeptem fratrum filiorum ſanctæ Felicitatis, id eſt Januarii, Felicis, Philippi, Alexandri, Vitalis, Silvani, Martialis, tempore Antonini, primati* [an non *privatim?*] *auditi. Deinde per varios judices, ut variis ſuppliciis laniarentur, miſſi. In Africa, ſanctorum Januarii, Marini, Naboris & Felicis, decollatorum. Quorum corpora Mediolanum tranſlata ſunt. Item Romæ, natale ſanctarum Rufinæ & Secundæ ſororum, genere & opibus nobilium, quas præfectus Archeſilaus, pro nomine Chriſti præcepit capite plecti. Cœnobio Blandinio, natale ſanctæ Amelbergæ virginis.* *Textus mutatus.* *Amelbergæ.*

BRUXELLEN. De ſeptem fratribus, poſt *puniti*, ſubdit: *Et poſt martyrium filiorum, Felicitas mater, pro Chriſto capite cæſa eſt. Hanc beatam feminam pluſquam martyrem vocat Gregorius, quæ ſepties in filiis & octavo in corpore proprio martyrium fortiter eſt perpeſſa.* Sequitur de Rufina & Secunda, pure; item de Africanis. In fine adjicitur: *Apud Temſecam, ſecus Scaldam, depoſitio ſanctæ Chriſti virginis Amelbergæ, neptis beatæ Gudilæ, noſtræ patronæ. Cujus brachii os fregit Karolus Martellus princeps, cum ipſe junior eſſet, ut eam ſibi raperet ſponſam. Quam & ipſe plane cepiſſet uxorem, ſi non virginalis pudicitia penitus obſtitiſſet. Hujus ſacræ virginis reliquiæ poſtea Gandavi in monte Blandinio ſunt tranſlatæ.* Vide notulam Caſtellani. *De Felicitate* *De Amelber.*

HAGENOYEN. In ſeptem fratribus nonnihil interpolatus, ſecundo loco habet: *Item ſanctæ Theodoræ electæ, de cujus pœnitentia legitur. Item Patiniani confeſſoris.* In reliquo textu purus eſt. In fine autem nomen tranſmutat: *In portu Gandavo, monaſterio Blandinio, ſanctæ Quielbergæ virginis.* Patet agi de *Amelberga.* *Theodoræ.* *Patiniani.* *Quielbergæ*

AQUICINCT. Textui ſubdit: *Et ſanctæ Amelbergæ virginis.* *Amelbergæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Septem fratrum martyrum, filiorum ſanctæ Felicitatis; ſcilicet, Januarii, Felicis, Philippi, Silvani, Alexandri, Vitalis & Martialis, Romæ paſſorum feliciter. Rufinæ & Secundæ Virginum & martyrum. Amelbergæ virginis in Gandavo.*

EDITIO LUBECO-COL. In prima annuntiatione modice interpolata, ſic habet ſecundo loco: *Item Romæ, miliario decimo, ſanctarum virginum Rufinæ & Secundæ ſororum. Quæ ex patre clariſſimo, nomine Aſterio, & matre illuſtriſſima Aurelia natæ ſunt, & ſub perſecutione Valeriani & Galieni imperatorum, judicibus vero Junio Donato præfecto, & Archeſilao comite, diverſis tormentorum generibus martyrizatæ, ad ultimum una earum illiſo capite gladio, altera cæſa cervice migraverunt ad Dominum.* In Africanis pura eſt. Tum: *In Flandria, portu Gandavo monaſterio Blandinio, ſanctæ Amelbergæ virginis. In Dacia, beati Kanuti regis ac martyris.* *De Rufina & Secunda.* *Amelbergæ.* *Canuti.*

GREVEN. *In Dacia, Kanuti regis & martyris. Qui propter amorem juſtitiæ & religionis ſanctæ, poſt multas perſecutiones in eccleſia ſancti Albani protomartyris Anglorum, expanſis manibus orans, ab impiis interfectus eſt. Paterniani epiſcopi & confeſſoris. In Flandria, portu Gandavo, monaſterio Blandinio, ſanctæ Amelbergæ virginis.* Vide ſupra BRUXELLEN. *De Canut.* *Paterniani.* *Amelbergæ.*

MOLAN. Aliis litteris textui inſeruit: *Quorum corpora Mediolanum tranſlata ſunt*, ut alii ſupra. In fine: *In portu Gandavo, in monte Blandinium dicto, ſanctiſſimæ virginis Chriſti Amelbergæ. Binchii, Amelbergæ electæ viduæ, quæ cum in pace quieviſſet, condita eſt in Laubias in baſilica beati Urſmari, & ſignis clara, mira veneratione fidelium colitur. In Fiſciaco, natale ſancti Ettonis epiſcopi & confeſſoris.* Dein typis minoribus: *In Dacia, Canuti regis & martyris. Qui propter amorem* &c. ut GREVEN Demum: *Galliis oppido Lens, obiit Pacificus, primus Miniſter Fratrum Minorum in Francia.* Aliæ editiones in textu idem ſervant. In fine autem de Amelberga, ut in prima. Tum: *Eodem die, Laubaco cœnobio, depoſitio Amelbergæ electæ. Quæ ſignis clara, mira veneratione fidelium colitur. Civitate Ottonienſi, ſancti Canuti regis & protomartyris Danorum, qui anno milleſimo octuageſimo ſexto, in baſilica ſancti Albani martyris, manibus in modum crucis ſolo tenus expanſis orans, mortem pro Chriſto paſſus eſt à ſuo familiari. Paſſi ſunt cum eo Benedictus frater & alii ſeptemdecim. Lætiis ex Fiſciaco, natale ſancti Ettonis epiſcopi & confeſſoris. Die decima, ſanctorum quadraginta quinque martyrum, in Nicopoli Armeniæ.* Demum minoribus typis: *In Arteſia oppido Lens, obiit Pacificus, primus Miniſter frater* [Fratrum] *Minorum in Francia, cujus meminit Bonaventura.* A priori parum differunt. *Amelb virg.* *Amelb. vid.* *Ettonis.* *Canuti.* *Pacifici.* *Canuti & ſociorum.* *Ettonis.* *Martt. 45.*

V *Idus.*

Die 11.

TRanſlatio ſancti Benedicti abbatis. Apud Armeniam minorem, civitate Nicopoli, natalis ſanctorum martyrum Januarii & Pelagiæ, qui equuleo, ungulis, & teſtarum fragmentis diebus quatuor cruciati, martyrium impleverunt. In territorio Senonico, *Tranſlat. Benedicti.* *Januar. & Pelagiæ.*

Sidronii. Sabini. beati Sidronii martyris. Item in territorio Pictavenſi, ſancti Sabini confeſſoris.

Soli omnino puri ſunt *Pulſanen. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. In erroribus orthographicis maxime conſiſtit. In Pulſanen. eſt *Nycopoli, eculeo.* In Munerat. *Pellagii, Sidroni.* Sunt qui ſcribant *in pago Pictavenſi,* ut Praten. &c. Sed noſtri cum Herinien. Tornacen. & pleriſque aliis, ut eſt in textu. Munerat. pro *Sabini,* legit *Albini.* Quæ confuſio in Auctariis ſæpe recurret.

Tranſlat. Benedicti. OBSERVATIO. *Tranſlationis corporis ſancti Benedicti* ex Italia in Galliam, pleriſque antiquis Martyrologiis, imo vel ipſis Hieronymianis apographis, Lucenſi præſertim & Corbeienſi, inſerta eſt, aut adjecta memoria, quidquid in hunc uſque diem obluctentur Caſſinenſes, ut ex ipſorum querelis aliquando coram audire licuit. Beda, pro tranſlatione, ſcripſit *depoſitio*, à Floro tranſlationem deſcribente, in hac parte emendatus, quod tamen Rabanus ſervandum cenſuit. De neutra meminit Romanum parvum. Ado autem brevem tranſlationis hiſtoriam texuit, à Notkero nonnihil auctam, cujus compendium in Auctariis dabimus. Noſter, omiſſis reliquis, ſatis habuit tranſlationem ipſam conſignare, ut probant primæ notæ codices, è quorum uno, nempe Herinienſi, ſcalpello veroſimillime eraſa eſt, loco vacuo relicto. In Tornacenſi notata non eſt, & eapropter ambo codices illi, cetera puriſſimi, è genuinorum claſſe excluſi ſunt. Videat curioſus lector totam tranſlationis hujus, ad Floriacenſe monaſterium, hiſtoriam, in Actis noſtris ad XXI Martii fusè deductam, cum miraculorum ibi patratorum narratione, à pag. 299 ad 357. Wandelberti verſus infra dabimus. Martyres Armeni, *Januarius* & *Pelagia*, in Hieronymianis nonnihil deformati ſunt. In Romano parvo fit commemoratio ſolius *Januarii.* Ado utrumque ex Hieronymianis, opinor, aut ex Actis conjunxit, adjecto brevi elogio, quod Noſter ad verbum tranſumpſit. Notkerus ſola ultima voce differt; at Florus & Rabanus, quamvis in rei ſubſtantia conveniant, phraſi prorſus diſcrepant ab Adone, ut mihi ſemper fiat veroſimilius, duos illos, licet Adone antiquiores, ab eo tamen numquam viſos fuiſſe. Non habeo quod hîc ſuperaddam, præter metricum Wandelberti encomium, quo Benedicti tranſlationem etiam complectitur:

Januarii & Pelagiæ.

Martyrio quintum ſancit Januarius, atque
Conſimili decorat Pelagia ſancta nitore.
Tum Beneventanis tranſlata montibus almi
Juſta patris Benedicti, nunc Liger altus honorat.

Sequitur in Pratenſi & in ei conſimilibus, Antverp-maj. Roſweyd. & Aquicinct: *In Mauritania Cæſarienſi, ſanctæ Marcianæ virginis & martyris*, ſuper eraſis aliquot verbis, citato Pratenſi codici intruſa, ut me monuit oculatiſſimus teſtis Clar. Caſtellanus, quod ſuperius IX Januarii iterum indicavimus. De vero paſſionis die non diſputo, nam & hac die in Hieronymianis *Martianus* aliquis in Mauritania, forte pro *Martiana*, recolitur. Unicus eſt diſquiſitionis noſtræ ſcopus, utrum ex tam unanimi codicum aliorum conſenſu, vera Uſuardi ſententia non apertiſſime liqueat? Et ita quidem nobis videtur, urgentioribus argumentis libenter & ultro ceſſuri. Binæ annuntiationes ultimæ purè Uſuardinæ ſunt, niſi fortaſſe in depravatis Hieronymianorum nominibus, cum hiſce Sanctis affinitatem invenias, & *Baſinum* v. g. codici Lucenſi aſſutum, pro *Sabino* noſtro accipiendum exiſtimes. An hic Sabinus Brixia accerſendus ſit, docebit Caſtellani notula ad hunc diem; ubi aliam adjicit de *Sabino* & *Cypriano*, in Romano moderno ſignatis. Utramque in Actis noſtris examinabimus. Ex hactenus dictis, patet germana & pura Uſuardi lectio: quem mirum eſt *Pium Papam* præteriiſſe, ab Adone hac die tam diſtincte propoſitum, à Notkero in ſequentem dilatum.

Sidronii. Sabini.

AUCTARIA.

DE PRATEN. & cum eo cohærentibus, uti & de HERINIEN & TORNACEN. jam ſatis diximus.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Omittunt in principio Tranſlationem S. Benedicti. Deſunt etiam Sidronius & Sabinus, quorum loco habetur: *Romæ, paſſio ſanctorum Stephani & Leontii.*

Stephani & Leontii.

ANTVERP MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. *Tranſlatio beati Benedicti abbatis, & ſanctæ Scolaſticæ ſororis ejus. Romæ in Vaticano, natale ſancti Pii Papæ & martyris. Huic ab angelo nunciatum eſt, Paſcha die Dominico celebrandum.* In Armenis ſatis puri ſunt. Tum: *Item Romæ, ſanctorum Stephani & Leontii.* Demum: *In pago Pictavenſi, ſancti Sabini confeſſoris.* Deeſt Sidronii.

De Scholaſt. Pii PP.

Stephanis

In LOVANIEN. Deeſt *Sidronii* & *Sabini*; cetera ut priores. In ALBERGEN. omiſſa tranſlatio Benedicti. Item in DANICO, qui proprium popularem ſanctum in fine adjungit his verbis:

Ketelli. bis. *In Dacia civitate Wiburgenſi, natalis ſancti Ketelli confeſſoris.* Videtur Martyr fuiſſe.

CENTULEN. *In Galliis cœnobio Floriaco, adventus & tranſlatio corporis ſanctiſſimi patris Be-*
De Ben. &c. *nedicti abbatis, ſimulque beatæ Scholaſticæ virginis, ſororis ejus. In Armenia, civitate Nichopoli, ſanctorum martyrum Januarii & Pelagiæ. In ter-*
De Sabino *ritorio Pictavenſi, ſancti Sabini confeſſoris. Hic fuit ex diſcipulis magni patris ſancti Germani.*

BRUXELLEN. *Floriaco, adventus ſeu tranſlatio ſancti Benedicti abbatis. Cujus corpus ex Italia de monte Caſſino in Gallias ad monaſterium Floriacenſe tranſlatum eſt.* In Armenis ſatis purus; pergit: *Romæ in Vaticano, natale ſancti*
De Pio PP. *Pii Papæ & martyris. Qui ex annuntiatione angelica, Paſcha Domini ſemper in Dominica celebrandum conſtituit. Item Romæ, paſſio ſanctorum*
Stephani &c *Stephani & Leontii. In Mauritania Cæſarienſi,*
Martianæ. *ſanctæ Marcianæ virginis & martyris.* Oblitus eſt, ſe eamdem ſignaſſe IX Januarii. In Sidronio, purus eſt. Tum: *In pago Pictavenſi, ſancti*
Albini. *Albini confeſſoris.* Voluit dicere *Sabini*, niſi agat de *Albino* vel *Albano* ſocio *Liſiani*, ut infra.

HAGENOYEN. *Romæ in Vaticano ad S. Petrum,*
De Pio PP. *depoſitio ſancti Pii Papæ & martyris. Hic nonus poſt beatum Petrum, undecim annis & menſibus quatuor & diebus viginti unum, rexit Eccleſiam. Hic paſſus Antonio* [Antonino] *imperatore iſte conſtituit Paſca die Dominico celebrari, ne cum Judæis videamur judaizare. Hic conſtituit, hæreticum venientem de hæreſi Judæorum, debere recipi & baptizari. Item conſtituit ſententiam excommunicationis ferri in violatores & vaſtatores eccleſiaſticarum rerum & eccleſiarum. Item quod clericus, qui paravit ſuo epiſcopo inſidias, quod deponatur & curiæ ſeculari tradatur.* In Armenis purus eſt. Dein: *Romæ, paſſi ſanctorum martyrum*
Stephani & Leontii. *Stephani & Leontii.* De Sidronio recte. Tum:
Tranſl. Ben. *Eodem die, tranſlatio ſancti Benedicti abbatis & Scholaſticæ ſororis ejus. Qui poſt devaſtationem monaſterii ſui fæclam a paganis, corpus ejus* (non eſt ſyntaxis) *in Gallias deportatum eſt, cum corpore ſanctæ Scholaſticæ* In Sabino purus eſt.

AQUICINCT. De Martiana, dictum eſt. Poſt
Albani & Liſiani. Sabini, adjungit: *Et ſancti Albani confeſſoris & Liſiani. Item, ſanctorum Savini & Cypriani.*
Savini &c. *Romæ, ſancti Pii Papæ. Hujus tempore Hermes*
De Pio PP. *librum ſcripſit qui appellatur Paſtor, quia in habitu paſtoris ei angelus apparuit.* Hæc poſtrema de Paſtore, ex Adone accepta ſunt.

REG. SUEC. qui fuit Urſini à Roſemberg. *In ci-*
Specioſæ. *vitate Mantuæ, ſanctæ Specioſæ virginis. Dupl. II. cl.*

DAVERONEN. *In territorio Senonico, beati Sedronii martyris. Item, in territorio Pictavenſi,*
Albini &c. *ſancti Albini confeſſoris & Liſiani.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Tranſlatio ſancti Benedicti abbatis. Sidronii martyris in Senonico. Sabini confeſſoris. Januarii & Pelagiæ*
Joël & Eſdræ. *martyrum. Joel & Eſdræ prophetarum.* De quibus XIII hujus in textu Uſuardino agitur.

BIGOTIAN. ſign. P. 5. *Romæ, paſſio ſanctorum*
Stephani &c *Stephani & Leuticii.* Supra *Leontii.*

REG. SUEC. ſub nota num. 428. *Pariſius*
Albini. *Albini confeſſoris.*

CODEX D. DU CHEVAL. ſign. C. *In terri-*
Albini &c. *torio Pictavenſi, ſancti Albini confeſſoris & Li-*
Savini &c. *ſiani. Et ſancti Savini & Cypriani martyrum.*

In VATICAN. Deeſt Tranſlat. Benedicti. De Sidronio & Sabino nihil. Adjicitur: *Romæ, ſancti*
Pii PP. *Pii Papæ, qui ſedit in epiſcopatu annis* XI. *Item*
Leontii &c. *Romæ, ſanctorum Leontii, Stephani, Mauricii.*

ALTEMPS. *In Mauritania Cæſarienſi, ſanctæ Marcianæ.* *Marcianæ.*
Marcianæ virginis & martyris. Item Liſani, Savini & Cyprini martyrum. *Liſani &c.*

FLORENTIN. *Romæ, paſſio ſanctorum martyrum Stephani & Leontii. In territorio Pictavenſi,* *Stephani &c*
ſancti Albini confeſſoris.

BURDEGALEN. *In territorio Senonico* [aliquid deeſt] *Pictavenſi, ſancti Albini confeſſoris. Et* *Albini.* *Sabini.*
in territorio Burdegalenſi, ſancti Sabini.

LUXOVIEN. *Depoſitio ſancti Hidulphi archi-* *Hidulphi.*
præſulis, Mediano monaſterio quieſcentis, glorioſæ ſanctitatis viri.

EDITIO LUBECO-COL. *Romæ in Vaticano,*
natale ſancti Pii Papæ & martyris. Qui ſedit in *De Pio* PP.
epiſcopatu annis XI, *menſibus* III, *diebus* XXI.
Huic ab angelo nunciatum eſt, Paſcha die Dominico celebrandum. Et conſtituit, hæreticum venientem ex Judæorum hæreſi, ſuſcipi & baptizari.
Item Romæ, ſanctorum Stephani & Leontii mar- *Stephani &c*
tyrum. In Armenis, ſatis pura eſt. Tum: *Treveris, beati Hildulphi epiſcopi & confeſſoris. Eo-* *Hildulphi.*
dem die, beatorum martyrum Savini & Cypriani *Savini &c.*
fratrum. In territorio Pictavienſi, ſanctorum Al- *Albini &c.*
bini, Luciani, & Seviani confeſſorum. In Floriaco monaſterio territorii Aurelianenſis, tranſla- *De Tranſl.*
tio ſanctorum corporum Benedicti abbatis & ſoro- *Benedicti.*
ris ejus Scholaſticæ virginis, de Italia in Galliam.

KELIN. Incipit: *Romæ, beati Pii Papæ & martyris.* In fine Sabinum Sidronio anteponit. *Tranſlat.*
Et in ſecunda editione adjicit: *Item tranſlatio* *Scholaſticæ.*
ſanctæ Scolaſticæ virginis.

GREVEN. *Romæ in Vaticano (teſte Adone)*
ſancti Pii Papæ & martyris, qui ſedit in epiſco- *De Pio* PP.
patu annos XIX [Ado XVIII.] *Sub hujus tempore Hermes librum ſcripſit, qui Paſtor appellatur, quia in habitu paſtoris ei angelus apparuit. Eodem*
die, beatorum martyrum Savini & Cipriani fra- *Savini &c.*
trum. Romæ, Stephani, Leoncii, Mauricii & *Stephani &c*
Militonis. Bextini martyris. In Syria, ſancti Mar- *Bextini.*
cialis. Apud Cæſaream Mauritaniæ, paſſio ſanctæ *Marcialis.*
Mariæ virginis, quæ ſub Budari paſſa eſt. Hildul- *Mariæ.*
phi archiepiſcopi Treverenſis & confeſſoris, fratris *De Hidulpho*
ſancti Erhardi epiſcopi Ratisponenſis. Hic pondus curæ paſtoralis, quod agerrime ferebat, deponens, in ſaltu Voſago eremiticam vitam duxit, converſatione pariter & miraculis præclarus; multos in eodem propoſito magnæ ſanctitatis viros imitatores habere meruit. In territorio Pictavenſi,
Luciani & Savini confeſſorum. In Britannia, *Luciani &c.*
tranſlatio ſancti Maclovii epiſcopi & confeſſoris. *Tranſlat.*
In Dacia, tranſlatio ſancti Ketilli presbyteri & *Maclovii.*
confeſſoris. Tranſlata eſt cum ſancto Benedicto *Item Ketilli.*
etiam ſancta Scolaſtica ſoror ejus atque in parti- *Et Scholaſt.*
bus Cenomanenſium, religioſorum devotione con- *Eulogii.*
dita. Item ſancti Eulogii.

MOLAN. Poſt *Benedicti abbatis*, aliis litteris textui inſerit: *Poſtquam enim, ſicut ipſe vi-* *De Tranſlat.*
vens prædixit, monaſterium ejus a gentibus va- *Ben. & Scol.*
ſtatum eſt; Domino revelante, repertum eſt corpus ejus & in Gallias tranſlatum, atque in monaſterio quod vocatur Floriacum, condigne ſepultum. Tranſlatum eſt pariter etiam corpus beatæ Scholaſticæ, ſororis ejus, atque in partibus Cenomanenſium, religioſorum devotione conditum. In fine ſolum addit: *Et Liſiani. Romæ, beati Pii* *Liſiani.*
Papæ. In aliis editionibus, brevior eſt tranſla- *Pii* PP.
tionis hiſtoria. In fine autem habetur: *Romæ,*
beati Pii Papæ (& martyris.) Treviris, ſancti *Hidulphi.*
Hidulphi, epiſcopi & confeſſoris egregii. Wiburgæ in Dacia, ſancti Ketilli confeſſoris. Lectiones *Ketilli.*
de eo apud nos Mss. ſuo tempore illuſtrabuntur.

IV *Idus.* *Die* 12.

Naſonis. Hermagor. & Fortunati. Dii.

APud Cyprum, beati Naſonis, antiqui Chriſti diſcipuli. In Aquileia, natalis ſancti Hermagoræ epiſcopi, diſcipuli beati Marci Euangeliſtæ, qui inter miracula ſanitatum & prædicationis inſtantiam ac populorum converſionem, plurima pœnarum genera expertus, ad ultimum cùm Fortunato archidiacono ſuo, capitali ſupplicio perpetuum meruit triumphum. In Cæſarea, ſancti Dii.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-major.* & *Munerat.*

VARIA LECTIO. *Ermagoree* legit Antverp-maj., *Ermagore* Munerat., uterque neglecta diphthongo, ſed in textu melius. Idem Munerat. male ſcribit *converſationem*, pro *converſionem*. In Pratenſi eſt *Dyi*, in Antverpien-majore *Diſi*, certum ſuppono ex codicibus & extractis plurimis, omnino legendum eſſe *Dii*, ut præfert textus.

Naſonis. OBSERVATIO. Bina hodie in Romano parvo annuntiatio pro libitu, ni fallor, poſita, quarum ſecunda proponitur hoc modo: *Apud Cyprum, Naſonis, antiqui Chriſti diſcipuli.* interſere, *natalis beati*, & habebis ſenſum Adonis, patébitque quid & unde Noſter acceperit. Non dubium eſt, quin, ut recte advertit Roſweydus, hîc intelligendus ſit *Jaſon*, vel *Mnaſon*, de quo in Actibus Apoſtolorum cap. 21. Et quidem *Jaſon* in moderno Romano nuncupatur, aſt codices noſtri omnes, Romani parvi & Adonis lectionem conſtantiſſime tenent. De eo nec in Hieronymianis, ſaltem hac die, nec in Beda, Floro, Rabano aut Wandelberto quidquam legitur. Notkerus à textu noſtro permodice diſcrepat. Utcumque ſit, certum puto agi hîc de *Mnasône* illo Cyprio, qui fuit unus ex diſcipulis Chriſti, ut pridem oſtendit Henſchenius xxv Junii, a pag. 4, & nos fuſius, ſi opus eſt, de eo in Actis ex profeſſo diſputabimus. *Hermagoræ* memoriam recoli in Hieronymianis, videntur indicare adjuncti characteriſmi, tametſi in omnibus codicibus nomen corruptum ſit, aliis *Armigeri*, aliis *Armigiri* vel *Armageri* legentibus, præfixo ubique *Fortunati* nomine, quem a Noſtro abeſſe, male refert Florentinius. Ceterum in Romano parvo ſic primo loco clariſſime Hermagoras exprimitur: Aquileiæ, *Hermagoræ epiſcopi, diſcipuli ſancti Marci.* Hiſce nihil magnopere adjecit Ado, præter ea quibus indicat fuiſſe *primum ejuſdem civitatis epiſcopum.* Itaque elogium totum in latere culo noſtro repræſentatum & *archidiaconi Fortunati* ſocietas, pure Uſuardina ſunt, ex Actis aliquibus decerpta. Qualia fortaſſe ſunt, quæ edidit Mombritius tomo 2 pag. 2, vel quæ nos Mss. habemus, diverſo ſtylo & ordine, ſuo loco examinanda. Wandelbertus Hermagoram diſticho honoravit:

Hermagoram quarto ſupplex Aquileia frequentat,
Antiſtes precibus populum qui fulſit & urbem.

Hermagoræ &c.

Qua porro veroſimilitudine dici poſſit, Marcum Euangeliſtam Aquileiæ fuiſſe, ibique Hermagoram epiſcopum inſtituiſſe, non improbabiliter oſtendimus in Tractatu de Patriarchis Alexandrinis, diſſertatione fundamentali §. 2 num. 20. Cetera in Actis diſcutientur. *Dium* vel *Divum* in Hieronymianis legi, fatetur Florentinius: expreſſa ejuſdem in Adone mentio: *Apud Cæſaream, ſancti Dii*; quæ ferme etiam Uſuardi verba ſunt, & ipſius certa, ut ego quidem ex probatiſſimorum codicum conſenſu exiſtimo, quamquam nec Belinus, nec Grevenus, nec Molanus, nec codices aliqui alii eam annuntiationem poſuerint, quæ, procul dubio, cauſa fuit cur & à Baronio neglecta ſit, utpote in ſolitis ejus fontibus non reperta. Hæc pro textu noſtro plene & integre Uſuardino.

Dii.

De Tranſl. Naboris & Felicis.

Sequitur in Adone: *Mediolani, tranſlatio ſanctorum martyrum Naboris & Felicis*; ſatis conformiter ad dicta x hujus. At vero apud alios faciem mutavit ea tranſlatio. Sic Romanum hodiernum clare indicat diem natalem, ſeu diem quo Mediolani paſſi ſint, ut faciunt etiam codices in Auctariis citandi. Notat hîc Caſtellanus, locum alium in eorum Actis ſuggeri, alii tenebras alias affundunt; ſic ut hæc ſeges ſit, intricatis quæſtionibus,

De Cleto PP

alibi elucidandis, involuta. Adde memoriam *ſancti Cleti Papæ* in eodem Adone conſignatam, ſed à Noſtro itidem præteritam, forte quod eumdem crediderit cum Anacleto, a ſe notato xxvi Aprilis. Nota eſt celebris controverſia de Cleto & Anacleto, uno an gemino, eodem an diverſo; nota Martyrologiorum confuſio & oppoſitio, ut ad præfatam diem abunde indicavimus & porro in Actis menſis Julii, ad hanc vel ſequentem diem, fuſius & forte de integro erit diſceptandum.

AUCTA-

AUCTARIA.

Felicis & Naboris. TORNACEN. Toto textu puriſſimus, in fine ſubjicit: *Eodem die, Felicis & Naboris martyrum.*

Naboris & Felicis PULSANEN. Omittit *Dii*, ejus loco ſubſtituens: *Mediolani, natalis ſanctorum martyrum Naboris & Felicis.*

ROSWEYD. ANTVERP. & MAX-LUBEC. GREVEN. & MOLAN. Omnes deficiunt in ultima annuntiatione.

cum elogio. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. Primo loco: *Apud Mediolanum civitatem, natale beatorum Naboris & Felicis. Qui Maximiano imperatore accuſati quod Chriſtum colerent, duodecim diebus in carcere ſine victu detenti ſunt. Deinde traditi Anolino conſulari, [&] fuſtibus cæſi, juſſi ſunt ignibus conſumi. Qui illæſi perſeverantes, ad extremum capitalem ſententiam ſuſceperunt.* Poſt hæc ſequitur de Naſone, Hermagora &c. purè, ſed deeſt etiam annuntiatio ultima.

CENTULEN. *Apud Aquilegiam, ſancti Hermagoræ epiſcopi & martyris, qui cum Fortunato archidiacono ſuo, capitali ſupplicio, perpetuum meruit triumphum. In Cypro, ſancti Naſ.nis antiqui Chriſti diſcipuli. Mediolani, tranſlatio ſanctorum Naboris & Felicis.*

Anacleti. BRUXELLEN. *Romæ, natale ſancti Anacleti Papæ & martyris. Qui poſt beatum Clementem rexit Eccleſiam annis novem, & ſub perſecutione Domitiani martyrio coronatus eſt. Hic ſacerdotes præ ceteris juſſit honorari, & prohibuit ne ipſi ſine teſtibus ſacrificare præſumant.* Dein de Naſone & Hermagora pure, prætermiſſo Dio. Tum:

Natalis & ſociorum. *Apud Mediolanum, natale beatorum Natalis, Felicis, Naboris & Primitivi. Qui apud Maximianum imperatorem accuſati quod Chriſtum colerent, duodecim diebus in carcere ſine victu tenti ſunt, deinde fuſtibus cæſi & ignibus traditi, illæſi permanentes, finaliter capitalem ſententiam ſuſceperunt.* Manu multo recentiori aſſuitur:

Wilgefortis. *Et beatæ Wilgefortis virginis & martyris, filiæ regis Portugaliæ.* Ab aliis ponitur XX Julii.

HAGENOYEN. In prima purus, de Hermagora multa narrat ex Actis commixta, quæ triturari merentur. De Nabore item & Felice non pauca, aliunde magis probanda. Convenit cum textu: *In Cæſarea, ſancti Dyi.*

De Cleto PP. AQUICINCT. Pro *Dii*, ſcribit *Diſi*, ut ANTVERP-MAJOR ſupra. In fine adjicit: *Romæ, ſancti Cleti Papæ & martyris. Hic ex præcepto beati Petri, viginti quinque presbyteros ordinavit in urbe Roma; qui & ſepultus eſt juxta corpus beati Petri.* Hæc ex Adone ſumpta ſunt.

De Pio PP. VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. *Romæ, ſancti Pii Papæ. Sub hujus tempore Hermes librum ſcripſit, qui appellatur* PASTOR, *quia in habitu paſtoris ei apparuit angelus.*

Felicis & Naboris. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Felicis & Naboris fratrum & martyrum. Horum corpora cum tribus Regibus Coloniam tranſlata ſunt. Hermagoræ epiſcopi, diſcipuli ſancti Marci Euangeliſtæ.*

Anacleti. In VATICAN. num 5949. Deeſt Hermagoræ. Additur: *Mediolani, natale ſanctorum martyrum Naboris & Felicis. Romæ, ſancti Anacleti Papæ, qui præfuit Eccleſiæ annis* XII. *Lugduni, ſancti Viventioli epiſcopi.* Sic recte, alii malè.

Viventioli. FLORENTIN. In paucis voculis diſcordes, ita ferme omnes habent: *In Tuſcia, in territorio Florentino, apud monaſterium ſancti Michaelis de Paſignano, Feſulanæ diœceſis, tranſitus ſancti Joannis abbatis, fundatoris Ordinis Vallis-umbroſæ.* *Joannis Gualberti.* *Qui vivus in ſeculo ſe totis viribus mortificavit pro Chriſto. Hujus venerabilis obitus exſtitit anno incarnati Verbi* MLXXIII. [aliàs MLXXIV.] *Tamen feſtivitas fit in Tuſcia* VI *Idus Octobris. In partibus Tuſciæ, civitate Lucana, natale ſancti Paulini epiſcopi primi ejuſdem civitatis & confeſſoris atque Severi & Theobaldi.* *Paulini & aliorum.* *Quorum corpora ſepulta ſunt in eccleſia Cathedrali dictæ civitatis. Apud Antiochiam, paſſio ſanctorum martyrum* XLVI (*ſicut legitur in geſtis ſanctorum martyrum Quirici & Julittæ*) *qui martyrizati ſunt ſub cæſare Juliano, & à præſide Alexandro capitali ſententia peremti ſunt.* *Martt. 46.*

ABDINGHOFFEN. *Eodem die, beati Henrici imperatoris confeſſoris.* Spectat ad XIV Julii.

EDITIO LUBECO-COL. De Nabore & Felice habet, ut ANTVERP-MAX. &c. In Naſone & Hermagora, nonnihil interpolata eſt. De ultimo, notanter addit: *Requieſcit Oſnaburgi.* Dein: *Lugduni, ſancti Juventioli epiſcopi & confeſſoris.* *Viventioli.* *In Cæſarea, ſancti Diſi confeſſoris.* Ubi hunc titulum *confeſſoris* repererit, equidem nescio.

BELIN. Scribit *Hermacoræ* & *Hermagorii.* Deeſt *Dii.* In fine additur: *Mediolani, ſanctorum martyrum Naboris & Felicis. In Tuſcia, civitate Lucana, beati Paulini, ejuſdem civitatis primi epiſcopi, qui ſub Nerone in radice montis Piſani, poſt multos agones, martyrium ſuum conſummavit. Item, ſancti Joannis Gualberti.* *Naboris &c Paulini.* *Jo. Gualber.*

GREVEN. *Eodem die, apud Mediolanum, natale (vel ut Adoni placet, tranſlatio) Felicis & Naboris martyrum. Qui cum eſſent cives Mediolanenſes, accuſati quod Chriſtum colerent, in carcerem, negato cibo, miſſi ſunt. Deinde fuſtibus cæſi, ignem ſuperantes, decollatione martyrium conſummaverunt ſub Maximiano. Horum corpora cum ſanctis Magis Coloniam tranſlata, ibidem requieſcunt. Anacleti Papæ hic paſſio, die vero ſequenti, ſepultura. Vincentii martyris. In Tuſcia, civitate Luca, beati Pauli, primi ejuſdem urbis epiſcopi. Qui ſub Nerone, in radice montis Piſani poſt* &c. ut BELIN. *Apud Mediolanum, ſancti Magduni. Magduni, diſcipuli Chriſti in Lugduni, ſancti Juventioli epiſcopi & confeſſoris. In territorio Bituricenſi, ſancti Menulphi epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Cleti Papæ, qui, ut dicit Ado, Romæ ſedit annis* XII. *Hic ex præcepto ſancti Petri, viginti quinque* &c. ut AQUICINCT. ex Adone. *Nota quod Ado hic habet Cletum: ſexto vero Kal. Maii Anacletum.* Hoc vere dicit GREVEN; *Uſuardus vero contra hîc Anacletum die ſequenti.* Hoc falſo. *Apud Cæſaream, beati Dii confeſſoris. Theodoræ religioſæ feminæ, quæ tempore Zenonis imperatoris per maleficum decepta, cum adulterium commiſiſſet, mox compuncta, monaſterium virorum ingreſſa, de crimine falſo accuſata, patientiſſime tulit, ac miraculis coruſcans, tandem quievit in pace. Item, ſanctæ memoriæ Johannis Gerſon, Doctoris chriſtianiſſimi, qui vita & eruditione eximius, quievit anno Domini* MCCCCXXIX. *Anacleti.* *Viventioli.* *Magduni.* *Menulphi.* *Cleti* P P. *Dii confeſſ. Theodoræ.* *Joannis Gerſon.*

Hîc ſanctitas, cultus &c. deſiderantur.

MOLAN. *In territorio Bituricenſi, beati Meinulphi præſulis. Mediolani, ſanctorum martyrum Naboris & Felicis. In Thuſcia civitate Luca, beati Paulini, ejuſdem civitatis* &c. ut BELIN. *Paulini.* *Meinulphi.* *Naboris &c.*

Vincentii. *In Pompeia, passio sancti Vincentii martyris, cujus passio habetur. Lugduno Galliæ, depositio sancti*
Invencioli. *Juvencioli episcopi. Item, sancti Joannis Gual-*
Jo. Gualber. *berti.* Et minoribus typis: *Cujus vitam edidit Blasius Milanesius, Generalis Ordinis Vallis-umbrosæ.* In editionibus aliis, de Nabore & Felice; de Paulino Lucensi, de Gualberto de Juventiolo, Vincentio & Meinulpho, ut in priori. Noto has editiones legere *Vivencioli*; rectius posuisse *Viventioli*. Additur hîc: *Die duodecima, sanctorum martyrum, Procli & Hilarii, & sancti patris Michaëlis Malani.* *Procli & aliorum.*

III *Idus.* *Die* 13.

Joël & Esdræ. *Sileæ.* IOël & Esdræ prophetarum. Apud Macedoniam, natalis beati Sileæ Apostoli; qui cum esset unus de primis fratribus, & ab Apostolis ad ecclesias gentium destinatus, prædicationis officium, gratia Domini plenus, instanter consummavit, atque in passionibus suis Christum clarificans, postmodum requievit. In Africa, *Eugenii & sociorum.* sanctorum confessorum Eugenii Cartaginensis episcopi, fide ac virtutibus glorioſi, & universi cleri ecclesiæ ejusdem, qui cæde inediaque macerati, fere quingenti vel eo amplius, inter quos quamplurimi erant lectores infantuli, gaudentes in Domino, procul exilio crudeli extrusi sunt. Erant autem in eis nobilissimi, archidiaconus nomine Salutaris, & Muritta secundus in officio ministrorum, qui tertio confessores effecti, gloriosæ in Christo perseverantiæ titulo illustrati *Turiavi.* sunt. In Britannia minori, sancti Turiani episcopi & confessoris, miræ simplicitatis & innocentiæ viri.

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-maj.* & *Munerat.*, ut die præcedenti.

VARIA LECTIO. Praten. legit *Joël & Fsræ*; Herinien. *Johel & Ezræ*; Antverp-maj. *Johel* & *Hesdræ*; Munerat. *Joelis* & *Ozeæ*. Liceat mihi ex aliis cum Adone scribere *Esdræ*: Posui consequenter ex eodem, cum Pratensi & Herinien. *Sileæ*, tametsi in aliis melius habeatur *Silæ*. Errat Antverp-maj. scribens *& Apostolis*, expuncta particula *ab*. Solus Praten. habet *Carthaginensis*, satis recte, sed secutus sum reliquorum torrentem. Pro *universi cleri*, pessime legit Antverp-maj *universalis*. Sic in Pratensi & Munerato *nobilissimus*, pro *nobilissimi*. Item in Antverp-majore, *exilio trusi*. Sphalmata alia sunt in Munerato *Murita*, *glorioso* & *miræ sunt simplicitatis*. In Antverp-majore bene legitur *Tauriavi*, in aliis omnibus *Turiani*, etiam in apographo nostro Pratensi & jam passim ex vita apud Surium ex Barrali edita, quidquid scribat Castellanus, se in Pratensi legisse *Turiavi*. Ita etiam legendum monet ad marginem Martyrologii sui universalis Gallicè *Turiaf*, *cujus corpus*, inquit, *Parisiis quiescit.*

Joëlis & Esdra. *OBSERVATIO* Superius ad VI Julii monuimus, prætermissum à Nostro *prophetam Joëlem*, quem in Romano parvo & Adone *Isaiæ* conjunctum invenerat. Recte id ab eo factum, satis modo patet, cum hic idem propheta denuo recurrat alteri copulatus, studio an errore, non examino. Sumpta est tota nostra annuntiatio ex jam citatis Martyrologis, qui utrobique nomen idem repetunt, Notkero *Joëlem* omittente, quem *Sileæ.* supra nominaverat. *Sileam*, seu melius *Silam*, aut si vis *Silvanum*, primus inter antiquos, quod sciam, refert Ado, hîc breviter, ast inter Festivitates Apostolorum cum eo elogio, quod ferme totum à Nostro in laterculum suum translatum exhibuimus. Cetera ejus gesta ex Actibus Apostolorum atque epistolis Petri & Pauli, historice in Actis deduci poterunt, cui rei viam straviſſe videtur Tillemontius tomo I variis locis, ibi accuratius expendendis. Notkerus, quod mirum est, nec verbo de eo meminit, ejus loco substituens *Margaretam Antiochenam* cum vitæ compendio ex verbis Rabani ferme contexto. Romanum parvum de Carthaginensibus sic loquitur: *Et sanctorum confessorum Euge-*
Eugenii & sociorum. *nii episcopi & universi cleri ecclesiæ.* His accedit brevis Adonis panegyris, fere ad verbum à Nostro transumpta; liberalius à Notkero, in quo advertas, non inepte haberi, *lectores infantulique*, contra quam Ado & Usuardus, obscurius, ni fallor, expressêrint. Non defuit celeberrimorum confessorum elogiis materia, ex Victore Vitensi, barbaram illam Hunerici persecutionem fuse prosequente, à principio libri 2, ut vide in editionibus Chiffletii & Ruinartii, vel in ipso Surio. In quibus autem à Victore differat Gregorius Turo-

Turonenſis ſub initium lib. 2 hiſtoriæ Francorum, in Actis diſcutietur. Videri interim poteſt Tillemontius tomo 16, perſecutionem Wandalicam Gallice deſcribens à pag. 492; ubi de Eugenio & aliis ab articulo 21 pag. 541, de facta autem difficultate agit pag. 800. Interim manifeſtiſſimum eſt, totum hactenus textum ex præfato Adone plane mutuatum; Hieronymianis, Beda & Floro tacentibus. *Turianus* a ſolo Uſuardo conſignatus eſt, qui forte ſacrorum pignorum, de quibus in vita S. Leufredi, XXI Junii, pag. 112 agitur, tranſlationi interfuit: ut proinde dubitari minime poſſit, quin genuinum & ſimplicem textum dederimus, excluſo *Anacleto*, quem neſcio unde Greven. & Molan. hac die ſecundo loco intruſerint, codicibus aliis purioribus plane ignotum. A textu Uſuardino longiſſime recedit Wandelbertus, cujus hi ſunt verſiculi: *Turiavi.*

Tertius Ægyptum præſentat Serapioni;
Attalus & martyr cæleſti flore niteſcit.

AUCTARIA.

TORNACEN. De Sila habet uſque ad *conſummavit*, de Africanis uſque ad *extruſi ſunt*; deſunt elogiorum reliqua.

PULSANEN. In 1 & 2 ſatis purus, omittit reliqua; quibus ſubſtituit: *Ipſo die, ſanctæ Margaritæ virginis & martyris.* *Margaritæ.*

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Puri uſque ad *exilio crudeli truſi ſunt*; reliqua omnia, quæ in textu ſequuntur, prætermittunt.

ROSWEYD. Nihil habet de Turiavo; ſed in fine addit ſequentia: *Item Margaritæ. Et Mildradæ virginis, ſororis ſancti Lebuini, Deo dilectæ & in Cantia depoſitæ.. Attali martyris. In Ægypto, Serapionis monachi.* *Margaritæ. Mildradæ. Attali. Serapionis.*

GREVEN & MOLAN. Secundo loco interſerunt: *Romæ, depoſitio Anacleti Papæ.* Vide reliqua in aliis codicibus inferius. *Anacleti.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. In prima puri; ſubdunt: *Apud Antiochiam, natale ſanctæ Margaretæ virginis, quæ cum eſſet annorum XV, ſub præfecto regionis Olibrio, poſt diverſa pœnarum genera & ſtupenda miracula, demum agonem martyrii abſciſſione capitis conſummavit. Romæ, natale ſancti Anacleti Papæ & martyris, qui tertius poſt beatum Petrum, cum rexiſſet Eccleſiam annis IX, perſecutione Domitiani martyrio coronatus eſt.* In Sila, puri ſunt. In Africanis deſunt ea quæ ſequuntur poſt *crudeli exilio truſi ſunt.* De Turiavo, nihil. *De Margar. Anacleti.*

ALBERG. & DANIC. Cum tribus citatis conveniunt; ſed Joelis & Eſdræ habent tertio loco, poſt Anacleti. Conformior eſt LOVANIEN. in annuntiationum ordine, ſed totum Africanorum elogium reſcindit.

CENTULEN. *Natale ſancti Sileæ Apoſtoli, qui apud Machedoniam Chriſtum in paſſionibus ſuis glorificans, poſtmodum requievit. Alexandriæ, ſancti Joannis Patriarchæ, qui Ele....* [Eleemoſynarius] *nuncupatur. In Africa, ſanctorum confeſſorum Engenii Carthaginenſis epiſcopi, Salutaris archidiaconi & Muritta, ſecundi in officio miniſtrorum & univerſi cleri eccleſiæ ejuſdem. In Britannia minori, ſancti Ceriani epiſcopi & confeſſoris.* Haud dubie *Turiavi*, vel ut in textu, *Turiani.* *Joannis Pat. Eleemoſyn.*

BRUXELLEN. Primo loco, de Margareta, ferme ut ſupra. In prophetis & Sila, ſatis purus, de Africanis, ſiſtit in *pulſi ſunt exilio.* Sequitur: *Apud Alexandriam, beati Johannis Patriarchæ, viri Dei, & in compaſſione & eleemoſynarum largitate piiſſimi. Item in Alexandria, ſanctorum Mennæ, Serapionis, Zenonis & Naſei presbyterorum.* Denique in Turiavo puriſſimus eſt; ſcribit tamen etiam cum aliis *Turiani.* *de Jo. Eleem. Mennæ & ſociorum.*

HAGENOYEN. Eſdram omittit & Joëli elogium aptat, quale de Oſea dedimus v hujus. In Sila ſatis purus eſt. Sequitur longior hiſtoria de ſancta Margareta, in qua nec draco rufus deſideratur &c. Deſunt Africani & Turiavus, quorum loco: *In Bavaria, tranſlatio ſancti Caſtuli martyris. In Babenberg, ſancti Henrici imperatoris, confeſſoris.* *Tranſlat. Caſtuli. Henrici.*

AQUICINCT. Poſt textum ſubnectit: *Alexandriæ, beati Joannis epiſcopi, Eleemoſynarii.* *Jo. Elcem.*

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign num. 130. In fine: *Eodem die, ſancti Minulfi confeſſoris.* *Eodem die, ſancti Cleti Papæ. Hic ex præcepto beati Petri, viginti quinque presbyteros in urbe Roma ordinavit: qui ſepultus eſt juxta corpus beati Petri.* *Minulfi. De Cleto.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Henrici imperatoris. Cleti Papæ & martyris. Marcellini Papæ & martyris.* Vide XXVI Aprilis. *Eugenii epiſcopi Carthaginenſis, cum toto Clero exilio relegati.* *Henrici. Cleti. Marcellini.*

In VATICAN. Deeſt Joelis & Eſdræ.

FLORENTIN. *Item, ſancti Artiſii, de antiquis Chriſti diſcipulis.* Dein STROZZIAN ſolus: *Lugduni, depoſitio ſancti Bonaventuræ, Cardinalis epiſcopi Albanenſis, Ordinis Minorum.* *Artiſii* *Bonavent.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit à Margareta, ut ſupra. In prophetis recte. Tum: *Civitate Babenbergenſi, depoſitio ſancti Henrici imperatoris Chriſtianiſſimi. Qui regnavit XXII annis ſub anno Domini milleſimo. Cui deſponſata fuit ſancta Cunegundis, filia Palatini comitis Rheni, virgo devotiſſima. Qui pariter virginitates ſuas Deo voventes, occulte virgines uſque ad finem vitæ permanſerunt.* De Anacleto addit, quod *ſepultus ſit juxta corpus beati Petri in Vaticano*, & quod *conſtituerit, ut Clerus nec barbam nec comam nutriat.* De Joanne, ut BRUXELLEN. ſupra. In Sila ſatis pura eſt: In Africanis circa finem turbatur. Tum: *Pictavis, ſancti Cypriani martyris.* In Turiavo, pura. Dein: *Carthagine, in Africa, beatorum Salutaris* &c. ſupplet quod ſupra defuit. *Eodem die, ſanctæ Milariæ virginis. Mildridam*, vel *Mildritham* indicat. *De Henrico. De Anacleto. Cypriani. Mildridæ.*

BELIN. Ante Turiavi, inſerit: *Romæ, ſancti Anacleti Papæ & martyris.* Et de Bonaventura, ut codices FLORENTIN. ſupra. *Anacleti.*

GREVEN. *Pictavis, ſancti Cipriani martyris. Item, depoſitio ſancti Johannis patriarchæ Alexandrini cognomento Eleemoſynarii, ſecundum alios X Kal. Februarii. Lugduni Galliæ, depoſitio ſancti Bonaventuræ epiſcopi Albanenſis, S. R. E. presbyteri Cardinalis, Ordinis Minorum. Qui vita, ingenio & ſcriptis (dum in his ita ſtudet illumi-* *Cypriani. Jo. Eleemoſ. Bonavent.*

nationi

nationi intellectus, ut totum referat ad religiositatem & pietatem affectus) plurimum Christianam religionem illustravit, SERAPHICIQUE *non immerito sortitus est nomen. Hujus festum servatur Dominica secunda mensis Julii. Civitate Babenbergensi, depositio sancti Henrici imperatoris Christianissimi, hujus nominis primi, quoad imperatores, benedictionem imperialem seu coronam assecutos. Cujus uxor Cunegundis virgo sanctissima, juvenculaque pulcherrima, ad hoc virum suum induxit ut communi voto inter se perpetuam virginitatem servarent. In quo statu S. Henricus Christo serviens, anno Domini* MXXI *beato fine quievit miraculis clarens.* Pertinet ad diem sequentem: in Romano differtur ad XV. *Serapionis confessoris. Item sanctæ memoriæ Petri de Lutzenburgo Cardinalis, Avinione quiescentis. Apud Antiochiam, sanctæ Margaretæ virginis & martyris. Quæ cum esset annorum* XV, *post squalorem carceris, flagra, ungularum lacerationem, lampadarum adustionem, capitis obtruncatione martyrium complevit. Secundum alios passa est* XIII *Kal. Augusti. Mildridæ virginis. Neemiæ, Zorobabel filii Salathiel, & Jesu filii Josedech, qui Ecclesiastici* 49, *sanctis Patribus veteris Testamenti connumerantur.*

Henrici. Serapionis. *Petri de Lutzenbur.* *Margaretæ.* *Mildridæ. Nehemiæ & alior. PP. Vet. Test.*

MOLAN. Post *illustrati sunt*, minutis typis interserit: *sub Elpidoforo, quem venerabilis Murrita diaconus de alveo fontis susceperat generatum. Hic, sedente ac fremente Elpidoforo, priusquam exueretur, suscipiens illa, quibus eum de fonte dudum texerat, sabana, in his verbis totam ad fletum & lacrymas commovisse dicitur civitatem: Hæc sunt linteamina Elpidofore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum majestas venerit judicantis, custodiente diligentia mea, ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyssо putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem. Hæc te acrius persequentur, flammam gehennæ cum cœperis possidere.* In fine: De Bonaventura, ut FLORENTIN. *In Antiochia, sancta Margaretæ virginis, quæ per multa genera tormentorum, cælestis patriæ triumphum à Domino percipere meruit. Apud Bamberge, sancti Henrici imperatoris & confessoris. Item, sanctæ Mildradæ, virginis in Cantia, jam in Daventriam translatæ.* Rursus minoribus typis: *Dominica die post hoc festum beatæ Margaretæ, Bruxellæ, festivitas* CORPORIS CHRISTI *miraculis clarissimi, quod anno* MCCCLXIX *Judæi transfoderunt, prout adhuc hodie cernere licet.* Aliæ editiones in primo augmento paulo breviores sunt. In fine de Mildrada (quam alii sæpe *Mildridam*; Castellanus *Mildritham* appellandam censet,) ut supra. *Die decima tertia, memoria sancti patris Joseph confessoris, Thessalonicæ.* Minoribus typis: *Eodem die apud multos, festum beatæ Margaritæ. Dominica die proxime sequenti, Bruxellæ, festivitas* CORPORIS CHRISTI, *miraculis clarissimi.* Vide in prima.

De Africanis *De Margar.* *Henrici.* *Mildradæ.* *Defesto V.S. Bruxellis.* *Joseph.*

Pridie Idus. *Die* 14.

Phocæ. APud Pontum, natalis beati Focæ episcopi civitatis Sinopis, qui sub Trajano imperatore, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Christo superavit. *Heraclæ.* Alexandriæ, sancti Heracleæ antistitis, ob cujus opinionem celeberrimam memorat se Africanus Historiographus, ad eum properasse.

Ita *Praten. Herinien. Antverp-maj. Pulsanen. Munerat. Belini* 1 *editio, Greven.* & *Molan.* Et quod rarissimum est, etiam *Centulensis.*

VARIA LECTIO. *Phocæ* habent & recte Praten. & Molan. sed ex reliquorum omnium unanimi consensu scribendum fuit in textu, *Focæ*, ut supra etiam fecimus v Martii, ubi Molanus æque ac Pratensis cum reliquis concordabant. Solus Centulen. posuit *Foceæ.* Hic cum Greven. & Molan. legit *Synopis*, at reliqui omnes, ut in textu. Nescio quid velit Pulsanen. per *civitatis ipsius.* In Munerat., ante *ferrum*, redundat *et*; in Belino autem post *ignem*, deest *etiam.* Molanus & Centulensis legunt, uti oportet, *Heraclæ*, sed rursus codices reliqui cogunt scribere ut est in textu; vel pejus, *Eracleæ*, vel pessime cum solo Belino, *Eradii.* Antverp-maj. pro *properasse*, posuit *properavisse*, quod idem valet; pejus Belinus *properasse historiam.* Centulen, si non pure, saltem nitide phrasim reddidit, hoc modo: *Ob cujus opinionem celeberrimam, Africanus nobilis Historiographus se commemorat ad eum properasse.* Sphalmata scriptoria colligo, ut sunt: *Aput, Ponthum, civitate Sinapis, ignes, Ysloriographus, Aphricanus, Affricanus* &c.

Phocæ. OBSERVATIO. *Phocam Antiochenum* memoravimus ad diem v Martii, ex Usuardo nostro & aliis antiquioribus. Hic alter recurrit & ipse apud Martyrologos notissimus. Hieronymiana imprimis de eo hac die meminere, sub nomine *Foci* vel *Focæ*, uti nos in textu scripsimus, cum titulo *episcopi.* Notat Florentinius traduci à Combefisio Baronium, quasi non satis recte Phocas distinxerit; quod certe nec ipsi Combefisio facere plane integrum fuit. Interim Romanum parvum sic *episcopum* & *martyrem* nostrum annuntiat: *Apud Pontum, Phocæ episcopi civitatis Synopis.* Quo modo etiam ex ipso loquitur Ado, imperatorem, præfectum, genera tormentorum & reliquiarum translationem seu depositionem *Viennæ in Gallia* prosecutus, iisdem prope verbis, quibus utitur

Bedi

Beda & poſt hunc Rabanus. Cum autem Notkerus Rabanum vel Adonem deſcribat, patet horum quatuor elogia plane eſſe conſimilia. Noſter nihil de præfecto aut reliquiis, quæ in Auctariis ſupplebuntur; at cetera omnia verbatim ex Viennenſi accepit, Hactenus Martyrologorum prope omnium conſtans ſententia, quorum auctoritate, ut v Martii cum Henſchenio & Florentinio inſinuavimus, duo ſaltem *Phocæ* martyres, iique ut minimùm conditione diverſi, adſtruendi ſunt, quidquid fortaſſe origine populares dici poſſint. An Aſterii Amaſeæ epiſcopi de *Phoca* encomium, utrumque confuderit, ut Baronio viſum eſt, non omnino liquet. Conjecturas ſuas, cum Aſterii oratione, prius a Surio XXII Septembris edita, vulgavit citatus Combefiſius; ſuas in admonitione prævia propoſuit Ruinartius inter ſelecta pag. 627. Pleraque eruditiſſimorum virorum iſtorum argumenta rurſus expendit Tillemontius tomo 5 à pag. 581. Silvam video ſpinoſam & implexam, cui expurgandæ, an exſcindendæ, cum Baronio, Florentinio, aliiſque, proprius in Actis noſtris locus erit. Subſcribit Martyrologis aliis Wandelbertus, Phocam etiam alterum, nempe *epiſcopum*, hîc ita exornans:

Antiſtes pridie & martyr petit æthera Phocas.

De *Heracla* Alexandrino patriarcha, tacent Martyrologi omnes, Uſuardo aut antiquiores aut æquales, fitque adeo evidens, primùm ab eo locum inter Sanctos *Heraclam* obtinuiſſe; quod profecto mirandum in eo, qui rariſſime Sanctos extraneos, præſertim tam procul accerſitos, ductoribus ſuis ſuperinducit. Nec ſatis video cur hoc præ ceteris die Heraclam collocaverit, quem nos in ſerie chronologica probabilius IV Decembris vita functum, in Tractatu noſtro oſtendimus pag. 24. Sed hæc loco ſuo examinanda reſervantur. Sufficiat verum hîc Uſuardi textum retuliſſe, in quo quæ in illius Patriarchæ laudem adducuntur, apud Rufini Euſebium invenies lib. 6 cap. 23. *Heraclæ.*

AUCTARIA.

Focati. TORNACEN. Textum incipit; *Focati epiſcopi & martyris.* Poſt quæ ſequitur textus purus & integer, ubi *Focatus* ille diverſus à *Foca* cenſetur, quod in codicibus pluribus factum mox videbis. In margine, ſimili ſed recentiori manu, adſcribitur: *Vincentii.* *Vincentii confeſſoris, Haoniæ.*

ROSWEYD. Textui puro ſubjungit: *Item Marchelini.* *Marchelini confeſſoris, ſocii ſancti Lebuini. Item Focati.* *Focati epiſcopi.* Vide codicem LUXOVIEN.

ANTVERPIEN. & MAX-LUBEC. In prima interjiciunt, *& præfecto Africano*, ex Adone. Heraclas plane omiſſus eſt. Sequitur autem: *Juſti & Amici.* *Lugduno Galliæ, depoſitio ſanctorum Juſti & Amici epiſcoporum. Item Focati.* *Focati epiſcopi.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. In prima etiam habent, *& præfecto Africano.* Sequitur: *Lugduno Galliæ, depoſitio ſanctorum Juſti & Amici.* In Heracla puri. Denique: *Eodem die, Focati epiſcopi.*

In ALBERGEN. Deeſt Heraclas, cetera aliis ſimilis eſt. DANICUS omnino convenit, ſed in margine habet de Bonaventura, manu multo recentiori: *Bonavent.* *Lugduno Galliæ, depoſitio Seraphici Doctoris ſancti Bonaventuræ, epiſcopi Cardinalis & confeſſoris, Ordinis Fratrum Minorum.*

BRUXELLEN. Incipit: *Vincentii.* *Apud Senogias* (potius *Sonegias*) *ſancti Vincentii confeſſoris & conjugis beatæ Waldetrudis Caſtrilocenſis, neptis beatæ Gudilæ. Qui ſanctorum Autberti & Giſleni abbatis exhortatione, factus ex comite monachus, Chriſto in omnibus ſuis actibus ſervire ſtudebat.* De *De Phoca.* Phoca habet, ut ANTVERP-MAX. intermiſcendo, *& præfecto Africano*; quibus in fine etiam ex Adone adjicit: *Cujus reliquiæ Viennæ in baſilica Apoſtolorum habentur.* In Heracla purus eſt, niſi quod ſcribat, *Eraclei.* In fine: *Et in Juſti & Amantii.* *Lugduno Galliæ, depoſitio ſanctorum Juſti & Amancii epiſcoporum. Eodem die, ſancti Focati* *Focati.* *epiſcopi. Item Germani epiſcopi.* In margine au- *Germani.* tem, manu valde recenti, adſcriptum eſt: *ſancti Henrici.* *Henrici, Romani imperatoris & confeſſoris.*

HAGENOYEN. In Phoca convenit cum ANTVERP-MAX. &c. Tum: *In Africa, ſanctorum martyrum Eugenii epiſcopi, fide & virtutibus glorioſi & univerſi Cleri* &c. Item: *In Britannia minori, ſancti Turyani* &c. quæ ex heſterno textu huc tranſlata ſunt. *Alexandriæ, ſancti Heraclitæ* &c. pro *Heraclæ.*

DAVERONEN. *Pictaviæ, ſancti Cypriani martyris.* Vide codices alios die præcedenti. *Cypriani.*

AMBIANEN. *Eodem die, dedicatio oratorii beati Pauli Apoſtoli. In iſta eccleſia hac die veneratur principalis ſanctæ Dei genitricis Mariæ & ſancti Firmini ſenioris noſtri commemoratio, pro bello, in hujus civitatis ſuburbio nobiliter peracto, anno ab Incarnatione Domini* DCCCCLVII. *Dedic. Orat. S Pauli.* *Feſt. Ambian*

BIGOTIANUS codex ſignatus P. 5. *Lugduno Galliæ, depoſitio ſanctorum Juſti & Amici epiſcoporum. Et alibi, ſancti Focati epiſcopi.* *Juſti & Amici. Focati.*

CODEX D. DU CHEVAL. ſignatus B. *Eodem die, ſancti Phocati epiſcopi.* Et in alio codice ejuſdem ſignato C: *In Africa, Donati.* *Phocati. Donati.*

FLORENTIN. *Lugduni Galliæ, depoſitio ſanctorum martyrum Juſti, Amati & Focati.* Sed quî *Focatus* hîc toties repetitus, cum Lugdunenſibus connectatur, non intelligo. Vide cod. ſeq. *Juſti &c.*

LUXOVIEN. *Apud Pontum, ſancti Phocæ..... Cujus reliquiæ in baſilica Apoſtolorum ad Galliam civitatem Viennam habentur.* Adoniana ſunt.

SALINEN. *Lugduno Galliæ, depoſitio ſanctorum Juſti & Amati epiſcoporum.* *Juſti & Amati.*

EDITIO LUBECO-COL. *In Dacia, tranſlatio duorum capitum ſanctarum virginum, de ſocietate undecim milium. Apud Pontum, natale ſancti Focæ* &c. cum additamentis ex Adone, ut ſupra. *Ipſo die, ſancti Conſtantini magni imperatoris, qui Romæ ædificavit eccleſiam Lateranenſem in honore ſancti Iohannis Baptiſtæ. In quo loco meruit per beatum Silveſtrum Papam à lepra* *Tranſlat. cap 2 Urſulanar.* *Conſtantini.*

mundari. Hic Eccleſiam ſanctam maximis muneribus dotavit, atque Clerum honoravit. Lugduno Galliæ, depoſitio ſanctorum Iuſti & Amici epiſcoporum & confeſſorum. Ipſo die, Focati epiſcopi & confeſſoris. In Britannia minori, beati Turrini epiſcopi & confeſſoris. Haud dubie pro *Turiavi.* Alexandriæ, ſancti Eraclii antiſtitis & confeſſoris, ob cujus &c. In Daventria, natale beati Marcellini confeſſoris, diſcipuli ſancti Lebuini presbyteri. In Africa, ſanctorum Petri & Donati. In territorio Clivenſi civitate Reeſa, depoſitio ſancti Dentlini pueri. Item feria tertia proxima poſt feſtum ſanctæ Margaretæ virginis, eſt commemoratio ſanctæ Brigidæ virginis.

Iuſti & Amici. Focati. Turrini. *Eraclii.* *Marcellini. Petri & Donati.* *Dentlini.* *Brigidæ.*

Belini editio altera in fine adjungit: *In Africa, ſancti Donati. Eodem die, ſancti Vedaſti confeſſoris & epiſcopi Atrebatenſis.* Forte agit de relatione corporis, de qua die ſequenti in Auctariis fit commemoratio.

Donati. Vedaſti.

Greven. *In Africa, ſanctorum Petri & Donati. Lubberti abbatis & martyris. Lugduni, ſanctorum Iuſti & Amici epiſcoporum & confeſſorum. Focati epiſcopi & confeſſoris. In Daventria, Marcellini presbyteri & confeſſoris, ſocii ſancti Lebuini, diſcipuli autem ſancti Willebrordi epiſcopi. Ipſo die ſecundum quoſdam, Conſtantini magni imperatoris. Sed verius ſecundum alios* XI *Kal. Iunii. Vincentii comitis Hanoniæ & confeſſoris. In territorio Clevenſi civitate Reeſa, ſancti Dentlini pueri ſeptem annorum & confeſſoris. Focæ virginis. In Dacia, tranſlatio duorum capitum ſanctorum Virginum* &c. ut ſupra in editione Lubec-Col.

Petri &c. Lubberti. Iuſti &c. Focati. Marcellini. Conſtantini. Vincentii. Dentlini. Focæ Virg.

Molan. Etiam textui, ſed aliis litteris, inſerit: *Cujus reliquiæ in baſilica Apoſtolorum, in Vienna civitate Galliæ habentur.* In fine: *Eodem die, inventio ſancti Liberti martyris, vita & meritis glorioſi. Quem inclytus martyr beatiſſimus Rumoldus triduo extinctum ſubmergio, divina ſuſcitavit virtute, fideque imbuit & doctrina. Illo autem tempore quo Nortmanni, Dani & Huni Brabantiam & adjacentes provincias igne vaſtabant & gladio, ante ſancti Trudonis aram, vitam glorioſo conſummavit martyrio. Apud Sonegias, depoſitio beati Vincentii confeſſoris Chriſti & abbatis, qui ſtruxit Altum montem. In Aicuria, ſanctæ Ragenufliæ virginis. Eodem die, ſancti Henrici ſecundi, Romanorum imperatoris & confeſſoris; qui obiit anno Domini* MXXI. *Paſſio ſancti Baſini regis & martyris.* Dein aliis typis: *Qui quieſcit in Truncinio monaſterio extra Gandavum. In Daventria, ſancti Marcellini* &c. ut Greven. *In territorio Clivenſi, civitate Reeſa, ſancti Dentlini pueri ſeptem annorum & confeſſoris; non tamen canonizati.* Editiones aliæ curſivis incipiunt: *Lugduni depoſitio ſancti Bonaventuræ, Cardinalis & epiſcopi Albanenſis, Ordinis Minorum.* In textu, idem quod ſupra. In fine: *Apud Babenberge, ſancti Henrici ſecundi, Romanorum imperatoris & confeſſoris; qui obiit anno Domini* MXXIV. *Apud Sonegias, depoſitio beati Vincentii confeſſoris Chriſti. Qui in monaſterio, quod Altus mons dicitur, tonſo capite vixit plurimis annis ſub ſancta regula, ſervata charitate ſeparatus à ſancta Waldetrude conjuge ſua. In Hasbania eodem die, inventio ſancti Liberti* &c. ut ſupra. *Daventriæ, ſancti Marcelini presbyteri & confeſſoris, diſcipuli ſancti Vuillibrordi epiſcopi. Qui partes Tranſiſelanas, locum Oudenzeel, Trentam ac Tuentam, Covordiam ac Daventriam rexit, & Dei providentia totum ferme populum Chriſto prædicando eſt lucratus. Truncinio monaſterio, paſſio ſancti Baſini regis & martyris. In Aicuria, ſanctæ Ragenufliæ virginis. Apud Treverim, ſancti Iuſti confeſſoris.*

Vincentii. Baſini. Marcellini. De Marcell. Ragenufliæ. Henrici II. Iuſti.

Invent. Liberti cum elogio.

Idibus. *Die* 15.

Iacobi. Niſibi, natalis ſancti Jacobi epiſcopi, magnæ virtutis viri. Hic unus fuit è numero Confeſſorum ſub perſecutione Maximini, & eorum, qui in Nicena Synodo perverſitatem Arrii, omouſii oppoſitione damnarunt. Romæ in portu, natalis ſanctorum Eutropii, Zoſimæ & Bonoſæ ſororum. Apud Cartaginem, ſanctorum martyrum Catulini diaconi, Januarii, Florentii, Juliæ & Juſtæ, qui ſunt poſiti in baſilica Fauſti. Alexandriæ, ſanctorum Philippi, Zenonis, Narſei & decem infantum.

Eutropii & ſociorum. Catulini & ſociorum Philippi & ſociorum.

Ita *Praten. Herinien. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.*

Variæ lectio. *Niſibi* ſimpliciter habent codices omnes, tum puri tum alii, exceptis Antverp. & Max-Lubec. in quibus, *Niſibi civitate.* Sic etiam legunt omnes; *Hic fuit unus è numero* &c. ſed in Greven. & Molan. deeſt, *è numero.* Rurſus, *ſub perſecutione Maximini,* licet in Adone diſerte legatur, *Maximiani. Nicena Synodo* ſcribunt citati codices & reliqui fere, ſed in Herinien. male eſt *Sinodo.* Idem eſt de *Arrii* & *Omouſii*, quamquam Ado habeat *Arii* & *Homouſii.* De *Carthagine* dixi alibi, uti & de *dampnarunt*, ejuſque generis orthographia, ſeu potius pſeudographia. In Molano legitur *damnaverunt.* Antverp. & Max-Lubec. pro *Catulini*, habent *Catilini.*

Jacobi. Observatio. Romanum parvum annuntiationem primam pauciſſimis circumſcribit: *Niſibi, Jacobi epiſcopi.* Hieronymiana, *Niſivis, Nizibæ*, vel *Niſibini*, in quibus, præter morem, hiſtoria dicam, an fabula, attexitur in hunc modum: *Qui in corpore multa*

multa ſigna fecit & Arcam Noe ſolus vidit in monte, nullus alius de his qui cum eo perrexerunt, videre eſt permiſſum. Hæc ibi, & quidem non ſatis correcte intruſa eſſe, probat vetuſtiſſimi Epternacenſis codicis ſilentium. Quid porro, in Ararat vel Tauro monte, Noëmicæ Arcæ, primis Eccleſiæ ſeculis ſuperfuerit, ſatis operoſe, neſcio quo operæ pretio, inquirit Florentinius. Qui & alios cultûs dies, ſed forte diverſorum Jacoborum indicat. Ceterum de præfata viſione, ſeu naturali ſeu miraculoſa, nihil memoravit Ado, aliud ex Gennadio idque hiſtoricæ veritati, ni fallor, conformius elogium deproperans, cujus nitidiſſimam epitomen confecit Uſuardus, qualem in textu repræſentavimus. Notkerus vero Adonianis non contentus, viſionem ex Hieronymianis acceptam, prioris verbis attexere voluit. Jacobi vitam, ex Theodoreti Philotheo interpretationis Hervetianæ, eduxit Surius, cui ex ejuſdem Scriptoris hiſtoria, alia ſuperaddi poterant. Tillemontius ſeriem hiſtoricam ex ipſo, ex Gennadio, aliiſque Gallice contexuit tomo 7 à pag. 260, quæ Actis præclariſſimi Sancti illuſtrandis non parum ſubſerviet. Diſtichi Wandelbertini primus verſiculus huc non pertinet, ſecundus Jacobo tribuitur:

Idibus effulgent Caſſianus Cyricuſque
Et Jacobus meritis celebratur epiſcopus amplis.

Annuntiatio altera tota in Romano parvo, tota in Adone eſt, imo & ferme in apographis Hieronymianis, ubi corruptiora ſunt & hinc inde turbata nomina. Certe Noſter anteſignanos ſuos fideliter ſecutus eſt. Vide notationem Baronii. De *Carthaginenſibus* & *Alexandrinis* tacet Romanum parvum. Ado ex Hieronymianis procul dubio utramque commemorationem deſumpſit, ſic tamen ut nomina aliqua paulo clarius expreſſerit, omiſſa in prima claſſe *Pollutana*, & ubi inter Alexandrinos, præfata apographa legunt *Naſei*, hic poſuerit *Marſei*. Illuſtre eſt hoc die *Catulini martyris* nomen in laudato ſæpe Carthaginenſi Kalendario. Citatur etiam Auguſtini in ejus laudem tractatus, ſed quem hactenus editum non vidimus. De Alexandrinis ſola nomina ſupereſſe videntur. Ut ut eſt, ambas claſſes ex Adone deſcripſit ad verbum Uſuardus, alteram alteri anteponens, & mediam, ut ita dicam, viam ingreſſus, pro *Naſei* & *Marſei* ſubſtituit *Narſei*, ſicut codices noſtri unanimiter enuntiant: pro quo recentiores, *Narſæi*. Tota igitur textus congeries & Adoniana & Uſuardina eſt.

Eutropii & ſociorum.

Catulini & ſociorum.

Philippi & ſociorum.

AUCTARIA

De diviſion. Apoſtolorum. IN HERINIENSI recentiori manu ad marginem adjicitur: *Ipſo die, diviſio Apoſtolorum.* De qua etiam alii.

TORNACEN. Reſecat elogium Jacobi Nisibeni; cetera purus eſt.

ANTVERP-MAJ. Textui puro in fine ſubnectit: *Et tranſlatio ſancti Suuithuni.* *Tranſlat. Swithuni.*

PULSANEN. Et deficit & auctus eſt. Sic incipit: *In Antiochia, paſſio ſanctorum martyrum Quirici & Julittæ matris ejus.* Sed in textu omittit Jacobum & martyres Portuenſes. *Quirici & Julittæ.*

MUNERAT. Poſt textum in fine addit: *Ipſo die, diviſio Apoſtolorum ad prædicandum.* *Divis. App.*

ROSWEYD. Incipit: *Diviſio Apoſtolorum.* Tum: *Plechelmi confeſſoris atque pontificis.* Sequitur prima textus annuntiatio de Jacobo &c. Dein: *Item Philippi, Agrippini & Reginsindæ virginis. Caſſiani martyris.* Poſt hæc ſequuntur textus reliqua, quibus in fine additur: *Eodem die in Britannia, depoſitio beati Deusdedit archiepiſcopi & confeſſoris. Et tranſlatio ſancti Suithuni.* In Anglicis ſæpe convenit cum ANTVERP-MAJ. *Divis. App. Plechelmi.* *Philippi &c. Caſſiani.* *Deusdedit.* *Tranſl. Swit.*

ANTVERP-MAX. & LOVANIEN. A puritate parum abſunt, textui hæc ſolum præfigentes: *Diviſio Apoſtolorum, quæ, ut Beda ſcribit, anno a paſſione Domini duodecimo facta eſt.* *De div. App.*

ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERGEN. & DANIC. Cum duobus præcedentibus conveniunt, ſed illis omnibus anteponunt: *Apud Antiochiam, natale ſanctorum* TYRITI (TYRICI, QUIRITI) *& Julitæ matris ejus. Qui evulſis oculis, primo in carcerem miſſi ſunt: poſt hæc excoriati & in lecto ferreo aſſati, deinde ferris attriti, & amputatis linguis, martyrii ſui curſum obtruncatione capitis compleverunt. Paſſi ſunt etiam cum eis & alii quadringenti quatuor.* De his cum Uſuardo egimus XVI Junii. Vide quæ ibi, & fuſius in Actis dicta ſunt. *De Cyrico & Julitta.*

CENTULEN. *Natale ſancti Iacobi Niſibena civitatis epiſcopi, magnarum virtutum viri. Apud Carthaginem, ſanctorum Catulini diaconi, Ianuarii, Florentii, Iuliæ & Iuſtæ, qui ſunt poſiti in baſilica Fauſti. Alexandriæ, ſanctorum Philippi, Zenonis, Narſeni & decem infantum. Atrebas, relatio beati Vedaſti ad proprium locum.* *De relat. Vedaſti.*

BRUXELLEN. Incipit: *Diviſio Apoſtolorum, quæ, ut Beda ſcribit, anno a paſſione Domini duodecimo, ſub Claudio imperatore facta eſt. Niſibi civitate, ſancti Iacobi epiſcopi & confeſſoris. Qui fuit unus ex numero ſanctorum ſub perſecutione Maximiani, & eorum, qui in Nycena Synodo perverſitatem Arii dampnarunt. Et alias vir magnæ virtutis, ita ut ad ejus preces ſæpe urbs à periculo liberata ſit. Quo intra urbis muros ſepulto, ſed & poſtea zelo Juliani apoſtatæ extra condito, mox civitas Perſarum ditioni ſuccubuit.* Sequitur de Alexandrinis, tum de Carthaginenſibus, ac denique de Romanis, pure. *De div. App.* *De Jacobo.*

HAGENOYEN. Tertio loco, poſt Portuenſem claſſem, inſerit: *Eodem die, diviſio Apoſtolorum, quæ ſecundum Bedam, tredecimo anno poſt paſſionem Domini facta eſt; quando illi per totum orbem diviſi ſunt & verbum Domini prædicabant. Nam ſub Cornelio Papa facta eſt diviſio oſſium Apoſtolorum Petri & Pauli, quando medietas oſſium Petri poſita ad ſanctum Paulum, & converſo, media oſſa Pauli poſita ſunt ad ſanctum Petrum.* Quid iſtud *nam*, quid diviſio oſſium faciat ad diſperſionem Apoſtolorum, prorſus non intelligo. Sequitur de Cyrico & Julitta, fere *De diviſione Apoſtolorum*

Iusti & Amici. Focati. ut supra. Tum: *Lugduno Galliæ, depositio sanctorum episcoporum Iusti & Amici. Eodem die, sancti Focati episcopi.* Vide die præcedenti.

AQUICINT. Omittit nomen *Florentii.* Et in *Relat. Ved.* fine adjicit: *Eodem die, relatio corporis sancti Vedasti à Beluaco civitate ad proprium locum.*

VICTORIN. Et codex REG. SUEC. sign. 130. *Cyr. & Jul* In fine: *Antiochiæ, natalis sanctorum Cyrici & Julittæ matris ejus. Eodem die, liberata est civi- Capt. Jerus.* tas sancta Ierusalem. Vide annum in MOLAN.

MATRIC-CARTUS ULTRAJECT. *Divisio A- Divis. App.* postolorum. *Plechelmi episcopi & confessoris. Eu- Plechelmi.* tropii, Zozimæ & Bonosæ, sororum martyrum. Philippi, Narsæi, Zenonis & decem infantum martyrum. Iacobi Nysibi episcopi.

REG. SUEC. sign. num. 428. *Ipso die, divi- Divis. App.* sio Apostolorum ad prædicandum.

VATICAN. num. 5949. *Apud Tharsum me- Cyr. & Iulit.* tropolim, natale sanctorum martyrum Cyrici & Iulittæ matris ejus.

FLORENTIN. *Apud Antiochiam, Quirici & Ju- Translat.* litta..... *Translatio sanctorum martyrum Senatoris, Senatoris &c* Viatoris, Cassiodori & Dominatæ matris eorum. *Felicis.* Luce aliqua hæc indigent. STROZZIAN. *Papiæ, sancti Felicis episcopi & martyris.*

BURDEGALEN. *Sancti Benedicti Andegaven- Benedicti.* sis episcopi. Ponitur etiam hoc die à Castellano.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Divisio Apo- De Divis.* stolorum ad prædicandum verbum Dei per uni- *& passione* versum orbem. Quæ, ut Beda scribit, anno à *Apostolorum* passione Domini duodecimo facta est. Petrus Antiochiam venit, deinde Romam resedit & ibidem crucifigitur. Paulus mundum sua prædicatione illustravit & Romæ decollatur. Andreas Achaiæ crucifigitur. Iacobus Zebedei Hierosolymis decollatur. Iounnes Epheso in pace moritur. Philippus in Phrygia lapidatur & crucifigitur. Iacobus Alphei fuste fullonis perimitur. Bartholomeus in India excoriatus decollatur. Thomas in alia India, quæ est in fine mundi transfigitur. Simon & Thadeus in Persida perimuntur. Mattheus in Ethiopia, coram altari lancea perforatur. Matthias in Iudea martyrium complevit. Hæc divisio præcepto Christi facta, est ut impleretur illud Psalmista: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sequitur textus integer, *Catholini & Zosimi.* cui subjungitur: *Item Alexandriæ, sanctorum Translat.* Catholini episcopi & Zosimi confessoris. Eodem die, *Swithun. &c.* translatio sancti Swithuni episcopi & sociorum ejus episcoporum & confessorum. Ipso die, sancti *Plechelmi.* Plechelmi episcopi & confessoris. Item relatio san- *Relat.* cti Vedasti Atrebatensium episcopi & confessoris. *Vedasti.*

BELIN. Ultimo loco ponit, *Nisibi civita-* te &c. Et tum addit: *Eodem die, sanctorum Cyr. & Julit.* martyrum Quirici & Julitæ. Papiæ, sancti Feli- *Felicis.* cis episcopi & martyris.

GREVEN. *Divisio Apostolorum ad prædican- Divis. App.* dum, facta secundum Bedam anno à passione Domini duodecimo. Item secundum aliquos hic Cirici *Cyr. & Iulit.* & Julitæ, quos Usuardus habet XVI Kalend. Julii. *Plechelmi* Tweintiensis episcopi & confessoris, in *Plechelmi.* Aldensel quiescentis. Deusdedit archiepiscopi Can- *Deusdedit.* tuariensis & confessoris. Alexandriæ, sanctorum Catholini episcopi & Zozimæ confessorum. Eodem *Cathol. &c.* die, in Anglia, translatio sancti Swituni episcopi *Transl. Swit.* Wintoniensis & sociorum ejus episcoporum & confessorum. Item relatio sancti Vedasti Atrebatensis *Relat. Ved.* episcopi & confessoris. Regiswindis virginis & *Regiswindis* martyris. Faustæ & Juliæ, sororum virginum & *Faustæ &c.* martyrum. Dedicatio templi Dominici sepulchri in Jerusalem.

MOLAN. *Eodem die, festivitas omnium Apo- Divis. App.* stolorum; hoc est quando divisi sunt ab invicem. *Eodem die, sanctorum martyrum Cyrici & Julitæ. Cyr & Iulit.* Papiæ, sancti Felicis episcopi & martyris. Anno *Felicis.* Dominicæ Incarnationis DCCCXCIII relatio cor- *Relat. Vedas.* poris sancti Vedasti à Bellouago ad proprium locum, post annos XII, menses novem, dies XXIV. Tum minoribus typis: *Ipso die, Hierosolyma ab exer- Capt. Ierus.* citu Christianorum capta est, anno milleno ducentesimo minus uno*; vult dicere MXCIX. De Plechelmo, Deusdedit & translatione Swithuni, ut GREVEN. supra. Denique, *Answeri monachi, Answeri.* cum suis in Ratilburg lapidati. Editiones aliæ post *virtutis viri*, inserunt aliis litteris: *Ita ut ad ejus preces sæpe urbs discrimine sit liberata.* In fine: De divisione Apostolorum, ut supra. *Cantuariæ, depositio sancti Deusdedit, sexti archiepi- Deusdedit.* scopi & confessoris. Civitate Oudensele, natale san- cti Plechelmi episcopi. De Felice, ut supra. *Eo- Plechelmi.* dem die, sanctæ Reginswindæ virginis. Atrebati an- *Reginswind.* no Dominicæ &c. ut in priori. De Swithuno, ut supra. Tum minoribus typis: *Ipso die, Hierosolyma ab exercitu Christianorum capta est anno milleno cum centesimo minus uno:* ubi corrigit quod supra erraverat, scribens *milleno ducentesimo* &c. *In Racezburg, Answeri monachi, cum suis lapidati: de quibus Helmoldus in historia Slavorum.*

XVII *Kal.* *Die* 16.

Eustathii. APud Antiochiam Syriæ, natalis beati Eustachii episcopi, & confessoris, sub Constantino principe, qui ob Catholicam fidem in Trajanopolim civitatem Thraciæ pulsus exilio, *Hilarini.* ibidem requievit. In Ostia, passio sancti Hilarini monachi, qui cum nollet sub persecutione Juliani sacrificare, fustibus cæsus, martyrium sumpsit.

Sumitur textus ex *Praten. Herinien. Antverp-majore, Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Syria* etiam alibi dicendum fuit; scribo, cum Pratensi; Antverp. & Max-Lubec. Munerat. Belin. Molan. Si codices sibi non constent, nec uniformis erit orthographia nostra. *Eustachii* legunt codices nostri omnes post Roman. parvum & Adonem, *Eustathii* tamen legendum, dubium non est, ut in Ob-

Obſervatione dicemus. Optimæ notæ codices, ut ſunt Praten. Herinien. Tornacen Antverp-major, Pulſanen. Roſweyd. Munerat. & Belin. rectè in textu ſcribunt *Conſtantino principe*, quidquid alii, quos ſequitur Romanum modernum, antiſtitem noſtrum *Conſtantii* juſſu relegatum velint, ut habent Antverp. Max-Lubec. & mediæ notæ reliqui, cum Greveno & Molano, qui duo legunt, *Conſtancio imperatore*, alii *Conſtancio principe*. Et ita factum, ex Athanaſii non ſatis valido teſtimonio, Baronius in Notationibus ſe eviciſſe, aſſerit; aliis ex hiſtoriæ ſerie, contrarium evincentibus. Sunt qui cum Notkero male ſcribant *intra Janopolim*. Sed alii melius cum textu. *Traciæ* in nonnullis, & *Traciem* in Antverp-majore, facile corriguntur. Belin. ſenſum mutat, dum ponit, *ibidem exilio requievit*. *Hoſtia* legitur in multis, ſed Praten. & Herinien. recte cum textu. In Belino eſt *Hylariani*: in Munerat. *Hylarii*, in quo additur, *& martyris*, debitè quidem, ſed non ex auctoris mente.

OBSERVATIO. Fontem textui præbuit Romanum parvum, Ado inde hauſit, atque ex hoc ſcilicet in Noſtrum derivatus eſt, hoc ſolo diſcrepans, ſiquidem diſcrepantia appellari ea poſſit, quod qui in prioribus, primo loco ponitur *Hilarinus*, in Uſuardo ſecundum teneat. Ceterum *Euſtachium* conſtanter legunt, ut ſupra innuebam, *Euſtathii.* & Romanum parvum, & Ado & codices noſtri Uſuardini paſſim omnes; pro quo *Euſtathium* ſcribit Baronius, & recte, cum agatur de celeberrimo illo adverſus Arium fidei defenſore, in illius temporis hiſtoria notiſſimo, ſed nos lectionem Uſuardinam in textu tradidimus, in quo etiam oſtendimus *Conſtantino principe*, pro *Conſtantio principe*, melius referri, etiam contra apertiſſimam Adonis ſententiam. Videſis Notationem Baronii, & quæ ſuo tempore in Actis diſputabuntur. Major eſt difficultas, utrum *Euſtathius* vel *Euſtachius* noſter in Hieronymianis recenſeatur, ſociis aliis martyribus conjunctus; quod equidem pede in uno non auſim reſolvere, quidquid conjectet Florentinius. Tutiſſimum eſt, eam etiam quæſtionem ad proprium locum elucidandam remittere. Interim damus verba Romani parvi: *Apud Antiochiam Syriæ, Euſtachii epiſcopi.* Cetera Adoniana ſunt, à Noſtro & Notkero deſcripta. Norunt eruditi totam magni Euſtathii geſtorum ſeriem, ex variis antiquis monumentis eccleſiaſticis colligendam, cui à variis pridem allaboratum eſt, inter quos Tillemontius tomo 7 à pag. 21 pleraque documenta ſuggerit, nobis ſuo tempore uſui futura.

De *Hilarino*, paucis etiam laudatum Romanum parvum: *In Oſtia, Hilarini martyris.* *Hilarini.* Elogium in textu poſitum à Beda primitus concinnatum oportet, ſi ejus genuina ſunt, quæ in noſtra ante Tomum 11 Martii editione ei tribuuntur. Inde in Rabanum & Adonem tranſierit, ex hoc in Noſtrum. Notkero, fortaſſe ad Sancti nomen alludenti, paucula hæc inſerere placuit: *Qui Sanctorum hilariſſimus ſuſceptor & ſuſtentator:* quæ utrum ex Actis ſanctorum Joannis & Pauli accepta ſint, non vacat, nec operæ pretium eſt hîc inquirere. Quid ſi exemplum *Gallicani* aliunde influat? Hoc certum videtur, Hilarinum eumdem & in eadem poſitione collocatum, ab Hieronymianis apographis memorari, nempe: *In civitate Hoſtia*, nobis *Oſtia*, ut ſignant etiam Martyrologi nuperrime citati, contra quam Florentinius legerit, niſi & ipſe cum Romano moderno cenſeat, *Hilarinum* Aretii agonem compleviſſe, ſubinde Oſtiam tranſlatum, quæ eſt Baronii ſatis fundata opinio, ſuo itidem loco examinanda. Vide Adonem ad VII Auguſti de *Donato*, & eodem die Florentinium de eodem Sancto. De ſocio *Cyrico* vel *Cyriaco* ſola Hieronymiana meminere. Utcumque interim exigat hiſtorica veritas, ſimplex & genuinus Uſuardi noſtri textus extra controverſiam omnino poſitus eſt. Sic Hilarinum celebrat Wandelbertus:

*quæ ſignat

Cum decima Auguſtam (Auguſtum) *præ*ſignat ſeptima menſem,*
Hilarine tuo, martyr, nitet optime feſto.

AUCTARIA.

Bertini. TORNACEN. Incipit: *Bertini abbatis.* Textus qui ſequitur, puriſſimus eſt.

PULSANEN. In prima annuntiatione purus, ſecundam plane omittit.

Monulfi & Gondulfi. ROSWEYD. Textui puro in fine ſubjungit: *Munulfi & Gundulfi epiſcoporum & confeſſorum.*

Tranſl. Bert. *Tranſlatio ſancti Bertini abbatis.*

ANTVERP-MAX. LOVANIEN. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERG. & DANIC. Textui puro etiam adnectunt: *Ipſo die, in Trajecto ſuper Moſam, ſanctorum Mondolphi & Gondolphi epiſcoporum.* Duo ultimi ſic efformant nomina: *Mo-*

Monulfi &c *nolfi* vel *Monolphi*, & *Gundolfi* vel *Gundolphi*.

CENTULEN. *Antiochiæ, ſancti Euſtachii epi-* Textus
ſcopi, qui ob Catholicam fidem pulſus exilio, ibi- contractus.
dem quievit. In Hoſtia, ſancti Hilarini monachi
& martyris ſub Juliano apoſtata.

BRUXELLEN. In textu ſatis purus, adjicit: *Apud Trajectum ſupra Moſam, depoſitio ſanctorum confeſſorum Monulphi & Gondulphi epiſco-* *Monulfi &c*
porum. Apud Xanctas Brabantiæ, natale ſanctæ
Regnildis virginis & martyris, beatæ Gudilæ no- *Regnildis*
ſtræ patronæ ſororis. Quæ comitatu unius ſervi & *cum elogio.*
ancillæ contenta, ſanctam civitatem Jheruſalem
& ſingula loca, quæ Dominus Jheſus corporaliter
perambulabat, peregre viſitavit. Et poſt ſeptennium

cum multis ſanctorum reliquiis ad patriam rediens, apud Xantas manſit, donec ipſa, una cum Grimoaldo ſubdiacono & Gondulpho familiari ab Hunnis pro fide Chriſti, martyrii palmam ſuſcepit.

Elevat. Bertini. *Ipſo die, elevatio ſancti Bertini abbatis.*

HAGENOYEN. In prima purus, ſecundo loco refert: *Apud Carthaginem, natale ſanctorum*

Catulini &c *martyrum Catylini diaconi, Ianuarii* &c. De quibus nos die præcedenti. Rurſus: *Alexandriæ,*

Philippi &c. *natale ſanctorum martyrum Philippi* &c. etiam ut heri. Sequitur: *In civitate Hoſtia, paſſio ſancti Hylariani monachi* &c. pure. *In Trajecto ſuper Moſam, depoſitio ſanctorum confeſſorum Nu-*

Monulfi & Gondulfi. *molfi & Gundolfi, qui dicuntur illi duo defuncti epiſcopi fuiſſe, & per beatum Leonem Papam & ejus ſocios reſuſcitati* [qui] *Aquenſem eccleſiam cum aliis epiſcopis dedicaverunt.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Euſtachii epiſcopi Antiochenæ civitatis. Hilarini monachi.*

VATICAN. ſignatus num. 5949. In fine: *Be-*

Vitaliani. *neventi, natalis ſancti Vitaliani epiſcopi & confeſſoris.* In Romano hodierno ſignatur Capuæ.

FLORENTIN. *Romæ, ſancti Leonis Papæ V.....*

Leonis. Ita hic lego, licet aliunde nulla ſacri cultus argumenta reperiam. Puto Leonem IV indicari, de quo infra. Sequitur in iiſdem codici-

Canonizat. Franciſci. bus: *Canonizatio beati Franciſci, à Gregorio Papa celebrata, anno Domini* MCCXXVIII, *pontificatus ſui anno ſecundo.*

In CODICE monaſterii MONTIS SANCTI: *De-*

Dedic. eccl. S. Stephani *dicatio baſilicæ beati protomartyris Stephani, in hoc ſancto Monte ſancti Romarici.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Romæ, na-*

Leonis IV. *tale beati Leonis IV Papæ & confeſſoris. Qui ſedit annos octo, menſes tres, dies ſex. Hic orationibus & vigiliis jugiter intentus, ſepultus eſt in eccleſia ſancti Petri.* Sequitur de Euſtachio,

De Hilarin. pure. Tum: *In Oſtia, paſſio ſancti Hylarini monachi. Qui cum juſſu Juliani ſacrilegi imperatoris, apud Tuſciam civitatem Arecio comprehenſus, à Quadracio judice cum beato Donato epiſcopo compellitur ſacrificare, & cum reſpuerent, Donatus incarceratur, Hilarinus vero fuſtibus cæditur donec ſpiritum redderet, cujus oſſa in Oſtia tumulata reſervantur. In Trajecto inferiori ſuper*

Monulfi & Gondulfi *Moſam ſituatam* [ſituato,] *ſanctorum Monulphi & Gundulphi epiſcoporum & confeſſorum. Hi nutu Dei, ut fertur, vivi de eorum ſepulcris ſurrexerunt & cum beato Leone* III *Papa templum in Aquiſgrano in honorem Dei genetricis virginis Mariæ conſecraverunt. Quo facto Trajectum ad eorum ſepulcra redierunt & ad priſtinam dormitionem ſe mutuo collocaverunt. In Cæſarea, ſanctorum Paulini & Mammetis martyrum.* De *Paulini & Mammetis.*

Mammete multa hac die refert Notkerus, ſed ab Uſuardo ponitur XVII Auguſti. *Eodem die,*

Marini. *ſancti Marini epiſcopi & martyris. Treveris, beati*

Valentini. *Valentini epiſcopi & martyris. Ipſo die, tranſlatio*

Tranſlat. Oſmundi. *ſancti Oſmundi epiſcopi & confeſſoris. Item Do-*

Bonavent. *minica ſecunda Julii, natale ſancti Bonaventuræ, ſeu ſancti Euſtachii epiſcopi Albanienſis & confeſſoris, Ordinis Fratrum Minorum.*

GREVEN. *Valentini epiſcopi Treverenſis & mar-* *Valentini.*

tyris. Marini epiſcopi & martyris. In Cæſarea, ſan- *Marini.*

ctorum Paulini & Mammetis martyrum. Antio- *Paulini &c.*

chiæ, ſancti Theodoti. Leonis Papæ IV *& confeſſoris;* *Theodoti.*

qui ſedit annis octo: vir valde ſanctus, vigiliis *Leonis IV.*

& orationibus multum intentus, utpote qui ab in-

fantia inter monachos ſanctos fuit enutritus. Ano- *Anatholii.*

tholii epiſcopi & confeſſoris. Trajecto ſuperiori ſu-

per Moſam fluvium, ſanctorum Monulphi & Gun- *Monulfi &c.*

dulphi epiſcoporum & confeſſorum: quos ferunt de

ſepulcris ſurrexiſſe & cum Leone Papa III *tem-*

plum Aquisgrani in honore ſanctæ Dei genitricis

conſecraſſe, eoque officio expleto in priſtinam ſe *Heliæ V.*

quietem recepiſſe. Treveris, Heliæ virginis. Item *Regnilais.*

Regnildis virginis & martyris. Tranſlatio ſancti *Tranſl. Oſm.*

Oſmundi epiſcopi & confeſſoris. Canonizatio beati *Canoniz. Fr.*

Franciſci confeſſoris.

MOLAN. *Trajecti, ſanctorum confeſſorum Mo-* *Monulfi &c.*

nulphi & Gondulphi epiſcoporum Tungrenſis eccleſiæ.

In Sanctis, ſanctæ Raineldis virginis & martyris. *Raineldis*

Tum minoribus typis: *Beatæ Gudilæ ſororis. Quæ* *cum elogio.*

comitatu unius ſervi & ancillæ contenta, ſanctam

civitatem Hieruſalem & ſingula loca, quæ Dominus

Jeſus corporaliter perambulavit, peregre viſitavit:

& poſt ſeptennium cum multis ſanctorum reliquiis ad

patriam rediens, apud Zanctlas Brabantiæ manſit,

donec ipſa una cum Grimoaldo ſubdiacono & Gon-

dulpho familiari, ab Hunis pro fide Chriſti martyrii

palmam accepit. Quæ ex BRUXELLENSI, ut alibi etiam factum oſtendimus, deſcripta videntur. In editionibus aliis, ſic habet: *Trajecti, ſanctorum*

confeſſorum Monulphi &c. ut in priori. *Treveris,*

Valentini. *ſancti Valentini epiſcopi & martyris. Sanctis, ſanctæ*

Raineldis virginis & martyris, ſororis beatæ Gu-

dilæ, quæ cum Grimoaldo ſubdiacono, & Gondul-

pho familiari, ab Hunis pro fide Chriſti palmam

martyrii accepit. Die decima ſexta, ſancti hiero-

martyris Athenogenis, & decem ejus diſcipulo- *Athenogenis*

rum. Item canonizatio beati patris Franciſci. Mo- *& ſociorum.*

naſterio Sithiu, ſancti patris Bertini corpus à beato *Canon. S. Fr.*

Folquino tranſfertur & reconditur anno DCCCXLVI. *Tranſl. Bert.*

Colitur Bertinus v Septembris. *In Hiſpaniis,* *De triumph.*

triumphus ſanctæ Crucis, ob præclaram victoriam, *S. Crucis.*

quæ per ſymbolum Crucis contra Mauros habita eſt.

XVI *Kal.* *Die* 17.

Martyrum Scillitanorum. IN Cartagine, natalis ſanctorum martyrum Scillitanorum, id eſt Sperati, Nartali, Cithini, Beturii, Felicis, Aquilini, Letatii, Januariæ, Generoſæ, Beſſiæ, Donatæ & Secundæ, ſub Saturnino præfecto, qui poſt primam confeſſionem in carcerem miſſi & in ligno confixi, deinde gladio decollati ſunt.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Carthagine*, jam ferme ad nauſeam dictum eſt. Qui *Scilitanorum* ſcribunt, ut Munerat & Greven. ſatis manifeſte errant. Nodus eſt in expreſſione nominum, quæ quoad aliquos, ferme ubique diverſa eſt. Hieronymiana hîc

prætereo. Sic habet Beda : *In Carthagine, Scillidanorum, id eſt, Marcialis, Cithii, Veſturii, Felicis, Aquilinii, Lactantii, Januarii, Generoſi, Veſtæ, Donatæ & Secundæ.* Ubi vides deeſſe *Speratum*, in reliquis anteſignanum ; haud dubie amanuenſis oſcitantia, cum in Rabano diſerte præponatur. In Actis à Baronio relatis, hoc modo & ordine recenſentur : *Speratus, Narzalis, Cittimus, Veturius, Felix, Acyllinus, Lætantius, Januaria, Generoſa, Veſtina, Donata & Secunda.* In aliis Actis diſcrimen eſt perexiguum. Satis patet, qua ratione ad unam normam hæc omnia reducenda ſint. Ex codicibus noſtris, Munerat. legit, *Narchali ;* Praten. & Molan. *Cythini ;* Herinien. *Beaturii ;* qui & *Letati ;* Praten. & alii plerique, *Letacii*, quorum primitivum *Lætantii* eſſe vix dubito. In *Januarii* vel *Januariæ* variant fere omnes, nos cum Adone ſcripſimus, quod eſt veroſimillimum. Antverp. & Max-Lubec. non male legunt, *poſt primam Chriſti confeſſionem*, at ita legi vetant codices reliqui, nullo excepto. In Greveno & Molano corrupta eſt conſtructio, dum ſic ſcribunt ; *poſt primam confeſſionem in carcere, & in ligno* &c. In textu clara eſt & expedita ſyntaxis. Herinien. ſimpliciter, *Deinde decollati ſunt*, omiſſa voce *gladio.* Sic ſupra neglexi dicere, deeſſe in Munerato nomen *Beſſiæ.* Cetera obſervatu digna non ſunt.

OBSERVATIO. Illuſtris ab omni ævo fuit *Scillitanorum* horum duodecim martyrum triumphus, à Kalendario Carthaginenſi & ab antiquis Martyrologis noſtris certatim celebratus. Jam diximus, amanuenſis vitio in Beda deeſſe *Speratum ;* de cetero ipſum inter & Adonem, quorum priorem ſequitur Rabanus, poſteriorem Notkerus æque ac Noſter, nulla niſi ſolorum aliquorum nominum inflexionis occurrit diſcrepantia, quam facillime reſtitui poſſe ex alterius ad alterum collatione nullo negotio intelligis. Romanum parvum non exprimit ſingula nomina, ſic ſolum ſcribens : *Carthagine, martyrum Scillitanorum, Sperati, Narthali, Cythini, Beturii, Felicis & aliorum* VII. Porro ſeptem illos nominatim adjunxit Ado ex Actis, opinor, vel forte ex Beda ; quod eo facilius crediderim, cum totum ejus elogium adoptet, adjecta in fine tranſlatione, ſuis hiſce verbis : *Horum reliquiæ, cum oſſibus beati Cypriani & capite ſancti Pantaleonis martyris, ex Africa in Gallias tranſlatæ, venerantur Lugduni in baſilica beatiſſimi Ioannis Baptiſtæ.* Sed hanc periocham Noſter, forte dedita opera, omiſit, reliqua omnia Adoniana ad verbum deſcribens ; ut proinde de textu Uſuardino vero & genuino dubitandum non ſit. Multum ſudat Florentinius, ut *Scillitanorum* horum duodecim nomina conciliet cum Actis Proconſularibus, quæ tamquam venerandæ antiquitatis vere pretioſum theſaurum protulit Eminentiſſimus Baronius Tomo 2 Annalium, ad annum CCII num. 2. Nec diffiteor, Hieronymianorum codicum inter Africanos & Aſiaticos martyres confuſionem, tenebras Actis Baronianis offundere, non facile diſſipandas ; imo nec Acta alia, à Theodorico Ruinart inter ſincera & ſelecta edita à pag. 75, ſatis explanare, quæ Florentinio ſcrupulum ingerunt. At enim conſtantiſſima Martyrologorum aliorum auctoritas, Actis illis conformior, ſatis evincit, Scillitanos noſtros duodecim numero fuiſſe, & ſimul Carthagine paſſos, quidquid moleſtiæ creare poſſit modica nominum & adſcriptorum dierum, ab amanuenſibus corruptorum, diverſitas. At nos hîc nihil quidquam determinamus, ſatis ſit difficultates indicaſſe, ſuo loco exigendas. Acta noſtra intelligo, in quibus diſcutienda recurret alia controverſia, quam etiam tangit Ruinartius, de reliquiarum tranſlatione, Martyrum omnium, an aliquorum, Romam, an Lugdunum & inde Compendium, ad regium ſacellum facta ; de qua etiam agit Tillemontius, horum martyrum paſſionem Gallicè deſcribens tomo 3 à pag. 131. Interim ad duodenarii numeri probationem etiam faciunt Wandelberti verſiculi, Scillitanorum martyrum feſtivitatem nitide exprimentes : *Martyrum Scillitanor.*

Sedecimam votis Carthago ſpectat opimis,
Martyrii plebem duodenam læta frequentans,
Scillitana ſimul capiti quos patria miſit.

AUCTARIA.

Alexis. TORNACEN. Quamvis raro auctior, jam unum atque item alterum in principio additamentum habuit. Sic hodiernum textum incipit : *Alexis confeſſoris.* In reliquo textu puriſſimus eſt.

Kenelmi. ANTVERP-MAJ. Textui puro ſuperaddit : *Ipſo die, ſancti Kenelmi regis & martyris.*

Hilarini. PULSANEN. Huc retulit eam textus partem qua die præcedenti caruit ; nempe : *In Hoſtia, paſſio ſancti Hylarini monachi. Qui cum nollet* &c. Sequitur totus textus hodiernus, purus.

ROSWEYD. Poſt textum purum ſubjicit : *Eodem die in Britannia, ſancti Kenelmi martyris.* *Kenelmi.* *Item natale ſanctæ Marcellinæ virginis, ſororis ſancti Ambroſii epiſcopi.* *Marcellinæ.* *Item depoſitio ſancti Theodoſii epiſcopi & confeſſoris.* *Theodoſii.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Primo loco ſic habent : *Romæ via Latina, natale ſancti Alexii confeſſoris.* *De Alexio.* *Qui patre, domo, facultatibuſque relictis, pauperem atque peregrinam aliquamdiu agens vitam, tandem ad domum rediens paternam,*

nam, in eadem toto tempore vitæ ſuæ ſub ſpecie latuit peregrini. Cujus acta & geſta, carta in ipſius manu poſt obitum reperta, omnibus patefecit. Sequitur textus purus.

Textus contractior. CENTULEN. *In Carthagine, ſanctorum martyrum Scillitanorum, id eſt, Sperati, Marchali, Cithini, Beturii, Felicis, Aquilini, Lactarii, Ianuariæ, Generoſæ, Baſſiæ, Donatæ & Secundæ, ſub Saturnino præfecto decollatorum. Antiſiodoro,* *Theodoſii.* *ſancti Theodoſii confeſſoris.*

BRUXELLEN. De Alexio, primo loco, ut ſupra. Tum textus. In fine autem: *Ipſo die,* *Fredegundi. Kenelmi.* *ſancti Fredegundi confeſſoris. Item Kenelini* [Kenelmi] *regis.* Vide infra diſtinctius.

Multa de Alexio. HAGENOYEN. In textu ſatis purus, hæc de Alexio ſubnectit: *Romæ via Latina, depoſitio ſancti Allexii confeſſoris. Qui Allexius filius fuit Euſemiani, primi ex principibus pallacii imperatorum Arcadii & Honorii. Qui Euſemianus dedit Allexio Marinam ſponſam de imperiali ſanguine ortam. Sed ille ſponſam ſuam caſte vivere monuit, & ſic illam & omnia quæ habuit propter Deum reliquit, pauca ſecum ferendo, quæ mox pauperibus tradidit. Pergens ergo Allexius Laodiciam,* XVII *annos apud eccleſiam beatæ virginis, humillime pauper cum pauperibus ille vixit. Poſt hæc à Domino admonetur ut Romam redeat: quod & fecit. Quem pater ejus quaſi pauperem alium, pro ſalute filii ſui in domum ſuam recepit & victum ſibi miniſtravit, ignorans quod filius ſuus fuerit: ubi* XVII *annis manens multas injurias à ſervis patris ſui ſuſtinuit patienter & libenter. Tandem ſentiens ſibi mortem imminere, vitam ſuam in carta ſcripſit manu ſua, & illam in manu ſua tenens obiit, multis clarens poſtea miraculis.*

Kenelmi. Marcellinæ. *In Anglia, ſancti Konelini* [Kenelmi] *pueri regii, innocenter occiſi. Item Marcellinæ virginis, ſororis beati Ambroſii, epiſcopi Audolini.* Non eſt dubium, quin legendum ſit *Mediolani.*

AQUICINCT. In fine: *Eodem die, tranſitus* *Alexis.* *ſancti Alexis confeſſoris.*

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. *Alexii. Marinæ.* *Eodem die, tranſitus ſancti Alexii confeſſoris & Marinæ virginis.* Diceres, hanc conjunctionem indicare, Marinam illam pro Alexii conjuge accipi. Sed vide GREVEN. infra.

MATRIC-CARTUS ULTRAJ. *Alexii confeſſo-* *Alexii.* *ris eximii, Romæ. Sperati & ſociorum ejus martyrum undecim, qui dicuntur Scillitanorum. Mar-* *Marcellinæ* *cellinæ virginis ſororis ſancti Ambroſii.*

VATICAN. num. 5949. *Romæ, natalis ſancti Al-* *Alexii.* *lexii.* Vel, ut BELIN. *Eodem die, ſancti Alexii confeſſoris.* Vide ſupra codices mediæ notæ &c.

FLORENTIN. *Romæ, ſancti Alexii.... anno Domini* CCCXCVIII, *vitæ quinquageſimo primo. Item, ſanctæ Marinæ virginis.* Longiorem de ea hiſtoriam texit GREVEN. quæ etiam aliis tribuitur.

EDITIO LUBECO COL. Incipit: *Commemo-* *DeSeverino* *ratio reliquiarum ſancti patris Severini archiepiſcopi Colonienſis Agrippinæ, confeſſoris, multarum virtutum viri & miraculorum egregii. Romæ via* *Alexii.* *Latina, natale beati Alexii* &c. ut ſex codd. ſupra. Sequitur textus ſatis purus. In fine: *In Anglia, depoſitio ſancti Kenelmi regis Mercio-* *Kenelmi.* *rum & martyris. Mediolano, ſanctæ Marcellinæ* *Marcellinæ.* *virginis. In Dacia, ſanctæ Florentiæ virginis.* *Florentiæ.*

GREVEN. *In Anglia, Kenclini regis Mercio-* *DeKenelmo* *rum & martyris, pueri ſeptem annorum. Quem cum pater Kenulphus moriens, ſororis fidei commiſiſſet alendum, illa regnandi cupiditate, puerum obtruncari fecit: ferturque puerum in ipſa hora hymnum angelicum, Te Deum laudamus inchoaſſe, tuncque percuſſum, cum diceret: Te martyrum candidatus* &c. *Statim vero Romæ ſuper altare beati Petri membrana (columba candida deferente) ſuperne delapſa & necem ſancti martyris & locum ſepulturæ prodidit. In Hungaria, in eccleſia Ni-* *Andreæ &* *trienſi, ſanctorum Andreæ & Benedicti martyrum.* *Benedicti.* *Theodoſii epiſcopi & confeſſoris. Euodii epiſcopi* *Theodoſii.* *& confeſſoris. Fredegandi epiſcopi & confeſſoris.* *Euodii.* *Romæ via Latina, ſancti Alexii confeſſoris. Qui* *Fredegandi.* *patre locupletiſſimo genitus, ſponſam ſortitus eſt* *Alexii.* *nobiliſſimam. Fidei tamen flamma ſuccenſus, omnibus relictis, vitam pauperrimam peregre aliquamdiu agens, tandem reverſus, in domo paterna uſque ad finem vitæ, incognitus permanſit. Mediolani, ſanctæ Marcellæ virginis, ſororis beati* *Marcellæ.* *Ambroſii epiſcopi. In Dacia, tranſlatio ſanctæ Flo-* *Tranſlat.* *rentiæ virginis, diſcipulæ ſancti Hilarii epiſcopi.* *Florentiæ.* *Item ſecundum catalogum Sanctorum, hîc, ſanctæ* *De Marina.* *Marinæ virginis. Quæ mutato habitu monaſterium virorum ingreſſa, de crimine fornicationis falſo accuſata, patientiſſime tulit, pœnitentiamque egit ac ſi rea criminis fuiſſet, cujus ſacrum corpus anno Domini* MCXIII *Venetias tranſlatum, debito cum honore ſervatur. Item commemoratio reli-* *DeSeverino.* *quiarum ſancti Severini Agrippinenſis Coloniæ archiepiſcopi, magnæ ſanctitatis viri. Apud Aquiſ-* *Dedicat.* *granum, dedicatio baſilicæ in honorem glorioſiſſi-* *Baſil. Aquiſ.* *mæ Dei genitricis Mariæ, per Leonem Papam* III, *præſentibus epiſcopis* CCCLXV *aliiſque Patribus quamplurimis. Quæ licet in feſto Epiphaniæ facta fuerit, hîc tamen feſtivius recolitur.*

MOLAN. Addit ex Adone tranſlationem reliquiarum, de qua ſupra. *Eodem die, ſancti Alexii* *Alexii.* *confeſſoris, qui poſt vitam glorioſam atque laudabilem, ſepultus eſt Romæ in monaſterio ſancti Bonifacii Papæ. Canonizatio beatiſſimi patris noſtri Fran-* *Canonizat.* *ciſci. In Mediolano, ſanctæ Marcellinæ virginis.* *S. Franciſci.* *Ipſo die, ſancti Enodii epiſcopi & confeſſoris. Eodem* *Marcellinæ.* *die, dedicatio ſanctæ Mariæ Aquiſgrani. Ipſo die,* *Enodii.* *Fredegundi confeſſoris.* Dein minori charactere: *De baſ. Aq.* *Qui cum ſancto Furſeo venit ex Hybernia, & quie-* *Fredegundi.* *ſcit in monaſterio Dominarum ſuper Sambriam fluvium, non longe à Namurco. In Anglia, Kenelmi* &c. ut GREVEN. uſque ad *obtruncari fecit.* Editio- *Kenelmi.* nes aliæ, de tranſlatione Scillitanorum & Alexio, ut ſupra. Tum: *Ticini, ſancti Enodii epiſcopi & confeſſoris. Mediolani, depoſitio ſanctæ virginis Marcellinæ. In Anglia, ſancti Kenelmi pueri, regis Merciorum & martyris. In monaſterio Argen-* *Fredegandi.* *ton, ipſo die, ſancti Fredegandi confeſſoris.* Caſtellanus in Martyrologio univerſali eum collocat in *Dorne*, potius *Deurne*, prope Antverpiam.

XV *Kal.* *Die* 18.

Guddenes. APud Cartaginem, ſanctæ Guddenes martyris, quæ juſſu Rufini proconſulis, ob Chriſti confeſſionem, quater diverſis temporibus equulei extenſione vexata, & ungularum horrenda lace-

laceratione cruciata, carceris etiam ſqualore diutiſſimè afflicta, noviſſimè gladio cæſa eſt. Civitate Doroſtoro, ſancti Emiliani. *Æmiliani*

Soli ex omni parte puri ſunt *Pulſanenſis* & *Molanus*.

VARIA LECTIO. Lego *Guddenes* cum Romano parvo, Adone & codicibus noſtris melioris notæ. In Antverp-majore male habetur *Guildene*. Roſweyd. poſuit *Gundenes*; Munerat. *Gaudenes*. Romanum parvum binis eam ſertis ornavit, *Virginis*, *Martyris*. Ado ſcripſit *Virginis*, quod & poſuit Molanus. At Pulſanen. cum ceteris codicibus, ſolum tribuit titulum *Martyris*, forte quod Uſuardus de virginitatis laureola dubitaverit. Solus Molanus recte ſcripſit *Æmiliani*, ex ſua, opinor, correctione, nam reliqui codices omnes ſimpliciter legunt, ut eſt in textu.

OBSERVATIO. Romanum parvum hac die Adoni ejuſque ſequacibus ita materiam ſubminiſtravit: *Carthagine, ſanctæ Guddenes virginis, martyris*: quæ nec apud Hie- *Guddener.* ronymum hodie, nec apud Bedam nota eſt. Ado & martyrii tempus & mortis genus exequitur, ex quo ſolam poſtremam partem Noſter adſcivit. De hac annuntiatione ſatis plana ſunt omnia; niſi quis cum Tillemontio tomo 3 pag. 125, *Gaudentum* vel *Gaudentium* Hieronymianorum, ſignatum *in Africa* XXVI Junii, pro hac *Guddene* ſeu *Gudenne* ſeu *Gudente*, accipi poſſe exiſtimet; eòque adducat Auguſtini ſermonem 294 novæ edit. habitum in natali *martyris Guddentis* XXVII Junii, de quo etiam meminit Ruinartius inter ſelecta pag. 197. Eſt autem plane verosimile, quod loco citato conjicit idem Tillemontius, nempe Acta aliqua ſincera olim exſtitiſſe, ex quibus Ado encomium ſuum deſumpſerit, notis conſularibus tam expreſſe diſtinctum; quæ utinam aliquando in lucem producantur! *Emilianus*, vel potius *Æmilianus*, non aliunde quam ex Hieronymianis acceptus videri poteſt, avulſus à pluribus ſociis; quod Uſuardum ſæpius facere ſolitum, alibi ſatis ſuperque oſtendimus. Videantur annotata Baronii, & quæ de inſigni Martyre ex antiquis collegit Tillemontius tomo 7 pag. 354 & 355. Et eatenus quidem concinunt codices noſtri prope omnes; unde indubitata redditur Uſuardi lectio, prout à nobis tradita eſt. *Æmiliani.*

Nunc advertendum, ſignari hac die in Adone, Rabano & Notkero *Arnulfum Metenſem epiſcopum*, a Rabano cum longo, ab Adone cum brevi elogio, quod Uſuardus diſtulit ad XVI Auguſti, ipſiſſima illic Adonis verba referens, ut proinde certum ſit, codices omnes, qui de Metenſi Arnulfo hodie agunt, in hac parte nullo modo eſſe Uſuardinos. Singulorum verba in Auctariis dabimus. Non ita pervium eſt diſcernere utrum Uſuardus Martyrologio ſuo non adſcripſerit *Arnulfum epiſcopum & martyrem*, cujus diſerte meminere Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Munerat. & Greven. codices aliàs notæ optimæ. Et Vincerent quidem hi codices, niſi ea obſtarent, quibus eos deſerere cogimur; exiſtimantes *Arnulfum* illum, nec ſatis propriè *martyrem*, nec ullo modo *epiſcopum*, ab ipſo Uſuardo poſitum non fuiſſe, ſed ab aliis ſuperadditum. Atque ut à Pratenſi incipiam, monuit me in ſæpe adducta epiſtola Clar. Caſtellanus, annuntiationem illam, *In pago Caſtrinſe, ſancti Arnulfi martyris & epiſcopi*, ad primigenium textum minime pertinere, utpote recentiori charactere codici illi plane aſſutam. Quæ Herinienſis habet de *epiſcopatu Turonenſi* (ut inter Auctaria referam) commentitia paſſim cenſentur; iſque præterea ſolus ex ſenſu ſuo loquitur, Remenſis provinciæ proprium, ni fallor, textui Uſuardino attexens. Reliqui aut diverſa phraſi utuntur, ex quo manifeſtiſſime patet negotium adjectitium, aut ex Pratenſi vel id genus manuſcripto aliquo ſua ipſi accepere, atque adeo fonte ſuo puriora non proferunt. Porro codices noſtri alii, cum Pulſanenſi & Molano optime conveniunt, eſſentque puri, niſi in *Arnulfo Metenſi*, aut alio excederent. Notavit pridem Baronius ad hanc diem, qua *Metenſem* Romano inſeruit, ab Uſuardo, ut diximus, XVI Auguſti collocatum; notavit, inquam, nonnullam inter Arnulfos confuſionem occurrere; quod mirum, fieri potuiſſe inter *Metenſem* & *Sueſſionenſem*, tot ſeculis disjunctos. Verosimilius eſt confuſos fuiſſe & confundi à modernis Arnulfum *Aquilinenſem* ſeu *Avellinenſem*, de quo hîc diſputamus, cum altero Arnulfo *Muſſipontano*, ſeu *Muſſipontum* tranſlato, quorum fortaſſe etiam Acta, quæ & varia & ſatis miranda circumferuntur, facile commixta fuerint, & alterius alteri adſcripta; de quo hîc nihil vacat diſcernere: nodos tangimus, in opere magno ſolvendos. Ad præſens quod attinet, problema eſſe poſſit, quem *Arnulfum* Beda indicare voluerit, dum ita hac die ſcripſit: *Natale ſancti Arnulfi confeſſoris.* Ad quæ Florus ibi: *Cujus vita maximæ exſtitit ſanctitatis.* Metenſem hîc appellari non videtur probabile, cum Arnulfi illius dignitatem Beda haud dubie non ignoraverit. Non diffiteor tamen etiam epiſcopos à Beda, ſolo quandoque *confeſſoris* titulo decorari, ut videre eſt XXVIII *De variis Arnulfis.*

Maii de S. Germano, VIII Junii de S. Medardo &c. Jam vero *Confessorem* simpliciter dici, *Aquilinensi* nostro non magis quadrare contendes. At certe quidquid hîc à Beda & Floro asseritur, de eo prædicari nihil magnopere vetat, rescissis & *martyris* & *episcopi* titulis, qui, an merito ipsi tribuantur, ut minimùm saltem incertum est. Nisi magis placeat Arnulforum distinctio, sic ut *Castrensis* vel *Aquilinensis* noster à latronibus cæsus, pro *martyre* habeatur, alius vel alii, solo *confessoris* titulo gaudeant, unde orta sit tanta sacrarum reliquiarum sub eodem nomine multiplicatio, quæ etiam ex diversis positionibus, seu locorum nominibus accrescere potuit. Sed hæc iterum Actis reservanda sunt.

De septem Tiburtinis. Huc etiam spectare possent celeberrimi *fratres* VII *Tiburtini*, aliis plane nominibus ab Hieronymianis & Notkero hac die signati, quam nos XXVII Junii retulerimus. Verum cum hæc ad Usuardum hoc loco nihil faciant, frustra iis componendis hîc immoraremur; præterquam quod satis & abunde ad prædictam diem de ea controversia actum censeamus, plura in Actis dicturi. Wandelberti versiculos, supra indicatos, vide apud Molanum. Reliqua ad hosce Martyres pertinentia, in Auctariis reperientur.

AUCTARIA.

Arnulfi. PRATEN. Jam ejus verba dedimus; ubi pro *Castrensi*, notabis *Castrinse*, & præter morem, *martyris & episcopi.*

Arnulfi Aquilinen. HERINIEN. Alia plane phrasi utitur: *Ipsa die, in silva, quæ Equilina dicitur, festivitas beati Arnulfi pontificis Turonensis & martyris, qui contemporalis & discipulus fuisse noscitur beati Remigii.* Silva illa, quæ dicitur *Aquilina*, vocatur Gallicè *Yveline*. Vide Castell.

Brunonis. Arnulfi. TORNACEN. Incipit: *Brunonis* [aliàs *Bruni*] *episcopi & confessoris. In pago Castrinse, sancti Arnulfi episcopi & martyris.* Sequitur annuntiatio prima, deest altera de Æmiliano.

Arnulfi M. ANTVERP-MAJ. Textui puro adjungit: *Eodem die, sancti Ernulfi martyris.* Ubi adverte diversum ab aliis loquendi modum.

de Arn. Met. ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. In fine post textum purum: *Apud civitatem Metensium, sancti Arnulfi episcopi, qui sanctitate & miraculorum gratia illustris, heremiticam vitam diligens, beato fine quievit.* Quæ verba, ex Adone accepta invenies, XVI Augusti.

Arn. E. & M MUNERAT. Etiam in fine, sed diversa rursus phrasi: *Eodem die, natalis sancti Arnulfi episcopi & martyris.* Vide superius Observationem.

De eodem. GREVEN. Proxime PRATENSI accedit: *In pago Castrensi, sancti Arnulfi episcopi & martyris.*

Arn. Meten. ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. & LOVANIEN. Referunt textum purum, cui subnectunt: *Civitate Metensium, sancti Arnulphi episcopi, qui sanctitate* &c. ut supra ex Adone. In fine: *Eodem die, sancti Frederici Trajectensis episcopi & martyris.*

Frederici.

Symphorosæ & 7 filior. ALBERGEN. & DANIC. Primo loco ponunt: *Apud Tiburtinam urbem Italiæ, natale sanctæ Simphorosæ cum* VII *filiis* &c. ut vide sis XXVII Junii. Sequitur textus, & in fine, de Arnulfo Metensium episcopo, ut supra.

Arn. Aquil. CENTULEN. *In Francia, castro Crispeio, natale beati Arnulfi, Turonicæ sedis episcopi, quem tradunt discipulum fuisse beati Remigii Remensium pontificis, à quo scilicet remeans, ab impiis peremptus est.* Vide citatum Castellanum.

Oct. Bened. *Ipso die, octava sancti patris Benedicti abbatis.*

Arn. Aquil. Frederici. BRUXELLEN. Principio anticipat festum Justæ & Rufinæ, de quibus vide die sequenti. Sequitur de Guddene & Æmiliano satis pure. Tum: *Apud silvam Aquilinam, sancti Arnulfi episcopi & martyris. Apud Trajectum inferius, natale sancti Frederici episcopi & martyris. Qui mandato imperatricis* [potius ab incestuosis insulanis Walacrensibus] *pro justitia legis divinæ occisus est; multis clarus miraculis. Remis, translatio sancti Nycasii episcopi & martyris.*

Translat. Nicasii.

HAGENOYEN. Huc refert Esdram prophetam, de quo nos supra XIII Julii, cui elogium more suo ex sacris paginis conceptum adscribit. Sequitur totus textus. Deinde: *In civitate Metensi, depositio sancti Arnulfi ejusdem civitatis episcopi*, cum longiori elogio, quod in ipsis Actis legi mavelim. Tum: *In pago Castrensi, sancti Arnolfi episcopi & martyris. Apud Trajectum, sancti Frederici episcopi & confessoris.* Nescio cur & hic non æque martyr appelletur.

Arnulfi Met. *Arn. E & M Frederici.*

Arnulfi. Oct. Bened. AQUICINCT. In fine: *Castello Crispiaco, sancti Arnulfi archiepiscopi & martyris.* Idem est, opinor, de quo CENTUL. *Octava sancti Benedicti abbatis.*

Arn. Met. Severini. VICTORIN. *Civitate Metensi, sancti Arnulfi episcopi & confessoris. Ipso die, sancti Severini confessoris. Octava sancti Benedicti abbatis.*

Arn. & uxor Frederici. DAVERONEN. *In pago Castrensi, qui dicitur Sylva Aquilina, natalis beati Arnulphi episcopi & martyris, cum uxore sua Scariberga.*

Arn. E & M MATRIC-CARTUS. ULTRAJECT. *Frederici episcopi Trajectensis, martyris. Requiescit ad sanctum Salvatorem. Arnulphi episcopi Turonensis, martyris. Gudenes, quæ multa sustinuit.*

Clari. CODEX BIGOTIAN. tertius, sub nota D. 9. *Item, sancti Clari martyris.* Quæ alia manu adjecta sunt. Colitur hic hodie Parisiis, sed alibi die natali proprio, IV Novembris.

Veterini. REG. SUEC. signatus num. 130. *Ipso die, sancti Veterini confessoris.*

Arn. Met. In VATICAN. num. 5949. Deest Æmiliani. Adjicitur Symphorosa cum VII filiis. *Item sancti Arnulfi Metensis*, ut supra.

Raphilli. Roberti. FLORENTIN. *In Tuscia, sancti Raphilli archiepiscopi Ravennensis. Beati Roberti confessoris de Salle, Ordinis Cælestinorum.*

Transl. Arn. CODEX MONTIS SANCTI. *Translatio sancti Arnulfi Metensis episcopi, qui sanctitate vitæ & miraculorum gratia* &c.

Transl. Odil. Symphor &c. EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *In Hoya, territorio Leodiensi, translatio sanctæ Odiliæ virginis & martyris de civitate Colonia, ex nobili illa societate undecim milium virginum. Apud Tyburtinam urbem Italiæ, sanctæ Symphorosæ* &c. Sequitur de Guddene, pure. Tum: *Apud Silvam Aquilinam, sancti Arnulfi episcopi Turonensis & martyris. Civitate Metis, sancti Arnulphi episcopi & confessoris. Qui sanctitate* &c. *Civitate Dorostoro, sancti Emiliani confessoris. Trajecto inferiori, passio beati Frederici episcopi & martyris. In territorio Juliacensi, villa Arnswilre, natale*

Arn. E & M Arn. Meten. Frederici.

Arnoldi. Eadburgæ. *natale beati Arnoldi citharedi Karoli magni & confeſſoris. Eodem die, ſanctæ Eadburgæ virginis.*

BELIN. Incipit à Symphoroſa &c. Tum de Arnulfo Metenſi. Poſt de Æmiliano. Dein: *Eodem die, ſancti Aquilini epiſcopi. Ipſo die, ſancti Materni epiſcopi & confeſſoris. Apud Cartaginem, ſanctæ Gudenis martyris.*

Aquilini. Materni.

GREVEN. *Eugenii Papæ* II *& martyris. Qui à laicis Romanis excæcatus & occiſus, ſepultus eſt apud ſanctum Petrum. In Trajecto inferiori, ſancti Frederici epiſcopi & martyris. Qui cum zelo juſtitiæ illicitas nuptias Ludovici imperatoris argueret, alteram expertus Herodiaden, martyrio coronatur.* Vide quæ diximus in BRUXELLEN.

Eugenii II. Frederici.

Anſweri. Clari. Aquilini. Materni. Tr. Arn. Met Arnoldi. *Anſweri martyris & ſociorum ejus. Clari martyris. Aquilini epiſcopi. Materni epiſcopi & confeſſoris. Metis, tranſlatio ſancti Arnulfi epiſcopi & confeſſoris. In territorio Juliacenſi, pago Arnswilre, natale beati Arnoldi, citharedi Karoli magni & confeſſoris, multæ erga pauperes pietatis viri. Secundum aliquos hic Symphoroſæ cum*

Symph. &c *filiis ſuis, de quibus ſupra* v *Kal. Julii. In Hoia, territorio Leodienſi, tranſlatio ſanctæ Odiliæ virginis & martyris, ex ſocietate* XI *milium virginum. Eodem die, ſanctæ Eadburgæ virginis.*

Tranſl. Odil. Eadburgæ.

MOLAN. *Apud Tyburtum civitatem Italiæ* &c. *Apud civitatem Metenſium* &c. *Eodem die, ſancti Aquilini epiſcopi. Mediolano, ſancti Materni epiſcopi & confeſſoris.* Deinde ex Adone vel ejus apud Roſweydum appendice. *Brixiæ, depoſitio S. Philaſtrii ipſius civitatis epiſcopi. Qui cum fuiſſet preſbyter ordinatus, ductus amore Dei, relictis omnibus, univerſum pene ambitum circuivit orbis, quatenus ſecutus veſtigia Pauli Apoſtoli, per ſingula loca animas fraude diaboli deceptas, de ſempiterno ſuis prædicationibus liberavit interitu. Unde non ſolum contra gentiles atque Judæos, verum etiam contra omnes pene hæreſes & maxime contra Arrianam perfidiam, quæ tunc nimium prævalebat, fidei vigore pugnavit, & ob hoc verberibus caſtigatus, ſtigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuo portabat in corpore. Nam & in Mediolanenſi urbe, idoneus cuſtos Dominici gregis fuit, & Auxentio Arrianæ perfidiæ epiſcopo, priuſquam beatus Ambroſius eligeretur, divina gratia fultus, nimium repugnavit. Romæ etiam non exiguo tempore demoratus, multos & publica & privata diſputatione eſt in fide lucratus. Et quia valde hæreticos impugnabat, voluit de eorum ſingulis ſectis atque doctrinis nefandiſſimis librum componere, quatenus ſingularum hæreſum errore patefacto, nullus ab eis ſaltem ſimplex in eccleſia conſtitutus comprehendi poſſit. De quo beatus Auguſtinus ita dixit: Philaſter Brixienſis epiſcopus, in prolixiſſimo libro, quem de hæreſibus condidit, centum viginti octo hæreſes arbitratus eſt computandas. Item Trajecti, Frederici, ejuſdem loci epiſcopi & martyris. Qui innocens à nocentibus pro veritate occiſus eſt ante ſanctum altare Dei, poſt Miſſæ celebrationem; ſepultus eodem loco. In pago Caſtrenſi, ſancti Arnulphi epiſcopi & martyris Turonenſis.* Tum minoribus typis, de Arnoldo cytharædo, ut GREVEN. *Eodem die, natalis beati Theodorici Metenſis epiſcopi, conſobrini Othonis primi. In Nortmannia, ſancti Clari monachi & martyris, de cujus paſſione extat ſermo Nicolai de Niſe.* Hæc in prima editione. Aliæ textui præfigunt: *Apud Tiburtinam* &c. In fine, de Æmiliano, additur *martyris. Et ſancti martyris Hiacynthi in Anaſtride.* De Arnulfo Metenſi, ut ſupra. *Ipſo die, ſancti Materni epiſcopi & confeſſoris in Mediolano.* De Arnulfo Caſtrenſi, habet ferme ut HERINIEN. De Frederico Trajectenſi, ut in priori editione. *Brixiæ, depoſitio ſancti Philaſtrii, ipſius civitatis epiſcopi, qui contra omnes pene hæreſes, & maxime contra Arrianam perfidiam, quæ tum nimium prævalebat, fidei vigore pugnavit, & ob hoc verberibus caſtigatus, ſtigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuo portabat in corpore.* De Odilia Huienſi, de Arnoldo cytharædo, de Theodorico Metenſi epiſcopo, & Claro, ut ſupra.

De Frederico *Arn. E & M.* *Theodorici.* *Clari.* *Hyacinthi.*

de Sym. & fil Arnul. Met. Aquilini. Materni. De Philaſtr.

XIV *Kal.* *Die* 19.

NAtalis ſancti Epafræ, qui à beato Paulo Coloſſis ordinatus epiſcopus, clarus virtutibus, ibidem martyrii palmam pro ovibus ſibi commendatis virili agone percepit. Apud Thebaidem, ſancti patris noſtri Arſenii, de quo in verbis ſeniorum refertur, quia propter redundationem lachrymarum tergendam, ſudarium ſemper in ſinu vel in manu habuerit. In Hiſpania civitate Hiſpali, paſſio ſanctarum Juſtæ & Rufinæ, quæ à præſide Diogeniano comprehenſæ, primo equulei extenſione & ungularum laniatione vexatæ ſunt, poſt carcere, inedia & doloribus afflictæ, tandem Juſta in carcere ſpiritum exhalavit, Rufinæ cervix confracta in confeſſione eſt.

Epaphræ. *Arſenii.* *Juſtæ & Rufinæ.*

Conſonant *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp. Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Quibus accedunt *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Albergen.* & *Danicus.*

VARIA LECTIO. *Epaphræ*, recte formant Pulſanen. Greven. & Molan., ſequor in textu reliquos omnes. *Coloſis* habent aliqui, Herinien. *Colöſenſis*, melius ceteri, uti nos ſcripſimus. Munerat. adjecit titulum *martyris. Beati Paulo, Thebaidam, ſervorum* pro *ſeniorum, lacrimarum* & *lachrimarum, exalavit* &c. facile corrigi poſſunt. Belin. & Molan. cum mediæ notæ codicibus, poſt *ſancti*, omittunt *patris noſtri.* Item pro *redundationem*, habent

cum Greveno *redundantiam*, vel ut Antverp. & Max-Lubec. *redundanciam*; probatiores codices Adonem ſecuti ſunt & nos etiam in textu. Belin. & codices recentiores quinque à phraſi Bedæ & Adonis recedunt, dum pro *habuerit*, legunt *habuit*. Greven. & Molan. ſingulares nonnumquam ſunt, ut ſupra ſæpius patuit; hîc ſoli pro *Hiſpania*, ſubſtituunt *Hiſpaniis*. Item, *poſt in carcere inedia & tortionibus afflictæ*. Demum, *Rufinæ cervix confracta eſt in confeſſione Domini*. Hæc, inquam, propria ſunt Greveno & Molano, in quibus hic alterum deſcripſit. Ceterum, *In Hiſpania*, codices omnes unanimiter legunt, in altero nonnihil variant. Herinien. legit; *poſt carcerem, inedia & doloribus afflictæ*. Antverp-maj. *poſt carceris* &c. Major numerus cum Antverp. & Max-Lubec. *poſt carceris, inedia & variis doloribus*. At vero phraſis Adoni conformior eſt, quæ ex Pratenſi & Munerato in textu ſumitur. Demum Herinien. ponit, *cervix confracta in confeſſione Domini eſt*. Antverp-major, *cervix in confeſſione confracta eſt*; omnes quidem ſyntaxi bona, ſed ubi de Uſuardi modo loquendi quæritur, is præferendus videtur, qui Adoni proximus eſt, qualem habet Praten. Munerat. Belin. Antverp. & Max-Lubec. cum ceteris, quos textui prælucere maluimus.

OBSERVATIO. Quam magna hac die codicum noſtrorum conſonantia, tam clara totius textus ex Adone transfuſio. Hieronymiana ex mente Florentinii nihil habent quod huc ſpectet, quamvis tamen Hiſpanienſem *Juſtum* illic poſitum', pro *Juſta* accipi nihil magnopere impediat, præſertim cum *Juſtæ* diſerte ſcripſerit Corbeienſe. Nam quod ab Notkero rem decidi putat Florentinius, haud ſatis probare queo, niſi cum ipſo eodem auctore duos Juſtos hac ipſiſſima die in Hiſpaniis recenſendos exiſtimet, quod quam ſit veroſimile, ſuo loco intelliges. Interim Romanum parvum ſic hodie breviſſime: *Hiſpali, ſanctorum Juſtæ & Rufinæ*. Beda *Arſenium* nominat, & poſt eum Rabanus, iiſdem omnino terminis, quibus Ado utitur. En modo laterculi geneſim. *Epaphræ* elogium ex Feſtivitatibus Apoſtolorum à Noſtro ad verbum tranſumptum eſt. Patet potiorem partem ex Pauli epiſtolis acceptam eſſe; verum unde Adoni conſtiterit, Epaphram Coloſſis *martyrii palmam virili agone percepiſſe*, fateor me necdum reperiſſe; nec id invenit Tillemontius tomo 1 in vita Pauli articulo 44, à pag. 292. Sed hæc alterius loci ſunt. Arſeniana jam dixi Bedæ & Adonis eſſe communia, ab Uſuardo etiam tranſcripta. Uberiori elogio exornari poterat Arſenius, ex ipſo illo fonte quem Viennenſis attingit. At hæc nobis relicta ſunt, in Actis fuſius deducenda ex Vitis PP. aliiſque ſcriptoribus Metaphraſte ſincerioribus, quorum varias narrationes, ordine diſpoſuit Tillemontius tomo 14 à pag. 676. Wandelbertus ſoli Arſenio metricum elogium aptavit:

Epaphræ. Arſenii.

Arſenius quartam denamque eremita venuſtat.

Denique *Juſtæ* & *Rufinæ* laudatio, licet hinc inde nonnihil contracta, tota ex Adonis verbis conflata eſt. Educta, procul dubiò, ex antiquioribus Actis, quorum ſelectam medullam extraxiſſe videtur Maldonatus, ut habes apud Surium hoc die. Mirum autem cur à Notkero, tam fideli Adonis imitatore, *Epaphras* prætermiſſus ſit, ejuſque loco ſubſtituti alii, non ſatis undequaque cogniti, ne quidem apud codices Hieronymianos, quantumvis auctos. At de hoc tantopere nobis laborandum non eſt, ubi ex ſupradictis certiſſima textus origo ſimpliciter & manifeſte pateſcit.

Juſtæ & Rufinæ.

AUCTARIA.

TORNACEN. Incipit: *Apud Thebaidem* &c. tum de Epaphra, reſciſſo utrobique elogio. Cetera purus.

ROSWEYD. Augetur in fine, his verbis: *Lugduno, Ruſtici presbyteri.*

Ruſtici.

PULSANEN. In Epaphra & Arſenio purus, ſilet de duabus ultimis Juſta & Rufina.

LOVANIEN. In duabus primis purus, reſcindit elogium Juſtæ & Rufinæ.

CENTULEN. In prima ſatis purus, ſic pergit: *Eodem die, ſancti patris noſtri Arſenii, vita & moribus Chriſto Domino per omnia digni. In Hiſpaniis civitate Hiſpali, ſanctarum Juſtæ & Rufinæ, quæ à Diogeno præſide comprehenſæ, gravi cruciatu dilaniatæ ſunt.*

BRUXELLEN. Denuo anticipat: *In Judea, natale beati Joſeph, qui cognominatus eſt juſtus, & cum beato Mathia ſub Apoſtolica ſorte ſtatutus; quique prædicationis officio inſerviens, multamque pro fide Chriſti perſecutionem ſuſtinens, venenum fertur bibiſſe, ex quo nichil triſte pertulerit; ſed victorioſo fine in pace quievit. Coloſis, natale ſancti Ephire. Qui à beato Paulo Colocenſibus ordinatus epiſcopus, clarus virtutibus, ibidem martyrium pro ovibus ſibi creditis, virili agone percepit. Apud Tyburtinam Italiæ, natale ſanctæ Symphoroſæ cum ſeptem filiis. Quæ ſuſpenſa crinibus, & poſt alligata ſaxo, in fluvium præcipitata eſt. Deinde filii per varia tormenta martyrizati ſunt omnes.* Hæc etiam hac die non ſatis apte referuntur. Sequitur: *Apud Thebaidem, ſancti patris Archenii. Qui ex inſigni ſenatore, in heremo factus eſt monachus.* De *quo in verbis ſeniorum refertur, quia propter* &c. In fine: *Apud Trajectum inferius, depoſitio ſancti Barnulphi epiſcopi & confeſſoris.* In GREVEN. vocatur *Bernoldus.*

De Joſeph.

De Symph. & 7. filiis.

Barnulfi.

HAGENOYEN. In prima ſatis purus eſt. Deinde: *Apud Thebaidem, depoſitio ſancti patris noſtri*

Mira de Arſenio. *ſtri Arſenii, fratris ſancti Eufemiani, patris ſancti Allexii. Qui quando in ſeculo erat, imperialibus ſaltem veſtibus erat indutus, & nimis erat delicatus, & Theodoſio imperatori erat cariſſimus, ita ut duos ejus filios de ſacro fonte levaret. Et hic poſt converſionem erat abſtinentiſſimus, & veſtibus omnium viliſſimus. Et ideo ſicut Daniel propheta, ſpiritu prophetiæ claruit. De quo refertur in verbis ſeniorum, quia propter* &c. In Juſta & Rufina ſatis purus eſt.

Tranſlat. Sambariæ. AQUICINCT. Subjungit in fine proprium loci, hoc modo: *Aquicinctii, tranſlatio ſanctæ Sambariæ virginis & martyris.* Sed hæc ſunt à recentiori manu, ut in apographo notatur.

Invent. Gerv & Pr. VICTORIN. & REG SUEC. ſub nota num. 130. *Mediolani, inventio ſanctorum Gervaſi & Protaſii.* Vide de his Uſuardum XIX Junii, & Acta eo die, in quibus de his fuſius agitur.

Textus contractus. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Juſtæ & Rufinæ. Arſenii confeſſoris & ſolitarii, dudum Senatoris Romæ. Epaphræ epiſcopi Coloſſenſis, diſcipuli beati Pauli Apoſtoli.*

Eliæ. In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Arſenii.* Adjicitur: *Aſſumptio ſancti Eliæ prophetæ.*

Euticii & ſociorum. FLORENTIN. *Apud Spoletum, paſſio ſanctorum martyrum Euticii, Britii, Joannis, Teudilii, Iſaach, Laurentii, Herculani & Parietalis. Quorum capita Martianus tyrannus juſſit truncari & inhumata corpora eorum derelinqui. Sed quædam inclita matrona vidua, illa condidit in prædio ſuo in cœmiterio Pontiano, non longe ab urbe prædicta, ut habetur in geſtis ſancti Proculi* (in excuſo eſt *Pauli*) *epiſcopi & martyris. Nomina vero eorum ſunt hæc Euticius.... Theudila.... Severæ. Treveris, ſanctæ Severæ virginis.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Coloſis, ſancti Epafræ epiſcopi & martyris; qui a beato Paulo* &c. Reliqua totius textus ſatis pura ſunt. In fine additur: *Treveris, beati Martini epiſcopi & martyris. Conſtantinopolim, ſanctæ Dariæ virginis. Lugduno Galliæ, depoſitio beati Ruſtici epiſcopi & confeſſoris.* *Martini. Dariæ. Ruſtici.*

GREVEN. *Treveris, beati Martini, primi ejusdem urbis epiſcopi & martyris. Simmachi Papæ. Lugduni Galliæ, ſancti Ruſtici epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Juſti. Conſtantinopoli, ſanctæ Dariæ virginis. Item beatæ memoriæ, Bernoldi epiſcopi Trajecti inferioris & confeſſoris.* *Martini. Symmachi. Ruſtici. Juſti. Dariæ. Bernoldi.*

MOLAN. In prima editione nulla habet Auctaria. In poſterioribus hæc pauca adjungit; *Treviris, beati Martini, decimi ejuſdem urbis epiſcopi & martyris. Eodem die, Symmachi Papæ. Die decima nona, ſancti patris Dii, Et ſanctæ Macrinæ, ſororis magni Baſilii.* Notandum, quod in harum editionum textu litteris Italicis poſt *Juſtæ & Rufinæ quæ*, inſerantur hæc verba; *vendentes vaſa fictilia*, citato ad marginem Officio Sanctorum Hiſpaniæ, Maldonato & Surio, ex quibus videlicet illa accepta ſunt. In priori ſignatur lectio 2 Burgenſis eccleſiæ. *Martini. Symmachi. Dii. Macrinæ.*

XIII *Kal.* *Die* 20.

NAtalis beati Joſeph, qui cognominatus eſt juſtus. Hic prædicationis & ſanctitatis officio inſerviens, multamque pro fide Chriſti perſecutionem à Judæis ſuſtinens, victorioſiſſimo fine in Judæa quievit. De quo refertur, quod venenum biberit, & nihil ex hoc triſte pertulerit, propter Domini fidem. Apud Damaſcum, ſanctorum Sabini, Maximi, Juliani, Macrobii, Caſſii, Paulæ, cum aliis decem. Civitate Corduba, ſancti Pauli diaconi & martyris. *Ioſeph.* *Sabini & ſociorum. Pauli.*

Puros cenſemus *Herinien. Max-Lubec. Antverp-max.* & *Lovanienſem.*

VARIA LECTIO. Sunt qui legant, *prædicationis officio & ſanctitatis inſerviens*, melior eſt textus noſtri conſtructio, ubi *inſerviens* cum Adone, non *ſerviens*, ut alii. In omnibus Damaſcenorum hic eſt ordo: *Sabini, Maximi, Juliani* &c. Soli Greven. & Molan. ita vertunt: *Juliani, Sabini, Maximi*: procul dubio ex diverſitate codicum Hieronymianorum, de qua vide Florentinium. Herinien. pro *Macrobii*, male ſcripſit *Macrabii*, ut alii *Pauli*, pro *Paulæ* &c. Alia in proxime ſequenti Obſervatione expediuntur.

OBSERVATIO. Circa primam & ſecundam textus noſtri annuntiationem nulla prorſus difficultas ſuſcitari poteſt. *Joſeph* ab auctore Romani parvi ſacris Faſtis primum inſertus, ita ibi prædicatur: *Joſeph, qui cognominatus eſt juſtus, qui à Judæis pro Chriſto multa perpeſſus, victor in Judæa quievit.* Ado elogium auctius reddidit, à Notkero deſcriptum. Noſter, ut ſemper aſſolet, dum textus Adoniani paulo diffuſiores ſunt, ſumma rerum capita eleganter compegit. Quod autem de hauſto innoxiè veneno dicitur, ex Rufini Euſebio lib. 3 cap. 28 deſumptum exiſtimo. Cetera ex Actis, aut Patrum traditione colligenda ſunt, ut fecit Tillemontius tomo 1 variis locis, ſed maxime pag. 119, quæ in Actis noſtris accuratius diſcutientur. *Martyres Damaſceni*, ut hîc ſignantur, ita ex Hieronymianis accepti ſunt ab Adone, ex quo in Noſtrum & Notkerum transfluxere. De nonnulla, inter vetuſtiſſimum Epternacenſem & reliquos Hieronymianos codices diſcrepantia, agit Florentinius, quem curioſus lector conſulat. *Joſeph.* *Sabini & ſociorum.*

Hactenus certe ſibi conſtat Uſuardina veritas, ex conſenſu codicum omnium: vene-
De Praten. aliiſque cod. num aut diſcrimen in cauda latet. Ut autem clare & ordine procedam, verba Pratenſis codicis primum recito. Addit ille poſt præfatas binas commemorationes: *In Pago Bononienſi, ſancti Ulmari confeſſoris.* Quibus ſubjungit ecgraphum noſtrum: *Eodem die, ſanctæ Margaritæ virginis & martyris*, ſic tamen ut ex ſubvirgulatione facile intelligam, ea verba ex margine in textum traducta, quod ſubinde confirmavit oculatus inſpector Clar. Caſtellanus, aſſerens recentiori manu eo loci ſcriptum eſſe, non *Margaritæ*, ſed hoc pacto: *Eod. die, ſcæ Marinæ virg. & mr.* Unde & qua ratione *Marina* illa cum *Margarita* confundi poſſit, dicere cœpimus ad XVIII Junii, ſed ut candide fatear, operoſioris diſquiſitionis eſt, quam ut hîc indagetur. Impræſentiarum ſit ſatis, oſtendiſſe annuntiationem illam antiquis Martyrologis incognitam, in codicibus Uſuardinis plane eſſe adjectitiam, atque adeo à puritate deficere codices omnes quotquot illam adoptant, ut ſunt, Antverp-maj. Antverp. Munerat., Greven. & alii. Reſtat ſolvendus nodus in *Vulmaro*, quem jam ferme XVII Junii, ex toto præcidimus. Hîc ſolum accedet Caſtellani obſervatio, ita Gallice ad me ſcribentis: *Le* 20 (Julii) *finit par une rature, ſur laquelle eſt recrit d'une main tres ancienne: In pago Bononienſi* &c. Quod ſignificat, annuntiationem prius illic poſitam, eraſam eſſe, & quæ modo apparet, vetuſtiſſima manu ei inſcriptam. Meminiſſe oportet ad XVII Junii in eodem codice expunctum *Vulmarum*, eique ſubſtitutum *Gundulfum Bituricenſem* (ut in ſimilibus non ſemel factitatum alibi oſtendimus;) & ſic manifeſte comperiemus, correctorem illum, quiſquis fuerit, hac die *Paulum Cordubenſem* exſculpſiſſe, ut eò *Vulmarum* transferret, quem ob ſpatii anguſtias Adoniana phraſi non potuit exprimere; uti nec codices alii in ea annuntiatione conformes ſunt.

Hinc modo conjice, reſtituendam loco ſuo annuntiationem *Pauli*, à nobis idcirco in
Pauli. textu poſitam, prout eam diſerte ſignant citati ſupra codices quatuor, & præterea Tornacen. Antverp. Munerat. Greven. Ultraject. cum aliis codicibus & extractis. Molanus, qui in prima ſua editione de Vulmaro recte egerat XVII Junii, merito hac die eum prætermiſit; ſed cur *Paulum* neglexerit, non ſatis perſpicio; multo minus cur in editionibus aliis utrumque poſuerit: ubi immemorem ſui diceres, niſi in annotatione, neſcio quam hujus duplicitatis cauſam indicaret. Nobis itaque, perpenſis omnibus, dubium non eſt, quin *Paulus*, à ſancto Eulogio lib. 2 Memorialis cap. 6, egregie celebratus, cum pluribus aliis martyribus Cordubenſibus, quos in Hiſpania Uſuardus collegerat, inde in Franciam allatus, & hoc die, martyrii ejus proprio, non vero *Vulmarus*, conſignatus ſit, ut proinde vindicatam putemus primigeniam & germanam Uſuardi ſimplicitatem.

AUCTARIA.

DE Pratensi codice jam diximus. Ei in augmentis de more ſimilis eſt Antverp. major.

Tornacen. Incipit: *Margaretæ*
Margaretæ. *virginis.* In elogio Joſephi mutilus eſt, à *de quo refertur* &c. Cetera purus.

Rosweyd. In fine ſolum habet: *In pago*
Vulmari. *Bononienſi, ſancti Wlmari abbatis & confeſſoris.* Malo ego cum aliis ſcribere *Vulmari*.

Antverp. & Ughellian. De Margarita ſic habent: *Apud Antiochiam, paſſio beatæ Mar-*
Margaritæ. *garitæ virginis & martyris.*

Munerat. Textui puro ſubdit: *Eodem die, ſanctæ Margaretæ virginis & martyris.*

Belin. Habet etiam textum purum, ſed
De eadem. addit: *Apud Antiochiam, paſſio beatæ Margaritæ*
Octavæ Bonavent. *virginis & martyris. Item eodem die, Octava ſancti Bonaventuræ epiſcopi & confeſſoris, Ordinis Minorum.* Similia feſta hîc ſæpius notantur.

Greven. Poſt textum purum ſolus in ipſo
Arnulfi C. textu adjungit: *Ipſo die, ſancti Arnulphi confeſſoris*, ſine characteriſtica, unde dignoſcatur.
Margaretæ. Deinde: *Eodem die, ſanctæ Margaretæ virginis & martyris.* Vide ſuperius Obſervationem.

Molan. Deficit, ut ſupra dictum eſt, in annuntiatione Pauli martyris Cordubenſis.

Ultrajectin. Leyden. Alberg. & Danic. Textui puro ſuperaddunt: *Treveris ſanctæ*
Severæ. *Severæ virginis, ſororis ſancti Monowaldi, ejuſdem loci epiſcopi.* Vide infra cod. Bruxell. &c.

Centulen. *Natale beati Joſeph, qui Juſtus cognominatus eſt, quibus* [quique] *corpus Dominicum in ſepulcro proprio meruit ſepelire.* Satis patet confuſio. In Damaſcenis, purus eſt, niſi quod pro *Maximi*, ſcribat *Maximini*. *In Thebaide, ſancti Victoris. Cordubæ, ſancti Pauli dia-* *Victoris.*
coni & martyris. In pago Bolonienſi, ſancti Vulmari *Vulmari.*
abbatis. In margine autem nova plane manu adjectum legitur: *Apud Antiochiam, paſſio ſanctæ Margaritæ virginis & martyris.*

Bruxellen. De beato Joſeph, locutus eſt die præcedenti. Porro in Damaſcenis & Paulo purus, ſubdit: *In pago Bononienſi, depoſitio ſancti Vulmari presbyteri & confeſſoris. Treveris,* *Vulmari.*
ſanctæ Severæ virginis, ſororis ſancti Modoaldi, *Severæ.*
ejuſdem loci epiſcopi. Apud Antiochiam, beatæ *Margaritæ.*
Margaretæ virginis & martyris.

Hagenoyen. Sic incipit: *In Judea, depo-* *De Joſeph.*
ſitio beati Joſeph, qui cognominatus eſt Juſtus. Hic erat filius Alphei & Mariæ Cleophe, quæ fuit ſoror beatæ Mariæ, matris Domini noſtri Jeſu Chriſti & frater Jacobi Minoris & Symonis & Judæ Apoſtolorum. Hic fuit unus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis Domini; & poſt aſcenſionem Domini, ſortem miſit cum Mathia pro apoſtolatu per electionem Apoſtolorum. Hic ingentibus myſteriis Domini intererat & Spiritum ſanctum cum Apoſtolis recepit. Hic poſtea predicationis & ſanctitatis officio inſerviens &c. pure. In Damaſcenis & Paulo, cum textu conſonat, & in fine adjicit:

Tre-

Severæ. *Treveris, depoſitio Severæ virginis, ſororis Modowaldi epiſcopi ejuſdem civitatis.*

AQUICINCT. Pro *Caſſi, Paulæ*; habet *Baſſi, Pauli.* Deeſt, *civitate Corduba* &c. Sed in fine:

Margaretæ. *Eodem die, ſanctæ Margaretæ virginis & martyris.*

Vulmari. *In pago Bononienſi, depoſitio ſancti Vulmari abbatis.* Idem hîc ſæpius recurrit.

VICTORIN. *Antiochiæ, ſanctæ Margaretæ virginis.* Vide infra elogium apud MOLAN.

Margaretæ.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Margaretæ virginis & martyris. Joſeph qui dictus eſt Juſtus. Sanctorum martyrum Sabini, Maximi, Juliani cum ceteris. Bernoldi epiſcopi Trajectenſis, qui apud ſanctum Petrum quieſcit.*

Bernoldi.

CLUNIACEN., CODEX D. DU CHEVAL ſignatus C. & CAUDIACEN. Adjungunt: *Ipſo die Cluniaci monaſterio, glorioſa exceptio reliquiarum beati Gregorii Papæ.*

Except rel. Gregorii PP

In VATICAN. Deeſt *Pauli.* Adjectum: *In Caſſino, natalis ſancti Severi epiſcopi.*

Severi.

ALTEMPS. *Apud Cluniacum, exceptio reliquiarum beati Gregorii Papæ.*

de rel Greg.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Elias rapius eſt in cælum curru ignis, aſtante & vidente Heliſeo.* Sequitur de Joſeph & Damaſcenis, ſatis pure. Tum: *In Thebaida, ſancti Victoris confeſſoris. Civitate Corduba* &c. *In pago Bononienſi, depoſitio ſancti Wulmari abbatis, presbyteri & confeſſoris. Treveris, ſanctæ Severæ virginis, ſororis ſancti Monowaldi, ejuſdem loci epiſcopi & confeſſoris. Quæ in eccleſia ſancti Eucharii quieſcit.* Alibi melius legitur, *Modoaldi.*

Rapt. Eliæ. *Victoris.* *Vulmari.* *Severæ.*

GREVEN. *In Thebaide, ſancti Victoris confeſſoris. Magni presbyteri & Amorini. In pago Bononienſi, ſancti Vulmari abbatis, presbyteri & confeſſoris. Item Placeriæ. In Tuſcia, ſanctæ memoriæ Ambroſii presbyteri & confeſſoris, Ordinis Prædicatorum. Item, ſanctæ Wilgefortis virginis, & martyris, filiæ regis Portugaliæ. Severæ virginis, ſororis ſancti Modoaldi epiſcopi Treverenſis.* Vide notationem Baronii.

Victoris *Magni &c.* *Placeriæ.* *Ambroſii.* *Wilgefortis.* *Severæ.*

MOLAN. *Apud Antiochiam, paſſio beatæ Margaritæ virginis & martyris. Treberis, ſanctæ Severæ virginis, ſororis ſancti Modoaldi, ejuſdem loci epiſcopi. Eodem die, in pago Galliæ Bononienſi, monaſterio Silmaco, depoſitio ſancti Vulmari abbatis.* Poſtea typis minoribus: *Item ſanctæ Wilgefortis virginis & martyris, filiæ regis Portugaliæ: quam nonnulli Latine, Liberatam, Teutonice autem, Ontcommeram agnominant.* Editiones aliæ poſt textum integrum purum, ſubdunt: *Apud Antiochiam, paſſio beatæ Margaritæ virginis & martyris. Quæ per Olybrium præfectum multa tormenta paſſa eſt pro Chriſti nomine, vincula, carceres, flagella, equuleum. Quam & diabolus in draconis ſpecie, ſimiliter & in Æthiopis, tentavit, ſed per ſignum ſanctæ Crucis ſuperatus eſt. Noviſſime vero per prædictum præfectum decollata, ſacro martyrio vitam finivit.* De hac alibi, ut XIII Julii &c. Sequitur in his editionibus, tamquam pars Uſuardi textus: *Eodem die, in Gallia pago Bononienſi, ſancti Vulmari confeſſoris, admirandæ ſanctitatis viri. Treviris, ſanctæ Severæ virginis, ſororis ſancti Modoaldi, ejuſdem loci epiſcopi. In Portugallia, natalis ſanctæ Wilgefortis virginis & martyris, quæ amore caſtitatis & Chriſtianæ fidei, in cruce moriens, feliciter tranſivit ad Dominum.* Non eſt nomen Luſitanicum.

Margaritæ. *Severæ.* *Vulmari.* *Wilgefortis.* *de Margarit.*

XII *Kal.* *Die* 21.

DAnielis prophetæ. Romæ, ſanctæ Praxedis virginis. Hæc in omni caſtitate & lege divina erudita, vigiliis & orationibus atque jejuniis aſſiduè vacans, quievit in Chriſto, ſepultaque eſt juxta ſuam ſororem Potentianam via Salaria. In Galliis civitate Maſſiliæ, natalis ſancti Victoris; qui cum eſſet miles, & nec militare, nec idolis ſacrificare vellet, primo in carcerem truſus, ibique ab angelis viſitatus, deinde variis excruciatus pœnis, noviſſimè contritus in mola piſtoria, martyrium conſummavit. Paſſi ſunt cum eo tres milites, Alexander, Felicianus & Longinus. Trecas, ſanctæ Juliæ virginis & martyris.

Danielis. *Praxedis.* *Victoris & 3 alior.* *Juliæ.*

Sumitur textus ex *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-majore*, *Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belini prima editione*, *Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Recte legunt omnes, *orationibus atque jejuniis aſſidue vacans*, neſcio cur in Antverpienſi inſeratur vox *eruaita*, unde exurgit inepta conſtructio, *orationibus atque jejuniis erudita aſſidue* &c. cum eadem prius bene poſita ſit, *lege divina erudita* &c. *In Chriſto quievit*, eſt tranſpoſitio Antverp-majoris, ut in alio faciunt Belin. Greven. & Molan. qui pro, *juxta ſuam ſororem*, mutant in *juxta ſororem ſuam.* Alibi diximus *Pudentianam* ſcribi, pro *Potentiana*, ſed hîc codices omnes cum textu conſentiunt. *Marſilia* habent Munerat. & Belin. Rurſus Belin. ubi in textu eſt, *& nec militare nec idolis* &c. ponit, *& non militare nec* &c. Antverp-major vero omittit *et*, male etiam efformans ſequentia, hoc modo: *Primo cum in carcerem truſus, ibi ab* &c. Et Belin. iterum *angelo*, pro *angelis.* Relîqui in textu *pœnis*, licet plerique omnes codices diphthongis careant, in quo & ſimilibus vix ſervari poteſt orthographica uniformitas. Belin. aliis verbis uſus, ſcripſit,

ſcripſit, *variis cruciatibus punitus.* Senſus exigit, *noviſſime contritus in mola piſtoria*, ſed Antverp. & Max-Lubec. ponunt *conſtrictus*, atque eadem editio & Belin. omittunt *in.* Greven. & Molan. hîc denuo à communi lectione deficiunt, nam ubi omnes alii legunt, *paſſi ſunt cum eo tres milites*, ipſi omittunt *tres.* *Longius*, pro *Longinus*, error eſt in Antverpien-majore : minores alios, tum ex hoc, tum ex aliis codicibus prætereo.

Danielis. OBSERVATIO. De *Daniele* propheta agit hodie Beda ſecundo loco, poſt *Praxedem.* Romanum parvum ſequitur Ado, hunc Noſter & alii, iiſdem ferme omnes terminis. Videbitur ſuo tempore, quanti faciendus ſit, qui apud Surium hoc die exſtat, *Praxedis.* totus ille Metaphraſtis de Daniele & tribus pueris Babilonicis commentarius. *Praxedem* etiam memorat Romanum parvum, & Beda, ut jam dixi. Rabanus eam ex Beda accipiens, elogium format ab Adoniano plane diverſum. Noſter Adonis textum, paulo longiorem, nitide ſuo more contraxit. Unde vero narrationis ſuæ materiam Viennenſis acceperit, non eſt opus hîc repetere; vide quæ dicta ſunt XIX Maii & XX Junii. *Victor* Maſſi-*Victoris & ſociorum.* lienſis illuſtris martyr, à Romano parvo his ſolum verbis notatur: *Maſſiliæ, Victoris martyris.* Aſt in Hieronymianis, iiſdem ſociis militibus ſtipatus eſt, quos Ado nominatim etiam recenſuit, addito itidem *Deutherio puero, qui ad Martyrum ſepulcrum orans emiſerit ſpiritum.* Et hæc eadem veſtigia preſſit Notkerus, Adonem totum & in hiſce Martyribus & in Praxede ſuum faciens. Uſuardus autem, ſolita methodo, panegyrim in pauciora redigens, ſolos milites, omiſſo puero, commemoravit. Nec vero, quæ de puero illo tradit Viennenſis, adeo explorata ſunt, quemadmodum glorioſiſſimi *Victoris* & aliorum trium Acta, ab omnibus eruditis ſummopere laudata, & à C. V. Franciſco Boſqueto primum vulgata, de quo vide in admonitione prævia Ruinartii inter ſelecta pag. 299. Gallicè eadem recenſuit Tillemontius tomo 4 à pag. 549. Videndi etiam Annales Maſſilienſis P. Gueſnay pag. 131. Quæ omnia in Actis ex profeſſo elucidabimus.

Juliæ. Porro *Trecenſem Juliam* ſolus Uſuardus ſuperaddidit, antiquis aliis aut præteritam, aut ignotam, quæ tamen plane non minus ac reliqui, ex unanimi noſtrorum codicum conſenſu Uſuardina cenſenda eſt. Hiſtoria paſſionis ex Camuzato pag. 381 in Surium tranſlata eſt, ſed quam Tricaſſini Promptuarii auctor fatetur *inconcinne conſcriptam.* Alii magis vituperant, ut vide apud laudatum Tillemontium tomo citato pag. 348. Notabis, Bedam hac die *Symphoroſam* referre cum eodem ferme elogio, quod Ado poſuit XXVII Junii, cujuſque epitomen illic ex Uſuardi ſtylo exhibuimus. Rabanus ſupra ductorem ſapiens, multa alia adjunxit. Verum cum ea ad Uſuardum minime pertineant, hîc Bedæ à reliquis diſſonantiam, quam nonnulli codices noſtri Uſuardini imitantur, indicaſſe ſuffecerit. Ædipo opus eſt, ut intelligatur, quid Wandelbertus tertio ſuo verſiculo inſinuare voluerit. Niſi alludat ad dedicationem eccleſiæ S. Petri, in qua depoſitum eſt S. Wandregiſili corpus, de qua meminerunt Hieronymiana. Sed tunc verſus ille ad diem ſequentem pertineret. Ita hac die cecinit :

Praxedis duodena effulget virginis atque
Prophetæ Danielis nomine, fine, fideque.
Ipſa luce pii ſolennis dedicatio Petri.

AUCTARIA.

Arbogaſti. ROSWEYD. Inter Maſſilienſes & Juliam Trecenſem, ponit : *Eodem die, ſancti Arbogaſti Stzaburgenſis epiſcopi & confeſſoris.* Voluit dicere *Strasburgenſis*, pro *Argentinenſis* vel *Argentoratenſis.*

PULSANEN. Purus eſt uſque ad *ſancti Victoris* incluſive, ſed deſunt reliqua omnia.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Annuntiationum loca commutant, Juliam Trecen. præponentes martyribus Maſſilienſibus. In fine autem adjiciunt : *Eodem* *Arbogaſti.* *die, ſancti Arbogaſti Argentinenſis epiſcopi & confeſſoris.* Vide quæ de ipſo notavit Baronius.

ALBERGEN. & DANIC. Incipiunt à Praxede : quam ſequitur Daniel. Cetera proxime præcedentibus ſimiles ſunt. In DANICO ad marginem apponitur : *Octava ſancti Bonaventuræ.* *Octavæ Bonavent.*

CENTULEN. *Obitus Danielis prophetæ. Romæ, ſanctæ Praxedis virginis. Quæ fuit ſoror beatæ Potentianæ virginis. Civitate Maſſilia, paſſio beatiſſimi Victoris martyris, & cum eo Alexandri, Feliciani & Longini militum. Trecas, ſanctæ Juliæ virginis martyris, cujus corpus in eccleſia beatæ Mariæ, apud Jordarenſe cœnobium quieſcit.* *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. Incipit : *Romæ, ſanctæ Praxedis virginis. Hæc in omni caſtitate & lege divina erudita, cum ſorore ſua beata Potentiana, poſt tranſitum Pudentis ſui patris, in virginitate permanſit, & jejuniis, vigiliis atque orationibus aſſidue vacans, plena operibus bonis & eleemoſynis, migravit ad Chriſtum. Cujus corpus via Salaria juxta prædictam ſuam ſororem ſepultum eſt. Item, Danielis prophetæ.* In Victore purus eſt, uſque *De Praxed.* *De Victore.* ad *excruciatus pœnis*, ubi ſic pergit : *Noviſſime in molam piſtoriam miſſus, in qua ſparſum vertigine animalis macerari ſolet, atque ita contritus, ſub Aſterio præſide martyrium conſummavit. Et cum eo paſſi ſunt* &c. In Julia purus eſt. Addit in fine : *Apud Argentinam civitatem, ſancti Ar-* *Arbogaſti.* *bogaſti, ejuſdem loci epiſcopi & confeſſoris.*

HAGENOYEN. Propheticum elogium more ſuo conglobavit, quod hîc non vacat deſcribere.

bere. In Praxede non nihil interpolatus, martyres Maſſilienſes & Juliam Tricaſſinam omittit, ſic in fine de Arbogaſto ſubjiciens: *In civitate Argentina, depoſitio ſancti Arbogaſti, ejusdem civitatis epiſcopi & confeſſoris. Hic inter cetera miracula virtutum ejus, Dagoberti regis Franciæ unicum filium, de feris dilaceratum & mortuum, ſuis precibus reſuſcitavit; & ob hoc Rex Rubiacum caſtrum & oppidum eccleſiæ ſanctæ Mariæ in Argentina tradidit. Ipſe autem Arbogaſtus multos annos vixit, & pluribus miraculis claruit, & in pace finivit vitam, & in eccleſia ſancti Michaelis ſepulturam ſibi fieri fecit.* *De Arbogaſt.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Praxedis virginis, ſororis ſanctæ Potentianæ, quæ Romæ ſimul quieſcunt. Danielis prophetæ. In Galliis civitate Maſſilia, Victoris militis & martyris, contriti in mola piſtoria. Item trium militum, qui cum eodem paſſi ſunt.* Vide nomina ſuperius. *Textus mutilus.*

CODEX D. DU CHEVAL, ſignatus C. *Item, ſanctæ Symphoroſæ.* Hîc paſſim recurrit. *Symphoroſæ.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt Danielis & Juliæ. An cetera pura ſint, dubito.

ALTEMPS. In fine: *Item ſanctæ Symphoroſæ virginis.* Voluit dicere *viduæ.* *Symphoroſæ.*

BURDEGALEN: *Trecas, ſanctæ Julianæ virginis & martyris. Item, ſanctæ Symphoroſæ. Salvia, ſancti Sereneti* [an Serenedi?] *confeſſoris.* *Julianæ. Symphoroſæ. Sereneti.*

CAUDIACEN. *In Galliis, adventus & ſuſceptio corporis ſancti Domnini, vel Doumini martyris, ex ſacra Aquitaniæ provincia, tranſlatum in Selula, in pago Toloricenſi, in loco antiquitus Magno-loco dein nomine dicto, anno Incarn. Dominicæ* DCCCLXXXIX. Quid hæc omnia ſignificent, fateor me non ſatis clare intelligere. *Advent. corp S. Domnini.*

REMENS. SS. Timoth. & Apollin. *Civitate Carentis, depoſitio ſancti Leubini epiſcopi & confeſſoris.* An non *Carnotis, Leobini?* de quo xv Sept. *Leubini.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit à Praxede, ubi non nihil interpolata eſt. Sequitur Daniel & Julia, pure. Tum de Victore, ubi ſolum inſeruntur nomina *Diocletiani & Maximiani* tyrannorum. In fine autem: *Item Trecas, paſſio ſanctorum martyrum* [hîc inſeri poterat nomen *Claudii*] *imperatoris barbarorum, Juſti & Secundini, ac aliorum quinque, ſub Aureliano imperatore. Eodem die, ſancti Arbogaſti epiſcopi argentinenſis & confeſſoris. Ipſo die, beatorum martyrum Dionyſii, Ponti, Cuſſionis, Papirii, Saturii, ſociorum. cum aliis ſeptem.* In GREVEN. eſt *Cuſtionis.* *Soc. Juliæ. Arbogaſti. Dionyſii & ſociorum.*

BELINI EDITIO ALTERA. In fine ſubjicit: *Symphoroſæ. Item, ſanctæ Symphoroſæ.*

GREVEN. *In Africa, Heliæ & Stertionis. Vaſtradis martyris. Dionyſii & Ponti, Cuſtionis, Papirii, Saturii & aliorum ſeptem. Eleutherii* [Deutherii] *pueri & confeſſoris. Qui cum oraret ad ſepulcrum ſancti Victoris, emiſit ſpiritum. Arbogaſti epiſcopi Argentinenſis & confeſſoris. Qui de Scotia egreſſus, plenam virtutibus vitam agens, præfatæ eccleſiæ glorioſè præfuit, tempore Dagoberti regis, cujus etiam unicum filium, in venatione equo dejectum & protritum, oratione fuſa, ad vitam revocavit. Albini confeſſoris. In Ægypto, Danielis abbatis, presbyteri & confeſſoris. Trecas, paſſio ſanctorum martyrum* [Claudii] *imperatoris barbarorum, Juſti & Secundini, cum aliis quinque, ſub Aureliano imperatore.* *Heliæ &c. Vaſtradis. Dionyſii & ſociorum. Eleutherii. De Arbogaſto Albini. Daniel. abb. Soc. Juliæ.*

MOLAN. De Julia ſubnectit: *Cujus ſacrum corpus in territorio Meldorum, in eccleſia beatæ virginis Mariæ, Jordarenſis monaſterii eſt tranſlatum, ubi honorifice veneratur humatum. Eodem die, in Cellenſi monaſterio, ſancti Sulpitii epiſcopi & ſanctæ Leochadiæ virginis. Trecas, paſſio ſancti Claudii imperatoris barbarorum, Juſti, Jocundini, cum aliis quinque, ſub Aureliano imperatore. Eodem die, ſancti Arbogaſti Argentinenſis epiſcopi & confeſſoris.* Tum, minoribus typis: *Qui de Scotia* &c ut GREVEN. ſupra. In poſterioribus editionibus, de Juli. Trecenſi eadem adduntur. Tum: *Ibidem, paſſio ſancti Claudii imperatoris, Juſti, Jucundini* &c. De Arbogaſto, ſimpliciter abſque elogio. Tum: *Die vigeſima prima, ſanctorum patrum Simeonis, qui propter Chriſtum dictus eſt Salus, & Joannis ſynaſceta ipſius.* Vide quæ de Simeone Salo in Auctariis noſtris dicta ſunt 1 Julii ex relata ibi longiori obſervatione Roſweydi. *Eodem die, in Cellenſi monaſterio, tranſlatio ſancti Sulpitii* &c ut in priori. *De Julia. Sulpitii & Leocadiæ. Claudii &c. Arbogaſti. Simeonis. & Joannis. Tranſlat. Sulpitii.*

XI *Kal.*

Die 22.

ANcira Galaciæ, natalis ſancti Platonis martyris, cujus geſta habentur. Eodem die, ſanctæ Mariæ Magdalenæ & Sintices beatæ, quæ Philippis dormit ſepulta: de qua Apoſtolus Paulus ſcribit. In monaſterio Fontinella, depoſitio ſancti Wandregiſili confeſſoris. In territorio Arvernenſi, ſancti Menelei abbatis. *Platonis. Mar. Magd Syntyches. Wandreg. Menelei.*

Ita habent *Praten. Tornacen. Antverp-major. Roſweyd. Munerat.* & *Greven.*

VARIA LECTIO. Sequor communem codicum lectionem *Ancira Galaciæ*, aliqui paulo melius *Ancira Galatiæ*; optime ſolus Molanus cum Adone, *Ancyra Galatiæ.* Videntur Pratenſis & Herinien. ſcribere *Magdalenis*, ſed reliqui omnes, ut in textu, præterquam quod multi diphthongum negligant, quam ad vitandam confuſionem puto & hic & alibi efformare neceſſe eſſe. Non eadem eſt ratio in *Sinticen*, quam proinde reliqui, ut eſt in codicibus. Tornacen. & Munerat. ponunt *Sinticem*, quod æque aberrat. Nec ſatis accedit Praten. per *Synticen*, nec Greven. per *Sintiches*, nec demum Molanus per *Syntiches*: recte in Romano parvo, à Roſweydo haud dubie correcto, *Syntyches.* Praten. cum ſolitis gregalibus legit: *In pago Rotomagenſi*, ſed nos cum reliquis magis Uſuardine: *In monaſterio Fontinella.* De quo infra in Obſervatione dicendum. Sunt qui ponant *Vuandregiſili*, ſed ferme omnes cum textu, niſi quod Munerat. male formet

formet *Wandregiſilli*, adjungatque titulum *abbatis*, quem etiam adſcribit Antverp-major cum nonnullis ſequioris notæ codicibus. *Arvenenſi* in Munerato, & *Arnivernenſi* in Roſweyd. forte librarii ſphalmata ſunt: uti & in poſtremo *Menelai* pro *Menelei*.

Platonis.

Mariæ Magdalen.

OBSERVATIO. De tribus primis hujus diei Sanctis ſic hodie loquitur Romanum parvum. Primo loco: *Sanctæ Mariæ Magdalenes.* Secundo: *Et Syntyches, quæ Philippis dormit.* Tertio: *Ancyræ, Platonis martyris.* Eumdem ordinem ſervat Ado, nihil magnopere in laudem adjiciens. Noſter, inverſa paululum ſerie, *Platonem* principio memorat, ipſiſſimis Adonis verbis, quæ hîc ex Hieronymianis accepiſſe videtur, correctâ ex Romano parvo poſitione, quæ in illis corrupte legebatur: In *Anquira* vel *Auritia*, *Gallacia* vel *Gallitiæ*, quo etiam ferme modo in Rabano legitur. Platonis *geſta* in Hieronymianis *haberi* dicuntur, ſed ea diverſa fuiſſe exiſtimo, ab iis, quæ apud Surium à Metaphraſte exornata inveniuntur, quæque Tillemontio tomo 5 pag. 563 aliiſque hodiernis criticis nequaquam probantur. Nos de his loco ſuo. Secundam annuntiationem ſic profert Beda: *Natale Mariæ Magdalenæ*; ut vix quidquam in re diſcrepent & hic & Romanum parvum & Rabanus & Ado &c. Ceterum inter Feſtivitates Apoſtolorum, elogii vice, notat Viennenſis expulſionem ab ea ſeptem dæmoniorum, & primam Chriſti Domini apparitionem, ipſi factam poſt reſurrectionem, quæ omnia ex Molano in Auctariis recitabuntur. Ex re nata fluit obſervatio, nimirum Martyrologia noſtra ubique *Mariam Magdalenam* diſtinctiſſime exprimere, nuſquam vero *Mariam Bethaniæ* multo minus *peccatricem feminam* apud Euangeliſtas *anonymam*. Neque enim *ſeptem ejecta dæmonia* pro peccatis accipi oportere, ſatis probatum hactenus reperi. Vulgo notum eſt *Mariam* & *Marthæ ſorores Lazari* in antiquis Martyrologiis referri XIX Januarii, ut in Auctariis noſtris ibi notavimus. Juverit hîc apponere P. Grothuſii noſtri ſententiam ad vetuſtum Kalendarium Paderbornenſe Ms. ipſa illa die XIX Januarii. *Vere*, inquit, *Maria, ſoror Marthæ, prorſus alia eſt à Maria illa Magdalene, quæ celebratur* XI *Kal. Auguſti, quoniam ex hiſtoria Euangelica omnino oportet cum multis SS. PP. aſſerere, tres fuiſſe perſonas diverſas, omnes tamen Sanctas & Chriſto miniſtrantes, quæ nomine Mariæ Magdalenæ vulgo indicantur.* 1 *fuit ex caſtro Magdalo, prope Capharnaum, de qua ſeptem dæmonia Dominus ejecit.* 2 *fuit Nimitis peccatrix, miſericordiam conſecuta,* 3 *de Bethania ſoror Lazari.* Hanc doctiſſimi viri opinionem, multorum eruditorum, qui agitatiſſimam quæſtionem ventilarunt, calculo hodie confirmatam invenio. Ne quid tamen præmature hîc definiam, totius controverſiæ deciſionem ad Acta remitto. Vide interim de ea breviter diſſerentem Tillemontium tomo 2 à pag. 28. Audi modo Wandelbertum:

Undecimam Chriſto felix miſerante Maria
Ornat, ſepteno caruit quæ dæmone, quamque
Magdala progenitam ſignat cognomine origo.

Syntyches.

Wandreg.

Menelei.

Syntychem etiam ſatis breviter perſtrinxit Ado, ſic ut omnia prope ejus verba Noſter in tabulam ſuam tranſtulerit. Eſt apud Paulum ejus commendatio ad Philipp. 4 v. 2. De ejus obitu & ſepultura alibi videbitur. Quid autem ſibi hîc velit diſparatarum perſonarum conjunctio, divinare non lubet, ita ſcripſiſſe Uſuardum & certum & palam eſt. *Meneleus* in præcitatis Martyrologis non invenitur; de *Wandregiſilo* dubium faciunt Hieronymiana apographa: certe haudquaquam ambigimus, quin vere ambo Uſuardini ſint, tametſi Caſtellanus, eraſionem aliquam in codice Pratenſi ſe obſervaſſe moneat, cui hæ duæ ultimæ annuntiationes inſcriptæ videantur. Sed *quod mirandum*, inquit, *ſola hæc verba*: IN PAGO ROTOMAGENSI, *ab aliena manu ſunt, ceteris omnibus eodem charactere evidentiſſime figuratis, quo totum Pratenſe autographum ſcriptum eſt.* Fueritne in præfato codice facta tam longa expunctio, nec ne, certo ſtatuere integrum non eſt; mihi conſenſus codicum ferme omnium abunde probat, utrumque Sanctum vere ab Uſuardo fuiſſe conſignatum. At expunctio & corruptela manifeſte apparet, in verbis illis: *In pago Rotomagenſi*, utpote, quæ in nullis codicibus, reperiuntur præterquam in Pratenſi & ei conſimilibus, Antverp-maj. Roſweyd. & Aquicinct.; ceteris omnibus conſtanter cum textu legentibus: *Fontinella monaſterio*, quo modo etiam procul dubio in prædicto Pratenſi codice prius habebatur; quem tamen idcirco à puris hodie non excluſimus. Non auſim aſſerere, Wandregiſilum ex auctioribus Hieronymianis mutuatum; at nota ſatis fuit & ipſius & Menelei itidem abbatis ſanctitas, ut iis ſacros Faſtos locupletaret Uſuardus, quod eum feciſſe indubitatum putamus, quidquid Molanus hîc rurſum juſto ſcrupuloſior, alterum prætermiſerit. Utriuſque abbatis vitæ inter Benedictinas à Mabilione editæ ſunt; Wandregiſili ſec. 2 à pag. 524, Menelei, ſeculi tertii parte 1 à pag. 404. De Wandregiſilo verſiculum compoſuit Wandelbertus, cui forte is jungendus eſt, qui die præcedenti, tertio loco habetur. En hodiernum:

Vandregiſle tibi hac monachorum vota recurrunt.

AUCTARIA.

Translat. Theodosiæ. HERINIEN. Cetera puriſſimus, in fine adjicit: *Ipſo die, tranſlatio ſanctæ Theodoſiæ virginis.* Propriam aliquam loci feſtivitatem exiſtimo.

PULSANEN. Incipit: *Natalis beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ.* In Platone purus eſt, in Syntyche, modice interpolatus. Omiſit Wandregiſilum: in Meneleo iterum purus.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Deficiunt in ultima annuntiatione, cetera puri.

MOLAN. Deeſt Wandregiſili.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Incipiunt: *Natale beatæ Mariæ Magdalenæ. De qua, ut Euangelium refert, ſeptem dæmonia Dominus ejecit.* Sequitur de Platone, Syntyche & Wandregiſilo, ſatis pure. Deeſt in fine annuntiatio Menelei.

De Maria Magaalena. ALBERGEN. & DANIC. Sic ordiuntur: *Natale beatæ Mariæ Magdalenæ. Hæc eſt illa peccatrix beatiſſima, quæ profluentibus mundata lacrymis, lavit pedes Domini diſcumbentis. Hæc eſt illa mulier Euangelica, quæ profuſa dulcedine pietatis, unguento pretioſiſſimo caput unxit Dominicum tempore paſſionis. Hæc eſt illa Apoſtolorum Apoſtola, quæ prior ceteris videre, & nuntiare meruit gloriam reſurgentis.* In reliquis, de Platone &c. cum prioribus conveniunt.

CENTULEN. *Natale beatiſſimæ Mariæ Magdalenæ. De qua, ut Euangelium refert, ſeptem dæmonia ejecit Dominus. Et Santhile* [Syntyches] *beatæ, quæ Philippis dormit ſepulta, qua* [quam] *beatus Apoſtolus ſuo ſermone commendat. Ancira Galatiæ, ſancti Platonis martyris. Monaſterio Fontanella, depoſitio ſancti Wandregiſili abbatis, incliti confeſſoris. In territorio Arvernico, ſancti Menelei abbatis.*

Textus mutatus.

BRUXELLEN. Incipit iiſdem verbis, quibus ſupra ALBERGEN & DANIC. Tum de Syntyche & Platone ſatis pure. Demum: *Monaſterio Fontenella, depoſitio ſancti Wandregiſili abbatis & confeſſoris. Qui fuit filius Walchiſi, fratris Anſegiſi ducis, & beati Arnulphi ex filio nepos. Hic fuit primus fundator monaſterii Fontanellenſis, ubi & ipſe carnis onere depoſito, migravit ad Chriſtum. Sed poſtea corpus ejus in Blandinio tranſlatum eſt.* Et ibi in Romano annuntiatur.

De Wandr.

Longa hiſt. De Maria Magdalena. HAGENOYEN. Incipit: *Apud Aquenſem Provinciæ civitatem, depoſitio ſanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ nobilis erat genere, ſed tota laſciviæ data. Hæc Chriſtum dilexit & pedes ejus lacrymis compunctionis lavit & unguento perunxit: Chriſto & ſuis omnes divitias ſuas dedit: verba ejus ad pedes illius ſedens audire ſolebat. Cujus amore Chriſtus Lazarum fratrem ejus ſuſcitavit. In convivio caput Domini perunxit, pro quo Judas murmuravit & Chriſtus lætabatur: juxta crucem ſtetit: Dominum etiam ſepelire juvit, cujus corpus mortuum ungere voluit. Prima illum poſt reſurrectionem vidit, & Apoſtolorum Apoſtola à Domino tunc eſt facta, quando Diſcipulis gloriam Domini nunciavit. Hanc angeli conſolabantur ad ſepulcrum, ſed illa conſolari non potuit: Chriſto in ſpecie hortulani loquitur & illum non agnoſcit. Hæc poſt aſcenſionem Domini in exilium à Judæis miſſa cum aliis Chriſtianis eſt, qui navi ſine remis impoſiti ſunt, & Marſiliam Deo dante appropinquaverunt, ubi per mira Mariæ Magdalenæ & aliorum ſuorum ſodalium, tota illa gens converſa eſt ad Dominum, per miraculum factum in mari, de puero principis conſervato, & uxore ejus defuncta. Deinde pro deſiderio Chriſti & tædio hominum; ut dicit Joſephus, triginta annis in heremo vixit, hominibus incognita, nec cibum nec potum humanum ſumens. Semper horis canonicis angeli eam in aëra vehebant, ubi cæleſtes cantus auribus cordis audiebat, & ſic eam ad ſpeluncam ſuam ſatiatam iterum reducebant. In fine vitæ ſuæ per beatum Maximinum epiſcopum eſt communicata & tunc coram altari ſe proſtravit, & omnibus orantibus obiit, & odor corporis ejus multis poſtea diebus ibi ſentiebatur, & corpus ejus ſine anima ſtetit uſque dum à beato Maximino epiſcopo ei ſepulcrum præparabatur, & ibi fiunt miracula multa per merita illius. Sepulta eſt Magdalena in Aquenſi civitate, ſed poſtea tranſlata eſt ad Vecellianum.* Hæc & hujuſmodi alia magis pie quam probabiliter excogitata, materiam ſuggerent, quam in Actis eruderemus. Sequitur de Syntyche, Platone, Meneleo & Wandregiſilo ſatis pure.

AQUICINCT. Pro, *eodem die*, habet, *Vizeliaco.* Poſt *ſcribit*, additur, *ad Philippenſes. In pago Rothomagenſi, depoſitio ſancti Wandregiſili abbatis & confeſſoris.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Mariæ Magdalenæ. Wandregiſili, primo militis, poſtea monachi & abbatis. Platonis martyris, cujus geſta habentur.* In margine autem adſcribitur: *Dedicatio eccleſiæ Trajecti, quæ facta fuit præſente imperatore Romanorum & XII epiſcopis.* *Dedicat. ecc. Trajectenſis*

CAMBERIEN. *Philippis civitate, beatæ Sinticen diſcipulæ Pauli.*

In VATICAN. 5949. Deeſt Wandregiſili & Menelei. Adjicitur: *Natale S. Jeronimi epiſcopi Ticinenſis, in S. Sophia.* *Hieron. ep.*

EDITIO LUBECO-COL. De Maria Magdalena fere convenit cum ALBERG. & DANIC. In Platone ſatis pura. Tum: *Philippis, dormitio beatæ Sinticen, quæ Philippis dormit ſepulta, de qua Paulus Apoſtolus ſcribit Philippenſibus: Euchodiam* [Euodiam] *rogo & Sinticen deprecor, idipſum ſapere in Domino.* Reliqua ſatis pure. *De Syntyche.*

BELIN. Sic in principio: *Natale ſanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua Dominus ſeptem dæmonia ejecit, & quæ ipſum Salvatorem primum videre meruit à mortuis reſurgentem.* Deeſt Wandregiſili, cetera ſatis bene. *De Magdal.*

GREVEN. *Item ſanctorum Cirilli, Andreæ, Thebelli, Aurili, Apollonis. Papiæ, ſancti Hieronymi epiſcopi. Lewinæ virginis & martyris.* *Cyrilli &c. Hieron. ep. Lewinæ.*

MOLAN. Litteris Italicis verba Adonis de Magdalena textui interſerit: *De qua, ut Euangelium refert, ſeptem dæmonia ejecit Dominus: quæ etiam inter alia dona inſignia, Chriſtum à mortuis reſurgentem prima videre meruit.* Tum in fine: *In Blandinio, ſanctiſſimi patris noſtri Wandregiſili, primi fundatoris cœnobii Fontanellenſis, cujus geſta habentur. Papiæ, ſancti Hieronymi epiſcopi. Paſſio ſanctæ Leuuinæ.* Inde minoribus typis: *Cujus veneranda oſſa cum oſſibus S. Oſualdi regis Anglorum & S. Idubergæ, exaltata fuerunt in civitate Bergenſi, ſed per ultimam Francorum in Flandriam irruptionem, in deVaſtatione Bergenſium ſunt deperditæ. Sanctorum epiſcoporum* *De Magdal.* *De Wandreg.* *Hieron. ep. Lewinæ cum elogio.*

Eulogii &c. *Eulogii, Protogenis cum aliis de quibus in Trip. lib. 7. Apollo, de quo Act. 18 habetur & 1. Cor 1. & 16.* Hactenus editio prima. In posterioribus eadem habet de Maria Magdalena. Item in fine de Wandregisilo. Tum de Hieronymo Papiensi. Denique hoc, tamquam hisce editionibus proprium, apponitur: *Die vigesima secunda, reportatio ipsani sancti hieromartyris Phocæ.* *Reportat. Phocæ.*

X *Kal.* *Die* 23.

Apollinar. NAtalis beati Apollinaris episcopi, qui ab Apostolo Petro Romæ ordinatus & Ravennam missus, postea pro fide Christi diversas & multiplices cædes perpessus est. Tandem autem sub Vespasiano cæsare, inter ipsa vicissim succedentia sibi tormenta, glorioſum martyrium consummavit.

Sumitur textus ex *Praten. Tornacen. Antverp-majore, Pulsanen. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Iterum peculiare aliquid habent Greven. & Molan. nam ubi ceteri omnes codices simpliciter incipiunt: *Natalis beati* &c. præfigunt ipsi: *Apud Ravennam.* Antverp-major & Munerat. codices plerumque non satis tersi, pro *Apollinaris*, scribunt, *Appolinaris.* Lego *cædes*, licet pauci codices diphthongis utantur, sic *Romæ, cæsare* &c. quod confusionis vitandæ gratia faciendum fuisse, non semel superius monui.

OBSERVATIO. Inclytissimum martyrem, Ravennatium episcopum primum, *Apollinarem* hac die celebrant Allatii & Frontonis Kalendaria, celebrant Martyrologi præter Nostrum ceteri omnes, Hieronymus, Beda, Romanum parvum, Rabanus, Ado, *Apollinar.* Notkerus, Wandelbertus. In Hieronymiano Lucensi *Apollenaris* vocatur, in vetustissimo Epternacensi *Appollinaris*, sed in hoc, die præcedenti relatus est. Beda insigne ei adornavit elogium à Rabano transcriptum, à Notkero nonnihil mutilatum. In Romano parvo annuntiatur his verbis: *Ravennæ, Apollinaris episcopi & martyris.* Viennensis, more hactenus inusitato, duplici ipsum encomio prosecutus est. Inter Festivitates Apostolorum illud collocavit, quod ex Beda accepisse dicendus est, nisi aut Adoniana in Bedam translata dixeris, aut miraculum fingas, in tanta utriusque consonantia. At in Martyrologio suo prolixam Actorum seriem præfatus Ado expandit, quæ totam ferme Apostolici viri vitam complectitur. Ex his Usuardus paucula delibavit, quibus in latere culo solita phrasi martyris laudes abunde prædicat. Et ea quidem omnia idem fere sonant, omnia promanant ex eodem fonte, videlicet ex ipsis illis Actis, quæ apud Surium edita, vetustatem suam, vel ex his Martyrologis manifeste ostendunt. Neque est qui antiquitatem in dubium revocet: sincera esse, aut ex fidis monumentis desumpta, fateri nolunt recentiores, & ea propter maluit Tillemontius tomo 2 à pag. 102 ex Chrysologo, Gregorio, aliisque ea colligere, quæ fideliora censuit. Nostrum erit & de Actis & de reliquiis & de miraculis omnia suo loco expendere, digerere & illustrare. Porro unicus Wandelberti versiculus ita Apollinarem prædicat:

Hinc decimam præclarus Apollinaris honorat.

AUCTARIA.

HErinien. Proprium rursus aliquid ex Remensi provincia textui purissimo subnectit, in hunc modum: *Eodem die, translatio sancti Nichasi cum sociis suis.* *Translat. Nicasii.* In Strozzian. de *Eutropia* fit mentio.

Rosweyd Cetera etiam valde purus, in fine subdit: *Eodem die, sancti Liborii Carnotensis episcopi & confessoris.* *Liborii.* Voluit scribere, *Cenomanensis.* Exstat apud Surium historia vitæ & translationis, de quibus vide Bollandi opusculum.

Multi codices hodie adjiciunt etiam post textum purum: *Romæ, natale sanctæ Primitivæ*; vel simpliciter: *Romæ, sanctæ Primitivæ.* *Primitivæ.* Tales sunt, Antverp. Max-Lubec. Ultrajectin. Leyden. Lovanien. Ughellian. Bigotian. signatus P. 5. & Codex D. du Cheval. sub nota B. & plures infra citandi.

Albergen. & Danic. Sic addunt: *Romæ, natale sanctæ Primitivæ virginis. Apud Cenomanicam civitatem, sancti Liborii episcopi & confessoris. Hic quinquagesimo Ordinationis suæ anno ad patrem & ad patriam transivit ex hoc mundo.* *Primitivæ. Liborii.*

Centulen. *Apud Ravennam, sancti Apollinaris martyris & episcopi, qui in discipulatu beati Petri Apostoli diu multumque edoctus, & ab eo ordinatus episcopus, eidem civitati vel provinciæ pastor fuit delegatus, passus vero est sub Vespasiano cæsare, Demostene Patricio.* *De Apollin.*

Bruxellen. In textu satis purus, adjicit etiam: *Romæ, natale sanctæ Primitivæ. Apud Cenomanicam civitatem, sancti Liberii* [Liborii] *episcopi & confessoris. Qui quinquagesimo ordinationis suæ anno, ex hoc mundo feliciter ad patriam transivit æternam.* Vide dicta in Rosweyd. *Primitivæ. Liborii.*

Hage-

De Apollin. HAGENOYEN. *Apud Ravennam, passio sancti Apollinaris episcopi & martyris. Qui fuit discipulus beati Petri Apostoli, a quo ipse episcopus est ordinatus, & Ravennam missus est ad prædicandum, quem pagani super prunas pedibus nudis stare fecerunt, post exuitur & plagatur, & super plagas ejus aqua bulliens funditur. Tandem sub Vespasiano imperatore, inter ipsa sibi succedentia supplicia, percussus fustibus donec mortuus videretur, diebus septem supervixit & cursum martyrii sui complevit. In Gallius, civitate Massilia,* *De Victore.* *natale sancti Victoris, qui cum esset miles & nec militare, nec ydolis sacrificare vellet, primo in carcerem est trusus, ibique ab angelis est visitatus; deinde variis excruciatus est pœnis: novissime constrictus est in mola pistoria* [&] *sub Asterio præside martyrium consummavit. Passi sunt etiam cum eo tres milites, scilicet Alexander, Felicianus &* *Julianæ.* *Longinus. Trecas, sanctæ Julianæ virginis.* Hæc ex XXI hujus in hunc locum translata sunt. Sequitur: *Apud Cenomanicam civitatem, depo-* *De Liborio.* *sitio sancti Lyborii episcopi & confessoris. Hic quinquagesimo anno sacerdotii sui in episcopatu, ad patrem & ad patriam transiit feliciter de hoc mundo. Hic a Ludovico imperatore translatus est in Padeburne, & ibi per totam diœcesim est patronus. Hic medetur calculo & passionibus arenosis.* *Primitivæ.* *Romæ, sanctæ Primitivæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Appollinaris episcopi & martyris. Hic a beato Petro Ravennam missus, glorioſum martyrium consummavit. Translatio trium Regum a Mediolano Colo-* *Translat. Reg. Colon.* *niam. Brigittæ viduæ sanctimonialis, à qua habent ortum illius Ordinis observatores, quæ* [qui] *modernis temporibus in diœcesi Trajectensi oriri cœperunt.* Vide ejus vitam apud Surium. Notatur in margine: *Hac die singulis annis fit processio solennis cum V. Sacramento & sanctorum reliquiis per circuitum civitatis Trajectensis.* *Birgittæ.*

Vincentii & Primitivæ. VATICAN. signatus num. 5949. *Romæ, sanctorum Vincentii & Primitivæ.*

Rasipi. STROZZIAN. *Eodem die, sancti Rasipi martyris.*

REMENS. S S. Timothei & Apollin. Proprium habent: *Remis, translatio corporum, sanctorum Nicasi episcopi & martyris & sanctæ Eu-* *Transl. Nic. & Eutropiæ* *tropiæ sororis ejus.*

EDITIO LUBECO-COL. *Apud Coloniam Agrippinam, translatio corporum trium Magorum,* *Translat. 3 Magorum.* *qui in Euangelio leguntur, nato in Bethleem Salvatori obtulisse munera, aurum, thus & myrrham. Quorum pignora veneranda Præsul Colonienſium Reynoldus ab imperatore Frederico postulata, de Mediolano ad Colaniam anno Domini* MCLXIV *cum gaudio & exultatione omnium translulit & in ecclesiam suam Cathedralem honorifice collocavit: in qua, operante gratia divina, crebra miracula eorum meritis coruscant. Item Colonia Agrippina,* *Translat. Felicis & Naboris.* *translatio sancti Felicis & Naboris militum & martyrum, qui etiam per prædictum Colonienſium archiepiscopum Reynoldum eodem tempore de civitate Mediolanensi facta est. Item natale beati* *De Apollin.* *Appollinaris episcopi & martyris. Hic ab Antiochia secutus Apostolum Petrum ad urbem Romanam & ab eodem in urbe episcopus ordinatus & Ravennam missus est* [&] *ibi rexit ecclesiam annis* XXVIII *mense* I *diebus* IV. *Qui etiam in partibus Corinthiorum & in Nicea, & in ripa Danubii & in partibus Thraciæ prædicavit. In quibus locis exilio relegatus est, & ubicumque pervenit, innumeras virtutes fecit. Postea pro fide Christi diversas & innumeras cades perpessus est. Tandem sub Vespasiano cæsare, Demostene Patricio inter ipsa vicissim* &c. *Romæ, natale sanctæ* *Primitivæ.* *Primitivæ virginis. Apud Cenomanicam urbem,* *Liborii.* *sancti Liborii* &c., ut ALBERG. & DANIC. *Eodem die, sanctæ Brigittæ viduæ, quæ in vita sua, Domino* *Birgittæ.* *in ipsa operante, quatuordecim mortuos suscitavit.*

BELIN. Textum purum habet, sed adjicit: *Rasipi.* *Eodem die, sancti Rasipi martyris.*

GREVEN. *Apud Coloniam Agrippinam, trans-* *Transl. Col.* *latio trium regum Magorum, cum duobus aliis.* 3 *Magorum* *Nota, corpora sanctorum Magorum, ut dicit Vincentius lib.* 30, *olim ab imperatore Constantinopolim translata & inde Mediolanum miraculose transvecta, cum imperator Fredericus* I *Mediolanum destrueret, à Reinaldo Colonienſi archiepiscopo, qui tum auxilio imperatori venerat, Coloniam translata sunt anno Domini* MCLXIV, *una cum sanctis Felice & Nabore atque in ecclesia Catbedrali,* & *Felicis* *magna omnium exultatione reposita; ubi etiam* *ac Naboris.* *multis coruscant miraculis. Eodem die, sanctorum martyrum Ravenni presbyteri & Rasiphi, fra-* *Ravenni &* *trum. Cenomannis, sancti Liborii episcopi & con-* *Rasiphi.* *fessoris, multæ sanctitatis viri. Quem episcopa-* *Liborii.* *tus sui anno quinquagesimo defunctum, beatus Martinus Turonensis sepelivit. Romæ, Primitivæ vir-* *Primitivæ.* *ginis. Apud Ravennam, Teclæ virginis. Romæ,* *Teclæ.* *depositio sanctæ Birgittæ viduæ, nobilis de regno* *De Birgitta.* *Swecia. Quæ transcursis in multa synceritate statu virginali & conjugali, divinitus admonita Jerusalem peregre adiit, indeque Romam rediens, vitæ suæ reliquum ibidem in magna sanctitate, revelationibus assiduis à Domino visitata, exegit. Ipsa etiam novum Ordinem monasticum instituit, miraculisque multis claruit.*

MOLAN. *Eadem die, Rasipi martyris. Romæ,* *Rasipi.* *natalis sanctæ Birgittæ viduæ, quæ in vita terram* *De Birgitta.* *Sanctam & alia diversa loca Sanctorum visitabat, & sub Papa Gregorio* XI *anno Domini* MCCCLXXIII *anno ætatis suæ* LXX, *sumptis Sacramentis, beato fine quievit. Apud Coloniam Argippiuam, trans-* *De translat.* *latio trium regum Magorum, qui in Euangelio* *Magor &c.* *leguntur, nato in Bethlehem Salvatori, aurum, thus & myrrham obtulisse. Quorum pignora, una cum corporibus sanctorum martyrum Felicis & Naboris, Reinoldus archiepiscopus Colonienſis à Frederico imperatore postulata, de Mediolano Coloniam honorifice translulit.* In editionibus aliis, scribit: *Rasiphi.* *Eodem die, sancti Rasiphi martyris.* De Birgitta, *Pauacii &* ut in priori. Tum: *Cenomanis, depositio sancto-* *Liborii.* *rum Pauacii & Liborii episcoporum & confesso-* *rum.* Translatio trium Regum, item Felicis & Naboris per Reinoldum, eisdem etiam verbis exprimitur, quibus in prima editione.

IX *Kal.* *Die* 24.

ROmæ via Tiburtina, natalis sancti Vincentii. Apud Emeri- *Vincentii.* tam Hispaniæ civitatem, sancti Victoris militaris, qui cum *Victoris &* duobus fratribus Stercatio & Antinogeno diversis examina- *sociorum.* tus suppliciis, martyrium consummavit. In Italia civitate Tyro, san-

Chriſtinæ. Ctæ Chriſtinæ virginis, quæ in Chriſtum credens, primo ſub duobus judicibus tormenta conſtanter perferens, noviſſimè per ſucceſſorem eorum, abſciſione linguæ & ſagittarum confixione, curſum martyrii ſui complevit. Eodem die, natalis ſanctarum Nicetæ & Aquilinæ, quæ beati Chriſtofori martyris prædicatione ad Chriſtum converſæ, martyrii palmam capitis abſciſione ſumpſerunt. Civitate Amiterni-
Nicetæ & Aquilinæ.
Milit. 83. na, militum octoginta trium.

Ita *Praten. Herinien. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *via Tiburtina*, alibi dictum eſt. *Vincencii* ſcribit Greven. Et Munerat. *militis*, pro *militaris*. Rurſus in Greven. *Antiogeno*, pro *Antinogeno*. Praten. habet *diverſis exanimatus ſuppliciis*, ad rem ſatis appoſite, ut alibi præferendum putavimus. Fortius loquuntur Greven. & Molan. per, *diverſis exterminatus ſuppliciis*. At ceteri hîc cum Adone legunt; *diverſis examinatus* &c. Male Herinien. *Tiro*; item *Criſtinæ* cum Munerat. & Greven.; rectius alii cum textu *Chriſtinæ*. Omnes habent, *tormenta conſtanter perferens*: neſcio unde in Heripien. irrepſerit, *tormenta multipliciter exacta*. Item *confoſſione*, pro *confixione*, ubi in Greveno eſt, *infixione*. *Niceæ* pro *Nicetæ* ſcribunt Herinien. & Munerat. ut habet Florus die ſequenti. Forte Pratenſis poſt Adonem, bene poſuit *Aquilæ*, in quo codex unus aut alter ei concinit, ſed cedendum fuit reliquorum torrenti. Lego *Chriſtofori*, cum maximo codicum numero, quamvis melius habeant *Chriſtophori* Herinien. & Molanus. *Amiterina* pro *Amiternina*, vitium eſt in Munerat.

OBSERVATIO. Totius hujus textus, valde dubii & implexi, veram & unicam ſcaturiginem attigeris, ſi Adonem cum Noſtro conferas, licet non idem in utroque ordo ſervetur. Qui in Romano parvo primus, *Roma via Tiburtina*, *Vincentii*, idem &
Vincentii. in Uſuardo eſt, ſed in Adone, ſecundo loco ponitur, ubi hic interjicit, *miliario* XIX, quod à Noſtro neglectum vides. Forte quod milliaria illa, ultra urbem Tiburtinam extendi intelligeret. Sic tamen die præcedenti in Hieronymianis ferme legitur; niſi quis Epternacenſem codicem præferat, in quo ſimpliciter: *Romæ*, *Vincentii*. Unicum martyris hujus noſtri monumentum ſupereſſe vides, quod nempe, teſte Baronio, Tibure exſtet *eccleſia S. Vincentii*, veroſimiliter de hujus nomine ſic appellata. Rurſus in Romano parvo ſequitur: *Apud Emeritam Hiſpaniæ*, *Victoris militaris*, qui in Adone locum ter-
Victor. &c. tium obtinet. Ceterum quæcumque Uſuardus Romano parvo ſuperaddidit, ea verbatim ex Viennenſi deſcripta ſunt. Utrum ea Viennenſis ex documentis ſatis certis acceperit, merito dubitare cogit Caſtellani notula, quâ, fortaſſe ex Hieronymianis, hîc indicari putat decem Athenogenis diſcipulos, qui cum ipſo interempti ſint XVII Julii, quo die magiſtri Acta à Surio referuntur; de quibus nos aut illo, aut hoc die fuſius alibi diſſeremus. De *Chriſtina* prudentiſſime ſcripſit Beda: *Natale ſanctæ Chriſtinæ virginis*. Quibus Rabanus præfixit, *Tyro civitate*, cum elogio à ſe concinnato. Verum Bedæ circumſpectione uſus eſt auctor jam bis laudati Romani parvi, ita legens: *Circa lacum Vulſinum in Italia*, *Chriſtinæ virginis*. Atque ab hac illuſtri virgine, hodie orditur Ado:
Chriſtina. *Eodem die*, *apud Italiam in Tyro*, *circa lacum* &c. Pluribus deinde proſequens ſupplicia varia, ab ea incredibili robore tolerata; ex quibus ſatis habuit Uſuardus paucula ea decerpere, in textu noſtro ſatis eleganter repræſentata. Quæ porro *Tyrus* illa Tuſciæ (cui fere ſimilem habuimus ſuperius IX Julii) & ubi ſita umquam fuerit, quærunt Baronius & Florentinius contra Cluverium, ubi & multa alia commiſcentur, quæ hoc loci decidenda non ſunt, opportunius alibi cum ipſis Chriſtinæ Actis diſcutienda. Eam Wandelbertus, cum ſequentibus duabus virginibus uno verſiculo complectitur:

Mox nonam Chriſtina, *Aquila & Niceta ſacrarunt.*

Quarto itaque loco ponuntur & in Adone & in Noſtro, totidem utrobique verbis,
Nicetæ & Aquilinæ. geminæ jam dictæ virgines *Niceta* & *Aquilina*; ita nos hîc utramque vocamus, ex præcipuorum Uſuardinorum codicum auctoritate, licet fortaſſe poſterior ex Adonis ſenſu melius *Aquila* nominaretur. Clar. Caſtellanus in Martyrologio ſuo univerſali, ambas ante Wandelbertum incognitas fuiſſe aſſerit; recte, niſi antiquior cenſeatur Florus à noſtris editus, qui XXV Julii earum & Chriſtophori elogium connectit: an ſatis vere, alterius loci erit diſquirere. Poſtrema demum annuntiatio vere etiam & integre Adoniana eſt, ut proinde de totius noſtri laterculi origine & ſimplicitate vel per umbram ambigi à quoquam nequeat. Hæc igitur pro præſenti inſtituto ad normam ſuam plene & plane exacta ſunt, quamvis ultro fatear ex codicibus Hieronymianis ſcabritiem

britiem non modicam ſupereſſe, tum circa *Amiterninos*, tum circa *Emeritenſes*, cui lævigandæ dolabra adhuc alia opus erit præter eam, quam in illis conciliandis adhibuit Florentinius, uti & de *Chriſtina* nuperrime diximus. Addi poterunt *Victorinus*, Notkeri, & *Victorinus* atque *Severinus*, fratres qui à Rabano recoluntur. Vide interim citatas Caſtellani Notulas ad Martyrologium univerſale, ubi *octoginta tres milites* in *octoginta tria milliaria* commutantur, ſervato ſolo *Victorini* nomine, qui ad eam diſtantiam *via Salaria* coronam martyrii conſecutus ſit, pro qua lectione ſtare videntur Hieronymiana apographa recte inter ſe compoſita. Sed de rebus ambiguis, hîc pluſquam ſatis. *Milit.* 83.

AUCTARIA.

Chriſtinæ. TORNACEN. Incipit: *Natale ſanctæ Chriſtinæ virginis.* An Chriſtinam Hasbanienſem, vulgo, *mirabilem* intelligat, eo, quo hoc Martyrologium ſcriptum eſt ſeculo defunctam, neſcio; certe in textus proſecutione iterum ſcribit: *In Italia civitate Tiro, ſanctæ Chriſtinæ virginis*, reſecto elogio. Cetera purus eſt.

ANTVERPIEN-MAJ. Expuncto Vincentio, textum confundit hoc modo: *Romæ, via Tiburtina, natale ſancti Victorini militaris, qui cum duobus fratribus* &c. Reliqua quæ ſequuntur, ſatis pura ſunt, niſi quod in fine ſic habeat: *Amiterna, militum octoginta.*

ROSWEYD. Toto textu purus, in fine ap- *Vig. S. Jac.* ponit: *Vigilia ſancti Jacobi Apoſtoli.*

PULSANEN. Caret duabus annuntiationibus, nempe ſecunda & ultima.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Deficiunt ſolum in annuntiatione prima.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Integrum textum referunt, mutato dumtaxat Chriſtinæ loco, quam cum Adone primam collocant. Sed initio præfigunt: *De eadem.* *Vigilia ſancti Jacobi Apoſtoli.*

ALBERG. & DANIC. Quatuor prioribus conformes, omittunt etiam *Vincentii.*

BRUXELLEN. Et hic rariſſime deficiens, deficit tamen hac die in eodem Vincentio.

HAGENOYEN. Incipit: *Vigilia ſancti Jacobi.* In Vincentio dein & Emeritenſibus purus eſt. Sequitur: *De Chriſtin.* *In Italia civitate Tyro, paſſio ſanctæ Chriſtinæ virginis & martyris. Quæ cum eſſet nobilis & annorum quindecim, pater ejus interea clauſit eam cum duodecim puellis, & conjunxit ei Deos aureos, ut adoraret ea* [eos] *quos ipſa divinitus inſpirata contempſit. Ob hoc pater ejus iratus percuſſit eam nudam virgis, & nudati ſunt duodecim viri ſuper eam. Poſt fecit illam in rota ligari, & ſic præſentavit eam judici, qui clauſit illam in cane æneo, & ignem appoſuit cum pice, reſina & oleo, & nil ei nocuit. Poſt hæc præciduntur ei mammillæ, & lac pro ſanguine egreſſum eſt. Tunc ipſa cum mammilla ſua faciem judicis maculavit & ejecit oculum ejus. Et tunc ſub tertio judice lingua ſibi præciditur & ad ultimum tribus ſagittarum ictis occiditur.* In reliquis ſatis purus eſt.

CENTULEN. *Apud Emeritam Hiſpaniæ civitatem, ſancti Victoris martyris. In Italia civitate Tiro,* *Textus mutilus.* *paſſio ſanctæ Chriſtinæ virginis. Eodem die, ſanctorum Nicetæ & Aquilinæ, quæ in paſſione ſancti Chriſtofori commemorantur.* Vide Obſervationem.

AQUICINCT. Pro *Stercatio* & *Antinogeno*, legit, *Sunteatio* & *Antiogeno.*

VICTORIN. In fine: *Et ſancti Victorini martyris.* Alii codices eodem modo annuntiant. *Victorini.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Criſtinæ virginis & martyris. Vigilia. Romæ, Vincentii martyris. Niceta & Aquilinæ martyrum. Judoci confeſſoris. Item militum* LXXXIII *martyrum.* *Judoci.*

REG. SUEC. ſignatus num. 130. *Militum* XCIII. *Et ſancti Victorini martyris.* *Militum* 93. *Victorini.*

VATICAN. ſub nota num. 5949. Etiam in fine: *Et ſancti Victorini martyris.* *Victorini.*

ALTEMPS. *In territorio Conventienſi Stanes monaſterio, ſancti Wlfadi martyris, qui pro fide Chriſti à rege Wlfero patre ſuo, gladio interemptus coronam meruit accipere ſempiternam, ſignis ſe ſignans vivere manifeſtis.* *Wlfadi.*

CODEX MONTIS SANCTI. *Natalis ſanctæ Segolenæ Deo ſacratæ.* Caſtellanus ſcribit *Siggolenæ.* *Segolenæ.*

EDITIO LUBECO-COL. *Vigilia ſancti Jacobi Apoſtoli. In Italia civitate Cyro, quæ eſt circa lacum Vulſinum, ſanctæ Chriſtinæ virginis. Quæ in Chriſtum* &c. ubi poſt *complevit*, adjicitur; *anno ætatis ſuæ undecimo.* In Victore, pura eſt. De Vincentio addit, *miliario* XIX. In Amiternenſibus pura, de duabus virginibus Niceta & Aquilina, inſerit: *Quæ in Licia, civitate Samon beati Chriſtofori* &c. In fine: *Cenomanis, depoſitio ſanctorum Pauacii, Turribii & Gundaniſoli epiſcoporum & confeſſorum.* *Vig. S. Jac.* *De Chriſtin.* *Pauacii & alior. epp.*

BELIN. Incipit: *Vigilia ſancti Jacobi Apoſtoli.* Reliquus textus utcumque purus eſt, ſed Emeritenſes ad ultimum locum rejecit. *Vig. S. Jac.*

GREVEN. *Vigilia ſancti Jacobi Apoſtoli. Cenomannis, depoſitio ſanctorum Pauacii, Turribii & Gundaniſoli epiſcoporum præfatæ urbis & confeſſorum. Segelenæ viduæ.* *Vig. S. Jac.* *Pauacii &c.* *Segolenæ.*

MOLAN. *Paſſio ſanctæ Lewinnæ, quæ multis decorata virtutibus floruit ſub rege Anglorum Euberto nuncupato; quæ poſtmodum ſub ejuſdem regis tempore, martyrio vitam finiuit; archipræſule vivente nomine Theodoro. Vigilia ſancti Jacobi Apoſtoli.* Dein minoribus typis: *Quæ pleriſque locis in obſervatione jejunii celebratur. In territorio Hasbano, ſanctæ memoriæ Criſtinæ virginis: cujus vitam ſcripſit Thomas Cantipratenſis.* Editiones poſteriores incipiunt litteris Italicis à, *Vigilia ſancti Jacobi Apoſtoli.* In fine: *Bergis, ex Anglia, paſſio ſanctæ Lewinnæ, quæ multis decorata virtutibus floruit ſub rege Anglorum* &c. *De Lewina.* *Vig. S. Jac.* *Chriſtinæ mirabilis.*

Die vigeſima quarta, ſanctæ hoſiomartyris Chriſti; Paraſceves. Hæc in Latinis codd. nota non eſt. *Paraſcever.*

VIII *Kal.*

Die 25.

NAtalis beati Jacobi Apoſtoli, fratris Joannis Euangeliſtæ, qui *Jacobi.* ab Herode rege decollatus eſt. Hujus ſacratiſſima oſſa ab Hieroſolimis ad Hiſpanias tranſlata, & in ultimis earum finibus

Chriſtof bus condita, celeberrima illarum gentium veneratione excoluntur. In Licia civitate Samon, ſancti Chriſtofori, qui virgis ferreis attritus, & à flammis æſtuantis incendii, Chriſti virtute ſalvatus, ad ultimum ſagittarum ictibus confoſſus, martyrium capitis obtruncatione com-
Cucuphat. plevit. Civitate Barcinona, natalis beati Cucufatis martyris, qui pro nomine Domini atrociſſima tormentorum genera ſub tribus expertus
Tranſlat. Germani. judicibus, noviſſime gladio victor migravit. Civitate Pariſius, tranſlatio ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris.

Ita *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp. Max-Lubec.* & *Greven.*

VARIA LECTIO. De *Hieroſolimus*, *Jheroſolimus*, *Hieruſolimis*, *Jeroſolimis* &c. dictum & ſatis. Item de *Licia* & *Chriſtoforo*. Hic potiſſimum notandum, quod in codice Herinienſi ſecunda annuntiatio ponatur primo loco. Antverp. & Max-Lubec. pro *ſacratiſſima oſſa* ſubſtituunt, *ſacra oſſa*. Legendum eſſet *Samo*, ut bene habet Greven. Sed ceteri omnes ſcribunt *Samon*, non *Samſon*, ut Antverp-major. Pratenſis legit, *& e flammis æſtuantis* &c. pejus Herinien. & Antverp-maj. *& flammis*. Poſuimus cum Adone & codicibus reliquis, *& à flammis* Antverp. ſolus & male ſcripſit *Barcilonona*: item & ipſe & Max-Lubec. & filii *Cucufati*, Antverp-maj. *Cucuphati*: nos cum majori & potiori numero *Cucufatis*.

OBSERVATIO. *Jacobi Zebedæi*, primi inter Apoſtolos martyris memoriam Sacramentarium Gregorii, & iis verbis recolit Romanum parvum, à quibus parum
Iacobi. differt Bedæ phraſis: *Natale ſancti Jacobi Apoſtoli Zebedæi:* nec dubitat Florentinius, quin eidem ipſi Zebedæo tribuenda ſint, quæ hac die de Jacobo in Hieronymianis referuntur. Adonis elogium inter Feſtivitates Apoſtolorum & breve & nitidum eſt, à quo vix quidquam Noſter detraxit, omnia ferme ad verbum deſcribens. Quæ autem Notkerus iis adjunxit, magni momenti non ſunt. Alia Florus de Apoſtolo commemorat, tamquam ex Clemente Alexandrino accepta, ſed proprio loco examinanda; cum pluribus aliis ad Jacobi vitam, peregrinationes, martyrium, tranſlationem, inventionem & innumera miracula ſpectantibus, quæ certe operoſam diſquiſitionem exigunt, à Tillemontio eruderari cœptam tomo 1 à pag. 324, & in notis à pag. 594, ubi, ſolitâ diligentiâ, auctores adducit, ex quibus controverſiæ plures copioſius ſuo loco explicari & enodari poterunt. Pergit Romanum parvum: *Civitate Samo*, *Chriſtophori martyris*. Agitur & ejus memoria in Flori ad Bedam (hic eum ſignavit XXVIII Aprilis) additionibus, longiuſculum elogium complexis. Verum ad nos propius ſpectat Ado, qui tam eleganter rem omnem paucis expreſſit, ut nihil invenerit Uſuardus quod ex eo demi
Chriſtoph. poſſet. Neque hîc dubium eſt, quin eumdem *Chriſtophorum* etiam recolant Hieronymiana apographa, quidquid & nomen & poſitio nonnihil deformata appareant. De giganteis ejus ſtatuis, aliiſque eo ſpectantibus, videſis Florentinium & notam Papebrochii ad Ephemerides Græco-Moſcas ante tomum 1 Maii pag. XXVI col. 1, ex qua prævie intelliges, quid de vulgatis Chriſtophori Actis cenſendum ſit.

In Barcinona civitate, *ſancti Cucuphatis martyris*, ſcribit Florus, quem ab Adone num-
Cucuphatis. quam viſum, mihi perſuaſiſſimum habeo. Sic ut certum videatur, non Martyrologum aliquem antiquiorem hoc die, ſed Acta ipſa qualiacumque Viennenſi præluxiſſe; quorum inſignem producit epitomen, à Notkero ferme tranſumptam, ſed ab Uſuardo ita contractam, ut in textu legere eſt. Videantur Hieronymiana non XV Februarii, ut notat Caſtellanus, ſed XVI Februarii, quæque ibi à Florentinio obſervata ſunt. Quæ de hoc ſancto certa ſunt, tradit Tillemontius tomo 5 pag. 58, quæ dubia pag. 609.
De Germ. Hactenus in textu noſtro Adoniana omnia. In ipſo ſequitur *depoſitio ſancti Germani epiſcopi*, poſita, opinor, per errorem typographi, pro, *tranſlatio*, ut recte legunt Uſuardini; nam de Germani depoſitione, ab ipſomet Adone agi oſtendimus die XXVIII Maii. In
De Clodeſinde. prædicto Adone textum claudit: *Metis*, *natale ſanctæ Clodeſindis virginis*; quam cur Uſuardus præterierit, non aliam cauſam conjicio, quam quod veroſimiliter ab ejus ecgrapho abfuerit. Utcumque res habeat, præteritam evincunt probatiſſimi codices, quemadmodum primigeniam & genuinam ejus phraſim in reliquis apertiſſime demonſtrant. Porro Wandelbertus tres primos noſtros Martyres hoc modo metris ſuis illigavit:

Octavam Jacobus Zebedei filius ornat,
Primus Apoſtolicum vero pro Rege cruorem
Qui dedit: hunc Cucuphas Chriſtophoruſque ſequuntur

AUCTA-

AUCTARIA.

TORNACEN. Plane in reliquis purus, omittit elogium Cucufatis.

PULSANEN. In Jacobo plenus, deficit in elogiis Chriſtophori & Cucufatis. De ſancti Jacobi tranſlatione tacet.

ROSWEYD. Textui integro cum Adone ſubjungit: *Metis, natale ſanctæ Glodeſindæ virginis.*

Glodeſindæ. *Tranſlat. Juliani.*

MUNERAT. In textu etiam purus, adjungit: *Cenomanis, tranſlatio ſancti Juliani epiſcopi & confeſſoris.* Dies ejus natalis eſt XXVII Januarii.

MOLAN. Ultimam annuntiationem, de ſancti Germani tranſlatione, prætermiſit.

ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Textui item puro adjiciunt: *Metis, natale ſanctæ Glodeſindis virginis. Treveris, ſancti Magnerici epiſcopi & confeſſoris.*

Glodeſindis. *Magnerici.*

ANTVERP-MAX. Hiſce ſuperaddit: *Item ipſo die, ſancti Judoci heremitæ, filii regis Britanniæ.*

Judoci.

CENTULEN. *Natalis beati Jacobi Apoſtoli, fratris Joannis Euangeliſtæ, qui decollatus eſt ab Herode Ieroſolymis, ut liber Actuum Apoſtolorum refert. In Licia, civitate Samon, ſancti Chriſtofori martyris, qui virgis ferreis aſtrictus & flammis æſtuantis incendii, Chriſti virtute ſalvatus, ad ultimum ſagittarum ictibus confoſſus, martyrium obtruncatione capitis complevit. Civitate Barcinona, ſancti Cucufati martyris glorioſi. Romæ, ſancti Nemeſii martyris. Pariſius, tranſlatio ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris. In pago Pontivo, inventio corporis ſancti Judoci confeſſoris.*

Nemeſii *Invent.* *Judoci.*

BRUXELLEN. In tribus primis, ſatis purus, quarto loco ponit: *Metis, natale ſanctæ Glodeſindis virginis glorioſæ, quæ ſponſum fugiens, velamen de manu angeli ſuſcipere meruit. Treveris, ſancti Magnerici epiſcopi & confeſſoris, qui beatum Gaugericum clericali militiæ aſſcripſit.* Sequitur *tranſlatio ſancti Germani.*

Glodeſindis. *Magnerici.*

HAGENOYEN. De Jacobo & Chriſtophoro longos logos recitat, alibi diſcutiendos. In Cucufate, ſatis purus eſt. De tranſlatione ſancti Germani, nihil habet, ſed ejus loco ſubſtituit: *Item, tranſlatio ſancti Judoci confeſſoris;* quæ ſupra in CENTULEN. *inventio* dicitur &c. Vide diem ejus natalem, XIII Decembris.

Tranſlat. Judoci.

AQUICINCT. Poſt tranſlationem S. Germani, recentiori manu addit: *Et ſancti Iudoci.*

Judoci.

AMBIANEN. *Eodem die, ſancti Judoci confeſſoris.* Jam diximus, ipſum coli XIII Decembris.

Judoci.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Jacobi Apoſtoli. Chriſtofori martyris. Cucufatis martyris. Glodeſindis virginis. Tranſlatio beati Germani epiſcopi Pariſienſis. Felicis martyris.*

Glodeſindis. *Felicis.*

BIGOTIAN. ſign. P. 5. *Civitate Pariſius, tranſlatio ſancti Marcelli epiſcopi & confeſſoris.* Vide plura de Marcello, die ſequenti.

Tranſlat. Marcelli.

DIVIONEN. S. Benigni, qui eſt apud Ciſtercium. *Ipſo die beati Juliani epiſcopi. Hic fuit unus de* LXX *Chriſti diſcipulis, quem tranſmiſit beatus Petrus Apoſtolus Cenomanicæ civitati ad prædicandum verbum Dei.* Vide ad MUNERAT.

De Juliano.

REGINÆ SUEC. ſub nota num. 428. *Cenomanis, tranſlatio ſancti Juliani epiſcopi & confeſſoris. Belloacus, ſancti Ebrulfi confeſſoris.* Gallicè vocatur *Evrols*; de quo in Martyrologio univerſali notat Caſtellanus, abbatem fuiſſe ad *S. Fuſciani* prope Ambianum; ſepultum Oratorii in pago Bellovacenſi, indeque corpus ejus in urbem Bellovacenſem ad S. Petri tranſlatum.

Tranſlat. Juliani. Ebrulfi.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt tota ultima noſtra annuntiatio de *tranſlatione S. Germani.*

ALTEMPS. *Romæ, natalis ſancti Eutyciani Papæ, qui corpora martyrum* CCCLXII *ſepelivit, martyrio coronatus, ſepultus eſt via Appia in cœmeterio Calixti.* Vide de eo hac die Florum, vel qui ſub ejus nomine in Beda noſtro editus eſt, & Rabanum. Colitur in Romano, VIII Decembris.

De Eutychia

FLORENTIN. *Romæ, ſancti Eutychiani Papæ & martyris.* De quo jam diximus.

Eutychiani.

LUXOVIEN. *Metis, ſanctæ Glotſindis virginis.*

Glotſindis.

EDITIO LUBECO-COL.: In tribus primis modice interpolata, ſubdit: *Hieroſolymis, ſancti Joſiæ ſcribæ, qui Chriſtum lucratus eſt, lege calicis, Joſiæ. ut in geſtis beati Jacobi Apoſtoli legitur.* De Magnerico, ut ſupra. Dein: *Methis, natale ſanctæ Glodeſindis virginis, cujus ſepulcrum crebris miraculis illuſtratur. In pago Meldenſi, depoſitio ſancti Urſi Trecorum epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, ſancti Urſicii epiſcopi & confeſſoris.* De tranſlatione Germani ut ſupra. Demum: *Ipſo die, inventio corporis ſancti Judoci presbyteri & confeſſoris.*

Glodeſindis. *Urſi.* *Urſicii.* *Invent. Judoci.*

BELIN. Tertio loco habet: *Civitate Pariſius, tranſlatio* &c. Poſt quam annuntiationem ſequitur: *Civitate Barchilena, natale beati Cucufati martyris*, ubi ſiſtit, expuncto elogio.

GREVEN. *Treveris, ſancti Magnerici epiſcopi & confeſſoris. Qui à ſancto Niceto ejuſdem urbis epiſcopo educatus, eum, ob zelum juſtitiæ, à Clothario in exilium pulſum, non dereliquit, ſibique poſtmodum digne ſucceſſit. In pago Meldenſi, depoſitio beati Urſi, Trecorum epiſcopi & confeſſoris. Item, ſanctorum Ruſtici & Florentii. Methis, natale ſanctæ Glodeſindis virginis, cujus ſepulcrum crebris illuſtratur miraculis. Cenomanis, tranſlatio ſancti Iuliani epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die, inventio corporis ſancti Judoci presbyteri & confeſſoris.* Vide quæ ſupra diximus ad HAGENOYEN.

De Magner. *Urſi.* *Ruſtici & Florentii.* *Glodeſindis.* *Tranſlat. Iuliani.* *Invent. Judoci.*

MOLAN. *Ipſo die Metis, natalis ſanctæ Glodezindis virginis. Treveris, ſancti Magnerici epiſcopi. Civitate Pariſius, tranſlatio ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris. In pago Meldenſi, depoſitio beati Vrſi, Trecorum epiſcopi & confeſſoris.* Dein, minoribus typis: *Civitate Æduenſi, ſancti Reticii confeſſoris, ejuſdem civitatis epiſcopi.* Editiones aliæ: *Ipſo die Metis* &c. *Treviris* &c. *In pago Meldenſi* &c. *Die vigeſima quinta, memoria ſanctarum mulierum, Olympiadis & Eufraxiæ.* De tranſlatione ſancti Germani, ut ſupra. Demum minori charactere: *In Palæſtina, civitate Gaza, ſanctarum mulierum, Valentinæ & collegæ ejus. Quas Firmilianus præſes, cui, animi magnitudine plane viri, liberrimè contradicebant, ad extremum flammarum incendio abſumendas addicit. Ibidem ſancti Pauli martyris, qui oratione fuſa, pro judice, carnifice, & omnibus in errore verſantibus, cervicem gladio feriendam libenter ſubmiſit.* Vide de celeberrimis hiſce Martyribus Martyrologium Romanum hoc die, & geminas Caſtellani ad ipſum accuratiſſimas Notulas. Sumuntur ex Euſebio de Martyribus Palæſtinæ, editionis Valeſianæ libro 8 cap. 8, quem refert Ruinartius inter Selecta pag. 341; ubi obſervat, fortiſſimas Virgines à Græcis recoli XVIII Julii, alteramque apud Euſebium anonymam, ab eis *Theam* appellari.

Glodeſindis. *Magnerici.* *Urſi.* *Reticii.* *Olympiadis & Eufraxiæ* *Valentinæ & ſociæ.* *Item Pauli.*

VII *Kal* *Die* 26.

Eraſti. NAtalis ſancti Heraſti, qui Philippis à beato Paulo epiſcopus relictus, ibidem martyrio coronatus quievit. Romæ in portu,

Hyacinthi. ſancti Jacincti martyris, qui primò in ignem miſſus, inde in validiſſimum torrentem præcipitatus, illæſus evaſit: poſt hæc à conſulari

Simpronii & ſocior. Leontio, gladio percuſſus, vitam finivit. Via Latina, ſanctorum Simpronii, Olimpii, Theodoli, & Exuperiæ, qui ignibus conflagrati, ut in geſtis ſancti Stephani Papæ legitur, martyrii palmam adepti ſunt.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. In *Heraſti*, nulla inter codices diſcrepantia, omnibus plane ita efformantibus. Fateor, ſequentem melius vocandum *Hyacinthi*, ut eſt in Romano parvo & Adone. Proxime accedit Praten. per *Hiacinti*; ſed reliqui conſtanter & uniformiter legunt *Jacincti*, ut eſt in textu. Solus Antverp-maj. pro, *inde in validiſſimum torrentem*, ſcribit, *inde validiſſimo torrente*. Sic bene in textu, *poſt hæc à conſulari* &c. ſed Antverp-maj. & Herinien., omittunt particulam *à* &c. *Leuncio* in Antverp., & *Lenucio* in Max-Lubec. utrumque mendoſe ſcribitur, uti & *Leoncio* à Greven. Poſt, *via Latina*, in Antverp. & Max-Lubec. Deeſt, *Sanctorum*. Nomina autem martyrum variè corrupta ſunt, etiam in textu noſtro, ubi *Simpronii* reliquimus, ex Praten. Herinien. &c. tamquam conformius vero nomini *Sempronii*, quod in Actis exprimitur, licet alii legant communius *Simphronii*; Antverp-maj. *Simphroſii*, tum *Olimphii*, *Teodoli*, *Exuperii*; quæ ex aliorum conſenſu aliter à nobis ſcripta ſunt. In Antverp. & Max-Lubec. omittitur *Olimpii*. Greven. pro, *ut in geſtis* &c. legit, *& ſicut*.

Eraſti. OBSERVATIO. De *Eraſto*, qui hîc primo loco ponitur, nihil hac die in Hieronymianis, nihil in Beda, Floro aut Rabano, nihil in Romano parvo, nihil in ipſo Adonis Martyrologio, ut à Roſweydo editum eſt; in quo & hoc vitii advertes, quod ſignato in indice nomine *Heraſtus*, ad appendicem remittamur, à qua tamen Sanctus abeſt, in libello de Feſtivitatibus recte ſine aſpiratione poſitus. Quid ſcrupuli, ad eum ex prædicto Adonis Martyrologio expungendum, habuerit Roſweydus, haud ſatis perſpicio; mihi certe tam videtur Adonianus, quam ſit *Hyacinthus* ibidem commemoratus: idque evinci omnino arbitror ex eo, quod ipſiſſimis Adonis apud Moſandrum verbis & à Notkero & ab Uſuardo referatur, præterquam quod diſertiſſime etiam in ipſomet Adone Roſweydi, inter citatas Feſtivitates Apoſtolorum, & quidem iiſdem ubique terminis celebretur. Eraſti laus ex Actibus Apoſtolorum & epiſtolis Pauli Apoſtoli vere deſumenda eſt; videri poſſunt quæ de eo paucis colligit Tillemontius tomo 1 pag. præ-

Hyacinthi. ſertim 113. De *Hyacintho*, Hieronymianis iterum & Bedæ ignoto, ſic loquitur Romanum parvum: *Romæ in Portu, ſancti Hyacinthi martyris*. Hinc in Adonem tranſiit, ubi pluribus & martyrium ejus & ſepultura deſcribitur, quemadmodum & apud Notkerum invenies; ſed Uſuardus, ſola prima parte contentus, rem totam paucioribus, ſolito nitore, explicuit; utinam tam vere! nam ut candide dicam, Acta martyrii, ut apud Surium edita ſunt, non pauca continent, quæ talium peritus lector non facile admittet: merito aliqua carpit Tillemontius tomo 2 pag. 573.

Simpronii & ſocior. Abeſt etiam ab Hieronymianis & Beda ſequens martyrum claſſis, à Romano parvo primum conſignata, non hac die, ſed IV Decembris, quæ ratione tranſlationis, à beato Sixto factæ, celebrior evaſiſſe ibi dicitur, licet VII Kal. Auguſti ſeu XXVI Julii paſſi dicantur. Quæ omnia ab Adone prædicta die IV Decembris fuſius explicantur, præmiſſo nempe longo elogio, ex Actis S. Stephani Papæ concinnato: in quibus mirum eſt non obſervaſſe Adonem, quod præfati martyres ſepulti referantur à S. Stephano Papa, pridie Kal. Novembris, adeoque veroſimillime non menſe Julio, ſed Octobri exeunte martyrium conſummaverint. Aliam diem elegit Florus, nempe XXVII Julii, ita loquens: *Eodem die, Romæ, paſſio ſancti Symphronii; cum quo Olympius cum uxore ſua Exuperia & filio Theodolo, juſſu Valeriani & Galieni ignibus ſunt exuſti.* Ad Uſuardum noſtrum quod proxime attinet, vix equidem dubito, quin ex Adone ſua omnia acceperit, cujus ſententiam de paſſionis die ſecutus, ipſos martyres ex IV Decembris ad XXVI Julii retraxerit. Quod & Baronius fecit, haud ſatis memor in Actis ſancti Stephani Papæ, ſub annis CCLIX & CCLX à ſe in Annalibus editis, alium omnino diem inſi-

insinuari. Sed hæc in ipsis Actis postea à nobis illustrandis ad incudem erunt revocanda: hîc solum ostendere placuit, ex uno eodemque Adoniano fonte derivata esse quæcumque superius in Usuardino laterculo, pure & simpliciter ex auctoris mente recensuimus. Videnda quæ de sancti Stephani Actis dicemus ad diem 11 Augusti. Wandelbertus *Adrianum* hoc die cum *Æmilio* & *Marciano* connectit, quorum postremi in Hieronymianis reperiuntur, sed unde conjunctio illa orta sit, prorsus ignoro.

AUCTARIA.

TORNACEN. Caret elogio Hyacinthi, & in fine habet: *Civitate Parisius, translatio sancti Marcelli episcopi & confessoris.* Plura habet MUNERAT. *Translat. Marcelli.*

ROSWEYD. Textui puro subdit: *Item Rustici & Florentii martyrum.* *Rustici & Florentii.*

PULSANEN. Truncata est secunda annuntiatio, expuncto elogio.

MUNERAT. Post textum, adjicit: *Parisius, translatio magnæ laudis & eximii viri Marcelli, ejusdem loci Pastoris, de cujus* [sic & alibi habet] *corpus requiescit in alma ecclesiæ* [ecclesia] *beatæ Mariæ virginis de Parisiis. Item festivitas beatæ Annæ, matris genitricis Dei Mariæ.* *De Translat. Marcelli.* *Annæ.*

PRATEN. Etiam additamentum refert, sed quod ex subvirgulatione colligo, in margine esse appositum his verbis: *Translatio sancti Marcelli episcopi & confessoris.* *Translat. Marcelli.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Incipiunt: *Natale beatæ Annæ, matris Mariæ Virginis. Item natale sancti Pastoris confessoris.* Notabis, deesse Olympii, in his duobus & tribus sequentibus codicibus. *Annæ.* *Pastoris.*

LOVANIEN. Idem habet de Anna matre beatissimæ Virginis, sed de Pastore nihil.

ALBERGEN. & DANIC. Sic in principio: *Natale sancti Pastoris confessoris.* Sed prior in fine textus addit: *Item sanctæ Annæ, matris glorioſissimæ Dei genitricis virginis Mariæ.* Quæ annuntiatio aliis verbis & alia manu in posteriori codice DANICO adjicitur. *Pastoris.* *Annæ.*

CENTULEN. *Natale beati Herasti, qui Philippis à beato Paulo ordinatus episcopus, ibi martyrio coronatus quievit. Romæ in portis, sancti Iacincti martyris. Item Romæ, sanctorum Simpronii, Olimpii, Theodoli & Maximæ* [Exuperiæ,] *qui ignibus conflagrati, martyrii palmam adepti sunt.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. Incipit: *Sanctæ Annæ, matris beatæ Mariæ Virginis, gloriosæ genitricis Domini nostri Jesu Christi. Transfiguratio Domini, facta in monte Thabor, à tribus discipulis, qui intererant, post ascensionem Domini, suis coapostolis publicatur.* Sequitur textus ferme purus. Deinde: *Et commemoratio sanctorum martyrum Victoriani, Frumentii, & alterius Frumentii, & duorum germanorum. Qui omnes sub persecutione Wandalica apud Africam coronati sunt. In Laodicia, natale sanctorum Viviani & Felicis. Eodem die, depositio Warmudi, qui fuit Jerosolymorum Patriarcha.* Nobis hactenus, saltem sub tali nominis inflexione, notus non est. *Item sancti Pastoris confessoris.* *De Anna.* *De transfig.* *Victoriani & sociorum.* *Viviani &c.* *Warmudi.* *Pastoris.*

HAGENOYEN. In Erasto satis purus, secundo loco habet: *Item natale beati Pastoris confessoris.* Sequuntur duæ aliæ annuntiationes etiam satis puræ. Tum: *Eodem die, sanctæ Annæ, matris Dei genitricis, quæ tres viros habuisse dicitur in sacra Scriptura....* Et alia hujusmodi, quæ præterco. Huc refert translationem sancti Germani. Atque etiam: *Metis, natale sanctæ Glodesuindis virginis. Item, Desiderati episcopi & confessoris.* Sequitur constructio imperfecta, de translatione sanctæ Helenæ. Demum: *Treveris, sancti Magnerici episcopi & confessoris.* Vide die præcedenti. *Pastoris.* *Annæ.* *Gloæsuind.* *Desiderati.* *Magnerici.*

AQUICINCT. Pro *Exuperiæ*, habet *Exuperantiæ.* *Exuperantiæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Annæ, matris beatæ Mariæ. Romæ, Hyacinthi martyris. Simphronii, Olympii, Theodoli & Exuperiæ martyrum. Erasti, discipuli beati Pauli.* *Annæ.*

REG. SUEC. sign. num. 428. *Civitate Parisiensi, translatio sancti Marcelli Parisiensis episcopi.* *Translat. Marcelli.*

CODEX. D. LE MARE. sign. A. *Augustodano, beati Reticii episcopi & doctissimi viri.* *Reticii.*

VATICAN. *In Syria, Simeonis monachi, qui in columna stetit.* Extracta hac die consula sunt. *Simeonis.*

UGHELLIAN. Convenit plerumque, ut sæpe diximus, cum ANTV. & MAX-LUBEC. qui cum ipso hîc omittunt annuntiationem Olympii.

FLORENTIN. *Item sancti Pastoris presbyteri cardinalis.* In STROZZIAN. præterea: *Monasterio sancti Benedicti, in agro Mantuano, sancti Simeonis, monachi & eremitæ, qui multis miraculis clarus, in senectute bona quievit.* *Pastoris.* *Simeonis.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Natale sanctæ Annæ viduæ, matris gloriosissimæ & clarissimæ Virginis genitricis Dei Mariæ, matris Domini nostri Jesu Christi. Quæ fuit de civitate Bethleem, de tribu Iuda orta & beato Ioachim desponsata. Romæ in Titulo, sancti Pastoris presbyteri & confessoris, fratris sancti Pii Papæ. Hic post innumeros agones, post multorum Sanctorum sepulturas, post innumera pietatis opera, requievit in Domino, tempore Antonini imperatoris. Ipso die, sancti Valerii filii Albanæ, quem beatus Eucharius, primus Treverorum episcopus, à morte suscitavit.* In Erasto satis pura est. De Hyacintho, sepultura adjicitur. In alia classe modice interpolata est. In fine: *In territorio Treverensi, circa Confluentiam, in monte. natale sancti Beati presbyteri & confessoris.* *De Anna.* *Pastoris.* *Valerii.* *Beati.*

BELIN. Incipit: *Natale sanctæ Annæ, matris virginis Mariæ.* Sequitur textus; & in fine: *Eodem die, sancti Pastoris presbyteri & confessoris. Monasterio sancti Benedicti, in agro Mantuano* &c. ut supra in STROZZIANO. *Annæ.* *Pastoris.*

GREVEN. *Dormitio sanctæ Annæ, dignæ matris Dei genitricis semper virginis Mariæ. Eobani episcopi & martyris. Item sanctorum Viviani, Felicis, Juliani. Romæ, sancti Pastoris presbyteri & confessoris, fratris sancti Pii Papæ. Huic sanctus Pudens, discipulus sancti Pauli, filias suas Potentianam & Praxedem commendavit, titulumque nomini ejus constituit. Ipse vero post innumeros agones, post multorum Sanctorum venerabiliter exhibitas sepulturas, quievit in pace. Valerii confessoris, filii Albanæ* &c. ut supra. *Treveris, sancti Beati presbyteri & confessoris. In Bohemia, bonæ & sanctæ memoriæ, Joannis Oviculæ, confessoris, Ordinis prædicatorum.* *De Anna.* *Eobani.* *Viviani &c.* *Pastoris.* *Valerii.* *Beati.* *Joannis.*

MOLAN. Litteris Italicis textui præfigit: *Natalis sanctæ Annæ matris Virginis Mariæ.* In fine: *Eodem die, sancti Pastoris presbyteri & confessoris.* De Simeone Mantuano, ut supra. Item de translatione S. Marcelli, ut MUNERAT. *Annæ.* *Pastoris.*

Christianæ cum elogio. Deinde: *In civitate Tenremundæ, beatæ Christianæ virginis. Quæ regis Anglorum Migranimi filia unica, erga deos suos & idola, secundum patrum suorum traditionem, extitit devotissima. Hanc omnipotens Deus aspiciens, de cælo illi angelum sub specie pauperis transmisit, qui eam catechizaret, atque in Christi nomine baptizari præcepit: cujus etiam ductu Dicliuenne pervenit.* Tum typis minoribus. *Treveris, sancti Beati presbyteri & confessoris. Eobani, episcopi & martyris.* Editiones *Eobani.* aliæ sic ipsum Usuardinum textum litteris Italicis incipiunt: *In civitate Aconensi, natale sanctæ Annæ* &c. In fine, de Pastore, de Simeone Mantuano, de Christiana Teneramundensi, ut in prima editione. Tum: *In Carthusia prope Confluentiam, sancti Beati, presbyteri Trevirensis & confessoris.* Demum, de translatione Marcelli Parisiensis, etiam ut supra.

Beati.

VI *Kal.* *Die 27.*

Maximiani & Soc. APud Ephesum, natalis sanctorum Maximiani, Malchi, Martiniani, & aliorum quatuor, quorum gesta habentur. Nicomediæ, beatorum martyrum Hermolai presbiteri, Hernempi, & Hermogratis fratrum, qui post multas pœnas sibi illatas à Maximiano imperatore, capitali sententia, ob confessionem Christi, puniti sunt. Eodem die in Sicilia, beati Simeonis monachi. Autisiodoro, depositio Etherii episcopi.

Hermolai & Socior.

Simeonis.

Etherii.

Soli codices quatuor puri sunt, nempe *Praten. Herinien. Tornacen.* & *Antverp-major.*

VARIA LECTIO. Prima difficultas est, utrum enumeraverit Usuardus singula fratrum, vulgo *Dormientium,* nomina, quæ in multis codicibus distincte exprimuntur. Nos cum citatis quatuor probatissimis & Munerato, censemus scribendum, ut est in textu. Difficultas altera occurrit in efformandis nominibus duorum fratrum sociorum Hermolai, quæ forte à solo Molano recte scribuntur, *Hermippi* & *Hermocratis.* Nihilominus ex unanimi codicum aliorum orthographia, sequenda est pars deterior; omnes enim habent, *Hernempi* vel *Ernempi;* omnes item enuntiant *Hermogratis,* excepto Pratensi. De iis non loquor, qui omissa hac annuntiatione, aliam ex Adone substituunt, aliaque commiscent textui nostro contraria. Antverp-major vitiis duobus laborat. Scilicet in principio inseruit, *natalis sanctorum septem Dormientium,* & in fine, ante *Etherii,* apposuit *sancti.* Molanum exclusimus, quia nomina septem fratrum commemorat, & in secunda annuntiatione, post *capitali sententia,* expunxit, *ob confessionem Christi,* quod etiam fecit Grevenus, præter alia quibus excedit. De mendis scriptoriis in *Nichomediæ, presbiteri, penas, Autisiodoro* &c. satis alibi dictum est.

OBSERVATIO. Ad diem XXVII Junii cursim indicavimus, Adonem eo die memoriam agere septem Dormientium; hîc addimus, nulla ab eo exprimi nomina, quæ, nisi fallor, à Rabano primum producta sunt. Sic igitur ibi simpliciter Ado pronuntiat: *Ipso die, gesta septem dormientium,* quo ferme modo referuntur in codice Hieronymiano Corbeiensi, die x Augusti. Consuli possunt Rabani & Notkeri elogia ad prædictam diem XXVII Junii, ex pervulgatis Actis conglobata, de quibus videndus omnino Baronius in Notationibus ad hanc diem. Usuardus prudenter reticuit, quæ forte verosimilia non judicavit. At quatenus, quo duce, quo præeunte septem illos fratres hac die collocaverit in Martyrologorum omnium, tum antiquiorum, tum synchronorum silentio; nec vestigium usquam occurrit, quo probabili ratione id factum dicamus, nisi fortasse in præcitatis eorum Actis qualibuscumque aliquid repererit, quo huc potius quam alio pertinere censeret; aut demum pro arbitrio rem composuerit. Ceterum non omnia Dormientium illorum nomina ab Usuardo singulatim enumerata, ex melioris notæ codicibus supra deduximus. Neque nomina, à Latinis posita, cum Græcorum nomenclatione conveniunt, licet in mirabili historia non multum discrepent. Possitne Gregorii Turonensis aut aliorum relatio Actis illis auctoritatem addere, satis explicat Baronius, cui adde Tillemontium tomo 3 à pag. 348, & in notis pag. 712.

De septem Dormient.

De solo *Hermolao* meminere Romanum parvum & Ado, cujus elogium mediæ notæ codices in Auctariis immutatum exhibebunt. Noster socios binos adjunxit, ex passione sancti Pantaleonis acceptos, iis refectis, quæ de præfato Pantaleone in Viennensi commemorantur. Quæ de eorum passione superfunt, ex Actis Pantaleonis accipienda sunt. Solus Hermolaus à Wandelberto sic canitur:

Hermolai.

Presbyter Hermolaus sexta martyrque refulget.

In Sicilia, Simeonis monachi, scribit Rom. parvum, quod sequitur Ado, hunc Usuardus & Notkerus, nisi ex Hieronymianis hausisse velis, in quibus, iisdem prope verbis

Simeonis.

bis ſignatur. Necdum ſatis aſſequor, cur à reformatoribus hodierni Romani è textu excluſus ſit. De *Etherio* Autiſſiodorenſi, Bedæ, Romano parvo,& Adoni præterito, indubitatum videtur eum ex Hieronymianis ab Uſuardo acceptum eſſe, quem pariter memorant Rabanus & Notkerus. Sed quoquo modo in textum noſtrum derivata ſint ſingula, certum puto, veriſſime Uſuardina eſſe quæ in laterculo propoſita ſunt. Solo ferme nomine notus eſt *Etherius* in Ms. noſtro de epiſcopis Autiſſiodorenſibus. *Etherii.*

AUCTARIA.

Boni &c. ROSWEYD. Incipit: *Via Latina, ſanctorum martyrum Boni presbyteri, Fauſti, Mauri, cum aliis ſeptem, qui in ſancti Stephani Papæ Actibus deſcribuntur.* Deficit in ſeptem Dormientibus; reliquo textu purus. At in fine ſubdit: *Artemia.* *Sanctæ Artemiæ, matris ſancti Nicetii epiſcopi.*

PULSANEN. Deficit etiam in Dormientibus, de reliquo ſatis purus.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Sic habent: *De 7 Dorm.* *Apud Epheſum, natale ſanctorum ſeptem dormientium, Maximiani, Malchi, Martiniani, Dioniſii, Johannis, Serapionis, Conſtantini: quorum geſta habentur.* Sequitur textus Adonia- *De Hermol.* nus: *Nicomediæ, ſancti Hermolai presbyteri, cujus doctrina beatus Pantaleon ad fidem Chriſti converſus eſt & illuſtri martyrio conſummatus. Qui tentus à Maximiano, capitali ſententia ob confeſſionem Chriſti punitus eſt.* In fine Etherius Simeoni præponitur.

MUNERAT. Errat in principio his verbis: *Transfigur.* *Transfiguratio Chriſti in monte Thabor.*

GREVEN. Pluribus idem proſequitur: *De Transfig.* *In monte Thabor, transfiguratio Domini noſtri Jeſu Chriſti, quando Petrum & Jacobum & Ioannem ſecum duxit.* Habet omnia Dormientium nomina, & præterea deficit in ſecunda annuntiatione, in qua deſunt verba, *ob confeſſionem Chriſti.*

MOLAN. Et hic nomina habet Dormientium, uti in Variantibus dictum eſt, & præterea eodem, cum Greveno, defectu laborat.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. & ALBERGEN. Conveniunt cum ANTVERP. & MAX-LUBEC. Vide ibi.

DANIC. Præfatis ſimilis, initio præfigit: *Pantaleonis.* *Apud Nicomediam, paſſio beati Pantaleonis, qui tentus pro fide Chriſti à Maximiano, equulei pœna & lampadarum exuſtione cruciatus, ſed inter hæc, Domino ſibi apparente, refrigeratus, tandem ictu gladii martyrium conſummavit.* Vide die ſequenti.

CENTULEN. *Apud Nichomediam, ſanctorum Hermolai presbyteri, Hernempii, & Hermogratis fratrum, qui ſub Maximiano paſſi ſunt. Apud Epheſum, ſanctorum ſeptem Dormientium, id eſt, Maximiani, Malchi, Martiniani, Dioniſii, Ioannis, Serapionis & Conſtantini martyrum. In Sicilia, beati Simeonis monachi. Antiſiodoro, ſancti Etherii epiſcopi.* *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. Poſt enumerata Dormientium nomina, ſubdit: *De 7 Dorm.* *Quorum geſta tanguntur ſupra v Kal. Julii, quo die omnipotens Deus ipſos in teſtimonium reſurrectionis, de morte ad vitam* *De Hermol.* *ſuſcitavit. In Nicomedia, natale ſancti Hermolai presbyteri & martyris, cujus doctrina beatus Panthaleon ad fidem Chriſti converſus eſt. Et beatorum Hermippæ & Hermogratis fratrum. Qui omnes tenti, poſt multas pœnas ſibi illatas, à Maximiano imperatore illuſtri martyrio coronati ſunt, & ob confeſſionem Chriſti, ſententia puniti ſunt capitali.* Ubi vides Adonis textum cum noſtro commixtum. Sequitur Simeon, de quo addit: *Simeonis.*

Qui fuit Syracuſis Siciliæ oriundus, Treveris pro Chriſto, diu in turri concluſus, migravit ad Dominum. Connexio diſparatorum; de Simeone Treverenſi vide 1 Junii. Nec enim veroſimile eſt, hoſce Simeones confundendos, licet uterque ſit Siculus. Hodiernus ſenior & minus forte notus, alter junior, Treveris notiſſimus. Ceterum nullus hoc die Simeon apud Baronium. Sequitur: *Mettis, ſancti Fromini epiſcopi & confeſſoris.* In fine, de Etherio, pure. *Fromin.*

HAGENOYEN. *Apud Epheſum, natale ſeptem Dormientium, Malci, Maximiani, Martiniani, Dyoniſii, Iohannis, Conſtantini & Seraphionis. Iſti ſeptem viri ſancti, erant Decii imperatoris curiæ Officiales, & cum ille omnes cogeret ydolis ymmolare, ipſi fugerunt in montem, aliquam pecuniam ſecum portantes, & in tribulatione obdormiverunt uſque ad tempora magni Theodoſii imperatoris Chriſtianiſſimi, coram quo illi ad oſtenſionem futuræ reſurrectionis, aſſeruerunt ſe reſuſcitatos, quia mortuorum reſurrectio tunc ab hæreticis impugnabatur, & poſtquam illi generalem reſurrectionem, ſplendore vultus eorum & verbis probaverunt coram imperatore & cuncto populo, iterum obdormiverunt in Chriſto.* De Hermolao, eadem ferme habet quæ ſupra ex Adone. Tum addit: *Eodem die, ſanctorum martyrum, Hernempi & Hermograti fratrum ſancti Hermolai presbyteri, qui paſſi ſunt multas pœnas à Maximiano ſibi illatas, tandem capitali ſententia ob confeſſionem Chriſti nominis puniti ſunt.* In Simeone & Etherio ſatis purus eſt. *Multa de Dormient.* *deHern.&c.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Lutgardis virginis* (de qua XVI Junii) *Beatricis virginis* (vide XXIX hujus) *Maximiani, Malchi, Martiniani, & aliorum quatuor martyrum. Hermolai cum ſociis mart. in paſſione Pantaleonis, inclyti & glorioſi juvenis, quem Deus mirabiliter in paſſione confortavit: de cujus corpore lac pro ſanguine manavit.* Hæc ad marginem cum aſteriſco remiſſa, dubium relinquunt, an huic an potius diei proxime ſequenti (ad quem proprie ſpectant) ſint tribuenda. *Lutgardis.* *Beatricis.*

EDITIO LUBECO-COL. In Hermolao, parum differt ab Adonis textu, cui ſubjungit: *Item, Nicomediæ, ſanctorum martyrum, Hermenpi & Hermograti fratrum, ſub Maximiano imperatore decollatorum.* In Simeone & Etherio ſatis pura eſt. Sequitur: *Apud Epheſum, natale ſanctorum ſeptem Dormientium in monte Celyon, in ſpelunca, qui juſſu Cæſaris Decii obturati ſunt lapidibus quadratis. Eodem die, tranſlatio beati Karoli magni imperatoris & confeſſoris, apud Aquisgranum.* *De 7 Dorm. Tranſlat. Caroli M.*

BELIN. In prima & ſecunda & tertia, purus, quarto loco habet: *Apud Nicomediam, paſſio ſancti Pantaleonis martyris, qui tentus* &c. ut die ſequenti Uſuardus in textu annuntiat. Pro Etherii, ſcribit *Etherci*, cetera purus. *Pantaleonis.*

GREVEN. *In Campania, ſanctorum Felicis, Juliæ & Jocundæ. Item juxta quoſdam hic paſſio Boni presbyteri, Fauſti & aliorum decem, ex Clero* *Felicis &c.* *Boni &c.*

B. Stephani Papæ, quos Usuardus habet infra, Ka-
Frominii. *lendis Augusti. Metis, sancti Frominii episcopi &*
confessoris. Apud Aquisgranum, translatio sancti
Translat. Caroli M. *Caroli magni imperatoris confessoris. Eodem die,*
Guigonis. *sanctæ memoriæ Guigonis confessoris, vita & eru-*
ditione præclari. Hic post sanctum Brunonem,
quinto loco, majoris Cartusiæ prioratum tenuit;
Cartusiensis Præpositi Constitutiones scripto digessit
& exemplo monstravit.

MOLAN. *Apud Nicomediam, passio sancti*
Pantaleonis *Pantaleonis martyris, qui tentus* &c. ut die se-
Felicis &c. quenti. *In civitate Noixana, Felicis, Juliæ & Ju-*
Frominii. *cundæ. Metis, depositio sancti Frominii episcopi &*
confessoris. Translatio sancti Karoli. Sic editio *Transl. Car.*
prior. In aliis hîc textui præfigitur: *Apud*
Nicomediam, passio beati Pantaleonis, & litte- *De Pantal.*
ris Italicis, *martyris glorioſi. Hic sacratus ado-*
lescens & athleta Christi, cum artem Medicinæ
discceret ab Hermolao presbytero, ad fidem Christi
conversus, multa miracula fecit. Denuo litteris
textualibus: *Qui tentus pro fide* &c. Et tum se-
quitur: *Apud Ephesum, natalis sanctorum* (litteris
Italicis, *septem Dormientium*) *Maximiani, Mal-*
chi, Martiniani, Dionysii, Joannis &c. In reli-
quo textu satis pura sunt omnia, & in fine de
Frominio & translatione Karoli, ut supra.

V *Kal.* *Die* 28.

Pantaleon. APud Nicomediam, passio beati Pantaleonis, qui tentus pro fide Christi à Maximiano, equulei pœna & lampadum exustione cruciatus, sed inter hæc Domino sibi apparente refrigeratus, tandem ictu gladii martyrium consummavit. In Britan-
Samsonis. nia minori, Dolo monasterio, sancti Samsonis episcopi & confessoris.
Peregrini. Eodem die Lugduni, sancti Peregrini presbiteri, cujus beatitudinem miraculorum gloria testatur,

Ex *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-majore*, & *Munerat.*

VARIA LECTIO. Ferme in mendis scriptoriis consistit, quos notasse, correxisse est. *Nichomediam, Panthaleonis, eculei, pena, aparente, Sansonis, beatitudine.* Dubium est, scripseritne Usuardus *Lampadum*, an potius cum Adone *Lampadarum.* Postremo modo habet Herinienſis, reliqui primo, qui proinde numero vincunt; tu, quod volueris, selige: sed noli cum Munerato legere, *lapidum exustione.* In Tornacensi mendose Peregrino tribuitur titulus *episcopi.*

Pantaleon. OBSERVATIO. Illustrissimum martyrem *Pantaleonem*, alias *Pantaleémonem*, in hodierno Romano, die præcedenti celebrari notissimum est, quod à Baronio in ultima reformatione, ex Græcorum auctoritate factum videtur. Certe apud præcipuos quosque Latinos nostros Martyrologos, ut sunt Hieronymiana, Romanum parvum, Florus (in quo Lugduno adscribitur) Wandelbertus, Ado, & qui eum sequuntur; hac XXVIII distertissime signatur. Vide notationem Rosweydi ad vetus suum Romanum pag. 219, ubi pro XVIII Januarii, substitue XVIII Februarii translationis memoriam agi, ut est eo die in Auctariis Greveni. Nescio quid Rabanum moverit, ut non Pantaleonem tantum, sed & Hermolaum & Hermippum & Hermocratem XVIII Februarii simul collocaret, quo sola, ni fallor, Pantaleonis translatio apud Colonienses celebratur. Molanus in prima editione Usuardum secutus, in posterioribus Romano sese accommodat, unde sæpius in istis Usuardina puritas desideratur, ut non semel alias monuimus. De Pantaleonis nomine & reliquiis satis multa collegit Florentinius, & nobis in Actis plura illustranda supererunt. Interim quæ in brevi suo elogio Usuardus memorat, ea ex Viennensi plane descripta sunt, Adoniano principio & fine connexis, sed relictis intermediis, quæ à Notkero mutata & interpolata referuntur. De Actorum veritate vel ipsi Martyrologi nostri, alias satis creduli, dubitasse ferme videntur. Baronius satis habuit ea Metaphrasti adscribere, à cujus phrasi certe non abhorrent. Sed non una sunt, fateor; utinam vel una sinceram rerum seriem exhiberent! Tu vide Tillemontii judicium tomo 5 pag. 642. Wandelbertus Nazario & Celso Pantaleonem subjungit, alios quatuor versus superaddens, qui huc nullo modo pertinent. Sic canit:

Quintam Nazarius cum Celso possidet, hancque
Panthaleon martyr proprio sibi sancit honore.

Samsonis. De *Samsone* (ita nos cum omnibus codicibus scribimus) monacho, abbate, & episcopo agunt Hieronymiana apud Florentinium, ex quibus eum Noster procul dubio accepit; nisi motu proprio eum consignarit. Utcumque placuerit, ex omnibus exemplaribus aperte constat, eum hac die recensèri. Exstat longa vitæ ejus historia, quam aliis

aliis prætulit & annotationibus illuſtravit Mabilio ſec. 1 Benedict. à pag. 165. Demum *Peregrinus* ex Adone & ipſiſſimis iterum Adonis verbis huc tranſlatus eſt. Exſpectamus à Lugdunenſibus, ſiqua habeant, de hoc Sancto monumenta, in Actis noſtris illuſtranda. Notandum reſtat, codices nonnullos hac die repetere *Nazarium* & *Celſum* puerum, de quibus cum Adone & Uſuardo egimus ſupra XII Junii. Hos inter Pratenſis (ut ſcribit Caſtellanus) vetuſtiſſima manu eos in margine exhibet, per aſteriſcum * ad ſecundum textus locum remiſſos: Roſweyd. Antverp. Max-Lubec. Greven. Molan. & alii ipſos in fine adjungunt. Verum hæc eorumdem Sanctorum repetitio, longe abeſt ab Uſuardina ſimplicitate, quam præcipue inveſtigandam, detegendam & probandam toto hoc opere ſuſcepimus, ut proinde ad inſtitutum noſtrum nihil hîc deſideretur. *Peregrini.*

AUCTARIA.

Nazarii & Celſi. PRATEN. Jam dixi, in ora codicis apponi: *Eodem die, paſſio ſanctorum martyrum Nazarii & Celſi.*

Idem. ROSWEYD. Poſt textum: *Mediolanis, Nazarii martyris cum Celſo puero.*

Idem. PULSANEN. Incipit: *Natalis ſanctorum martyrum Nazarii & Celſi pueri.* In Pantaleone ſatis purus, in Peregrino integer eſt; ſed de Samſone, qui penultimo loco refertur, nihil.

Idem. ANTVERP. & MAX-LUBEC. In fine: *Ipſo die, paſſio ſanctorum martyrum Nazarii & Celſi pueri.* Ita ferme etiam ſequentes.

Idem. GREVEN. & MOLAN. Textui ſubdunt: *Mediolani, ſanctorum martyrum Nazarii & Celſi.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Incipiunt à Pantaleone, cum textu. Secundo loco inſerunt ex XII Junii: *De Nazario* *Mediolani, natale beati Nazarii martyris, quem Anolinus, ſub rabie perſecutionis, quæ per Maximianum excitata eſt, diu maceratum & afflictum gladio percuſſit. Cum quo ſanctiſſimum puerum Celſum,* & *Celſo.* *quem idem ipſe nutrierat, gladio feriri juſſit. Horum corpora, ut ſcribit beatus Paulinus, cum uſque ad tempora Honorii & Arcadii imperatorum latuiſſent, B. Ambroſius reperit, Domino revelante. Roma, ſancti Victoris Papæ & martyris.* *Victoris* PP. *Qui tertius decimus poſt beatum Petrum, cum decem annis Romanam rexiſſet Eccleſiam, ſub Severo imperatore martyrio coronatur. Item Roma ad Ur-* *Innocenti* PP. *ſum pileatum, ſancti Innocentii Papæ & martyris.* Hæ duæ annuntiationes ex Rabano vel Notkero tranſlatæ videntur. Victor colitur XX Aprilis: Innocentius, non martyr ſed confeſſor, XII Martii. Reliqua textus pura ſunt.

ALBERGEN. Præcedentibus ſimilis, de Vi- *De Victore.* ctore ſuperaddit: *Hic conſtituit, ut à quarta decima Luna primi menſis uſque ad viceſimam primam, die Dominico ſanctum Paſcha celebrare* *De Innocent.* [celebretur.] De Innocentio item: *Qui multos Cathafrigas ab ipſo inventos in exilio, monaſterio relegavit. Et conſtituit, ut quilibet, quamvis de Chriſtiana muliere natus, denuo naſci debeat per baptiſmum, quod negavit Pelagius hæreticus & damnavit.* Hæc non ſatis clara ſunt; vide Rabanum & Notkerum.

DANIC. In eo differt, quod die præcedenti de Pantaleone egerit, & hîc incipiat à Nazario.

CENTULEN. *Nicomediæ, paſſio ſancti Pantaleonis martyris. Qui cum jubente Maximiano imperatore diſceret artem medicinæ, à presbytero Hermolao ad fidem Chriſti converſus, multa miracula fecit, patremque ſuum Euſtorgium ſenatorem, Chriſti fidei ſubjugavit.* Hæc textui præfige, & habebis Adonis elogium. *In Britannia minore, Dolo monaſterio, ſancti Samſonis epiſcopi & confeſſoris, admirandæ virtutis & ſanctitatis viri. Mediolani, ſanctorum Nazarii & Celſi martyrum.* *Nazarii & Celſi.*

BRUXELLEN. De Pantaleone textui adjicit: *De Pantal.* *Cujus caput cum oſſibus beati Cypriani Carthaginenſis, Aaron Amiras in Franciam miſit Karolo magno.* De Nazario & Celſo ponit elogium Uſuardi ex XII Junii, ut ſupra ANTVERP-MAX. &c. Tum: *Romæ, ſancti Victoris Papæ &* *De Victore.* *martyris. Qui cum decem annis Romanam rexiſſet Eccleſiam, ſub Severo imperatore martirio coronatur. Hic conſtituit, ut quartadecima* &c. ut ALBERGEN &c. Quibus additur: *Multi enim tunc epiſcopi Aſiæ & Orientis, Paſcha cum Judæis celebrabant. Romæ ad Urſum pilleatum, natale ſancti Innocentii Papæ & martyris. Qui ſedit annis quin-* *De Innocent.* *decim. Hic conſtituit, ad Miſſam pacis oſculum dari, & ut oleo, ad uſum infirmorum ab epiſcopo conſecrato, non tantum presbyteri, ſed & alii etiam uterentur Chriſtiani. In Britannia minore, Dolo monaſterio, ſancti Sampſonis epiſcopi & confeſſo-* *Samſonis & ſociorum, cum elogio.* *ris, cum ſex fratribus æque ſanctis ſacerdotibus, quos mater ſua in Anglia uno partu enixa eſt. Hæc, alias magnæ caritatis & juſtitiæ matrona, ſiquæ fortuitu mulier geminos habuiſſet in utero, fornicariam eam ſuſpicata eſt, diſcredens, unam mulierem infantes ab uno ſimul plures poſſe concipere, donec ipſa Dei potentiam in ſe experta, quos ſimul concepit, ſeptem peperit. Quos præ verecundia carecto deſtinans ad ſubmergendum, ab obvio quodam epiſcopo periculo præcepti & enutriti ſunt.* In Peregrino purus eſt.

HAGENOYEN. Longum de Pantaleone elogium corradit, quod malim legi apud Metaphraſten. Victorem ait poſt S. Petrum fuiſſe XII. *De Victore.* De Paſchate, fere ut ſupra. Et præterea: *Hic etiam conſtituit, ut faciente neceſſitate ſive in flumine, ſive in mari, ſive in martyrio* [unuſquisque] *Chriſtianæ profeſſionis credulitate baptizaretur.* In Samſone, purus eſt. In fine: *Mediolano, ſanctorum martyrum Nazarii & Celſi, ſub* *Nazarii & Celſi.* *Nerone cæſare & Anolino præſide.* Deeſt Peregrinus, quem ad diem ſequentem tranſtulit.

AQUICINCT. In fine: *Lucas caſtro, ſancti Urſi* *Urſi.* *confeſſoris. Eodem die; Mediolani, ſanctorum* *Nazarii &c* *Nazarii & Celſi pueri,* ut eſt in præcedenti.

DAVERONEN. Poſt *Peregrini*, habet: *Luchas caſtro, ſancti Urſi confeſſoris.* *Urſi.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJ. *Nazarii, Celſi,* *Nazarii.* *atque Panthaleonis martyrum.* In margine de primis additur: *Horum corpora beatus Ambroſius reperit & levavit de terra.*

REG. SUEC. ſign. num. 428. *Ipſo die, ſanctæ* *De Annæ.* *Annæ matronæ, matris glorioſiſſimæ Dei genitri-* *Conſecrat.* *cis Mariæ. In baſilica S. Dionyſii, conſecratio al-* *alt. Apſ.* *taris in honore Apoſtolorum Petri & Pauli à B. Stephano Papa.* Vide Wandelbertum.

CODEX MONTIS SANCTI. *Natalis ſanctæ Au-* *Auguſtinæ.* *guſtinæ virginis.* Hæc indeterminatè poſita, non magnam hujus ſanctæ notitiam ſuppeditant.

EDITIO

EDITIO LUBECO-COL. In Pantaleone multum interpolata, etiam de Nazario & Celso aliqua inserit, quæ vide apud Adonem XII Junii. De sancto Victore, similis est ALBERGEN. atque item in Innocentio. Tum: *In Britan-*
De Samsone *nia minori, Dolo monasterio, sancti Samsonis episcopi & confessoris, cujus corpus Aurelianis translatum est.* In Peregrino pura, pergit: *Trecas,*
Cameliani. *depositio sancti Cameliani episcopi & confessoris.*
Ursi. *Castro Lucas, beati Ursi confessoris. Eodem die,*
Botuidi. *sancti Botuidi martyris.*

BELIN. De Pantaleone egit die præcedenti. Hic primo loco de Nazario & Celso, ut supra in ANTVERP-MAX. &c. Sequitur de Peregrino,
Victoris. pure. *Ipso die, passio sancti Victoris Papæ &*
Innocentii. *martyris. Et sancti Innocentii Papæ & martyris. In Britania majori, sancti Saxonis* &c. In secunda editione, ponit: *In Britania minori, sancti Sasonis.* Vide textum. Et in fine addit: *Lochas ca-*
Ursini. *stro, sancti Ursini confessoris.* Alii melius, *Ursi.*

GREVEN. Postquam in textu adjecit, ut supra diximus, *Mediolani, sanctorum martyrum*
De Naz. &c *Nazarii & Celsi*, sic Auctarium incipit: *Nota,*
Nazarius & Celsus hic passi, pridie vero Idus
Victoris. *Iunii inventi sunt. Secundum aliquos hic Victoris Papæ primi & martyris, quem Usuardus habet* XII *Kal. Maii. Romæ, ad Vrsum pileatum, sancti Innocentii Papæ primi & martyris. Hunc Usuar-* *Innocentii.*
dus & Ado habent IV *Idus Martii.* *Botwidi* *Botwidi.*
martyris. Castro Lucas, sancti Ursi confessoris. *Ursi.*
Ipso die, sanctæ Augustæ virginis. Trecas, depositio sancti Camaliani episcopi & confessoris. *Augustæ.* *Camaliani.*

MOLAN. De Pantaleone aliis litteris inserit: *martyris glorioſi. Hic sacratus adolescens &* *De Pantal.*
athletæ Christi, cum artem medicinæ disceret ab
Hermolão presbytero, ad fidem Christi conversus,
multa miracula fecit. Qui temus pro fide Chri-
sti &c. In fine post *Celsi*, subdit: *Pueri, quem* *De Celso &c*
Anolinus &c. usque ad, *feriri jussit.* Tum: *Ipso*
die, passio sancti Victoris Papæ. Et sancti Innocen- *Victoris.*
tii Papæ. Luchas castro, sancti Ursi confessoris. *Innocentii.*
Hactenus editio prima: Posteriores vix quid- *Ursi.*
quam habent Usuardini. Incipiunt a Samsone. Tum de Peregrino. Sequitur tota annuntiatio Nazarii & Celsi, ut supra. Deinde: *Ro-*
mæ, natalis sancti Victoris Papæ. Qui post beatum Pe- *De Victore.*
trum quintus decimus, rexit ecclesiam annis decem,
& sub Severo Principe martyrio coronatur. Item Ro-
mæ, beati Innocentii Pontificis. Huc usque textus, cui intra parenthesim litteris Italicis attexitur, *& martyris.* Demum pro Auctario habetur: *Lu-*
chas castro, sancti Ursi confessoris. Locum Gallicè interpretatur Castellanus in Martyrol. universali, *à Loches en Touraine*, Latinè, *Lucis.*

IV *Kal.* *Die* 29.

Felicis. ROmæ via Aurelia, natalis beati Felicis Papæ, qui à Constantio Augusto, ob Catholicæ fidei defensionem à sede sua dejectus & gladio necatus, glorioſissimè occubuit. Item via
Simplic. & sociorum. Portuensi, sanctorum martyrum Simplicii, Faustini & Beatricis, temporibus Diocletiani, quorum duo post multa ac diversa supplicia, jussi sunt capitalem subire sententiam. Beatrix vero soror eorum, in Christi confessione præfocata est in carcere. Civitate Trecas, sancti
Lupi. Lupi confessoris, qui cum beato Germano in Britanniam directus venit. Hic quinquaginta duobus annis sacerdotio venerabiliter functus est.

Concordant *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max.* & *Ultraject.*

VARIA LECTIO. Munerat. & Max-Lubec. pro *Constantio*, mendose ponunt *Constantino.* Greven. Molan. Antverp-max. Ultrajectin. & omnes ferme secundæ notæ codices pro *glorioſissimè*, legunt simpliciter, *glorioſe occubuit.* Solus Munerat. habet: *Item in via Portuensi.* Greven. & Molan. periodo nonnihil transposita, ubi alii hæc, *temporibus Diocletiani*, nominibus martyrum immediate subjungunt; ipsi in alium locum ea transferunt, sic legentes: *Jussi sunt capitalem subire sententiam tempore Diocletiani.* In Antverp-majore, est *præfocata in carcerem.* Rursus Greven. & Molan. scribunt, *civitate Trecis.* A probatissimis omnibus codicibus abest titulus *episcopi*, in Antverp. & Max-Lubec. aliisque mediæ notæ, appositus. Item in hisce codicibus facta mutatio, nam post *confessoris*, subdunt, *Hic cum beato Germano .... & quinquaginta* &c. Et quidem Antverp. & Max-Lubec. scribunt, *venit Britanniam*; & omittunt *venerabiliter.* Hæc ita explicat Antverp maj. *L* (pro *quinquaginta*) *annis duobus sacerdotii venerabiliter functus est officio.* Excidit notare, quod in Antverp-max. pro *Faustini*, habeatur *Fausti.*

Felicis. OBSERVATIO. Romanum parvum distinctam hodie primi nostri martyris memoriam agit his verbis: *Romæ, Felicis Papæ & martyris sub Constantio.* Hieronymiana ipsum, meo quidem judicio, non nominant. Beda vero ita *Felicem* aliquem tribus sequentibus conjungit, acsi eorum socius & antesignanus fuisset. Quomodo etiam à Wandelberto & in Frontonis Kalendario coadunati sunt: ut plusquam dubium reddant, an vere hic *Felix* pro Pontifice accipi possit. Accuratior notitia ab Adone traditur, ex quo

quo breue ſuum elogium Noſter contraxit. Notat ibi Viennenſis, *Felicem* martyrio coronatum IV Idus Novembris, ſepultum in baſilica, à ſe prius conſtructa, XV Kal. Decembris. Et tamen, *natalis*, inquit, *celebratur* IV *Kal. Auguſti*, nullam dictæ celebritatis rationem aſſignans. Vide quæ in hanc rem congeſſit Florentinius, tametſi non ſatis probet, Felicem hunc Papam ad Hieronymianos pertinere. Porro quæ circa ejus Acta controvertuntur, nec pauca nec levia, pluribus diſcuſſit Baronius, & nobis ſuo loco operoſius erunt examinanda. Ancipitem quæſtionem verbo indicavimus ad diem XXX Maii, quo de Felice Papa & martyre actum eſt. Hîc ab Adone *Felicem* II, Liberio ſubſtitutum, deſignari manifeſtiſſime patet, at nondum inter eruditos convenit, an vere *Felix* iſte inter Sanctos, nedum inter martyres, quin imo an inter Romanos Pontifices numerari poſſit. Controverſiam pridem attigere Henſchenius & Papebrochius, ille in Tabulis antiquiorum Pontificum, ante tomum I Aprilis pag. XXXI, & ejuſdem menſis tomo 3 à pag. 999; hic noviſſime in Reſponſ. ad art. XI, à num. 116. Verum infeſtiſſimos habet adverſarios Felix ille; atque hos inter Tillemontius acriori, præter morem, ſtylo eum inſectatur tomo 6 variis locis, ſed maxime à pag. 778. Plures ejus populares non recito, cum ii certatim in partem Felici oppoſitam deflectant. Mitius agit Fronto in notationibus ad Kalendarium à pag. 108. Nos hiſce nimium immoramur, in Actis locus erit totius controverſiæ accuratius expendendæ.

De tribus *Portuenſibus* certo agunt Hieronymiana apographa, quorum aliqua ſociis eos implicare videntur, ut inter alia latius exponit laudatus Florentinius. Beda, ut dixi, eoſdem etiam memorat, quem ſequitur Rabanus plura ex Actis admiſcens. Ado aut ex prioribus aut ex Romano parvo textum accipiens, longiori elogio fratres decoravit, cujus elegantem epitomen compilavit Noſter, omnes etiam conſocians, licet ex Actorum compendio, fratres & ſororem diverſis diebus paſſos eſſe, omnino conſtet. De his tribus Sanctis videnda omnino Baronii notatio, ubi ipſorum agones deſcriptos refert in Actis ſancti Anthimi, apud Surium die XI Maii. Videat lector in Actis noſtris appendicem, & poſitam illic annotationem, quæ omnia ad proprium locum remittimus, ubi de Sanctorum noſtrorum martyrio & ſepultura plures erunt examinandæ circumſtantiæ, uti & de tranſlatione à Leone II facta, atque de ſepulcro marmoreo, ſeu tabula lapidea cum epitaphio, in ſacrario baſilicæ S. Mariæ majoris; quæ ex ipſo Baronio & Aringho breviter tangit Tillemontius tomo 4 pag. 559. Nec omiſerim hîc notare, prædictos Sanctos in Allatii & Frontonis Kalendariis Felici Papæ conjunctos ſignari, cum hac diverſitate, quod in poſteriori addantur hæc verba; *via Portuenſe*, quæ in priori abſunt. Citat Tillemontius Miſſale Romanum, ſeu librum Sacramentorum Thomaſii, & recte, nam ibi ſolorum trium memoria agitur, hoc modo: *Simplicii, Fauſtini & Viatricis.* Codices Sacramentarii Gregoriani uniformes non ſunt, ut probant notæ & obſervationes Menardi pag. 171. Certe in edito, nulla Miſſa eſt præterquam de ſancto Felice martyre atque Pontifice. At de his hoc loco ſatis. *Simplicii eos & ſociorum*

De celeberrimo *Lupo* Trecenſi nonnulla apud Hieronymianos mentio, quam adjectitiam eſſe cenſuit Florentinius, nonnumquam ſcrupuloſior. Beda ſic eum paucis laudavit, ut verba ejus omnia Viennenſis deſcripſerit, quæ apud Noſtrum ita ſunt abbreviata, ut debitus *Epiſcopi* titulus deſideretur. Ex citatis à laudato Baronio auctoribus ea deſumenda ſunt, quæ inclytiſſimi præſulis geſtis illuſtrandis uſui eſſe poſſint; quæque jam nunc non indiligenter collecta ſunt à Tillemontio tomo 16 à pag. 126. De reliquo autem Adonianus eſt textus totus & integerrime Uſuardinus. Notkerus in omnibus ferme ad verbum Adonem tranſumpſit. Et Wandelbertus nitide duobus verſiculis rem complexus eſt: *Lupi.*

Felix, Simplicius, Fauſtinus & alma Beatrix,
*Trecaſſique Lupus, quartam communiter * aurant.* *Quidni ornant?

AUCTARIA.

Olaph. ROSWEYD. De Lupo inſerit titulum ab aliis omiſſum, *epiſcopi*. In fine ſubdit: *Item natale Olaph regis Danorum.*

PULSANEN. Refert quidem omnes textus noſtri Sanctos, ſed omnium elogia, more ſibi ſatis familiari, truncat.

LEYDEN. Scriptoris vitio lacunam habet, alioquin puris eſſet accenſendus.

Marthæ. LOVANIEN. Secundo loco inſerit: *Tranſitus venerabilis Marthæ, hoſpitæ Chriſti, de qua plurá in Euangelio habentur.* In fine deeſt elogium Lupi Tricaſſini, *qui cum B. Germano in Britanniam* &c.

ALBERGEN. In textu ſatis purus, longam de Martha hiſtoriam præter morem adjungit. De ea vide GREVEN. & codices alios.

DANIC. Textui etiam ſatis puro ſolum adjicit: *In Norwagia, ſancti Olavi regis & martyris.* *Olavi.*

CENTULEN. *Romæ via Aurelia, ſancti Felicis Papæ & martyris. Eodem die Romæ, ſanctorum Simplicii, Fauſtini & Beatricis virginis ſororis eorum. Trecas, ſancti Lupi epiſcopi & confeſſoris, qui cum ſancto Germanno Britanniam venit & multis virtutibus floruit.* Addi poterant ultima elogii verba: *Hic quinquaginta duobus annis ſacerdotio* &c. *Textus contractus.*

Marthæ. Oct. Magdal. Seraphiæ. De Felice. De Lupo. Prosperi. Guilielmi. Peregrini. Olavi. Marthæ. Serapiæ. Felicis &c. De Lupo. Floræ & Lucillæ. Seraphiæ. Olavi. Marthæ. Marcellæ. Seraphinæ.

BRUXELLEN. Incipit: *Sanctæ Marthæ virginis, hospitæ Christi, & beatorum Lazari & Mariæ Magdalenæ sororis. Et octava beatæ Mariæ Magdalenæ. Romæ, passio beatæ Serapiæ virginis, sub Adriano imperatore. Romæ via Aurelia, natale sancti Felicis secundi Papæ & martyris. Qui sedit anno uno. Hic Constantium imperatorem, filium Constantini magni, rebaptizatum & hæreticum declaravit. Unde ipse ob Catholicæ fidei defensionem ab eodem Constantio Augusto à papatu & sede sua dejectus, & tandem gladio necatus, glorioſe occubuit.* Sequitur de Portuensibus, pure. Dein: *Trecas civitate, depositio sancti Lupi episcopi & confessoris. Qui cum beato Germano in Britanniam contra hæreticos prædicationis causa venit, & quinquaginta duobus annis sacerdotio venerabiliter functus est. Hic Attilam Hunnorum ducem Trecas venientem interrogavit, quis esset? Et dum ille respondisset; se esse flagellum Dei; dixit: Et ego sum Lupus dissipator ovium, Dei indigens flagello. Quo dicto aperuit portas, & Attila cum suis intravit, & à portis ad portas urbis pertransiens, neminem videns ac neminem ladens, & sic recessit. Aurelianis, depositio beati Prosperi episcopi & confessoris.* Vide Notkerum. *Eodem die, sancti Guilhelmi confessoris.*

HAGENOYEN. Incipit à Portuensibus, in quibus nonnihil interpolatus est. De Felice aliqua comminiscitur, non satis digesta. Sequitur: *Eodem die apud Lugdunum, sancti Peregrini presbyteri, cujus beatitudinem miraculorum gloria testatur.* In Lupo ferme purus est. De Peregrino, vide die præcedenti.

AQUICINCT. In fine: *Ipso die, sancti Olavi, glorioſi regis & martyris.* Et manu multo recentiore: *Item, beatæ Marthæ, sororis sanctæ Mariæ Magdalenæ & Lazari.*

VICTORIN. & REG. SUEC. sign. num. 130. *Ipsa die, sanctæ Serapiæ virginis.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJ. *Felicis (Papæ) Simplicii, Faustini & Beatricis sororis eorum, martyrum. S. Lupi episcopi & confessoris, viri sancti, qui cum sancto Germano in Britanniam perrexit. Floræ & Lucillæ, virginum & martyrum, cum Eugenio rege, qui eas prius captivaverat, postea cum eis martyrizatus est.*

In VATICAN. Deest Lupi. Adjicitur: *Romæ, sanctæ Seraphiæ, quæ beatam Savinam ad fidem convertit & postmodum passa est sub Adriano imperatore, judice Berillo.*

ALTEMPS. *Item in Norwega, sancti Olavi regis & martyris.* Sic etiam ab aliis memoratur.

FLORENTIN *Marthæ..... Item beatæ Marcellæ famulæ beatæ Marthæ, quæ post ejus mortem in Slavoniam pergens, & ibi Euangelium Christi prædicans, post annum à dormitione Marthæ in pace quievit.* STROZZIAN. solus præterea habet: *In civitate, Mamiensi, sanctæ Seraphinæ.*

BIZUNTICEN. Sancto Lupo Tricassino solum tribuit annos sacerdotii XLII. Lege cum aliis LII.

EDITIO LUBECO-COL. De Martha longius texit elogium, quam ut hîc describi possit. Textus qui sequitur, totus ferme purus est. Deinde: *Eodem die, sancti Olani* [Olavi] *regis Norwegiæ & martyris.* Etiam habet: *Romæ, passio sanctæ Serapiæ virginis & martyris.* *Olavi. Serapiæ.*

BELIN. Post textum non omnino purum, subnectit: *Item eodem die, festum sanctæ Marthæ virginis, sororis sanctæ Mariæ Magdalenæ & sancti Lazari, hospitæ Salvatoris nostri Jesu Christi. In Mamiensi civitate, sanctæ Seraphinæ.* *Marthæ. Seraphinæ.* In secunda editione, additur: *In Norwegia, passio sancti Olavi regis & martyris.* *Olavi.*

GREVEN. *Olavi regis Norwegiæ & Daciæ martyris. Qui mox ubi Christi fidem suscepit, ejusdem fidei calore succensus, Euangelium in diversis regni sui partibus annuntians, innumerabilem Domino populum acquisivit. Tandem à germano suo, ob fidem Christi facie velatus, corona spinea coronatus, in cruce ligatus, in sexta feria, anno* MXXVI (prima editio notat MXXVIII) *tradidit spiritum. Aurelianis, depositio Prosperi episcopi. Romæ, Serapiæ virginis & martyris, quæ hîc passa est, sed* III *Nonas Septembris, sepulcro novo imposita. Civitate Mameti, sanctæ Seraphinæ. Eugenii regis barbarorum, Floræ, Lucillæ virginum, aliorumque multorum martyrio coronatorum. In castro nobili Tarachonensi, dormitio sanctæ Marthæ, Christi & Apostolorum ejus hospitæ. Hujus funeri, ut legitur, Dominus noster Jesus Christus, cum sancto Frontone Petragoricensi episcopo, exequias solennes exhibuit.* Hæc alibi examinanda sunt. *De Olavo. Prosperi. Serapiæ. Seraphinæ. Eugenii &c. De Marthæ.*

MOLAN. De Lupo, subdit ex Adone: *Qui tempore regis Attilæ, qui Galliam vastabat, sicut in hymno ejus canitur; dum bello cuncta perderent, orando Trecas munivit. Et depositio beati Prosperi episcopi. Item eodem die, festum sanctæ Marthæ* &c. ut BELIN. Item de Seraphina. *In Norwegia, passio sancti Olavi regis & martyris. Qui mox ubi fidem* &c. minori charactere, ex GREVENO. Tum pergit: *Civitate Ebroicensi,* [Lege *Briocensi*] *sancti Guilelmi, ejusdem civitatis episcopi & confessoris. Hunc Innocentius* IV, *anno suo quarto, canonizavit Lugduni. Romæ, sanctarum virginum Floræ & Lucillæ martyrum, cum aliis multis, quarum passio habetur, & exstat de eis sermo Petri Damiani. Revelatio capitis B. Joannis Baptistæ, Pipino regi facta in Aquitania.* Posteriores editiones, idem habent de Lupo, sed legunt, *orando Trecas muniit. Aurelianis, depositio beati Prosperi episcopi. In Norwegia, sancti Olavi regis & martyris, anno* MXXVIII. (in priori legerat MXXVI.) *Civitate Briocensi, sancti Guilelmi episcopi & confessoris.* De Seraphina, ut supra. *Die vigesima nona, sancti martyris Callinici.* Dein typis minoribus: *Romæ, sanctarum virginum, Floræ & Lucillæ martyrum, cum aliis* &c. *Item revelatio* &c. addendo in fine de revelatione capitis sancti Joannis Baptistæ: *De qua est Tractatus apud martyrem Cyprianum.* *Marthæ. Olavi. Prosperi. Marthæ. Olavi. Guilelmi. Floræ &c. Revelat cap. S. I. B. Callinici.*

III *Kal.* *Die* 30.

Abdon & Sennen.

ROmæ, natalis sanctorum Abdon & Sennes subregulorum, qui cum in Cordula civitate Persarum, vincula paterentur à Decio, ad ultimum duxit eos Romam catenis obligatos & diversis pœnis maceratos, ubi primo plumbatis cæsi & deinde gladio interfecti sunt. Apud Africam civitate Lucernaria, sanctarum virginum

num Maximæ, Donatillæ & Secundæ, quæ perſecutione Galieni, aceto & felle primò potatæ, deinde plagis acerrimis cæſæ & equulei extenſione cruciatæ, poſtmodum etiam craticulis exuſtæ, nec non ad beſtias projectæ, ſed ab his intactæ, noviſſimè gladio jugulatæ ſunt. *Maximæ & ſociar.*

Puri ſunt *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Roſweyd. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Herinien. & Antverp-maj. legunt *Sennis*, quomodo in Pratenſi habeatur, ex apographo noſtro non diſcernitur. Mallem *Sennen*, ſed codices ceteri legunt cum textu. Scribimus *Cordula*, ut ſupra fecimus; vide infra Obſervationem. In Roſweyd. deeſt, *à Decio.* Praten. Tornacen. & Munerat. legunt *Romæ*, reliqui melius *Romam*, ubi Antverp-maj. ſenſum aliquatenus immutat, his verbis: *Adduxit eos ad ultimum Romam colligatos. Aput*, proprium eſt Antverp-majori. De *Galieni* diximus alibi. Omnes cum textu habent, *nec non ad beſtias projectæ*, excepto Roſweyd. qui particulam *etiam* interjicit, *nec non etiam ad beſtias.*

OBSERVATIO. Celeberrimi ſancti martyres Abdon & Sennen (inquit hac die Florentinius) *ab antiquiſſimo tempore Romæ venerationem acceperunt, in omnibus Occidentalis Eccleſiæ Martyrologiis indicati*: ubi alia præclara ex Kalendariis & Sacramentariis monumenta in eorum laudem adducit. Itaque ab Hieronymianis apographis, Beda, Floro, Rabano, Romano parvo, Adone, Notkero & Wandelberto certatim celebrantur. Bedæ elogium à Rabano tranſumptum eſt, à Floro mutatum: Noſter compendio etiam uſus, cum Adoniani encomii ſummam, utpote ex alibi ſæpius citatis ſancti Laurentii Actis conceptam, in Beda reperiſſet, eam totam ad verbum ſuam fecit. Notkerus Adonem ſequi maluit. De civitate *Cordula*, *Corduba*, *Cerduba*, *Credula*, *Corduena*, *Cerduna*, & quocumque modo alio inflectere volueris, vide dicta ad XV & XXII Aprilis. Ad Acta quod attinet, cum ex Laurentianis deſumpta ſint, quid de iis cenſendum, ex horum ſinceritate ſtatuendum erit. Vide x Auguſti. Fatetur Baronius hîc, manuſcripta vetera, quæ Sanctorum noſtrorum res geſtas continent, caſtigatione indigere. Pauciſſima de ipſis adducit Tillemontius tomo 3 pag. 328 & 329. Verum, ut jam dicebam, ex antiquiſſimis monumentis abunde ſtabilita eſt eorum veneratio. Nullum Bucheriano Kalendario vetuſtius; in eo autem diſerte hoc ipſo die annuntiantur, his verbis: III *Kal. Aug. Abdon & Sennen, in Pontiani, quod eſt ad Urſum pileatum.* Simpliciora ſunt Allatii & Frontonis Kalendaria, in quibus hæc ſolum verba leguntur: *Natale SS. Abdon & Sennes.* Nec differunt Menardi & Thomaſii Sacramentaria, præterquam ſolo modo efferendi nomina, ultimo ſcribente: *Abdo & Semis.* Quæ de tranſlatione corporum, à Gregorio IV, aut de aliis Florentiam, vel Sueſſionem factis, memorat Tillemontius, alibi accuratius diſcutientur. Non debet præteriri ſatis elegans Wandelberti elogium: *Abdon & Zennen*. Abdon & Sennen

Abdon & Zennen, deſignat tertia ſanctos,
Regni quòs Romæ tribuit de germine Perſis.

Virgines Africanas ſic hodie annuntiant codices Hieronymiani: *In Africa civitate Tuburtulo Caſariæ, natalis ſanctorum Maximæ, Secundæ, Donatellæ, Rufi* &c. Sic ut in aliquibus ſocii quatuordecim nominatim explicentur; in vetuſtiſſimo Epternacenſi, novem dumtaxat, qui ferme à Notkero in diverſum manipulum collecti ſunt; de quibus conſule eruditas Florentinii Notationes. Romanum parvum de ſociis nihil memorans, alia poſitione ſolas Virgines annuntiat: *Tuburbo Lucernariæ, Maximæ, Donatillæ & Secundæ virginum.* Quam palæſtram, ſeu certaminis locum, non magis quam priorem à ſe inventum, fatetur Florentinius. Nec quidquam obſcuritatis abſtulit Uſuardus, dum prætermiſſo *Tuburbo*, ſimpliciter legit: *Civitate Lucernaria.* Sed de his vide Commentarium prævium ad Acta ſanctarum Perpetuæ & Felicitatis VII Martii, & quæ ex Ortelio aliiſque Geographis, de una, vel duabus, vel tribus *Tuburbiis* aut *Tuburbibus*, ſuo loco denuo ventilari & diſputari poterunt, etiam ex citatis à nobis ſcriptoribus ſupra ad præfatam diem VII Martii, ubi has Virgines & Martyres proprie TUBURBITANAS appellari diximus, quo modo hoc die in Kalendario Carthaginenſi ſignatæ ſunt: *Sanctarum Tuburbitanarum & Septimiæ.* Hæc de palæſtra pro re noſtra ſatis. Plura vide in citata alibi prævia Ruinartii admonitione ad Acta ſanctarum Perpetuæ & Felicitatis inter Selecta à pag. 81. Ad textum quod proprie attinet, Ado, Romanum parvum ſecutus, ex nobiliſſimarum Virginum Actis, fortiſſimi agonis hiſtoriam compilavit, quam mutilam refert Notkerus: Noſter vero, omiſſis circumſtantiis de *Secunda*, prioribus captivis ſe ultro aggregante, aliiſque multis, ea ſolum delibavit, *Abdon & Sennen.* *Maximæ & ſociarum*

quæ eleganter in laterculo expreſſa dedimus. An ſatis ſincera fuerint Acta, quæ Adoni præluxerunt, compertum mihi non eſt. Optandum, ut quemadmodum Criſpinæ Acta (quæ de tribus noſtris meminerunt) detexit Mabilio, ita aliquis Tuburbitanarum paſſionem reperiat. Videantur laudati Mabilionis notæ in Kalendarium Carthaginenſe tomo 3 Analectorum pag. 409. & Ruinartius inter Selecta à pag. 493.

AUCTARIA.

PULSANEN. In prima annuntiatione purus eſt, de ſecunda nihil habet.

ANTVERP. MAX-LUBEC. UGHELLIAN & BELIN. In fine: *Antiſiodoro, ſancti Urſi epiſcopi.* Vide Romanum. *Urſi.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. Voce unica ab aliis defferunt, legunt enim: *Antiſiodoro, depoſitio ſancti Urſi epiſcopi.*

CENTULEN. *Romæ, ſanctorum martyrum Abdon & Sennes, ſubregulorum, quos Decius Cæſar in Cordula civitate Perſarum, ſibi præſentari juſſit. Apud Africam, civitate Lucernaria, ſanctarum Maximæ, Donatillæ & Secundæ virginum. Quæ ſub Gallieno & judice Anolio paſſi ſunt,* pro *paſſæ.* *Urſi.*

Antiſiodoro, ſancti Urſi epiſcopi & confeſſoris. *Vig. German*

Eodem die, vigilia ſancti Germani, genere, fide, doctrina atque miraculorum gloria clariſſimi.

BRUXELLEN. In textu permodice interpolatus, in fine habet: *Antiſiodoro, depoſitio ſancti Urſi epiſcopi. Et Treveris, beati Pantho preſbyteri.* Voluit dicere *Bantonis*, niſi fallor, de quo apud alios die ſequenti. *Urſi. Pantho.*

HAGENOYEN. Etiam in textu paululum auctior, in fine ſubdit: *Antiſiodoro, depoſitio ſancti Urſi epiſcopi & confeſſoris.* *Urſi.*

AQUICINCT. Ad nomen *Galieni*, ſuperne notatum habet charactere minori: *vel Decii.* In fine autem: *Et ſancti Urſi epiſcopi Anthiſiodorenſis.* Notatur ferme ab omnibus. *Urſi.*

VICTORIN. & REG. SUEC num. 130. *Ipſo die, ſancti Urſi epiſcopi Antiſſiodorenſis.* *Urſi.*

AMBIANEN. *Eodem die, vigilia ſancti Germani epiſcopi, genere, fide & doctrina atque miraculorum gloria clariſſimi. Hic feſtivitatem ſepulturæ habet Kalendis Octobris, quando & celebrior dies agitur.* Vide igitur quæ die ſequenti cum Uſuardo dicemus. Et rurſus quæ 1 Octobris de tranſlatione ejus paſſim referuntur. *De Germani Vigilia.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Abdon & Sennen martyrum. Marthæ hoſpitæ Chriſti.* De qua die præcedenti. *Maximæ, Donatillæ & Secundæ virginum & martyrum.* *Marthæ.*

VATICAN. num 5949. *Antiſiodoro, ſancti Urſi epiſcopi.* Jam dixi paſſim recurrere. *Urſi.*

ALTEMPS. *In Cantia, depoſitio ſancti Tadwini epiſcopi & confeſſoris.* Vide Caſtellanum. *Tadwini.*

FLORENTIN. Dubium eſt, an ad hunc, an ad ſequentem diem referant, quod ponunt hoc modo: *Romæ, via Latina, ſancti Tertullini martyris in crypta arenaria, ſicut legitur in geſtis ſancti Stephani Papæ & martyris.* Florus eum notat hac ipſa die cum elogio, alii IV Auguſti, & nos ibi cum Uſuardo. *Tertullini.*

EDITIO LUBECO COL. Poſt, *gladio interfecti ſunt.* adjicit: *Et ante ſimulacrum Solis projecti, ubi tribus diebus jacuerunt inſepulti, quos Quirinus ſubdiaconus latenter ſepelivit.* In ſecunda annuntiatione, ſatis pura eſt. In fine cum aliis codicibus adjungitur: *Antiſiodori, depoſitio ſancti Urſi epiſcopi & confeſſoris.* *de Abdon & c* *Urſi.*

GREVEN. *Item ſancti Tiburtii. Antiſiodoro, ſancti Urſi epiſcopi & confeſſoris. In Suecia, Brunolphi epiſcopi Scharenſis & confeſſoris. Lupini epiſcopi. In Suecia, Helenæ militiſſæ.* *Tiburtii. Urſi. Brunolphi. Lupini. Helenæ.*

MOLAN. *Antiſiodori, ſancti Urſi epiſcopi.* Tum minoribus litteris de Brunolpho & Helena deſcripſit, quæ habet GREVEN. Demum adjungit: *Ipſo die Aſſiſii, natalis ſancti Rufini martyris.* Editiones poſteriores de Urſo & Brunolpho, ut ſupra. *Item in Suecia, beatæ Helenæ.* Et typis minoribus hoc ſolum: *Aſſiſii, natalis ſancti Rufini martyris.* Ad Romanum notat Baronius, exſtare de eo ſermonem Petri Damiani. Vide Surium. *Urſi.* *Rufini.*

Pridie Kal. *Die* 31.

Fabii. APud Cæſaream, paſſio Fabii martyris, qui cum ferre vexilla præſidialia recuſaret, primum diebus aliquot in carcerem truſus, deinde interrogatus ſemel & iterum, in Chriſti confeſſione perdurat: & mox à judice capitali ſententia condemnatur. Ravennæ, tranſitus ſancti Germani Autiſiodorenſis epiſcopi, genere, fide & doctrina, atque miraculorum gloria clariſſimi. Civitate Sinnada, ſanctorum Democriti, Secundi & Dioniſii. *Germani. Democriti & ſociorũ.*

Conſonant codices *Praten. Herinien. Tornacen. Pulſanen. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Quibus accedunt *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danicus.*

VARIA LECTIO. Notabis codicem Tornacen. omnino quidem purum eſſe, ſed primo loco agere de ſancto Germano, procul dubio ex uſu illius eccleſiæ. Antverp. legit, *Fabiani.* In Belino deeſt *ferre.* Herinien. ponit, *in carcere truſus.* Antverp. Max-Lubec. & reliqui codices mediæ notæ, ſenſum aliquatenus immutant hoc modo:

Deinde

Deinde interrogatus ſemel & iterum, cum in Chriſti confeſſione perduraret, Antverp-max. *duraret:* aliqui deinde, *condemnatus eſt.* Melius in textu, ex phraſi Adonis. In Pratenſi eſt *Sinada.* In Munerat. *Sinnenda.* In Belino, *Synoda* & *Cinoda.* Alii *Sumada, Synnada* &c. In textu ſequimur codices probatiores. Non minor variatio eſt in nomine *Democriti.* Pro quo Tornacen. *Dimocriti.* Max-Lubec. *Democerti.* Antverp-max. cum aliquibus, *Demotrici;* Danic. *Democrici.* Certa videtur textus lectio. De *Ceſeream, condempnatur, Antiſiodorenſis, Dioniſii* &c. loqui ſuperſedeo.

OBSERVATIO. De *Fabio* nihil hîc habent Hieronymiana, nihil Beda, aut Bedæ ſequaces Florus & Rabanus. Itaque prima annuntiatio, tamquam fonti debetur Romano parvo, ita ſcribenti: *Cæſareæ, Fabii martyris.* Inde ab Adone mutuatus, & hiſtorica laudatione exornatus eſt, cujus priorem & potiſſimam partem in textum ſuum tranſtulit Uſuardus, Notkero de more in alienam meſſem liberalius falcem immittente. Nihil Petrus in Catalogo, nihil Surius de Fabio prodidere, præter ſolum Adonis elogium, quod brevi commentario illuſtravit Henſchenius, Cæſareæ Mauritaniæ martyrem adſcribens. Acta quæ habemus ex codice Moſſiacenſi apud D. Joly, à Papebrochio tranſumpta, non gravis narrationis ſpeciem, ſed potius luxuriantis calami ſtylum exercentis, adornationem ſapere videntur, qua nimirum Adonis elogium oratorie amplificatur. Wandelbertus de ſolo Fabio ſic metricè pronuntiat: *Fabii.*

Martyrii pridie Fabium pia gloria texit
Julius hæc orbi excedens ſolennia linquit.

Glorioſiſſimum præſulem Germanum ſic hac die breviſſime commemorat Ado: *Antiſiodori, ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris.* Cetera quæ ad celeberrimum fidei defenſorem pertinent, fuſe idem proſequitur Kal. Octobris, unde breve ſuum elogium decerpſiſſe videtur Uſuardus. Hieronymiana Germanum hac etiam die recte conſignant. Beda ipſum cum Vercellenſi Euſebio conjungit die ſequenti, cujus verba inde huc retraxit Rabanus, ex quo, niſi vehementer fallor, deſumpſit Notkerus quæ hac etiam die de Germano retulit, monens, *feſtivitatem ejus Kal. Octobris, apud Gallicanas eccleſias celebriorem haberi*, ferme ut die præcedenti inter Auctaria ex codice Ambianenſi notavimus. Germani vitam à Conſtantio ſcriptam edidit Surius; exſtat apud nos manuſcripta, etiam ut ab Erico verſibus innexa eſt, cum pluribus aliis documentis, ad Sancti geſta ſpectantibus, quæ delibavit Tillemontius tomo 15 à pag. 1. Vide notationem Baronii. Claſſis Martyrum ultima ex Hieronymianis in Uſuardum immediate profluxiſſe videtur, de qua nec in Romano parvo, nec in Adone quidquam legitur. Ipſorum etiam meminit Rabanus, meminit & Notkerus, ambo legentes, *in Africa civitate Sinnada*, adjuncto ſocio *Thyrſo*, ut non dubites, Notkerum hæc ex Rabano accepiſſe. *Mirum*, inquit Florentinius, *quantum in loco agonis ſanctorum Martyrum aſſignando diſtent inter ſe codices* &c. Crediderim, Uſuardum id etiam olim advertiſſe, cumque fortaſſe dubitaret, *Phrygiæ* ne, an *Africæ* tribuendi eſſent, difficultatis nodum ſcidiſſe, ab utraque regione abſtrahendo, ſcribendoque ſimpliciter, *Sinnada.* Recte an ſecus Baronius adjunxerit *Phrygiæ* vel *in Phrygia*, an potius ex mente Florentinii, *Africæ* hi Martyres aſſerendi ſint, ſuo loco examinabitur. Patet codicum noſtrorum ſtatque interim ſalva totius textus Uſuardini lectio. *Democriti & ſociorum*

AUCTARIA.

ANTVERP-MAJ. Ut in Anglia auctus eſt, ita hîc, ut ſæpe alibi ſuperius de aliis obſervatum eſt, Anglicum Sanctum textui ſuperaddit, his verbis. *Eodem die, ſancti Neoti presbyteri & confeſſoris.* *Neoti.*

ROSWEYD. Germani elogium mutat, nam poſt *epiſcopi*, ſubdit: *Qui fidem Catholicam ſæpius à Pelagiana hæreſi defendit.* Deeſt tota annuntiatio ultima. *De German.*

PULSANEN. Caret annuntiatione prima de Fabio; cetera omnia pura ſunt.

CENTULEN. *Apud Ravennam Italiæ civitatem, tranſitus ſancti Germani, viri Apoſtolici, Doctoris eccleſiæ mirabilis & omni ſapientia adornati. Apud Cæſaream, ſancti Fabii martyris. Civitate Sinnanda, ſanctorum Democriti, Secundi & Dyoniſii.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. Incipit à Germano, additque poſt *clariſſimi: Qui Ravennæ moritur, ſed corpus ejus cum miraculorum ſplendore Anthiſiodorum refertur.* Reliqua textus ferme pura ſunt. *De German.*

HAGENOYEN. In prima & ultima ſatis purus, ſic habet de Germano: *Ravennæ, tranſitus ſancti Germani, Altiſiodorenſis epiſcopi & confeſſoris. Qui fuit nobilis genere, Antiſiodoro natus, liberalibus ſtudiis in Gallia edoctus, & in ſcientia juris Romæ, & ibi Burgundiæ ducatum obtinuit; & magis in juventute vanitati, quam Chriſtianæ religioni intendebat. Poſtea ab Amatore epiſcopo, invito eo, clericus ordinatus eſt. Et poſtquam clericus fuit, numquam panem frumenti, non vinum, non acetum, non oleum, non legumina, vel ſal pro ſapore comedebat; ſemper jejunavit uſque ad veſperam, interdum autem à quinta feria uſque ad Dominicum diem jejunavit: panem ſuum cinere miſcuit. In æſtate & in hieme nullam habuit veſtem, niſi cilicium, tunicam, & cucullam: nullo lecto, nullo pulvinari uſus eſt, numquam veſtem, raro calceamenta & cingulum deponebat, & in conventu fratrum vitam duxit heremiticam. Bis in Angliam contra hæreticos profectus eſt, & in diverſis locis* *Germani cum elogio.*

cis tres mortuos ſuſcitavit. Tandem in domo Placidæ [Placidiæ] *reginæ aſinum ſuum mortuum ſuſcitavit, & ab ea recedens, in Ravenna obiit, triceſimo anno epiſcopatus ejus.*

Serapiæ cum filiab.

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. In fine : *Item ſanctæ Serapiæ cum tribus filiabus ſuis, Piſtis, Elpis & Agapes.* Die ſequenti mater vocatur *Sapientia*, aliàs *Sophia.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Germani epiſcopi & confeſſoris. Fabii martyris. Item Democriti, Secundi & Dionyſii.*

Dodonis.

VATICAN. num. 5949. Caret ultima annuntiatione, cujus loco ſubſtituit: *In caſtro ſancti Agnelli, natalis ſancti Dodonis abbatis.*

Cathwini. Critullini.

ALTEMPS. *Civitate Cantuaria, ſancti Cathwini archiepiſcopi & confeſſoris. Item Critullini martyris.* An non *Tertullini*, de quo die præcedenti?

Joannis & Benigni.

LUXOVIEN. *Apud Mediſanum cœnobium, depoſitio beatorum confeſſorum, Joannis presbyteri & Benigni diaconi, qui carne & ſpiritu germani, à beato Hidulfo Treverorum archiepiſcopo educati, ſimul migrantes, uno conditi ſunt mauſoleo.*

Bantonis.

ABDINGHOFFEN. *Treveris, ſancti Bantonis confeſſoris Chriſti.* Alii ſcribunt *Banti* & *Panthonis.*

DeGerman.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Ravennæ, tranſitus ſancti Germani, Antiſiodorenſis epiſcopi & confeſſoris, tempore Valeriani* [Valentiniani] *imperatoris, genere, fide & doctrina atque miraculorum gloria clariſſimi. Hic ab epiſcopatu uſque ad triginta annos corpus ſuum tam crudeliter tormentavit, ut numquam panem frumenti, nec vinum, nec acetum, nec oleum, nec legumen, nec ſal pro ſapore comedit. Non vinum bibebat, niſi in feſtivitatibus Paſchæ, & Nativitatis Chriſti, ſemel tantum, & illud multum lymphatum. Semper jejunabat, & non niſi veſpere comedebat, & in refectione ſemper cineres præbebat. Veſtem non habebat præter cilicium & tunicam & cucullam, quæ tamdiu corpori inhærebant, donec attritione nimia ſolverentur, & ſicut genere fuit nobilis, ſic fide ac doctrina ac miraculorum gloria fuit præclarus, cujus mater, Placida nomine, ſanctiſſimum corpus propriis manibus ſepelivit.* In reliquo textu ſatis pura, adjungit in fine: *Treveris, ſancti Banti confeſſoris. Eodem die, ſancti Neoti abbatis & confeſſoris.* Caſtellanus legit *Neothi.*

Banti. *Neoti.*

Tertullini.

GREVEN. *Tertullini presbyteri & martyris (de quo in geſtis beati Stephani Papæ) hic ſepultura. Verum, Adone teſte, pridie Nonas Auguſti ad locum ſepulchri ejus ſolemnior concurſus fit. Item ſancti Tirſi. Eodem die, ſancti Fantini confeſſoris. Qui à puero ſanctæ converſationis, cum anno ætatis ſuæ* XII, *patrem Fantium & matrem Deodatam ad fidem convertiſſet, cum eiſdem pro fide Chriſti tenetur, plumbatis cæditur, & in carcerem mittitur. Tandem parentibus, capitis abſciſione martyrium complentibus, Fantinus ab angelo ſolutus, miraculis clarens, quievit in pace. Treveris, Panthonis (aliàs Banti) presbyteri & confeſſoris. In Anglia, Neoti abbatis & confeſſoris. Morandi confeſſoris. Floræ virginis & martyris.*

Tirſi. *Fantini.* *Panthonis.* *Neoti.* *Morandi.* *Floræ.*

MOLANI prima editio, in fine ſolummodo adjungit: *Treveris, ſancti Bantonis confeſſoris Chriſti.* In aliis autem: *Mediolani, nativitas ſancti Calimeri pontificis & martyris. In Anglia, beati Neoti ſacerdotis, meritis ac miraculis inſignis.* De Bantone, ut ſupra. *In Calabria, oppido Tabritano, ſancti Fantini confeſſoris Syracuſani, cujus parentes Fantius ac Deodata, Syracuſis plumbatis cæſi, cum diis litare nollent, decollati ſunt. Die trigeſima prima, ſancti & juſti Eudocimi.* Tum, typis minoribus: *Romæ, obiit beatiſſimus Ignatius Loiola, fundator Societatis Jeſu. Quam toto propemodum terrarum orbe multiplicatam vidit. Multa quoque barbarorum millia per eamdem è ſumma barbarie, ad ſuave Chriſti jugum ſubeundum, revocata eſſe cognovit. Omnia enim ejus conſilia & ſtudia ſpectabant ad conſervandam, revocandam & multiplicandam per ſe & ſuos fidei Catholicæ ſynceritatem.* Ad majorem Dei gloriam.

Bantonis. *Calimeri.* *Neoti.* *Fantini.* *Eudocimi.* *De Ignatio de Loyola.*

MENSIS

MENSIS AUGUSTUS

Habet Dies XXXI.

Kalendis. *Die* I.

ANtiochiæ, natalis ſanctorum Machabeorum. Romæ, ad ſanctum Petrum ad vincula. Apud Italiam civitate Vercelli, beati Euſebii epiſcopi, qui ob confeſſionem fidei à Conſtantio Scitopolim, & inde Cappadociam relegatus, poſt ad eccleſiam ſuam reverſus, noviſſimè perſequentibus Arrianis, martyrium paſſus eſt. Item Romæ, paſſio ſanctarum virginum Spei, Fidei & Charitatis & matris earum Sapientiæ: quæ ſub Adriano principe martyrii coronam adeptæ ſunt. Via Latina, ſanctorum martyrum Boni presbiteri, Fauſti, Mauri, cum aliis ſeptem, qui in Stephani Papæ Actibus deſcribuntur. In Hiſpaniis civitate Gerunda, natalis ſancti Felicis, quem juſſit judex Dacianus, poſt illata tormentorum genera, ungulis detrahi, ac deinde uſque ad oſſa laniari, & tamdiu vulnera vulneribus inſtaurari, uſque dum invictum Chriſto ſpiritum reddidit. Apud Arabiam civitate Philadelphia ànctorum martyrum Cirilli, Aquilæ, Petri, Domiciani, Rufi, Menandri, una die coronatorum. In territorio Pariſiacenſi, Juſtini martyris. In pago Liſuino, ſancti Nemeſii confeſſoris.

Machab.
Pet. ad vin.
Eujebii.
Spei &c.
Boni &c.
Felicis.
Cyrilli &c.
Juſtini.
Nemeſii.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-major. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Relîqui *Vercelli*, ex Praten. & Herinien. Alii paſſim melius legunt *Vercellis*. Greven. habet, *Conſtantio principe*, Molan. *Conſtantino principe*: Antverp-maj. omittit *principe*, ſed ſervat *Conſtantino*. Ceteri ſimpliciter, ut eſt in textu. Scribo *Scitopolim* cum Herinien. Antverp-maj. & aliis pleriſque. In Pratenſi eſt *Scithopolim*, in Greven. *Scytopolim*, in Molan. *Schytopolim*. *Spei*, *Fidei* &c. ponunt omnes, excepto Antverp-majore, qui cum nonnullis aliis præponit *Fidei*. In Antverp-maj. hiulca eſt conſtructio, *quem judex Dacianus*, omiſſo verbo *juſſit*. Molan. typothetæ, ni fallor, errore habet *Decianus*. Deinde cum Greveno legit *vinculis detrahi*, pro *ungulis detrahi*. Item uterque,

que, *tamdui vulneribus inſtaurari* Herinien. *Vulnera verberibus reſtaurari.* Recte Praten. & Antverp-maj. cum Adone, ut eſt in textu. Sed non bene Antverp-maj. *reddit*, pro *reddidit.* Antverp-maj. uniformiter ſcribit *Filadelfia*; Herinien. *Filadelphia*, præfero alios tres. Solus Praten. legit *territorio Pariſienſi*, ferme contra omnes. Non diſtinguitur in Antverp-majore nomen *Juſtini.* Idem habet *Biſuino* & *Meneſii.* Greven *Liſuyno.* Pro textu ſtat codicum auctoritas, in quibus minutias alias negligendas putavi.

Machabæorum. OBSERVATIO. Textus vix toto anno diffuſior, ex ſolitis tamen fontibus, præſertim Adoniano, pro majori parte derivatus. *Machabæos* fratres ab ipſis primis Eccleſiæ ſeculis magna ſemper in veneratione fuiſſe, demonſtrant Patrum encomia apud Florentinium, & Martyrologorum noſtrorum conſenſus. Hieronymiana imprimis ampliori eos phraſi commemorant, quæ in mediæ notæ codices irrepſit. Noſter perpaucis Bedam, Romanum parvum & Adonem ſequitur, in hoc diſpar, quod eos primo loco annuntiet. Plura in ipſorum laudem lege ſis apud Florentinium, matris & filiorum nomina ſingillatim enumerantem. Et Notkerus aliquid ſupra Adonem conatus eſt. Rurſus in *Petri ad Vincula.* Hieronymianis plura narrantur de *dedicatione* primæ à B. Petro eccleſiæ, atque Vinculorum ſolutione, quæ à Notkero nonnihil etiam amplificata ſunt, Bedâ interim, Romano parvo & Adone breviſſime rem expedientibus, plane ut in textu legitur. De pri-*Euſebii.* ma à Petro dedicata Romæ eccleſia erudite diſputat laudatus Florentinius. *Euſebius Vercellenſis* ab Hieronymianis notatur tamquam *Confeſſor.* Beda, à quo eum Germano Autiſſiodorenſi conjungi nuper diximus, diſerte ait, *moventibus perſecutionem Arianis, martyrium paſſum.* Tu vide Tillemontium tomo 7 à pag. 529. Romanum parvum ſolum dicit: *Vercellis, Euſebii epiſcopi.* Viennenſis titulum utrumque connectit, ex quo noſtra omnia, ſublatis dubiis, deſumpta ſunt. Notkerus explicat, quomodo & martyrium paſſus ſit, *& in pace Eccleſiæ, circum confeſſionis ſuæ conſummaverit.* Pro huc uſque dictis, monumenta tradit Surius, & cum noſtris convenit Wandelbertus, ſic Auguſtum exordiens:

Auguſtus demum pleno jam farre refertus,
Quis nova ſacra ferat, monſtremus carmine Sanctos,
Quos ferus in mortem Antiochus cum matre ſubegit,
Venturo ſanguen qui Chriſto ſponte dicarunt,
Auguſtas retinent Machabæi jure Calendas.
Carcere Roma Petrum celebrat vincliſque reductum:
Euſebiumque ſuum Vercelli rite frequentant.

Spei &c. Sequuntur *ſorores Virgines* cum matre vidua, quas fateor me neſcire, unde Uſuardus accerſiverit, cum antiquioribus Martyrologis omnibus ſint incognitæ. Non ignoro, ad XXIII Junii inter Auctaria referri tres ſorores, iiſdem nominibus Græce inſignitas, *Piſtis, Elpis, Agapis*, quas nimirum ibi Notkerus, iſque ſolus, Nicomediæ paſſas aſſerit. Baronius in Notationibus ſatis innuit, ſe in Uſuardo eas reperiſſe, quod ex codicibus noſtris manifeſtum eſt. Cur autem matrem à filiabus ſegregatam, ad XXX Septembris rejecerit, necdum habeo ſatis exploratum. Geddeſii ineptias, occaſione harum Sanctarum excogitatas, vix eſt operæ pretium nominare, nedum refutare. Facile crediderim Acta aliqua nactum Uſuardum, qualia apud Surium exſtant, unde earum memoriam hac die ſimul collocarit. Pluribus hîc abſtineo, alibi ex profeſſo diſcutiendis. Videat interim curioſus lector, quæ de Sophia ejuſque filiabus diximus in Chronologia Patriarcharum Alexandrinorum, pag. 18, num. 92.

Boni &c. Claſſis ſubſequens *Boni* & ſociorum martyrum ex ſolitis etiam fontibus non procedit, nam inter antiquiores à ſolo Floro, cum Beda edito, conſignata eſt, phraſi à noſtra tam diverſa, ut ex eo ſcriptore Uſuardum accepiſſe omnino exiſtimari non poſſit. Re-*Felicis.* ſtat ut ex ipſis ſancti Stephani Actis tranſlatos ſupponamus. De *Felice*, dubium non eſt, quin ex Adone proficiſcatur, ex cujus longiori elogio, à Notkero deſcripto, epitomen ſuam Noſter condidit. Notus etiam eſt in Hieronymianis & citato Floro. Ceterum an ſatis emendate diem notaverit Ado, vide Florentinium & Acta ſuo loco illuſtranda; de quorum auctoritate ibi diſputabitur. Certe quæ Prudentius & Greg. Turon. tradunt, in dubium revocanda non ſunt. In *Philadelphienſibus* nonnulla item diffi-*Cyrilli &c.* cultas occurrit circa martyrum *Synodum*, ab Hieronymianis notatam, à Notkero, ab ipſis noſtris Martyribus diſtinctam, de qua uti & de *Martyrum Conciliis* multa accurate diſquirit Florentinius. Ad rem noſtram quod facit, Romanum parvum de illis meminit, non expreſſis ſingulorum nominibus, quæ Ado alibi inventa reſtituit, ex quo annuntiatio-*Juſtini.* nis ſuæ verba omnia Uſuardus deprompſit. *Juſtinus* & *Nemeſius*, qui agmen claudunt, ab *Nemeſii.* Uſuardo in ſacros Faſtos primùm relati videntur, quidquid aliunde præter morem excreſceret textus, quem nihilominus totum & vere & ſimpliciter Uſuardinum cenſemus.

AUCTA-

AUCTARIA.

TORNACEN. Incipit: *Romæ, ad ſanctum Petrum ad vincula.* Tum de Machabæis, pure. Euſebii elogium reſecat. In Virginibus purus eſt. Item in Juſtini. Deſunt reliqua omnia, quibus ſubſtituit: *Caſtro Corboilo, ſancti Exuperii epiſcopi & confeſſoris, cujus corpus perſecutione Danorum à Redonis civitate fugatum, atque à Galliarum incolis honorifice receptum, in prædicto loco affectu magnæ devotionis colitur.* *Exuperii.*

ROSWEYD. Sic orditur: *Romæ, ad Vincula ſancti Petri.* In Machabæis, bene. Deſunt Spei &c. Boni & ſociorum; item Nemeſii.

PULSANEN. *Romæ, abſolutio beati Petri Apoſtoli à vinculis.* In Machabæis & Euſebio ſatis purus eſt. Deeſt elogium Boni & ſociorum; & deſunt etiam quæ ſequuntur omnia.

MUNERAT. Secundo loco: *Romæ, ſancti Petri ad vincula.* In reliquis ſatis purus, in fine habet ferme ut TORNACEN. ſupra de Exuperio, quem etiam eodem modo annuntiat codex REG. SUEC. ſub nota num. 428.

ANTVERP. MAX-LUBEC. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERGEN & DANIC. Incipiunt: *Romæ, ſancti Petri ad vincula.* Dein cum Hieronymianis: *Apud Antiochiam, paſſio ſanctorum Machabæorum ſeptem fratrum, cum matre ſua, qui paſſi ſunt ſub Antiocho rege.* Sequuntur reliqua ſatis pure, exceptis duabus poſtremis annuntiationibus, quæ deſiderantur.

LOVANIEN. Superioribus ſimilis, hunc præterea defectum habet, quod careat elogio Felicis.

CENTULEN. *Romæ, ad vincula ſancti Petri feſtivus & ſolennia* [ſolennis] *concurſus. Antiochiæ, ſanctorum Machabæorum. In Italia civitate Vercellis, ſancti Euſebii epiſcopi & martyris. Apud Arabiam civitate Philadelfiæ, ſanctorum martyrum Cyrilli, Aquillæ, Petri, Domitilæ, Ruffi, Menandri, una die coronatorum. In territorio Pariſiorum, ſancti Juſtini martyris. In pago Siluino, ſancti Nemeſii confeſſoris. Romæ via Latina, ſanctorum martyrum Boni presbiteri, Fauſti, Mauri cum aliis ſeptem. Item Romæ, ſanctarum virginum Fidei, Spei & Caritatis, & matris earum Sapientiæ, quæ ſub Adriano imperatore paſſæ ſunt. In Hiſpania, civitate Gerunda, ſancti Felicis martyris.* In margine recentiori longe manu appoſitum eſt: *Caſtro Corbeilo, ſancti Exuperii confeſſoris.* Fuit Epiſcopus Bajocenſis, vide ſupra. *Textus contractus & tranſpoſ.* *Exuperii.*

BRUXELLEN. *Romæ, ſancti Petri ad vincula:* *de duabus enim catenis, quibus Herodes beatum Petrum vinxerat, & de ea qua ipſe ſub Nerone vinctus fuerat, triadem factam, Papa poſuit in eccleſia, quam ipſe Kal. Auguſti ſub honore & vocabulo beati Petri ad vincula dedicavit.* De Machabæis eadem habet quæ ANTVERP. &c. ſupra. Sequuntur Philadelphienſes, ſatis pure. In Euſebio modice interpolatus, de Felice, de tribus Virginibus & matre, de Bono & ſociis, ſatis recte. Adjicit deinde: *In Aquitania, civitate Vienna, ſancti Severi epiſcopi, qui fuit unus de diſcipulis Apoſtolorum: Et ſancti Nectarii epiſcopi. In Gandavo, tranſlatio corporis ſancti Bavonis confeſſoris.* Colitur 1 Octobris. *De Vinculis S. Petri.* *Severi.* *Nectarii.* *Tranſlat. Bavonis.*

HAGENOYEN. *Antiochiæ, natalis ſanctorum martyrum Machabæorum ſeptem fratrum, cum matre ſua, qui paſſi ſunt ſub veteri Teſtamento. Sed eorum martyrium Eccleſia veneratur ob memoriam omnium veteris Teſtamenti Patrum. Horum paſſio ſanctorum Machabæorum continetur in ſecundo libro Machabæorum Romæ, ſancti Petri ad vincula. Quæ feſtivitas quondam erat celebris ad honorem Octaviani Auguſti principis Romanorum; quam delevit Eudoxia cum Papa Pelagio, & ſtatuit celebrari in memoriam principis Apoſtolorum. Unde regina veniens de Hieruſalem pertulit catenas, quibus ligatus erat Petrus ab Herode, & Papa protulit ſtatim in medium catenam, cum qua ligabatur Petrus à Nerone Cæſare in Roma. Et hæ duæ catenæ mirabiliter in unum conjuncta eſt* [conjunctæ ſunt.] Sequitur de Virginibus, ubi interpolatus eſt. Tum de Bono & ſociis, item de Philadelphienſibus ſatis pure, uti & de Juſtino & Nemeſio. Deſunt reliqua omnia. *De Machab.* *De Vincul.*

AQUICINCT. Ante memoriam B. Euſebii Vercellenſis, interſerit hæc: *Marcianas, depoſitio ſancti Jonati abbatis.* Pro *Nemeſii*, habet *Meneſii.* In fine autem: *Item ſanctorum Freardi & Secundelli.* Ex Greg. Turon. de Vit. PP. cap 10. *Jonati.* *Freardi &c.*

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. In fine: *Apud Italiam, natalis ſanctæ Juſtæ.* *Juſtæ.*

DAVERONEN. *In territorio Pariſiaco, Juſtini martyris.* Quid de reliquis habeat, non conſtat.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Petri ad vincula. Sanctorum Machabæorum fratrum. Fidei, Spei & Charitatis virginum, & Sapientiæ matris earum, martyrum. Euſebii Vercellenſis epiſcopi & martyris.* Patet textum eſſe valde mutilum.

In VATICAN. num. 5949. Deſunt Virgines, Juſtinus & Nemeſius. Adjicitur: *Apud Italiam, ſanctæ Juſtæ virginis.* *Juſtæ.*

UGHELLIAN. Caret etiam commemorationibus Juſtini & Nemeſii. Vide ANTVERP. &c.

FLORENTIN. *Romæ, Boni presbyteri, Fauſti, Mauri, Primitivi, Calumnioſi, Joannis, Exuperantii, Quirilli & Honorati ..... In Italia, ſanctæ Juſtæ virginis. Item ſancti Ruphiniani* [MEDICÆUS legit *Ruffiniani*] *epiſcopi & confeſſoris, diſcipuli ſancti Petri Apoſtoli.* *Boni &c.* *Juſtæ.* *Rufiniani.*

EDITIO LUBECO-COL. De Vinculis & Machabæis ſatis dictum eſt. Sequitur textus uſque ad Philadelphienſes incluſive. Tum: *In Anglia, ſancti Edelwoldi epiſcopi & confeſſoris.* Dein de Juſtino, pure. Poſt: *Viennæ, ſancti Severi epiſcopi & confeſſoris, qui unus fuit de diſcipulis Apoſtolorum. Bituricas, beati Archadii epiſcopi & confeſſoris. Sueſſionis, beati Bandaridi epiſcopi & confeſſoris. In pago Lyſynno, beati Nemeſii confeſſoris. Eodem die, ſancti Nectarii epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die, ſanctorum Friardi & Secundelli confeſſorum. Item, beatæ Facinolæ virginis. Et ſanctæ Juſtæ matronæ.* *Edelwoldi.* *Severi.* *Archadii.* *Bandaridi.* *Nectarii.* *Friardi &c.* *Facinolæ.* *Juſtæ.*

BELIN. Incipit & legit de Vinculis & Machabæis, ſicut ANTVERP. &c. In Euſebio, Virginibus, Bono & ſociis, & Philadelphienſibus purus eſt. ſubjungit: *Apud Italiam, ſanctæ Juſtæ virginis.* In Juſtino purus eſt. *In pago Tiſuino, ſancti Meneſi confeſſoris.* De Felice, ultimo loco, abſque elogio. Altera editio Machabæos collocat, *Apud Hieroſolymam* &c. In reliquis priori ſimilis eſt, at in fine adjicitur: *In territorio Bleſenſis* [haud dubie *civitatis,*] *ſancti Bethaſii confeſſoris.* Caſtellanus legit *Betarii.* *Juſtæ.* *Bethaſii.*

GREVEN. *Item, ſanctorum Primitivi, Calumnioſi, Johannis, Exuperantii, Quirilli, Theodoſii, Caſti Baſilii & Honorati, de quibus in Actibus* *Primit. &c.*

Severi. *Archadii.* *Bandaridi.* *Exuperii.* *Ethelwaldi* *Nectaris.* *Friardi &c.* *Justæ.* *Facinolæ.* *beati Stephani. Viennæ, sancti Severi episcopi & confessoris, discipuli Apostolorum. Bituricas, sancti Archadii episcopi & confessoris. Suessionis, sancti Bandaridi episcopi & confessoris. Exuperii episcopi Baiocensis & confessoris. In Britannia, Ethelwaldi episcopi & confessoris. Nectaris episcopi. Friardi & Secundelli confessorum. Justæ martyris, matris sancti Silvestri, in puteum præcipitatæ. Facinolæ virginis. Apud Veronam Italiæ, sanctæ Mariæ virginis, cognomento Consolatricis.*

MOLAN. *Castro Corboilo* &c. ut TORNACEN. *Exuperii.* *Elevat.* *Bavonis.* *Translat.* *Winwal.* *Ethelwaldi.* supra. *Gandavi, elevatio sancti Bavonis pii confessoris. Romæ, dedicatio primæ ecclesiæ, à beato Petro constructæ & consecratæ. In Blandinio, translatio sancti Vuinwaloci abbatis.* Tum minoribus typis: *In Britannia, Ethelwaldi episcopi & confessoris, in civitate Wintonia; cujus actus scripsit Vultanus cantor Vuintonienſis. Sancti Secundelli abbatis, & Friardi, de quo Gregorius Turon. Eodem die, natalis sancti Jonathi confessoris, discipuli sancti Amandi.* In editionibus aliis, de Machabæis cursivo, textui inserit, quæ habet ANTVERP. &c. additque, *& præceptoris ipsorum Eliazarii.* De Eusebio, *& confessoris*; & de Virginibus nomina Græca, item quod *fuerint natione Mediolanenses.* Denique de Justino: *cujus corpus requiescit in magna ecclesia beatæ Mariæ Virginis Parisiis.* Deinde in fine: *Castro Corboilo* &c. Item *Friardi & Secundelli. In Britannia, natalis sancti Ethelwoldi episcopi Vuintonienſis & confessoris. Marcianis, depositio sancti Jonati abbatis.* De Bavone, Winwaloco, & dedicatione primæ ecclesiæ à beato Petro, ut supra. Demum: *Die prima, processio venerabilium lignorum venerandæ & vivificatricis Crucis.* Sumitur ex Horologio Græcorum, de quo non semel alibi egimus. *Friardi &c.* *Jonathi.*

Die 2.

IV *Non.*

Stephani. ROmæ in cimiterio Calixti, natalis beati Stephani Papæ, qui persecutione Valeriani, cum insequeretur ob Christi martyrium, & staret intrepidus ante altaris solemnia, ac jugiter cœpta perficeret, in eodem loco, sicut in sua decollatur sede. In *Theodotæ cum 3 filiis.* Provincia Bithinia, urbe Niceæ, sanctæ Theodotæ cum tribus filiis suis, è quibus primogenitum nomine Euodium, Christum fiducialiter confitentem, fecit primum consularis Bithiniæ fustibus cædi, deinde ipsam cum omnibus filiis igne consumi.

Sumitur textus ex *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *cœmeterio Calisti*, alibi etiam meminimus; sequor in textu quod habet plerumque major codicum numerus: Praten. legit *cemeterio*, Herinien. *cymiterio*, sed non semper sibi constant. *Calixti*, est in omnibus, excepto Pratensi. *Cum insequeretur*, passive scribunt omnes. At quid de hac phrasi? *In eodem loco, sicut in sua decollatur sede.* Non ita Ado, qui nitidius: *In eodem loco, in sua decollaverunt sede.* At constructio nostra in omnibus ferme codicibus reperitur, hoc solo discrimine, quod Munerat. Greven. & Molan. legant *decollatus est sede*, & Tornacen. *Sic in sua*; nam quod Herinien. etiam habeat *sic*, scioli vitio factum patet, cum erasæ sint duæ litteræ *ut*. Putamus itaque Usuardum, licet male, sic tamen scripsisse, ut in textu posuimus. Solus Molan. recte habet *Bithynia*: male Munerat. *Bitinia*, reliqui ut in textu, nisi quod videatur Praten. ponere in obliquo *Bithiniæ*. Idem legit *Euodum*, vel *Evodum*, cum Munerato. Greven. sensum torquet, legendo, *primum Consularis fecit Bithiniæ*, qui & cum Molano in fine habet, *consumi præcepit*: ubi Antverp-maj. *cum omnibus filiis suis*, quod etiam est in Pratensi signato B. De *solempnia*, *solemnia*, *sollemnia*, *sollennia*, *Nicea*, *cedi* & id genus aliis, non arbitror operæ pretium plura notare.

Stephani. *OBSERVATIO.* Citata sunt superius non semel, & porro citanda, beati *Stephani Papæ* Acta; ex quibus non pauci martyres, aut conjunctim aut divisim, suis quique diebus educuntur, quorum plerosque à Molano hac die in annotatione collectos reperies, qui à nobis pro varia Usuardi dispositione, in proprias festivitates distributi sunt. Stephanum ipsum hîc etiam recolunt Hieronymiana apographa, non satis distincte dignitatem exprimentia. Clarius Beda *Papam* & *martyrem* diserte pronuntiavit, adjecto parvo elogio, à Rabano transumpto, quod subinde, nescio quomodo, in omnes ferme Usuardinos mediæ notæ codices transiit, in hoc dumtaxat à puritate aberrantes. At vero Usuardum non ex Beda, sed ex Adone sua accepisse, ex eo evidenter patet, quod & phrasim ejus & verba accuratissime imitetur. Ex Romano parvo in Adonem fluxisse vix dubium est, ubi sic legitur: *Romæ, Stephani Papæ & martyris.* Longior Adonis oratio Actorum compendium censeri potest, qua potissimum parte Stephanum proprie spectant. Quæritur an Acta ipsa summatim accepta, cum Baronio in Annalibus ad annum

annum CCLIX num. 20, *fidelissima, germana cognita atque legitima*, & *quo candidiora eo veriora* censenda sint; an forte cum recentioribus, pro vitiatis & interpolatis habenda? Sed patietur lector, difficillimam controversiam, ad proprium locum remitti. Videat interim ipse, quid Actis istis opponat Tillemontius tomo 4, pag. 592. Notari etiam potest brevis Motherii observatiuncula. Nitide Stephanum exornat Wandelbertus:

Nonarum Stephanus martyrque & Papa beatus
Quarto festivæ tribuit pia gaudia Romæ.

Laudatum Romanum parvum sic etiam breviter secundam annuntiationem com- *Theodotæ*
plectitur: *In Bithynia, Theodotæ, cum tribus filiis.* In eamdem plane sententiam loquitur *& filiorum*
Ado, insigni encomio & matrem & filios exornans, quod in Beda, & Rabano ex eodem Actorum fonte haustum, sed contractius est, nisi malis, Bedam aliquatenus Adoni præluxisse. Hoc certe non obscure colligitur, Usuardum Bedæ potius, quam Adonis verbis inhærere, resectis iis quæ de tyranno Diocletiano & Leucadio comite ab utroque narrantur. Sed qua ratione hæc omnia cum Hieronymianis codicibus conciliari possint, prorsus non video. Ibi enim ex Lucensi & Corbeiensi, textus in hunc modum exprimitur: *Et in Cæsarea Mauritaniæ, Theodotæ & septem filiorum ejus, quorum gesta habentur.* Neque id satis perspexit Florentinius, qui *Cæsariensis* illius & filiorum gesta se frustra quæsiviisse fatetur. Unde recte putavit, supplendum in vetustissimo Epternacensi & emendandum provinciæ nomen, scribendo *Bithyniæ*, pro *Bitia*, ut eo pacto cum Martyrologis aliis melius cohæreat. Hæc cursim notasse pro instituto nostro plusquam satis est, nam quidquid sit de una an gemina *Theodota* vel *Theodora*, *Cæsariensi* altera, altera *Nicæna*, quod ad Acta ex professo discutiendum remittimus, abunde hîc demonstrata est textus nostri & origo & sincera puritas, tametsi non omnino defæcata. Acta quæ Surius edidit ad XXV Decembris, ex eorum, opinor, numero sunt, quæ refellit Ruinartius pag. 420. Quid de Combefisianis inter Lectos triumphos pag. 247 Græco-Latinè vulgatis statuendum sit, alio pertinet. Hic satis est fontes designasse.

AUCTARIA.

De Stephan. ROSWEYD. De Stephano Papa, textui inserit: *Cum jam multos ad martyrii coronam præmisisset.* Cetera purus est, imo plusquam purus, cum simpliciter legat, *in eodem loco, in sua decollatur* &c.

PULSANEN. In prima satis purus, deficit in secunda, ubi elogium resecat.

ANTVERP. MAX-LUBEC. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANICUS. Codices illi sunt, in quos dixi transisse elogium Bedæ, expuncto Usuardino. Sic enim de Stephano Papa legunt: *Qui persecutione Valeriani principis martyrio coronatus est.* Vide supra in Observatione.

Textus mutatus. CENTULEN. *Romæ in cymiterio Calisti, natalis sancti Stephani Papæ & martyris. Eodem die, sanctæ Theodotæ cum filiis suis, quæ tempore Diocletiani passa est agonem sub consulari Nicecio & comite Leucadio.* Hîc plerumque mutatio & contractio.

BRUXELLEN. In Stephano, post *Papæ &*
De Stephan. *martyris*, sic pergit: *Qui dum multos gentilium convertisset & multorum martyrum corpora sepelisset, sub persecutione Valeriani persecutus, ante altare intrepidus, Missam celebrans, decollatus*
Nemesii & Sociorum. *est. Et sanctorum martyrum Nemesii, Lucillæ, Olimpii, Exuperii & Theodoli.* De his in Actis sancti Stephani agitur, sed ad alios dies pertinent. Primi duo referentur XXXI Octobris. Vide quæ de aliis diximus XXVI Julii. De
De Theodot. Theodota & filiis, post *consumi*, adjungit: *Pro ut in passione sanctæ Anastasiæ virginis scriptum habetur.* Colitur Anastasia XXV Decembris.

HAGENOYEN. De Stephano Papa sparsim ex Adone sua accepisse videtur, in hunc modum:
De Stephan. *Romæ cimiterio Kalixti, natale beati Stephani Papæ & martyris. Qui persecutione Valeriani imperatoris, cum insequeretur Christianos, tentus est cum multis clericis suis, & tunc ille solus ad Valerianum intrepidus vadit, arguens illum de nece piorum, & statim ductus est ad templum Martis, ut ymmolet aut decolletur. Tunc Stephanus Papa oravit, & pars templi cecidit, & præ timore omnes fugierunt. Et ipse cum suis ad cimiterium Lucinæ perrexit, & Christianos ad se venientes confortavit, & sollempnia Missarum incepit, & jugiter incepta perfecit, quem ut milites Valeriani viderunt, ipsum in altari statim decollaverunt, & aliquos alios cum eo.* Cetera purus est.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Stephani Papæ & martyris, cujus præclara gesta habentur & sæpius allegantur. Boni, Fausti, Mauri cum* *Boni &c.*
aliis septem, de quibus in gestis B. Stephani legitur, sed primo die in aliis Martyrologiis habentur. Theodota cum tribus filiis.

ALTEMPS. *Eodem die, inventio corporis sancti* *Invent.*
Albini protomartyris Anglorum. Cur non *Albani?* *Albini.*

STROZZIAN. & forte FLORENTINI alii. *Romæ,*
depositio beati Severini Papæ, qui sepultus est in *Severini.*
basilica beati Petri Apostoli. Fuit enim benignus super omnes homines, amator pauperum, largus, mitissimus. Fuit autem post Petrum Apostolum LXXI. *Hujus temporibus Christianissimus imperator Heraclius, destructo Chosroe, Crucem Domini reportavit Hierosolymam.* Vixisse eo tempore Severinum fateor, sed Papam fuisse non intelligo.
Civitate Padua, sancti Maximi, ejusdem civi- *Maximi.*
tatis episcopi, qui miraculis clarus beato fine quievit. Dedicatio ecclesiæ sanctæ Mariæ de Portiun- *De Portiun.*
cula, in qua B. P. Franciscus procuravit à Deodato Papa maximam Indulgentiam. Deodatus vixit seculo VII, S. Franciscus XIII. Lege ergo, ut BELINUS, *à Deo & à Papa.*

EDITIO LUBECO-COL. De Stephano ait: *De Stephan.*
Qui rexit Ecclesiam annis quatuor, menses duos, dies quindecim & passus est sub Valeriano & Galieno imperatoribus, quem ob Christi confessionem intre-

intrepide in cimeterio ſanctæ Lucinæ, ante altare ſacrificia libantem, in eodem loco, in ſua epiſcopali ſede ſedentem decollaverunt. Ipſum autem fideles Chriſti, qui aderant, cum ſede ſua, jam ipſo ſacro cruore perfuſa, in eadem crypta ſepelierunt. Monſtratur cruor ejus in lapide marmoreo ante ſummum altare ad Catacumbas. Hic conſtituit ut ſacerdotes & levitæ veſtes ſacerdotales in quotidiano uſu non haberent, niſi tantum in eccleſia. In Theodota, modice interpolata eſt. Sequitur: *In Italia civitate Verona, beatorum Felicis & Nyceti martyrum. Eodem die, ſanctorum martyrum Nemeſii, Lucillæ, Olimpii, Exuperiæ & Theodolæ. Ipſo die, beati Adrenuldi epiſcopi & confeſſoris.*

Felicis & Nyceti. *Nemeſii &c.* *Adrenuldi.*

Belin. In Stephano etiam utitur elogio Bedæ, ut ſupra. In fine addit: *Civitate Padua, ſancti Maximi, ejuſdem civitatis epiſcopi, qui miraculis clarus beato fine quievit. Eodem die, conſecratio eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Portiuncula apud Aſſiſium, in qua B. P. Franciſcus procuravit à Deo & à Papa maximam Indulgentiam.*

De Maxim. *De Portiun.*

Greven. *In Italia civitate Verona, Felicis & Niceti martyrum. Item ſanctorum Nemeſii, Lucillæ, Olimpii, Exuperiæ & Theodolæ. Stephani Papæ* II *& confeſſoris, qui amator fuit eccleſiarum, pauperum Chriſti maxime fautor & nutritor. Hic ultimo pontificatus ſui anno imperium à Græcis tranſtulit ad Germanos in perſonam Karoli magni. Item Stephani Papæ* III, *viri ſanctiſſimi. Adrenuldi epiſcopi & confeſſoris. Medani epiſcopi.*

Felicis &c. *Nemeſii &c.* *Stephani II.* *Stephan. III.* *Adrenuldi.* *Medani.*

Molan. In fine adjicit verba Bedæ: *Scriptum eſt in paſſione ſanctæ Anaſtaſiæ. Civitate Padua, ſancti Maximi* &c. *Eodem die, conſecratio baſilicæ ſanctæ Mariæ de Portiuncula* &c. Quæ ex Belin. deſcripta ſunt. Editiones poſteriores mutant nomen *Theodotæ*, in *Theodoræ*. In fine habentur eadem Auctaria, quibus immixtum eſt novum, nempe: *Carnoti, ſancti Betharii, ejuſdem civitatis epiſcopi, ſanctitate & miraculis clari.*

Maximi. *De Portiun.* *Betharii.*

III *Non.* *Die* 3.

Invent. Steph. &c. Hieroſolimis, inventio corporis beatiſſimi Stephani protomartyris & ſanctorum Gamalielis, Nicodemi & Abibon. Hæc ſeptimo Honorii principis anno revelata, atque à beato presbitere Luciano ſcripta, ad totius Eccleſiæ perſonam, omnibus fere gentibus declaratur. Conſtantinopoli, ſancti Hermelli martyris.

Hermelli.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-major, Roſweyd. Pulſanen. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Omnes codices legunt *beatiſſimi*, excepto ſolo Pratenſi, in quo, ſimpliciter *beati.* Roſweyd. pro *Abibon*, ſcribit *Abibæ*, nec adeo male, cum etiam *Abibas* appelletur, Gamalielis filius. *Hæc ſeptimo* &c. legendum eſt, referendo ad omnia corpora. Munerat. poſuit, *Hoc.* Idem habet *principiis*, pro *Principis*, errore haud dubie typothetæ. *Principis Honorii*, eſt in Tornacen. reliqui cum textu. Sic item nonnulli, ut Herinien. & Molan., *atque à beato Luciano preſbytero*, ſecuti ſumus majorem codicum numerum. Sed Greven. ut non ſemel aliàs, hîc denuo conſtructionem torquet, ſic enuntians; *atque à beato Luciano ſcripta presbytero;* Pulſanen. habet, *deſcripta.* Non placuit Antverp-majori illa *totius Eccleſiæ perſona*, ut ex Adone Noſter deſcripſit, ſed legere maluit, *ad totius Eccleſiæ perſonas.* Idem cum Pulſanen. *Conſtantinopolim* ſcripſit, pro *Conſtantinopoli.* Item rurſus Antverp-maj. *Emelli*, Greven. & Molan. *Ermelli;* ceteri melius cum aſpiratione. Superſunt modi ſcribendi in *Jheroſolimis, Jeruſolimis, Jeroſolimis, Protomartiris, Gamalihelis, Nichodemi* & *Nychodemi*, quos ſatis eſt indicaſſe.

OBSERVATIO. Beatiſſimi *protomartyris Stephani* revelationem ſeu inventionem longe celebratiſſimam inſigni narratione, ex Luciano potiſſimum accepta, exornavit Ado, textus ſui ſubſtantiam, ni fallor, ex Romano parvo deducens, ubi ſic habetur: *Jeroſolymis, inventio corporis B. Stephani, Gamalielis, Nicodemi, Abibon.* Porro ex prolixa Adonis hiſtorica panegyri Noſter ſua omnia decerpſit, nec ad latum unguem à ſoliti ductoris veſtigiis deflectens: quin & vel ipſo etiam mutuato errore, quem obſervat Baronius in annis Honorii, ubi pro anno *ſeptimo*, legendus eſſet *vigeſimus primus.* Aliam prorſus viam ingreditur Rabanus, tranſlationem Antiochenam Hieronymianorum heſternam, cum hodierna inventione conjungens, ex quo ſumpſit Notkerus omnia, quæ præcedenti die de uno ex lapidibus, Antiochiæ aſſervato & miraculis claro, commemoravit. Hæc Hieronymianorum verba ſunt IV Non. Auguſti. *In Antiochia, natalis reliquiarum protomartyris Stephani & diaconi, qui Jeroſolymis eſt lapidatus, ex revelatione Luciani preſbyteri, corpuſculus ejus Jeroſolymis eſt tranſlatus.* His igitur inſiſtens Notkerus, ex Rabano adjicit: *Ubi haberi dicitur unus de lapidibus, quibus in paſſione ſua* &c. Ad quæ reflectens Florentinius, ut paſſim Notkero nimium tribuit, ejus fontes ignorans; ita hîc ex illo anſam arripit plura commentandi, atque inter alia cum Baronio dubitat, utrum pro *Antiochia*, ſcribendum non ſit *Ancona*, quod illic è lapidibus iſtis unus, magna in veneratione

De invent. Steph. &c.

tione habeatur, citatis in eum finem ſancti Auguſtini ſermonibus; quæ omnia ad XXVI Decembris examinabuntur, cum iis, quæ ab eruditis recentioribus ex Auguſtino & aliis collecta ſunt. Atque hæc Notkerus pridie. At magis cum Romano parvo, Adone, ac proinde & cum Noſtro conveniunt laudata Hieronymiana hac die, quando legunt: *In Jeroſolymis, inventio corporis beatiſſimi Stephani, primi martyris, & ſanctorum Gamalielis, Nichodemi & Abibon.* Verum hîc Notkerus iterum alia ſuggerit, volens hac die aut lapidatum, aut ſaltem à Gamaliele ſepultum Stephanum, ſic ut hodie ex ejus mente paſſio recolatur, *& ſeptimo Kalendarum Januarii, ſacrum corpus patefactum & Jeroſolymam tranſlatum ſit*, ut *vita comite*, inquit, *curabimus aperire* &c. Sed ea probatio deſideratur hactenus, Martyrologio ejus poſt XXVI Octobris deficiente. Neque tamen in omnibus aberrare hîc Notkerum cenſemus, quandoquidem ex Luciani relatione conſtet, menſe Decembri inventa eſſe corpora. Cur autem hac III Auguſti ejuſdem inventionis celebretur feſtivitas, non auſim temere aſſerere: vide tantiſper conjecturam Baronii, reliquasque ejus & Florentinii notationes: item Surium hoc die ac Tillemontium tomo 2 à pag. 1 & in notis à pag. 462. Ceterum jam dicta nullo plane pacto obeſſe poſſunt ſimplicitati primigeniæ ipſius textus Uſuardi, qui ut jam diximus, ab Adone ſuo non receſſit; annuntiationem ultimam de ſancto *Hermello* ex ipſo etiam verbatim deſumens, ut ferme in Romano parvo poſita eſt. Nam Hieronymianorum lectio ſubobſcura, nomen mutat aut aliter inflectit, ut pluribus te docebit laudatus jam ſæpe Florentinius. De Hermello nihil uſquam reperio. Primam annuntiationem ſic metrice exornat Wandelbertus: *Hermelli.*

Terno mox Stephani colitur ſolenne reperti,
Primus qui mortem Chriſti eſt moriendo ſequutus.
Gamaliel, Nicodemus, Abibon pariterque
Inventi, voto fulgent & laude perenni.

AUCTARIA.

ANTVERP. MAX-LUBEC. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVAN. ALBERG. & DANIC. Ita hodie textum ſuum etiam ex Adone conſtruunt: *Hieroſolimis, inventio corporis beatiſſimi prothomartyris Stephani & ſanctorum Nicodemi* (ANTVERP. *Nicomedi*) *Gamalielis & Abibon; ſicut revelatum eſt à Domino, beato presbytero Luciano, ſeptimo Honorii principis anno. Conſtantinopoli, natale ſancti Hermelli martyris. Auguſtoduno* [MAX-LUBEC *Auguſtodimo,*] *depoſitio ſancti Euphronii epiſcopi.* *De Inv. &c.* *Euphronii.*

CENTULEN. *Jeroſolimis, inventio corporis beati Stephani prothomartyris, & cum eo Nichodemi, Gamalielis & Abibon, ſicut revelatum eſt à Domino, beato presbytero Luciano, ſeptimo Honorii principis anno. Romæ, via Appia, ſancti Tarſitii acoliti & martyris.* *Tarſitii.*

BRUXELLEN. *Jeroſolimis, inventio corporis beati prothomartyris Stephani, & ſanctorum Nycodemi, Gamalielis & Abibon. Quæ ſeptimo Honorii principis anno & ſeptimo Kalendas Januarii à Domino revelata, atque à beato Luciano presbytero deſcripta habetur. Sed feſtum agitur hac die, qua idem beatus Stephanus pro Chriſto lapidatus eſt.* Hæc Notkeri opinioni conformia ſunt. Sequitur de Hermello pure. Tum: *Auguſtoduno, depoſitio ſancti Eufronii epiſcopi.* *De Inv. &c.* *Eufronii.*

HAGENOYEN. Incipit: *Apud Novariam civitatem, natale beati Gaudencii epiſcopi & confeſſoris. Hic ſancti Martini notarius erat. Hunc ſanctus Symplicianus primum epiſcopum Novariæ civitati ordinavit. Hic cum Euſebio epiſcopo Vercellienſe exilium ſuſtinuit, & ante per aliquot dies in Mediolano in vinculis detentus fuit. Tunc ſanctus Ambroſius inviſum eum & alios præterire voluit & non potuit. Tandem de equo deſcendit & ſanctos in carcere poſitos in Domino confortavit. Qui in exilio obiit & corpus ejus Novariam reductum eſt, & Agapius, qui ei ſubſtitutus fuerat, precioſum ei ſepulchrum præparari fecit, & ideo à Januario uſque ad Auguſtum inſepultus remanſit, & ungues & ceſaries ei, acſi viveret, creſcebat. Hieroſolimis, invencio ſanctorum Stephani, Gamalielis, Nycodemi & Abilionis. Hæc invencio ſeptimo Honorii principis anno facta eſt, beato Luciano ſacerdote illam procurante, cui & revelatio de illis à Deo de eis facta eſt.* In Hermello, purus eſt. In fine: *Auguſtoduno, depoſitio ſancti Eufroſini epiſcopi & confeſſoris.* *Gaudencii cum elogio.* *De Inv. &c.* *Eufroſini.*

AQUICINCT. In fine addit: *Auguſtoduno, ſancti Euphronii.* Sic melius quam in præcedenti. *Euphronii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Revelatio beati Stephani protomartyris. Inventio ſeu revelatio ſanctorum Gamalielis, Nicodemi & Abibonis, quam beatus Lucianus presbyter deſcripſit. Hermelli martyris.* Poterat adjungi palæſtra. *Textus contractus.*

VATICAN. ſub nota num. 5949. Adjicit: *Romæ, ſancti Diogenis.* Aliis ignotus eſt. *Diogenis.*

UGHELLIAN. *Auguſtoduno, depoſitio ſancti Eufronii. Eufronii epiſcopi.* Scribe, ut ſupra *Euphronii.*

FLORENTIN. *Apud Novariam, ſancti Gaudentii epiſcopi & confeſſoris. Romæ in cœmeterio Caliſti, ſancti Tarſitii acolythi, ſicut in geſtis ſancti Tarſitii. Stephani Papæ & martyris legitur.* *Gaudentii.*

BIZUNTICEN. *Inventio corporis beatiſſimi Stephani..... Item Chryſopoli, quæ nunc Bizuntia dicitur, adventus reliquiarum ſupradicti protomartyris.* Proprium loci, de quo nihil apud alios. *Advent. rel. Veſontion.*

EDITIO LUBECO-COL. In textu fere pura, adjungit: *Auguſtoduno, depoſitio ſancti Eufronii epiſcopi & confeſſoris. In Italia, civitate Novaria, ſancti Gaudentii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, beati Fiacrii heremitæ & confeſſoris. Viennæ, ſancti Juſti, epiſcopi & martyris, eximiæ ſanctitatis viri, ſub temporibus Antonini imperatoris cognomento Pii.* Alius *Juſtus* in Adone die ſeq. *Eufronii.* *Gaudentii.* *Fiacrii.* *Juſti.*

BELIN. In inventione ſancti Stephani, ſequitur phraſim ANTVERPIENS. & aliorum ſupra. Tum *Conſtantinopoli, natale ſancti Hermolii mar-*

Eufronii. *Gaudentii.* *martyris. Augustoduno, depositio sancti Eufronii episcopi. Apud Novariam, sancti Gaudemii episcopi.* Pro *Gaudentii*, quemadmodum superius scripsit *Hermolii* pro *Hermelli.*

Justi. *Eufronii.* *Gaudentii.* *Metropoli.* GREVEN. *Viennæ, tempore Antonini cognomento Pii, sancti Justi episcopi & martyris, eximiæ sanctitatis viri. Augustoduno, depositio sancti Eufronii episcopi & confessoris. In Italia, civitate Novaria, sancti Gaudentii episcopi & confessoris. Constantinopoli, sancti Metropoli episcopi.* An non *Metrophanis?* Vide Florentinium. *Fiacrii eremitæ & confessoris.* *Fiacrii.* *Item, Walteni abbatis & confessoris.* *Walteni.* *Martini confessoris. In Hassia, beatæ memoriæ Conradi de Herlesheym, monachi presbyteri, Ordinis Cistercienſis & confessoris.* *Martini.* *Conradi.*

Euphronii. *Gaudentii.* MOLAN. *Augustoduni, depositio sancti Eufronii episcopi. Apud Novariam, sancti Gaudentii episcopi.* In posterioribus editionibus eadem plane repetit, hoc solum adjungens: *Die tertia, sanctorum patrum Isaacii, Dalmati & Fausti.* *Isaacii & sociorum.*

Pridie Non. *Die* 4.

Aristarchi. *Tertullini.* NAtalis beati Aristarchi, discipuli sancti Pauli Apostoli. Romæ via Latina, passio sancti Tertullini martyris, qui sub Aureliano imperatore, post impiam fustium mactationem & ignium circa latera exustionem, ac oris conquassationem, atque equulei extensionem, nervorumque cæsionem, data sententia, capitis amputat one martyrium consummavit.

Tantum puri sunt codices *Praten. Herinien. Pulsanen. Antverp. Max-Lubec.* & *Munerat.*

VARIA LECTIO. *Natalis sancti Aristarchi*, legit solus Pulsanen, reliqui omnes, ut est in textu. In eodem, ante *Tertullini*, deest titulus *sancti.* Nullus codex est seu Ms. seu typis editus, qui non legat *sub Aureliano imperatore*, Ado tamen, à quo hæc omnia accepta sunt ex sancti Stephani Actis, tyrannum vocavit *Valerianum imperatorem.* Rursus consentiunt omnes in *impiam fustium mactationem*; Antverp. tamen & Max-Lubec. cum Molan. scribunt *macerationem.* Pulsanen. pro, *ac oris conquassationem*, habet *orisque*: item pro *nervorumque*, legit *ac nervorum*, ubi Antverp. & Max-Lubec. loco *conquassationem*, simpliciter ponunt, *quassationem.* Sed hæc leviora sunt: tres codices optimæ aliàs notæ, nempe Antverp-major, Greven. & Molan. in aliqua elogii parte deficiunt, dum ita legunt, *& ignium circa latera exustionem, nervorumque extensionem*: vel ut Antverp-maj. *nervorumque scissionem*, omissis intermediis, quæ causa est, cur è purorum numero eos excludamus, præterquam quod Grevenus augmentum aliud habeat, postea recitandum. Pulsanen. scribit *consumavit*; ut Munerat. *Tertulini* &c. quæ vix notanda sunt.

Aristarchi. OBSERVATIO. Nec *Aristarchi*, nec *Tertullini* ulla hodie apud Hieronymianos, Bedam, Florum, Rabanum aut Wandelbertum memoria: utrumque refert Romanum parvum his verbis: *Aristarchi discipuli Apostolorum. In crypta arenaria, Tertullini martyris Romæ.* Hinc ambos Viennensis in Martyrologium suum transtulit, ex quo verbatim procedunt, quæ de Aristarcho in textu nostro dicuntur. Mirari licet, Usuardum ad Festivitates Apostolorum recurrere solitum, eas hoc die non consuluisse, ut inde elogii alicujus materiam extraheret, quam Molanus integrè laterculo suo litteris Italicis inseruit, ut in Auctariis patebit. Quæ vero præterea à Notkero adjiciuntur, ea hujus loci non sunt. Nec vero præter Adonianum elogium, multa aliunde de Aristarcho suggeri possunt. Pleraque omnia ex Actibus Apostolorum & Pauli epistolis hinc inde de eo commemorat Tillemontius tomo 1; idemque in nota pag. 571 varia Græcorum elogia examinat & refellit, de quibus nos plura alibi.

Tertullini. *Tertullinum* alibi diximus à Floro notari xxx Julii, qui forte verus passionis dies censeri potest, cum Ado diserte asserat, corpus ejus à sancto Stephano Papa sepultum, *secundo Kal. Augusti.* Cur autem hac demum die beati martyris festivitas celebretur, rationem ibi subjungit Ado, quod nempe ad ejus sepulcrum *concursus solennis fiat* 11 *Nonas Augusti.* Porro Adonis elogium ex Actis sancti Stephani Papæ, nudiustertius novissime citatis, desumptum est, atque à Nostro eleganter contractum, sic tamen ut imperatoris nomen perperam mutaverit, *Aurelianum* scribens pro *Valeriano*, quemadmodum in Variantibus lectionibus monstravimus, quod in Romano moderno recte correctum invenies. An id studio, an ex inadvertentia factum fuerit, non est promptum conjicere; nam cum Usuardus in reliquis Adonem pressissime sequatur, quid causæ esse dices, cur in hac parte ab eo recederet? Sequitur in Viennensi, *adventus Justi episcopi de eremo &c.* cujus etiam meminere apographa Hieronymiana, sed eam qualem-

cum

cumque commemorationem Noſter omiſit, reliqua ex Adone deſcripſiſſe contentus. Alium hodie martyrem exornat Wandelbertus, de quo ſtatim in Auctariis plura dicenda recurrent. Sic canit:

Juſtinus pridie proprio celebratur honore,
Presbyter in numero ſanctorum, cæde peremptus
Crudeli, exquirens tumulos qui condecoravit.

AUCTARIA.

Oſwaldi. TORNACEN. Hoc habet principium: *Natalis ſancti Oſwaldi regis & martyris*, de quo vide textum Uſuardinum die ſequenti. Cetera puriſſimus eſt.

ANTVERP-MAJ. Laborat defectu, quem ſupra notavimus. In reliquis etiam purus eſt.

Juſtini. ROSWEYD. Orditur à Juſtino in hunc modum: Romæ, *Juſtini presbyteri, in ſepeliendis martyrum corporibus ſtudioſiſſimi.* An hoc, & id genus ſecutura elogia, ex Rabano aut Notkero accepta non ſint, aliis judicandum relinquo. De cetero purus eſt & integer.

Juſtini. GREVEN. In prima annuntiatione purus, ſic ſecundo loco inſerit: *Romæ ad ſanctum Laurentium, natalis beati Juſtini presbyteri & martyris, quem beatus Sixtus ordinavit, qui multa corpora ſanctorum ſepelivit.* Deficit in elogio Tertullini, ut ſuperius dictum eſt.

MOLAN. In præfato defectu convenit cum ANTVERP-MAJORE & GREVENO.

DeAriſtarc. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. De Ariſtarcho adjiciunt: *Qui conſtitutus Theſſalonicenſium epiſcopus, poſt longos & beatiſſimos agones, à Chriſto coronatus, quievit.* Dein-

Juſtini. *Romæ via Tiburtina, natale ſancti Juſtini presbyteri & martyris, qui perſecutione Decii, Galli & Voluſiani, confeſſionis gloria inſigniſſimus fuit.* In Tertullino ſatis puri ſunt. Tres poſteriores excedit ANTVERP-MAX. in eo quod charactere aliquanto recentiori adjectum habeat: *Apud*

Walburgis. *Eydanhen, natale ſanctæ Walburgis virginis, quæ flagrans amore divino, patriam hereditatemque relinquens, ſoli Deo placere ſtuduit.*

ALBERG. & DANIC. Similes ferme ſunt ULTRAJECT. & duobus aliis præcedentibus, ſed Juſtinum Ariſtarcho præponunt.

Juſtini. CENTULEN. *Romæ ad ſanctum Laurentium, ſancti Juſtini presbyteri & martyris, qui confeſſionis gloria inſigniſſimus fuit. Romæ in crypta arenaria, beati Tertullini martyris. Eodem die, ſancti Ariſtarci diſcipuli Apoſtolorum, à quibus Theſſalonicenſibus ordinatus epiſcopus, poſt longos & beatiſſimos agones, à Chriſto coronatus eſt.*

Juſti. BRUXELLEN. Incipit: *Apud Lugdunum, adventus corporis ſancti Juſti martyris de heremo.*

DeAriſtarc. *Apud Theſſaloniam, natale beati Ariſtarchi, diſcipuli beati Pauli Apoſtoli. Qui conſtitutus Theſſalonicenſium epiſcopus, poſt longos agones, à Chriſto coronatus, quievit. Romæ, via Latina in cripta*

De Tertull. *arenaria, paſſio ſancti Tarculini martyris. Qui ſub Aureliano imperatore, poſt fuſtes, laterum aduſtiones, oris quaſſationem, eculeum ac nervorum inciſionem, capitis amputatione martyrium conſummavit. Item Romæ via Tyburtina, natale ſancti*

Juſtini. *Juſtini presbyteri & martyris. Qui ſub perſecutione Decii, Galli & Voluſiani, confeſſionis gloria inſignis fuit. Et in Germania, elevatio ſanctæ Wal-*

Elevat. Walburgis. *burgis virginis, quæ Kalendis Maii migravit ad Dominum.* Vide Acta noſtra XXV Februarii.

HAGENOYEN. De Ariſtarcho, idem fere addit, quod ſupra. Pro *Tertullini*, ſcribit *Tertullsi.*

Poſt textum ſubjicit: *Item Romæ, ſancti Gregorii Papæ, qui pœnitentiarius dicitur.* *Gregorii.* *Item Romæ via Tiburtina, natale ſancti Juſtini presbyteri & martyris, qui ſub perſecutione, Deci & Galli atque Voluſiani imperatorum, confeſſionis gloria inſigniſſimus fuit, & multos ſepelivit martyres, & plures Chriſtianos in domo ſua abſcondens & alimenta præbens, tandem per pontem in Tyberim præcipitatus martyrium complevit.* *Iuſtini.*

AQUICINCT. In fine, *Eodem die, ſancti Juſtini presbyteri & martyris.* *Iuſtini.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Juliani* [potius *Juſtini*] *presbyteri & martyris. Ariſtarchi, diſcipuli beati Pauli. Tertullini martyris Romæ, qui poſt varia tormenta capite truncatur.*

REGINÆ SUEC. ſignatus num. 428. *Eodem die, ſancti Juſtini presbyteri & martyris.* *Iuſtini.*

VATICAN. n. 5949. *Romæ, ſanctorum Creſcentiani & Juſti, & ſancti Apollonii & ſociorum ejus.* *Creſcentian. & ſociorum.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Octava ſancti Panthaleonis martyris. Romæ, via Tiburtina ad* *Oct. Pantal.*

ſanctum Laurentium, natale ſancti Juſtini presbyteri *Iuſtini.*

& martyris. Hic corpora SS. Laurentii, Hyppolyti, Concordiæ, Herenei, Abundi, Cyrillæ aliorumque plurimorum ſanctorum ſepulturis tradidit. Hic perſecutione Decii, Gallii & Voluciani confeſſionis gloria inſigniſſimus fuit. De Ariſtarcho addit, ut ſupra. *Romæ via Latina, in crypta arenaria, paſſio ſancti Terculinii martyris. Qui ſub Aureliano imperatore* &c. Tum: *Eodem die, beati Juſtini epiſcopi & confeſſoris.* *Juſtini ep.* *Ipſo die, beati Valentini epiſcopi & confeſſoris.* *Valentini.* Agitur de *Patavienſi* in Norico, vide Surium hoc die. *Item adventus ſanctæ Walburgæ* *Advent. Walburgæ.* *virginis. Apud Lugdunum, adventus corporis ſancti Juſti epiſcopi & confeſſoris de heremo.* *Et Juſti.*

BELIN. In textu ſatis purus, addit: *Eodem die Romæ, ſancti Juſtini presbyteri & martyris.* *Juſtini.*

GREVEN. *Juſtini epiſcopi & confeſſoris.* Tum *Juſtini ep.* ex Adone decerpit: *Apud Lugdunum Galliæ, adventus corporis ſancti Juſti epiſcopi, de eremo.* *DeJuſtLug.* *Qui cum aliquot annis in eremo, angelis proximam egiſſet vitam, ibique feliciter obdormiſſet, corpuſculum ejus, venerabilium civium Lugdunenſium cura requiſitum, à remotis partibus, cum alacritate & religione reportavit atque ſepelivit.* *DeWalburg.* Sequitur: *Item adventus ſanctæ Walburgæ virginis.* *Tranſlat.* *Tranſlatio ſancti Valentini epiſcopi Patavienſis &* *Valentini.* *confeſſoris. In Hiſpaniis, ſanctæ Iohannæ viduæ.* *Ioannæ,* *Item in Anglia, bonæ memoriæ, Symonis comi-* *Simonis.* *tis Leceſtriæ, martyris.*

MOLAN. De Ariſtarcho inſerit, quæ in Obſervatione dixi, nempe: *De quo beatus Apoſtolus ſcribit Coloſſenſibus: Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus.* *De Ariſtarc.* *Qui comes individuus Apoſtolo permanſit, uſque ad ejus confeſſionem: qui conſtitutus Theſſalonicenſium epiſcopus, poſt longos ac beatiſſimos agones, à Chriſto coronatus quievit.* In fine: poſt *conſummavit* adnectitur: *Quem* *De Tertull.* *beatus Stephanus baptizatum in Albis presbyterum conſecravit, & ab eodem beato Pontifice, non longe poſt ſepultus eſt, poſtquam abſciſione capitis*

mar-

De Tertull. *martyrium promeruit. Lugduni, adventus corporis*
Adv. Iusti. *sancti Justi episcopi de eremo. Eodem die Romæ,*
Iustini. *sancti Justini* &c. ut BELIN. supra. *Item sanctæ*
Walburgis. *Walburgis virginis.* Dein minoribus typis: *Quæ*
Euphronii. *Furnis quiescit. Eodem die, depositio sancti Euphronii, decimi octavi episcopi Turonensis & confessoris, de quo proximus ejus successor Greg. Turonensis nonnulla scribit in Francorum historia & de gloria Confessorum.* Editiones aliæ incipiunt litteris cursivis: *Civitate Bononia, sancti Do-*
Dominici. *minici confessoris, fundatoris Ordinis fratrum Prædicatorum, viri sanctitate & doctrina clarissimi. Quem ob singularem meritorum gratiam, tres mortuos suscitasse dum viveret, & virginitatem perpetuo illibatam conservasse, perspicuum est.* De Aristarcho, ut in prima. De Tertullino adjungitur, *in crypta arenaria*, & in fine, quæ supra. Auctior autem hic textus, habet: *Romæ, via Tyburtina, natalis sancti Iustini presbyteri &* *De Iustino*
martyris, qui persecutione Decii, Galli & Volusiani, confessionis gloria insignissimus fuit. Tum rursus litteris cursivis: *Quem beatus Sixtus ordinavit. Hic beatos Hippolytum & Concordiam, Irenæum, Abundium, & Cyrillam filiam Decii Cæsaris, martyres, & alios plurimos sepulturis condidit. Romæ, beatæ & sanctæ Perpetuæ, ma-* *Perpetuæ.*
tris sancti Nazarii. Item sanctæ Walburgis virginis, cujus reliquiæ sacræ Furnis habentur. Turonis, sancti Euphronii episcopi & confessoris. Vide quæ de ipso notavit hoc die Baronius.

Nonis. *Die 5.*

Afræ. APud provinciam Retiæ civitate Augustana, natalis sanctæ Afræ, quæ cum esset pagana & meretrix, per doctrinam sancti Narcissi episcopi ad Christum conversa, & cum omni domo
Oswaldi. sua baptizata, pro confessione Domini igni tradita est. Eodem die, sancti Oswaldi regis Anglorum, cujus actus commemorat venerabi-
Cassiani. lis Beda presbiter in gestis ejusdem gentis. Augustuduni, beati
Memmii. Cassiani episcopi & confessoris. Catalaunis, sancti Memmii episcopi.

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-majore, Antverpien.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Scribo *Retiæ*, ut habent codices omnes, excepto Antverpien. in quo *Reciæ.* Molan. Adonem potius quam Usuardum secutus, post *Afræ*, addidit *martyris*: nos eam vocem ex aliorum codicum auctoritate exclusimus. Antverp-maj. sensum profert non satis perfectum, dum legit, *propter confessionem Domini tradita est*, omisso, *igni. Oswaldi* recte heri scripsit Tornacensis, recte hac die Herinien. Molan. & alii *Osualdi*, ubi adverte morem Gallorum, qui duplicato W aut nolunt aut non possunt assuescere; inde Praten. & Antverp. ponunt *Osualdi.* Rursus in Antverp-major constructio defectuosa est; *cujus actus meminit venerabiliter Beda.* Lego *Augustuduni*, quoniam ita codices hodie; *Augustuduno* habet Antverpien. *Cautalaunis* error est in Antverp. majore, uti & *Memini. Cathalaunis*, Antverp. *Cataulanis*; reliqui bene, ut in textu. *Memmii episcopi* legunt simpliciter codices plerique omnes manuscripti; Molan. addit *& confessoris.* Alia, ut *aput*, *Affræ* &c. prætereo.

Afræ. OBSERVATIO. Romani parvi textus hoc die ita sonat: *In civitate Augusta, in Rhætia, sanctæ Afræ martyris.* De ea vero nec Hieronymiana hac die loquuntur, nec Beda, nec Florus. Priora diserte notant: *In civitate Augusta, passio sancti Afri.* Hunc aliqui dicunt sanctæ Afræ patruum, eoque titulo Nonis, Augustæ Vindelicorum recoli, ut legere est in Marci Velseri Notis pag 54 versâ; ubi etiam doceberis, sanctam Afram non hac die, sed VII Idus ab Augustanis celebrari, Radero in Bavaria sancta idem testante. Ponitur & prædicta die VII Idus, seu VII Augusti à Floro & Wandelberto, & si Florentinio credimus, ab Hieronymianis, quamvis & die sequenti seu VI hujus diserte legant: *Passio sanctæ Afræ.* Quod mirum videri non debet, cum in Actis distincta diei notitia non exprimatur. Hæc omnia dirimere voluit Notkerus, sic rem totam hodie definiens: *In Augusta Eufratensi, nativitas sancti Afri martyris. Quorum nominum similitudine, id est & Augustæ & Afri, nostrates inducti, hac die apud Augustam Rhetianam, sive Vindelicam, passionem sanctæ Afræ consummatam putaverunt. De qua in sequentibus, Deo volente, dicemus.* Nec ea procul accersenda sunt, nam ad VII Augusti, Adonis verba ferme recitat, socias adjungens, quas iterum repetit XII. At vero laudatus Ado Notkeri haud quaquam popularis, Romani parvi auctorem, procul dubio Italum secutus, Afram hac die V Augusti, cum parvo elogio retulit, quod totum, excepta unica voce *Martyris*, Noster descripsit. Plures hîc difficultates attigimus, suo loco in Actis discutiendas, quando & Angli critici ineptiæ, Martyrologio Romano inspersæ, satisque in præfatione explosæ; quantum ad Afram attinent, uberius convellentur. Interim vide Acta S. Narcissi illustrata ad XVIII Martii; Tillemontium tomo 5 à pag. 270, & Ruinartium inter Sincera & Selecta Martyrum Acta à pag. 500.

Oswal.

Oſwaldus rex & martyr à nullo antiquo Martyrologo hac die memoratur, præterquam à Wandelberto. Mihi dubium non videtur, quin ab Uſuardo ex Bedæ hiſtoria in ſacros Faſtos relatus ſit: videatur Surius hoc die. *Caſſianum* ſic Ado annuntiat: *Auguſtoduni, natalis ſancti Caſſiani epiſcopi.* Quid Uſuardus addiderit & detraxerit, ex indiculo noſtro liquet. A Floro procedunt elogia, quæ in Auctariis recenſebimus, tu vide Bedam à nobis editum ante Tom. 11 Martii. Cur à Florentinio, alio charactere, nempe Italico, inſcriptus, tamquam adjectitius reputetur, haud ſatis perſpicio. Idem eſto judicium de *Memmio* Catalaunenſi, qui non minus in Lucenſi codice, quam in Corbeienſi & Epternacenſi, aperte memoratur, ad quæ laudatus editor hæc ſolum appoſuit: *A Gallico ſcriptore, vetuſtiori Martyrologio Sanctos hos epiſcopos Caſſianum & Memmium additos fuiſſe, non difficile ſuadeor.* Poterat citius ſuaderi, ſi omnes ab Antiquariis Gallis adjectos eliminare voluiſſet. Interim phraſi paulo diffuſiori celebratur à Rabano, ex quo ſuam, licet nonnihil variatam, Notkerus deſumpſit; quod mirum eſt numquam à Florentinio obſervari, per Notkeri verba identidem jurare ſolito. Ceterum *Memmius*, à Moſandro Adoni plane adſcriptus, à Roſweydo in appendicem rejicitur, indictâ causâ. Mihi ſatis veroſimile eſt, illum æque ac Caſſianum ex Hieronymianis acceptos, ab Adone pariter notatos fuiſſe & inde in Noſtrum traductos. Nec tamen lubet contendere, ſi aliud præplaceat, dicam, poſtremum, nempe Memmium, ab Uſuardo ipſo ex Hieronymianis extractum; certe & ipſum & reliquos omnes pure & genuine Uſuardinos eſſe, ex codicum omnium conſonantia clarius evinci non poteſt. Non diſſimulabo, Mabilionem Roſweydiana omnia rejectanea Adoni vendicare; aſt hæc in præfatione diſcuſſa ſunt. De duobus ultimis Sanctis Acta non deſunt, ſed quæ accurato egeant examine. Utrumque memorat Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſorum; Memmium capite 66, Caſſianum capite 74. Ambos cum Oſwaldo cecinit Wandelbertus, utpote qui Afram, ut diximus, ad VII Auguſti diſtulit. Sic habet Martyrologus metricus:

Oſwaldi.

Caſſiani.

Memmii.

Nonas Caſſianus, Memmius atque Oſualdus
Rex pius Anglorum merito & virtute retentant.

AUCTARIA.

Dominici. TORNACEN. Qui de Oſwaldo die præcedenti egit, hîc ejus loco inſerit: *Eodem die, civitate Bononia, beati Dominici confeſſoris, de Ordine Fratrum Prædicatorum.* Reliqua textus puriſſima ſunt.

ROSWEYD. Omiſit hîc annuntiationem primam, quam ad VII Idus, ſeu VII Auguſti nonnihil auctiorem ultimo loco repoſuit.

PULSA EN. Satis purus in duabus primis annuntiationibus, deficit in duabus ultimis.

Dominici. MAX-LUBEC. Præter ſphalmata plura, in fine habet: *Civitate Bononia, depoſitio ſancti Dominici confeſſoris.* Et ita etiam UGHELLIANUS.

Yonii. Dominici. MUNERAT. Nec ipſe in textu ſatis terſus, in fine adjicit: *Caſtro Corboilo, ſancti Yonii martyris. Eodem die, Dominici confeſſoris, Ordinis Prædicatorum patris atque inſtitutoris.*

DeDominic. GREVEN. Textum quidem purum habet & integrum, ſed ſigno appoſito LL, Dominicum inſerit, qui ad Auctaria pertinebat. Sic igitur habet ſecundo loco: *In Italia, civitate Bononia, natale beati Dominici, viri apoſtolici, potentis in opere & ſermone, fundatoris Ordinis Prædicatorum. Hic quanti fuerit meriti apud Dominum, coruſcantia miracula proteſtantur.* Non ignoro, per ſignum L L Grevenum indicare velle, Sanctum, cui præfigitur, Uſuardo eſſe ſuperadditum. Sed cum id gratis ab ipſo factum fuerit, nihilo ea cauſa minus à puris excluditur, ut eſt 1 Apr & recurret XX Aug. XIII Sept ac alibi.

ANTVERP-MAX. Incipit: *In Italia civitate Bononia, natale ſancti Dominici confeſſoris. Qui tanti zeli circa ſalutem extitit animarum, ut non ſolum ſeipſum verbo & exemplo dedicaverit Euangelicæ prædicationi, ſed & Ordinem Prædicatorum ad hoc ipſum inſtituerit.* In Afra & Oſwaldo

DeCaſſiano. purus, pergit: *Auguſtuduno, beati Caſſiani epiſcopi & confeſſoris. Ad cujus ſepulcrum cum quodam tempore ſanctus Germanus epiſcopus veniſſet, mirabile dictu, poſt orationem vocans eum de ſepulcro, ait: Quid agis frater Caſſiane? At ille è tumulo: Dulci in pace uiete potior, & adventum Redemptoris exſpecto. Catalaunis, ſancti Memmii epiſcopi & confeſſoris.*

LOVANIEN. Cum præcedenti convenit, ſed in elogio Afræ defectuoſus e t, & pro *Memmii*, ſcribit *Memnii.*

ULTRAJECT. & LEYDEN. Fere ſimiles ANTVERP-MAX. toti textui præfigunt: *Romæ, feſtum nivis glorioſæ Virginis Mariæ.* *S. Mariæ ad nives.*

ALBERG. Principio: *Feſtum nivis beatæ Mariæ virginis.* DANIC. autem ſecundo loco: *Eodem die, feſtum nivis.* Idem vario modo dicitur.

CENTULEN. *In Francia, civitate Cathalaunis, ſancti Memmii confeſſoris, primi civitatis illius epiſcopi. Auguſtiduni, ſancti Caſſiani epiſcopi & confeſſoris.* In Afra purus eſt Tum: *In Britannia, ſancti Oſualdi Anglorum regis & martyris, cujus actus venerabilis presbyter Beda in geſtis ſuæ gentis commemorat.* *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. Per anticipationem: *Romæ via Sixti. Appia in cimiterio Calixti, beati Sixti* &c. De quo die ſequenti. Sequitur de Afra, ſatis pure. Tum de Memmio, ut ſupra. Item de Caſſiano, ut ANTVERP-MAX. Deinde: *Eodem die, ſancti Gregorii Nycenii.* Vide IX Martii. *Et ſancti Oſwaldi regis Anglorum. Qui regno ſuſcepto, in fide Chriſti ſuper omnes Britanniæ reges emicuit. Cujus actus venerabilis Beda in geſtis Anglorum commemorat. Romæ, feſtum beatæ Mariæ Virginis, quod dicitur ad nives. In Italia civitate Bononia, depoſitio ſancti Dominici confeſſoris, fundatoris Ordinis Prædicatorum.* *Greg. Nyſſ.* *De Oſwaldo.* *Ad nives.* *Dominici.*

HAGENOYEN. Incipit ab Oſwaldo, de quo multa narrat præclare geſta, alibi examinanda. Sequitur de Caſſiano, phraſi ab ANTVERP MAX.

non multum abſimili Item de Memmio. Tum de Dominico elogium nimis longum, quam ut hîc inſeri poſſit. Afram diſtulit ad VII Auguſti. Et CODEX URSINI ROSEMBERG, de Dominico habet ut ANTVERP-MAX. Et præterea addit: *Eodem die, ſanctæ Mariæ ad nives Romæ.* Utrumque feſtum *dup. 2. cl.*

DeDominic. MATRIC CARTUS-ULTRAJECT. *Dominici confeſſoris, qui habitum (ut fertur) ſuſcepit in domo majoris Cartuſiæ, nam prius fuerat canonicus regularis, & fuit fundator Ordinis Prædicarum. Ejus feſtum jam præcedenti die celebratur.* *Ad nives.* *Feſtum beatæ Mariæ ad nives. Oſwaldi regis Anglorum. Caſſiani epiſcopi & confeſſoris. Afræ meretricis, quæ converſa eſt cum omni domo ſua ac igni tradita.*

Pauli, pro Yonii. REG. SUEC. ſignatus n. 428. *Caſtro Corboilo, ſancti Pauli* [MUNERAT. habet *Yonii*] *martyris.*

Dominici. FLORENTIN. *Bononia, ſancti Dominici confeſſoris F F. Prædicatorum, vita, doctrina & miraculis clari, qui migravit ad Dominum anno Domini* MCCXXI. *Migdii.* *Apud Eſculum, ſancti Migdii epiſcopi & martyris. Romæ apud ſanctum Petrum, Hermiſdæ.* *ſancti Hermiſdæ Papæ & confeſſoris.....* Vide Auctaria die ſequenti.

DeMemmio BIZUNTICEN. *Catalaunis, ſancti Memmii epiſcopi, qui inter cetera virtutum ſuarum inſignia, mortuum ſuſcitavit.*

Mariæ maj. EDITIO LUBECO-COL. *Romæ, conſtructio eccleſiæ ad ſanctam Mariam Majorem, quod feſtum nivis beatæ Mariæ Virginis appellatur. In Italia* *DeDominic.* *civitate Bononia, natale ſancti Dominici confeſſoris, viri magnæ pietatis ac ſanctitatis. Qui tanti zeli* &c. Ubi in fine adjungitur: *Hic quanti fuerit meriti apud Deum, coruſcantia ipſius miracula proteſtantur.* Sequitur de Oſwaldo, pure. *DeMemmio* De Caſſiano, ut ſupra. Pro *Memmii*, ſcribit *Meminii*, additque, *ab urbe Roma, illi civitati primo directi, qui inter alia miracula mortuum* *Ionii.* *ſuſcitavit. Ipſo die, beati Ionii presbyteri & martyris, ſocii ſancti Dionyſii.*

Ad nives. Dominici. BELIN. Incipit: *Romæ, ſanctæ Mariæ matris Dei ad nives. Civitate Bononia, ſancti Dominici confeſſoris, fundatoris Ordinis fratrum Prædicarum.* In textu non omnino purus eſt. Secunda editio de Dominico habet, ut MOLAN. pluribus retulit die præcedenti.

De feſto ad nives. GREVEN. *Romæ, feſtum ſanctæ Mariæ ad nives, quando de facultatibus Iohannis Patricii, tempore Liberii Papæ, templum conſtructum eſt in honorem Dei genitricis, ipſa locum deſignante deſcenſu copioſæ nivis, contra naturam temporis autumnalis* [quid ni *æſtivi?*] *diciturque ad ſanctam Mariam Majorem.* *DeEmigdio.* *Emigdii epiſcopi Eſculani & martyris. Qui de Germania egreſſus, Romæ à Marcello Papa Eſculanus ordinatus epiſcopus, cum plurimos ad fidem convertiſſet, innumeris coruſcans miraculis, pro eadem fide decollatus, martyrium complevit. Caſtro Corboilo, ſancti Yonii* *Yonii.* *presbyteri & martyris, ſocii ſancti Dionyſii. Or-* *Hormiſdæ.* *miſdæ Papæ & confeſſoris, ſecundum aliquos hîc natale, die vero ſequenti ſepultura. Qui, teſte Adone, clerum compoſuit & pſalmis erudivit, ſeditque annis* XVII, *ſepultus in eccleſia beati Petri,* VIII *Idus Auguſti.* Vide Adonis appendicem.

DeOſwaldo. MOLAN. De Oſwaldo, ſed aliis litteris poſt *gentis*, attexit; *narrans inter cetera de eo, quod cum quadam die ſederet ad prandium, diſcum argenteum, qui erat poſitus ante eum, confringi præcepit minutatim, alimoniamque pauperibus dari.* In fine: *Romæ, ſanctæ Mariæ matris Dei ad nives.* *Ad nives.* *Civitate Bononia* &c. ut die præcedenti. *Caſtro* *Dominici.* *Corboilo, ſancti Ionii confeſſoris. Binchii,* *Ionii.* *Abel archiepiſcopi Remenſis.* Editiones poſteriores, *Abel.* incipiunt curſivo: *Romæ, ſanctæ Mariæ* &c. De Oſwaldo, ut ſupra. De Memmio additur; *pri-* *DeMemmio* *mi, illi civitati ab Urbe directi, qui inter alia innumera miracula, mortuum ſuſcitavit.* De Ionio, ut ſupra. *Laubiis, natalis ſancti Abel archiepiſcopi & confeſſoris. Die quinta, ſancti Euſignii martyris. Et præfeſtum metamorphoſis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Bergis, adventus ſanctæ* *Advent.* *Leuuinæ virginis & martyris.* Demum typis mi- *Lewinæ.* noribus: *Apud Aſculum, ſancti Emygdii epiſcopi* *Emygdii.* *& martyris tempore Marcelli Papæ.* Ab aliis ſupra male paſſim ſcriptum eſt *Eſculum*, pro *Aſculum.*

VIII *Idus.* *Die* 6.

Sixti & aliorum. ROmæ via Appia, natalis beati Xyſti epiſcopi & martyris. Et in cemeterio Prætextati, ſanctorum Feliciſſimi & Agapiti diaconorum ejuſdem, qui cum eo ſub Decio pariter decollati ſunt. Decollati ſunt cum eo & alii quatuor, id eſt Januarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus, ſubdiaconi, ut in geſtis pontificalibus legitur. Paſſus eſt cum eis beatus Quartus, ut ſcribit ſanctus Cyprianus. In *Iuſti & Paſtoris.* Hiſpaniis civitate Compluto, Juſti & Paſtoris fratrum, qui cum adhuc pueri, litteris imbuerentur; projectis in ſchola tabulis, ſponte ad martyrium cucurrerunt. Et mox a Daciano teneri juſſi, cum ſe mutuis exhortationibus conſtantiſſimè roborarent, extra civitatem producti & à carnificibus jugulati ſunt.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-major, Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.* Quibus accedunt *Antverp-max.* & *Lovanien.*

VARIA LECTIO. Maxima in principio difficultas, cujus cauſa codices aliquot ferme à puris excludi deberent. De *Xyſti* vel *Sixti* non laboro, præfer quod volueris; antiquior ſcribendi ratio in textu ſervata eſt. *Epiſcopi* legunt puriores omnes cum Adone,

ne, tametsi in Rom. parvo habeatur *Papæ*. Hîc jam hæret aqua. Rosweyd. imprimis hic principium format, ut post *martyris* addat, *qui sedit annis duobus: & sanctorum Felicissimi & Agapiti* &c. omisso *cœmeterio Prætextati*. Antverp. autem & Max-Lubec. sic scribunt: *Romæ via Appia in cœmeterio Calixti, sancti Sixti Papæ & martyris*. Ubi duo alii Antverp-max. & Lovanien. ponunt, *beati Sixti secundi Papæ* &c. Textus noster purior est, ipsis Adonis verbis conceptus. In Munerat. deest particula *et*, ante, *in cœmeterio*. Qui post, *decollati sunt*, sic pergit: *Et cum eo etiam quatuor* &c. ubi non repetit, *decollati sunt*. Herinien. Rosweyd. Munerat. & Greven. legunt: *Passus est cum eis & beatus* &c. Sed illic particula *et* redundare videtur. In Rosweyd. deest, *civitate Compluto*. Male scripsit Munerat. *Compulto*, addens post *fratrum*, titulum *& martyrum*; qui nec in textu Usuardino, nec in Adoniano positus est. Nomen *Justi* in Antverp-majore, non recte expressum est. Idem cum Rosweyd. habet, *qui cum adhuc puerilibus litteris imbuerentur*. Plures legunt *schola*, aliqui *exortationibus*, nonnulli *perducti*, sed hæc omnia melius ex mente Adonis in nostro laterculo exprimuntur, qui, ut jam diximus, Adonis verbis potissimum constat.

Sixti &c.

OBSERVATIO. Tam illustris est *Sixti* Papæ & martyris memoria, ut vix alterius Romani Pontificis pluribus antiquis monumentis consecrata sit. Kalendarium Bucherianum ita hoc die diserte notat: *Sysli in Callisti & Prætextati, Agapiti & Felicissimi*. In Frontoniano ponitur v Augusti: *Natale S. Sixti, Felicissimi & Agapiti*. Allatianum hoc die *Felicissimi* nomen mutat in *Felicis*. His adde Sacramentaria à Menardo & Thomasio edita, quamvis in sociis non conveniant. Nec vero in Martyrologiis, præsertim Hieronymianis, circa socios seu anonymos, seu nominatim expressos, uniformis est sententia, de qua controversia pluribus differit Florentinius. Romanum parvum sic paucis textum suum absolvit: *Romæ via Appia, Xisti Papæ & martyris. Felicissimi & Agapiti diaconorum in cœmeterio Prætextati*. Ado longiorem ex Actis historiam, a Notkero ex parte descriptam texuit, cujus principium & finem ipsiusmet Viennensis verbis Noster satis appositè conjunxit. Non multum abludunt quæ hîc Beda cum suis commemorat, deficiens in *Quarto*, quem à sancto Cypriano laudari fatetur etiam Florentinius, *cum tamen*, inquit, *aliunde quis, quando passus sit, ignoretur*. Dubitari potest, an eodem cum Sixto die glorioſum agonem compleverint nominati quatuor subdiaconi; imo & de diaconis idem videtur, ut pluribus suo tempore examinabimus. Censet interim Castellanus in notula Martyrologio suo Gallico universali adscripta, solum *Quartum* cum Sixto martyrium subiisse, ex sancti Cypriani epistola. Non ad *Decii*, sed *Valeriani* tempora spectare Sixtum & alios, dicemus x Augusti, ubi de Laurentii Actis sermo erit, quæ licet ab eruditis repudientur, indubitatis aliunde monumentis apud Baronium & alios citatis, facile suppleri possunt. Elogium Wandelberti infra dabimus.

Justi & Pastoris.

De *Justo* & *Pastore* meminit hac die Florus noster, sed apud antiquiores nihil de ipsis reperio. Neque ullo modo verisimile est, Viennensem sua ex isto Floro accepisse, nam licet in rei substantia cum eo satis conveniat, phrasi tamen hîc & alibi tam diversa utitur, ut nulla prorsus societate conjungantur. Crediderim ambos ex iisdem quidem Actis, quæ apud Surium exstant, utrumque fratrem hausisse, sed proprio singulos marte elogium concinnasse. Porro Usuardus Adonis verbis hîc etiam ita insistit, ut omnia ad apicem ex eo desumpserit, omisso dumtaxat passionis loco, *in campo laudabili*, & brevi periodo ultima: *Ubi etiam in basilica sui nominis quiescunt*. Nonnulla de his Sanctis notavit Baronius, quæ ferme à Tillemontio repetuntur tomo 5 pag. 59. Patet igitur textum totum & Adonianum & Usuardinum esse, ad quem non spectat, *Transfiguratio Domini*, in nonnullis codicibus adjecta, sed ab Usuardo numquam posita; quod sibi perperam suadere voluit Grevenus ad XXVII Julii, ut infra iterum ex ipso in Auctariis erit repetendum. Sufficiat codicum nostrorum auctoritas. Solus Wandelbertus inter antiquos de *Transfiguratione* meminit, quam ita Sixto & sociis præfigit:

Idibus octavis mortem passura crucemque
Christi sancta caro, ætheream dedit ante figuram.
Præsul & his Sixtus Romæ martyrque colendus,
Juxta & Felicissimus Agapitusque triumphant.

AUCTARIA.

Transfigur. TORNACEN. Incipit: *Transfiguratio Domini in monte Thabor*. Deest annuntiatio ultima.

Eadem. PULSANEN. *In monte Thabor, Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi coram tribus discipulis*. Deficit in quinque ultimis Sixti sociis, & præterea in elogio Complutensium.

ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERGEN. & DANIC. Textui cetera puro, secundo loco interserunt: *Item Romæ, sancti Ormisdæ Papæ. Sub hujus tempore Anastasius imperator hæreticus, fulmine percussus interiit.* *Hormisdæ.*

CENTULEN. *Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi in monte Thabor, quando resplenduit facies* *De Transfig.*

ejus & veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix. Romæ, paſſio ſancti Sixti Papæ & martyris & cum eo Feliciſſimi & Agapiti diaconorum; Januarii, Magni, Vincentii, Stephani ſubdiaconorum. Paſſus eſt cum eis & beatus Quartus, ut ſcribit beatus Cyprianus. De Complutenſibus, nihil.

De eadem. BRUXELLEN. *Transfiguratio Domini noſtri Jeſu Chriſti in monte Thabor. Facta creditur circa principium veris, quo tempore Evangelium ejus recitatur. Quam tres diſcipuli, qui illi interfuerant, poſt aſcenſionem Domini* VII *Kal. Auguſti ſuis coapoſtolis publicabant. Poſtea vero hac die* VIII *Idus Auguſti ex decreto totius concilii apoſtolici, ipſa transfiguratio palam cœpit prædicari. Romæ,* *Hormiſdæ.* *ſancti Hormiſdæ Papæ & confeſſoris.* In Complutenſibus ſatis purus eſt. De Sixto egit pridie.

DeTransfig. HAGENOYEN. *In monte Thabor, Transfiguratio Domini noſtri Jeſu Chriſti, quando aſſumpſit Petrum, Iacobum & Iohannem, & oſtendit illis gloriam, quam habituri ſunt ſancti poſt reſurrectionem generalem, ubi illi etiam audierunt Patrem in voce, Filium viderunt in glorificata carne, & Spiritum ſanctum in lucida nube. Ubi etiam viderunt Moyſen & Heliam loquentes cum eo, & legem & prophetiam concordare in perſona Chriſti.* *De Sixto&c* *Romæ via Appia, paſſio ſancti Sixti Papæ ſecundi. Hic natione fuit Græcus, primo quidem Philoſophus, & poſtea Chriſti Vicarius electus. Iſte, cum duobus annis & menſibus undecim rexiſſet Eccleſiam, paſſus eſt ſub perſecutione Decii minoris & Valeriani imperatorum* [&] *capitis obtruncatione martyrium complevit. Hic conſtituit, ut Miſſa celebretur ſuper altare, quod antea non fiebat, & quod altare verſum ſit ad Orientem & non aliter. In cemiterio Prætextati, beatorum martyrum Feliciſſimi* &c. ſatis pure. *Item Romæ, depoſitio* *Hormiſdæ.* *ſancti Ornuſtæ* [Hormiſdæ] *Papæ. Sub hujus tempore Anaſtaſius imperator hæreticus fulmine percuſſus interiit. Iſte conſtituit, ſiquis Miſſam celebraverit* [&] *non rite ordinatus fuerit prius, quod ipſo facto ſit perpetuo de ſacris ordinibus depoſitus.* Aliqua ſumuntur ex appendice Adonis.

Hormiſdæ. VICTORIN. Poſt *Cyprianus*, inſerit. *Item ibidem Hormiſdæ Papæ. Hic compoſuit clerum ſub tempore Anaſtaſii imperatoris. Eodem die Trans-* *Transfigur.* *figuratio Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Textus contractus. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Sixti Papæ, Feliciſſimi & Agapiti martyrum. Januarii, Magni, Vincentii, Stephani, Quarti martyrum. Hi cum beato Sixto paſſi ſunt. Juſti & Paſtoris fratrum puerorum martyrum.* Textus de more contrahitur.

Leonardi. CAMBERIEN. S. Mariæ. *Ipſo die, Domni Leonardi abbatis.* Puto agi de Aquitano, ſancti Remigii diſcipulo, qui colitur VI Novembris.

Hormiſdæ. VATICAN. ſign. num. 5949. In fine adjicit: *Romæ, ſancti Hormiſdæ Papæ, qui præfuit Eccleſiæ annis* VII, *temporibus Theodorici & Anaſtaſii Auguſtorum.* Jam dixi de Hormiſda agi in app. Adon.

DeTranſfig. EDITIO LUBECO-COL. *In monte Thabor, Transfiguratio Domini, quæ facta fuit in præſentia diſcipulorum, ſcilicet Petri, Iohannis & Iacobi fratris ejus, quando reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta vero ejus candida facta ſunt tamquam nix, veram ſui naturalem & myſtici corporis novitatem præſignans. Romæ via Appia, in cimiterio Calixti,* *De Sixto.* *natalis beati Sixti ſecundi Papæ & martyris, quem Decius Cæſar decollari fecit. Hic rexit Eccleſiam annos duos, menſes undecim, dies ſex, & conſtituit, ut Miſſa celebretur ſuper altare, quod antea non fiebat, & fuit pater ſpiritualis ſancti Laurentii diaconi. Item Romæ in cimiterio Prætextati, paſſio* &c. ferme pure. De Hormiſda, ut ULTRAJECTIN. &c. De Juſto & Paſtore, ut in textu.

BELIN. In textu puritati proximus eſt, licet ſphalmatibus multis fœdatus. Initio præfigit: *In monte Thabor, Transfiguratio Domini noſtri Jeſu* *Tranſfigur.* *Chriſti.* Vide plura ſuperius in BRUXELLEN.

Eadem. GREVEN. *Transfiguratio Domini noſtri Jeſu Chriſti in monte Thabor, quam Uſuardus habet ſuprà ſexto Kal. Auguſti.* Dixi in Obſervatione, Uſuardum de eo feſto non egiſſe; quidquid aliter Grevenus ſenſerit. *Ormiſdæ Papæ hic ſepultura. Apud* *Hormiſdæ.* *Perſas Ormiſdæ confeſſoris. De quo libro* 10 *Hiſto-* *Ormiſdæ* *riæ tripartitæ narratur, quod cum eſſet valde nobilis,* *eum elog.* *pro Chriſto divitiis, dignitate, veſtibuſque ſpoliatus, nudus ſub ardentiſſimo ſole camelorum jubetur exercitus trahere. Cumque rurſus reſtituutum rex emollire (veſtis beneficium commemorando) tentaret, ille ſtatim veſte dirupta, nudus imperio expulſus abivit.* *Item beatæ memoriæ Gezelini confeſſoris, in Slebu-* *Gezelini.* *ſrode ducatus Montenſis quieſcentis.*

MOLAN. Poſt. *pariter decollati ſunt*, aliis litteris inſerit: *Noctu vero venerunt clerici & maxima pars Chriſtianorum, qui ſepelierunt ſanctorum corpora condigno honore.* In fine: *In monte Thabor,* *Tranſfigur.* *Transfiguratio Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et na-* *Hormiſdæ.* *tale beati Ormiſdæ Papæ, qui ſedit Romæ annos decem & ſeptem. Hic compoſuit Clerum & pſalmis erudivit. Sub hujus tempore Anaſtaſius imperator hæreticus percuſſus fulmine interiit. Sepultus eſt idem Pontifex in eccleſia beati Petri.* Sequitur minoribus typis: *Apud Perſas, Ormiſdæ con-* *Ormiſd. Per* *feſſoris.* De quo &c. ut GREVEN, uſque ad, *exercitus trahere.* Editiones aliæ textui præfigunt litteris curſivis: *In monte Thabor* &c. In textu habent idem quod in editione prima. In fine: *Romæ in eccleſia beati Petri, natale beati Hormiſdæ Papæ, qui compoſuit clerum & pſalmis erudivit. Sub hujus tempore Anaſtaſius* &c. Denique minoribus typis: *Item, beatæ memoriæ,* *Gezelini.* *Gezelini confeſſoris, qui queſcit in ducatu Montenſi.* In Slebuſrode, ut ſupra retulit GREVEN.

VII *Idus.* *Die 7.*

Donati. APud Tuſciam civitate Aretio, natalis beati Donati epiſcopi & martyris, ſub Juliano imperatore. Qui, ut Gregorius Papa in libris Dialogorum meminit, fractum à paganis calicem ſanctum, ad Miſſas orando reſtauravit. Romæ, ſanctorum martyrum Petri, Juliani cum aliis decem & octo. Apud Mediolanum, ſancti Fauſtini, tempore Aurelii Commodi martyrizati.

Petri & ſociorum. *Fauſtini.*

Multi hac die codices puri ſunt, ut *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-major, Antverp. Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danicus.*

VARIA

VARIA LECTIO. Legendum cum textu ex Beda, *ut Gregorius Papa in libris Dialogorum meminit.* Munerat. habet, *libro Dialogorum*, Belin. *in libris Dialogorum ſcribit.* Turpius Antverp. utrumque conjungit, *in libro Dialogorum ſcribit meminit.* Antverp-maj. duos martyres in unum puerum contrahit, ſic legens: *Sanctorum martyrum pueri Juliani*, niſi *pueri* accipiat pro nomine proprio, vel veroſimilius librarii vitium ſit. Munerat. interjicit conjunctionem *&*, *Petri & Juliani.* Greven. & Molan. ſcribunt: *Apud Mediolanum, natalis ſancti Fauſtini* &c. Munerat. inter alia ſcriptoria ſphalmata hoc etiam habet, quod pro *Aurelii Commodi*, portat, *Aureliani Comodi.*

OBSERVATIO. Recte notat Florentinius, *Donatum* Aretinum epiſcopum in omnibus Martyrologiis notiſſimum, *martyrem* eſſe, unde miratur in nonnullis Hieronymianis apographis *confeſſorem* tantummodo nuncupari; quæ nomina, ut hîc iterum repetam, ſemper in ſtricta & contradiſtincta acceptione intelligimus. Sed & hoc in ejus indiculo advertere neceſſe eſt, nempe in quo ſic legatur: *Natalis ſanctorum Donati epiſcopi & confeſſoris, Auxenti & Garpenfori*, quaſi poſteriores duo Donati ſocii fuiſſent, & eodem die coronati, quos tamen Florentinius urbi Aretinæ tribuere non audet. Sintne *Cumenſes*, an *Novocomenſes*, an loci alterius, dicetur alibi. Expeditior res eſt in Romano parvo: *Apud Aretium, Donati epiſcopi & martyris.* Ad quæ Viennenſis longam Actorum ſeriem producit, in qua de pluribus Sanctis agitur, Donati inſtructoribus, ſociis aut æqualibus, nominatim de *Hilarino* monacho, ut XVI Julii in noſtra Obſervatione indicavimus. Ex prolixiori illa Adonis oratione, à Notkero deſcripta, nihil Uſuardus decerpſiſſe videtur, præter ſolum *Juliani imperatoris* nomen, quo martyrii tempus inſinuaret. Reliqua autem in textu noſtro poſita Bedæ verba ſunt, ſolam fracti calicis reſtaurati circumſtantiam ex Gregorii Dialogis exprimentia, quam ex ipſis Actis à ſancto Pontifice acceptam, eſt pluſquam veroſimile, cum ab Adone etiam ex eodem fonte fuſius enarretur. De fonte autem ipſo, ut apud Mombritium tomo I pag. 234 vulgatus eſt, dignam ſua eruditione cenſuram tulit Baronius in hodiernis notationibus, de qua nos plura in Actis dicemus. Notanda interim in Thomaſii Sacramentario Donati memoria. *Donati.*

Romæ, Petri, Julianæ cum aliis XVIII, meminit Romanum parvum. Nec in re differt Ado, diſerte itidem *Julianæ* ſcribens pro *Juliani*, quod neſcio cur ab Uſuardo immutatum ſit, qui cetera ad verbum ex Adone prorſus deſumpſit. Uſuardum præ reliquis ſecutus eſt Baronius, ego me fateor hactenus non perſpicere, cur nomen alterum alteri præferendum ſit, quidquid virum enuntient codices noſtri omnes. Supereſt quæſtio alia, utrum bini hîc nominati martyres inter anonymos XXV vel XXVI, qui in Hieronymianis hoc die ſignantur, computari debeant; item an illi ipſi Auguſtæ tribuendi non ſint, ut paucis commentatur Florentinius. Sed hæc intricatioris indaginis ſunt, quam ferat præſentis noſtri inſtituti ratio. Ultima annuntiatio non minus Adoniana eſt, quæ in Romano parvo ita primitus habebatur: *Mediolani, Fauſti martyris.* Contra vero Hieronymiana *Fauſtini* conſtanter ſcribunt, unde Adonem exiſtimo nomen ſuum mutaſſe, quale etiam habent Rabanus & Notkerus. Romanum hodiernum prætulit *Fauſti*, pro quo Mediolanenſes tabulas appellat Baronius, quas alibi examinandas ſuſcipiemus. Hîc pro re noſtra, ſatis demonſtrata eſt genuina & pura Uſuardi ſimplicitas. De *Afra Auguſtana* hoc die à Floro & aliis relata, abunde diximus v Auguſti. Quid autem apud præfatum Florum *paſſio Mammetis Cæſarienſis in Cappadocia* hodie faciat, neſcio: ſpectat ad XVII Auguſti. Wandelbertus Afram cum Donato ſic hac die connectit: *Petri &c.* *Fauſtini.*

Septenas pariter Donatus & Afra bearunt.

AUCTARIA.

ROSWEYD. Quem ſupra notavimus Afram v Auguſti præteriiſſe, ita hanc textui puro ſubjicit: *In civitate Auguſtana, natale ſanctæ Afræ. Quæ cum eſſet pagana & meretrix, per doctrinam ſancti Narciſſi epiſcopi ad Chriſtum converſa, & cum omni domo ſua baptizata, pro confeſſione Domini igni tradita eſt cum tribus puellis.* *De Afra &c.*

PULSANEN. In duabus primis ſatis purus eſt, tertiam vero plane omiſit.

CENTULEN. *Romæ, ſanctorum martyrum Petri, Juliani cum aliis* XVIII. *Apud Thuſciam civitate Aretio, natalis ſancti Donati epiſcopi & martyris, ſub tempore Juliani.* *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. In Donato purus, Hilarinum (de quo ſuperius etiam egit XVI Julii) hîc denuo repetit, ut cum Donato conjungat, his verbis: *Et ſancti Hilarini monachi gladio necati.* In ſecunda parus eſt, in tertia, pro *Aurelii*, ſcribit *Aureliani.* *Hilarini.*

HAGENOYEN. Incipit: *Apud provinciam Retiæ civitate Auguſta, natale ſanctæ Afræ martyris. Quæ cum eſſet pagana & meretrix, per doctrinam & prædicationem ſancti Narciſci epiſcopi* *De Afra &c.*

Jerosolymitani [melius *Gerundensis*] *ad Christum conversa est, propter tymorem dyaboli quem vidit, & propter miracula quæ à sancto Narcisso perspexit: unde beata Afra cum omni familia est baptizata, & pro confessione Domini igni est tradita.* Sequuntur duæ ultimæ annuntiationes satis puræ. Tum de Donato etiam ferme pure, sed adjungit: *Propter quod plus octuaginta pagani conversi sunt & ab eo baptizati.* Hactenus non absurde, sed quæ deinceps habet, Donatos duos confundunt, quos GREVEN. infra diversis characteribus distinguit. Sic codex noster hîc scribit: *Hic etiam orando draconem interfecit, & fontem per draconem intoxicatum purgavit. Tandem capite truncatus martyrium consummavit.*

De Donato.

AQUICINCT. In fine adjicit, quod reliqui in Auctariis habent die præcedenti; nempe: Item *Romæ, sancti Hormisdæ Papæ. Hic composuit clerum & psalmis erudivit. Sub hujus tempore Anastasius imperator hæreticus percussus fulmine interiit Pontifex defunctus, sepultus est in ecclesia beati Petri.*

Hormisdæ.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Transfiguratio Domini. Aliàs ad diem præcedentem pertinet.* (Quæ etiam sunt verba illius codicis.) *Donati episcopi & martyris. Faustini martyris. Petri & Juliani martyrum cum aliis* XVIII.

Transfigur. Textus contractus.

STROZZIAN. *In Italia Cumis* (alii duo codices FLORENTINI positionem omittunt) *passio sanctorum martyrum Carpophori, Exanti, Cassii, Severini & Secundini, qui passi sunt sub Maximiano tyranno sacrilego.* Hi ferme in Romano hodierno, Novocomo tribuuntur.

Carpophori & sociorum

EDITIO LUBECO-COL. Sic incipit: *Commemoratio beatæ Mariæ Egyptiacæ. Hæc anno ætatis suæ duodecimo parentes relinquens, Alexandriam civitatem adiit. Et quia formosa erat & lubrica, corpus suum decem & octo annos omnibus libidinosis actibus pro temporali lucro exposuit, non excludens quemcumque impetentem. Quæ postmodum nutu Dei conversa, heremum intravit & ibidem per sexaginta annos omnibus hominibus incognita, durissimam pœnitentiam egit, cujus vitam Hieronymus beatus in Vitas Patrum describit. Obiit autem feliciter anno Domini ducentesimo septuagesimo tertio in cœna Domini; quæ celebratur* IV *Nonas Aprilis.* Vide ibi. Addi poterat, cur hac die talis fiat commemoratio. Sequitur: *Apud Tusciam civitate Arecio, natale beati Donati episcopi & martyris, sub Juliano imperatore & Quadraciano judice decollati. Hic etiam inter cetera miracula, ut Gregorius Papa meminit in libris Dialogorum, dum populo sacra mysteria tribueret, diacono à paganis compresso, calix vitreus de ejus manibus illabitur, & confractus paganis fecit cachinnum, quem sanctus Præsul, collectis fragmentis, precibus reparavit.* Sequentes duæ puræ sunt. Sequitur de Afra, fere ut v hujus. Demum: *Eodem die, beati Alberti confessoris, Ordinis Carmelitarum.* Vide Romanum & Castellani notulam.

De Maria Ægyptiaca.

De Donato.

Alberti.

GREVEN. *Donati episcopi & Hilarini monachi martyrum sub Juliano.* Superflua est repetitio. *In Antiochia, sanctorum Suffroni, Veneriæ & aliorum sex. Item Julianæ, Dyomadæ, Memmiæ, Agapes & aliorum martyrum. In Gallis civitate Rothomago, depositio sancti Victrici episcopi & confessoris. Donati episcopi Euriæ Epyri & confessoris. De hoc refert Historia tripartita libro 9, quod draconem cunctis terribilem signo crucis edito, in os ejus expuens, sine mora extinxerit, fontemque comitibus ex itinere fatigatis impetraverit. Civitate Messana, beati Alberti de Trapano, Ordinis Carmelitarum per Siciliam Prioris Provincialis, sanctimonia vitæ & miraculorum gloria insignis. Commemoratio beatæ Mariæ Ægyptiacæ.*

Hilarini. *Suffroni &c.* *Julianæ &c.* *Victrici.* *Donat. alt.* *Alberti.* *De Maria Ægyptiaca.*

MOLAN. De Donato, post *restauravit*, aliis litteris textui inserit: *Hic tentus est à Quadratiano Augustali simul cum Hilarino monacho, jussusque est idolis sacrificare, quo renuente, jussit Hilarinum tamdiu fustibus cædi in conspectu ipsius, donec emitteret spiritum, deinde beatum Donatum gladio percuti. Quorum corpora Christiani venerabiliter juxta civitatem sepelierunt.* Quæ ex Adone contracta sunt. In fine: *Anno Domini* MCCXCII, *depositio beatissimi Alberti de monte Drepano, presbyteri & confessoris, sacri Ordinis Carmeli Prioris Provincialis, multis miraculis in vita & post mortem coruscantis. In Gallis civitate Rothomagensi, beati Victricii, præfatæ urbis episcopi & confessoris.* Tum minoribus typis: *Donati episcopi Euriæ Epyri* &c. ut GREVEN. supra. Deinde: *Civitate Novaria, sancti Godscalci martyris, ejusdem civitatis episcopi, cujus passio habetur.* Editiones aliæ, in fine: *Civitate Messana in freto Siculo, depositio beatissimi Alberti de monte Drepano, presbyteri & confessoris, sacrique Ordinis Carmeli per Siciliam Prioris Provincialis. Qui genere, moribus, doctrina, sanctimonia & miraculis clarissimus, decessit anno Domini* MCCXCII. De Victricio, ut supra. *Catalaunis civitate, depositio sancti Donatiani episcopi & confessoris. Die septima, sacrosancti martyris Dometii.* Denique minoribus typis: *Civitate Novaria, sancti Godscalci* &c. ut est in editione prima.

De Alberto. *Victricii.* *Godscalci.* *Donatiani.* *Dometii.*

VI *Idus.* *Die* 8.

Cyriaci & sociorum.

ROmæ via Ostiensi, natalis beati Ciriaci diaconi & sanctorum martyrum Largi & Smaragdi cum aliis viginti, tempore Diocletiani imperatoris. Apud Viennam Galliæ urbem, sancti

Severi.

Severi presbiteri & confessoris, qui, ut ejus gesta testantur, causa Euangelii prædicandi, laboriosam peregrinationem suscepit & ad præfatam urbem deveniens, ingentem paganorum multitudinem verbo & miraculis ad fidem Christi convertit.

Ita legunt *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Rosweyd. Belini editio prior, Greven.* & *Molan*

VARIA

VARIA LECTIO. Legendum eſſet *Cyriaci*, cum Praten. Roſweyd. & Belin. ſed prævalent alii, etiam dum errant. *Oſtenſi* vel *Hoſtienſi* alibi notatum eſt. Roſweyd. poſt, *diaconi* ſubjungit, *& martyris. Tempore Diocletiani imperatoris*, legunt omnes, tametſi Ado diſtinctiſſime ſcripſerit *Maximini Auguſti*, qua de re alibi diximus. Molan. omiſit *imperatoris*. Tornacen. pro *Severi* ſuppoſuit *Severini*. *Ad præfatam urbem deveniens* cum textu ſcribunt omnes, exceptis Greven. & Molan. qui habent, *ad præfatam urbem veniens*. *Martirum*, *Vienam*, *Euuangelii*, &c. prætereo.

OBSERVATIO. De ſanctis Martyribus, primo hîc loco poſitis, *Cyriaco*, *Largo* & *Smaragdo*, cum Uſuardo & aliis Martyrologis egimus ipſo, quo martyrium paſſi cenſentur, die XVII Kal. Aprilis, ſeu XVI Martii, ibique in Obſervatione notavimus, ſocios tum expreſſos tum anonymos, ex Beda, cum toto ferme elogio, in Adonem tranſiiſſe. Hac die confuſa ſunt multa, tum in Hieronymianis, tum in aliis, quæ non eſt promptum paucis explanare. Nonnulla ſatis accurate diſtinguit Florentinius, ſed ita, ut plura ſuperſint. Beda, qui jam citato die XVI Martii nomina quinque retulerat, hîc ſimpliciter legit, *Natalis ſancti Cyriaci*, dubium quodammodo relinquens, ſitne hic *Cyriacus* idem, de quo ſuperius egerat. Quæ vero adduntur ſub Flori, opinor, nomine, non magnam lucem afferunt, uti nec Rabanus, ſic poſt Bedam loquens quaſi Cyriacus hac die fuiſſet paſſus cum aliis XXI. Clarius paulo Romanum parvum: *Romæ via Oſtienſi, Cyriaci martyris cum aliis* XXI, *quando* VIII *die menſis Auguſti reconditi ſunt.* Sed neque ſic difficultas tollitur, nam quærendum reſtat, quinam hîc ſint viginti illi & unus, poſtquam idem Romanum parvum citato XVI Martii deſtincte meminit *Cyriaci*, *Largi*, *Smaragdi* & *Creſcentiani* cum aliis XX Nihilominus obſcuritatis habent quæ Ado hîc commemorat, principio ſolum Cyriacum nominans cum *aliis promiſcui ſexus* XXI; in fine autem ita ſcribens: *Beatorum autem martyrum paſſiones, id eſt Cyriaci, Largi & Smaragdi ſuis locis in præſenti Kalendario notatæ ſunt* XVII *Kal. Aprilis.* Quæro iterum, an hinc tuto conjici poſſit, quod omnes XVI Martii relati, hac die reconditi ſint, an ſolum aliqui? An item ſoli Cyriacus, Largus & Smaragdus à Papa Marcello depoſiti? An, ut notat Bucherii Kalendarium, una reconditi ſint ſequentes: *Balleſtaria*, *Cyriaci*, *Largi*, *Creſcentiani*, *Memmiæ*, *Juliani & Smaragdi?* An potius quotquot in Hieronymianis hodie enumerantur? Si omnes omnino tranſpoſitos aut tranſlatos dixeris, vix invenies numerum quem certo ſtatuas. Si Notkerum acceſſeris, hic diem martyrii & tranſlationis ac martyrum numerum magis implicare videbitur. Sic Noſter de tranſlatione aut elevatione corporum nec verbum faciens, rotunde ſcribit: *Romæ via Oſtienſi, natalis beati* &c. acſi de iis numquam ante meminiſſet. Nominat autem tres præcipuos cum aliis XX, adeoque colligit eoſdem XXIII, quos XVII Kalend. Aprilis etiam collocaverat, ibi ſub *Maximino*, hîc ſub *Diocletiano*. Sed de perſecutore & perſecutione ſupra abunde locuti ſumus, nodos reliquos ad Acta ſolvendos remittimus; ubi de tota paſſionis ipſius hiſtoria, ex integro erit differendum, quam correctione indigere ad XVI Januarii, poſt Baronium faſſus eſt Bollandus. Et ille quidem in Annalibus ad annum CCXCVIII num. 13, & ad annum CCCIX num. 6, ſatis oſtendit, non pauca diſplicere, ſed iis tam multa addunt recentiores critici, ut totam ferme narrationem contemptui exponant. Interim pro genuina laterculi lectione ſtant codices citati omnes, à quibus nonnihil diſtant recentiores, in Auctariis producendi, qui auctorem corrigere volentes, tranſlationem ſubſtituunt, à Marcello Papa factam, ut mox patebit. Quò hactenus dicta magis involuta ſunt, eò clarior eſt annuntiatio ultima ex Adone, reſciſſis pauculis accepta, quam ille primus, ut pote ſibi magis notam, poſuit, & ex eodem Notkerus totam deſcripſit. Forte ea geſta citavit Viennenſis, quæ apud nos Mss. exſtant, alia breviori, alia diffuſiori ſtylo compoſita, quæ quanti facienda ſint, proprio loco decernendum reſervamus. Wandelbertus ita Cyriacum hîc memorat, quaſi ſolus hodie coleretur & à priori diverſus eſſet; in quo fortaſſe antiqua Kalendaria ſecutus eſt, qualia à Frontone & Allatio edita ſunt, plane conformia Sacramentario Gregorii. Quid quod & XV Julii in Frontoniano notetur *Cyriacus*, etiam ſolus. Vides hîc abundantem alibi differendi materiam. En modo ipſum Wandelberti verſiculum: *Cyriaci.* *Severi.*

Æthereum ſenis penetrat Cyriacus honorem.

AUCTARIA.

Quiriaci. *Severi M.*

PULSANEN. In prima purus, ſecundo loco ponit: *Hieroſolymis, paſſio ſancti Quiriaci epiſcopi, ſub Juliano imperatore.* Deinde: *Apud Viennam Galliæ urbem, ſancti Severi presbyteri & martyris:* ibi ſiſtens.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Textui ſubdunt: *Agapæ. Item ſanctæ Agapæ virginis.*

MUNERAT. Poſt textum: *Ipſo die, ſancti Juſtini martyris, de cujus corpus requieſcit in magna eccleſia beatæ Virginis de Pariſius.* Hîc repetitur *De Juſtino.*

titur, qui à nobis positus est 1 Augusti, inter Auctaria Mol. cum eodem elogio, sed aliquantulum correcto; quia hac die Parisiis colitur.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVAN. ALBERG. & DANIC. Sic primam annuntiationem exprimunt: *Romæ via Ostiensi, beati Cyriaci diaconi, & sanctorum martyrum Largi & Smaragdi, quando à beato Marcello corpora eorum levata sunt & venerabiliter tumulata. Passi sunt autem* XVII *Kal. Aprilis.* In secunda satis puri sunt. In fine: *Item, sanctæ Agapæ virginis.*

De Cyr. &c. *Agapæ.*

CENTULEN. *Romæ, natale sancti Cyriaci diaconi* [&] *sociorum ejus, qui passus est* XVII *Kal. Aprilis, sed nunc, levatis à beato Marcello Papa, & honoratius reconditis illorum corporibus, fit major celebritas & conventus frequentior. Mediolani, sancti Faustini martyris.* Ex die præcedenti. *Viennæ, sancti Severi presbyteri & confessoris, qui in vineam Domini à primo mane usque ad vitæ finem sollicite inserviens, meruit coronari. Apud Coloniam Thusciæ, sanctorum Secundiani, Marcelliani & Veriani.* Vide die sequenti.

De Cyr. &c. *De Faustino.* *Secundiani & sociorum.*

BRUXELLEN. *Romæ via Ostiensi, miliario septimo, elevatio beati Cyriaci dyaconi, & sanctorum Largi & Smaragdi. Qui cum aliis* XXI *passi,* XVII *Kal. Aprilis, hac die à beato Marcello Papa ipsorum corpora levata ac venerabiliter tumulata sunt. Et in Nycea Bithiniæ, sancti Arcisii confessoris sub Licinio persecutore. Qui relicta militia solitariam vitam in quadam turri præfatæ urbis egit, tantisque virtutibus claruit, ut demones expelleret & draconem perimisset immanem.* In Severo purus, sic finit: *Item, sanctæ Agapæ virginis.*

De Cyr. &c. *Arcisii.* *Agapæ.*

HAGENOYEN. *Romæ via Hostiensi, translatio sanctorum martyrum Cyriaci, Largi, & Smaragdi, quando a beato Marcello Papa corpora eorum levata sunt ac venerabiliter tumulata. Passi autem isti sunt sancti sub Maximiano imperatore* XVII *Kal. Aprilis, sed hæc eorum festivitas celebratur.* In Severo, satis purus est. Sequitur: *Item sanctæ Agapæ virginis.* Tum: *In Hispania civitate Gerunda, natale sancti Felicis martyris, quem jussit judex Decianus, sub persecutione Dyocletiani, post illata tormentorum genera, ungulis detrahi ac deinde usque ad ossa laniari, & tamdiu vulnera vulneribus instaurari, usque dum invictum deo spiritum redderet.* Vide superius textum nostrum 1 Augusti.

De Cyr. &c. *Agapæ.* *Felicis eum elogio.*

AQUICINCT. In fine: *Item Agapæ virginis.* *Agapæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Cyriaci, Largi & Smaragdi martyrum, cum aliis* XX. *Severi presbyteri & confessoris, qui Viennæ ingentem multitudinem ad fidem convertit.* *Textus contractus.*

UGHELLIAN. Addit in fine: *Item sanctæ Agapæ virginis.* Hæc sæpius recurrit. *Agapæ.*

FLORENTIN. *Anconæ, translatio sancti Quiriaci episcopi & martyris. Item sanctæ Agapæ virginis.* *Transl. Quir* *Agapæ.*

EDITIO-LUBECO-COL. *Romæ via Ostiensi, miliario septimo, translatio beati Cyriaci diaconi & sanctorum martyrum Largi & Smaragdi cum aliis viginti duobus, quando à beato Marcello Papa, corpora eorum levata sunt ac venerabiliter tumulata. Passi sunt autem* XVII *Kal. Aprilis. Hæc tamen dies celebrior habetur.* In Severo pura est. Addit in fine: *Eodem die, sanctæ Agapæ virginis. In territorio Trecassino, sancti Leonidis martyris.* Puto esse errorem in nomine. *Translat. Cyriac. &c.* *Agapæ Leonidis.*

BELIN. Editio secunda in fine adjicit: *Item Agapæ. Agappæ virginis. Bourdegalis, depositio Mommurali abbatis Floreacensis cœnobii.* *Mommurali*

GREVEN. *In Hungaria, adventus sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Item festum quindecim Auxiliatorum, quorum nomina hæc sunt: Gloriosa Dei genitrix semper Virgo Maria, Blasius, Dionysius, Erasmus, Panthaleon, Vitus, Georgius, Ciriacus, Christoferus, Agatius, Eustachius, Egidius, Barbara, Catherina, Margaretha. Ciriaci episcopi Hostiensis & martyris. Paymonis martyris. Apud Philadelphiam, natalis sancti Leonidis. Item Justini martyris. In territorio Trecassino, Leovaldi martyris. Item Secundi. Apud Anconam, translatio sancti Quirici episcopi & martyris, de Ierusolimis ad præfatam urbem. Agapes virginis. Item, beatæ memoriæ Hilgeri confessoris, Ordinis Prædicatorum, filii comitis.* *de Sang J.C* *15 Patron.* *Cyriaci.* *Paymonis.* *Leonidis.* *Justini.* *Leovaldi.* *Secundi.* *De Quirico.* *Agapes.* *Hilgeri.*

MOLAN. Primæ annuntiationi ex Adone subjungit litteris Italicis: *Quorum passiones suis locis in præsenti Calendario notatæ sunt.* In fine: *Item Agapæ virginis. Bourdegalis, depositio Mommurali, abbatis Floriacensis cœnobii. Ipso die, sancti Justini martyris, cujus corpus requiescit in magna ecclesia beatæ Mariæ Virginis, Parisiis.* Vide hæc eadem 1 Augusti in posterioribus MOLANI editionibus. Hæ porro hodie idem habent in textu, quod supra. In fine: *Bourdegalis, depositio Mommoli, abbatis Floriacensis cœnobii. Item sanctæ Agapæ virginis. Die octava, sancti Æmiliani confessoris in Cyzico.* In Horologio additur titulus *episcopi.* *Agapæ.* *Mommurali* *Justini.* *Mommoli.* *Æmiliani.*

V *Idus.* *Die* 9.

Vig. Laur. VIgilia sancti Laurentii martyris. Apud Coloniam Tusciæ, natalis sanctorum Secundiani, Marcelliani, & Veriani, qui tempore Decii, sub consulari Promoto primum cæsi sunt, deinde in equuleo suspensi & ungulis abrasi, atque igne lateribus apposito assati, triumphalem martyrii palmam capite cæsi meruerunt.

Secundiani & sociorũ.

Romani. Romæ, sancti Romani militis, qui confessione beati Laurentii compunctus, petiit ab eo baptizari, & mox jubente Decio, cum fustibus exhibitus ac decollatus est.

Ita *Praten. Herinien. Antverp-major, Rosweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danicus.*

VARIA LECTIO. Notabis Rosweyd. purris annumerari, licet ab aliis maxime differat, non verbis textus, sed annuntiationum transpositione: nam *Vigiliam* ad ultimum locum rejicit, & *Romanum* ei primo loco substituit. Sic ultimi sex codices mediæ

mediæ notæ, Romanum referunt ſecundo loco. Nunc ad peculiaria. Roſweyd. legit, *Secundiani & Marcelliani & Valeriani.* Et pro *Promoto*, habet *Promorto.* Greven. *Promocio*, Molan. *Promotio.* Munerat. *cæſi ſunt primum.* Antverp. librario ſphalmate repetit *aſſati*, hoc modo, *atque igne lateribus aſſati appoſito aſſati.* Quæ omnia accuratius in textu poſita ſunt. Greven. & Molan. ante *confeſſione*, interjiciunt *in*, *qui in confeſſione*, ceteri cum antiquioribus & Noſtro ſimplicius. Sic iidem; *cum fuſtibus exhibitus decollatus eſt*, omiſſa particula *ac.* Antverp-maj. & ſex ultimi expungunt *cum*, *jubente Decio fuſtibus*, quod etiam facit Munerat. in alio excedens, nam poſt *exhibitus*, ſubdit, *ac tandem decollatus eſt.*

OBSERVATIO. *Vigilia ſancti Laurentii.* Sic ponitur à Beda, Romano parvo & Adone. Cur à Rabano præterita ſit, haud queo divinare, potius ſuſpicarer non eſſe genuinam Bedæ annuntiationem. Neque ſic tamen deſineret eſſe vetuſtiſſima celebritas ſeu conſuetudo à primis Eccleſiæ temporibus frequentata, ut probant Kalendaria Frontonis & Allatii, nec non Sacramentaria à Menardo & Thomaſio vulgata, quidquid Hieronymiani codices de ea non loquantur. Hujuſmodi *vigiliarum*, ad unum & plures dies protractarum originem, à Baronio veroſimillime explicatam invenies. Citatos Martyrologos ſequitur Notkerus, ſed Noſter adjunxit titulum *martyris.* Wandelbertus ſolum *Romanum* hodie canens, oſtendit in cœnobio ſuo Prumienſi, dum ſcriberet, ritum illum necdum fuiſſe receptum. De ſequenti martyrum claſſe nihil apud ſolitos Uſuardi præcurſores reperio. Florus ſic breviter: *Coloniæ, natale ſanctorum Fauſtini, Mercellini, Secundiani & Sixti.* At enim hinc ſua Noſter nequaquam accepit. Probabilius exiſtimo martyres in textu expreſſos, ex Hieronymianis profluere, in quorum aliquo legerit Uſuardus: *In Tuſcia, Veriani, Marcelliani, Secundiani.....* quos ut præcipuos, quemadmodum paſſim facere aſſolet, omiſſis reliquis ab Epternacenſi notatis, decerpſerit. Cum vero alius codex legeret: *In Colonia;* has duas poſitiones ita ipſe in unam conjunxerit: *Apud Coloniam Tuſciæ*: ac deinde ex repertis alicubi Actis elogium ſuum conflaverit. Porro de prædictorum Actorum veritate, uti & de controverſo incepti & conſummati martyrii loco, plura alibi diſcutienda ſupererunt; ſufficiat interim Notkeri cenſura, ita hac die ſcribentis. *In Colonia, Fauſtini, Marcellini, Secundiani, Veriani, juxta Martyrologium beati Hieronymi. Cum à noſtratibus, apocryphorum deliramenta ſectantibus, à beato Sixto propter continuationem temporum baptizati & à Decio dicantur interempti.* Quid propriè, aut quoſnam hîc impugnet Notkerus, necdum ſatis perſpectum habeo. Arbitror tamen, ea hîc Acta ab ipſo convelli, quæ Sixti Papæ tempora cum Decio connectunt, unde à Baronio ad annum CCLIII num. 29 *corrupta* vocantur. Vide quæ de iiſdem Actis diſputavit Papebrochius tomo I Junii à pag. 34, quibus accedere poteſt Tillemontius tomo 3 pag. 704. Vide ſis plura in Notationibus Florentinii. Ceterum ex codicibus Uſuardinis omnibus manifeſtiſſimum eſt, ſic Noſtrum ſcripſiſſe, ut tabula exhibet. De celebri martyre *Romano*, nulla plane difficultas. Signatur is ab Hieronymianis & Romano parvo ſimpliciter. Beda compendioſo elogio paſſionem complexus eſt, à quo ſumpſerunt Rabanus & Ado, ex hoc Uſuardus & Notkerus, ſervatis ubique iiſdem fere apicibus. Patet, Romani Acta, Laurentianis immixta eſſe, ut proinde de utriſque eadem habenda ſit ratio. De *Firmo* & *Ruſtico* martyribus Veronenſibus agunt Florus, Rabanus & Notkerus, ſed ex quo eos tranſtulerit Belinus, neſcio; certe ad textum Uſuardinum nihil prorſus attinent. Nitidus eſt Wandelberti de Romano verſiculus:

Vig. Laurentii.

Secundiani & ſociorum

Romani.

Romanus quinis martyr mileſque refulget.

AUCTARIA.

TORNACEN. Vix media parte hodierni textus poſitâ, pergit deficere uſque ad XXVI Septembris.

PULSANEN. Sic incipit: *Vigilia ſancti Laurentii levitæ & martyris.* In ſecunda annuntiatione expunctum eſt elogium. In tertia de Romano purus eſt.

CENTULEN. *Vigilia ſancti Laurentii. Romæ, ſancti Romani militis, qui confeſſione beati Laurentii compunctus, petiit baptizari, & mox jubente Decio exhibitus cum fuſtibus & decollatus eſt.* De aliis egit die præcedenti.

De Vigilia Laurentii.

BRUXELLEN. *Vigilia ſancti Laurentii martyris, qui ex numero omnium martyrum ſolus Vigiliam habet. Romæ, ſancti Romani militis, qui à beato Laurentio baptizatus, mox jubente Decio Cæſare, fuſtibus cæſus ac decollatus eſt.* In aliis martyribus ferme purus eſt, ſed pro *Veriani*, qui in textu eſt, ſcribit *Neriani.*

De Roman.

HAGENOYEN. In duabus primis ſatis purus, ſic tertiam enuntiat: *Romæ, paſſio ſancti Romani militis & martyris. Qui in paſſione ſancti Laurentii compunctus, quia vidit juvenem pulcherrimum ejus vulnera tergentem, & ideo ſe ab eo baptizari petiit & obtinuit, & idcirco à Decio Cæſare minore fuſtibus eſt cæſus, & quia fortis in fide fuit, juſſit eum decollari.*

Textus contractus.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Vigilia. Romani militis & martyris. Secundiani, Veriani & Marcelliani martyrum.*

Ruſtici & Firmi.

STROZZIAN. *Veronæ, ſanctorum martyrum Ruſtici & Firmi.* Vide ſuperius Obſervationem

Martini. BURDEGALEN. *Apud Brivam, ſancti Martini martyris* Caſtellanus vocat *Brivam-curretiam.*

Amoris & Viatoris. CODEX CASTRI-KAROLI. *In ſuburbio Lugdunenſi, natale ſanctorum martyrum Amoris & Viatoris.* Eſt haud dubie feſtum proprium loci.

De tranſlat. Secundiani & ſociorum BIZUNTICEN. De martyribus Tuſcis, refert verba textus, quibus ſubjungit: *Ex quibus Secundianus poſtea in Gallias in territorio Lingonenſi eſt tranſlatus, & in cœnobio ſancti Leodegarii glorioſe humatus, ubi Deo donante, claris non ceſſat ſe manifeſtare virtutibus.* Eadem leguntur in Martyrologio Franciſcanorum Salinenſium. Et hæc quidem de ſolo Secundiano. Sauſſàyus in Martyrologio ſuo Gallicano alia plane ſuggerit, dum ibi hac die ita ſcribit: *In Jotrenſi cœnobio, veneratio ſacratiſſimorum pignorum illuſtrium Chriſti martyrum Secundiani, Veriani & Marcelliani, qui hodie Romæ, imperante Decio, ſub Conſulari Promotio, fuſtibus, igne, ferro excruciati, demum capitis abſciſſione æternum gloriæ diadema promeruerunt. Quorum corpora Româ in Gallias advecta, illic ad venerationem repoſita, etiamnum eximio cultu cum plurimis aliorum beatorum martyrum lipſanis conſervantur.* Quænam hujus tranſlationis documenta ſuperſint, in Apodicticis ſuis docere debuiſſet magni Martyrologii compilator, ſed cum hæc deſint, aliunde poſtea in Actis noſtris erunt conquirenda, quando & Italicarum urbium, de pretioſo depoſito contendentium, rationes accurate expendentur.

EDITIO LUBECO-COL. Similis fere eſt ANTVERP-MAX. &c. nempe quod Romanum ſecundo loco annuntiet. In fine addit: *Methis civitate, natale ſancti Auctoris, ejuſdem loci epiſcopi & confeſſoris.* Vide die ſequenti. *Auctoris.*

BELIN. Etiam Romanum Tuſcis præponit. Tum in fine: *Eodem die, Veronæ ſanctorum martyrum. Ruſtici & Firmi.* *Ruſtici & Firmi.*

De Firmino & Ruſtico. GREVEN. *Apud Veronam, ſanctorum Firmini & Ruſtici martyrum. Qui ob Chriſti confeſſionem, ſub Maximiano ſuper teſtas accenſas diutius volutati, cum in igne quoque ſine læſione perduraſſent, fuſtibus macerati, decollatione martyrii gloriam adepti ſunt. In Alexandria, ſanctorum Antonini, Tiburtini, Valeriani. Item, ſanctæ memoriæ Erici regis Daciæ & martyris.* An non idem qui colitur XVIII Maii? Certe non videtur is eſſe, de quo in Actis XIII Martii, qui Peruſii colitur. Illud, *ſanctæ memoriæ* videtur aliquid aliud indicare, ut apud GREVEN. ſonat. *Antonini & ſociorum. Erici.*

Ruſtici & Firmi. Numidici & aliorum. MOLAN. In fine: *Eodem die, ſanctorum martyrum Ruſtici & Firmi civium Pergamenſium, Veronæ.* Tum minoribus typis: *Natale ſanctorum Numidici presbyteri & martyris cum aliis mu.tis. De quibus Cyprianus in epiſtola ad diaconos, presbyteros & plebem Carthaginenſem.* Vide Ruinartium pag. 198. In editionibus aliis, ſic habet: *Eodem die, Veronæ, ſanctorum martyrum, Ruſtici & Firmi. Catalaunis civitate, ſancti Domitiani epiſcopi & confeſſoris.* Ponitur in Romano. *Domitiani.*

IV *Idus.* *Die* 10.

Laurentii. ROmæ via Tiburtina, natalis beati Laurentii archidiaconi, qui præſente Decio imperatore, poſt plurima tormenta carceris, verberum diverſorum, laminarum ardentium, ad ultimum in craticula ferrea aſſatus, martyrium complevit. Eodem die Romæ, *Milit.* 165 militum centum ſexaginta quinque.

Codices puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-major, Roſweyd. Antverpien.* & *Max-Lubec. Munerat. Belini prima editio, Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Pro *Tiburtina*, ſcribunt Belinus & Molanus *Tyburtina.* Antverp. & Max-Lubec. *Laurencii.* Antverp-maj. ſolus tranſponit, *poſt plurima carceris tormenta.* Herinien. *Lamminarum.* Roſweyd. ex ſecunda annuntiatione expungit martyres centum, legens, *militum ſexaginta quinque.* In Antverp-maiore deeſt *militum.* Belin. autem ſic habet: *Romæ, ſanctorum centum ſexaginta quinque.*

Laurentii. OBSERVATIO. *De ſancto Laurentio notiora ſunt omnia,* inquit Florentinius, *quam ut aliquid addere oporteat.* Sic eſt; nam Martyrologia noſtra omnia, imo & Kalendaria vetuſtiſſima, ut eſt illud Polemei Silvii, & aliud à Bucherio editum, item Carthaginenſe, Allatianum, Frontonianum, & Sacramentaria, glorioſiſſimam tota Eccleſia ejus paſſionem unaminiter recolunt; idque peculiare in hoc illuſtriſſimo Sancto obſervabis, quod ſolus ipſe, extra Redemptionis noſtræ & Apoſtolorum feſta, ſolus, inquam, inter mortales ſolenni & univerſali cultu celebritatem habeat, non clero ſolum, ſed & populo præceptam, ſive quod ſoli ipſi, origine non Judæo, decreta ſit fere prima in Eccleſia feſtivitas. Præter Hieronymiana, ſic de Laurentio hodie Romanum parvum: *Romæ, Laurentii, archidiaconi, martyris.* Ado totus eſt in Actis fuſe deducendis, quorum potiorem partem in Martyrologium ſuum tranſtulit Notkerus. At Noſter, compendioſiora ſectatus, maluit Bedæ elogium tranſcribere: ubi advertes, ſolam ex Adone præfixam palæſtram, ſeu mavis ſepulturæ locum, *Romæ, via Teburtina;* atque item ex eodem & Romano parvo, imo & aliquibus Hieronymianis, *Archidiaconi* titulum, jam olim à ſanctis Patribus raro exemplo tributum. Noſter vero, ſupra quam in fontibus legerat, ſcripſit *præſente Decio*, Rabano, Bedæ verbis preſſius inhærente; in quo non quidem *Decii præſentia*, ſed *Decii perſecutio* diſerte notatur, ab Adone etiam ex Actis expreſſa, iiſdem utrobique verbis:

Sub

Sub Decio. Sed de hac re legendæ omnino ſunt diligentiſſimæ Baronii Notationes ad hanc diem, ubi ex temporum ratione facile evincit, nec Sixti nec Laurentii martyrium cum annis Decii combinari poſſe, atque adeo pro *Decii*, ſcribendum *Valeriani*, ut & nos alibi fuſius deducemus. Quanti porro facienda ſint vulgata Laurentii Acta, ex quibus & alia deſumuntur, alibi à nobis citata, docebit Card. Noriſius in fine diſſertationis tertiæ de epochis Syro-Macedonum à pag. 394 editionis Lipſienſis, ſubſcribentibus eruditis recentioribus, quorum argumenta ſuo tempore erunt expendenda. Quod ſi nec ipſa, quæ Laurentium ſeorſim ſpectant, Acta tutari poſſimus, facile aliunde jactura compenſabitur, ex tot SS.PP. elogiis, quæ colligi cœpta ſunt inter ſelecta Ruinartii à pag. 180.

Sequitur in Romano parvo: *Et militum* CLXV. De his nihil in Hieronymianis, nihil in Beda aut Bedæ ſequacibus. Ado primum de more ſecutus, ſic legit: *Eodem die, Romæ, militum* CLXV, additque: *Tunc paſſi ſunt Claudius, Severus, Creſcentio & Romanus, ipſo die quo beatus Laurentius, poſt tertium diem paſſionis ſancti Sixti.* De his videndum erit ſuo loco. Interim Notkerus poſtrema iſta Laurentiano elogio attexuit, alteram annuntiationem ſic efformans: *Eodem die, Romæ, militum centum & quadraginta quinque.* Quæ autem hujuſmodi mutationis cauſa ſit, nuſquam apparet. Ceterum ſi ſolum numerum ſpectes, non video cur Adonem Notkerus deſeruerit: unde ſuſpicari licet amanuenſis incuria male fuiſſe tranſcriptum. Quod autem *Claudium* & ſocios à *militibus* CLXV diſcreverit, forte accidit, quod hoſce, licet eadem die, non tamen eodem tempore paſſos crediderit. Certe ad Aureliani perſecutionem eorum certamen revocat Baronius in Romano hodierno: Recte, an ſecus hîc inquirere ſuperſedeo. Satis ſit obſervaſſe, Uſuardum Adonis ſectatorem perpetuum, in militibus illis Martyribus ab ejus ſententia non receſſiſſe. Adnecti meretur metricum, quod Wandelbertus cecinit Laurentii encomium, in quo ſolus canitur, nullâ ſociorum aut militum CLXV facta mentione. *Milit.165*

Quartis Laurenti merito ſplendeſcis opimo,
Ignem qui paſſus, tortorem vincis iniquum.

AUCTARIA.

De ſeptem Dormientib.

PULSANEN. Legit, *beatiſſimi Laurentii.* Omittit milites CLXV, quorum loco ſubſtituit: *Apud Epheſum, natalis ſanctorum ſeptem Dormientium, id eſt Maximiani, Malchi, Martyriani, Johannis, Dioniſii, Conſtantini, Serapionis, & aliorum quatuor, quorum geſta habentur.* Cur illi quatuor adjiciantur, neſcio. Vide Uſuardum XXVII Julii.

Auctoris.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. Textui ſuperaddunt: *Methis, depoſitio ſancti Auctoris epiſcopi.* Recte infra, *in Mauri-monaſterio.*

Textus mutatus.

CENTULEN. *Romæ, natalis beati Laurentii archidiaconi, qui poſt plurima tormenta carceris, verberum diverſorum, laminarum ardentium, ad ultimum in craticula aſſatus ferrea, glorioſum & omni laude digniſſimum complevit martyrium. Eodem die, Romæ, militum* CLXV.

Victoris pro Auctoris.

BRUXELLEN. Textui ſatis puro, ſolum adjicit: *Mettis, Mauri-monaſterio, depoſitio ſancti Victoris Metenſis epiſcopi & confeſſoris.* Lege *Auctoris*, ut recte habent codices alii.

Multa de Laurentio.

HAGENOYEN. *Romæ via Tiburtina, paſſio ſancti Laurentii martyris, qui à beato Sixto Papa ſecundo, ordinatus eſt archidiaconus Eccleſiæ Romanæ, qui & officium ſuum devotè implevit, & ideo Sixtus vadens ad paſſionem illi theſauros ſuos dimiſit, ut ille pauperibus eos erogaret. Quod & fecit, & ipſe per ſignum crucis cæcos illuminavit & plures verbo & exemplo ad fidem convertit. Hic poſt carceres & diverſa verberum genera, laminas ardentes ſuſtinuit, per vocem ſibi loquentem divinam confortatus eſt, & iterum ſcorpionibus cæſus eſt, & pro aſtantibus orans incarceratur, & tunc in nocte Decio adducitur, & omnia tormentorum genera afferuntur. Et tunc ſuper cratem ferream Laurentius extenditur, furcis ferreis comprimitur, & carbones crati ſubſternuntur & aſſatur, & ſic martyr Chriſti ille conſecratur. Item Romæ ipſo die, militum* CLXV. *Metis, depoſitio ſancti Auctoris epiſcopi & confeſſoris.* *Auctoris.*

VICTORIN. & REG. SUECIÆ, ſign. num. 130. In fine: *In Epheſina civitate, ſeptem Dormientium.* *7 Dormient.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Laurentii martyris. Romæ militum centum & ſexaginta quinque.* Hîc ſemper aliquid deeſt. *Textus contractus.*

REG. SUEC. ſign. num. 428. *Pariſius, ſuſceptio S. Coronæ Domini.* De hac nihil apud alios, ſpectat ad diem ſequentem. *DeCoron.D.*

VATICAN. ſign num. 5949. *Apud Epheſum, ſanctorum ſeptem dormientium.* Vide ad PULSAN. *7 Dormient.*

EDITIO LUBECO-COL. *Romæ via Tiburtina, natale beati Laurentii archidiaconi, beati Sixti Papæ. Qui Hiſpanus genere, puritate, innocentia vitæ, libertate* [an non *liberalitate?*] *operum miſericordiæ præfulgens, præſente Decio imperatore, poſt plurima tormenta* &c. In militibus CLXV pura eſt. Subdit in fine: *In Scotia, ſancti Blani, epiſcopi & confeſſoris.* Vide Caſtellanum. *DeLaurent. Blani.*

BELINI EDITIO ALTERA. Ultimam annuntiationem format in hunc modum: *Eodem die Romæ, centum ſexaginta quinque; & ſeptem Dormientium.* Dividenda eſt conſtructio. *7 Dormient.*

GREVEN. *Item ſanctorum Claudii, Severi, Creſcentiani* (an non *Creſcentionis?*) *& Romani martyrum. Mettis, ſancti Auctoris epiſcopi & confeſſoris. Apud Tungrim, ſancti Johannis epiſcopi & confeſſoris, qui & Agnus dictus eſt. Hic cum eſſet agricola, miraculo virgæ florentis, ad regimen præfatæ eccleſiæ aſſumptus fuit. In Scotia, ſancti Blani, epiſcopi & confeſſoris. Trajecto ſuperiori, tranſlatio ſanctorum Monulphi & Gundulphi, epiſcoporum & confeſſorum.* Ponuntur XVI Julii, à Caſtell. XXVI. *Claudii & ſociorum. Auctoris. Joannis. Blani. Tranſlat. Monulphi & Gundulph.*

MOLAN. In omnibus editionibus hoc unicum habet augmentum: *Metis, depoſitio ſancti Auctoris epiſcopi.* Corpus quieſcit in *Mauri-monaſterio.* *Auctoris.*

III *Idus.* *Die* 11.

Tiburtii. ROmæ inter duas Lauros, natalis ſancti Tiburtii, qui ſub judice Fabiano, cum nudis plantis ſuper carbones ardentes ingreſſus, Chriſtum majori confiteretur conſtantia, duci in tertium ab urbe miliarium, atque ibidem gladio animadverti jubetur.

Suſannæ. Item Romæ, ſanctæ Suſannæ virginis, quæ cum eſſet nobili proſapia orta & beati Gaii Pontificis neptis, martyrii palmam tempore Diocletiani, capitis obtruncatione promeruit. In civitate Camberaco,

Gaugerici. ſancti Gaugerici epiſcopi & confeſſoris. Apud caſtellum Ebroas,

Taurini. ſancti Taurini epiſcopi.

Sumitur textus ex *Praten. Herinien. Antverp-majore*, *Antverp.* & *Max-Lubec. Belin.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Quod alibi de *via Tiburtina*, id hîc recurrit de *Tiburtii*. Belin. iterum & Molan. ſcribunt *Tyburtii*; Antverp-maj. *Tiburcii*. Idem hic codex conſtructionem habet hiulcam & mutilam, nam ubi recte in textu, *cum..... Chriſtum majori confiteretur conſtantia*, ſic legit: *Chriſtum confiteretur in ſtantia*. Vitioſa item eſt hæc Herinien. periodus, ſeu periodi pars ultima, primæ non quadrans, nempe, *atque ibidem gladio animadverti fecit*, pro *jubetur*. De *Gaii*, dictum eſt non ſemel, ſequimur orthographiam codicum. *In civitate Camberaco*, diſerte ponunt Praten., Herinien. Antverp-major & Belinus. Præferant *Cameraco*, qui voluerint, per me licet. *Gauritii*, pro *Gaugerici*, error eſt in Belino. Hieronym. Lucen. ſcripſit *Gaurici*. Dormitavit Molan. dum legit *epiſcopi & martyris*, ſed agnitam oſcitantiam in poſterioribus editionibus correxit. Addidit item in fine, *Taurini, epiſcopi & confeſſoris*, quæ ultima vox abeſt ab reliquis codicibus, præterquam ab Antverp. & Max-Lubec. qui annuntiationem in principio mutilant: *Ipſo die, ſancti Taurini epiſcopi & confeſſoris* Omnes legunt *Ebroas* pro *Ebroicas*, nec melius in Antverp-majore, *Eborias*. Alius habet *Ebora*.

Tiburtii. OBSERVATIO. *Tiburtii* martyris ita meminere Hieronymiana aliqua, ut *Valeriani*, *Cæciliæ* ſponſi, fratrem deſignare plane videantur; unde merito ſuſpicatur Florentinius, ex incurioſi antiquarii imperitia, puta qui alium ignorarit Tiburtium, ſociorum iſtorum duorum nomina ibi perperam intruſa. In iiſdem Hieronymianis ſtatim ſubjicitur: *Natalis ſanctæ Suſannæ*. Beda, quam poteſt breviſſime, una annuntiatione duas complectitur: *Romæ, ſancti Tiburtii martyris & Suſannæ*. Nonnihil diſtinctius Romanum

Suſannæ. parvum; de primo: *Romæ inter duas Lauros, Tiburtii martyris*. De altera: *Et Suſannæ virginis martyris*. De utroque diffuſas hiſtorias Martyrologio ſuo inſeruit Viennenſis, quarum primam accepit ex Actis ſancti Sebaſtiani, apud nos capite præſertim 21: alteram ex ipſis, quæ celeberrima vocat Molanus, inclytæ martyris geſtis, videndis apud Surium, laudatis à Baronio & Majoribus noſtris; à nonnullis plane rejectis, ſed à nobis ſubinde examinandis & illuſtrandis. Quidquid vero de Actis illis deinceps ſtatuatur, venerandam *Suſannæ* memoriam, præter citata Martyrologia, etiam abunde comprobant Frontonis Kalendarium & Sacramentaria ab ipſo citata, quo die in eodem Kalendario *Tiburtius* commemoratur. Qui & ambo in Allatiano conſignati ſunt. De cetero ad textum quod attinet, ex duobus Adonianis encomiis ſelectiora paucula ſumpſit Noſter, eo modo diſpoſita, quo in laterculo repræſentantur. Plura ex iiſdem & de more liberalius hauſit Notkerus. Nec apud Florum & Rabanum deſunt breviora elogia, quæ ad præſens inſtitutum nihil faciunt. Wandelbertus Tiburtium & Gaugericum, qui ſequitur, Suſannâ, neſcio ob quam cauſam, omnino præteritâ, ſic cecinit:

*Ternis floſque decuſque pium petis aſtra, *Tyburti.*
*Hæc & Goericus * confeſſor poſſidet almus.* * Brabantice *Goeric.*

Gaugerici. *Gaugericum* Cameracenſem epiſcopum Adoni tribuit Moſandri editio, Roſweydus in appendicem rejecit, recte opinor, alias à Notkero veroſimiliter non prætermittendum. Interim ſignatur in codicibus Hieronymianis Lucenſi & Corbeienſi: recentius ab antiquario ſuperadditus, nec ne, non diſputo. Crediderim ex ſimili aliquo codice, forte

Taurini. Corbeienſi, ab Uſuardo acceptum, in quo & *Taurinus* exprimitur, aliis omnibus Martyrologis ignotus præterquam Floro, qui eum ita cum Gaugerico copulat, ut *fratrem* fuiſſe affirmare non dubitet. Nota eſt aſſerti parachroniſmi origo ex Actis neſcio quibus, à quodam

quodam Adeodato ita adornatis, ut de suppositione facile convincantur. Securius processit Noster, nihil affirmans, quod ex certioribus monumentis abunde non constet, & ea forte de causa à confessoris aut martyris titulo studiose abstinuit. Ex elogio Rom. moderni solam eam partem suspectam habet Castell., quæ missionem spectat à S. Clemente Papa factam. Sincerior est Gaugerici vita apud Surium, sed contracta ex diffusiori historia, suo tempore a nobis illustranda. Atque hæc sufficiunt ad comprobandam totius textus originem & plane germanam ejus simplicitatem.

AUCTARIA.

De Tiburtio. ROSWEYD. De Tiburtio, textui inseruit, *filii Chromatii Urbis præfecti, docti à S. Sebastiano.* Cetera satis pura sunt usque ad finem, ubi sola annuntiatio ultima desideratur.

PULSANEN. Purus est usque ad, *Susannæ virginis*, desunt reliqua omnia.

MUNERAT. Textui puro adnectit: *Parisius, susceptio sacræ spineæ Coronæ Domini, ab infidelibus per beatum Ludovicum Francorum regem feliciter ereptæ. Cujus* [quæ, vel cujus pars] *honoratur & colitur in sacrosancta capella palatii Parisii, ibique requiescit.*

De sacra Cor. spinea.

GREVEN. In fine etiam attexit: *Civitate Parisius, translatio sanctæ spineæ Coronæ Domini nostri Jesu Christi.* Cautior MOLAN. à textu excluſit.

De eadem. De Laurino.

ANTVERP MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. ALBERG. & DANIC. In tribus primis satis puri, sic ultimam formant: *Apud castellum Ebroas, sancti Taurini episcopi, quem beatus Dyonisius ordinavit, & eidem urbi episcopum destinavit, ubi glorioso coronatus martyrio, multis fulget miraculis.* Hæc etiam codicum aliorum sententia est.

In LOVANIEN. Tota hæc annuntiatio excidit, ut ferme solet nonnulla corripere.

CENTULEN. *Romæ inter duos Lauros, sancti Tiburtii martyris, filii Chromatii Urbis præfecti, qui per beatum Sebastianum eruditus in fide, illustre duxit martyrium. Eodem die Romæ, sancta Susannæ, quæ Romani imperatoris sprevit conjugium, ut Christi Domini sortiretur consortium. Cameraco, sancti Gaugerici episcopi & confessoris.* In margine recentiori manu adjectum: *Civitate Ebroicas, sancti Taurini episcopi & confessoris.*

Textus mutatus.

BRUXELLEN. Incipit: *Civitate Cameraco, depositio sancti Gaugerici episcopi & confessoris.* De Tiburtio, post, *martyris*, interjicit: *Filii Chromatii, Urbis præfecti. Qui juvenis sub judice Fabiano, dum nudis* &c. ferme pure. In Susanna, etiam recte. De Taurino, ut ANTVERP-MAX. &c.

De Tiburtio.

HAGENOYEN. *In civitate Ebora, sancti Taurini episcopi & martyris, quem beatus Dyonisius apud castellum Eboras misit, & eumdem ordinans urbi episcopum, ubi glorioso* &c. *Romæ inter duos Lauros, natalis sancti Tyburcii martyris. Tyburcius filius fuit Cromacii senatoris, viri nobilissimi. Qui cum ad prædicationem sancti Sebastiani conversus esset, post sanationem patris sui, tantam in Christi fide devotionem accepit, ut cum omnes Christiani de Roma fugerent, ipse amore martyrii solus in Urbe remansit. Hic traditus à Torquato, falso Christiano, Fabiano præfecto, qui fecit illum nudis* &c. *Item Romæ, sanctæ Susannæ virginis & martyris. Quæ fuit virgo nobilis & pulchra & petebatur uxor à Diocletiano, Maximino filio suo. Quæ virginitatem servare docta est à patre suo sancto Gabino, & patruo Gayo summo Pontifice, & à Serena imperatrice. Et quia consentire noluit, tam pro virginitate, quam pro fide, inaudita tormenta passa est. Novissime gladio vitam finivit.* De Corona idem habet quod GREVEN. *Item in Scotia, sanctæ Aratæ virginis & sanctimonialis, quæ invocatur ad liberationem captivorum, & suffragatur hominibus in pestilentia.* A Castellano vocatur *Athracta.* In Gaugerico, purus est.

De Tiburtio.

De Taurino.

De Tiburtio.

De Susanna.

Arrae.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Tiburtii martyris inclyti, de quo in gestis beati Sebastiani leguntur multa præclara opera; similiter de Chromatio patre ejus. Gaugerici episcopi & confessoris. Romæ, Susannæ virginis & martyris. Festivitas Coronæ Domini. Taurini episcopi & confessoris.*

De Cor. spin.

CODEX D. Le Mare signatus A. qui fuit collegii Canonicorum Augustoduni: *Eodem die, Andeolus martyr veneratur.* Vide 1 Maii.

Andeoli.

In VATICAN. Deest Gaugerici & Taurini.

UGHELLIAN. *Civitate Parisius, translatio S. spineæ Coronæ Domini nostri Jesu Christi.*

De Cor. spin.

LUXOVIEN. *Civitate Metis, depositio sancti Autoris episcopi & confessoris.* Vide quæ diximus in Auctariis diei præcedentis.

Auctoris.

EDITIO LUBECO-COL. *Romæ inter duas Lauros, natale sancti Tiburcii martyris, filii Chromatii Urbis præfecti, quem erudierunt in fide Sebastianus, beatus Tranquillinus, & glorioſus presbyter Policarpus. Hic sub judice Fabiano, cum nudis plantis super carbones ardentes ingressus, Christum majori confiteretur constantia* &c. Et post *jubetur*, inserit; *& à quodam parente Christiano in eodem loco sepelitur.* De Susanna, eadem ferme habet quæ HAGENOYEN. In Gaugerico, pura est. De Taurino, ut ANTVERP-MAX &c. *Parisius, translatio Coronæ spineæ Domini nostri. Treveris in majori ecclesia, translatio capitis sancti Matthiæ Apostoli.*

De Tiburtio. Transl. Coron. spin. Translat. cap Matthiæ Ap.

GREVEN. *Cromatii Urbis præfecti, patris sancti Tiburcii cum aliis multis. Qui, ut Ado, consilio Gaii Pontificis, immanitatem persecutionis declinantes, in Campaniam profecti, per multas tribulationes regnum Dei introierunt. Apud Aquilegiam, sancti Cromacii episcopi & confessoris, ad quem exstant B. Hieronymi quædam epistolæ. Secundum Cathalogum Sanctorum, hic evigilatio vel inventio septem Dormientium, apud Ephesum. Treveris, in majori ecclesia* &c. ut supra.

Cromat. &c. Chromat. ep. Evigilat. & Dormient. Decap. Mat.

MOLAN. De Susanna ex Adone aliis literis textui admisçet: *Ejus corpus collegit Serena Augusta noctu, & manibus suis cum linteaminibus & aromatibus ornavit; sanguinem vero martyris, qui effusus fuerat, in loco domus suæ velamine detersit, & posuit in capsa argentea in palatio suo, ubi die noctuque, furtivis orationibus semetipsam Domino effundebat.* Item de Gaugerico: *Qui* XXXIII *annos Cameracorensem rexit ecclesiam & vitæ sanctitate conspicuus extitit, & clarus miraculis in pace quievit.* Tum in fine: *Parisiis, susceptio sacræ spineæ Coronæ* &c. fere ut MUNERAT. *In Sarchinio, translatio corporum, sanctorum Trudonis & Eucherii confessorum Christi. Ipso die elevatio eorumdem sanctorum, quæ facta est solemniter a domino Rodulpho, Leodiensi episcopo.*

De Susanna. De Gauger. De Cor. spin. De Trudone & Eucherio.

De Taurino Hæc eadem omnia referunt quoque posteriores editiones, in quibus præterea aliis etiam typis de Taurino attexitur: *Quem beatus Dionysius ordinavit, & eidem urbi episcopum destinavit.* Ubi advertis resciſſa esse, quæ de glorioso Taurini martyrio alii codices certatim adjunxerant.

Pridie Idus. *Die* 12.

Eupli. IN Sicilia civitate Cathina, natalis sancti Eupli diaconi, sub Diocletiano & Maximiano Augustis, qui cum diutissime pro confessione Domini torqueretur, tandem martyrii palmam gladio cædente percepit. *Hilariæ & aliorũ.* Apud Augustanam urbem, sanctæ Hilariæ matris sanctæ Afræ martyris, quæ cum ad sepulchrum illius excubaret, ibidem pro fide Christi à persecutoribus igni tradita est, cum Digna & Eumenia & Euprepia. Passi sunt item eodem die in præfata civitate Quiriacus, Largio, Crescentianus, Nimmia, Juliana cum aliis viginti. *Graciliani & Feliciss.* Item urbe Falari, passio Graciliani & Feliciſſimæ virginis, quorum ora primum pro Christo lapidibus contusa, dehinc gladio percussi, optatam martyrii susceperе coronam. *Macarii & Juliani.* In Siria, sanctorum Macharii & Juliani.

Soli *Herinien. Greven.* & *Molan.* omnino puri sunt.

VARIA LECTIO. Male ab Herinien. scribitur *Sycilia*, male à Greven. *Cathyna*; nec bene in textu *Cathina*, vel *Catina*, his tamen modis, & primo præsertim, legunt omnes, alibi paulo melius *civitate Cathanensium*. *Eupoli* habet Greven. & sic est etiam in Hieronymianis. Posui *Hilariæ* cum Greveno & Molano. Herinien. habet *Hilaræ*, alii *Hylaræ* & *Hylariæ*. Sequens constructio, *Passi sunt item eodem die in præfata civitate*, Usuardina est, ut infra ostendam. Molan. neglexit particulam *item*; Herinien. autem scripsit, *in præfata urbe*. Recte expressa sunt quinque martyrum nomina, quidquid codices aliqui varient, inter quos Molan. legit *Nymmia*. Idem pro *Falari*, substituit *Phalari*; neutrum forte convenit, ut censet Baronius. Nescio an id adverterint codices aliqui, qui palæstram expunxerunt. *Quorum ora primum* &c. omnibus commune est, Molan. transposuit, *quorum primùm ora*. Rursus Molan. cum Greven. & aliis discrepant, legentes, *optatam martyrii susceperе palmam*. Herinienſi subscribunt plerique in, *optatam martyrii susceperе coronam*, ut est in textu. De *Siria* & *Macharii*, alibi dictum est.

Eupli. *OBSERVATIO.* De *Euplo*, *Euplio*, vel *Eupolo* agunt Kalendaria Allatii & Frontonis, ac Martyrologi passim omnes post Hieronymiana, in quibus sociæ adjunguntur *Nericia* & *Veneria*, reliquis omnibus incognitæ, imo Actis ipsis, quæ laudata & expensa invenies tomo 1 Februarii pag. 598, ubi à Bollando in exemplum adducuntur, ex quo liberiores Metaphrastis interpolationes dignosci queant. Egregium thesaurum primus effodit Baronius, publicique juris fecit in Annalibus ad annum CCCIII à num. 146, ex quo accepere Surius & novissime Ruinartius inter selecta à pag. 437, præmissa admonitione, additisque observationibus, suo tempore usui futuris, cum editione Græca à Cotelerio procurata. Porro ex laudatissimis illis Actis succinctum elogium texuit Beda, prolixius Ado; utrumque, ni fallor, vidit Noster, suaque inde decerpsit. Nec Wandelbertus illustrissimum martyrem præteriit, hoc eum versiculo honorans:

Martyrii palmam pridie capis Euple perennem.

Hilariæ & aliorum. Quæ de *Hilaria* subjiciuntur, proprie Adoniana sunt, ex Actis S. Afræ, de quibus supra egimus, desumpta, & ab Usuardo ex Adone ad verbum descripta, sic ut proinde nulla subsit difficultas. At non ita promptum est decernere, quid sibi velit commemoratio tertia in codice Pratensi evidenter corrupta, teste Clar. Castellano, qui in prætenso illo autographo deprehendit, erasa fuisse verba omnia inter *Euprepiæ* & *Quiriacus*, ibique substituta hæc, pressius dispositа: *Eod. die passi st Romæ sub præfecto Pertinace.* Qua in mutatione, Pratensi de more adstipulantur Antverp-major & Rosweyd. At ex reliquis omnibus certissima videtur Usuardi lectio. Quæri posset an vera? An non ab ipso (ut forte quis volet) ab ipso, inquam, Usuardo correcta? Quid de his sentiam, in præfatione abunde explicui. In medio sunt sanctæ Afræ Augustanæ Acta à Marco Velsero notis illustrata, quæ

quæ ſi præ oculis habuit Uſuardus, non potuit non ſcribere prout eſt in textu. Si dicas Hieronymiana ipſum conſuluiſſe VIII Auguſti; jam dies tranſponit, imo duas claſſes confundit, & forte etiam tertiam, quæ in prædictis Hieronymianis anonyma ponitur VII Auguſti. Salebras hîc video & præcipitia, quæ explanare non ſatis obvium erit, niſi martyres quinque & viginti noſtri Auguſtani à totidem Romanis ex parte fere ſynonymis (de quibus ad VII Auguſti) diſtinguantur. Legat curioſus indagator ea quæ notavit Florentinius citatis illis diebus VII & VIII Auguſti. Nos reliqua ad majus Opus rejicimus, nihil interim dubii de Uſuardi mente, ſive is vera ſcripſerit, ſive erronea. Atque hactenus fontes quidem eruimus; verum unde *Gracilianus* ille aliis *Gratilianus* & *Felicissima* in laterculum tranſierint, prorſus ignorare me fateor, indubitata tamen eſſe ipſius Uſuardi verba codicum omnium conſenſus apertiſſimè evincit. Quæ ſit ea *Falaris ſima.* vel *Falare*, videndum in Notationibus Baronii. Actis ſubinde perpenſis, videor poſſe conjicere, Uſuardum ea vidiſſe, quæ apud nos exſtant Mss. non una, quorumque ſpecimen habes ad XV Maii tomo 3 pag. 458, in *Eutitio.* Sola nota *anni quarti Claudii*, ab omnibus conſtanter ſignata, viſa eſt Tillemontio tomo 5 pag. 126 intolerabilis. Non deſunt alia, prudenti examine ſuo loco ſubigenda. *Macarius* & *Julianus* ab Hieronymianis, Romano parvo & Adone laudantur. Ex poſtremo totidem verbis acceptos credimus: Notkerus Hieronymianorum verba tranſcribere maluit. De his duobus ultimis nihil hactenus reperi.

Graciliani & Felicissimæ.

Macarii & Juliani.

AUCTARIA.

PRATEN. ANTVERP-MAJ. & ROSWEYD. Habent eam mutationem, de qua dixi ſuperius in Obſervatione.

ROSWEYD. Præterea in fine ſubdit: *In Aquitania, ſanctæ Radegundis virginis.* Vide Uſuardum die ſequenti.

Radegundis.

PULSANEN. In prima & ultima annuntiatione purus, intermediis omnibus caret.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Toto textu ſatis puri, in eo deficiunt, quod penultimam annuntiationem contrahant, hoc modo: *Item, paſſio Graciliani & Feliciſſimæ virginis.*

MUNERAT. Sive amanuenſis ſive typographi vitio connectit diſparata, nam poſt, *cum aliis viginti*, immediate ſubjicit: *Quorum ora primum pro Chriſto* &c. omiſſis iis, quæ erant interponenda, nempe: *Item urbe Falari, paſſio Graciliani & Feliciſſimæ virginis.*

ANTVERP-MAX. Poſt *Euprepia*, ex Adone attexit; *quæ fuerunt puellæ ſanctæ Afræ.* De Graciliano & Feliciſſima omittit poſitionem, ſeu locum certaminis. In fine autem: *In Aſſiſio civitate, natale beatæ Claræ virginis.*

Claræ.

ULTRAJECT. LEYDEN ALBERG. & DANIC. Incipiunt: *In Aſſiſio civitate, natale beatæ virginis Claræ. Quæ beati Franciſci prædicationem audiens, & pœnitentiam videns, facta eſt ejus filia ſpiritualis, & ſanctæ primiceria paupertatis. Hæc Ordinis pauperum dominarum fundamentum & gloria, omnis perfectionis ſpeculum extitit & lucerna.* De reliquo ſimiles ſunt ANTVERP-MAX. Sed ALBERGEN. aliis defectuoſior, in penultima habet hoc ſolum: *Item paſſio ſanctorum Graciliani & Feliciſſimæ virginis.*

De eadem.

LOVANIEN. In prima purus, omiſit elogium Hilariæ & reliqua eo ſpectantia. De Graciliano &c. ut ANTVERP-MAX. Item in fine de Clara.

CENTULEN. *In Sicilia civitate Catinas, paſſio ſancti Eupli diaconi & martyris, tempore Diocletiani ſub judice Calvitiano. In Syria, ſanctorum Macarii & Juliani. Eodem die, ſancta Hilaria matris ſanctæ Affræ, quæ paſſa eſt per ignem cum Digna, Eumenia & Euprepia. Civitate Falaret, paſſio ſanctorum Graciliani & Feliciſſimæ Virginis.*

Textus mutatus.

BRUXELLEN. In *Eupli*, quem *Empli* vocat, nonnihil interpolatus eſt. In Hilaria, ut ANTVERP-MAX. Sequitur: *Romæ, ſanctorum Criſanti & Dariæ virginis. Qui cum nullo genere tormentorum læsi poſſent, jubente Numeriano tandem pro Chriſto terra & lapidibus obruti ſunt.* Agunt de iis hodie Hieronymiani. Coluntur in Romano XXV Octobris; Noſter eos refert 1 Decembris. In Graciliano & Feliciſſima; in Macario & Juliano purus eſt. Tum: *Apud Aſſiſium civitatem, depoſitio ſanctæ Claræ virginis. Quæ fuit filia ſpiritualis primogenita beati Franciſci; paupertatis & omnis perfectionis ſpeculum & lucerna. Apud Montes Hannoniæ, tranſlatio beatæ Waldetrudis electæ, & neptis beatæ Gudilæ.* Vide III Februarii & XXVIII Martii.

Chryſanthi & Dariæ.

De Clara.

Tranſlat. Waldetrudis.

HAGENOYEN. In tribus primis, non niſi modice interpolatus, ſic proſequitur: *Item paſſio ſanctarum Graciliana & Feliciſſimæ virginum.* De Macario & Juliano, pure. In fine de ſancta Clara, ut ANTVERP-MAX. &c.

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. *Item paſſio ſancti Graciliani & Feliciſſimæ virginis.*

MATRIC CARTUS. ULTRAJECT. *Claræ virginis de Ordine Minorum. Hilariæ martyris cum aliis tribus. Quiriaci, Largionis, Creſcentiani cum* XXII *cum al. ſoc. martyribus. Graciliani & Feliciſſimæ martyrum.*

Claræ.

Hilariæ cum al. ſoc.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt Graciliani & Feliciſſimæ. Neſcio an reliqua pura ſint.

ALTEMPS. *Eodem die, ſancti Ethelwodi.* Vide I Auguſti. *Civitate Cantuaria, ſancti Lamberti archiepiſcopi & confeſſoris.*

Ethelwoldi.

Lamberti.

FLORENTIN. *In civitate Aſſiſii, natale ſanctæ Claræ virginis. Quæ fuit prima planta Ordinis pauperum dominarum, quæ & vita & miraculis claruit. Migravit ad Dominum, anno Domini* MCCLIII.

De Clara.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Colonia Agrippina, commemoratio ſanctæ Urſulæ reginæ & ſodalium ejus undecim millium virginum in eccleſia earumdem.* In Euplo pura eſt. Sequitur: *In Aſſiſio civitate, natale beatæ Claræ virginis* &c. ferme ut ſupra ANTVERP-MAX. Tum: *Apud Auguſtanam urbem, ſanctæ Hilariæ, matris ſanctæ Afræ martyris. Quæ cum ſancto Dionyſio fratre ejus & pluribus aliis, beatam Aſram ſepeliſſent, & ad ſepulchrum ejus occubarent, ibidem comprehenſi, & dum idolis immolare nollent, à perſecutoribus igni traditi ſunt cum beata Digna, Eumenia & Euprepia, quæ fuerant puellæ ſanctæ Afræ, & ibidem omnes ſimul honorifice*

De Urſula.

De Clara.

De Hilaria.

norifice ſepultæ. *Paſſi ſunt* &c. *Civitate Salari, paſſio ſanctorum Grasiliani & Feliciſſimæ virginis.* In ultima poſt *Juliani*, addit *confeſſoris.* Denique ſubdit: *Eodem die, ſancti Vuiberti confeſſoris.*

Wiberti. GREVEN. infra ſcribit *Wiberti.*

BELIN. In textu non omnino purus, Auguſtanis immediate ſubnectit: *In Syria, ſanctorum Machari & Juliani.* Deinde: *In civitate Aſſiſii,*

De Clara *ſanctæ Claræ virginis, primæ plantæ Ordinis pauperum dominarum, quæ vita & miraculis claruit. Item urbe Falario, paſſi ſancti Gratiani & Feliciſſimæ virginis.* Lege ut habent alii ſupra.

GREVEN. *Eodem die, Porcari abbatis monaſte-*

Porcarii &c *rii Lirinenſis & martyris, cum ſociis monachis quingentis, ſub Geiſerico Wandalorum rege pro fidei veri-*

Wiberti. *tate coronatis. Item Wiberti confeſſoris. Apud*

De Clara. *Aſſiſium, tranſitus beatæ Claræ virginis. Quæ cum eſſet annorum* XVIII, *relicto ſeculo, nuptiarumque copula, immortali ſponſo Chriſto per ſanctum Franciſcum conſecrata, Ordinis pauperum dominarum fundamentum, gloria & regula, omniſque perfectionis ſpeculum facta eſt. Tandem, in ſancto propoſito exactis* XLII *annis quievit, miraculis multis coruſcans. In Praga Bohemiæ, ſanctæ Agnetis virginis.* *Agnetis.*

Apud Coloniam Agrippinam, commemoratio ſecunda beatæ Urſulæ reginæ, & ſodalium *De Urſula.*

ejus undecim millium virginum in eccleſia earumdem. Hæc Coloniæ propria ſæpe repetuntur. *De Clara.*

MOLAN. *In civitate Aſſiſio, ſanctæ Claræ virginis, primæ plantæ Ordinis pauperum dominarum,* *Aglibertæ.*

quæ vita & miraculis claruit. Iotro monaſterio, ſanctæ Aglibertæ abbatiſſæ. *Porcarii.*

Eodem die, Porcarii abbatis &c. ut ſupra GREVEN. Vide Acta apud Surium. In editionibus aliis, initio aliis litteris præfigit, quæ de Clara prius in fine poſuerat. Hìc autem, ſic ſcribit: *Eodem die, Porcarii abbatis monaſterii Lirinenſis & martyris. Iotro monaſterio, ſanctæ Aglibertæ abbatiſſæ.* *Photii &* *Aniceti.*

Die duodecima, ſanctorum martyrum, Photii & Aniceti. Monti- *Tranſlat.*

bus Hannoniæ, tranſlatio ſanctæ Vualdedrudis. *Waldedrud.*

Idibus. *Die* 13.

Hippolyti. ROmæ, beati Ypoliti martyris, qui pro confeſſionis gloria, jubente Valeriano præſide, ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, ſic per cardetum & tribulos tractus emiſit

Concordiæ & aliorum ſpiritum. Paſſa eſt etiam Concordia nutrix ejus, quæ ante ipſum plumbatis cæſa martyrizavit: & alii decem & novem de domo ejus,

Caſſiani. qui ſimul decollati ſunt. Eodem die Foroſillæ, natalis ſancti Caſſiani, qui cum adorare noluiſſet, vocatis pueris, quibus docendo exoſus fuerat, data eſt facultas eum perimendi, quorum quanto infirmior erat manus, tanto graviorem martyrii pœnam dilata morte faciebat.

Radegund. Pictavis, ſanctæ Radegundis reginæ, cujus vita virtutibus & miraculis latè claruit.

Conſonant codices ferme omnes, *Praten. Herinien. Antverp-major, Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.* Accedunt *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danicus.*

VARIA LECTIO. Solus Molan. recte *Hippolyti*: Praten. *Hippoliti*; Greven. *Hipoliti*, Herinien. *Ypoliti*: reliqui omnes cum Hieronymianis, ut eſt in textu hîc, & XXX Januarii. Antverp-maj. *qui confeſſionis* &c. omiſit *pro.* Roſweyd. *ligatis pedibus .... ſic per cardos*, pro *carduos*, ut habet Beda: *Cardetum* ſcribunt omnes, Ado *Carduetum*, neutrum placet. *Equorum indomitorum*, eſt in Antverp. majore. De *Concordia* legunt Greven. & Molan. *quæ ante plumbatis cæſa martyrium ſumpſit*; Roſweyd. & Munerat. ultima etiam mutant *martyrizata eſt*; Antverp-max. cum reliquis, *migravit ad Dominum.* Rurſus hi omnes cum Antverp. & Max-Lubec. habent, *qui ſimul cum eo decollati ſunt.* Sed aliter invertunt Greven. & Molan. *decollati ſunt ſimul & alii decem & novem de domo ejus.* Antverp-maj. pro *& alii*, male legit *& alios. Foroſillæ* voce unica ſcribunt omnes, excepto Molano, qui recte diſtinguit *Foro Syllæ.* Roſweyd. turpiter mutat *die*, in *ſanctæ; eodem S. Foroſillæ.* Antverp-max. cum ſuis legit, *Caſſiani epiſcopi & martyris*, Roſweyd. ponit, *exoſus fuerat factus*, Greven. & Molan. *exoſus factus fuerat.* Item *perimendi eum*, pro quo Antverp. & Max-Lubec. *eum puniendi.* Antverp-maj *facultas data eſt eis*; Munerat. *data eis facultas*, & poſt, *dilatata morte faciebant.* Omnia hæc in textu ſimplicius. Greven. & Molan. legunt: *Pictavis, depoſitio ſanctæ Radegundis reginæ, cujus virtutibus & miraculis late claruit vita.* Vox *depoſitio* eſt etiam in Antverp. Max-Lubec. Antverp-max. &c. In duobus primis, deeſt *late*, pro quo Munerat. ſuppoſuit *luce*; legens, *depoſitio ſanctæ Eradgundis.*

Hippolyti & ſociorum OBSERVATIO. Inter illuſtres Eccleſiæ martyres plane numerandus eſt *Hyppolytus*, in vetuſtiſſimis Kalendariis & Martyrologiis omnibus laudatiſſimus; quidquid de Actorum ejus veritate eorumque cum alterius presbyteri Hippolyti martyris Oſtienſis iden-

identitate ex Martyrologorum confusione merito disputetur. Hieronymiana id rursum peculiare habent, quod socios & quidem expressis nominibus ei conjungere videantur, quorum nulla apud reliquos mentio. Placuit Usuardo Bedæ encomium, quod ab ipso ex longiori Adonis historia elegantius contrahi non potuisset, servatis plerisque Actorum ibi relatorum verbis. Dubium hinc suboriri natum est, an verè elogium istud Bedæ tribuendum sit. At cum idem & Rabanus referat, facile tollitur quidquid prima fronte difficultatis occurrit. Notkerus Adoni quam Bedæ conformior est, errans tamen in numero eorum, qui de Hippolyti familia passi dicuntur. Atque hîc saltem clare innuit Florentinius, Notkerum sua, de more, ex Adone accipere, quod alibi toties & manifestius observare potuisset. Hæc quidem deinuo satis plana sunt, quantum instituti hujus ratio postulat; notandum tamen, quod principio innuimus, Hippolytos hîc duos à Martyrologis nostris confundi, dum *Concordia* nutrix vocatur &c. Itaque illustris & toties celebratus martyr, is ipse est, de quo ad xxx Januarii diximus, isque idem verosimillime, qui à Prudentio celebratur, Novatiano schismati aliquando implicitus &c. De quo vide Ruinartium inter sincera à pag. 155, ac Tillemontii notam tomo 3 pag. 675 & alibi. Alium tamen etiam Laurentii socium recolimus, quem in Actis operosius ab Hippolytis aliis secernemus.

Pro textus simplicitate, ut supra dicebamus, hæc satis plana sunt. Sed quid facias, quem Hieronymiana (si quidem de hoc Cassiano loquantur) inter Hippolyti socios collocant; Beda item & post eum Rabanus, diserte *Romæ* tribuunt: contra vero, Romanum parvum, Ado, Notkerus, orthographiâ deficiens, & alii *Foro Syllæ*, hodie *Imolæ*, estque ipsa Prudentii poëtæ sententia; quam vide apud Ruinartium pag. 593, vel prosa expressam apud Surium hoc die. Adde quæ diligenter observat Tillemontius tomo 5, pag. 531 & pag. 794. Notat aliqua Baronius, quæ rem componere queant; nisi difficultas augeretur ex *Cassiano Tudertino* episcopo & martyre, in Romanum modernum inserto, quem malunt alii à priori non divellere: nos hujusmodi difficiliores disquisitiones ad proprium locum exigendas remittimus. Certum est, Usuardum phrasim Adonis secutum, atque ex ejus elogio, quod apud Bedam, Rabanum & Notkerum idem prorsus est, suum contraxisse. *Radegundem*, ut plures alios tardius passim adjectos, memorant Hieronymiana, memorat Florus: quidni & ab Adone positam dicamus, licet à Rosweydo in appendicem rejecta sit? Ita censuit Mosander, magisque adeo in eam opinionem inducor, quod à Notkero consignetur. Utut est, potuit Noster eam, aliunde sibi satis notam, adnectere, cum brevi laudatiuncula omnibus sanctis feminis sive virginibus, sive conjugatis, sive viduis communi, ut ex textu patet, quem pure & plane Usuardinum esse, res ipsa loquitur. Radegundis vitam, à *Fortunato* & *Bandoninia* sive *Baudonivia* scriptam, vulgavit Surius, & novis curis sec. 1 Benedict. edidit Mabilio, variis notis illustratam. Cetera ex Gregorio Turonensi repetenda sunt. Observationi finem faciet metricum Wandelberti encomium de primo & ultimo textus, nostri Sancto: *Radegund.*

Idibus Hippolytum comitem Laurentius astris
Pro Christi parili recipit certamine passum.
Reginam meritis virtute fideque colendam
Tellus tum venerans Radegundem Aquitana frequentat.

AUCTARIA.

Textus mutilus. PULSANEN. *Romæ, beati Ypoliti martyris & sociorum ejus. Qui pro confessionis ..... & sic per cardetum & tribulos emisit spiritum. In civitate Modomulensi, in loco qui dicitur Forum Cornelienſe, natalis sancti Cassiani martyris.* Desunt reliqua omnia, ut sæpe hic codex mutilus esse solet.

Textus contractus. CENTULEN. *Romæ, passio Ypoliti martyris & Concordiæ nutricis ejus, cum aliis* XIX *decollatis. Pictavis, sanctæ Radegundis reginæ, cujus vita virtutibus & miraculis late claruit. Forosillæ, sancti Cassiani martyris.*

De Cassiano. BRUXELLEN. In Hippolyto modice interpolatus, de Cassiano, Adonem aut similem alium describit, hoc modo: *Eodem die, Foro Sillæ, sancti Cassiani martyris. Qui cum adorare ydola noluisset, interrogatus à persecutore, quod genus artis haberet; respondit, quâ pueros notas doceret. Et mox spoliatus vestibus ac manibus post tergum revinctis, statuitur in medio, vocatisque pueris, quibus docendo exosus factus erat, data est facultas eum perimendi. At illi quantum doluerant discentes, tantum se ulcisci gaudentes, alii eum tabulis buxis feriebant, alii subulis & stilis vulnerabant. Quorum quanto infirmior erat manus, tanto graviorem martyrii pœnam, dilata morte faciebant. Pictavis, depositio sanctæ Radegundis reginæ, quam in Thuringia captam Lotharius Francorum rex sibi conjugem sociavit; quæ post mutata veste, virtutibus & miraculis late claruit. Item sancti Wicberti abbatis.* *De Radegunde. Wicberti.*

HAGENOYEN. *Romæ, natale beati Ypoliti martyris & sociorum ejus decem & octo, de familia sua. Quem beatus Laurentius convertit ad fidem postquam vidit miracula, quæ fecit per eum Dominus. Hic postquam corpus Laurentii sepulturæ tradidisset, tentus est à Valeriano, & Decio præsentatus, nudatus est veste sua & fustibus cæsus, & cum non consentiret sacrificare ydolis, jussi sunt omnes de familia ejus* *De Hyppol. & sociis.*

capite truncari. Passa est etiam beata Concordia nutrix Ypoliti, ipso die, quando fustibus est cæsa ad mortem. Et ipse Ypolitus gratias Deo egit de fortitudine servorum suorum, & tunc Ypolitus tractus est per cardos & tribulos ab equis indomitis, donec spiritum emitteret. In Cassiano & Radegunde non nihil etiam interpolatus est.

DAVERONEN. *In pago Pictavensi, sancti Viviani* [an non *Juliani*, vel potius *Juniani?*] *abbatis cœnobii Nobiliacensis.* *Viviani, al. Juniani.*

MATRIC. CARTUS. ULTRAJECT. *Hyppoliti martyris* [qui] *per carduetum & tribulos tractus, emisit spiritum. Radegundis reginæ. Concordiæ, nutricis Hyppoliti & aliorum* XIX *de ejus familia. Cassiani martyris. Euplii martyris.* Ex die præcedenti huc translatus est. *Textus brevior.* *Euplii.*

FLORENTIN. *Mediolani, sancti Simpliciani episcopi, discipuli sancti Ambrosii. Hic composuit vitam & historiam sancti Zenobii episcopi Florentini.* Addit STROZZIAN. *Cujus vita extitit gloriosa, & sic in pace quievit.* *Simpliciani.*

EDITIO LUBECO-COL. In Hippolyto non multum differt ab HAGENOYEN. In Cassiano fere pura est. Tum: *In pago Pictano* [Pictavo] *sancti Juliani abbatis. Pictavis, depositio sanctæ Radegundis* &c. De ea satis dictum est. *Juliani, al. Juniani.*

BELIN. In textu non satis castigatus, adjicit in fine: *Eodem die, depositio sancti Simpliciani episcopi & confessoris.* Secunda editio rectius scribit, *Simpliciani.* Vide sequens Auctarium GREV. *Simpliciani.*

GREVEN. *Ipso die, Wichberti episcopi & confessoris. Potentiani* [an non *Pontiani?*] *episcopi. Mediolani, depositio beati Simpliciani episcopi & confessoris. Qui ob celebrem sanctitatis suæ famam, ex eremita senio confecto, beato Ambrosio succedens, sicut in vita solitaria Domino specialiter extiterat devotus, ita ad regimen ecclesiæ assumptus, sancti Ambrosii imitator extitit strenuus. In pago Pictavensi, sancti Juliani abbatis. Apud Mediolanum, translatio sanctorum martyrum Sisinnii, Martyrii & Alexandri. Item sancti Laudulphi. Ermendrudis virginis.* *Wichberti. Potentiani. Simpliciani. Juliani. Translat. Sisinnii &c. Laudulphi. Ermendrud.*

MOLAN. Aliis litteris de Cassiano textui inserit Bedæ vel Adonis verba: *Scribit hoc Prudentius poëta.* In fine de Radegunde subjicit: *A Fortunato presbytero descripta. Eodem die, depositio sancti Simpliciani episcopi & confessoris. Ipso die, sancti Laudulphi. In Germania provincia, natale sancti Wigberti presbyteri & confessoris.* Dein typis minoribus: *In Anglia, sancti Higbaldi confessoris, in Lindissi abbatis. De quo Beda in gestis Anglorum lib. 4 cap. 3. Eodem die, sancti Hariolphi, primi abbatis Elwangensis.* Editiones aliæ in textu vix differunt. In fine: *Ipso die, sancti Laudulphi episcopi Ebroicensis.* De Simpliciano & Wigberto, ut supra. Tum: *Die decima tertia, sancti patris & confessoris Maximi.* Demum, minoribus typis: *Eodem die, sancti Hariolphi* &c. ut est in priori editione. Vide Castell., qui pro *Hariolphi*, legit *Herulfi.* *Simpliciani. Laudulphi. Wigberti. Higbaldi. Hariolphi. Maximi.*

XIX *Kal.* *Die* 14.

Vig. Assumptionis. Eusebii. VIgilia Assumptionis sanctæ Mariæ. Romæ via Appia, natalis beati Eusebii presbiteri & confessoris, qui à Constantio Augusto, ob Catholicæ fidei defensionem, in quodam cubiculo domus suæ inclusus, ibique in oratione constanter perseverans, dormitionem accepit.

Codices puri sunt *Praten. Herinien. Antverp-major, Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Tota consistit in duabus codicum discrepantiis. Prima est, quod Antverp-major & Munerat. pro *Constantio*, male scribunt *Constantino*, quod sæpe alibi factum observavimus. Magis à reliquis discedit Grevenus, ejusque in hujusmodi variantibus perpetuus sectator Molanus. Uterque igitur principio ita enuntiant: *Vigilia Assumptionis Dei genitricis Mariæ.* Ex reliquis abunde constat Adonis & Usuardi lectio.

OBSERVATIO. A quo potissimum tempore celebrari primum cœperit, saltem in Galliis, *Vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ*, ex Adonis ætate omnino colligendum est, qui inter Martyrologos eam primus in sacros Fastos retulisse videtur; vetustioribus omnibus, ut sunt Hieronymiani, Romanum parvum, Beda, Florus, Rabanus, de ea plane tacentibus. Wandelbertus item de solo Eusebio meminit, ut post dicemus. Interim Usuardus æque ac Notkerus totidem syllabis sua ex Adone descripserunt. Atque hîc iterum monitos velim Romani parvi suggillatores, quam suis abducantur præjudiciis, dum Martyrologium illud ex Adone contractum importune contendunt, ubi & hoc & aliis diebus tam multa in Adone reperiunt, quæ Romani parvi auctori numquam nota fuisse manifeste patet. De *Eusebio* hoc nostro Romano nihil item memorant codices Hieronymiani, apud quos Eusebius quidem aliquis notatur, sed iis distinctus, aut, si ita vis, confusus characterisiticis, etiam *Titulo conditoris*, quæ alium à Romano hoc nostro demonstrent. Beda annuntiationem suam paucis circumscribit, ne positione quidem expressa: *Natale sancti Eusebii presbyteri.* Romanum parvum melius rem explicat: *Romæ, Eusebii presbyteri & confessoris, sub Constantio Arriano, sepulti in cœmeterio Callisti.* Plura ex Actis ejus colligit Ado, quæ nonnulla castigatione indigent, quemadmodum & ea quæ Rabanus Bedæ superaddidit. Videatur Baronius ad annum CCCLVII num. 45 ubi *Vigiliæ Assumpt. B. M. V.* *Eusebii.*

ubi de Clericorum, hinc reduci Romam Liberio, illinc Felici adhærentium, ſchiſmate plenius agitur, & in quo Euſebius partem non modicam habuiſſe videtur. Rurſus tomo 12 pag. 887 adduntur aliqua probabiliter huic Euſebio adſcribenda, ſed proprio loco cum ceteris examinanda. Notkerus Adonem ſequens Liberio etiam adverſatur, Euſebium inſuper *Epiſcopum* nominans. Noſter à controverſis quaſi ſtudio abſtinens, ſatis habet ea ex Adone decerpere, quæ egregium *Confeſſorem*, pro fidei integritate contra Arianos tuenda & paſſum & mortuum abunde exornent, ſic tamen ut martyris laurea nuſquam tribuatur, à qua etiam abſtinent Acta, prius à Mombritio tomo 1 pag. 258, deinde à Baluzio vulgata lib. 2 Miſcell. pag. 141, haud multum diſſimilia iis, quæ Adonis elogio continentur. Fatendum eſt, ut jam dixi, præfata Acta, nonnulla caſtigatione indigere, verum Tillemontius tomo 6 à pag. 776, & alii, Felicis Papæ II adverſarii, præter modum rem exaggerant, dum ſuſpecta habent, quæcumque Pontificis illius geſtis conſentanea ſunt, ut ſuis locis magis declarabitur. Interim antiqua Kalendaria Frontonis & Allatii, cum Gregorii Sacramentario, non alium Euſebium, quam hunc noſtrum laudare perſpicuum exiſtimo, quidquid Fronto duos Euſebios pag. 53 & 121 confudiſſe videatur, velitque *Euſebium Papam* fuiſſe *martyrem*; quod mirum, hîc à Tillemontio allegari, qui tomo 5 pag. 100, eam laureolam Papæ non tribuit. Huc refer notulam Motherii in nupera verſione Martyrologii Romani. Idem eſt Euſebius noſter, quem Wandelbertus hoc die canit:

Quæ decima & nona eſt Septembris ante Kalendas
Euſebium Romæ ſancit celebratque beatum.

AUCTARIA.

De Euſebio. R Osweyd. Deeſt Vigilia. Tum: *Natale beati Euſebii presbyteri & confeſſoris, Romæ via Appia. Qui à Conſtantio Auguſto ob Catholicæ fidei defenſionem, in quodam cubiculo domus ſuæ incluſus, ibique* &c. *Eodem die, in Batuenſi inſula vico Elſt, ſancti Werenfridi.* *Werenfridi presbyteri, qui à beato Willebrordo Trajectenſi epiſcopo, eidem genti prædicator tranſmiſſus, poſt beatæ prædicationis curſum in pace quievit in loco ſupradicto.* Vita exſtat apud Surium.

De Aſſumpt. Pulsanen. Sic incipit: *Vigilia Aſſumptionis ſanctiſſimæ Dei genitricis & Virginis Mariæ.* In Euſebio ſatis purus eſt

Demetrii. Antverp. Max-Lubec. & Ughellian. In textu puri, addunt: *In Africa, ſancti Demetrii.* Cum his conveniunt Albergen. & Danic. Eſt præterea in Romano moderno.

Werenfridi. Antverp-max. Ultrajectin. Leyden. & Lovanien. Idem etiam augmentum habent, ſed præterea adjiciunt: *Ipſo die, ſancti Werenfridi presbyteri & confeſſoris.*

Felicis & Fortunati. Centulen. *Vigilia Aſſumptionis ſanctæ Mariæ. Romæ, ſancti Euſebii presbyteri, qui factione Arrianorum martiſſimam* [vult dicere *in arctiſſimam*] *cuſtodiam mancipatus, diebus non paucis ibi maceratus, dormitionem accepit. Aquilegiæ, ſanctorum Felicis & Fortunati fratrum martyrum.* Vide Auctaria XIV Maii.

De Euſebio. *Gregorii.* *Demetrii.* Bruxelien. *Vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ, perpetuæ Virginis. Romæ via Appia, ſancti Euſebii presbyteri. Qui Conſtantium Auguſtum & hæreticum audacter arguebat. Unde ipſe diutinæ cuſtodiæ mancipatus & in cubiculo domus ſuæ incluſus, ibique in oratione conſtanter perſeverans, dormivit in Chriſto. Et ſancti Gregorii presbyteri & confeſſoris.* *In Africa, natale ſancti Demetrii.* Puto indicari ſuprà Gregorium, qui Euſebium ſepelivit.

De Euſebio. Hagenoyen. *Romæ via Appia, natale beati Euſebii presbyteri & confeſſoris, qui dum Conſtantium hæreticum imperatorem* [argueret] *& injuſte illum agere affirmaret contra epiſcopos & clericos orthodoxos, ab eodem Conſtantio pro defenſione Catholicæ fidei, ſeptem menſibus in cubiculo domus ſuæ, quæ erat quatuor cubitorum latitudinis, incluſus, ibique in oratione perſeverans, dormitionem accepit. In Hiſpania civitate Compluto, paſſio Juſti & Paſtoris fratrum* &c. De quibus actum eſt VI Auguſti. *In Africa, ſancti Demeriti.* Voluit dicere *Demetrii*, ut ſupra. *Juſti & Paſtoris.* *Demetrii.*

Matric-Cartus-Ultraject. *Euſebii confeſſoris. Vigilia. Vuerenfridi confeſſoris, patroni in Elſt, in Betua, diœceſis Trajectenſis.* *Werenfridi.*

Camberien. *Apud Aquileiam, decollatio ſanctorum Felicis & Fortunati fratrum.* Vide ſupra. *Felicis & Fortunati.*

Vatican. Num. 5949. Adjicit: *Natale ſancti Peregrini.* De eo nihil apud alios. *Peregrini.*

Florentin. *In Vicentia civitate, ſanctorum martyrum Felicis & Fortunati. Romæ, ſanctorum martyrum Hirenæi & Abundi, ſicut legitur in geſtis ſancti Hippolyti martyris. Quos ſanctus Juſtinus ſepelivit juxta corpus beati Laurentii martyris in agro Verano via Tiburtina, die vigeſimo poſt paſſionem ipſorum martyrum.* Vide XXVI Auguſti *Felicis & Fortunati.* *Iræneі & Abundii.*

Editio Lubeco-Col. *Vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis.* De Euſebio, poſt *domus ſuæ*, addit, *habente in latitudine pedes quatuor, incluſus, ibique in oratione conſtanter perſeverans, poſt menſes ſeptem felicem dormitionem ſuſcepit. Item Romæ, ſancti Gregorii presbyteri & confeſſoris. Hunc Conſtantius imperator, eo quod corpus beati Euſebii presbyteri ſepelierat, fecit in eamdem cryptam vivum includi, quem Oroſius presbyter noctu colligens ſemivivum, & emiſſo ſpiritu, ſepelivit eum juxta corpus beati Euſebii. In Africa, natale ſancti Demetrii epiſcopi & confeſſoris. In Elſt, depoſitio ſancti Werenfridi presbyteri & confeſſoris, qui ab Anglia cum ſancto Willibrordo veniens, uſque Batuam miſſus, novellum Chriſti populum in Elſt & Weſtervoert & in finibus illius fideliter rexit. Et infinitis miraculis clarificatus, tam in vita quam in morte, feliciter in Domino obdormivit, & miraculoſe in Elſt ſepultus fuit.* Vide miraculum in Greven. *De Euſebio.* *De Gregorio.* *De Werenfr.*

Belin. *Vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis.* In Euſebio ferme purus, in fine adjicit: *In Africa, ſancti Demecii.* Puto eſſe errorem typographi, legendumque cum ceteris, *Demetrii. In Vincentia, ſanctorum Felicis & Fortunati.* *Demetrii.* *Felicis &c.*

Demetrii. Fachna. DeGregorio. GREVEN. *In Africa, natalis ſancti Demetrii epiſcopi & confeſſoris. In Hibernia, Fachna,* [Fachnani] *epiſcopi. Romæ, beati Gregorii preſbyteri & confeſſoris. Qui cum corpus beati Euſebii unà cum Oroſio presbytero in cripta ſepeliſſent, titulo appoſito,* EUSEBIO HOMINI DEI, *Conſtantius imperator hoc audito, Gregorium in eadem cripta includi præcepit. Quem Oroſius ſemivivum noctu excepit, & poſt paululum defunctum, juxta beatum Euſebium ſepelivit. Item ſancti Felicis. De-* *DeWerenfr.* *poſitio ſancti Werenfridi presbyteri & confeſſoris. Qui cum ſancto Willebrordo Trajectenſi epiſcopo de Anglia veniens, Batuam inſulam vetuſtis purgavit erroribus, ſolliciteque gubernavit, multis in vita pariter & poſt mortem clarus miraculis. Sacri etiam corporis ejus gleba, cum de ipſa populi diſceptarent, navi ſine regimine impoſita, angelico ductu ad ulteriorem ripam tetendit. Ubi iterum vaccis plauſtro ſubjunctis ſuperimpoſita, abſque humana directione, in locum, Elſt dictum, ubi nunc* *Euſeb. alt.* *placide quieſcit, perducta eſt. Euſebii confeſſoris, diſcipuli beati Hieronymi, natione Cremonenſis, qui poſt obitum Hieronymi, cum monaſterio illius laudabiliter præfuiſſet, & jam ſepulturæ traderetur, monachus quidam, qui oculos amiſerat, oſculato corpore ejus, viſum recepit.*

MOLAN. De Euſebio ex Adone adjicit : *De Euſebio.* *Cujus corpus collegerunt Gregorius & Oroſius preſbyteri & ſepelierunt in crypta juxta corpus beati Sixti epiſcopi & martyris, via Appia in cœmeterio Calliſti, ubi & titulum ipſius ſcribentes, poſuerunt ita :* EUSEBIO HOMINI DEI. *Audiens autem Conſtantius, quod Gregorius & Oroſius ſepeliſſent corpus beati Euſebii ; in eadem crypta, ubi illud condiderant, præcepit vivum includi Gregorium. Hunc ſemivivum nocte Oroſius excepit inde, & poſt paululum defunctum, juxta corpus ſancti Euſebii ſepelivit : factaque eſt graviſſima perſecutio in Catholica Eccleſia ab Arianis, ſedem Apoſtolicam tenente Liberio. In Africa, ſancti Demetrii. In Vincentia, ſanctorum Felicis & Fortunati. Item Vuenenfridi, presbyteri & confeſſoris, cujus corpus in Ducatu Ghelriæ, in vico, qui dicitur Elſte, requieſcit.* Dein typis minoribus : *Item ſancta matris noſtræ Athanaſiæ, cujus vita & inſtitutio ac miracula habentur in Simeonis metaphraſi, a quodam viro pio narrata, qui partim ea vidit, partim à mulieribus, ipſius matris familiaribus, audivit.* Aliæ editiones de Euſebio & Demetrio eadem repetunt. Ibi rectius ſcribitur *Vuerenfridi* & *Gheldriæ*. Demum minoribus typis ſubditum : *Hic prædicator egregius, verſus Batuam miſſus, novellum Chriſti populum in Elſ & Vueſtervoirt & in finibus illis feliciter rexit.* Vide plura in Auctario GREVEN. *Item ſancta matris Athanaſiæ.* Videatur ejus vita apud Surium.

Demetrii. Felicis &c. Werenfridi.

Athanaſiæ.

XVIII *Kal.* *Die* 15.

Dormitio-nis B.M.V. DOrmitio ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus ſacratiſſimum corpus etſi non invenitur ſuper terram, tamen pia mater Eccleſia venerabilem ejus memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis, eam migraſſe non dubitet. Quo autem illud venerabile Spiritus ſancti templum nutu & conſilio divino occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quam aliquid frivolum & apocriphum, inde tenendo docere. Romæ via Appia, ſan-

Tharſicii. cti Tharſicii acoliti & martyris, qui cum deferret quodam die Chriſti corporis Sacramenta, & nec vellet ea diſcutientibus prodere paganis, tam diu eſt fuſtibus & lapidibus maceratus ab eis, quouſque exhalaret ſpiritum.

Ita *Praten. Herinien. Antverp-major, Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Solus Molan. pro *ſacratiſſimum*, ſubſtituit, *ſanctiſſimum*. Item cum Greven. ſcribit *inveniatur*. Item, *quatenus pro conditione*, ubi ceteri omnes, *ut pro conditione*. Munerat. pro, *Quo autem* &c. legit, *Quod autem*. Antverp-major habet, *plus elegit ſobrietas cum pietate*, alii melius, *ſobrietas Eccleſiæ*. Relîqui in textu *apocriphum* ex Praten. & Greven. Plerique alii *apocrifum*, ſolus Molan. recte, *apocryphum*, ſed cum Greveno omittit ſequentem particulam *inde*. Variant in ſequentis martyris nomine, aliis *Tharſi*, aliis *Tarſicii*, aliis *Tharſitii* ſcribentibus; nos cum Herinien. Munerat. & aliis communius *Tharſicii*. In *acoliti*, ſecuti ſumus lectionem Antverp-majoris & Greven. Alii habent *accoliti*, paulo melius Molan. *acolyti*. Pro *diſcutientibus*, in Antverp-maj. eſt *decutientibus*. In Munerat. deeſt *paganis*. In Greven. & Molan. omittitur particula *et*, ſenſu quidem nitidiori, ſed textui non conformi. De *exalaret* alibi dictum eſt.

OBSERVATIO. Kalendariorum jam ſæpe citatorum Allatii & Frontonis una eſt de hodierno feſto ſententia: *Solemnia de pauſatione S. Mariæ*: Sacramentaria *Aſſumptionem* enuntiant: at *Sanctæ Mariæ dormitio* iiſdem hodie terminis exprimitur à Beda & Romano parvo & Adone, tametſi hic pridie diſertiſſime legerit, *Vigiliæ Aſſumptionis*. Rabanus Bedam

...ormition. B.M.V.

Bedam deſcribere ſolitus, hîc tamen poſuit, *Aſſumptio ſanctæ Mariæ*, quo modo etiam ex Lucenſi ſuo refert Florentinius: nam Corbeienſis Acherii, ſecundo loco ſcripſit: *Et Aſſumptio ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri*; ſilente ad hæc vetuſtiſſimo Epternacenſi. Quam multa de *Aſſumptione* & *Dormitione, morte* & *reſurrectione* ultro citroque pridem diſceptata ſint à Baronio, Gretſero, Florentinio; recentius à Jolio, Launoyo, Billiado, Lambecio; atque etiam à recentiſſimis Tillemontio tomo 1, Caſtellano ad XVI Januarii, aliiſque, non eſt hujus loci pluribus proſequi. Hoc ſummopere miror, fuiſſe qui nuperrime confidenter aſſereret, hîc ſaltem clare pateſcere, Uſuardum & Adonem ſeſe mutuo non tranſcripſiſſe (*ſans qu'on puiſſe dire pour cette fois que l'un l'ait pris de l'autre.*) Sic ille ex Tillemontio pag. 477, cum forte nuſquam evidentius demonſtretur oppoſitum. Videat curioſus lector Adonis feſtivitates Apoſtolorum, annuntiatione omnium ultima, VI Idus Septembris, oculoſque teſtes advocet, an quidquam afferat Uſuardus, quod ex Adone ad verbum non tranſumpſerit, iis hinc inde reſciſſis, quæ paſſim aut conſulto, aut brevitatis cauſa, intacta reliquit. Quæ Notkerus fuſius diſputat, nihil ad nos attinent; nec illam quæſtionem ventilare lubet, cur in Hieronymianis beatiſſimæ Virginis *depoſitio* XVIII Januarii conſignata ſit. Apud alios diebus aliis fontes Uſuardi attigimus, & hoc ad rem noſtram ſatis; qui plura cupiunt, conſulant laudatos ſcriptores; caveant tamen, ne cum Lambecio, in ſacro itinere Cellenſi pag. 31, ea Uſuardo tribuant, quæ poſtmodum adjecta ſunt, ut in Auctariis videre licebit, ex codicibus Ultrajectino, Leyden. & aliis. Unum notare non pigeat, famoſam illam de Uſuardi verbis controverſiam, tanta contentione ab annis quadraginta & amplius Pariſiis agitatam, ad Adonis auctoritatem primitus fuiſſe revocandam. Supereſt elegans diſtichum, quo triumphabundam Deiparam proſequitur Wandelbertus:

Octava & decima, mundi lux floſque Maria,
Angelico comitata choro petit æthera Virgo.

Alterius annuntiationis noſtræ fundamentum ſic ſternit Romanum parvum: *S. Tharſitii acolythi & martyris.* Eum antiquiores non memorant. Ado elogium ſatis nitidum concinnavit, quod deſcripſit Notkerus. Uſuardus vero non omnia quidem ſumpſit, ſed nihil habet, quod non inde verbatim acceperit. Sunt itaque & Adoniana & plane Uſuardina, quæcumque in hodierno hoc noſtro laterculo continentur. Tharſicii certamen deſcribitur in Actis S. Stephani Papæ, de quibus nihil hîc dicendum ſupereſt. Vide Tillemontium tomo 4, pag. 32. *Tharſicii.*

AUCTARIA.

De Aſſumpt. ROSWEYD. Incipit: *Dormitio ſive Aſſumptio ſanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ.* Sequuntur reliqua ſatis pure. Pro Tharſicio nomen aliud ſubſtituit, ſic legens: *Natale beati Euticiani presbyteri* &c. ut in textu.

PULSANEN. *Aſſumptio glorioſiſſimæ genitricis* *De Aſſumpt.* *Domini noſtri Jeſu Chriſti & perpetuæ Virginis Mariæ.* Cetera bene: ſed deeſt Tharſicii.

ANTVERP. & MAX LUBEC. *Aſſumptio ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ*, expunctis reliquis. Tum de Tharſicio fuſius ex Adone his *De Tharſicio* verbis: *Eodem die, ſancti Tarſicii acoliti & martyris. Quem cum pagani inveniſſent, Sacramenta corporis Chriſti portantem, cœperunt diſquirere quid gereret. At ille indignum judicans porcis margaritas prodere, tamdiu eſt mactatus fuſtibus & lapidibus, quouſque ſpiritum exalaret. Et revoluto ejus corpore ſacrilegi diſcuſſores, nichil Sacramentorum Chriſti in ejus manibus aut veſtibus invenerunt. Chriſtiani autem corpus martyris collegerunt, & in cimiterio Calixti via Appia ſepultus eſt.*

ANTVERP MAX. *Aſſumptio ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ* (*vel ſecundum Cathuſienſes ex Martyrologio ſancti Hieronymi*) *Dormitio ſanctæ Dei genitricis, cujus* &c. *Romæ via Appia, in cimiterio Calixti, natale ſancti Tharſicii acoliti & martyris. Quem cum pagani inveniſſent* &c.

LOVANIEN. Simpliciter: *Aſſumptio ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ. Cujus ſacratiſſimum corpus etſi* &c. Eſt in reliquis præcedenti ſimilis.

ULTRAJECTIN. LEYDEN. ALBERG. & DANIC. Sic incipiunt: *Aſſumptio ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ. Ad cujus venerandas exequias,* *Plura de Aſſumpt.* *ſicut legitur in libro de divinis nominibus, princeps Apoſtolorum Petrus & alii Apoſtoli convenerunt. Affuit etiam Thymotheus, Areopagita Dyoniſius, & magiſter ejuſdem Dyoniſii Jerotheus, & quamplures alii viri ſancti, divinam proſequentes laudibus bonitatem.* Hæc ſunt quæ ſupra à Lambecio perperam Uſuardo tribui diximus. Ceterum cum textu pergunt, *cujus ſacratiſſimum corpus etſi non invenitur* &c. uſque ad finem, plane ut ANTVERP-MAX. &c.

CENTULEN. *Glorioſæ Dominæ Mariæ noſtræ, ſemper Virginis Dei genitricis felix & beata Dormitio. Cujus ſacratiſſimum corpus, etſi ſuper terram non invenitur, tamen pia mater Eccleſia venerabilem ejus memoriam peragit ſic feſtivam, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet.* *Textus mutatus.*

Romæ via Appia, ſancti Tarſicii acoliti & martyris. In Paleſtina, ſancti Euſebii martyris. *Euſebii.*

BRUXELLEN. *Aſſumptio beatæ Mariæ ſemper Virginis, matris Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ad cujus ſacri corporis ſepulturam & venerandas exequias, ſicut in libro de divinis nominibus legitur, beatus Petrus & alii Apoſtoli, ac quamplures viri ſancti convenerunt, divinam bonitatem laudibus proſequentes. Itaque pia mater Eccleſia ejus memoriam ſic feſtivam agit, ut conditione carnis eam migraſſe non dubitet, ſed an beatiſſima ejus anima, ſacro corpori reunita, an illo in terra relicto, cœlos* *Plura de Aſſumpt.*

transcenderit, plus elegit ſobrie neſcire, quam inde aliquid apocriphum firmando docere. Romæ via Appia in cimiterio Calixti, natale ſancti Thartii acoliti & martyris. Quem cum pagani &c. ut ſupra.

HAGENOYEN. Initio ponit: *Dormitio Dei genitricis Mariæ.* Deinde ULTRAJECTINO & aliis per omnia ſimilis, poſt, *tenendo docere*, hoc attexit: *Omnes tamen Doctores ſancti dicunt cum carne & anima aſſumptam in cælum, præter ſolum Jeronymum, qui nihil certi de ejus aſſerit Aſſumptione.* Propoſitio valde generalis eſt. *De Aſſumpt.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Aſſumptio glorioſæ Virginis. Tarſicii acolyti martyris. Arnulphi Metenſis epiſcopi & confeſſoris.* In margine autem monet: *Arnulphum quidam ponunt ſequenti die, & ſic erat poſitus.* Vide itaque textum noſtrum Uſuardinum die ſequenti. *Arnulphi.*

FLORENTIN. Pro Tharſicii, ſcribunt Tarſii.

EDITIO LUBECO-COL. In prima annuntiatione parum differt ab ULTRAJECT. &c. Et in Tharſicio etiam convenit. In fine: *In Paleſtina, ſancti Euſebii martyris, pro Chriſto decollati. Apud Nicomediam, paſſio ſanctorum Stratonis, Philippi & Euticiani ſociorumque eorum martyrum. In monaſterio Flechtdorp, adventus ſancti Landolini confeſſoris, qui prius per Karolum magnum in villam Boek à Gallis fuit tranſlatus.* Scribendum eſt *Landelini.* Vide totam tranſlationis, ſeu veræ, ſeu prætenſæ hiſtoriam in commentario prævio XV Junii à pag. 1062. *Euſebii. Stratonis & ſociorum. De reliq. Landelini.*

BELIN. *Aſſumptio ſanctiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ. Eodem die S. Tarſicii....* ut ANTVERP. & MAX-LUBEC.

GREVEN. *Romæ, Euthiciani presbyteri & martyris.* Puto Tharſicium indicari. *In Paleſtina, ſancti Euſebii presbyteri & martyris, pro Chriſto decollati. Nicomediæ, ſanctorum Stratonis, Philippi & ſociorum eorum martyrum. Sueſſionis civitate, ſancti Arnulphi epiſcopi & confeſſoris. Qui in Brabantia nobilibus ortus parentibus, omnia dereliquit: monaſterium ſancti Medardi juxta muros Sueſſionicæ civitatis ingreſſus; magnis virtutum exercitiis ſe exercuit. Factus deinde ejus loci abbas, atque ex abbate Sueſſionis epiſcopus, plenus operibus bonis quievit in pace. In monaſterio Flechtorp, adventus ſancti Landolini confeſſoris, de pago dicto Boeck, ubi per Karolum magnum tranſlatus erat. Item, ſanctæ memoriæ Altfridi epiſcopi Hildensheymenſis & confeſſoris, in Eſſendeno monaſterio quieſcentis.* *Eutychiani. Euſebii. Stratonis & ſociorum. Arnulphi. Advent. rel. Landelini. Altfridi.*

MOLAN. Aliis litteris, poſt *prodere paganis*, textui inſerit: *Indignum judicans porcis prodere margaritas.* In fine autem: *Et revoluto* &c. ut ſupra. *In Nicomedia, ſanctorum Stratonis, Philippi & Eutychiani, cum eorum ſociis.* Dein typis minoribus: *Eodem die Aldenburgi, depoſitio ſancti Arnulphi epiſcopi & confeſſoris. Qui in Flandria nobilibus ortus parentibus* &c. Ut GREVEN. ſed in fine additur, *anno Domini* MLXXXVII. Editiones aliæ idem habent in textu, & in fine ſolum adjiciunt, uſque ad *nihil invenerunt Sacramentorum Chriſti.* De Stratone & ſociis, ut ſupra. De Arnulpho, paulo contractius. Tum minoribus etiam typis: *Eodem die, ſancti Jacici ſive Jacincti, Ordinis Prædicatorum, qui poſt multos labores, in Polonia & Ruſſia, pro religione Chriſtiana toleratos, moritur anno* MCCLV *& multis poſt interjectis annis, propter ſanctimoniam vitæ actæ & miracula, noſtra memoria in numerum Sanctorum relatus eſt.* Transfertur in diem XVI. *Straton. &c. Arnulphi. Hyacinthi.*

XVII *Kal.* *Die* 16.

Urſacii. IN Nicea Bithiniæ, natalis beati Urſacii confeſſoris, qui ſub Licinio perſecutore, militiâ relictâ, ſolitariam vitam agens, tantis claruit virtutibus, ut & dæmones expuliſſe & ingentem draconem orando interemiſſe legatur. Apud civitatem Metenſium, *Arnulfi.* ſancti Arnulfi epiſcopi, qui ſanctitate vitæ & miraculorum gratia illuſtris, heremiticam vitam diligens, beato fine quievit. Romæ, ſanctæ *Serenæ.* Serenæ uxoris quondam Diocletiani Auguſti.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-major, Roſweyd. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Scripſi *Nicea Bithiniæ* ſimpliciter, ut alibi, ex codicum fere omnium conſenſu. Greven. habet *Bitiniæ*, optime Molan. *Bithyniæ.* Belin. addit *Bithiniæ civitate.* Et hic pro *Urſacii*, ponit *Urſicii.* Turpius Antverp-major *Velatii*, qui deinde barbare effert, *Clitimo imperatore.* Roſweyd. *Liciano*; Munerat. *Limo*; poſt *confeſſoris*, adjiciens *& militis.* In Roſweyd. *expuliſſet*, in Munerat. *drachonem*, in Belin. *legitur* ſcriptoria ſphalmata ſunt: uti & *Methenſium* in Herinien. pro *Metenſium.* Denique in Munerat. *Arnuſti* pro *Arnulfi.* Solus Belin. textum vitiat, ſic legens: *Metis civitate, tranſlatio ſancti Arnulfi* &c. Greven. & Molan. præter ceteros ſcribunt, *Arnulphi epiſcopi & confeſſoris.* Iidem etiam habent *miraculorum gloria*, cum Antverp-majore, Roſweyd. & Munerat., non male quidem, ſed reliqui melius cum Adone, *miraculorum gratia.* Antverp-major, non recte interjicit, *illuſtris fuit.* Praten. legit *heremiticam vitam deligens*, ut ſenſus, ſi recte conſtruatur & cum præcedentibus conferatur, exigere videtur; ſed alii omnes poſt Adonem, cum textu noſtro conveniunt in verbo *diligens*, quod ea de cauſa præferendum fuit. Belin. iterum ſolus, *beato fine in pace quievit.* In Roſweyd. eſt, *natale ſanctæ Serenæ.* Reliqui textui conformes ſunt. *Diocleſiani* & *Diocleciani* & ſiquæ ſunt hujuſmodi minutiæ, ſatis patent.

OBSER-

OBSERVATIO. De *Urſacio*, quem Græci, quos Baronius ſequi maluit, *Arſacium* paſſim vocant, nihil hac die memorant Hieronymiana, tacent etiam Beda ejuſque ſequaces Florus & Rabanus. Aſt in Romano parvo ſignatur his verbis: *In Nicea Bithyniæ, Urſacii confeſſoris, ſub Licinio.* Ado ex lib. 5 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tripartitæ, ut ipſemet indicat, breve elogium texuit, quod totum tranſumpſit Notkerus, à Noſtro modiciſſime contractum, excluſo dumtaxat loco, quo vitam ſolitariam egiſſe legitur, nempe, *in quadam turre præfatæ urbis*, & verbis illis ultimis jam à nobis recitatis & porro in Auctariis non ſemel repetendis. Omnia fuſius legi poſſunt citato ab Adone loco, vel apud Sozomenum lib. 4 cap. 16, vel apud Surium hoc die. Inclytiſſimum Metenſium antiſtitem *Arnulfum*, ab Adone XVIII Julii notatum fuiſſe, ſupra diximus; ibique multa de Arnulfis variis eorumque confuſione ſolito fuſius diſputavimus. Hîc præcipue obſervandum eſt, Arnulfi Metenſis tranſlationem, undecimo ab obitu menſe factam, pro natali à pluribus ſubſtitutam, idque ita Molano perſuaſum fuiſſe, auctore, opinor, Belino, ut eam vocem *tranſlatio*, hac die in Uſuardi textum inſerendam putaverit. Baronius item & alii Adonem ſecuti, XVIII Julii felicem Arnulfi tranſitum conſtanter collocant. Non recte; nam hac ipſa, & non alia die, eum è vivis ereptum multis argumentis ſuo loco probabimus; Quæ cum Uſuardo ignota non fuerint, inde omnino factum credimus, ut deſertâ Adonis ſententiâ, verba ejus ex XVIII Julii huc plane tranſtulerit. Vita à laudato Surio, hoc ipſo die exhibetur, accuratius reproducta & obſervationibus illuſtrata a Mabilione ſec. 2 Benedict. à pag. 149, ubi & Pauli diaconi verba recenſentur. Ultima commemoratio non alium rurſus fontem habet, quam Romanum parvum: *Romæ, Serenæ, uxoris Diocletiani Auguſti.* Verba *ſanctæ* & *quondam* ab Adone adjecta ſunt, & ita à Noſtro & Notkero deſcripta. Quid autem de Serena illa tandem ſtatuendum ſit, ſuo loco examinabitur. Juvat hîc Wandelberti verſiculum attexere ad firmandam, quam diximus, veram ſententiam de cæleſti Arnulfi noſtri natali: *Urſacii.* *Arnulfi.* *Serenæ.*

Septenam denamque tenes, Arnulphe ſacerdos.

AUCTARIA.

PULSANEN. *In Nicea Bithiniæ, natalis beati Urſicini confeſſoris.* [pro *Urſacii* vel *Arſacii.*] *Apud civitatem Metenſium, ſancti Arnulfi epiſcopi & confeſſoris.* Deſunt reliqua omnia.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. In prima & ultima puri, de Arnulfo vel Arnolfo, ita habent: *Metis civitate, beati Arnulfi, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. & LOVAN. De Urſacio, verba Adonis adjiciunt: *Scriptum eſt in lib. 5 eccleſiaſticæ hiſtoriæ tripartitæ. Metis civitate, tranſlatio ſancti Arnulphi, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris.* In ultima annuntiatione puri ſunt. *Tranſlat. Arnulfi.*

ALBERGEN. & DANIC. De Urſacio, idem adnectunt. In Serena etiam puri ſunt. Sed de Arnulfo, nihil, nempe cum de eo egerint XVIII Julij.

CENTULEN. *In Nicea Bithiniæ, ſancti Urſatii confeſſoris. Quitantis virtutibus claruit, ut demones expelleret; & magnum draconem orando interemit. In Gallijs civitate Mediomatrico, ſancti Arnulfi epiſcopi & confeſſoris, excellentis proſapiæ & admirandæ ſanctitatis viri. Item in Flandria, depoſitio ſancti Arnulfi Sueſſionenſis epiſcopi, qui inter cetera miraculorum præconia, ortum regis Francorum Ludovici, & orando impetravit, & præſcius prophetavit.* In Serena purus eſt. *De Arnulfo Sueſſionen.*

BRUXELLEN. Incipit: *Metis civitate, ſancti Arnulfi epiſcopi & confeſſoris. Qui fuit, filius Arnoldi, filii Anſberti ex Blichilde filia primi Lotharii regis Francorum; & pater Anſegiſi ducis, mariti ſanctæ Begghæ ſororis beatæ Gertrudis. Hic ſanctus Arnulphus ex Majore regiæ domus, Metenſium fit epiſcopus, & ex epiſcopo factus ſolitarius, mira vitæ ſanctitate ac miraculorum gloria illuſtrior quam ante præclaruit & tandem beato fine in Chriſto quievit. Apud Africam, ſanctorum ſeptem martyrum Liberati abbatis, Bonifacii diaconi, Servi & Ruſtici ſubdyaconorum; Rogati & Septimi monachorum, & Maximi pueri. Qui ſub perſecutione Wandalica, juſſu Hunerici regis, pro fide Catholica remorum vectibus enecati, & ita ſinguli in modum canum, cerebris comminutis extincti ſunt.* Hæc iterum hujus codicis anticipatio eſt, vide textum Uſuardinum die ſequenti. In Serena ſatis purus, ultimo loco agit de Urſacio, in quo habet, ut codices ſupra. In fine manu longe recentiori: *Et beati Rochi confeſſoris.* *De Arnulfo.* *Liberati & ſociorum.* *Rochi.*

HAGENOYEN. In Urſacio ſuperioribus ſimilis, ita ſubjicit: *Apud Italiæ urbem Vercellis, beati Euſebii epiſcopi & martyris, qui ob fidei, quam nitebantur Arriani corrumpere, veritatem ab ipſis & Conſtantio imperatore in exilium miſſus eſt, & ibi arctiſſimo carcere mancipatus eſt, qui erat ejus altitudine profundior & longitudine brevior, & latitudine anguſtior, ita ut de latere in latus vertere ſe non poſſet. Et poſtea tamen ad eccleſiam ſuam reverſus, & perſequentibus eum noviſſime eiſdem Arrianis, in eccleſia ſua tractus de gradu in gradum, martyrio coronatus eſt.* Vide 1 Auguſti. *Apud Metenſem civitatem, tranſlatio ſancti Arnulfi epiſcopi, quando de Habendo caſtro corpus ejus extumulatum eſt & ad Metenſem civitatem cum magna eſt Sollempnitate delatum. Romæ, depoſitio ſanctæ Serenæ imperatricis uxoris Dyocletiani imperatoris, quæ Chriſtianis ſuo in tempore multum utilis fuit, & multis Chriſtianis vitam iſtam prolongavit ne punirentur.* *De Euſebio Vercellenſi.* *De Tranſlat. Arnulfi.* *De Serena.*

DAVERONEN. *Sanctæ Gemmæ.* Tres Gemmas alicubi invenio, de qua hîc agatur, incertum eſt. *Gemmæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Sanctæ Serenæ, uxoris Diocletiani. Urſacii confeſſoris. Iheronis martyris & confeſſoris.* Vide die ſequenti. *Iheronis.*

In

In VATICAN. sign. num. 5949. Deest Arnulfi.

Simplicii. *In Persida, natalis Simplicii.* Inter Simplicios tredecim, quos reperio, nullus est Persa.

STROZZIAN. *Apud Tudertinam civitatem,*

Philippi. *natalis beati Philippi confessoris, de Ordine Fratrum Servorum sanctæ Mariæ, de Florentia oriundus.* [aliàs, *civis Florentini.*] *Cujus vita miraculis extitit gloriosa.*

BURDEGALEN. *Andegavis, translatio sancti*

Translat. Maurilii. *Maurilii.* Colitur XIII Septembris.

CAUDIACEN. *Arvernis monasterio Magnilocensi, sancti Domnini inclyti martyris & sociorum ejus.*

Domnini. Supra non semel recurrit.

EDITIO LUBECO-COL. In Ursacio, tota ferme Adoniana est. Tum: *Romæ, passio sanctæ Serenæ martyris, uxoris quondam Diocletiani Augusti. Apud Castrum Rameruden, natale beati*

Balsimii & sociorum. *Balsimii, gloriosi martyris sociorumque ejus. Methis civitati, translatio beati Arnulphi, ejusdem*

Translat. Arnulfi & Berward. *civitatis episcopi & confessoris, ammirandæ sanctitatis viri. Eodem die, translatio sancti Berwardi, episcopi Hildesheymensis & confessoris.*

Hunfredi. Rochi. *Ostensio sancti Hunfridi, episcopi & confessoris. Ipso die, natale sancti Rochi, confessoris ac peregrini.*

GREVEN. *Ipso die, sanctorum Orionis, Tirsi,*

Orionis &c. Balsemii &c Translat. Berwardi. *Agniti. Apud Castrum Rameruden, natale sancti Balsemii martyris & sociorum ejus. Translatio sancti Berwardi, episcopi Hildensheymensis & confessoris. Ostensio sancti Hunfridi episcopi & con-*

De Rocho. *fessoris. Lugduni Galliæ, beati Rochi, peregrini & confessoris. Hic claris ex Aquitania natalibus ortus, & à puero optimæ conversationis, singularem à Domino gratiam curandi homines à morbo epydemiæ accepit. Tandem post multa bona opera, tamquam explorator in carcere quinque annis detentus, ibi in Domino quievit. Mediolani, depositio beati Georgii Cremonensis, qui vita & miraculis insignuer fulsit.* *Georgii.*

Item Karolomani confessoris. *Caroloman.*

Artemiæ virginis & martyris, filiæ sanctæ Serenæ & Diocletiani imperatoris. Quæ per beatum Ciriacum à demonio liberata & baptizata, à Galerio Maximino fratre suo, post mortem patris imperante, martyrio coronata est. *Artemiæ cum elogio.*

MOLAN. Aliis litteris textui inserit: *Scriptum est in libro &c.* & de Arnulpho, *translatio.* In fine: *Mediolani in monasterio Coronatæ, Ordinis Fratrum Eremitarum beati Augustini, depositio beati Georgii Cremonensis, qui vitæ sanctitatis & miraculorum gratia insignis fuit.* *De Georgio Cremonensi.*

Lugduni Galliæ, beati Rochi confessoris, contra pestilentiam adjutoris. Apud Castrum Ramerudem &c. ut supra. In editionibus aliis: *In Gallisi depositio beati Rochi* &c. *Rochi.* De Balsemio item, ut supra. *Eodem die, Theodoli confessoris episcopi Sedunensis.* *Theodoli.*

Die decima sexta, sancti Mandelii, & sancti martyris Diomedis. Et deportatio ab urbe Edessa, non manufactæ imaginis Domini nostri Jesu Christi. Morinis, ostensio sancti Hunfredi, episcopi & confessoris. Denique minoribus typis, de beato Georgio Cremonensi, ut supra. *Mandel &c. De imag. Christi.* *Hunfredi.*

XVI *Kal.* *Die* 17.

Liberati & socior. APud Africam, sanctorum martyrum Liberati abbatis, Bonifacii diaconi, Servii & Rustici subdiaconorum, Rogati & Septimi monachorum, & Maximi pueri; qui persecutione Wandalica jussu Hunerici regis, pro confessione Catholicæ fidei & unici baptismatis defensione, speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino, perfecerunt. In Cæsarea Cappadociæ, natalis sancti

Mammetis Oct. Laur. Mammetis martyris, qui passus est imperante Aurcliano sub Alexandro præside. Ipso die, Octavæ sancti Laurentii martyris.

Puri sunt *Praten. Herinien. Antverp-major, Rosweyd. Antverpien.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Nonnulli codices legunt *Bonefacii*, nos cum aliis & communiori, ut est in textu. Praten. habet *Servi*, cum Munerato, recte ex Adone. At Praten. codex secundus & reliqui nostri omnes, cum Romano parvo, *Servii*. De W alibi diximus: *Vuandalica*, & *Uuandalica* modi scribendi Gallici sunt, sequimur Antverp-maj. &c. Scribit hîc *Wandalorum*, & præterea sensum infideliter corripit, nam ubi in textu legitur; *pro confessione Catholicæ fidei & unici baptismatis defensione, speciosum* &c. ibi simpliciter habetur, *pro confessione, speciosum* &c. Pro *Hunerici*, ponit Munerat. *Himerici*, Greven. *Honerici*. Porro Antverp. & Max-Lubec. in priori constructione etiam variant, *pro defensione Catholicæ fidei & unici baptismatis.* Rosweyd. pro *perfecerunt*, substituit, *perceperunt. Octabæ*, more antiquo scribunt Herinien. & Munerat. atque hic in fine cum Antverpien-majore omittit *martyris*. De *Affricam, Aphricam, dyaconi, Capadociæ*, & id genus aliis, sufficiant alibi dicta.

Liberati & socior. OBSERVATIO. Romanum parvum ita hodie pronunciat: *In Africa, martyrum Liberati abbatis, Bonifacii diaconi, Servii & Rustici & aliorum sub Wandalica persecutione.* Atque hîc primus est Martyrologus, qui de his Sanctis meminerit & quidem hac die, cum satis constet eos 11 Julii martyrium consummasse. Ado, consulto annuntiationis fonte, nempe Victore Vitensi pag. 81, singulorum expressit nomina & martyrii historiam fusius prosecutus

ſecutus eſt. Notkerus de more meſſem integram ſuam fecit, Noſter ſtylo ſuo ea aptavit, quæ in laterculo reddita ſunt. Sitne autem Victori Vitenſi tribuenda celebris hujus paſſionis hiſtoria, diligenter quærit Ruinartius in ſua Hiſtoriæ perſecutionis Wandalicæ noviſſima editione à pag. 94, ubi de martyrii tempore, modo, die ac loco plura diſcutiuntur, quibus junge notas ejus pag. 209. De celebri *Mammete, Mamante, Mamma,* uno vel diverſis plura diſquirit Florentinius ex Hieronymianis, in quibus *monachus* appellatur. Baronius, Baſilii, Nazianzeni & aliorum panegyricos uni huic noſtro ſub nomine *Mamantis* adſcribit. Inde varia ſuggerunt varii, quæ rurſus ad locum proprium diſcutienda remittimus. Tu interim videſis Actorum Mammetis compendium apud Rabanum, quod ex eo totidem fere verbis accepit Notkerus. Porro Actis illis Metaphraſticis à Surio editis, fidere non audent eruditi recentiores, Mammetis hiſtoriam texentes ex monumentis verioribus, quæ apud Ruinartium indicata invenies inter ſelecta à pag. 276, Gallicè vero deducta à Tillemontio tomo 4 à pag. 358. Romanum parvum ſic de *Mammete* breviter: *Cæſareæ, Mammetis martyris.* Utrum Ado martyris illius Acta aliqua viderit, dubium facit ejus elogium ſolito compendioſius, utpote qui nihil aliud proferat quam quod ex eo Uſuardus deſcripſit. Wandelbertus eum ſolum prædicat, his verbis: *Mammetis*

Martyre ſedecima effulget Mammete beato.

Reſtat, *Octava ſancti Laurentii martyris*, ab omnibus Uſuardinis codicibus notata, tametſi Clar. Caſtellanus adverterit in codice Pratenſi annuntiationem illam, *videri ferme adjectam, manu quidem vix diverſa, ſed ſpatium implere in fine lineæ relictum.* Quod ſi verum eſt; non in eo ſolum codice, ſed in omnibus antiquiſſimis factum fuiſſe oportuit. Moſander commemorationem illam plane Adonianam cenſuit, Roſweydus in appendicem rejecit; uter præferendus ſit, tu videris. At numquid in ipſo genuino Beda diſerte ſignatur, *Octavæ ſancti Laurentii?* Fateor; ſed cur à Rabano prætermiſſa ſit, haud equidem intelligo. Ceterum certa & indubitata eſt Uſuardi noſtri lectio, quantumvis mirum videri debeat, ſolius hujus & Apoſtolorum Petri & Pauli octavæ memoriam, apud ipſum reperiri. *Oct. Laur.*

AUCTARIA.

PULSANEN. Incipit. *Octava beatiſſimi Laurentii, levitæ & martyris.* Sequitur de Africanis, uſque ad *Maximi pueri*, incluſive; deſunt reliqua omnia.

BELIN. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Ita puritati accedunt, ut propter ſolum ordinem excluſi ſint, quia nempe ordiuntur ab *Octava ſancti Laurentii martyris.* De Africanis ſcribunt cum ANTVERP. & MAX-LUBEC., *pro defenſione Catholicæ fidei & innici baptiſmatis*; ubi in BELINO inepte in fine repetitur *defenſione.*

CENTULEN. *Romæ, Octava beati Laurentii. Apud Africam, ſanctorum martyrum Liberati abbatis, Bonifacii diaconi, Servii & Ruſtici ſubdiaconorum, Rogati & Septimi lectorum monachorum, & Maximi pueri. Qui omnes juſſu crudeliſſimi regis Wandalorum, diverſis pœnis conſumpti ſunt. Cæſarea Cappadociæ, ſancti Mammetis, monachi martyris, qui paſſus eſt imperante Aureliano.* *Textus fere purus.*

BRUXELLEN. Incipit: *Octava ſancti Laurentii martyris.* De martyribus Africanis egit die præcedenti. In Mammete ſatis purus eſt. Sequitur: *Romæ, beati Julii Senatoris & martyris. Qui jubente Commodo imperatore, tam diu fuſtibus cæſus eſt, donec emitteret ſpiritum.* Anticipatio eſt ex XIX hujus. Tum: *Item Karolomanni principis Auſtraſiorum, filii Karoli Martelli. Qui pro Chriſti amore regnum & gloriam mundi derelinquens, in monte Caſſino monachum profeſſus eſt; ubi ipſe omni virtute pollens, cum ſemel ad coquinæ officium hebdomadarius deputaretur & in modico erraret, à coco crudeliter cæſus, ait: Indulgeat tibi Deus, frater, & Karolomanus. Poſt ipſe cum ſancto Papa Stephano ſecundo veniens in Franciam, ut Rex Pippinus frater ejus Aſtulphum regem Longobardorum ab oppreſſione Eccleſiæ reprimeret, impetravit. Et in reditu apud Viennam languore correptus, ſancto fine quievit.* Vera falſis mixta. *Julii.* *DeCarolom.*

HAGENOYEN. *In Cæſaria civitate Capadociæ, natalis ſancti Mammetis martyris, qui metu Aureliani Cæſaris, in deſertum fugiens, & cum ſuis habitavit ibi; & congregabantur ad eum omnes ſilveſtres feræ, quas mulſit & fecit caſeos. Hic poſtquam ad fidem multos convertiſſet, vocavit leonem ſilveſtrem, ut eum vindicaret, & factum eſt ita. Hic ab Alexandro præſide in equuleo ſuſpenditur, & voce cæleſti ibi conſolatur. Poſt hæc incarceratur, ut poſtea in caminum projiciatur, ubi ei mel & lac ab angelo defertur. Et tertio die hic feris projicitur, ſed non læditur; & tunc lapidibus obrutus, & ille cæleſti voce vocatus obiit.* Sequitur de Africanis, pure; item de Octava ſancti Laurentii *DeMammet*

AQUICINCT. Pro *Ruſtici*, habet *Ruſtitii.*

DAVERONEN. *Turonis, dedicatio ſanctæ Mariæ, & ſancti Juliani martyris.* *Dedicat. B.V. & Jul.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Octava ſancti Laurentii martyris. Mammetis pueri & martyris. Liberati abbatis, cum pluribus aliis de ſuis, pro fide à Wandalis martyrizati.* *Textus contractus.*

CODEX GOLLIAN. *Caſtro Seduno, ſancti Theodori epiſcopi.* Inter plurimos Theodoros, quis hic ſit, poſtea videbitur. *Theodori.*

EDITIO-LUBECO-COL. In Octava ſancti Laurentii & martyribus Africanis pura, de Mammete poſt *martyris*, ſic habet: *Qui cum eſſet puer ſeptem annorum, & idolorum culturam omnino reſpueret, pro fide Chriſti paſſus eſt diverſa tormenta, poſtremo lapidatus, imperante Aureliano ſub Alexandro præſide. In Norwich, natale beati Jeronis presbyteri & martyris.* Vide quæ de ipſo, hoc die ſatis diligenter notavit Caſtellanus. *DeMammet* *Jeronis.*

Jeronis. Judith. Eufemiæ. GREVEN. *In Hollandia, pago Norwich, natalis beati Jeronis presbyteri & martyris. In Bethulia, beatæ Judith viduæ. Item Eufemiæ.*

De African. MOLAN. Poſt *perfecerunt*, aliis litteris textui interjicit: *Scribit beatus Victor Africanus epiſcopus in hiſtoria ejuſdem Wandalicæ perſecutionis, quam & ipſe cum ceteris ſuſtinuit & fideli atque illuſtri ſtylo digeſſit.* In fine: *Eodem die, in pago Hollandiæ, ſancti Jeronis presbyteri & martyris.* Tum minoribus typis: *Item Carolomanni confeſſoris, principis Auſtraſiæ, qui in monte Caſſino monachus effectus eſt.* Poſteriores editiones cum prima in textu conveniunt. In fine autem habent: *In pago Hollandiæ, Egmonda monaſterio, ſancti Jeronis, presbyteri & martyris. Die decima ſeptima, ſancti martyris Myronis.* Demum minoribus litteris ſubdunt: *Pauli & Apud urbem Ptolemaidem, ſanctorum martyrum Julianæ. Pauli & Julianæ.* Vide Acta apud Surium. In Romano moderno dicuntur paſſi ſub Valeriano.

Jeronis. *Carolomanni.* *Myronis.* *Julianæ.*

XV *Kal.* *Die* 18.

Agapiti. APud Preneſtinam civitatem, miliario ab Urbe triceſimo tertio, natalis ſancti Agapiti martyris, qui cum eſſet annorum quindecim, & amore Chriſti martyrio ferveret, juſſu Aurelii imperatoris tentus eſt, ac primo nervis crudis diutiſſimè cæſus: deinde à præſide Antiocho gravia patitur ſupplicia. Exinde cum ex præcepto imperatoris leonibus ſubjiceretur, & minimè eſſet læſus, gladio miniſtrorum coronandus percutitur. Eodem die Romæ, beatorum preſbiterorum Joannis & Criſpi, qui perſecutione Diocletiani multa ſanctorum corpora officioſiſſime ſepelierunt, quorum meritis & ipſi poſtmodum ſociati, gaudia vitæ meruerunt. Via Lavicana, ſanctæ Helenæ matris Conſtantini imperatoris.

Joannis & Criſpi.

Helenæ.

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-majore, Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belini editione prima, Greven.* & *Molan.* Accedunt codices *Antverp-max. Ultraject. Leyden.* & *Albergen.*

VARIA LECTIO. Solus Molan. *Præneſtinam* ſcribit per diphthongum, ceteri ut in textu. Antverp. Max-Lubec. Belin. & alii legunt, *ab urbe Roma.* In Munerato error eſt *viceſimo tertio* pro *triceſimo tertio*, ut habent omnes cum Adone, uti *& amore Chriſti martyrio ferveret*, exceptis Greven. & Molan. qui omiſſo *martyrio* nitidiorem faciunt ſenſum. Non eſt exacta Notkeri conſtructio, *& pro amore Chriſti martyrio ferveret.* Inter antiquiores codices ſolus Roſweyd. pro *Aurelii*, poſuit *Aureliani* cum Adone & Notkero, quod ſervant codices mediæ notæ; cur Uſuardus præferat *Aurelii*, fateor me ignorare, niſi ut ſæpe fit, nomina illa promiſcuè accipiantur, quod ea ætate contingere facile potuit. *Exinde* legunt plerique, alius *exhin*, alius *exin*, alius *exhinc.* Belin. poſt, *ex præcepto imperatoris* male inſerit *tentus & leonibus* &c. ubi Roſweyd. iterum non inepte correxit *objiceretur*, pro *ſubjiceretur.* In Munerato, poſt, *quorum meritis*, omittuntur particulæ *& ipſi.* Greven. & Molan. à reliquis denuo deſſentiunt, legentes *gaudia vitæ æternæ*, contra Adonem & codices noſtros. Belin. de Helena: *Item Romæ, via* &c. De nævis codicum mediæ notæ non loquor, ut nec de *tercio, aput, Anthioco, Johannis, Dyocletiani* &c.

Agapiti. *OBSERVATIO.* Quam illuſtris eſt & ab antiquo celebratiſſima *Agapiti* Præneſtini martyris gloria, à vetuſtis Kalendariis, Sacramentariis & Martyrologiis noſtris omnibus prædicata, tam ſunt depravata ejuſdem Acta, teſte ipſo Cardinale Baronio, ut tuto dici poſſe videatur, cuſa eſſe in eadem officina, ex qua prodiere illa, quæ de ſancto Venantio expenſa ſunt ad XVIII Maii; ſi non potius eadem utriuſque ſint, aut alterius alteri aptata, certe multa correctione egentia, ut fuſius ſuo loco demonſtrabitur; & rurſus dicendum erit infra ad XX & XXI Auguſti. Scio duplicia Acta exſtare; utra præferenda ſint, ſuo loco dicetur. Porro glorioſiſſimum adoleſcentis certamen referunt etiam Hieronymiana, Beda, Rabanus, Romanum parvum, Ado, Notkerus & Wandelbertus. In Hieronymianis exprimitur item diſtantia ab Urbe, perpauco inter codices diſcrimine, ſed ea à Romano parvo negligitur. Rabani elogium de rege Antiocho meminit. Veroſimiliora ſunt, quæ ab Adone dicuntur, *Aurelianum* imperatorem diſerte nominante, ut facit poſt ipſum Notkerus, unde mirari licet; in omnes fere vetuſtos Uſuardi codices irrepſiſſe *juſſu Aurelii*, cum tamen reliqua omnia ex Adone accepta eſſe, manifeſtiſſime pateat. Solus Agapitus à Wandelberto celebratur hoc verſiculo:

Agapi-

Agapitus quintam decimam certamine ſancit.

Sequens annuntiatio ab auctore Romani parvi hac die primum prolata eſt his verbis : *Romæ , Joannis & Criſpi presbyterorum.* Ado encomium breve compoſuit , quod ferme integrum deſcribit Noſter, expunctis dumtaxat verbis , *in Sexto Philippi* , quæ certe ſatis clara non ſunt , & alterius tyranni, *Maximiani* nomine. Crediderim ignotum ſibi cœmeterium Uſuardum nominare non voluiſſe. Videat curioſus Lector Aringhi Rom. ſubter.lib. 2 c. 20,pag: 365 , ubi hæc ipſa hodierna Adonis verba citata inveniet.Notat Caſtellanus,Sanctos illos ex aliis diebus hîc conjunctos eſſe.Cetera alibi. *Helenam*, in codicibus Adonianis repertam , aſteriſco notavit Moſander, tamquam adjectitiam , idemque cenſuit Roſweydus. Dubium igitur manet unde eam ſumpſerit Uſuardus , ſed ab eo ſignatam eſſe, ut in textu retulimus, videtur certiſſimum. Eſt apud nos Altmanni Altivillarenſis, ad Hincmarum Ms. Helenæ vita , cum hiſtoriis tranſlationis & miraculorum , necnon vitæ aliæ & narrationes variæ Notcheri &c. tum Mss. tum typis excuſæ, ſuo tempore diligenter ex profeſſo examinandæ.Tutius hîc proceſſit Surius, nonnulla ex Euſebio & Theodoreto deſumens , relatâ ad VII Februarii Flodoardi , de Altivillarenſi tranſlatione hiſtoriâ , quam accuratius à Mabilione diſcuſſam habes ſec. 4 Benedict. parte 2 à pag. 153. Sed laborioſior Tillemontius, viam ſtravit, qua ex veterum de Helena teſtimoniis , certior vitæ ſeries eruatur , ut videre eſt tomo 7 , à pag. 1 & in notis eò pertinentibus.

Joannis & Criſpi. *Helenæ.*

AUCTARIA.

PULSANEN. In prima & ultima purus, ſecundam plane omittit.

LOVANIEN. Deficit in elogio Agapiti , cetera purus eſt.

DANIC. In ſecunda annuntiatione reſcindit ultimam elogii partem , incipiendo à, *quorum meritis & ipſi poſtmodum ſociati* &c.

Textus contractus. CENTULEN. *In Italia civitate Præneſta , ſancti Agapiti martyris , ſub præſide Antiocho. Eodem die Romæ , ſub Sexto Philippi* [Ado, *in Sexto Philippi ,*] *beatorum Joannis & Criſpi preſbyterorum,qui perſecutione Diocletiani multa martyrum corpora curatiſſime ſepelierunt. Via Lavicana , ſanctæ Helenæ , matris Conſtantini Auguſti.*

BRUXELLEN. Fere purus eſt ; addit etiam , *urbe Roma* ; legit *Aureliani* , in ceteris nævi ſunt. Tum : *Et Romæ in Sexto Philippi, ſanctorum presbyterorum* &c. *Item Romæ via Lavicana* &c.

De Agapito. HAGENOYEN. *Apud Preneſtinam civitatem , miliario ab urbe Roma* XXXIII , *natale ſancti Agapiti martyris. Qui cum eſſet annorum quindecim & amore martyrii flagraret , perſecutoribus ſe obtulit , & juſſu Aureliani imperatoris eſt tentus , & primo nervis crudis & dure percuſſus , & Antiocho præſidi eſt miſſus , à quo gravia tormenta eſt paſſus. Primum incarceratur , deinde prunas ardentes capiti ejus imponuntur , ſed non læditur ; flagellis cæditur , capite verſo & fumo ſubtus horribili facto. Tunc bullienti aqua perfuſus eſt & maxillæ ejus contritæ ſunt , & judex hæc videns exſpiravit. Tunc imperator juſſit eum leonibus objici , qui eum non lædebant , & poſtea capite amputato martyrium complevit.* In Joanne & Criſpo purus eſt. Tum : *Romæ via Lavicana , depoſitio ſanctæ Helenæ reginæ , matris magni Conſtantini imperatoris.* *De Helena.* *Hæc Helena prius fuit pagana & miſericordiæ operibus valde intenta , poſtmodum erat Judæa & in ea lege perfecta. Ultimo fuit Chriſtiana & Chriſtianæ religioni multum proficua , quia Crucem Domini invenit. Multa corpora ſanctorum de partibus tranſmarinis ad Chriſtianos duxit & multa monaſteria in Aſia , Gallia , & Italia ædificavit. Hæc in bonis operibus perſeveravit & in pace obiit.* Alium vadem poſtulant quæ hîc narrantur, ut fidem inveniant.

AQUICINCT. Textui ſubnectit : *Item, ſancti Pontini.* Vide infra verum nomen & titulum. *Pontini.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Agapiti martyris. Romæ , Helenæ reginæ , matris Conſtantini imperatoris. Joannis & Criſpi presbyterorum ; qui cum multa ſanctorum martyrum corpora ſepeliſſent , & ipſi martyrio coronati ſunt.* In margine, de Agapito additur : *Iſte puer multa ſuſtinuit & judicem valde confudit , quem & Deus in vindictam ſancti martyris percuſſit.*

CODEX D. du Cheval , ſignatus C. *Item Pontini.* Puto legendum *Pontimi* , ex Hieronym. *Pontini.*

ALTEMPS. *Item Pontini martyris.* Recte *martyris* , non *confeſſoris* , ut habet EDIT. LUB-COL. *Pontini.*

FLORENTIN. *Helenæ..... Cujus corpus jacet modo Venetiis.* Vel , *Cujus corpus modo Venetiis ſepultum eſt.* Adhuc ſub judice lis eſt. *De Helena.*

LUGDUNEN. *Pago Siſterico , in monte , qui dicitur Lura , ſancti Donati* &c. Vide die ſequenti. *Donati.*

CODEX CASTRI-KAROLI. *In Galliis pago Sigiſterico , in monte qui dicitur Lura , ſancti Donati presbyteri.* Uſuardus de eo agit XIX Aug. *Donati.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit : *Romæ via Lavicana , ſanctæ Helenæ , matris ſancti Conſtantini imperatoris , & inventricis Crucis Chriſti , Treverorum indigenæ nobiliſſimæ.* Sequitur de Agapito , ſatis pure. In Joanne & Criſpo ex Adone adjicit , quæ Uſuardus omiſit. Demum: *In civitate Amacia , beati Pontini confeſſoris.* Jam dixi *Pontimum* eſſe, & martyrem. *De Helena.* *Pontini.*

BELINI editio altera in fine adjicit : *Item Pontini.* Vide jam dicta. Socios vel potius ſocias nominant apographa Hieronymiana. *Pontini.*

GREVEN. *Nota ſecundum aliquos hîc commemoratio eſt ſanctæ Helenæ , depoſitio vero , XVII Kal. Maii. Martini Papæ. Demetrii martyris. Privati martyris. Potentini confeſſoris.* *Martini. Demetrii. Privati. Potentini.*

MOLAN. *In Bronium , tranſlatio ſancti Eugenii epiſcopi & martyris. Metis civitate , depoſitio ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris.* Editiones aliæ litteris Italicis in textu ſcribunt: *Aureliani.* In fine: *Metis civitate, depoſitio ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. Die decima octava, ſanctorum martyrum Phlori & Lauri. In Bronio , tranſlatio corporis ſancti Eugenii archiepiſcopi & martyris.* *Tranſlat. Eugenii. Firmini. Phlori & Lauri*

XIV *Kal.* *Die* 19.

Magni vel Andreæ & ſociorum. Donati. NAtalis ſancti Magni, ſeu ſancti Andreæ martyris, cum ſociis ſuis duobus milibus quingentis nonaginta & ſeptem. In pago Sigiſterico, beati Donati presbiteri, qui ab ipſis infantiæ rudimentis mirâ Dei gratiâ prædítus, anachoriticam vitam multis annis exegit & miraculorum gloria clarus migravit ad Chriſtum. Romæ, *Julii.* ſancti Julii Senatoris & martyris, qui jubente Commodo imperatore tamdiu fuſtibus eſt cæſus, donec emitteret ſpiritum. In territorio Bi- *Mariani.* turicenſi, ſancti Mariani confeſſoris.

Ita *Praten. Antverp-major*, *Roſweyd. Antverp. Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Lovanien.* & *Danicus.*

VARIA LECTIO. Muneratus ceſpitat in principio, *natalis ſancti Magni & Sancti Andreæ martyrium.* Omnes legunt, *cum ſociis ſuis*, excepto Pratenſi, qui ultimam vocem omittit. Scribo *milibus*, quia ſic omnes etiam habent. Antverp-maj. notat ſocios 2598. Roſweyd. 2167, Greven. 2527. Numerus ab Uſuardo ex antiquioribus acceptus, à nobis in textu exprimitur. Antverp. à ſocia editione maxima & à reliquis diſſentit in Donati titulo, quem ſolus ipſe *epiſcopum* vocat. Scribit item *anacoreticam*, ceteri ut in textu *anachoriticam.* Greven. in annuntiationis principio legit: *In Galliis pago* &c. quod etiam habet conſuetus imitator Molan., qui & ambo ſcribunt *exegit multis annis*; ac deinde pro *miraculorum gloria*, *miraculorum gratia.* In Munerato deeſt utrumque: atque in Antverp-maj. ac Roſweyd. ante *miraculorum*, particula *et.* Antverp-major, ponit, *fuſtibus cæſus eſt.* Antverp. pro *Mariani*, ſubſtituit *Martini*, at Max-Lubec. cum Antverp-maximo, Lovanien. & Danico, *Marini.*

Andreæ & ſociorum. OBSERVATIO. *Andream* apud Græcos inclytiſſimum *megalomartyrem* Martyrologi noſtri Latini veroſimillime ex Græca appellatione binomium fecerint *Magnum* ſeu *Andream.* Sic etenim Beda, & ex eo Rabanus, Romanum parvum, Ado & Noſter, eadem prorſus ubique phraſi. Melius fortaſſe legiſſent, *magni Andreæ.* Neque enim veriſimile puto, Martyrologos noſtros *Andream* tribunum militum cum *Magno epiſcopo Anagnino* confundere voluiſſe. Wandelbertus aliam viam ingreſſus, pro numero nominum ſubjecta geminavit conjunxitque, ut mox oſtendam. Utrum Ado Andreæ Acta, prout vulgata ſunt viderit, neſcio, certe præcurſoribus ſuis nihil ſuperaddidit. Nos ea, ut ex Metaphraſte, Lipomano & Surio edita novimus, ſuo loco examinabimus. Præfata Acta *germana* cenſuit Baronius ad annum CCCI num. 5, crediditque, operâ Petri Tarſenſis epiſcopi, collecta atque ſcripta eſſe. Non deſunt hodie qui aliter ſentiant. Videri poteſt Tillemontii nota tomo 5 à pag. 588, in Actis noſtris ſuo loco accuratius expendenda. Audi modo Wandelbertum:

Magnus & Andreas quarta denaque coruſcant:
Septem nonaginta & quingenti comitantur,
Quos pariter Sancti ſimul his bis mille ſequuntur.

Qui in noſtro indiculo ſequitur *Donatus*, is ab Adone in ſacros Faſtos primum relatus *Donati.* eſt, cum ampliori vitæ hiſtoria & deſignatione montis, in quo ſolitariam vitam egerit; quemque Moſander *Tura* vocat, Roſweydus *Jura*, ſed cum notatione propria manu ſubinde adjecta, qua monet I mutandum in L, proindeque legendum *Lura*, utpote qui à Jura monte tantum diſtet, quantum Provincia à Burgundia. Utut eſt, Uſuardus elogium ſuum totum ex Adone tranſtulit. Unde hîc ſuum acceperit, non liquet. Petrus in Catalogo lib. 7 cap. 78, Adonis verba de more deſcribit. De Donato meminit vita Marii XXVII Januarii num. 11. Habemus ſancti ipſius vitam Ms. alibi illuſtrandam. De *Julii.* *Julio* ſic breviſſime Romanum parvum: *Romæ, Julii Senatoris & martyris.* Plura ex Actis deducit Ado, ſed Noſter compendio uſus eſt. Vide Obſervationem XXV Auguſti, ubi de Actis *Euſebii*, *Pontiani* &c. Inventum eſt Romæ non ita pridem Julii alicujus martyris corpus: an hujus *ſenatoris* dici poſſit, necdum compertum habeo. In Hiero- *Mariani.* nymianis aliquibus adjectum legitur: *In Biturio, vico Villauno, depoſicio ſancti Mariani confeſſoris.* De eo fuſius diſputat Florentinius; notatque ex Labbeo hujus ſancti eremita

mitæ feſtum in diœceſi Bituricenſi recoli XIX Septembris. An autem ad ſalvandam cultus diverſitatem, recte ad alium *Marianum* recurratur, alibi explicabimus. Satis mirum videri poſſet, Uſuardum, non ſolum verum obitûs (qui determinari omnino nequit) ſed & cultûs diem ſuo tempore uſitatum ignoraſſe, dum *Marianum* hac die conſignavit. Clariſſimus eſt codicum noſtrorum & in Mariano & in ſuperioribus unanimis plane conſenſus. Brevem Mariani vitam, neſcio an ſatis ſinceram, edidit Labbeus tomo 2 Bibl. Ms. pag. 432, ubi & S. Gregorii Turonenſis caput 81 refert. Exſtant in Muſeo noſtro bina alia vitæ compendia Mss, in majori opere accuratius examinanda.

AUCTARIA.

HERINIEN. Toto textu puriſſimus eſt, ſed neſcio qua cauſa ſecundo loco inſertum ſit: *In monaſterio Bobio, depoſitio ſancti Bertulphi abbatis.* — *Bertulphi.*

PULSANEN. *Natale ſancti Magni martyris. Romæ, ſancti Julii Senatoris* &c. recte. Sequitur: *In territorio Biturico, ſancti Marciani confeſſoris.* Deſunt alia omnia. Vide de *Magno* quæ ſupra diximus. Item notulam Caſtellani in Martyrol. univerſ. & GREVEN. inferius. — *Magni.*

ULTRAJECT. & LEYDEN. Incipiunt: *In Cicilia, natale ſancti Ludowici epiſcopi & confeſſoris. Natale ſancti Magni martyris cum ſociis ſuis* &c. pure. Utraque ſequens annuntiatio turbata & confuſa eſt. Pro *Mariani*, ſcribunt *Marini.* — *Ludovici. Magni.*

ALBERGEN. Alia phraſi: *Apud Maſſiliam, natale ſancti Lodowici epiſcopi & confeſſoris. Qui cum eſſet primogenitus regis Cecilia, profeſſus eſt Ordinem Fratrum Minorum.* Reliqua pura ſunt, niſi quod hujus diei finis, cum ſequentis principio confundatur, quod ſubinde correctum eſt. Legit etiam *Marini.* — *DeLudovic.*

CENTULEN. *Natale ſancti Magni, ſeu ſancti Andreæ martyris, cum ſociis ſuis duobus millibus quingentis nonaginta ſeptem. In Galliis, pago Sigiſterico, ſancti Donati presbyteri & confeſſoris. Eodem die Romæ, ſancti Julii Senatoris, qui paſſus eſt ſub Commodo imperatore, judice Vitellio.* — *Textus non integer.*

BRUXELLEN. De Andreæ ſociis ſupra bis mille quingentos, ſcribit *nonaginta novem.* De Donato addit, *in monte qui dicitur Lura.* In reliquis permodice interpolatus eſt. In fine ſubdit: *Apud Marciliam, ſancti Ludovici epiſcopi & confeſſoris, & filii regis Sicilæ, epiſcopi Toloſani, de Ordine Fratrum Minorum.* — *Ludovici.*

HAGENOYEN. Incipit à Julio, in quo purus eſt Nec in Donato, à puritate multum diſtat. Tum de Mariano; ultimo loco de Andrea, etiam ſatis recte. Sequuntur annuntiationes duæ anticipatæ ex die ſequenti; nempe: *Herio inſula, depoſitio ſancti Philiberti abbatis. Qui primo militiam terrenam* [ſecutus] *Chriſti tyrocinio mancipatus eſt, & multorum extitit monachorum fundator devotus. Civitate Cordila* [Corduba,] *ſanctorum monachorum & martyrum Leovigildi & Chriſtofori, quorum corpora poſt abſciſionem capitum igni tradita ſunt.* Vide de his die ſequenti. — *Philiberti. Leovigildi & Chriſtoph.*

AMBIANEN. Ex Adone deſcribit ſancti Donati elogium. Purius ex ipſo fonte.

MATRIC. CARTUS-ULTRAJECT. *Magni martyris cum ſociis. Ludovici confeſſoris, qui fuit filius regis, poſtea monachus in Ordine Minorum & epiſcopus Toloſanus. Julii Senatoris martyris.* — *Ludovici.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt Mariani.

FLORENTIN. *Sancti Ludovici....* Plura non invenio, forte reliqua conformia erunt hodierno Romano, vel BELINO, qui cum hiſce codicibus ſæpe concordat. Videri etiam poſſunt codices alii ſupra & EDITIO LUBECO-COL. &c. — *Ludovici.*

BURDEGALEN. *In territorio Bituricenſi, Marini confeſſoris.* Vult dicere *Mariani.* — *Marini pro Mariani.*

CODEX SALINEN. *In territorio Bizunticenſi, ſancti Mariani confeſſoris.* Lege *Bituricenſi.*

EDITIO LUBECO-COL. De Andrea, pura; in Donato nonnihil ex Adono interpolata eſt, uti & in Julio. Sequitur: *Apud Maſſiliam, natale ſancti Ludovici epiſcopi Tholoſani & confeſſoris. Qui cum eſſet primogenitus regis Siciliæ, profeſſus eſt Ordinem Fratrum Minorum; vita & miraculis glorioſus, Sanctorum catalogo meruit adſcribi.* Pro *Mariani*, ſcribit *Marini. Civitate Nurenberga, ſancti Sebaldi peregrini & confeſſoris, filii regis Daciæ. Civitate Anagina, XL miliario ab urbe Roma, via quæ Latina nuncupatur, depoſitio ſancti Magni, epiſcopi & confeſſoris. Hic in partibus Apuliæ, civitate Tranas oriundus, oves vicinorum in paſcuis pro mercede cuſtodivit, ut parentes ſuos pauperes inde ſuſtentaret. Qui poſtea, angelo duce per beatum Redemptum epiſcopum baptizatus, ac perfecte in fide inſtructus, & in brevi tempore ſufficienter litteralibus ſtudiis edoctus eſt, paucis decurrentibus annis epiſcopus ordinatus, & multis perpeſſus inſidiis, tandem beato fine quievit.* — *De Ludovic. Sebaldi. De Magno ep. Anag.*

BELIN. *Natale ſanctorum Magni & Andreæ cum* &c. Cetera ſatis pura ſunt, niſi quod ſcribat *Martini* pro *Mariani.* Dein adjungit: *Eodem die in Provincia, apud caſtrum de Brignola, depoſitio ſancti Ludovici epiſcopi & confeſſoris. Qui inde Marſiliam deportatus, in eccleſia Fratrum Minorum, ibidem honorifice conditus eſt. Item octava ſanctæ Claræ virginis. Apud Mantuanam civitatem, ſancti Ruffini confeſſoris.* — *DeLudov. Oct. Claræ. Ruffini.*

GREVEN. *Magni, regis Noreganorum & martyris. Apud Maſſiliam, natale beati Ludovici epiſcopi & confeſſoris, qui cum eſſet* &c. ut ſupra. In Magno Anagnino etiam parum admodum diſtat ab EDITIONE LUBECO-COL. Sequitur: *Bertulphi abbatis & confeſſoris. Sebaldi confeſſoris, filii regis Daciæ. Hic ſponſam nobiliſſimam ſortitus, exemplo beati Alexii, ipſam, parentes, omniaque ſua reliquit. In vita ſolitaria Deo puriſſimum ſervitium exhibens, multis miraculis coruſcabat, inter quæ comitibus itineris oratione panem ſubcinericium impetravit; cilicio ſuper aquas poſito flumen tranſiit. Tandem plenus bonis actibus apud Nurenbergenſe oppidum quievit. Richardis virginis. Ermelinæ virginis.* — *Mag. R.M. Ludovici. Magn. Anag. Bertulphi. DeSebaldo. Richardis. Ermelinæ.*

MOLAN. De Mariano, *cujus geſta habentur.* In Ludovico, BELINUM deſcribit. *Apud Mantuam, ſancti Rufini confeſſoris. In Bobio, ſancti Bertulphi abbatis.* Dein typis minoribus: *Sebaldi confeſſoris, filii regis Daciæ: qui plenus bonis actibus apud Nurembergenſe oppidum quievit.* Editiones aliæ, de Ludovico ponunt, *caſtro Brincola:* reliqua ut BELIN. De Rufino & Bertulpho, ut ſupra. *Eodem die, ſancti Elaphii, Catalaunis epiſcopi & confeſſoris. Nurenberga civitate, depoſitio ſancti Sebaldi confeſſoris, filii regis Daciæ.* — *Ludovici. Rufini. Bertulphi Sebaldi. Elaphii.*

Samuelis. SAmuelis prophetæ, cujus ſacra oſſa, ut Hieronimus ſcribit, Auguſtus Archadius de Judea tranſtulit Traciam. Eodem die, *Porphyrii.* beati Porphirii hominis Dei, qui ſanctum martyrem Agapitum erudivit in fide & doctrina Chriſti. Herio inſula, ſancti Phili- *Filiberti.* berti abbatis, qui poſt militiam temporalem, Chriſti tyrocinio mancipatus, monaſteriorum extitit fundator devotus. Civitate Corduba, *Leovigild & Chriſtophori.* ſanctorum monachorum Leovigildi & Chriſtofori, quorum corpora poſt abſciſionem capitis, igni tradita ſunt.

Ex *Praten. Herinien. Antverp-majore*, *Roſweyd.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Præmitto orthographica : *Samuhelis*, *Jeronimus*, *Jheronymus*, *Hieronimus*, *Archadius*, *Judea*, *Traciam*, *Porphirii*, *Filiberti*, *Phyliberti*, *Philiberti*, *tyrocinio*, *tirocinio*, *Chriſtophori*, *Chriſtofori*, *Criſtophori*, *abſciſionem* &c. In quibus omnibus hîc & nunc ſcribendis, uniformitas ſemper ſervari omnino non poteſt, utpote quam in codicibus meis non reperio. Itaque ea hîc & alibi ſecundum majorem codicum conſonantium auctoritatem efformo. Novi, præferenda *Hieronymus*, *Arcadii*, *Judæa*, *Thraciam*, *Porphyrii*, *Filiberti*, *tirocinio*, *Chriſtophori*, *abſciſſionem*, nemo tamen vitio vertat aliam me lectionem ſequi. Molan. pro *hominis Dei*. ſcripſit *viri Dei*. Praten. pro *Chriſti* tirocinio, habet *Chriſto*.

OBSERVATIO. *Samuel propheta* notatur à Beda: Rabanus caſu mutato ſcripſit: *Samuelis prophetæ*. Et hoc etiam modo habet Romanum parvum. Ado non prophetæ encomium, ſed brevem tranſlationis hiſtoriam exHieronymo adverſus Vigilantium adjunxit, *Samuelis.* quam inter Molani aliorumque Auctaria invenies. Wandelberti verſiculos infra dabimus. Uſuardus id ſolum ex Adone accepit quod in laterculo repræſentavimus. De Porphyrio ſic legit Romanum parvum: *Et Porphyrii hominis Dei*, de quo antiquiores non meminêre. Quæcumque ab Adone ex Agapiti Actis adjecta ſunt, Noſter ad verbum deſcripſit. Ut autem clarius pateat Actorum Agapiti Præneſtini & Venantii Camerini confuſio, conſule hujus lectiones in Breviario Romano ad XVIII Maii, in quibus *Cornicularius à beato* *Porphyrii.* *Porphyrio presbytero cum familia baptizatus* dicitur, &c. Quæ ſane tam ſunt conformia, ut non poſſint non ex unis Actis ad altera tranſlata ſupponi, niſi miraculum novum fingere velimus. Sed de his, pro inſtituti noſtri ratione ſatis dictum eſt. De *Filiberto* *Filiberti.* memini Wandelbertus XX Julii : *Et ternam denam Philibertus ſanctus adornat.* Eodem ipſo die codicibus Adonianis adjectus reperitur, alteri abbati Vulmaro conjunctus. Hoc vero die apographo Hieronymiano uni alterive ſuperadditus eſt, memoratus etiam à Floro & Rabano. Non arbitror ex eorum ullo in Uſuardum tranſiiſſe, qui proprio marte totam annuntiationem noſtram compoſuiſſe omnino videtur. Filiberti vitam, à ſuppari monacho ſcriptam, edidit Surius, ſolita ſua mutandi ſtyli libertate uſus. At primigeniæ phraſi *Leovigildi* reſtituit Mabilio ſec. 2 Benedict. à pag. 816 ; tranſlationes aliaque ad ſec. 4 remittens. *& Chriſtoph* Vide ibi parte 1 à pag, 537. *Leovigildus* item & *Chriſtophorus* ipſi ſoli debentur, ex Hiſpania cum pluribus aliis allati, ut non ſemel alibi diximus. Conſule Memoriale Eulogii libro 2 cap. 11. De Samuele hæc hodie prædicat Wandelbertus :

Tertia poſt denam Samuele excellet, ab ipſis
Quem Domino cunis genitrix devota ſacravit.

AUCTARIA.

PULSANEN. In duabus primis purus, poſtremas duas omittit.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Puri ſunt, niſi quod in Porphyrio deficiant; in fine autem excedant in nova annuntiatione de *Bernardi.* ſancto Bernardo: *In territorio Lingonenſi, depoſitio beati Bernardi, primi Clarevallenſis abbatis, viri vita, doctrina & miraculis glorioſi.*

MUNERAT. Textui puro in fine ſubdit : *In* *Bernardi.* *territorio Lingonenſi, beati Bernardi.*

GREVEN. Toto etiam textu purus, in fine utitur ſigno LL, de quo egimus quinta hujus in ſancto Dominico & alibi, quo nempe indicat, Sanctum eo ſigno affectum Uſuardo eſſe ſu- *Bernardi.* peradditum. Debuit ergo inter Auctaria reponi, quod hodie ſic habet: *Item in Clara-valle, ſancti Bernardi abbatis.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. & LOVANIEN. Secundo loco poſt Samuelis, in- *Bernardi.* ferunt : *In territorio Lingonenſi, depoſitio beati Bernardi, primi Clarevallenſis abbatis, viri doctrina & miraculis glorioſi.* Sequuntur reliqua textus pure. In fine : *Ipſo die, ſancti Auctoris Tre-* *Auctoris.* *verorum epiſcopi.* An non Metenſium, x Aug. ?

AL-

ALBERG. & DANIC. In eo à ſuperioribus differunt, quod de Bernardo agant primo loco, & Porphyrii commemorationem, ab aliis ſuo loco poſitam, hi duo plane omittant. *Idem.*

CENTULEN. *Samuelis prophetæ, cujus ſacra oſſa Archadius Auguſtus de Judea tranſtulit Thraciam, portantibus epiſcopis, & omnibus eccleſiarum populis tanta leticia concurrentibus, quaſi præſentem viventemque cernerent. Eodem die, ſancti Porphirii hominis Dei. Herio inſula, ſancti Philiberti abbatis, qui de militia temporali, Chriſti tyrocinio mancipatus, monaſteriorum extitit fundator devotus. Civitate Corduba, ſanctorum monachorum Leovigildi & Chriſtophori, quorum corpora poſt decollationem igni tradita ſunt.* *De Samuele.* *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. Incipit à Bernardo, ut ſupra. Tum: *Item ſancti Samuelis prophetæ. Cujus ſacra oſſa Archadius Auguſtus de Judea tranſtulit Trachiam. Portantibus autem epiſcopis, & omnium eccleſiarum populis occurrentibus, tanta leticia facta eſt, quaſi preſentem viventemque cernerent atque ſuſciperent, ita ut de Paleſtina uſque ad Calcedonem jungerentur agmina populorum, & in laude Chriſti una voce perſonarent. Scribit beatus Jerominus.* In Porphyrio ſcribit, *Agipitum ſeu Agathonem.* In Cordubenſibus purus eſt. De Filiberto ſubjicit: *Et ſpecialiter cenobii Ginegrenenſis, in territorio Rothomagenſi. Cujus abbatiam quam ipſe gerebat* [regebat] *ob tyrannidem Ebronii* [an non *Ebroini?*] *apoſtatæ reliquit. Apud Treverim, ſancti Auctoris epiſcopi & confeſſoris.* Vide Auctaria x Auguſti. Niſi duo diverſi ſint. *De Samuele.* *De Filiberto.* *Auctoris.*

HAGENOYEN. De Samuele longum ex ſacris litteris commentarium texit, quem non vacat tranſcribere. In Porphyrio purus eſt. De Filiberto & Cordubenſibus egit die præcedenti. Sic modo pergit: *Eodem die, depoſitio ſancti Bernhardi, abbatis Clarevallenſis in territorio Lingonenſi. Hic ex nobilibus parentibus de Burgundia natus eſt; de patre Celmo & matre Aleyde valde religioſis. Hic quinque habuit fratres & unam ſororem. Et ipſe Bernhardus, tertius in ordine erat filiorum, quem mater prævidit in utero ejus tanquam catulum totum candidum, & in capite ac dorſo raſum, & maxime audivit latrantem. Hic cum eſſet adhuc puerulus, Chriſtum in nocte Dominicæ nativitatis, quaſi puerum naſcentem de beata Virgine, vidit. Juvenis caſtitatem multum amavit, & monachus factus in viceſimo ſecundo anno ætatis ſuæ, totum ſe dedit patientiæ, abſtinentiæ, humilitatis & caritatis* [operibus] *per omnes dies vitæ ſuæ. Hic perpetratis multis miraculis & multis deſcriptis libris, & monaſteriis ſui Ordinis centum & ſexaginta ædificatis, anno ſexageſimo tertio ætatis ejus obiit in pace, teſtamentum karitatis, humilitatis, patientiæ, abſtinentiæ ſuis fratribus relinquens. Item in Anglia, ſancti Oſwini regis & martyris. Treveris, ſancti Auctoris epiſcops & confeſſoris.* *Bernardi cum elogio.* *Oſwini.* *Auctoris.*

AQUICINCT. In fine addit: *Cainone caſtro, ſancti Maximi confeſſoris.* Deinde calamo notabiliter recentiore: *Depoſitio ſancti Bernardi abbatis.* Habes ſupra elogium ſatis longum. *Maximi.* *Bernardi.*

AMBIANEN. *Ipſo die, ſancti Bernardi, abbatis Clarevallenſis.* *Bernardi.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Bernardi abbatis. Samuelis prophetæ. Porphyrii, qui ſanctum Agapitum puerum erudivit. Philiberti, primo militis, poſtea abbatis.*

CLUNIACEN. & ALTEMPS. *Cainone caſtro, ſancti Maximi confeſſoris.* Fuit diſcipulus S. Martini Turonenſis; Gallicè vocatur *Même.* *Maximi.*

REG. SUEC. num. 428. *In partibus Burgundiæ, loco qui dicitur Claravallis, depoſitio ſancti Bernardi abbatis.* *Bernardi.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt Samuelis & Filiberti. Adjicitur: *In Lucania, ſancti Leoncii.* *Leoncii.*

UGHELLIAN. Deeſt Porphyrii. In fine: *In territorio Lingonenſi, depoſitio beati Bernardi, primi abbatis Clarevallenſis.* *Bernardi.*

FLORENTIN. *Sancti Bernardi ..... Sancti Stephani ..... Sancti Potiti pueri q. ã* [puto velle dicere *qui paſſus eſt*] *in Apulia provincia tempore Antonini imperatoris.* *Stephani.* *Potiti.*

BURDEGALEN. *Cainone caſtro, ſancti Maximini confeſſoris.* Lege cum aliis, *Maximi.* *Maximini.*

CODEX MONTIS SANCTI. *Ipſo die, innovatur ſanctorum confeſſorum Amati, Romarici, & Adelſi celebritas annua. Eodem die, tranſlatio S. Gebetrudis.* Vide Caſtell. pag. 785 & in indice. *Amati &c.* *De Gebetrud.*

EDITIO LUBECO-COL. De Samuele, fere ſimilis eſt BRUXELLEN. Sequitur: *In territorio Lingonenſi, monaſterio Clarevallis, depoſitio beati Bernardi, primi ejuſdem loci abbatis & confeſſoris, viri vita, doctrina & miraculis glorioſi. Qui monaſteriorum & monachorum extitit fundator & pater inclytus.* In Filiberto, Cordubenſibus & Porphyrio ſatis pura eſt. Tum: *Treveris beati Auctoris, epiſcopi & confeſſoris: qui in Brunſwich per tranſlationem requieſcit. Ipſo die, beati Stephani, regis Ungariæ, & confeſſoris. Item, commemoratio ſancti Malachiæ epiſcopi & confeſſoris.* In Rom. ponitur depoſitio 111 Nov. *De Bernardo* *De Auctore.* *Stephani.* *Malachiæ.*

BELIN. In Samuele purus, in Cordubenſibus corruptus eſt. Rurſus in Porphyrio purus, in Filiberto totum elogium expunxit. Tum: *In Ungaria, civitate regia Albaregali, ſancti Stephani regis, qui primus Ungaros ad fidem convertit.* In Bernardo ſimilis eſt ANTVERP. & MAX-LUBEC. *Cainone caſtro, ſancti Maximi confeſſoris.* *Stephani.* *Maximi.*

GREVEN. *Oſwini, regis provinciæ Deirorum & martyris. Cujus inſtantem obitum (ut ſcribit Beda lib. 3.) cum ſanctus Aidanus epiſcopus prædiceret, non eſt, inquit, digna hæc gens talem habere rectorem. In Lucania, ſanctorum Valentiani & Leontii. Stephani, regis Hungariæ & confeſſoris. Qui ubi inſtantia uxoris ſuæ ſanctiſſimæ Geiſilæ, ſororis ſancti Henrici imperatoris, fidem Chriſti ſuſcepit, induſtria ſua populum ſuum ad idem induxit, plenuſque operibus bonis, beato fine quievit. Treveris, ſancti Auctoris epiſcopi & confeſſoris, in Brunſwich quieſcentis. Julianæ virginis & martyris, ac aliorum quatuor. Commemoratio ſancti Malachiæ epiſcopi & confeſſoris.* Vide ſupra. *Oſwini.* *Valentiani & Leontii.* *De Stephano* *Auctoris.* *Julianæ &c.* *Malachiæ.*

MOLAN. De Samuele, aliis litteris textui inſerit: *Portantibus epiſcopis, & omnium eccleſiarum populis tanta lætitia occurrentibus, quaſi viventem ſuſciperent: ut de Paleſtina uſque Calcedonem jungerentur populorum examina & in Chriſti laudes una voce reſonarent. Scribit ſanctus Hieronymus in libro contra Vigilantium.* In fine: *In Hungaria, civitate regia Alba regali, ſancti Stephani regis, qui primus Hungaros ad fidem convertit:* ex BELINO, ut etiam facit in Bernardo & Maximo. *Ipſo die, ſancti Auctoris Treverorum epiſcopi.* Dein typis minoribus: *In Brunſwyc quieſcentis.* In Oſwino GREVENUM deſcribit. Sequitur: *Daventriæ, obiit beatus Gerardus cognomento magnus. Et in Villario monaſterio, Ordinis Ciſtertienſis, beatus Gobertus ex Comite Aſperi montis, ibidem egregiæ ſanctitatis monachus.* Editiones aliæ præter dicta, de Samuele, etiam Bernardi annuntiationem textui admi- *De Samuele.* *Stephani.* *Auctoris.* *Gerardi.* *Goberti.*

admiſcent. In fine, de Stephano, Maximo & Auctore, ut ſupra. *In Anglia, ſancti Oſuini martyris, regis Deirorum. Cujus inſtantem* &c. Tum typis minoribus: *Daventriæ, obitus beati Gerardi cognomento magni, qui initium dedit Fratribus de communi vita. Villario monaſterio, obitus Goberti, ex Comite Aſperi montis* &c., ut in editione priori. *Vuormatiæ, obitus Burchardi epiſcopi.*

Oſwini.

Burchardi.

XII *Kal.* *Die* 21.

Privati. IN territorio civitatis Gavalitanæ, paſſio ſancti Privati epiſcopi & martyris, qui paſſus eſt perſecutione Valeriani & Galieni. Eodem die, natalis ſanctorum martyrum Bonoſi & *Bonoſi & Maximian* Maximiani, quorum geſta habentur. Et in civitate Salona, ſancti *Anaſtaſii.* Anaſtaſii martyris, qui pro confeſſione nominis Chriſti jubente Aurelio imperatore interemptus eſt.

Textus ſumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-majore, Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Solus Antverp-major légit, *paſſus eſt ſub perſecutione*, reliqui omnes omittunt particulam, *ſub*. Quod Munerat. habeat *Ganalitanæ*, typographi vitio tribuendum puto. Item *Bodoſi*, pro *Bonoſi*. Idem dic de *Maximi* pro *Maximiani* apud Greven., qui præterea cum Molano ſcribit, *quorum actus habentur*. Omnes ponunt: *Et in civitate Salona*, neſcio cur Molan. expunxerit particulam, *in*. Hæret hîc denuo Uſuardus in confuſione ſuperius memorata circa nomina *Aureliani*, in *Aurelii* contra quam Ado expreſſiſſime legat, ut ſupra diximus in Agapito XVIII Auguſti: uter, an neuter præferendus ſit, alibi diſcutiendum.

Privati. OBSERVATIO. *In Gavallis, vico Mimmatenſi, paſſio Privati martyris*, inquiunt apographa Hieronymiana ultimo loco. Videri ad hæc poſſunt Notationes Florentinii, atque item Baronii ad Martyrologium Romanum. Rabanus ex Hieronymianis ſua plane deſcripſit, nulla etiam dignitatis epiſcopalis facta mentione. Flori elogium & deſideratam dignitatem, & tempus certaminis, & barbaros à quibus martyrio affectus creditur, diſertius exprimit. Romanum parvum de Privato non meminit. Credidérim itaque ex Gregorio Turonenſi ſua ſumpſiſſe Adonem, quæ curſim ſolum attingit, deſcripta à Noſtro, exceptis dumtaxat his verbis, *vico Minatenſi*, pro quo legendum *Mimatenſi*, ut ex laudato Gregorio aliiſque à Baronio citatis, fuſius ſuo loco deducemus. Opportunas ſuppetias feret Tillemontius tomo 4 à pag. 221, ac in notis à pag. 651. Wandelbertus unico ſuo verſiculo, unum Privatum hodie exornat:

Martyris hinc duodena Privati ſanguine fulget.

Bonoſus & *Maximianus* ab antiquioribus omnibus præteriti, neſcio unde in Adonis *Bonoſi & Maximian* notitiam primum devenerint, à quo in ſacris Faſtis conſignati ſunt iiſdem ipſis verbis, quæ ex ipſo ab Uſuardo deſumpta, in indiculo noſtro dedimus. Idque adeo mirandum magis, quod idem Ado diſerte aſſerat, eorum *Acta haberi*, quæ tamen eum numquam vidiſſe, inde indubitatum redditur, quod nec verbum ex iis proferat, nuda producens nomina, ex quibus nec de loco martyrii, nec de tempore quidquam conjicere valeas. Fatetur Baronius, ea ſuo tempore, & nos fatemur, à Majoribus noſtris nuſquam fuiſſe reperta: unde ſummæ debentur gratiæ Theodorico Ruinartio, qui ipſa ex cod. Ms. monaſterii B. Mariæ Silvæ-majoris in diœceſi Burdegalenſi eruta, primus inter ſincera & ſelecta in lucem extulit à pag. 663, ubi & eadem eruditis obſervationibus hinc inde illuſtrat. Porro ex Actis illis colligitur, diem XXI Auguſti, quaſi pro arbitrio ab Adone ſelectum eſſe (an Caſtellanus recte XX Septembris prætulerit, æque ferme incertum eſt.) Palæſtram autem, Antiochiam fuiſſe; tyrannum, Julianum Comitem, imperatoris apoſtatæ avunculum, & ipſum apoſtatam, Chriſtianis infenſiſſimum; Martyres vero illos, profeſſione milites, *Labari* Chriſtiani cauſa, quod illud in paganum mutare conſtanter abnuerent, dire excruciatos; demum alterius ex his nomen, non *Maximianus*, ſed *Maximilianus* exprimendum, hîc paucis indicaſſe ſufficiat. Vide interim *Anaſtaſii.* Tillemontium tomo 7, à pag. 406. & 739. Romanum parvum de ſolo *Anaſtaſio* hac die agit: *Salonæ, Anaſtaſii martyris*. Pluſcula ſuggerit Ado ex Actis ſancti Agapiti, ubi *Cornicularius miles* dicitur. Uſuardus non plura deſcripſit, quam in laterculo exhibuimus, priori & ſuperius indicatæ mutationi inſiſtens, in nominibus *Aurelii* & *Aureliani*. Plura ex præfato Adone dabunt Auctaria. Quod die præcedenti de Porphyrio obſervatum

vitum est, hîc de Anastasio plane recurrit, nam in citatis Venantii Lectionibus, *Corniculârius* idem, qui hîc ab Adone refertur, ubi ex demirata Venantii constantia conversus est, poniturque in Martyrologio Romano moderno XI Maii. Plura in Actis memorabimus, ubi *Anastasius Salonensis* procul dubio ab hoc Cornicularío distinguendus erit, & ex Heronymianis ponendus XXVI Augusti, quo die coronàtum asserunt Acta citata apud Tillemontium tomo 5 pag. 148. Ceterum clarissime hîc denuo apparet, Adoniana & Usuardina, quæ recitavimus, esse omnia.

AUCTARIA.

Juliani & sociorum. ROSWEYD. Textui puro subdit: *In Hispaniis, sancti Juliani martyris cum aliis quatuor.* Variant codices.

De altari S. Andreæ. PULSANEN. In textu etiam purus, adjungit in fine: *Eodem die, consecratio altaris beati Andreæ Apostoli.*

Quadrati. ANTVERP. & MAX-LUBEC. Addunt: *Item Quadrati episcopi.* Vide Martyrologium Romanum & notam Baronii huc spectantem.

ANTVERP-MAX ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. In prima & secunda puri, sic tertiam ex Adone adornant: *De Anastasio* *In civitate Salona, sancti Anastasii martyris. Qui cum esset miles & videret sanctum Agapitum inter tormenta Christum fortiter confitentem, exclamans, ait: Magnus est Deus Christianorum & non est alius præter eum. De quo præses cum nuntiasset Aureliano imperatori, jubente ipso interemptus est.* Dein *Quadrati.* in fine: *Item, sancti Quadrati episcopi.*

CENTULEN. *In territorio civitatis Gavalitanæ,* *Textus mutilus.* *sancti Privati episcopi & martyris, qui passus est sub Gallieno. Eodem die, sanctorum martyrum Bonosii & Maximiani.*

BRUXELLEN. In tribus primis annuntiationibus, ANTVERP-MAX & ceteris codicibus haud absimilis, subjungit: *Et in Hispaniis, natale sanctorum martyrum Julii & Juliani. Et sancti* *Julii & Juliani. Quadrati. Flori.* *Quadrati. Et beati Flori abbatis, discipuli sancti Mauri abbatis.*

HAGENOYEN. *In civitate Gavalitana, in territorio ejusdem, passio sancti Privati* &c. ut in *Quadrati.* textu. *Item sancti Quadrati episcopi.* In Bonoso & Maximiano purus est. De Anastasio ferme ut supra ex ANTVERP-MAX. &c. Demum: *Antonii.* *Romæ, sancti Antonii martyris, qui cum Christianum* [se] *libere fateretur, jubente Vitellio judice, capitali sententia damnatus est, viaque Aurelia sepultus.* Vide die sequenti.

AQUICINCT. In fine: *Item, sancti Quadrati* *Quadrati.* *episcopi.* Vide superius dicta.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Privati* *Textus contractus.* *episcopi & martyris. Bonosii & Maximiani martyrum. Anastasii martyris.*

Valentii & Leoncii. Julii &c. VATICAN. num. 5949. Adjicit: *Natalis sanctorum Valentii & Leoncii in sancta Sophia. In Hispania, sanctorum Julii, Juliani, Vincentii, Augurii, Fructuosi. In Sardinia, sancti Quadrati Quadrati.* *episcopi.* In aliis deest positio.

UGHELLIAN. *Item Quadrati episcopi.* Idem *Quadrati.* sæpius recurrit, ut vide supra.

FLORENTIN *Apud Sardiniam, civitate Carilitana, passio sanctorum martyrum Russoris* [MEDIC. *Russoris & Ruxoris*] *Caselli & Camerini, sub Diocletiano &* *sociorum.* *Maximiano imperatoribus, præsidente Dalasio præside.* Adjungit STROZZIAN. *Passi sunt pro Christo. Caput autem sancti Russoris inde translatum Florentiæ, positum est in ecclesia omnium Sanctorum.* Vide & Martyrum & locorum nomina melius in Romano expressa. Quanti autem facienda sint, quæ occasione *Luxorii* & *Camerini* à Tamayo hoc die corrasa sunt, dicet Card. Aguirrius apud Papebrochium in Resp. art. 18 num. 42.

EDITIO LUBECO-COL. *In territorio civitatis Gavalitanæ, vico Minacensi, passio* &c. Sequitur de Anastasio, ut ANTVERP-MAX. &c. supra. In Bonoso & Maximiano pura est. Denique: *Quadrati.* *In ipso die, sancti Quadrati episcopi & confessoris.*

BELIN. Incipit: *Natale sanctorum martyrum Lusorii &* *Lusorii, Ceselli & Camerini.* Si hæc ex FLOREN- *sociorum.* TIN. accepta sunt, polita videntur nomina. In Privato satis purus est. Sequitur: *Eodem die,* *sanctorum martyrum Bonosii, Maximi & Ma-* *Bonosii &c.* *ximiani, quorum* &c. In Anastasio purus, subdit *Quadrati.* in fine: *Item Quadrati episcopi.*

GREVEN. *Juliani & aliorum quatuor martyrum.* *Juliani &c.* *Item, sanctorum martyrum, Lusorii, Ciselli &* *Lusorii &c.* *Camerini. Quadrati episcopi & confessoris. In* *Contæ.* *Alexandria, Contæ nobilis. Quiriacæ, matronæ* *Quiriacæ.* *Romanæ & martyris, in Wesalia superiori quiescentis*

MOLAN. In Lusorio & sociis BELIN. aut *Quadrati.* GREVEN. descripsit Tum: *Item Quadrati epi-* *De Quiriaca.* *scopi.* Dein typis minoribus: *Quiriacæ, matronæ* *Romanæ, & martyris in Uvesalia superiori quiescentis, apud Carmelitas, de qua in passione beati* *Laurentii.* Editiones posteriores, BELIN. pressius imitatæ, aliis litteris textui præfigunt: *Natale sanctorum martyrum Lusorii, Ciselli & Ca-* *Lusorii &c.* *merini.* In fine de Quadrato, ut in prima editione. Tum: *Et sanctæ martyris Bassæ. Romæ in agro* *Bassæ.* *Verano, sanctæ Cyriacæ martyris; quæ in Vuesalia, translata quiescit.* De Cyriaca & Bassa vide *Cyriacæ.* Romanum, ubi utriusque elogia invenies.

XI *Kal.* *Die* 22.

ROmæ via Ostiensi, natalis beati Timothei martyris, qui ten- *Timothei.* tus ab Urbis præfecto, & longa carceris custodia maceratus, cum sacrificare idolis noluisset, tertiò cæsus & gravissimis suppliciis attrectatus, ad ultimum decollatus est. Eodem die Augustuduni, sancti Simphoriani, tempore Aurelii imperatoris, qui cum ido- *Symphoriani.* lis sacrificare nollet, primò verberibus affectus, deinde carceri manci-

patus, ad ultimum cæso capite martyrium consummavit. In portu
Martial. & sociorum. Romano, sanctorum peregrinorum martyrum Martialis, Epicteti, Saturnini, Aprilis & Felicis cum sociis eorum. Item Romæ, sancti
Antonii. Antonii martyris, qui, cum se Christianum liberè fateretur, jubente Vitellio judice, capitali sententia est damnatus, viaque Aurelia sepultus.

Ita *Praten. Herinien. Antverp-major, Rosweyd. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. In Greven. est *Hostiensi*, in Antverp-maj. & Rosweyd. *Ostensi.* In Herinien. & Antverp-maj. *Thimothei.* Item in eisdem & Rosweyd. *terciò.* Antverp-maj. post *cæsus*, omisit particulam *et.* Quodque maxime notandum est, Greven. & Molan. *præfecto* addiderunt nomen, *Tarquinio*, quod etiam faciunt codices recentiores; ast Usuardum illud expunxisse, indubitatum videtur. Herinien. pro *attrectatus*, habet *adtractatus*, pejus Antverp-maj. *attractus.* Omnes scribunt *Augustuduni* vel *Augustuauno.* Munerat. & Molan. *Symphoriani*; ceteri simpliciter cum textu. Iterum conveniunt vetusti codices in *Aurelii*, licet Ado posuerit *Aureliani.* Nota, Muneratum post *Symphoriani*, adjicere *martyris.* Scribit hic etiam cum Antverp-maj. & Greven. *Marcialis*: item *Epictei* cum eodem Antverp-maj. & Rosweydo; Greven. legit, *Epiceti.* De *Dampnatus* dixi alibi. Rosweyd. postponit *est*, Antverp-maj in finem rejicit. Greven. & Molan. phrasim nonnihil in principio variant; *qui, cum se libere fateretur Christianum.* Et præterea Molan. prò *Antonii*, scribit *Anthonini.*

Timothei. *OBSERVATIO.* Hodiernum laterculum totum ex Adonianis verbis, servato annuntiationum ordine, contextum est; altius tamen repeti potest prima earum scaturigo. Atque ut à prima exordiar, *Timothei* illustrissimi sane martyris commemoratio miro consensu vetustis Kalendariis, Bucherianо, Carthaginensi, Allatiano, Frontoniano, Gregorii Sacramentario & Martyrologiis omnibus inserta est. Illum itaque celebrant Hieronymiana, sed cum titulo *discipuli Pauli Apostoli*, quam confusionem Florentinius in Notationibus expendit & explicat: sed dubiæ plenum opus est aleæ. Clarius loquuntur Beda, Rabanus, Romanum parvum, Ado & Wandelbertus. Primus ei elogium concinnavit laudatus Beda, descriptum à Rabano, ab Adone modice decurtatum; ex hoc à Nostro eleganter contractum, sicut textus supra exhibet. Qua fide nitatur Timothei hujus historia, hîc non disputo, certe cum ex Actis sancti Silvestri acceptam fateantur & Beda & Ado, de ejus veritate facile statuet eruditus lector, salvâ semper antiquissimi & celeberrimi cultûs integritate; si modo & Kalendaria & Martyrologia eumdem ipsum Timotheum in Actis sancti Silvestri memoratum consignent, quod equidem hactenus satis aperte perspicere nequeo. Multa, occasione Timothei, notavit hoc die Baronius, sed quæ nostram hanc difficultatem non tangunt. Nonnulla delibat Tillemontius tomo 2 pag. 618, verum plura alia in Actis erunt discutienda. Quod nostri hîc officii est, Wandelberti versus, qui hanc & sequentem annuntiationem complectuntur, subjicimus:

Undecimam Romæ Timotheus passus honorat,
Æduatumque suum celebrat plebs Symphorianum;
Mater quem Christo pariter moritura dicavit.

Symphoriani. Non minus inclyta est & certioribus Actis suffulta jam laudati *Symphoriani Augustodunensis* memoria, quæ quidem in vetustis Kalendariis signata non est, nihilo tamen minus & notissima & in Galliis celebratissima. Ejus meminerunt codices Hieronymiani; item Beda & totidem verbis Rabanus. Florus breve elogium addidit, temporis notas definiens sub *Aureliano imperatore* & *Heraclio Consulari*; & ipsas easdem servat Ado, ex Actis à Mombritio & Surio vulgatis, atque à Baronio probatis, procul dubio acceptas. Acta ipsa apud nos exstant Mss.; eorum inter Selecta editor & primigeniæ puritatis restitutor Ruinartius à pag. 69, prædictas temporis notas rejicit, & pro *Aureliani*, scribendum censet *Aurelii*, ut fecit Noster jam non semel, desertâ Adonis lectione, à quo tamen reliqua sua omnia ad apicem transumpsit. Utra porro temporum ratio præferenda sit, non est hujus loci statuere. Legi potest Tillemontius tomo 3 à pag 43, sed maxime à pag. 609, ubi de prædictis temporum notis ex professo disputat. Vide etiam Missam in
Martyrum peregrin. Missali Gothico seu Gallicano apud Thomasium pag. 371. *Peregrini martyres*, an ii verè sint, qui hîc nominatim exprimuntur, dubium reddunt Hieronymiana apographa, quæ Flo-

Florentinius conciliare conatur. Romanum parvum ſic loquitur: *Et peregrinorum martyrum, Martialis, Epicteti, Saturnini, cum ſociis eorum. Aprilem* & *Felicem* adjunxit Ado, præfixa poſitione ex Hieronymianis, in quibus & alia nomina confuſius enumerantur, quorum indiculus in Actis opportunius erit digerendus. Uſuardus annuntiationem ſuam verbatim ex Adone deſcripſit. *Antonii martyris* vel *Antonini*, primus meminit auctor Romani parvi, ex quo in Adonem tranſiit, elogio ex Actis ſancti Euſebii adornato, cujus principium & finem Noſter conjunxit, in omnibus, ut ſupra dicebam, plane Adonianus. *Antonii.*

AUCTARIA.

Oct. Aſſump. PULSANEN. Incipit: *Octava beatiſſimæ Dei genitricis & Virginis Mariæ.* In Timotheo purus eſt. Et in Symphoriano, uſque ad, *Aureliani imperato* [illegible] ſunt reliqua omnia.

Idem. ANTVERP. & MAX-LUBEC. In textu ſatis puri, ſubdunt: *Et Octavæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ.* Varia eſt variorum codicum phraſis

Idem. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Textui præponunt: *Octava Aſſumptionis ſanctæ Mariæ.* Legunt, *præfecto Tarquinio*, & pro *Antonii*, ſubſtituunt *Anthonini.*

Hippolyti. ALBERG. & DANIC. Superioribus ſimiles ſunt, ſed præterea ante *in portu Romano*, textui interſerunt: *Item, natale beati Ypoliti martyris.* De quo Uſuardus die ſequenti.

Oct. Aſſump. LOVANIEN. Orditur etiam ab *Octava Aſſumptionis* &c. in Timotheo purus eſt. Symphoriani elogium reſecat. Rurſus in Portuenſibus purus, Antonii elogium expungit.

De Octava Aſſumpt. CENTULEN. *Octava beatæ & gloriosæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ, quæ ſuperno nuntio clarificata & ſpiritu ſancto fœcundata, ab eo qui de illa carnem ſuſcepit, præ omnibus ſublimata, in æternum veneratur benedicta. Romæ, ſancti Tymothei martyris. Auguſtuduni, ſancti Symphoriani martyris, temporibus Aureliani. Item Romæ, beati Antonii martyris.*

Textus contractus. *In portu Romano, martyrum peregrinorum, Marcialis, Epicteti, Aprilis & Felicis cum ſociis eorum.*

Oct. Aſſump. BRUXELLEN. *Octava Aſſumptionis beatæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu Chriſti.* In beato Timotheo deſcribit Bedæ elogium. In tribus aliis ſatis purus eſt. In fine ſubjungit: *Remis*

Martt. 50. *civitate, natale martyrum quinquaginta.*

Translat. Hilarii &c. *Et tranſlatio corporum, ſanctorum Hylarii epiſcopi & confeſſoris, Innocentii martyris, & ſancti Peregrini epiſcopi & martyris in baſilica ſancti Dyoniſii.*

De Timoth. HAGENOYEN. Incipit ab Octava Aſſumptionis, ubi hiſtoriam ſubjungit, quam majori auctoritate firmatam velim. Tum: *Romæ via Oſtienſi, natale beati Timothei martyris, qui ſub perſecutione Neronis, tentus eſt à Tarquinio urbis præfecto, & longa carceris cuſtodia eſt maceratus & cum idolis ſacrificare noluiſſet, tertio eſt cæſus, & graviſſimis eſt pœnis attractatus, & viva calce vulnera ejus ſunt aſperſa, & martyr Dei gratias egit Deo. Tunc duo ſibi angeli dixerunt, reſpice ſurſum, & vidit coronam ſibi præparatam in manu Domini, & ſic decollatus eſt. Eodem die, ſancti*

Apollinaris. *Apollinaris martyris, qui vidit gloriam ſancti Timothei, & ideo ſe baptizari fecit, & cum Timotheo decollatus eſt.* Satis patet confuſio, nec explicatione mea indiget. Vide die ſequenti. De

De Sympbor. Symphoriano poſt *imperatoris*, ita habet: *Qui in juventute ſua tam gravis erat in moribus ſuis, ut ſervorum* [ſeniorum] *vitam anticipare videretur. Hic cum ſtatuam Veneris adorare nollet, primo ſub Eraclio præfecto verberibus afficitur, deinde carceri mancipatur, & ad ultimum capite punitur. In portu Romano, ſanctorum peregrinorum martyrum, Marcialis, Epycteci* &c. pure.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Octava Aſſumptionis beatæ Mariæ. Timothei & Symphoriani martyrum.* In margine notatur: *De iſto Timotheo legitur in vita B. Sylveſtri.* Sequitur: *Mar-* *Martialis C.*
tialis confeſſoris. Et rurſus in margine: *Martialem confeſſorem alibi non invenies.* Pergit textus: *In portu Romano, ſanctorum Peregrinorum martyrum, Martialis, Epicteti & ſociorum eorum decem.* Hæc clarius in textu expreſſa ſunt.

REG. SUEC. ſignatus num. 428. *Eodem die, tranſlatio corporum ſanctorum in cœnobio ſancti* *Tranſlat.*
Dioniſii; hoc eſt, Peregrini, Patrocli, Innocentii *Peregr. &c.*
atque Hilarii epiſcopi & confeſſoris.

FLORENTIN. *Sancti Andreæ diaconi, & mi-* *Andreæ.*
niſtri ſancti Donati de Scotia, epiſcopi Feſulani, cujus corpus honorifice ſepultum eſt in monaſterio ſancti Martini de Menſola [MEDIC. *Lamenſola*] *in territorio Florentino.*

SALINEN. *In Galliis civitate Auguſtoduno, natalis ſanctorum Medardi & Æmiliani cum filiis ſuis octo.* *Medardi & ſociorum.*

REMENS. SS. Timothei & Apoll. *Remis paſſio ſanctorum Mauri presbyteri & cum eo quin-* *Mauri & 50.*
quaginta martyrum.

EDITIO LUBECO-COL. *Octava Aſſumptionis* *Oct. Aſſump.*
gloriosæ Virginis Mariæ. Romæ, via Oſtienſi in cimiterio ejuſdem, natale beati Timothei mar- *De Timoth.*
tyris. Qui tempore Melchiadis Papæ de Antiochia venit Romam, & poſtquam ibidem per annum & tres menſes prædicaſſet & multos ad fidem Chriſti convertiſſet, tentus eſt ..... & juxta Apoſtolum Paulum per ſanctum Melchiadem Papam & ſanctum Silveſtrum devote ſepultus eſt. De Sym- *De Sympbor.*
phoriano, poſt *conſummavit*, ſubdit: *Qui cum ad locum decollationis duceretur, mater ejus de muro exclamans, ait: Nate, nate, memento æternæ vitæ, reſpice ſurſum & regnantem in cælo intuere: tibi vita non tollitur, ſed in melius commutatur. Et tali reformatione animatus, ut ovis in ſua infantia puer ad victimam ductus eſt, quo decollato, honorifice eſt ſepultus.* In Portuenſibus, pura eſt. *Item Romæ,* *Sancti Antonini.*
ſancti Antonini martyris & carnificis. Qui cum &c. *Xonis civitate Galliæ, ſanctorum quinquaginta* *Martt. 50.*
martyrum. Iidem ſunt, ni fallor, qui ſupra Remis adſcribuntur. Vide GREVEN.

BELIN. Initio & fine excedit. Incipit enim: *Oct. Aſſump.*
Octava Aſſumptionis Virginis Mariæ. Et in fine *Hippolyti.*
adjicit: *Item Romæ, ſancti Hypoliti martyris.*

GREVEN. *Octava Aſſumptionis gloriosæ Dei* *Oct. Aſſump.*
genitricis & Virginis Mariæ. Mauri presbyteri & martyris aliorumque quadraginta [prior editio, *Mauri & 40*
ſexaginta, ſed ſcribendum XLIX] *Xonis civitate* *Martt. 50.*
Galliæ, ſanctorum martyrum quinquaginta.

MOLAN. De Timotheo aliis litteris in textu ex Adone miſcet: *Scriptum invenitur in hiſtoria ſancti Silveſtri.* De Antonio, totum ferme Adonis textum deſcribit. In fine: *Octava Aſſumptionis Virginis* *Oct. Aſſump.*
Mariæ.

Hippolyti. Mauri & 50 *Mariæ. Romæ, ſancti Hippolyti martyris. Remis civitate Galliæ, beati Mauri & cum eo quinquaginta martyrum.* Deinde minoribus typis: *Apud Montem Falconis, in civitate Meuania, depoſitio beati Jacobi de-Blanconibus, qui vita, moribus, miraculiſque clarus, ſenio jam confectus, & ſanguine ex crucifixi imagine fluente, facie, veſtibus, manibuſque conſperſus, migravit ad cælum* MCCCI. *Cujus corpus necdum permiſit Dominus videre corruptionem, ſed ſanguinem Domini noſtri adhuc in manu reſervat.* Editiones aliæ vitiatæ. ſunt. Præfigitur aliis litteris, *Octava* &c. Sed pejus textui tribuitur, ſecundo loco: *In portu urbis Romæ, ſanctorum Hippolyti*, Italice *qui dicitur Hippolyt & Nonnus, & ſociorum. In Oſtia, natalis ſanctorum*, typis Romanis, *Quyriaci & Archelas.* Reliqua, ut in priori editione. In fine: *Remis civitate Galliæ, natalis ſancti Mauri martyris cum ſociis ſuis. Qui à Roma cum beato Timotheo Remos veniens, poſtquam verbum Dei ibidem diſſeminans, Apollinarem cum aliis pluribus baptizaſſet, à Lampadio præfecto cum ſociis Sanctis, quos baptizaverat, decollatus eſt. Die vigeſima ſecunda, ſancti martyris Agathonici.* Hæc ex ſolito fonte Græco.

De Jacobo de Blanconibus.

Quiriaci & Archelai.

de Mauro & c.

Agathon.

X *Kal.* *Die* 23.

Donati & ſociorum. Zachæi. Claudii & ſociorum. Hippolyti & ſociorũ. Theonæ. Timothei & Apollinaris. Minervii & Eleazari &c.

NAtalis ſanctorum martyrum Donati, Reſtituti, Valeriani, Fructuoſæ cum aliis duodecim, qui præclariſſimo confeſſionis honore apud Antiochiam coronati ſunt. Eodem die, beati Zochei epiſcopi, qui quartus à Jacobo, Hieroſolimorum eccleſiam clariſſime rexit. Apud Liciam civitate Egea, ſanctorum Claudii, Aſterii & Neonis, qui poſt acerba tormenta cruci affixi ſunt. In portu urbis Romæ, ſanctorum Ypoliti, Quiriaci & Archillai. Alexandriæ, ſancti Theonæ epiſcopi venerabilis & verè Deo digni. Item natalis ſanctorum Timothei & Apollinaris, qui apud Remenſium urbem conſummato martyrio cæleſtia regna meruerunt. Lugduno Galliæ, ſanctorum martyrum Minervii & Eleazari cum filiis octo.

Soli puri ſunt *Herinien. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Zachei*, ſimpliciter ſcribunt omnes, excepto Molan. Male legit Munerat. *Hieroſolimorum eccleſia clariſſime clariuit. Liciam, Egea, Hippoliti* &c. ut alibi. Ceteri Munerati errores ferme ſcriptorii ſunt, ut *Neronis*, pro *Neonis*, *afflixii*, *Achillei*, *vero* Deo digni, *Appollinaris*, *Minervi* &c. ubi deeſt conjunctio *et*. Greven. & Molan. contra communem omnium codicum lectionem ſcribunt, non, *cum filiis*, ſed, *cum aliis octo*, non advertentes nomen *Eleazari* eſſe muliebre, ab *Eleazarum*, ut *Glycerii* à *Glycerium*, *Euſtochii* ab *Euſtochium* &c.

Donati & ſociorum.

Zachæi.

Claudii & ſociorum.

OBSERVATIO. *Antiochenorum* pugilum memoriam, Adonis Martyrologio antiquiorem, hoc die non invenio, nec alium habuit fontem Uſuardus, ex quo ſua ita hauſit, ut nec ſyllabam mutaverit. Quærimus Adonis fontem, ſed nihil hactenus reperire licuit. *Zachæi epiſcopi* meminit Romanum parvum, forte ex Rufino lib. 4 cap. 5, ſed neglectis characteriſticis omnibus, quas Ado appoſuit, & ex eo rurſus ſingulas tranſtulit Uſuardus. De ſequenti claſſe nihil memorant aut Romanum parvum aut Ado. In Hieronymianis purioribus ſolum exprimuntur *Claudius*, *Aſterius* & *Neon*, quos & nos ſupra retulimus, & ex illis acceptos non dubitamus. Martyrii genus ex Actis proconſularibus profluxiſſe neceſſe eſt, quæ pridem à Surio hoc die, & à Baronio ad annum CCLXXXV à num. 3; recentius à Ruinartio vulgata ſunt. An ea integra & genuina viderit Rabanus, dum elogium ſuum compoſuit, non ſatis liquet; cum de crucis ſupplicio, quod à Floro ex præfatis Actis diſerte aſſeritur, nec verbum faciat. Mulieres tamen *Domninam*, vel ut alii *Donuinam* & *Theonillam* ex illis à Rabano ſumptas exiſtimo, quas neſcio quis Pratenſi codici, corrupto textu, inſerendas putavit. Id mihi indicavit oculatiſſimus inſpector Clar. Caſtellanus, obſervata in eo codice eraſione inter *coronati ſunt* & *Alexandriæ*, utrimque excluſive, quâ ſcalpello inducta ſunt omnia, quæ in noſtro textu habentur, eaque ſuperſcripta, quæ in Auctariis primo loco referemus. Suſpicor ego, correctorem illum, laudatum Rabanum ſequi voluiſſe. Utcumque ſit, Pratenſi codici hîc conſentiunt conſueti ejus comites Antverp-major & Roſweyd. cum ipſo ex purorum numero excluſi, quibus & Aquicinctinus forte ſimilis eſt, ut infra dicam. De *Lycia*, ſeu potius *Cilicia*; aliiſque circa hoſce martyres controverſis, vide Florentinii Notationes & Ruinartii ſincera & ſelecta à pag. 278.

Major

Major difficultas eſt in iis quæ ſpectant *Martyres Portuenſes* & *Oſtienſes*, in Hieronymianis diſcretos, in Romano parvo conjunctos & confuſos hoc modo: *Romæ, Hippolyti, Quiriaci & Archillai.* Ado legit: *In Portu Romano.* Noſter hujus deſcripſit omnia. De *Hippolytorum* identitate & varietate actum eſt non ſemel, præſertim XXX Januarii & XIII Auguſti, & plura alibi examinanda ſupererunt: nimirum, utrum hic noſter pridie colendus, an *Nonnus* ad diſtinctionem appellandus, ſoluſque in Portu Romano paſſus ſit? Utrum duo alii *Oſtiæ*? An eorum ſocii, *peregrini* martyres heſterni? Demum, an hic *Hippolytus* fuerit *epiſcopus*, & quidem magnus ille & ſcriptis inclytus, atque alia id genus ambiguæ diſquiſitionis, operoſius ſuo loco pertractandæ, cujus prima ſemina apud Baronium & Florentinium hoc & aliis diebus invenies. Magni Hyppolyti res geſtas & ſcripta diligenter collegit Tillemontius tomo 3 à pag. 238. Cetera ſuperius abunde pro inſtituti hujus noſtri ratione dicta ſunt. Romanum parvum ſcribit: *Theonæ epiſcopi*; breve elogium aptavit Ado, cujus priorem partem Noſter deſumpſit. Videſis Chronologiam noſtram Patriarchalem à num. 173. De *Timotheo* & *Apollinare* agit etiam Florus, ſed Uſuardus nihil in Adonianis verbis mutandum cenſuit. Utrum ad Hieronymiana pertineant, dicet Florentinius. Vide quæ de ipſis habet Surius ex Gregorio Turonenſi. Longiora Acta non deſunt, ſed quæ ſuppoſita videntur, in quibus de Mauro quoque & ſociis agitur, pridie inter Auctaria notatis. Florentinium etiam conſule ſuper *Minervio* & *Eleazaro*. Uſuardi textus non aliunde quam ex præfato ſæpius Adone quærendus eſt; atque inde ſtatue, ex eo deſcripta eſſe omnia, præter annuntiationem unicam, de qua jam ſatis diximus. Wandelberti verſus huc non ſpectat.

Hippolyti & ſociorum.

Theonæ.

Timothei & Apollin.

Minervii & Eleazar

AUCTARIA.

Diſcrepant. à textu.

PRATEN. Ex prætenſo autographo verba, quæ habentur inter *coronati ſunt* & *Alexandriæ*, cum abbreviationibus mihi deſcripſit Caſtellanus: *Apud Liciæ civitate Egea, ſanctorum martyrum Claudii, Aſterii, Neonis, Dominicæ & Theonillæ, qui ſub Lyſia præſide variis pœnis excruciati atque interempti ſunt. In portu urbis Romæ, ſanctorum Ypoliti, Quinti* [Quiriaci] *& Archillai. Eodem die, beati Zachæi, qui quartus ab Jacobo Hieroſolimorum eccleſiam clariſſime rexit*, pro *rexit*, propter ſpatii anguſtias: idque in ANTVERP-MAJORE ita prorſus tranſumptum eſt. Jam dixi, ROSWEYD. & ordine & ſenſu etiam concordare. De AQUICINCT. paulo inferius.

PULSANEN. In Antiochenis & Zachæo purus, de Theona aliquid decerpens, ſic habet: *Alexandriæ, ſancti Theonæ epiſcopi, vere Deo digni.* Deſunt reliqua omnia.

Flaviani & Sidonii.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. In textu puri, in fine ſubdunt: *Item Flaviani & Sydonii epiſcoporum.* Vide notulas Caſtellani.

Vig. Barth. Flavian. &c

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Initio præfigunt: *Vigilia ſancti Bartholomei Apoſtoli.* In fine, addunt: *Item Flaviani & Sydonii epiſcoporum.* Cetera omnes puri ſunt.

Textus contractus & tranſpoſ.

CENTULEN. *Natale ſanctorum martyrum Donati, Reſtituti, Valeriani, Fructuoſæ cum aliis duodecim, qui apud Antiochiam coronati ſunt. Alexandriæ, beati Theonæ epiſcopi venerabilis & vere Deo digni. Eodem die, ſancti Zachæi epiſcopi, qui quartus ab Jacobo Jeroſolimorum rexit eccleſiam. Lugduno Galliæ, ſanctorum martyrum Minervii & Elearæ cum filiis ſuis octo. In Portu urbis Romæ, ſanctorum Ypoliti, Quiriaci & Achilei. Remis, ſanctorum Tymothei & Apollinaris martyrum. In Licia civitate Egea, ſanctorum Claudii, Aſterii & Neonis, qui poſt dura tormenta cruci affixi ſunt.*

De Theona.

BRUXELLEN. Ordinem invertit, ſic incipiens: *Apud urbem Remenſem, ſanctorum Thymothei* &c. In Zachæo & Antiochenis purus eſt. Pro *Theonæ*, ſcribit *Theonis*, additque in fine Adonis verba: *Qui beatum Petrum epiſcopum & martyrem in omni puritate enutrivit. Apud Egeam civitatem Liciæ* &c. In Portuenſibus etiam purus, ultimæ annuntiationi Adonis verba rurſus ſubnectit: *Quorum corpora in cripta, quæ urbi ab Occidente imminet, condita habentur.* In fine: *Item Flaviani & Sydonii epiſcoporum.*

De Portuen. Flaviani &c

HAGENOYEN. Incipit: *Vigilia ſancti Bartholomei Apoſtoli.* Sequitur textus, mutato nonnihil annuntiationum ordine, ſed de cetero ſatis purè. In fine: *Eodem die, ſancti Flaviani epiſcopi & confeſſoris. Item, ſancti Sydonii epiſcopi.*

Vig. Barth. Flaviani. Siaonii.

AQUICINCT. Poſt *Neonis* cum PRATEN. interjicit: *Dominæ & Theonillæ, qui ſub Lyſia præſide, variis pœnis excruciati atque interempti ſunt.* &c. An etiam ſeriem mutaverit, notatum non invenio. In fine autem additur: *Item, ſanctorum Flaviani & Sydonii epiſcoporum.*

Domninæ Flaviani &c

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Vigilia. Claudii, Aſterii & Neonis fratrum martyrum & puerorum, quos judex per varia tormenta fecit crucifigi; & cum eis paſſæ ſunt duæ mulieres cum infantulo. Eleazari cum filiis.*

Vigiliæ.

UGHELLIAN. In fine: *Flaviani & Sidonii epiſcoporum*, ut ſupra ANTVERP. & MAX-LUBEC.

Flaviani & Ebbæ.

ALTEMPS. *In Scotia, ſancta Ebbæ abbatiſſæ.* Colitur XXV Auguſti.

STROZZIAN. *Eodem die, ſancti Flaviani epiſcopi.* De Sidonio non meminit.

Flaviani.

CAUDIACEN. *Apud Caudiacum, natale ſancti Ainandi & ſancti Domnini martyris.*

Ainandi &c.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Vigilia beati Bartholomei Apoſtoli.* Sequitur textus, in ordine nonnihil mutatus & interpolatus. In fine: *Auguſtoduno, beatorum Flaviani & Sidonii epiſcoporum & confeſſorum. Cenomanis, beati Victoris epiſcopi & confeſſoris.* An *Victorii*, qui colitur 1 Septembris?

Vig. Barth. Flaviani &c Victoris.

BELIN. In tribus primis utcumque purus, quarto loco habet de Timotheo &c. Sequitur: *Item Vigilia ſancti Bartholomei Apoſtoli.* Tum de Lugdunenſibus purè. *Alexandriæ, Theonæ epiſcopi.* Prima editio in fine ſolum addit: *Eodem die, ſancti Flaviani epiſcopi.* Sed altera ſic habet: *Eodem die, ſancti Flaviani & Sydonis epiſcopo-*

Vig. Barthol Flaviani &c

coporum. Et licet die præcedenti egerit de S. Hippolyto, hic adjicit: *In portu urbis Romæ, ſancti Hypoliti, Quiriaci & Achelaii.*

Vig. Barth. GREVEN. *Vigilia ſancti Bartholomei Apoſtoli.*
Adæ. *Item ſecundum aliquos hîc: Adæ primi hominis.*
Juſti &c. *Juſti & Abundii martyrum. Auguſtuduni, ſanctorum*
Flaviani &c *Flaviani & Sidonii epiſcoporum & confeſſorum. Cenomannis,*
Victoris. *Victoris epiſcopi & confeſſoris.*
Brumberti. *Brumberti confeſſoris. In eremo Scythi, Theonæ*
Theonæ ab. *abbatis. Civitate Egea, ſanctæ Theonillæ. Oſannæ*
Theonillæ. *virginis. Ebbæ virginis.*
Oſannæ. MOLAN. *Eodem die, ſancti Flaviani epiſcopi.*
Ebbæ. *Et Sidonii epiſcopi. Eodem die, beati Fraubaldi*
Flaviani. *abbatis & confeſſoris. Item, vigilia ſancti Bar-*
Sidonii. *tholomæi Apoſtoli.* Tum minoribus typis: *Quæ*
Fraubaldi. *pleriſque locis jejunii obſervatione celebratur. Item*
Vig. Barth. *ſecundum aliquos hîc, Adæ primi hominis, qui,*
etſi in ſuperbiam elatus & de pomo vetito comedens, ſe totum & ſuam propaginem, originalis peccati labe eam afficiendo & inficiendo, miſere perdiderit; per ſecundum tamen Adam eum à delicto ſuo eductum eſſe, atque vitæ æternæ gaudiis potiri, Catholica tenet Eccleſia. Huc uſque prima editio. In aliis ſolum adduntur ſequentia: *Eodem die, ſancti Flaviani epiſcopi Auguſtoduni. Arvernis, natalis ſancti Sidonii epiſcopi. Cenomanis, beati Fraubaldi abbatis & confeſſoris. Die vigeſima tertia, ſancti Luppi martyris. Item Vigilia ſancti Bartholomæi Apoſtoli.* De ea etiam egerunt plerique alii codices ſuperius citati.

De Adam.

Luppi.

IX *Kal.* *Die* 24.

Bartholomæi. NAtalis beati Bartholomei Apoſtoli, qui apud Indiam Chriſti Euangelium prædicans, decollatione martyrium complevit. Hujus Apoſtoli ſacratiſſimum corpus, primum ad inſulam Liparis, deinde Beneventum tranſlatum, pia fidelium veneratione honoratur. Eodem die, apud Cartaginem, trecentorum martyrum, qui paſſi ſunt tempore Valeriani & Galieni: denique poſt ſupplicia ſibi illata Chriſtum Dei filium, Deum fatentes, in clibanum calcis accenſum demerſi ſunt. Ex quo etiam candidatus ille exercitus bea-

Maſſæ candidæ.

Audoëni. torum, Maſſa candida meruit nuncupari. Civitate Rotomago, ſancti Audoëni, confeſſoris, qui ſeculum ſalubriter deſpiciens, ſanctitatis

Patricii. merito epiſcopii adeptus eſt honorem. Nivernis, Patricii abbatis.

Ex *Praten. Herinien. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Bartholomei ſcribunt codices omnes, excepto Molan. & forte Pratenſi. Sic plura alia errata ſcriptoria recurrunt, quæ hîc conjungo; ut *Lipparis*, *Cartaginem*, *Galieni*, *Rotomago* &c. Munerat. pro, *Denique poſt* &c. poſuit *Deinde*, nihilo emendatiorem inde conſtructionem reddens, de qua vide Obſervationem & Auctaria. Idem male ſcribit *Muſa candida*, pro *Maſſa candida.* Herinien. tranſpoſuit, *ſalubriter ſeculum deſpiciens.* Dubium eſt quid præferri debeat, *epiſcopii honorem*, an *epiſcopi honorem*: primo modo ſcribunt Praten. Herinien. & Roſweyd.; altero, Munerat. Greven. Molan. & Antverp-maj. Hic quidem nitidior eſt, ille ſeculum ſuum magis ſapere videtur, quem proinde in textu reliquimus. Greven. & Molan. ante *Patricii* præfigunt, *ſancti*; reliqui titulum omittunt.

Bartholomæi. OBSERVATIO. *Bartholomæi Apoſtoli* feſtivitatem variis olim diebus celebratam fuiſſe præſertim à Græcis, & quidem hoc tempore, non eodem ubique die in Eccleſia recoli ſatis conſtat. In Sacramentario Gregorii ponitur XXIV, in Kalendario Allatii XXV. Nec minus implexa & incerta ſunt, quæ de ejus geſtis circumferuntur, ſed quæ ad præſens non attinent, uti nec quæ de tranſlatione non ita pridem diſputata ſunt. Ceterum Hieronymiana apographa Bartholomæi, *in Perſida natalem* diem referunt XIII Junii, & ibi codices noſtri aliqui inter Auctaria de eo egerunt. Porro eadem Hieronymiana aliter hodie exprimunt: *In India, ſancti Bartholomæi Apoſtoli*, quæ in vetuſtiſſimo Epternacenſi, ſequenti die leguntur. Utrum earum annuntiatio aliqua pro tranſlationis ſolennitate accipienda ſit, videatur Florentinius citatis diebus & ad Indiculum Apoſtolorum. Item Baronius in Notationibus. In Beda hodie diſerte legitur: *In India, natale Bartholomæi Apoſtoli.* Quem ferme ſequitur Rabanus, nomen interpretans & *viventem à barbaris decoriatum* aſſerens. Romanum parvum ſic ponit: *Bartholomæi Apoſtoli & martyris.* Ado in Martyrologio ſuo Bedæ ſimilior eſt, ſed breve elogium ab ipſo inter feſtivitates Apoſtolorum digeſtum, Noſter fere integrum inde deſcripſit. Quanti valeant encomia de Bartholomæo compoſita, quorum unum edidit Surius, ex Tillemontio tomo I à pag. 387 & in notis eò reducendis facile intelliges, uti & alia ad tranſ-

tranſlationes ſpectantia. Quæ in brevi notula de Apoſtoli vero nomine obſervat Caſtellanus, ab aliis operoſius olim diſquiſita ſunt. Solito longius Wandelberri metricum elogium, Geneſium ex die ſequenti, Apoſtolo ſubjungit, cum Audoëno, de quo infra:

Bartholomæus nonam exornat retinetque beatus,
India quo doctore Dei cognovit honorem,
Herculis & Bacchi inſanis vix eruta ſacris.
Hunc illum fama eſt varia pro ſorte ſepulcri,
Æoliam, Liparem, Beneventi & templa tenere.
Tum quoque Geneſio reſplendet martyre Roma,
Audoënum tumque pium Rothomagus honorat.

Maſſam candidam Carthaginenſem, ſeu potius Uticenſem, paulo forte obſcurius memorant Hieronymiani codices XVIII Auguſti, ubi legi poſſunt Florentinii commentaria. Veroſimile eſt, eodem die recoli in Kalendario Carthaginenſi. Hac die primùm ſignata eſt à Romano parvo his verbis: *Maſſæ candidæ Carthagini.* Martyrum numerum, veroſimiliter ex Prudentio ad trecentos extendit Ado, pro quo recte certat Baronius ex Pontio diacono, aliis, ex S. Auguſtini ſermonibus, minorem fuiſſe opinantibus. Unde porro martyrii genus & alias circumſtantias acceperit laudatus Ado, non ſatis mihi liquet. Uſuardus elogium ejus ſic contraxit, ut duriorem reddiderit conſtructionem, utens adverbio *denique*, dum nihil præceſſit, ad quod merito referri poſſit; quæ procul dubio cauſa fuit, cur codicum aliquorum ſcriptores ad fontem recurrerint, ex quo purius loquerentur, ut oſtendunt Auctaria. Huc ſpectant, quæ ſatis accurate de his martyribus notavit Ruinartius inter ſelecta pag. 199 & 518. Videatur etiam Tillemontius tomo 4 pag. 175 & 640. Hieronymiano Lucenſi præfixa eſt *Audeni depoſitio Rodomo* &c. Florus eamdem poſitionem ſervat, ſed rectius *Audoëni* exprimit cum brevi elogio. Moſander eum Adoni adſcripſit, Roſweydus expunxit, uter melius, problema eſt; elogium certe qualecumque Uſuardi proprium cenſeo. Plures ſervamus Audoëni vitas Mss., & inter has metricam unam. At quantum hæ omnes à Suriana diſtent, non eſt hujus loci diſcernere. Conferentur ſuo tempore cum iis, quæ tradunt editor hiſtoriæ abbatiæ regalis S. Audoëni lib. I, & Cointius variis annis à DCXXXIV ad DCLXXXIII, & DCLXXXVII. Qui in fine adjicitur *Patricius*, anſam præbuit nonnullis codicibus eum cum Hiberniæ Apoſtolo confundendi. In additamentis Hieronymianis vocatur *Pectricius*, quod Florentinius corrigit. Galli nomen pronuntiant *Parrize*, unde non inepta formatione ſequi videretur *Parrizius*. Hæc curſim notata ſint, ſuo loco diſcutienda: ſufficiat modo, verum, ſimplicem & genuinum Uſuardi textum retuliſſe.

Maſſæ candidæ.

Audoëni.

Patricii.

AUCTARIA.

Eptadii. CODEX PRATENSIS ſignatus apud nos littera B. Addit in margine: *Cerviduni, ſancti Eptadii confeſſoris.*

Patricii & Gildardi. ANTVERP-MAJ. In textu purus eſt utique ad annuntiationem ultimam, quam ita amplificat: *In Hibernia, ſancti Patricii abbatis & Gildardi confeſſoris. Qui Patricius, primus Hibernorum fertur Magiſter. Sed quia nec ipſos correxiſſe potuit, in peregrinationem perrexit; ad monaſterium Gleſtingenſe pervenit, ibique vitam virtutibus clareſcens finivit, quod & uſque hodie mortua ipſius oſſa conteſtari videntur.* Eadem habet, tantillo correctius, codex AQUICINCT.

De Barthol. ROSWEYD. *In India, beati Bartholomæi Apoſtoli, qui apud eamdem provinciam Chriſti Euangelium prædicans, primo vivus juſſu Aſtiagis decoriatus, poſtea decollatus martyrium complevit. Cujus* &c. In Carthaginen. purus, de Audoëno

De Audoënio poſt *honorem*, addit: *Poſt multa miraculorum inſignia, poſt talenta ſibi credita fideliter diſpenſata, Domini ſui intravit gaudia. In Britannia, mona-*

De Patricio. *ſterio Gleſtingenſi, depoſitio ſancti Patricii abbatis.*

PULSANEN. In prima deficit, in ſecunda ſatis purus eſt. Tum: *Civitate Rotomagum, ſancti Audoëni archiepiſcopi & confeſſoris.* Deſunt reliqua, ut hic codex plerumque contrahitur.

ANTVERP. MAX-LUBEC. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. In prima etiam ſatis puri, ſecundam ſic annuntiant: *Eodem die Carthagine, trecentorum martyrum, qui paſſi ſunt tempore Valeriani & Galieni. Ferunt enim, inter alia ſupplicia tunc à præſide clibanum calcis accenſum, & in ora ejus prunas cum thure exhibitas, & præſidem, Chriſtianis dixiſſe: Eligite unum è duobus, aut thura ſuper hos carbones offerte Jovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati ictu rapidiſſimo Chriſtum Dei filium fatentes, ſe injecerunt in ignem & inter vapores calcis pulverei ſunt demerſi. Ex quo & candidatus ille beatorum exercitus* MASSA CANDIDA *meruit appellari;* MASSA *propter numerum,* CANDIDA *propter meritum. Civitate Rotomago, ſancti Audoëni epiſcopi & confeſſoris.* MAX-LUBEC. ſcribit *Ando.* In omnibus deeſt *Patricii.*

De Maſſ. candida.

CENTULEN. In prima ſatis purus, ſic proſequitur: *Apud Carthaginem, ſanctorum martyrum trecentorum, qui pro eo quod unanimiter & uno momento paſſi ſunt, Maſſa candida nuncupantur. Civitate Rothomago, depoſitio ſancti Audoëni archiepiſcopi & confeſſoris. In territorio Nivernenſi, ſanctorum Patricii abbatis & Gildardi presbyteri confeſſorum.* Vide ſupra ANTVERP-MAJ.

Patricii & Gildardi.

BRUXELLEN. De Bartholomæo inſerit: *Qui pro fide Chriſti excoriatus & poſt decollatus eſt. Cujus* &c. In Carthaginenſibus: *Poſt varia enim ſupplicia ..... conſumpti ſimus: unde ille beatorum exer-*

De Massa candida. *exercitus Massa candida, massa quidem propter numerum, candida vero propter meritum solet appellari.* In Audoëno satis purus adjicit: *Et cum ecclesiam Rothomagensem rexisset annos quadraginta, ipse nonagenarius feliciter migravit ad Christum.* De Patricio tacet.

De Audoëno.

De Barthol. HAGENOYEN. *Bartholomæi Apostoli, qui præ omnibus aliis Apostolis, solus nobilis fuisse describitur.* Mitto hujus generis reliqua. De trecentis Carthaginensibus similis ferme est ANTVERPIEN. &c. De Audoëno & Patricio nihil.

Gildardi. VICTORIN. & REG. SUEC. num. 130. Post *nuncupari*, addunt: *In Gallis civitate Nivernis, sancti Gildardi presbyteri & confessoris. Item in eodem territorio, sancti Patricii abbatis. In territorio Aduæ* [Æduæ] *civitatis, Ternidono* [Cervidono] *monasterio, depositio sancti Eptadii presbyteri & confessoris.* Vide Auctaria XVI Aprilis.

Eptadii.

Rigomeri. DAVERON *Cenomannis civitate, sancti Rigomeri presbyteri & confessoris.* Vide in Actis XVII Januarii, & primum bimestre Castellani.

Theodorici. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Bartholomæi Apostoli.* CCC *martyrum qui in clibanum post varia tormenta missi, unde Massa candida dici meruerunt. Audoëni Rothomagensis episcopi & confessoris. Theodorici abbatis, admirandæ sanctitatis viri.*

Ursini. CISTERCIEN. S. Benigni. *Eodem die, beati Ursini martyris.* De quo agat, nescio.

Gildardi & Patricii. REG. SUEC. num. 428. *Nivernis, sanctorum confessorum Gildardi & Patricii.*

Eptadii. CODEX D. LE MARE. sign A. *Eodem die, apud Servidunum, natalis sancti Eptadii confessoris.*

Rufini. In VATICAN. num. 5949. Deest Audoëni & Patricii. Adjicitur: *Capuæ, natale sancti Rufini episcopi & confessoris.* In Romano est die XXVI.

Patricii & Gildardi. REMEN. S S. Tim. & Apoll. *In territorio Nivernensi, sanctorum confessorum Patricii abbatis & Gildardi presbyteri.*

EDITIO LUBECO-COL. In prima similis est ROSWEYD. In secunda, ANTVERPIENSI &c. In Audoëno elogium expunxit. Tum sic pergit: *Cenomannis, beati Rigomeri presbyteri & confessoris.* *Rigomeri.* *In territorio Nivernensium, beatorum Patricii abbatis & Geldeldi confessorum.* *Patricii &c.* *Eodem die, beatæ Elisabeth matris præcursoris Domini.* Melius XXVI.

BELIN. In omnibus similis ANTVERPIENSI &c. in fine subdit: *Livernii,* [pro *Nivernis,*] *sancti Patricii abbatis.* Editio altera, addit: *In pago Cenomanico, sancti Rigomari confessoris, & beatissimæ Teneſtinæ virginis.* *Rigomeri. Teneſtinæ.*

GREVEN. *Gildardi, alias Gildeldi, presbyteri & confessoris.* *Gildardi.* *Sandradi abbatis primi monasterii in Gladbach confessoris.* *Sandradi.* *Theodorici abbatis.* *Theodor.* *Cenomannis, beati Rigomeri presbyteri & confessoris.* *Rigomeri.* *Apud Samum insulam, sanctorum Gregorii, Theodori & Leonis confessorum.* *Gregorii &c.* *Qui tempore Constantii cum essent milites, persecutionem Arrianorum declinantes apud præfatum insulam Christo devotissime servierunt, simulque quieverunt.* *Domninæ martyris.* Quæ heri ponenda fuit. *Engræ virginis & martyris, cum aliis.* *Engræ &c.* *Moalbodio monasterio, Ansoaldis virginis.* *Ansoaldis.* *Eodem die, sanctæ Elisabeth viduæ, matris præcursoris Domini.* *Elisabeth.* *Domninæ.*

MOLAN. De Bartholomæo, post *prædicans*, aliis litteris inserit; *vivens a barbaris decoriatus est, atque jussu regis Astiagis, decollatione* &c. *De Bartholomæo.* Item post *nuncupari*, additur: *In quorum laudibus extant homiliæ sancti Augustini episcopi.* In fine: *In pago Cenomanico, sancti Rigomari confessoris.* *De Massa candida.* *Rigomeri.* Alii dicerent *Richmiri.* Vide DAVERON. Editiones aliæ in textu eadem habent, & in fine item de Rigomero. Tum: *In Gladbach diœcesi Agrippina, sancti Sanderadi, ejusdem cœnobii primi abbatis.* *Sanderadi.* *Die vigesima quarta, sancti hieromartyris Eutychis, discipuli sancti Joannis Theologi.* *Eutychis.* Dein typis minoribus: *Andaino monasterio, obiit Theodoricus abbas, anno* MLXXXV, *qui vivus & defunctus multis claruit signis ac virtutibus.* *Theodorici.* *Ejus corpus humo levatum Hugonistarum immanitate redactum est in cineres & favillas.* Vide Castellanum.

VIII *Kal.* *Die* 25.

Eusebii & sociorum. ROmæ, natalis sanctorum martyrum Eusebii, Pontiani, Vincentii & Peregrini, sub Commodo imperatore, qui primò in equuleum levati, nervis quoque distenti, ac deinde fustibus cæsi sunt, flammis circa eorum latera appositis, sed cum in laude Christi fidelissimi permanerent, plumbatis usque ad emissionem spiritus mactati sunt.

Genesii Romani. Item Romæ, sancti Genesii martyris tempore Diocletiani Augusti, qui fustibus primò crudelissimè cæsus, equuleo suspensus & ungularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in fide persisteret, dicens; Non est Rex præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis, martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit.

Genesii Arelaten. Eodem die, beati Genesii Arelatensis, qui exceptoris functus officio, cum impia, quibus Christiani puniri jubebantur, edicta nollet excipere, comprehensus atque decollatus, martyrii gloriam proprio cruore baptizatus accepit.

Gerontii. In Hispania civitate Italica, sancti Gerontii episcopi, in carcere quiescentis.

Puri undequaque sunt soli quatuor *Praten. Antverp-major, Greven.* & *Molan.*

VARIA

VARIA LECTIO. Præter ſphalmata orthographica, quibus plerumque abundat Antverp-maj. ut hîc *Potentiani*, *eculeo*, *diſtenſi*; poſt *cæſi*, deeſt *ſunt*, poſt *lampadibus*, deeſt *etiam*; *michi*, *Aretenſis*, *impii*, pro *impia*, *Chriſtiana* pro *Chriſtiani* &c.; & præter *milies* quod omnes habent, excepto Greveno; notanda ſunt duo. Primum, idem Greven. & Molan. poſt *occidar*, immediate ſubjungunt, *ipſum mihi de corde auferre* &c. omittentes præcedentia, *ipſum mihi de ore*. Alterum eſt, quod Praten. & Roſweyd. legant: *Civitate Italica*, & ipſis ſuppar Antverp-major: *In civitate Italica*. Greven. verò & Molanus, *In Hiſpaniis civitate Italica*. Demum, Herinien. & Munerat. in textu puri, *In Hiſpania civitate Italica*, quem ſcribendi modum prætulimus, ſed ita, ut ab aliis phraſibus minime abhorrendum putemus.

OBSERVATIO. Romani parvi hodiernum ſegmentum tertio loco refert: *Romæ*, *quatuor martyrum Euſebii*, *Pontiani*, *Peregrini & Vincentii*; atque eodem etiam ordine ab Adone collocantur, addito Actorum, à Surio aliiſque non ſemel editorum, compendio, quod Noſter ad ſolitam ſuam brevitatem non ineleganter reduxit, primum eis in laterculo locum tribuens, tranſpoſitis duobus ultimis nominibus. Ab antiquioribus Martyrologis de eis non agi, certum videtur; fatente Florentinio, *Pontianum*, ſeorſim ab aliis, codici Lucenſi à popularibus ſuperadditum. Quid de hiſce Actis cenſendum ſit, necdum audeo definire; nonnulla invenit Tillemontius tomo 3 pag. 59, quæ diſpliceant, etiam qua parte agunt de Julio Senatore, relato ſupra XIX hujus. Sed hæc alibi diſcutienda ſunt. *Euſebii & ſociorum.* *Geneſius* ex mimo martyr illuſtriſſimus à Kalendario Allatii & ab Hieronymianis ponitur XXIV Auguſti. Item à Floro, qui eum in elogio ſuo ex Actis deſumpto *militem* vocat. Denique & à Wandelberto, ut pridie oſtendimus. Romanum parvum hac die expreſſius: *Romæ*, *Geneſii martyris*, *mimi. Thymelicæ artis magiſter fuit*; hoc eſt theatricæ. *Geneſii Romani.* Eſt etiam in Kalendario Frontonis & veroſimiliter in Carthaginenſi. Acta apud varios exſtant ſane miranda, noviſſime à Ruinartio edita à pag. 282, ex quibus patet, ſincera Adonem & genuina præ oculis habuiſſe, dum ea fere integra Martyrologio ſuo inſeruit. Uſuardo ſatis fuit præcipua quæque ex Adone delibaſſe, quæ tamen ſolito prolixius deduxit; Rabano ex præfatis Actis paucula ſatis jejune decerpente Videri etiam poſſunt laudata Acta, Gallicè à Tillemontio edita tomo 4 à pag. 418. Sequitur *Geneſius* alter Arelatenſis, cum priori male à nonnullis confuſus, ut explicat Florentinius ad Hieronymiana, in quibus hoc die conſignatur, uti & à Floro, qui ſolum innuit, proprio ſanguine baptizatum. Romanum parvum ſimpliciter legit: *Et ſancti Geneſii Arelatenſis*. Pluſcula ex pulcherrimis Actis, etiam à Ruinartio inter ſelecta reproductis à pag. 601, deſumpſit Ado; Noſter rei totius medullam paucioribus complexus eſt. *Geneſii Arelaten.* Videri poteſt Prudentii hymnus apud laudatum Ruinartium pag. 517 & Gregorius Turonenſis in Miraculis cap. 68. Adi etiam, ſi lubet, Tillemontium tomo 5 à pag. 569. Nec diſplicebit unicus de hoc Geneſio, Wandelberti verſiculus:

Octava hinc Arelas celebrat te, ſancte Geneſi.

Gerontius, vel *Geruntius* antiquioribus omnibus Martyrologis incognitus eſt, nec ſatis perſpicio, unde eum Uſuardus accipere potuerit, niſi in Hiſpanico itinere notitiam ejus aliquam nactus ſit, quam ſubinde dignam cenſuerit, quæ in Faſtis ſacris locum obtineret. *Gerontii.* *Tempore Apoſtolorum* vixiſſe aut prædicaſſe, nuſquam innuit; unde à Martyrologii Romani Reformatoribus, ex aliis documentis id adjectum fuiſſe oportet, de qua re videri tantiſper poteſt Baronii notatio. Priora omnia ex Adone diſcripta oſtendimus, hanc vero ultimam annuntiationem plane etiam Uſuardinam eſſe, codices noſtri omnino evincunt.

AUCTARIA.

Hunegundis HERINIEN. Toto textu puriſſimus, in fine ſubdit: *In pago Viromandenſi*, *natale ſanctæ Hunegundis virginis.*

ROSWEYD. In textu nonnihil luxatus, de Geneſio Arelatenſi poſt *accepit*, inſerit: *Et ubi ſanguis ejus cecidit*, *nata eſt ingens arbor Sichomorum.* In fine adjicitur: *Item natale* *Gregorii.* *beati Gregorii abbatis*, *Trajectenſium epiſcopi & confeſſoris.* Errat hîc Caſtellani notula.

PULSANEN. Hoc die Bartholomæi, ſatis pure. Deinde de Euſebio &c. uſque ad, *ſub Commodo imperatore*. Deſunt reliqua omnia.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Loco *Gerontii*, habent: *In provincia Syriæ*, *ſancti Juliani martyris*. Superiora pura ſunt. *Juliani.*

MUNERAT. Toto textu ſatis purus, in fine adjungit: *Item depoſitio beati Ludovici Francorum regis illuſtriſſimi & glorioſiſſimi*, *de cujus* *DeLudovio.* *corpus requieſcit in cœnobio D. Dionyſii in Francia*, *& caput ejus honoratur & colitur in ſacroſancta capella palatii.* Phraſis huic propria.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Toto textu puri eſſent, niſi ultimam annuntiationem omitterent, cujus loco hæc ſubſti-

Juliani. Ludovici. Gregorii. Hunegund. tuunt: *In provincia Syriæ, natale ſancti Juliani martyris. Item, natale ſancti Ludovici confeſſoris regis Franciæ. Eodem die, ſancti Gregorii epiſcopi Trajectenſis & confeſſoris. In pago Viromandenſi, natale ſanctæ Hunegundis precioſæ virginis Chriſti.*

LOVANIEN. Eumdem habet defectum & eadem Auctaria, ſed nonnulla elogia reſcindit.

Ludovici. ALBERGEN. Incipit: *Natale ſancti Ludowici regis & confeſſoris.* Deeſt etiam ultima annuntiatio de Gerontio, cujus loco ſolum ponitur:

Juliani. *In provincia Syriæ S. Juliani* &c.

Ludovici. DANIC. A priori ſolum differt, quod ſecundo loco interjiciat: *Pariſius ad ſancti Dionyſii, beati Lothwici regis & confeſſoris.*

Textus mutatus. Hunegund. CENTULEN. *Romæ, ſanctorum Euſebii, Pontiani, Peregrini, Vincentii, tempore Commodi imperatoris, ſub judice Vitellio. Item Romæ, ſancti Geneſii martyris, qui ſub Diocletiano paſſus eſt. Ipſo die, S. Geneſii Arelatenſis, qui in ripa Rodani flaminis gladio percuſſus occubuit. In territorio Vermandenſi, ſanctæ Hunegundis virginis Chriſti.*

Juſti & Paſtoris. *In Hiſpaniis civitate Complato, ſanctorum Juſti & Paſtoris martyrum*: alia manu, *fratrum.* Vide de his ſupra VI Auguſti. *Civitate Italica, ſancti Gerontii epiſcopi, in carcere quieſcentis. In Francia, ſancti Ludovici regis Francorum, ac glorioſiſſimi confeſſoris.*

De Geneſio. BRUXELLEN. Incipit à Geneſio Arelatenſi, in quo nonnihil interpolatus eſt. Pergit: *Romæ, natale ſancti Geneſii militis & martyris. Quem cum vellet Dyocleſianus imperator à fide revocare, ille immotus perſtitit, dicens: Non eſt Rex præter Chriſtum, pro quo ſi milies occidar, ipſum michi ..... non poteris. Et cum imperator non proficeret, ipſe illum poſt fuſtes, eculeum, ungulas & lampadas decollari præcepit.* In Euſebio & ſociis purus eſt. *In Hiſpaniis civitate Italica, ſancti Gereonis epiſcopi, in carcere quieſcentis.* De Juliano & Hunegunde, ut ſupra.

Juliani. Hunegund. Ludovici. *Eodem die, depoſitio ſancti Ludovici incliti regis Francorum, quem Papa Bonifacius* VIII *catalogo Sanctorum aſſcripſit.*

De Geneſio. HAGENOYEN. In prima claſſe purus, ſic proſequitur: *Item Romæ, ſancti Geneſii militis & martyris, tempore Dyocleciani Auguſti. Qui in juvenili ætate tantum deridebat Chriſtianos, quod avide omnia Eccleſiæ Sacramenta perſcrutabatur, in libro ſcribens divina myſteria, jocum ſuis ſociis idem proponens. Tandem converſus ad Dominum mirabiliter, primo fuſtibus* &c. ſatis pure. Sequitur de Juliano, ut ſupra. Demum: *In Hyſpania civitate Italia, ſancti Gerontii* &c. Deeſt annuntiatio Geneſii Arelatenſis.

Juliani.

Hunegund. Aredii. AQUICINCT. Incipit: *Humularias, natalis ſanctæ Hunegundis virginis.* In fine: *In pago Lemovicino, ſancti Aredii abbatis.* Deinde calamo longe recentiori: *Ipſo die, Pariſius, elevatio beati Ludovici confeſſoris.*

Ludovici. VICTORIN. & REG-SUEC. ſign. num. 130. In fine: *Eodem die, beati Aredii abbatis.* Vide Obſervationem die ſequenti.

Aredii.

Ludovici. DeGregorio. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Ludovici regis Francorum. Gregorii epiſcopi Trajectenſis tertii, nobilis genere, qui fuit ſucceſſor beati Bonifacii, cujus & doctrina fuit eruditus; ejuſque corpus eſt in eccleſia ſancti Salvatoris.*

Juliani. BIGOTIAN. Sub nota numeri P. 5. *In Provincia Syriæ, ſancti Juliani martyris.*

Ludovici. REG-SUEC. ſignatus num. 428. *Apud Cartaginem, depoſitio beati Ludovici regis Franciæ, ſanctitate & meritis glorioſi.* Hîc poſitio rectius ſignatur.

CODEX D. DU CHEVAL. ſignatus C. *In pago Arethi. Lemovicino, ſancti Arethi abbatis.*

In VATICANO notato num. 5949. Deeſt Gerontii. Neſcio an cetera pura ſint.

Hildæ. ALTEMPS. *Eodem die, ſanctæ Hildæ virginis.* Ab aliis ponitur XVII Novembris.

S. Ludovici Nemeſii. Nemeſii. STROZZIAN. *Sancti Ludovici regis ..... hujus ſacræ reliquiæ tranſlatæ jacent in monaſterio S. Mariæ angelorum.* Forte legendum *Geneſii*, ut vide BELIN. Quamvis & *Nemeſius* aliquis hoc die colatur. Alii etiam FLORENTINI: *Romæ, ſancti Lucii Papæ & martyris.*

Lucii PP. BIZUNTICEN. Poſt primam annuntiationem, adjicit: *Ex quibus Vincentius & Peregrinus, tempore Nicolai Papæ per Gerardum comitem Galliam ſunt tranſlati & in territorio Lingonenſi in cœnobio ſancti Petri, quod Pulteras dicitur, decenter reconditi. Nota, in Chronico Autiſſiodorenſi anno* DCCCLXV *dicitur, corpus ſancti Euſebii repoſitum. Pulteriaci, corpus vero ſancti Pontiani, Vercelliaci.* De his plura ſuo loco.

De Vincent. & Peregrin.

De brachio S. Annonis. Ludovici. EDITIO LUBECO-COL. *Colonia Agrippina, tranſlatio brachii beati Annonis, archiepiſcopi ejuſdem civitatis & confeſſoris, de monte Sibergenſi ad eccleſiam beati Georgii martyris.* De Ludovico magnum habet elogium, quod brevius in GREVENO dabimus. In Euſebio & ſociis, atque item in Geneſio Romano, permodice interpolata eſt; in Arelatenſi, pura. Scribit, *Juliani, Geroncii epiſcopi & confeſſoris.* De Gregorio, *DeGerontio.* addit: *Hic beatum Lebuinum Domini ſacerdotem miſit in Davantriam. Ipſo die, ſanctorum Aredii abbatis & Juſtini presbyteri ac confeſſoris. In Dacia, in eccleſia Roskildenſi, tranſlatio ſancti Lucii Papæ & martyris. Romæ, paſſio beatorum Nemeſii diaconi & Lucillæ filiæ ejus martyrum, ſub Valeriano & Galieno decollatorum. Item, tranſlatio ſancti Adelberti epiſcopi & martyris.*

De Gregor. Tranſl. Luc. Nemeſii &c. Tranſl. Adel

Lucii PP. BELIN. Incipit: *Romæ, ſancti Lucii Papæ & martyris.* In Euſebio & ſociis purus eſt. Tum: *Item Romæ, ſancti Nemeſii,* pro *Geneſii* &c. In Arelatenſi ſatis purus eſt. *In provincia Syriæ,* pro *Syriæ* &c. In Gerontio, purus eſt. In fine: *Item Pariſius, ſancti Lodovici confeſſoris, regis Franciæ.* Altera editio ſuperaddit: *In pago Lemovicenſi, ſancti Aredii confeſſoris.*

Nemeſii. Juliani. Ludovici. Aredii.

Juliani. Nemeſii &c. GREVEN. *In Syria, Juliani martyris. Romæ, paſſio ſanctorum Nemeſii diaconi & Lucillæ filiæ ejus, quos Uſuardus habet pridie Kalend. Novembris, die ſcilicet, quo corpora eorum à ſancto Sixto ſunt elevata. Quinque fratrum martyrum,* 5 FF. *martt. videlicet Benedicti, Johannis, Mathei, Iſaac & Criſtini.* De Gregorio, fere ut EDITIO LUBECO-COL.. *Turribii & Gundaniſoli epiſcoporum Cenomanenſium & confeſſorum. Secundum alios vero* IX *Kal. Auguſti. Item juxta Cathologum Sanctorum hîc, Titi Cretenſis epiſcopi, quem Uſuardus habet pridie Non. Januarii. Apud civitatem Agathenſem, ſancti Severi abbatis, qui regali Sirorum genere ortus, divitiis magnis contemptis, arctiſſimæ vitæ ſe dedit, apud præfatam urbem. Factus deinde multorum monachorum pater, plenus ſanctitatis, beato, in Domino fine quievit. Aredii abbatis & Juſtini presbiteri confeſſorum. Ludovici regis Franciæ & confeſſoris, magnæ ſanctitatis viri. Cui cum Blancha mater ſedulo diceret, ſe malle eum mortem temporalem incurrere, quam per aliquod peccatum mortale creatorem offendere, verba illius ita pii filii præcordiis adhæſerunt, ut numquam mortale peccatum admiſiſſe perhibeatur. Poſt multa tandem pietatis ſtudia, cum jam*

Gregorii. Turibii &c. Titi. Severi. Aredii &c. Ludovici.

Tranſl. cap. Lucii PP

jam ſecundam pararet profectionem in ſubſidium terræ ſanctæ, in ipſo itinere à Domino vocatus, terram cælestis promiſſionis intravit. Tranſlatio capitis beati Lucii Papæ & martyris ab urbe Roma in Daciam ad eccleſiam Roſchildenſem. De tranſlatione S. Adelberti; item brachii ſancti Annonis, ut in EDITIONE-LUBECO-COL. De Hunegunde, ut HERINIENSIS ſupra.

Lucii PP. Iuliani. Ludovici.

MOLAN. Adonianum Geneſii elogium aliis litteris textui inſeruit. In fine: *Romæ Lucii Papæ & martyris.* De Juliano, ut ſupra. De S. Ludovico, ut MUNERATUS, cui ſuperaddit: *Cujus mortem precioſam Deo per miracula crebra conteſtante, Dominus Bonifacius VIII cum ſolemnitate fratrum ſuorum & Cleri hunc Sanctum, Sanctorum Catalogo aſſcripſit.* De Hunegunde, ut ANTVERP-MAX. &c. De Aredio, ut ſupra. De Gregorio, addit: *Qui fuit inſtructor ſancti Ludgeri epiſcopi Monaſterienſis*, & typis minoribus; *primi: qui ejuſdem Gregorii vitam conſcripſit. Hildæ abbatiſſæ monaſterii Scruwelhaltenſis, cujus feſtum in civitate Lubecenſi à factoribus Roſariorum celeberrimum habetur.* Editiones aliæ, idem habent in textu. De Juliano, Ludovico, Hunegunde, Aredio & Gregorio, ut prima, exceptis iis quæ aliis typis adjecta ſunt. Tum: *Die vigeſima quinta, reverſio lipſani, ſancti Bartholomæi Apoſtoli.* Denique typis minoribus: *Eodem die fuit incendium oppidi Tuitienſis, in quo corpus Dominicum à flamma circumfuſa intactum remanſit*

Hunegundis. *Aredii.* *De Gregorio.* *Hildæ.* *De Barthol.* *De incendio Tuitienſi.*

VII *Kal.*

Die 26.

ROmæ, natalis beati Zephirini Papæ. Et ſanctorum martyrum Hirenei & Abundii, qui in paſſione beati Laurentii leguntur. Apud Victimilium caſtrum Italiæ, natalis beati Secundi martyris, viri ſpectabilis & ducis ex legione ſanctorum Thebeorum. Item civitate Pergamis, ſancti Alexandri, qui & ipſe unus extitit ex legione Thebeorum, & cum nomen Domini Jeſu conſtantiſſimè fateretur, martyrium abſciſione capitis complevit. Autiſiodoro, Eleuterii epiſcopi.

Zephyrini. *Irenæi & Abundii.* *Secundi.* *Alexand.* *Eleutherii.*

Puri ſunt *Herinien. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Lego *Zephirini* ſimpliciter, cum codicibus ferme omnibus. Item *Hirenei*, licet Herinien. habeat *Herenei.* Munerat. *Hyrenei*, melius Molan. *Irenæi.* Male ſcribunt Antverp. & Max-Lubec. *Abundi*, nec melius Greven. *Habundii.* Neſcio cur Munerat. textum mutaverit, legens *in paſſione beati Ypoliti*, pro *in paſſione beati Laurentii.* In prima autem Munerati editione poſt *ducis ex legione*, deeſt *ſanctorum.* Dubitari poteſt de *Pergamis*, pro quo alii ſubſtituunt cum Antverp. & Max-Lubec. *Bergamis*, ſed præferenda nobis eſt communis codicum orthographia, forte popularibus gratior. Antv. & Max-Lubec. ponunt, *qui & unus extitit*, ubi deeſt, *ipſe.* Contra vero in hac ipſa annuntiatione apud ipſos redundat *ſanctorum*, ante *Thebæorum.* Hanc porro vocem etiam cum codicibus ſimpliciter ſcripſi. De *abſciſione* ſatis alibi dictum eſt, Munerat. ſubſtituit, *obtruncatione. Autiſiodoro* habent plerique, Greven. & Molan. *Autiſiodori*, & *Antiſiodori.* Iidem ſcribunt etiam *Eleutheri* & *Eleutherii*; reliqui ſimplicius, quamvis pejus cum textu.

OBSERVATIO. Totus textus, excepta ſola annuntiatione ultima, ex Romano parvo in Adonem, inde in Uſuardum derivatus eſt, cum hac ſolum differentia, quod ex Thebæis alter alteri anteferatur. De nullo eorum agunt hac die Hieronymiana, quæ nempe *Zephyrinum* ad XX Decembris diſtulerunt, eumque probabilius verum obitus diem cenſet Papebrochius. Rabanus & Wandelbertus Hieronymianorum veſtigiis inſiſtunt; unde merito opinantur aliqui, hanc XXVI Auguſti tranſlatione aut elevatione, corporis celebriorem evaſiſſe, eaque ſententia etiam præplacet laudato Papebrochio. In Romano moderno celebratur hoc die; vide ibi notationem Baronii, cui junge quæ habet Tillemontius tomo 3 à pag. 236. Quod autem Romano parvo ſuperaddit Viennenſis præſul, videlicet, Zephyrinum, *Eccleſiam rexiſſe annos octo, menſes ſeptem, dies decem*, prudenter ab Uſuardo, ut ſæpe ſolet, prætermiſſum eſt, forte quod calculum ſuſpectum habuerit, cum ex Romanorum Pontificum Chronologicis tabulis duplum ferme temporis expleviſſe oſtendatur. Sed de his & rebus à Zephyrino geſtis, alibi latius. De *Irenæo* & *Abundio* primus loquitur Beda, cujus verba, ut aliàs ubique, deſcripſit Rabanus, recte, ni fallor, legens, *in cloaca necari* pro *incloacari*, quod tamen in Henſchenii & Papebrochii genuina Bedæ editione ſervatum eſt, & Ado etiam poſuit, elogium ſuum ex Beda ad verbum accipiens. Noſter utriuſque phraſim in pauciora contraxit. Videantur Acta ſancti Laurentii, de quibus ſuperius non ſemel ſermo recurrit. Solos eos celebrat Wandelbertus, hoc verſiculo:

Zephyrini. *Irenæi & Abundii.*

Martyrio ſeptenam Irenæus, Abundius ornant.

In Romano parvo ex Thebæis martyribus *Alexander* præponitur *Secundo*: Uſuardus
Secundi. Adonis ordinem ſecutus eſt. Et quidem de *Secundo* totam priorem elogii Adoniani
Alexandr partem deſcripſit, alteram intactam relinquens. De Bergomenſi *Alexandro* longiorem hiſtoriam texuit Viennenſis, ex qua paucula ab Uſuardo decerpta, in laterculo producuntur; quæ ſatis ſint, ut pateat totum hactenus textum ex Adone profluere. Exſtant *S. Secundi* Acta apud Mombritium tomo 2 pag. 261 versâ, ubi tamquam è Thebæis unus deſcribitur; potuitque proinde Ado ex ipſis elogium ſuum olim accepiſſe; at unde *Alexandrum* Thebæis annumeraverit, adhuc ignoro; nam Acta, quæ refert idem Mombritius tomo 1 pag. 24, nec verbum faciunt, ex quo Thebæus magis, quam Romanus fuiſſe Alexander cenſeatur. Quam ſint ſincera, hîc non examino: Tillemontio, ubi de Thebæis agit tomo 4 pag. 431, ſatis fuit, utriuſque nomen ex Martyrologiis commemorare. Aliunde ab Uſuardo ſubditus eſt Autiſſiodorenſis *Eleutherius*, ab omnibus co-
Eleutherii. dicibus noſtris memoratus, ſi tres exceperis, non raro diſcrepantes, nempe Pratenſem, Antverp-majorem & Roſweyd. quibus accedit Aquicinct. eumdem plerumque funem trahens. Scribunt hi ultimo loco: *In territorio Lemovicenſi, ſancti Aredii presbiteri*, quem nos die præcedenti inter Auctaria ſæpius memoravimus. Aſt obſervavit Caſtellanus, in codice Pratenſi eraſam Eleutherii annuntiationem, ut alter hac die perperam intruderetur, cum ad XXV Auguſti certo ſpectare videatur. Veroſimile eſt, Uſuardum ex aliquo codice Hieronymiano auctiori *Elentherium* deſumpſiſſe. Quidquid interim ſit, nos codices illos diſcordes, hîc denuo à puris excluſimus, germanam & ſinceram aliorum lectionem ſecuti.

AUCTARIA.

DE PRATENSI & ANTVERPIEN-MAJ. jam ſatis in Obſervatione diximus.

De Irenæo &c. ROSWEYD. Præter mutationem prædictam, de Irenæo & Abundio textui inſerit: *Quos Valerianus juſſit in cloacam mitti.* Hæc ex Bedæ, nonnihil correcto elogio.

PULSANEN. Satis purus eſt uſque ad, *qui & ipſe unus extitit ex legione Thebæorum.* Sed ibi ſiſtit.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Sic incipiunt:
De Zephyr. *Romæ via Appia, natale beati Zephirini Papæ & martyris. Qui quartus decimus poſt beatum Petrum, rexit Eccleſiam, martyrioque coronatus, ſepultus eſt in cimiterio ſuo juxta cimiterium Calixti.* In reliquis puri ſunt.

CENTULEN. *Romæ, ſanctorum Herenei & A-*
De Iren. &c. *bundi martyrum, quos Valerianus* [vel] *ipſius præfectus fecit in cloaca vivos necari, pro eo quod corpus Concordiæ martyris de cloaca levaverunt. Apud Victimilium caſtrum Italiæ, ſancti Secundi martyris, Civitate, quæ Pergamis dicitur, ſancti Alexandri martyris. Civitate Salona, ſancti A-*
Anaſtaſii. *naſtaſii martyris.* Vide XXI Auguſti. *Antiſiodoro, ſancti Eleutherii epiſcopi. Ab Incarnatione*
De incendio eccleſiæ S. Richarii. *Domini* MCXXXI *anno combuſta eſt eccleſia ſancti Richarii cum tota villa & fere cum trecentis promiſcui ſexus viris & mulieribus, feria* IV, VII *Kal. Septembris.* Patet eſſe proprium loci.

BRUXELLEN. Incipit: *Romæ, natale ſanctorum martyrum Hyrenei & Habundi. Quos Vale-*
De Iren. &c. *rianus juſſit mitti in cloacam, eo quod ipſi corpus beatæ Concordiæ ex cloaca levaſſent. Et horum corpora levata Juſtinus presbyter in cripta juxta beatum Laurentium ſepelivit. Item Romæ via Appia,*
De Zephyr. *natale beati Zepherini Papæ & martyris. Hic fecit annis novem & conſtituit ſacrificium fieri in vitreis vel ſtanneis vaſis, quod antea in ligneis fiebat. Statuit etiam, ut omnes Chriſtiani annorum duodecim Euchariſtiam in die Paſchæ accipiant.*
Anaſtaſii. *Item depoſitio ſancti Anaſtaſii presbyteri & mar-*
De Secundo. *tyris.* De Secundo, poſt *Thebæorum*, addit: *Qui ante ſanctum Mauricium & ceteros, poſt vincula & carcerem, martyrium capitis abſciſione complevit. Apud urbem Italiæ, quæ Pergamus dicitur, ſancti Alexandri martyris. Qui unus extitit ex* *De Alexan.*
legione Thebæorum; & cum nomen Domini conſtantiſſime fateretur, jubente Maximiano capite caſus eſt. Omnia ex Adone aucta ſunt. In fine: *Anthiſiodoro, ſancti Eleutherii epiſcopi.*

HAGENOYEN. De Zephyrino, atque item *De Zephyr.* de Irenæo & Abundio alia narrat, quæ non lubet deſcribere. In ceteris ſatis purus eſt.

AQUICINCT. Poſt *Papæ*, ſubdit: *Hic conſtituit, ut præſentibus omnibus clericis & laicis fidelibus, ſive diaconus ſeu ſacerdos & aſtantibus ſacerdotibus Miſſæ celebrarentur.* Deeſt *Eleutherii* & ſubſtituitur *Aredii*, licet die præcedenti de abbate Aredio Lemovicino egerit.

VICTORIN. Sic habet in fine: *Autiſſiodoro, ſancti Eleutherii epiſcopi & confeſſoris. Nivernis* *Eulalii.*
civitate, ſancti Eulalii epiſcopi & confeſſoris.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Alexandri* *Iſaac &c.*
martyris ex Legione Thebæorum. Iſaac & Maxi- *Anaſtaſii.*
miani martyrum. Anaſtaſii martyris.

REG. SUEC. ſignatus num. 130. *Nivernis* *Eulalii.*
civitate, natalis S. Eulalii epiſcopi & confeſſoris.

VATICAN. ſub num. 5949. *Apud Beneven-*
Tranſlat. *tum, tranſlatio ſancti Mercurii martyris, à quin-*
Mercurii. *to decimo, in ſanctam Sophiam.* Quid velit non intelligo. Videtur aliquid deeſſe.

ALTEMPS. *Eodem die, commemoratio ſancti* *Guthlaci.*
Guthlaor anachoretæ. An non *Guthlaci* anachoretæ, qui colitur XI Aprilis?

BURDEGALEN. *Sancti Sulpitii epiſcopi & con-* *Sulpitii.*
feſſoris. Puto agi de eo qui colitur XVII Januarii.

EDITIO LUBECO-COL. *Apud Coloniam A-*
De reliq. *grippinam, tranſlatio quarumdam reliquiarum*
Andr. Ap. *beati Andreæ Apoſtoli & martyris, in eccleſiam*
De Zephyr. *ejuſdem. Romæ via Appia, natale beati Zephe-*
rini Papæ & martyris. Qui quartus decimus poſt beatum Petrum rexit Eccleſiam annis novem, menſibus ſeptem, diebus decem; martyrioque coronatus, ſepultus eſt in cimiterio ſuo juxta cimiterium Calixti. Hic conſtituit &c. eadem quæ in BRUXELLENSI. In Irenæo & Abundio ferme pura eſt. In Secundo habet, ut BRUXELLEN. In Ale-
De Alexan. xandro autem præterea addit: *Quem matrona quædam nomine Greta* [Grata] *cum* [in] *ſuo prediq*

dio ſepelivit. Antiſiodori, ſancti Eleutherii epiſcopi & confeſſoris.

BELIN. De Zyphyrino poſt *Papæ*, addit, *& martyris*. Palæſtram Secundi ſic efformat: *Apud Viginti milium*. Deinde: *Item in Gallia Ciſalpina civitate Bergomi* &c. Sequitur: *Eodem die, Octava ſancti Lodovici epiſcopi & confeſſoris. Antiſiodori, beati Eleuterii epiſcopi, Deo digni.*

Oct. Ludov.
De Eleuth.
Iſaac &c.
Anaſtaſ. &c.
Theodoli.
Aurelii.
Maximil.
Gratæ.

GREVEN. *Apud Carthaginem, ſanctorum Iſaac & Maximiani martyrum. Anaſtaſii martyris & Aſclepiæ viduæ. Theodoli epiſcopi & confeſſoris. Aurelii presbyteri. Maximiliani confeſſoris. Gratæ, matronæ ſanctæ, quæ beatum Alexandrum ſepelivit. Apud Coloniam, tranſlatio quarumdam reliquiarum ſancti Andreæ Apoſtoli.*

MOLAN. *Item tranſlatio ſancti Lamberti, de crypta in altare ſanctæ Crucis.* Dein typis minoribus: *Maximiliani confeſſoris. Ceresani oppido Hiſpaniæ, beati Victoris martyris. Qui à Mauris corona martyrii donatus, à Chriſto cœleſtium numero aggregatus eſt, cujus natale* VII *Kal. Septembris apud Burgenſem diœceſim celebratur.* Editiones aliæ litteris Italicis, poſt *Papæ*, textui inſerunt, *& martyris*. In fine autem: *Ceresani oppido Hiſpaniæ, beati Victoris martyris, qui à Mauris eſt martyrii corona donatus.* Ponitur in Romano.

Tranſlat. Lamberti.
Maximil.
Victorii.

VI *Kal.* *Die* 27.

APud Capuam, natalis ſancti Rufi martyris, quem docuit beatus Apollinaris, Petri Apoſtoli diſcipulus, cum eſſet idem Rufus patriciæ dignitatis. Thomis civitate, ſanctorum martyrum Marcellini tribuni & uxoris ejus Manneæ, Joannis, Serapionis, & Petri. Eodem die, natalis ſanctorum Georgii diaconi, Aurelii, Felicis, Nathaliæ & Lilioſæ, quorum primus miræ abſtinentiæ monachus, ab Hieroſolimis Cordubam adveniens, cum reliquis ex eadem urbe claro germine ortis, diu optatum ſibique à Domino præmonſtratum meruit aſſequi martyrium. Civitate Arelatenſi, ſancti Cæſarii epiſcopi, miræ ſanctitatis & pietatis ſtudii viri. Auguſtuduni, ſancti Siagrii epiſcopi & confeſſoris.

Rufi.
Marcellini & aliorum.
Georgii & ſociorum.
Cæſarii.
Siagrii.

Ita *Praten. Herinien. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Male ſcripſit Herinien. *Cappuam*, ſicut Munerat. *Appollinaris*. Idem habet *Tomis*, ſed reliquorum torrenti hîc cedendum fuit. Rurſus Munerat. Greven. & Molan. ponunt *Maneæ*, alii melius cum textu. Hîc in aliquorum lectione notabilis eſt varietas. Greven. & Molan. in fine poſt *Petri*, ſubdunt, *filiorum ejus*. Gratis, opinor, nam ſi quid addi potuit, ex Adone deſumendum erat, quem preſſe ſecuti ſunt Antverp. & Max-Lubec., qui poſt *Manneæ*, ita legunt: *Et filii ipſius Johannis, & Serapionis clerici, & Petri militis*. Sed & hi & illi à puritate Uſuardina in eo plane deflectunt. Munerat. poſt *Georgii diaconi*, interjicit *et*. Scribit item *Nataliæ*, cum Roſweyd.; ceteri *Nathaliæ*. Sequitur difficultas altera in *Cæſarii* elogio, quod ex Adone ſic formant Greven. & Molan; *miræ ſanctitatis & pietatis & ſtudii viri*. Roſweyd. *miræ ſanctitatis & pietatis viri*. Antverp. & Max-Lubec. *miræ ſanctitatis viri*. Noſtra conſtructio minus quidem accurata videtur, ſed ipſa eſt Uſuardina. Sic Ado & Notkerus ſcribunt *Syagrii*, quod habet Molan. Praten. *Siagri*. Reliqui, ut in textu ſervavimus.

OBSERVATIO. Diſputat hodie Florentinius de nomine, dignitate & aureola *Rufi* vel *Rufini* Capuani, occaſione *Rufini* alicujus, *in Capua* ab Hieronymianis conſignati, qualem inter Auctaria non ſemel reperimus. Verum, an epiſcopalis dignitas, præter martyrii aureolam, Rufo huic noſtro aptari poſſit, non iis argumentis probat Ughellus, ut adverſantes convincat. Rufos geminat Baronius, & pro epiſcopi titulo huic vindicando, citat Bedam, nempe tunc vulgatum, Uſuardum & Adonem, cum tamen nullus eorum eam Rufo dignitatem adſcribat. Magis laudanda ſunt, quæ de patritia dignitate erudite coacervavit. Sed hæc impræſentiarum verſanda non ſunt; omnia quæ ad Rufum unum vel plures pertinent, cum Actis ipſis, de quibus XXIII Julii in Apollinare meminimus, in majori opere, ſuo loco diſcutientur uberius. Interim commemorationis noſtræ ſcaturigo ex Romano parvo repetenda videtur, ita loquente: *Capuæ, Rufi martyris, Apollinaris diſcipuli*. quæ in textu noſtro adjuncta ſunt, ea ex Adone accepit Uſuardus, voculam unam, poſt *docuit*, expungens, nempe, *& baptizavit*. Notkerus, ex lacuna ſua hîc primum emergens, Adonianam phraſim paulo contractiorem reddidit. Nitide Wandelbertus:

Rufi.

Rufe tuos recolens oſtendit ſexta triumphos.

Tomitanos martyres recolunt apographa Hieronymiana, ad quæ Florentinius, inutili prorſus opera, Notkerum ſuum explicat, quaſi obſervare non potuerit, ſingulos ejus apices ex Adone deſcriptos eſſe. Romanum parvum ſic paucis præluxerat: *Tomis, Marcellini* *Marcel&c & Mannea.* Ado Hieronymianis ſimilior eſt, ex quibus ſingulorum characteres deſumpſiſſe videtur, quos à Notkero inde acceptos diximus. Noſter uxorem diſtinxit, & expunctis *clerico* & *milite*, ſola nomina propria enumeraſſe ſatis habuit. Qui ſequuntur *Cor-* *Georgii&c.* *dubenſes martyres Georgio* duce, Uſuardini proprie ſunt, antiquioribus Martyrologis incogniti, ſed ab Uſuardo cum multis aliis in Hiſpanienſi meſſe collecti. Signavit eos Baronius in Romano hodierno XXVII Julii, eumque diem natalem eſſe ex Eulogio ſtatuit, aliaque obſervat alibi illuſtranda. Acta ipſa egregie proſecutus eſt laudatus Eulogius lib. 2 Memorialis, toto cap. 10, ubi expreſſiſſime notatur paſſionis dies VI kal. Auguſti. Sequuntur tamen Pratenſes monachi errantem Uſuardum. De Georgii & Aurelii tranſla- *Cæſarii.* tione vide XX Octobris. *Cæſarium Arelatenſem*, & *Siagrium Auguſtodunenſem* Hieronymi- *Siagrii.* anis adjectos reputat Florentinius. Agit de utroque Rabanus. Quid Florum moverit, ut Cæſarium *martyrem* diceret, neſcio. Uſuardus & Notkerus perpetuum ductorem ſecuti, ambo annuntiationes ſuas ex Adone deſcripſerunt. Celebriores ſunt Sancti illi, quam ut hic addi quidquam debeat; lege ſis tantiſper accuratas Baronii ad utrumque notationes.

AUCTARIA.

ANTVERP-MAJOR. Hodie truncatus eſt, nam poſt *Thomis civitate*, *ſanctorum martyrum*, immediate ſubdit: *Georgii* &c. omiſſis intermediis. In *Bernardi.* fine adjicitur: *Ipſo die, ſancti Bernardi abbatis*, Puto voluiſſe dicere *Octava* &c.

PULSANEN. In prima, purus, omittit ſecundam. Intertia, reſcindit elogium. In quarta, purus eſt. Deeſt quinta.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. *DeMarc&c* ALBERG. & DANIC. In Tomitanis Adonem ſequuntur, ut ſupra. Et deinde addunt: *Qui ſub Culciano præſide, poſt edomitam feritatem ferarum, poſt flammas ſuperatas, gladio feriuntur, & ſic demum corpora eorum igne cremantur.* Ex his Maurolyci & Galeſinii elogia confecta exiſtimo.

LOVANIEN. Superioribus purior eſt, ſed Cordubenſium elogium in eo deſideratur.

CENTULEN. *Apud Capuam, ſancti Rufi mar-* *Textus* *tyris, quem docuit & baptizavit beatus Apolli-* *mutilus.* *naris, cum eſſet idem Rufus patriciæ dignitatis. Eodem die, ſanctorum Georgii diaconi, Aurelii, Felicis, Naliæ & Liliosæ, omnium pro Chriſto paſſorum. Auguſtiduni, ſancti Siagrii epiſcopi & confeſſoris.* Deeſt 2 & 4 annuntiatio.

BRUXELLEN. In Rufo, pure Adonianus eſt. *Felicis.* Tum: *Apud Nolam, ſancti Felicis epiſcopi, ſub Marciano præſide, cum aliis triginta martyrizati.* De Tomitanis, ut ANTVERP-MAX. &c. *Apud Cordubam, natale ſanctorum Georgii* &c. Item de Cæſario & Siagrio, ſatis pure.

HAGENOYEN. *Apud Capuam, natale beati* *De Rufo.* *Ruphi martyris, qui ideo ad fidem converſus eſt, quia beatus Apollinaris, Petri Apoſtoli diſcipulus ſuſcitavit filiam ejus unicam defunctam; qui in Ravenna erat patricius, & ideo ſub perſecutione Domiciani* [Capuam] *ductus eſt, & ibi capite truncatus.* In Tomitanis, ſimilis eſt ANTVERP-MAX. &c. In Cordubenſibus purus eſt. Tum: *De Cæſario.* *Ipſo die, in civitate Arelatenſi, ſancti Cæſarii epiſcopi & confeſſoris, miræ ſanctitatis & pietatis ſtudii viri & doctoris eximii, qui & omelias compoſuit & ſermones. Auguſtuduno, ſancti Syagri epiſcopi & confeſſoris depoſitio.*

AQUICINCT. In fine, addit: *Bituricas, ſancti* *Sulpicii.* *Sulpicii* [epiſcopi] *& confeſſoris.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Rufi martyris, patricia dudum dignitatis. Sanctorum martyrum ſedecim, in Ægypto.* Recte notatur in mar- *Martyrum* gine: *Quos aperte hoc die non invenio in Mar-* *Ægyptior.* *tyrologio Romano aut alibi*; neque nos invenimus. Sequitur: *Cæſarii epiſcopi Arelatenſis.*

CODEX D. DU CHEVAL. ſub nota C. *In ter-* *Licerii.* *ritorio Bigorenſi, civitate Horea, natalis ſancti Liceri epiſcopi & confeſſoris, miraculorum* [patratoris] *illuſtriſſimi.*

VATICAN. num. 5949. Omiſit Georgii & ſociorum. Adjecit primo loco: *Natalis ſanctorum, Arontii, Honorati, Fortunatiani, & Sabi-* *Arontii &c.* *niani. Capuæ, natalis ſanctorum martyrum. Ruſi* *Rufi &c.* *& Carponi* (aliàs *Carpophori.*)

FLORENTIN. *Apud civitatem Potentiam, ſanctorum martyrum quatuor germanorum Aruntii,* *Aruntii&c.* *Honorati, Fortunati & Sabiniani. Eorum feſtum agitur in Kal. Septembris.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Apud Me-* *Simpliciani* *diolanum, ſancti Simpliciani epiſcopi & confeſſo-* *cum elogio.* *ris. Hic ob celebrem ſanctitatis ſuæ famam, ex heremitica vita, poſt deceſſum ſancti Ambroſii, ad epiſcopatum Mediolanenſis eccleſiæ aſſumptus eſt, & ſicut prius in vita monaſtica Deo fuerat devotus, ita in paſtorali cura beati Ambroſii imitator extitit ſtrenuus. Hic etiam venerabilis Antiſtes, dum adhuc eremita eſſet, Auguſtinum rhetorem & ſcholaſticum ejuſdem urbis, ſua doctrina & exemplari vita, ad deteſtationem erroris Manichæorum ſecta deduxit, & ad fidem ſanctiſſimæ Trinitatis convertit. Et quoniam ipſe Auguſtinus, ejus monitis & exemplis ad fidem Catholicam converſus fuerat, ideo ab eodem ſancto ſene habitum ſanctæ converſationis, formamque vivendi ſuſcepit, quam poſtmodum in Africa exuberans redolevit. Apud Capuam, natale beati Ruſi martyris, patricii Roma-* *De Rufo.* *norum. Hic ducatum tenebat apud Ravennam, cujus filiam defunctam beatus Appollinaris, Petri Apoſtoli diſcipulus, à mortuis ſuſcitavit, unde & ipſe cum uxore ſua & filia ac tota familia, numero* CCCXXIV *in Chriſto baptizati ſunt. Beatus vero Rufus apud Capuam martyrium ſuum conſummavit.* De Tomitanis, habet, ut ANTVERP-MAX. *Corduba, natale* &c. pure. Item in textu reliquo. In fine: *Rufi ep.* *Methis civitate, ſancti Ruſi epiſcopi & confeſſoris.* Natalis ejus refertur in Romano VII Novemb.

BELIN. Cordubenſes transfert ad locum penultimum, expuncto elogio. In Tomitanis, purus etiam non eſt. Scribit *Ruffus* &c. In Pariſienſi

enſi editione adjecit: *Bituricas civitate, ſancti Sulpicii epiſcopi & confeſſoris.* *Sulpicii.*

GREVEN. *Nota, alibi ſocii Marcellini tribuni leguntur hoc modo: Joannis & Babilæ filiorum ejus, Serapionis & Hironis, Amonis, clericorum, & Petri militis, qui omnes una cum Marcello & uxore, ſub Culciano præſide, beſtiarum feritate edomita, flammiſque ſuperatis, gladio cæſi, martyrium impleverunt.* *DeMarc. &c*

Milecii. Theogen. & c Rufi ep. *Milecii epiſcopi. Theogenis, Ariſtonis, Feſti, Victoris, Suſannæ, Zoilii, Domni & Memmonis, martyrum. Metis, S. Rufi epiſcopi & confeſſoris. Item ſecundum aliquos hîc, Simpliciani epiſcopi Mediolanenſis, quem alii habent Idibus Auguſti. Ebbonis epiſcopi & confeſſoris. Bituricas, tranſlatio S. Sulpitii epiſcopi & confeſſoris. In Scotia, Malkubii abbatis.* *Simpliciani. Ebbonis. De Sulpicio. Malkubii.*

MOLAN. In prima editione, caret augmento. In poſterioribus: *Die vigeſima ſeptima, ſancti patris Paſtoris. Civitate Conſtantia, natalis ſancti Gebehardi, epiſcopi & confeſſoris. Item tranſlatio ſancti Lamberti, de crypta in altare ſanctæ Crucis.* *Paſtoris. Gebehardi. Tranſlat. Lamberti.*

Subnecto hîc Roſweydi obſervationem in Baronii Martyrologium, ſuper verba, *In Thebaide, S. Pamonis anachoretæ.* Ad quæ Baronius notaverat: *De eo hac item die Græci in Menologio. Plura autem in Vitis Patrum.* Atque item in Annalibus, ad annum Chriſti CCCXLIII: *Vocatum quoque eſſe ab eodem ſancto Athanaſio aliquando Alexandriam, abbatem Pæmonem, ſpectatæ ſanctitatis virum, habetur in Vitis Patrum.* Audi modo Roſweydum in ſuperius citata Ms. epiſtola: *Quod de Pæmone ait Baronius, vel eum fefellit memoria, vel Pæmonem eumdem putavit cum Pammone. De Pammone hoc habes hîc apud Ruffinum lib. 3 num. 164, quem eumdem eſſe cum Pambone, non cum Pæmone, colliges ex Pelagii libello 3 n. 14 & libello 17 n. 11 ubi eadem apophthegmata narrantur nomine Pambonis, quæ Ruffinus habet nomine Pammonis. Alius ab his Piammon ſeu Pyaminon, de quo hîc apud Ruffinum lib. 1 cap. 31, qui Palladio cap. 72, eſt Ammonas. Ita jam olim ad Vitam ſancti Antonii notaveram. Addo nunc, Pæmonem diſtinctum fuiſſe à Pammone ſeu Pambo. Patet ex Ruffino lib. 2 Hiſtor. Eccl. cap. 8, ubi Pambus in Cellulis ponitur, & Pæmen in monte Piſpiri. Hoc enim ait: Macarius de ſuperiori eremo, aliuſque Macarius de inferiori; Iſidorus in Scitis, Pambus in Cellulis; Moyſes & Benjamin in Nitria; Scyrion & Elias & Paulus in Apeliote; alius Paulus in Focis, Pæmen & Joſeph in Piſpiri.* Hactenus Roſweydi accurata obſervatio.

Roſweydi Obſervatio in Martyrol. Romanum.

V *Kal.*

Die 28.

ROmæ, natalis beati Hermetis viri illuſtris, qui, ut in actibus Alexandri Papæ legitur, primo carcerali cuſtodiæ mancipatus, deinde gladio cædente martyrium adeptus eſt. Conſtantinopoli, ſancti Alexandri epiſcopi & confeſſoris, glorioſi ſenis, cujus virtute orationis Arrius divino judicio condemnatus eſt. In Africa, depoſitio ſancti Auguſtini epiſcopi, qui primo de ſua civitate propter barbaros Sardiniam tranſlatus, nuper à rege Longobardorum Ticinis relatus, & honorificè conditus eſt. Ipſo die, natalis ſancti Juliani martyris, qui tempore perſecutionis, hortatu beati Ferreoli, ex Viennenſi urbe, clandeſtino diſceſſu, ad territorium urbis Arvernæ commigravit, ubi tandem deſecto gutture, morte horribili necatus eſt. Apud Sanctonas, ſancti Vibiani epiſcopi & confeſſoris. *Hermetis.* *Alexandri* *Auguſtini.* *Juliani.* *Vibiani.*

Sic habent *Praten. Herinien. Antverp-major, Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. In ipſo principio omiſit Antverp. major, *natalis.* Deinde textum nonnihil turbavit, penultimam annuntiationem de Juliano Brivatenſi, ſecundo loco reponens, ubi pro *Viennenſi*, ſcribit *Vienſi.* Rurſus pro *Conſtantinopoli* habet *Conſtantinopolim.* Munerat. tertium noſtrum articulum ſic auget: *Depoſitio ſancti Auguſtini epiſcopi & doctoris*; Molanus. *Auguſtini epiſcopi, optimi doctoris.* Herinien. ſcripſit *Ticini relatus*, Greven. & Molan. ſyntaxi meliori, *Ticinum*, at certum eſt, Bedam, Rabanum, Adonem, Notkerum habere *Ticinis*, ut ſervant Praten., Antverp. major, Muneratus & alii. *Urbis Arminæ* pro *Arvernæ*, vitium eſt in Munerato, neque recte Molanus *Averna*; textus ex aliis correctior. Iterum errat Munerati typotheta in *defecto gutture*, pro *defecto.* Idem habet *Juliani* pro *Vibiani*, quo etiam vitio laborat Antverp. major. Magna de cetero in hoc nomine diverſitas. Florus & Ado legunt *Bibiani*, quos ſequuntur Greven. & Molan. Belin. in prima *Juliani*, in altera *Viviani*, quo modo ſcribunt codices noſtri recentiores & Baronius. Ego Praten. & Herinien. ſecutus ſum.

OBSERVATIO. *Hermetem* clariſſimum martyrem, vetuſtiſſimo & perenni cultu celebratum oſtendunt antiqua Kalendaria apud Florentinium, & Martyrologia noſtra omnia, in quibus (ſi Rabanum excipias, in quo tranſponitur) primum locum obtinet. *Hermetis*

Geſta

Geſta ejus immixta ſunt Actis S. Alexandri Papæ, ad III Maii illuſtratis, quæ curioſus lector conſulere interim poterit, donec proprio loco tranſlatio ejus Rothnacum Flandriæ municipium facta, aliaque ad eumdem Sanctum ſpectantia accuratius illuſtrari ſuo loco poſſint. Acta ejus ferme complectitur diffuſius Adonis elogium, ex quo pauca, præter morem, accepit Notkerus, pauciora Noſter ſtylo ſuo aptata. Socios *Hermeti* perperam in Lucenſi codice apponi, oſtendit Florentinius. Illuſtris etiam eſt apud Hieronymiana & Romanum parvum Ariomaſtyx *Alexander*, titulis multis à Baronio & in no-
Alexandr. tationibus & in Annalibus laudatus, pluribus etiam à nobis alibi exornandus. Jam nunc partem non exiguam executus eſt Janningus noſter die IV Junii, in commentario de S. Metrophane. Quæ autem de Alexandri ætate acrius ventilata eſt inter eruditos diſceptatio, non infeliciter ab eodem compoſita videtur, Suppl. Junii in Appendice ad vitam S. Pauli, hujus Alexandri ſucceſſoris. Uſuardina in laterculo de eo relata, ex Adone contracta ſunt, iis excluſis, propter quæ codices nonnulli rejiciendi fuerunt. De
Auguſtini. magno patre *Auguſtino*, meminere citati proxime Martyrologi atque etiam Beda à Rabano & Noſtro deſcriptus. Ado ſatis longam vitæ ſeriem deduxit, cujus initium & finem Uſuardus clare exprimit, ſic tamen, ut hîc Bedam potius quam Adonem præ oculis habuiſſe exiſtimem. Latiſſimum campum ſuo tempore pandent Doctoris incomparabilis egregia geſta, quæ ipſe, raro admodum exemplo, in aureo de Confeſſionibus ſuis opere, ad ſacerdotium uſque luculenter proſecutus eſt; Poſſidius diſcipulus, comes prope perpetuus & oculatus teſtis, reliquum laborum curſum diligentiſſime texuit. Atque ex hiſce potiſſimum fontibus totam vitæ ſeriem deducendam nemo diffitebitur; ex Auguſtini ipſiuſmet aliorumque ſcriptis, & innumeris pro fide Catholica tuenda certaminibus illuſtrandam. Suppetias ferent ſcriptores plurimi in eodem argumento pridem verſati, quos hîc enumerare fruſtra eſſet. Nihil in hac parte deſiderari nobis paſſus eſt Tillemontius, toto volumine 13 ſolius Auguſtini res geſtas fuſiſſime complexus. Wandelbertus inter Hermetem & Vibianum, metricum Auguſtini encomium collocat, vix uſquam in laudando profuſior. Sic habet:

Hermen quinta probat felici morte beatum.
Eccleſiæ lumen, populi ſacra norma fidelis,
Africa quo paſtore, orbis doctore coruſcat,
Auguſtine pater feſto celebraris eodem,
Aurea quem ſervant Italis nunc templa ſepultum.
Sanctonus alta ſui Vibiani hac fulget honore.

Julianum Brivatenſem quanta veneratione proſequantur Arverni, tota Gallia notiſſi-
Juliani. mum eſt. Memoriam ejus feſtive recolunt Hieronymiana, Florus, Ado, Uſuardus Notkerus. Hic paulo compendioſius, Noſter ex Adoniano encomio, hoc ſolum poſt *Ferreoli* omiſit, *cujus in militia comes erat*: cetera ad verbum tranſtulit. Videantur Baronius & Florentinius. Acta aliqua à Labbeo tomo 2 Biblioth. Ms. edita ſunt. Surius Gregorium Turon. deſcripſit. Vide quæ accuratius expendit Tillemontius tomo 5 à pag. 279, ſed præcipue à pag. 696, ubi ex laudato Greg. Turon. alia adferuntur. Qui
Vibiani. in Hieronymianis *Vivianus* cum Alexandro conjungitur, vel nullus eſt, vel idem ipſe, ni fallor, qui ibi in adjectitiis *Julianus* etiam vocatur, melius à Floro *Bibianus* dictus, ſed male, *Sconis*, *Scottiis* vel *Comis* tributus. *Bibianus* item ab Adone appellatur, ſed à Notkero *Vibianus*, quam orthographiam ex Pratenſi & Herinienſi ſupra prætulimus, mediam quaſi inter antiquiores, & recentiores codices, cum Baronio, viam ingreſſi. Tu hujus notationes conſule. Certum eſt, Uſuardum totam ſuam annuntiationem ex Adone deſumpſiſſe: atque adeo ex dictis patet textus noſtri geneſis puriſſima & ſimpliciſſima.

AUCTARIA.

ROSWEYD. Non omnino puruseſt: præterea deficit in ultima annuntiatione.

PULSANEN. Primo loco de S. Auguſtino, deinde de Hermete, ſatis pure: Sed reliqua omnia deſiderantur.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. E puris excluſi
De Alexan. ſunt, quia in Alexandro utuntur phraſi Adonis: *Arrius divino judicio dampnatus crepuit medius & effuſa ſunt viſcera ejus.* In fine. *Viviani.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN.
Idem. Incipiunt ab Auguſtino, de quo addunt: *Doctoris eximii*; & LEYDEN. præterea, *patris noſtri.* Alia pura ſunt, etiam in Hermete & reliquis omnibus, præterquam in Alexandro, de quo etiam habent ſenſum Adonis, *crepuit medius* &c. In fine etiam cum pluribus ſcribunt, *Viviani.*

ALBERGEN. A prioribus in eo ſolum differt, quod de Auguſtino, omittens elogium, ſimpliciter legat; *epiſcopi & confeſſoris.*

DANIC. In omnibus congruit, ſed poſt *Ticinis*, explicationis gratia, locum diſtinctius deſignaturus, addit; *id eſt apud Papiam.*

LOVANIEN. *In Africa, depoſitio ſancti patris noſtri Auguſtini epiſcopi, Doctoris eximii* &c. pu- *De Auguſt.*
re. Item de Hermete. De Alexandro, ut ſupra. In Juliano elogium truncat. In Vibiano, recte.

HAGE-

CENTULEN. *Romæ, passio sancti Hermetis martyris, quem beatus Alexander Papa, cum esset præfectus, baptizavit cum uxore & filiis & sorore Theodosia. Constantinopoli, sancti Alexandri episcopi, glorioſi ſenis. In Africa, civitate Hypona, ſancti Auguſtini epiſcopi & confeſſoris, qui talenta ſibi credita à Deo multiplicavit* [ita] *ut nemo fuerit, qui omnia ejus ſcripta ſe fateatur legiſſe. In Privato vico, passio ſancti Juliani martyris, cujus paſſionem Gregorius Turonenſis fideli ſtilo deſcribit. Sanctonas, ſancti Lubiniani epiſcopi & confeſſoris.* Mira nominis variatio, cum tamen ubique de ipſo eodem *Vibiano*, vel *Viviano* vel *Bibiano* agatur. Codex qui ſequitur eum *Lubianum* appellat.

Textus, ſed tyris interpolatus.

BRUXELLEN. Incipit ab Auguſtino, in quo ANTVERP-MAX. &c. ferme ſimilis eſt. In Hermete, fere purus; In Juliano inſerit Adonis verba, ab Uſuardo prætermiſſa, ut dixi in Obſervatione. De Alexandro habet, ut ſupra. Pro *Vibiani*, ſcribit *Lubiani*.

HAGENOYEN. In Hermete & Alexandro modice interpolatus, plura corradit de ſancto Auguſtino, quæ purius in Adone legi poſſunt. Sequitur de Viviano. In fine legit: *Item ipſo die, ſanctorum martyrum Juliani & Ferreoli* &c. Colitur hic XVIII Septembris.

Juliani & Ferreoli.

AQUICINCT. *Apud Sanctonas, Vibiani epiſcopi & confeſſoris.* Eſt à calamo recentiore.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Auguſtini epiſcopi & confeſſoris. Hermetis martyris. Alexandri epiſcopi & confeſſoris Conſtantinopoli, qui Arrium damnavit. Juliani martyris. Tubiani* [Vibiani] *epiſcopi & confeſſoris.*

Textus contractus.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Vibiani*. Adjicitur: *Apud Salernum, ſanctorum martyrum Fortunati, Gagi & Anthes. Et ſanctorum martyrum Septimini, Januarii & Felicis. Et dedicatio trium altarium hujus eccleſiæ.*

Fortunati &c Septimini.

EDITIO LUBECO-COL. Multa habet de S. Auguſtino, quæ à MOLANO nitidius exprimuntur. Sequitur: *Romæ, beati Hermetis martyris, illuſtriſſimi viri. Hunc beatus Alexander Papa, ut in Actibus ipſius legitur, cum eſſet præfectus urbis Romæ, baptizavit cum uxore & filiis ac ſorore ejus Theodora, cum quibus pariter mille quinquaginta duos ſervos ejus, uxores quoque & filios eorum, prius ingenuitate illis conceſſa. Quod factum cum perveniſſet ad aures Aureliani comitis, juſſit eum carterali cuſtodiæ mancipari, deinde gladio feriri, & tali martyrio migravit ad Chriſtum.* In Juliano nonnihil interpolata eſt. De Alexandro &c. ut codices alii ſupra.

De Hermete

BELIN. *In Africa civitate Hyponenſi, natale ſancti patris Auguſtini, epiſcopi & confeſſoris, eccleſiæque Doctoris eximii. Qui primo.* &c. non ſatis pure. In Hermete etiam variat. In Alexandro, ut ſupra. Juliani elogium expunctum eſt. De Juliano & Viviano diximus ſupra.

De Auguſt.

GREVEN. *Abundi & Abundantii martyrum. Pelagii martyris, qui in provincia Acarnaniæ, tempore Numeriani imperatoris, virgis fuſtibuſque cæſus; equuleo, ungulis, & oleo fervente ſuperatus; tandem ictu gladii martyr Chriſto conſecratur. Cujus corpus ſanctus presbyter Uranius, qui eum ſacris litteris imbuerat, ſepelivit.* Ipſum canit Wandelbertus, ut vide apud MOLAN. infra.

De Pelagio.

Pelagii PP. Joannis. Agnetis. Tayſis.

Pelagii Papæ & confeſſoris. Joannis abbatis & confeſſoris. Item ſanctæ memoriæ Agnetis virginis, ſororis ſanctæ Claræ, quæ ei dixerat moriens, ut ſe feſtine ſequeretur ad Dominum. Tayſis, quondam peccatrix, quam ſanctus Paſnucius abbas convertit, & in cella arcta incluſit, ubi in maxima pœnitentia exactis annis tribus, poſtea quievit in pace.

MOLAN. Poſt *optimi Doctoris*, litteris Italicis ex Adone contracto, vel potius ex Poſſidio inſerit: *Hic per acceptiſſimum Deo & in optimis viris præclariſſimum ſacerdotem Ambroſium, verbi Dei prædicatorem frequentiſſimum, divina præſtante opitulatione, & doctrinam ſalutarem & divina percepit ſacramenta. Moxque ex intimis coràis medullis, ſpem omnem quam habebat in ſeculo dereliquit. Factumque eſt ut interjecto tempore, ſancto epiſcopo Valerio id agente, omnibus gratulantibus, epiſcopatum ſuſcipere, ſuo vivente epiſcopo coactus ſit. Atque id factum eſt, ut epiſcopus multo inſtantius ac ferventius, majore auctoritate, verbum ſalutis æternæ, alacriter pullulanti atque creſcenti Domini eccleſiæ prædicaret. Verbum Dei uſque ad extremam ægritudinem impræterm iſſe, ſana mente, ſanoque conſilio in eccleſia prædicavit.* Sequitur typis minoribus: *Hoſpitalitatem ſemper exhibuit, & in ipſa menſa magis lectionem vel diſputationem, quam epulationem potationemque diligebat: & contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis, in ea ita ſcriptum habebat:*

Auguſtini elogium.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

Et ideo omnem convivam à ſuperfluis & noxiis fabulis & detractionibus ſeſe abſtinere debere admonebat. Indiſciplinatas tranſgreſſiones ſuorum à regula recta & honeſtate & arguebat & tolerabat, quantum decebat & oportebat: in talibus præcipue docens, ne cujuſquam cor declinaretur in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Eccleſiæ bibliothecam & omnes codices diligenter poſteris cuſtodiendos ſemper jubebat. Nec ſuos conſanguineos, in propoſito vel extra conſtitutos, in ſua vita & morte vulgi more tractavit. Rurſus Italicis ex Adone: *Teſtamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Dei non habebat. Tertio obſidionis menſe (nam civitas ejus quatuordecim menſibus concluſa & obſeſſa eſt à Wandalis, Alanis aliiſque commixtis gentibus) decubuit febribus, & illa ultima exercitatus eſt ægritudine. Hic beatus epiſcopus ſpiritu divino tactus, in ſancta Eccleſia Catholica, ad inſtructionem animarum, fecit libros, tractatus, epiſtolas numero 1030; exceptis quæ numerari non poſſunt, quia nec numerum deſignavit eorum. Qui primo de ſua* &c. pure. In fine: *Apud Conſtantiam Galliæ urbem, natale ſancti Pelagii martyris. Qui ſub Numeriano imperatore, juſſu Evilaſii judicis martyrium ſumpſit.* Demum typis minoribus: *Buchaugiæ, ſanctæ Adelindis abbatiſſæ.* Editiones aliæ Auguſtinum primo loco annuntiant, ſed ſuperius elogium ad quartam circiter partem contrahunt. De Hermete, eadem ferme habent quæ ſupra dedimus ex editione LUBECO-COL. De Juliano litteris Italicis interſerunt nomen *Brivate*. In fine: *Buchoviæ in Suevia, ſanctæ Adelindis abbatiſſæ. Die vigeſima octava, ſancti patris Moyſis Æthiopis.* Ex Horologio acceptus eſt. Vide de eo notationem Baronii, Obſervationem noſtram VII Febr. & Acta eodem die. Denique adjiciuntur duo ultimi Wandelberti ex hoc die verſiculi:

Pelagii martyris. Adelindis. Moyſis.

De Pelagio.

Urbs Alemannorum recolit Conſtantia ſanctum
Hic quoque Pelagium, fuſo pro ſanguine clarum.

Supra tribuebatur Pelagius *Conſtantiæ Galliæ*, quæ à Rheno longe diſſita eſt; niſi Gallia vel potius Francorum imperium in latiſſima ſignificatione, quam olim habuiſſe conſtat, accipiatur.

IV *Kal.* *Die* 29.

Decollat. Jo. Baptæ. DEcollatio, vel potius inventio capitis, beatiſſimi Joannis Baptiſtæ. Siquidem decollationem ejus circa ſolemnitatem Paſchalem eveniſſe ex Euangelica comprobatur lectione, quæ tamen hîc feſtiva recolitur, quando caput ejuſdem ſecundo repertum eſt in Emeſſa civitate, atque in eccleſia conditum. Romæ, natalis, ſanctæ & illuſtriſſimæ Sabinæ martyris, quæ ſub Adriano imperatore gladio percuſſa, martyrii palmam adepta eſt. In pago Trecaſſino, ſanctæ Sabinæ virginis, quæ pro Chriſti amore laborioſiſſima peregrinatione ſuſcepta, etiam virtutibus ac miraculis glorioſa, quievit in pace. Pariſius, depoſitio Mederici presbiteri. Ipſo die, ſanctæ Candidæ virginis.

Sabinæ Romanæ. *Sabinæ Trecenſis.* *Mederici.* *Candidæ.*

Ita *Praten. Herinien. Antverp-major*, *Roſweyd. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Praten. legit, *inventio capitis Joannis.* &c. Antverp-maj. *inventio beatiſſimi Joannis.* Roſweyd. cum Pratenſi convenit, aſt Herinien. & reliqui diſerte ponunt ut eſt in textu. Diximus alibi de *ſollempnitatem*, ut codices aliqui ſcribere ſolent Munerat. pro *Euangelica comprobatur lectione*, ſubſtituit *Euangelica probatur auctoritate.* Greven. & Molan. à reliquis diſcedunt in, *quando caput ejus repertum eſt ſecundo in Ediſſa.* Scribendum eſſet *Emeſa*, ſed à codicibus non recedimus. Pro *conditum*, habet Munerat. *reconditum.* Item *Sabinæ virginis & martyris.* Vide Obſervationem. In Herinien. eſt *Trecaſino.* In Antverp-maj. *Leginæ*, pro *Sabinæ* vel *Savinæ*, ut ſcribit Munerat. Notavit Caſtellanus lituram in codice Pratenſi, incipiendo à *Pariſius dep.* uſque ad finem, cui ſuperſcriptum advertit, *oſitio Mederici presbiteri & monachi* &c. Et eam ſcribendi rationem ſequuntur perpetui comites Antverp-maj. & Roſweyd. Antea habebatur *Mederici epiſcopi*, quo modo legit Molan. Sed præferenda eſt Herinien. & Greveni lectio, *depoſitio Mederici presbiteri*, non, *ſancti Mederici abbatis*, ut habetur in Munerato. Nihilominus codices illi inter puros numerati ſunt.

OBSERVATIO. De *inventione capitis Baptiſtæ Prodromi*, ea paucis ad XXIV Februarii complexi ſumus, quæ hîc repetere ſupervacaneum eſſet. Porro ad XXIV Junii dictum eſt, in Hieronymianis pleriſque apographis & illo & hoc die *natalem* ejus *in Sebaſtia* recoli, quamvis de vero & genuino hujus diei textu diſputet Florentinius admonitione 6, pag. 26 & 28. Beda ſignanter hodie legit: *Eodem die, decollatio ſancti Joannis Baptiſtæ.* Verum quæ ibidem adjunguntur, ſatis innuunt tranſlationem capitis intelligi. Romanum parvum & Ado indicant *decollationem hodie venerari.* Cetera quæ poſtremus habet, ipſa ſunt Bedæ verba, à Rabano etiam & Notkero deſcripta. Nec clariora ſunt, quæ ab Adone in feſtivitatibus Apoſtolorum hac die referuntur. Noſter ex textu Adoniano XXIV Februarii eruiſſe videtur, *decollationem*, quæ circa feſtum Paſchæ v. g. 1 Aprilis, celebrari non poterat, ideo hac die conſignatam, quod eo ipſo facta fuerit ſecunda ſacri capitis inventio. At enim fere arbitraria hæc eſſe, ſi omnia recte perpenderis, facile perſpicies. Melior fortaſſe Caſtellani conjectura, cenſentis decollationis feſtum obtinuiſſe ob dedicationem hodiernam templi à Theodoſio conditi. Alii alia excogitant, quæ uberius loco proprio diſcuti poterunt, & illis ſuperaddi quæ fuſe & erudite deduxit Papebrochius tomo IV Junii à pag. 711, & Tillemontius citatus dicto die XXIV Februarii, quibus addenda ſunt, quæ contra P. l'Amy idem auctor diſputat tomo 2 à pag. 714. Quid Wandelbertus de hac feſtivitate ſenſerit, ex ejus verſibus intelliges. Locum etiam habet Sabina Romana, quæ ſequitur, hîc ut *virgo* celebrata:

Decollat. Io. Baptæ.

Præco Dei, Verbi vox, & Baptiſta Joannes,
Quem effera ſaltanti tribuerunt juſſa puellæ,
Inſignit quartam meritorum laude perenni.
Virgo Sabina ſimul Romæ ſua templa reviſit.

Ponit hodie primo loco Beda: *Romæ, ſanctæ Sabinæ virginis atque martyris*: Rabanus ſolum, *Sabinæ martyris*, quo modo veroſimile eſt, primum à Beda ſcriptum fuiſſe, cum ex

Sabinæ Romanæ.

ex Actis conſtet *præclariſſimi quondam Valentini uxorem* fuiſſe, de qua meminere Acta Serapiæ virginis, III Septembris illuſtranda. In veteribus Kalendariis Allatii & Frontonis, uti & in Sacramentario Gregorii, ſolo nomine ſignatur. Nec præter martyris titulum quidquam adſtruxit Romanum parvum, niſi quod locum addat, *ad arcum Fauſtini.* Plura ex præfatis Serapiæ Actis contexuit Ado, indeque hoc præcipue accepit Uſuardus, quo *illuſtriſſimam martyrem* prædicet. Notkerus pauca etiam capita ſummatim decurrit. Plura dabunt Notationes Baronii & Florentinii. Ex prioris Annalibus ad annum CCCCXXXII num. 37 diſces, dicatam ei per id temporis eccleſiam etiam hodie celebratiſſimam, ad quam fit prima & ſolennior Statio feria IV Cinerum, ut vide apud Frontonem pag. 33.

Sabinam ſeu *Savinam Trecenſem* perperam huc ab Uſuardo intruſam recte advertit Caſtellanus, utpote quam ſcire potuerit, non hac die, ſed XXIX Januarii à popularibus publica ubique ſolennitate celebrari, ut in Actis ad eam diem fuſius probatum invenies, idemque ferme Uſuardi elogium ex nonnullis Mss. Martyrologiis relatum. Satis inſinuat laudatus Caſtellanus Bimeſtri primo pag. 452, diem hunc ab Uſuardo Sabinæ Trecenſi conſecratum fuiſſe, quod eo jam dicta ſynonyma Sabina Romana recoleretur, quamquam de vera alterius feſtivitate melius edoceri potuiſſet. *Sabinæ Trecenſis.*

Medericus à ſolo item Noſtro notatus eſt, non ut *monachus*, *abbas*, aut *epiſcopus*, ut ſupra oſtendimus, tametſi *monachum*, & ſi vis, *abbatem* fuiſſe non diffiteamur, ſed ut *presbyter*; ſicut textus noſter exhibet. Vide quæ de eo refert & obſervat Mabilio ſeculi Benedict. 3, parte 1 à pag. 8, ubi de Sancti ætate, de auctore vitæ, de profeſſione monaſtica, de variis locis, ſive cœnobiis ſive aliis, à Mederico cultis, denique de cellula, in ſuburbanis Pariſiorum ſub nomine Principis Apoſtolorum conſecrata, in qua poſtremum vixerit, ac demum exſpiraverit, multa, more ſuo, diligenter inquirit & explicat, pluribus alibi deducenda. *Candidam* aliquam virginem Romanam ſociis aliis immixtam profert Hieronymianum Epternacenſe vetuſtiſſimum, quam facile crediderim ex hujuſmodi apographo ab Uſuardo erutam. Certe Uſuardinam eſſe, ſatis evincunt codices noſtri, ex quibus æque evidenter patet germana totius textus ſimplicitas. *Mederici.* *Candidæ.*

AUCTARIA.

PULSANEN. In prima annuntiatione ſatis purus, pergit: *In pago Trecaſſino, ſanctæ Sabinæ virginis.* Deſunt reliqua.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Plane mutilati ſunt. Sic habent: *Decollatio ſancti Johannis Baptiſtæ. Romæ, ſanctæ Sabinæ virginis & martyris. Ipſo die, ſanctæ Candidæ virginis. In Antiochia Syriæ, ſanctorum Niceæ & Pauli. In Syrmia, natale ſanctæ Baſillæ.* Poſtremæ duæ ex Hieronymianis adjectæ ſunt. *Niceæ & Pauli. Baſillæ.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Uſque ad penultimam annuntiationem ſatis puri ſunt. Itaque de Mederico non loquuntur; ſed Sabinæ Trecenſi immediatè ſubjungunt: *Ipſo die, ſanctæ Candidæ* &c. ut ſtatim diximus.

LOVAN. Hiſce etiam ſimilis eſt, præterquam quod elogium Sabinæ Trecaſſinæ expungat.

ALBERG. & DANIC. Incipiunt: *Decollatio ſancti Joannis Baptiſtæ.* In reliquis conveniunt cum ANTVERP-MAX. &c.

CENTULEN. *Romæ ad arcum Fauſtini, beatiſſimæ Sabinæ martyris. Eodem die, veneratur decollatio ſancti Joannis Baptiſtæ, quem Herodes Tetrarca, ut Euangeliſtæ ferunt, præcepit decollari in carcere. Ipſo die, ſanctæ Candidæ virginis. Pariſius, depoſitio Clerici presbyteri*, opinor, pro *Mederici*, qui neque hîc *monachus* appellatur. *Textus mutilus.*

BRUXELLEN. *Decollatio ſancti Joannis Baptiſtæ, quam Euangelica lectio circa Paſcha factam commemorat, ſed feſtum ejus hîc recolitur, quando caput ipſius ſecundo repertum, & in eccleſia Edeſſæ civitatis conditum eſt. Romæ in Adventicio, oppido Windinenſe, ad arcum Fauſtini* [hæc Ado clarius] *natale ſanctæ Sabinæ illuſtriſſimæ martyris, quæ fuit uxor præclariſſimi quondam Valentini, & filia Herodis Metellarii. Hæc Adriano imperante, ſub Helpidio præfecto paſſa & gladio percuſſa, martyrii palmam accepit.* In Sabina Trecenſi, purus eſt. Sequitur de Antiochenis & Baſilla, ut ſupra. In Candida purus eſt. Tum: *Et ſanctæ Aureæ virginis. Mettis, depoſitio ſancti Adelphi epiſcopi & confeſſoris.* In *Mederici*, prima ſyllaba inſertum eſt *o*, ut ſit *Moderici.* *De decollat.* *De Sabina Romana.* *Niceæ &c.* *Baſillæ.* *Aureæ.* *Adelphi.*

HAGENOYEN. *Decollatio ſancti Johannis Baptiſtæ, vel potius capitis ejus inventio, & oſſium ipſius concrematio, & digiti ejus tranſlatio, & baſilicæ ejus dedicatio. Unde à quibuſdam hæc feſtivitas diverſimode notatur. Dicitur namque decollatio, collectio, inventio & dedicatio. Decollatus Johannes eſt circa feſtum Paſchæ, ſicut Euangelii probat auctoritas, ab Herode Tetrarcha Galileæ, filio Herodis regis ſub quo natus eſt Dominus. Concrematio oſſium ejus facta eſt à Juliano imperatore. Et oſſium collectio facta eſt per monachos Hieroſolymitanos, qui concremantibus ſe miſcuerunt, & plura oſſa ipſius furabantur. Inventio capitis Johannis facta eſt per duos monachos, ipſo revelante. Digiti ejus tranſlatio & eccleſiæ dedicatio facta eſt penes Mediolanum à Theodelina regina Longobardorum. Unde propter hæc omnia à Domino Papa ſtatutum eſt, ut hæc dies per mundum celebris in honore Baptiſtæ habeatur.* Quæ de Sabina Romana memorat, melius ab Adone referuntur. De Trecenſi & Mederico ſilet. Sequitur: *In Sirmia, ſanctæ Baſilicæ virginis.* Hæc melius *Baſilla* vocatur. De Candida pure, de Antiochenis, ut ſupra. *De decollat. Jo. Bapt. &c.* *Baſilicæ.* *Niceæ &c.*

AQUICINCT. Medericum *monachum* vocat cum PRATENSI & ſociis aliis ſupra citatis.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Decollatio ſancti Joannis Baptiſtæ. Sabinæ virginis & martyris.* De qua in margine recte adnotatur : *de hac nunc agimus commemorationem, quaſi non eſſet virgo. Mederici abbatis & confeſſoris. Sabinæ virginis. Candidæ virginis.*

Textus mutilus.

CODEX BIGOTIAN. ſign. P. 5, qui fuit PP. Cæleſtinorum. In margine adſcribit recentiori manu : *In civitate Aquila, coronatio beati Petri Cæleſtini patris noſtri, in qua eſt Indulgentia à baptiſmo.* Vel hinc cognoſcitur codex.

Coronatio Cæleſtini.

In VATICAN. Deeſt Mederici & Candidæ. Adjicitur : *Natale ſanctorum Vitalis, Satoris & Repoſiti.* Apud alios noti non ſunt.

Vitalis &c.

UGHELLIAN. Nihil habet de Sabina Trecenſi & Mederico. Porro de Antiochenis & Baſilla, ut ſupra in ANTVERP. & MAX-LUBEC.

Niceæ &c. Baſillæ.

CODEX CASTRI CAROLI. *Ipſo die, ſancti Joannis confeſſoris.*

Ioannis.

EDITIO LUBECO-COL. *Decollatio ſancti Johannis Baptiſtæ. Qui primo in Samaria conditus eſt, nunc in Alexandria. Porro caput ejus de Hieroſolymis ad Fenicem urbem Ediſſam delatum eſt.* Hæc ferme habent Beda, Rabanus, Ado & Notkerus. *Romæ in Adventino, opido Vindinenſi, ad arcum Fauſtini* &c. quæ in Adone legi malim. De Sabina Trecenſi, inſerit, *ſororis ſancti Saviniani martyris.* De Antiochenis, ait, *Niceæ virginis & Pauli martyris. Metis, ſancti Adolphi epiſcopi & confeſſoris.* De Mederico, addit, *& confeſſoris.* De Baſilla Sirmienſi, ut ſupra. De Candida, pure.

De decollat. *De Sabina.* *DeSab.Trec Niceæ &c.* *Adolphi. Baſillæ.*

BELIN. Incipit : *Decollatio ſancti Joannis Baptiſtæ.* De Sabina, omittit titulum *illuſtriſſimæ.* Sequitur : *Item ſancti Helyſei prophetæ.* In Candida, purus eſt. In Antiochenis, ut ſupra. Pro *Baſilla*, ſcribit *Baſiliæ.* In Mederico purus. Quæ in priori Veneta editione aberat, ponitur in altera : *In pago Trecaſſino, ſanctæ Sabinæ virginis.*

Eliſæi. *Niceæ &c. Baſillæ.*

GREVEN. *Item ſanctorum martyrum nongentorum, qui eodem die paſſi ſunt. In Antiochia Siriæ, ſanctorum Niceæ virginis & Pauli martyrum. Metis, ſancti Adelphi epiſcopi & confeſſoris. Civitate Oſtia, ſanctæ Aureæ virginis, & martyris. Quæ nobili orta genere, pro fide Chriſti ſub Claudio in carcere fame cruciata eſt, deinde equuleo ſuperato, fuſtibus cæſa, in exilium miſſa eſt : ubi denuo varia perpeſſa tormenta, in mare præcipitata, martyrium conſummavit. In Sirmio, ſanctæ Baſillæ virginis. Veronæ virginis.* Vide quæ de ea habet MOLAN.

Mart. 900 Niceæ &c. *Adelphi.* *De Aurea.* *Baſillæ.* *Veronæ.*

MOLAN. *Metis civitate, depoſitio ſancti Adelphi epiſcopi & confeſſoris. Item, ſancti Helizæi prophetæ. Hujus ſacrum corpus etiam mortuum, mortui reſuſcitatione peculiariter glorioſum, Ravennæ tranſlatum, honore condigno honoratur. In Antiochia Syriæ, natale ſanctorum Niceæ & Pauli. In Syria, natale ſanctæ Baſileæ. In Venuſio civitate Apuliæ, natale Felicis epiſcopi. Civitate Tubzozenſe, Januarii presbyteri, & Fortunatiani & Septimi lectorum : qui ſub Diocletiano imperatore à Magdelliano procuratore, gladio conſummati ſunt.* Vide de his XXIV Octobris. *Veronæ, virginis beatæ, in eccleſia ſanctæ Crucis.* Dein typis minoribus, *miliario ab urbe Lovanio, in monte, qui ab ea ſanctæ Veronæ nomen accepit. Hæc filia Ludovici regis Alemanniæ, ſanctimonialis fuit in monaſterio à ſe fundato ad Rhenum, quod Vorenhoute dicitur, & Maguntiæ in Domino obdormivit.* Editiones poſteriores corrigunt priorem in Mederico, ſed Italicis litteris adjiciunt *abbatis.* De Elizæo habent, ut ſupra. Tum : *Apud urbem Lovanium, natalis Veronæ, virginis beatæ, in eccleſia ſanctæ Crucis.* Hîc omittuntur omnia, quæ de ſancta Verona ex priori editione ſupra diſtinctius explicata ſunt. Sequitur: *Eodem die, tranſlatio ſancti Adelphi Metenſis epiſcopi & confeſſoris, ad novum Villare monaſterium, petitione Lantfridi coëpiſcopi Drogonis Metenſis, tempore Ludovici pii.*

Adelphi. Eliſæi. *Veronæ cum elogio.* *Tranſlat. Adelphi.*

III *Kal.* *Die* 30.

Felicis. ROmæ via Oſtienſi, paſſio beati Felicis presbiteri, ſub Diocletiano & Maximiano imperatoribus, qui poſt equulei vexationem, datâ ſententiâ, cum ad decollandum duceretur, obvius ei fuit quidam Chriſtianus ; hic dum ſe Chriſtianum ſponte profiteretur, mox cum eodem pariter decollatus eſt. Hujus nomen ignorantes Chriſtiani, Adauctum eum appellaverunt, quod ſancto Felici auctus ſit ad coronam. Item Romæ, ſanctæ Gaudentiæ virginis.

& Adaucti. *Gaudentiæ*

Puri ſunt *Herinien. Pulſanen. Antverp.* & *Max-Lubec. Belini prima editio, Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danicus.*

VARIA LECTIO. Ferme in nævis conſiſtit. Sic *Rhome, Hoſtienſi, eculei.* In Herinienſi, pro *duceretur*, eſt *deduceretur.* Belin. legit *obvius fuit ei*, Max Lubec. *obvius ei quidam fuit.* In Antverp. poſt *Adauctum*, omittitur *eum*, Denique Belin. pro *ſancto Felici*, ſcribit *Felice.*

OBSERVATIO. De confuſione variorum martyrum ſub *Felicis* appellatione, dicendum nobis fuit ad XIV Januarii, ubi fontes aſſignavimus, ex quibus plura, huic etiam diei ſervientia, inveniet curioſus lector, quæ modo nec lubet repetere, nec vacat operoſius retractare. Nodus hac die intricatior videri poteſt, quod Martyrologi inter ſe diſcrepent. Nam Beda & qui eum, unico die tranſpoſito, ſequitur, Rabanus, eos martyres recolunt, quos diebus præcedentibus inter Auctaria recenſuimus, nempe *Felicem epiſcopum,*

Felicis & Adaucti.

ſcopum, *Adauctum* vel *Adactum*, *& Januarium preſbyteros* (aliqui in nominibus nonnihil variant) *Fortunatianum & Septimium* vel *Septiminum*, *lectores*, à nobis proxime ex Molano ad XXIV Octobris remiſſos: quo die iiſdem Bedæ verbis ex Adone, & ex hoc ab Uſuardo celebrantur. Inde recentioribus anſa præbita eſt, dubitandi utrum vere *Felix* noſter & *Adauctus* Romæ vendicandi ſint. Quo id fundamento adſtruant, ipſi viderint. Certe vetera Kalendaria Allatii & Frontonis ſæpe citata, Sacramentarium Gregorii, apographa Hieronymiana, Romanum parvum, Rabanus, Ado, Notkerus, Wandelbertus, æque ac Noſter diſertiſſime hodie ſignant *Felicem* dumtaxat & *Adauctum*, vel per metatheſim *Audactum*, *via Oſtienſi*, eoſque tot præterea characteribus & circumſtantiis diſtinguunt, ut hactenus non videam, quid cum ſuperioribus, Africanis omnibus, commune habere queant. Fateor, Adonem duos fratres *Felices* hac ipſa die innuere, at dum unius tantummodo res geſtas proſequitur, ſatis demonſtrat, unum illum fuiſſe, qui via Oſtienſi cum acceſſorio comite Adaucto coronam martyrii promeritus ſit. Adonis Acta rejiciunt aliqui, ego necdum ut ſincera venditare auſim, attamen tales cenſeo relatas auctoritates, ut geminos noſtros *Oſtienſes* ab aliis diverſiſſimos eſſe oporteat. Quod velint, huic etiam diei innecti debere Africanorum (ſaltem *Felicis epiſcopi* Venuſiæ paſſi) glorioſum agonem, haudquaquam obluctabor; quin potius ſubſcribam Ruinartio, id non improbabiliter ſuadenti à pag. 374: ſatis nobis eſt Martyrologiorum noſtrorum fidem aſſeruiſſe. De cetero ad laterculum quod attinet, omnia ex longiori Adonis narratione contraxiſſe Uſuardum, manifeſtum eſt. Multum innititur Florentinius Ms. reginæ Sueciæ, ſed ignoravit, Bedæ propria eſſe, quæ ibi referuntur, quæque proinde nihil in hac re immutare poſſunt. Communem Martyrologorum ſenſum ſecutus eſt Wandelbertus, dum ita ſcripſit:

Ternâ cum Felice pio præcellet Adauctus.

In Hieronymianis primo loco notatur *Gaudentia virgo cum reliquis tribus.* Hæc in Rabano totidem verbis leguntur, quibus alicunde lucis aliquid afferri velim. Porro *Gaudentia* illa Adoni & Notkero præterita eſt; unde mihi dubium non eſt, quin Uſuardus ex Hieronymianis eam acceperit. An martyris titulo decoranda ſit, vide in Florentinio. Sequitur apud Rabanum, *Depoſitio Agili abbatis*, reliquis omnibus antiquioribus Martyrologis incogniti. Hunc, neſcio quis, codici Pratenſi aſſuere voluit, hac phraſi: *In pago Meldenſi, ſancti Agili confeſſoris*, ex quo in ordinarios comites tranſiit, eâ causâ à puris excluſos. Aſſutum ab aliquo ſeu adſcriptum dicimus ſanctum Agilum in Pratenſi codice, nam, teſte Caſtellano, primâ manu ſignatus non eſt. Verum quæcumque ea manus fuerit, antiquam eſſe oportet, quandoquidem Antverp-maj. & Roſweyd., quos codices Pratenſis ſocios vocamus, eum etiam iiſdem verbis referant. Alia phraſi eumdem protulit Muneratus, ſed & ipſe & præfati iſti codices ita ab omnibus aliis, pro textu ſuperius citatis, refelluntur, ut indubitata maneat Uſuardinæ lectionis noſtræ germaniſſima puritas & ſimplicitas. Qui de Agilo plura legere voluerit, conſulat Mabilionem ſec. 2 Benedict. à pag. 315. *Gaudentiæ.*

AUCTARIA.

Agili. PRATEN. & ROSWEYD. In fine adjiciunt: *In pago Meldenſi, ſancti Agili confeſſoris.*

ANTVERP-MAJ. Idem habet augmentum & præterea in Felice mutilus eſt.

De Agilo. MUNERAT. Textui puro ſubdit: *Resbaco monaſterio, cognomento Hieruſalem, ſancti Agili, qui ejuſdem abbas cœnobii multis virtutibus claruit.*

Fiacrii. *In territorio Meldenſi, ſancti Fiacrii confeſſoris.*

CENTULEN. *Romæ via Oſtenſi, beatorum martyrum Felicis & Audacti, tempore Diocletiani, ſub præfecto Urbis Draco. Item Romæ, ſanctæ Gaudentiæ virginis. Cœnobio Reſtacenſi, depoſitio ſancti Agili abbatis.*

Agili.

De Felice & Adaucto. BRUXELL. *Romæ via Oſtienſi, paſſio beatorum martyrum Felicis presbyteri & Adaucti, ſub Diocletiano & Maximiano imperatoribus decollatorum. Quorum primus, dum poſt eculei vexationem, data ſententia duceretur ad mortem, obvius ei fuit alter, & dum ille ſe ſponte Chriſtianum eſſe fateretur, mox cum primo pariter decollatus eſt. Et quia hujus ſecundi martyris nomen ignorantes Chriſtiani non invenerunt, Adauctum ipſum appellaverunt, eo quod ſancto Felici martyri auctus, ſibique pro fidei confeſſione, martyrii corona aucta ſit. Item Romæ, ſanctæ Gaudentiæ virginis. Eodem die in monaſterio Ieruſalem, depoſitio ſancti Agili confeſſoris & abbatis.* *Agili.*

De Felice & Adaucto. HAGENOYEN. *Romæ via Oſtienſi, natale beati Felicis preſbyteri & Adaucti cujuſdam alii Chriſtiani, ſub Dyocleciano & Maximiano. Hic Felix cum ductus eſſet ad ſtatuas plures, ſcilicet Serapis, Mercurii & Dyanæ, quæ omnes reciderunt, & cum in eculeum levatus & tortus, & poſtea ad arborem ſacrilegam ductus, quam ſimiliter dejecit, & ſimulacrum cum templo & ara corruit, & tunc illum præſes juſſit decollari & corpus ejus lupis & canibus dimitti. Tunc quidam Chriſtianus in medium proſiluit, Chriſtum confitens, & oſculantes ſe invicem pariter decollati ſunt. Hujus nomen Chriſtiani ignorantes, Adauctum eum vocaverunt, eo quod ſancto Felici adauctus ſit ad coronam.* Vide hæc in Adone purius. *In civitate Trecaſſina, ſancti Saviniani martyris & ſanctæ Savinæ ſororis ejus* &c. Sequitur longa horum Sanctorum hiſtoria, de qua vide in Actis XXIX Januarii. *Saviniani & Savinæ.*

AQUICINCT. Poſt *Gaudentiæ virginis*, addit: *In monaſterio, quod dicitur Reſpacis, tranſitus ſancti Agili, ejuſdem loci abbatis & confeſſoris.* Et calamo longe recentiori adjicitur: *In territorio Meldenſi, ſancti Fiacrii confeſſoris.* Vide quæ habet Surius hoc die, & recentius Mabilio ſeculo 2 Benedictino à pag. 599. *Agili.*

DAVERONEN. *Ieruſalem monaſterio, quod dicitur Reſbacis, tranſitus ſancti Agili, primi ejuſdem loci abbatis & confeſſoris.* *Fiacrii. De Agilo.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Felicis & Adaucti martyrum. Lazari fratris Marthæ, epiſcopi Maſſilienſis.* Vide XVII Decembris. *Fiacrii eremitæ & confeſſoris. Agili abbatis & confeſſoris.* *Lazari. Fiacrii. Agili.*

REG. SUEC. ſignatus num. 428. *Resbaco monaſterio, cognomento Ieruſalem, ſancti Agili, qui ejuſdem abbas cœnobii, multis virtutibus claruit. In pago Meldenſi, beati Fiacrii confeſſoris, viri vita & miraculis glorioſi.* *De Agilo. De Fiacrio.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Gaudentiæ.*

ALTEMPS. *Ceneyo monaſterio, ſancti Ealdwoldi confeſſoris, fratris beati Edmundi martyris. Ipſo die, ſancti Junionis epiſcopi & confeſſoris. Item, ſancti Decimavi martyris.* *Eadwoldi. Junionis. Decimavi.*

FLORENTIN. *In monaſterio Ieruſalem, ſancti Agilii abbatis & confeſſoris.* *Agili.*

EDITIO LUBECO-COL. De Felice & Adaucto vix quidquam novi inducit. Sequitur: *Monaſterio Tuicienſi, ſuper litus Rheni, tranſlatio corporis beati Heriberti archiepiſcopi Colonienſis Agrippinæ & confeſſoris. Quæ à Domino Arnoldo primo, archiepiſcopo Colonienſium, ſub anno Incarnationis Domini* MCXLVII *facta eſt. In monaſterio Resbaſi, ſancti Agili abbatis & confeſſoris, qui, centenarius ac virgo exiſtens, feliciter ex vocatione migravit à ſeculo.* In Gaudentia, pura eſt. Denique: *Eodem die, natale ſanctorum martyrum, Januarii presbyteri, Fortunati & Septimi lectorum.* Vide Obſervationem. *Tranſlat. Heriberti. Agili.* *Januarii & ſociorum*

BELINI editio altera: In fine habet: *In territorio Meldenſi, ſancti Fiacrii confeſſoris.* *Fiacrii.*

GREVEN. *Ipſo die, ſecundum Cathalogum ſanctorum, ſancti Therentiani epiſcopi & martyris. Qui tempore Adriani apud Tudertum Tuſciæ ſacrificare nolens, in equuleo levatus, ſcorpionibus cæditur, igniſque lateribus apponitur. Deinde lingua præciſa, cum nihilominus Chriſtum clare confiteretur, decollatus eſt unà cum Flacco ſacerdote idolorum à ſe converſo & baptizato. Item, ſanctorum Hipolisti & Saviniani martyrum, de quibus in geſtis ſanctæ Aureæ virginis. In territorio Meldenſi, beati Fiacrii abbatis & confeſſoris, magnæ virtutis viri. In monaſterio Resbaſi, ſancti Agili abbatis & confeſſoris, qui anno vitæ ſuæ centeſimo virgo obiit. Monaſterio Tuicienſi, ſuper litus Rheni, tranſlatio ſancti Heriberti archiepiſcopi Agrippinenſis Coloniæ & confeſſoris, facta anno Domini* MCXLVII *per Dominum Arnoldum ejuſdem urbis archiepiſcopum. Ipſo die ſecundum quoſdam, natale ſanctorum Januarii presbyteri, Fortunati & Septimi, qui infra* IX *Kalend. Novembris habentur.* *De Terent. Hippolyti & Savinian. Agili. Tranſlat. Heriberti. Januarii & ſocior.*

MOLAN. *Resbaco monaſterio* &c. Deinde: *In territorio Meldenſi* &c. ad verbum ex MUNERATO. Sequitur: *Anno milleſimo quinquageſimo ſexto, tranſlatio ſancti Donatiani Remenſis epiſcopi* [Brugas.] In poſterioribus editionibus, de Agilo & Fiacrio, eadem quæ in prima. Tum: *Brugis, tranſlatio ſancti Donatiani, Remenſis epiſcopi.* *Agili. Fiacrii. Tranſlat. Donatiani.*

Pridie Kal. *Die* 31.

Paulini. TReveris, natalis ſancti Paulini epiſcopi & confeſſoris, qui à Conſtantio imperatore ob Catholicam fidem exilio relegatus, & uſque ad mortem, etiam extra Chriſtianum nomen, mutando exilia fatigatus, ad ultimum apud Frigiam defunctus, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino. Eodem die, apud Athenas, *Ariſtidis.* beati Ariſtidis, fide, ſapientiaque clariſſimi, qui Adriano principi de religione Chriſtiana libros obtulit, & quod Chriſtus Jeſus ſolus eſſet Deus, præſente ipſo imperatore, luculentiſſimè peroravit. Autiſiodoro, ſancti *Optati.* Optati epiſcopi & confeſſoris.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-major, Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Eſt inter codices pro textu hîc citatos & inter Belinum, cui conſonant mediæ notæ ecgrapha noſtra, ea diverſitas, quod licet omnes ex eodem fonte hauſerint; poſtremi tamen primam annuntiationem de Paulino Trevirenſi in aliam quodammodo formam tranſpoſuerint, dum loquuntur in hunc modum: *Treveris, ſancti Paulini epiſcopi & confeſſoris, qui tempore Arrianæ infeſtationis; à Conſtantio imperatore, ob Catholicam fidem uſque ad mortem variis exiliis fatigatus, tandem apud Frigiam, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino.* De cetero inter puros noſtros nihil ferme diſcriminis. Antverp-maj. & Munerat. mendoſe ſcribunt, *Conſtantino*, pro *Conſtantio.* Molan. habet *relegatus exilio*, ſed à Greveno magis detortus eſt ſenſus; dum ita conſtructionem implicat: *Ob catholicam relegatus fidem exilio.* Praten. poſuit *Phrigiam*, melius Molan. *Phrygiam*; ſed nos cum reliquis omnibus, quos vel errantes etiam alibi ſecuti ſumus, ſimpliciter *Frigiam.* In Herinien. eſt *Ariſthidis.* De *Autiſiodoro* vel *Antiſiodoro* &c. dictum eſt ſæpius. Cetera notatu digna non ſunt.

OBSER-

OBSERVATIO. Illustria *Paulini Trevirensis* pro catholica fide cum Arianis certamina merito celebrant Athanasius, Hilarius, Hieronymus aliique scriptores ecclesiastici, nec minus ut egregium *confessorem*, quidni & *martyrem*? eum exornant Martyrographi passim, Hieronymiana præsertim, in quibus postquam hac die positum est: *In Treveris, depositio sancti Paulini episcopi & confessoris*, ad IV Septembris denuo repetitur: *Treveris, depositio sancti Paulini.* Geminatæ hoc modo festivitatis rationem non reperit Florentinius; nec satis promptum est reddere, nisi ad translationem, elevationem, aut inventionem corporis recurratur, seu ad relationem ejus ex Phrygia, de quibus consuli potest Sigebertus apud Florentinium; nam his omnibus occurri videtur, dum utrobique expressissime legitur *depositio.* De Paulino nihil in Beda, Floro, aut Romano parvo, sed eum memorat Rabanus, breviter notans, quod sub Constantio *exiliatus ibidem requieverit.* Paulo fusius & nitidius rem expressit Ado, quem nescio cur Notkerus non satis fideliter secutus sit. Noster presse illius verbis inhærens eaque nonnihil contrahens, sic plane juxta antiquiores codices nostros elogium efformasse dicendus est, ut nos in laterculo posuimus, non ut Belinus loquitur & Mss. recentiora, iterum in Auctariis distinctius citanda. Plusculum dicent laudati Florentinii notationes, ubi miraberis, nos ad Mersæum in Annalibus Archiepiscoporum Treverensium remitti, ut discamus, *sanctum Paulinum*, qui certò sub Constantio obiit adeoque, ut Florentinius fatetur, saltem ante CCCLXIII; ut discamus, inquam, *sanctum Paulinum, à sancto Martino Turonensi consecratum* fuisse, *& à D. Ambrosio dilectum & excultum.* Saniora docebit Baronius & à nobis producentur suo loco, ex Severi Sulpitii historiæ sacræ lib. 2 aliisque certioribus ecclesiasticis monumentis, ex quibus patebit, Paulinum nostrum Trevirensem, glorioſæ confessionis suæ prius cursum absolvisse, quam aut Martinus aut Ambrosius ferme catechumeni fuerint; utpote cum ille probabilius anno CCCLIII, post Concilium Arelatense in exilium missus, quinquennio post, anno CCCLVIII, laborum ærumnarumque metam attigerit. Locum hic habeat Wandelberti metricum de Paulino elogium, quo mensem Augustum ita concludit: *Paulini.*

Paulinus pridie Treverorum mœnia lustrat,
Exilio Antistes vero pro dogmate clarus,
Augusti his demum clauduntur lumina festis.

De *Aristide* nihil dicitur in Hieronymianis, Beda, aut Rabano; unde certum videtur, à Romano parvo in sacras Tabulas primum fuisse relatum, haud dubie ex Rufini Eusebio lib. 4 cap. 3, his verbis: *Apud Athenas, Aristidis, qui Adriano principi de religione christiana libros obtulit.* Et hæc quidem ex historia eccl. vere constant, confirmata ab Hieronymo de Script. cap. 20; non item ea quæ ab Adone superaddita sunt, de *luculentissima* coram Adriano *peroratione*; ut hinc rursus evidenter pateat, quam inepte velint aliqui, Romanum parvum ex Adone contractum fuisse. Sed de his plura alibi. Interim notabis, Viennensis phrasim à Nostro plane & integre esse descriptam, Notkero voces aliquas aut mutante aut transponente. *Optatus* Autissiodorensis ab Usuardo haud dubie appositus est ex codicibus Hieronymianis, eum diserte exprimentibus, quidquid adjectitium velit Florentinius. Atque inde patet tota textus nostri œconomia & ratio. *Aristidis.* *Optati.*

AUCTARIA.

Aidani. Ensuithæ. Cuthburgæ. ROSWEYD. Textui subdit augmenta Anglica: *In Britannia, monasterio Glistingensium, sancti Adani* [potius *Aidani*] *episcopi & confessoris.* Vide Surium. *In Cantia, depositio sanctæ Ensuithæ virginis. Eodem die, sanctæ Cuthburgæ virginis.*

PULSANEN. Paulini elogium resecat; In Aristide purus est: De Optato, nihil.

ANTVERP. MAX-LUBEC. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Hi octo codices cum BELINO primam annuntiationem formant, ut dixi supra in lectionibus variantibus. De cetero codices puri sunt, de altero dicemus infra.

CENTULEN. *Apud Athenas, beati Aristidis fide sapientiaque clarissimi. Treveris, beati Paulini episcopi, qui contra Arrianos fortiter fideliterque pugnavit. Atrebas, sancti Hadulphi episcopi & confessoris.* Vide in Actis nostris die natali XIX Maii. In MOLAN. infra notatur *translatio.* *Hadulphi.*

BRUXELLEN. In Paulino, textum Adonianum describit, additque præterea de suo: *A quo hunc mirificatur. Cujus corpus Treverim relatum est, ubi in ecclesia sui nominis in cripta subterranea cum corporibus multorum martyrum, passorum sub Rictiovaro, quiescit.* In Aristide satis purus est. *Anthisiodoro, depositio sancti Optati episcopi & confessoris. Item Andani episcopi.* *De Paulino.* *Andani.*

HAGENOYEN. Pro *Aristidis*, scribit *Aristionis*, sed in eo purus est: in Paulino, plane Adonianus. Tum: *Item Parisius, depositio sancti Mederici episcopi & confessoris.* Vide supra XXIX Augusti. *Ipso die, beati Genesii martyris Arelatensis, qui exceptoris functus est officio, cum impia, quibus Christiani puniri jubebantur, edicta nollet excipere, comprehensus est, atque decollatus, martyrii coronam proprio cruore baptizatus accepit.* Sæpe in hoc codice, ferme ex scriptoris arbitrio, dies commutantur & transponuntur; vide Usuardum XXV hujus. In Optato satis purus est. *Mederici.* *Genesii Arelaten.*

AQUI-

AQUICINCT. In fine addit: *Eodem die, ſancti Aidani epiſcopi, cujus animam ſanctus Cuthbertus in cælum ab angelis ferri vidit. Item ſancti Elladii epiſcopi.* In Hieronymianis hoc die refertur, vide VIII Maii.

Aidani.

Elladii.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Aidani epiſcopi & confeſſoris. Paulini epiſcopi & confeſſoris, exilio relegati. Ariſthidis confeſſoris, viri doctiſſimi.*

Aidani.

CODEX D. DU CHEVAL. ſign. C. *Item Elladii epiſcopi.* Jam dixi ſpectare ad VIII Maii.

In VATICAN. ſub num. 5949. Deeſt *Optati.*

ALTEMPS. *In Cantia, depoſitio ſanctæ Eanſwithæ virginis.* Vide ſupra ROSWEYD.

Eanſwithæ.

FLORENTIN. *Item, ſancti Juliani confeſſoris, qui patrem & matrem interfecit, cujus vita & tranſitus habetur.* De Julianis alibi actum eſt.

Juliani.

BURDEGALEN. *Altiſſiodoro, ſancti Optati epiſcopi & confeſſoris. Item Eracli epiſcopi.* Si de Senonenſi ſermo eſt, colitur IX Julii.

Eraclii.

EDITIO LUBECO-COL. *Treveris, natale ſancti Paulini epiſcopi & martyris. Qui tempore Arianæ infeſtationis à Conſtantio imperatore ob Catholicam fidem uſque ad mortem variis exiliis fatigatus, tandem apud Phrygiam, ſub anno Domini trecenteſimo ſexageſimo primo, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino.* In Ariſtide purus uſque ad *peroravit*, adjicit, *multiſque illud probavit teſtimoniis prophetarum.* In Optato purus eſt.

De Paulino.

In fine: *Eodem die, beati Belladii & Aulani epiſcoporum & confeſſorum.* Fallor ſi non velit indicare *Elladium* & *Aidanum*, de quibus ſupra. *In Anglia, ſanctæ Cuthburgæ virginis.*

Belladii & Aulani.

Cuthburgæ.

BELIN. Præter mutationem in annuntiatione prima, addit in fine. *Item ſanctorum martyrum Robuſtiani & Marci.* Vide Romanum, in quo prior etiam recolitur XXIV Maii.

Robuſtiani & Marci.

GREVEN. *Colomanni martyris.* Si de ſocio Kiliani agitur, vide XIII Julii. *In Anglia, ſancti Aidani epiſcopi Lindisfarnenſis & confeſſoris. Hic, ut teſtatur Beda libro 3, vita & miraculis clarus, nil ex omnibus, quæ in Euangelicis, ſive Apoſtolicis ſive Propheticis litteris facienda cognoverat, prætermittere, ſed cuncta pro viribus implere curabat. Item, apud Marſiliam, ſancti Lazari epiſcopi & martyris, quem Dominus à morte ſuſcitavit. Uſuardus habet eum XVI Kalend. Januarii. Juſti & Clementis epiſcoporum & confeſſorum. In Anglia, Cuthburgis virginis abbatiſſæ. Potamiæ virginis. In Egypto, virginum plurimarum.*

Colomanni.

De Aidano.

Lazari.

Juſti & Clementis.

Cuthburgis.

Potamiæ.

Plurimar. virginum.

MOLAN. *In loco Blandinium dicto, dedicatio & conſecratio baſilicæ beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Item ſanctorum martyrum Robuſtiani & Marci. Tranſlatio ſancti Hadulphi epiſcopi & confeſſoris. Jotro monaſterio, ſancti Ebraiſili epiſcopi & confeſſoris.* Ab aliis vocatur *Ebrigiſilus.* Exinde typis minoribus: *In Anglia, ſancti Aidani epiſcopi Lindisfarnenſis & confeſſoris. Hic, ut teſtatur Beda libro tertio, vita & miraculis clarus, nil ex omnibus quæ in Euangelicis, ſive Apoſtolicis, ſive Propheticis litteris facienda cognoverat prætermittere, ſed cuncta pro viribus implere curabat.* EX GREVEN. deſcripta ſunt, uti & quod ſequitur: *In Anglia, Cuthburgis virginis abbatiſſæ.* Editiones aliæ habent: *Item, ſanctorum martyrum Robuſtiani & Marci. Jotro monaſterio* &c. ut ſupra. *Eodem die, ſancti Aidani epiſcopi. Cujus animam ſanctus Cuthbertus in cælum ab angelis ferri vidit. In Anglia, ſanctæ Cuthburgis virginis & reginæ. Ibidem, depoſitio ſanctæ Eanſwidæ virginis & abbatiſſæ.* Vide dicta ſuperius. *Atrebati, tranſlatio ſancti Hadulphi epiſcopi & confeſſoris. In loco Blandinium dicto, dedicatio* &c. ut in priori. *Die trigeſima prima, depoſitio venerandæ Zonæ ſanctiſſimæ Deiparæ,* cui minoribus typis adjungitur; *in anniverſario die dedicationis templi in Chalcopratiis.* Vide Surium hoc die.

Dedicat. in Blandin.

Robuſt. &c.

Tranſlat. Hadulphi.

Ebraiſili.

De Aidano.

Cuthburgis.

Eanſwidæ.

De Zona Deiparæ.

MENSIS

I. B. Tongelinus Sculp.

MENSIS SEPTEMBER

Habet Dies xxx.

Kalendis. *Die* 1.

IEſu Nave & Gedeon prophetarum. Item natalis beatiſſimæ Annæ prophetiſſæ, cujus ſanctitatem Euangelicus ſermo prodit. Apud Capuam via Aquaria, ſancti Priſci martyris, qui fuit unus de antiquis Chriſti diſcipulis. Remis, depoſitio ſancti Sixti, epiſcopi primi civitatis ipſius. Senonis, beati Lupi epiſcopi & confeſſoris, de quo refertur, quia quodam die, dum aſtaret præſente clero ſacris altaribus, lapſa eſt cælitus gemma in ejus ſancto calice. Cenomannis, ſancti Victoris epiſcopi. *Jeſu Nave & Gedeon.* *Annæ prophetiſſæ.* *Priſci.* *Sixti.* *Lupi.* *Victoris.*

Soli puri ſunt *Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Pro *Senonis*, legit Greven. *Senones*. Et ipſe & Molan. à reliquis codicibus differunt, quod habeant, *ejus calice ſancto*; ego tamen ceteros ſecutus ſum, licet in aliquo à puritate deficiant. Commune omnium additamentum eſt, *Egidii abbatis*, diverſo loco poſitum diverſa phraſi à ſingulis expreſſum. De Pratenſi teſtatur Caſtellanus, quod ſub linea laterculi ultima, quæ ſimul paginæ ultima eſt, additum invenerit manu antiqua: *Eod. die, natalis S. Egidii abbatis.* In Herinienſi, loco antepenultimo, legitur: *Item S. Egidii abbatis.* In Antverp. majore, poſt, *calice*, *Ipſo die, S. Egidii abbatis & confeſſoris.* In Roſweyd. ultimo loco: *In Provincia, natale beati Egidii, cujus vita multis miraculorum ſignis fuit venerabilis.* Munerat. tertio loco inſeruit: *Provinciæ, S. Egidii abbatis.* Tanta in codicibus variatio, argumentum, ni fallor, evidens eſt, ad primigeniam Uſuardi lectionem, *Ægidium* non pertinere.

OBSERVATIO. Prophetæ, primo loco hic poſiti, ex Romano parvo in Adonem, inde in Noſtrum deducti ſunt, à Notkero *Prophetarum* titulo privati. Cur poſtremum Caſtellanus ad XII Decembris remittendum aſſerat, hactenus non perſpicio. Quæ ſequitur, *beatiſſima Prophetiſſa*, ab Adone inter Feſtivitates Apoſtolorum primum conſignata fuit, deinde in Martyrologio poſt *Priſcum*, cui Uſuardus eam antetulit, ex præfatis Feſtivitatibus accipiens, quidquid adjecit elogii. Reliqua vide in Euangel. Lucæ 2. De *Priſco*, ſic ferme codices Hieronymiani: *In Capua Aquaria, vel Aquiria, natalis S. Priſci.* Romanum parvum, viam reticens: *Capuæ, Priſci martyris, de illis antiquis Chriſti diſcipulis.* Diſtinctius Ado, *via Aquaria*, quod mirum eſt à Notkero ſuppreſſum. Noſter ſua omnia *Jeſu Nave & Gedeon.* *Annæ prophetiſſæ.* *Priſci.*

verbatim ex Adone transumpsit. An satis subsint paucula, quæ de eo habet Petrus in
Sixti. Catalogo lib. 8 cap. 17, alibi videbitur. *Sixtus* vel *Xystus* Remensis, antiquioribus præteritus, ab Usuardo in sacras Tabulas relatus est, sed modo simpliciſſimo, ut hîc patet; quæ præterea in hodierno Romano superaddita sunt, non æque certa esse ex Remen-
Lupi. sium traditione apud Flodoardum, Marlotum & alios, suo loco demonstrabitur. *Lupus* Senonensis, hoc solum elogio ab Adone exornatur: *Sanctitate & signis miraculorum illustrissimi*; unde facile colligitur, latuisse Viennensem Lupi Acta, quæ Usuardum vidisse, ex relato signo manifestum existimo. In nonnullis Hieronymianis cum *Victore*, *Victorio*, vel *Victurio* Cenomanensi adscriptus reperitur, sed utrumque adscititium putat Florentinius. Præfata Lupi Acta edidit Surius, sed phrasi ab autographo multum diversa, quod nos suo tempore sincerum & integrum dabimus. Wandelbertus in Josue liberalior, Priscum & Lupum etiam merito laudat, adjecta Verena, de qua vide Molanum in Auctariis. Sic alios honorat:

Legifer heredem proprie quem linquit honores
Promissam populo terram, qui sorte per astra,
Per loca per celsos montes distinxit & urbes,
Septembres Josue tenet orditurque Calendas.
Priscus & has martyr trabeatus sanguine lustrat.
Præsul & his Senonum Lupus æde coruscat ab alta.

Porro de *Victore* agunt Florus & Rabanus, quorum elogia plane dissimilia, aliaque à re-
Victoris. centioribus edita, amplam in Actis differendi materiam submini strabunt. Vide interim notationes Baronii & Florentinii. Atque etiam notulam P. Mothier in novissima versione Gallica Martyrologii Romani edita anno MDCCV, ad hanc diem. Unde *Victorem* Usuardus acceperit, incertum est, forte aut Acta aliqua vidit, aut ex Gregorio Turonensi, nomen descripsit. De Cenomanensium episcoporum gestis nonnulla in Thuribio XVI Aprilis à pag. 415 eruderavit Henschenius; plura circa eorum chronologicam seriem collegit Papebrochius XIX Junii ad vitam *Innocentis* vel *Innocentii* à pag. 854, post ipsorum Acta à Mabilione vulgata tomo 3 Analect. à pag. 46. Sintne exhaustæ difficultates, collige ex Tillemontio tomo 4 à pag. 730. Sed de his alibi decernendum est. Quidquid autem statueris, interim patet ex codicibus nostris, textum hactenus relatum vere Usuardinum esse, à quo *Ægidium* excludendum supra ostendimus. De *Longino* Adonis, vide in Auctariis.

AUCTARIA.

DE PRATENS. in lectionibus Variantibus supra abunde diximus. Vide de Ægidio citatum P. Mothier.

HERINIENS. Proprium Remense secundo loco inserit, nempe: *Remis,*
Sixti & Sinicii. *depositio sancti Sixti episcopi primi civitatis ipsius, & beati Sinicii ejusdem successoris.* De Ægidio, vide supra. In fine adjicitur proprium aliud: *Eodem die, depositio sancti Nivardi episcopi.*
Nivardi.

ANTVERP-MAJ. Truncatus est in elogio Prisci. Et turpius Sixtum cum Lupo confundit; illi, hujus elogium tribuens de gemma &c. De Ægidio, dictum est.

ROSWEYD. Quarto loco perperam immi-
Petri Alex. scet: *Alexandriæ, Petri episcopi & martyris, qui primus Arrium presbiterum anathematis vinculo condempnavit.* Vide XXVI Novembris. Penul-
Verenæ. timo loco inseritur: *sanctæ Verenæ virginis.* In fine de Ægidio, ut supra.

PULSANEN. In 1, 2, & 3 purus, omittit
Lupi M. Ægidii. Sixti. Sequitur: *Senones, beati Lupi episcopi & martyris. Eodem die, sancti Egidii abbatis.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Satis puri sunt, sed in fine adjiciunt: *Item Egi-*
Ægidii. *dii abbatis.* Primus omisit nomen *Annæ.* Pro *Victore*, scribunt *Victuri* & *Victurii*, fortasse non male. Vocatur etiam *Victorius.*

MUNERAT. Pro *Annæ* habet *Agnæ.* Tertio loco, de Ægidio, ut supra. Pro *sancto calice*, legit, *sacrum calicem.* In fine, subdit, *Ambia-*
Firmini. *nis, transitus sancti Firmini episcopi & confessoris.* Videndæ sunt de hoc Firmino nuperæ dissertationes D. l'Estocq & aliorum.

ANTVERP-MAX. & LOVANIEN. Satis puri sunt, sed penultimo loco: *Item, natale sancti E-* *Ægidii.*
gidii abbatis. Habent etiam *Victurii*, vel *Victuri.*

ULTRAJECT. & LEYDEN. Incipiunt: *Apud Beneventum, natale sanctorum martyrum* XII *fra-* *De 12 fratr.*
trum, Donati & Felicis, Aruntii & Honorati, *Benevent.*
Fortunaciani & Saviniani, Septimini & Januarii, Felicis & Vitalis, Saturnini & Repositi. Hi cum sua prædicatione plurimos convertissent, sub imperatore Maximiano, judice Valeriano, capitalem sententiam sustinuerunt. Vide eorum Acta versu hexametro descripta, apud Surium hoc die. Sequitur Prophetarum & Annæ, ut in textu. Deinde: *In territorio Constantiensi, ad*
locum qui dicitur Aquæ duræ, sanctæ Verenæ vir- *Verenæ.*
ginis. De qua videri potest longum Nótkeri elogium. Sequuntur reliqua textus, in quo penultimo loco: *Item, natale sancti Egidii abbatis.* *Ægidii.*

ALBERGEN. & DANIC. In Beneventanis, *De Benev.*
prioribus fere similes, secundo loco ponunt: *Ægidii.*
In Provincia, sancti Egidii abbatis, magnarum vir- *Verenæ.*
tutum viri. Tum de Prophetis & Anna. *In territorio Constantiensi* &c. ut supra. Deinde textus.

CENTULEN. In Prophetis, purus est. *Ipso*
die, beatissimæ Agnæ prophetissæ, filiæ Phanuel, *De Annæ*
de Tribu Aser, cujus sanctitatem Euangelicus sermo describit. Remis Francorum metropoli, sanctorum confessorum Pontificumque Sixti, Sinicii at- *De Sixto &c.*
que Nivardi. Senonis, sancti Lupi episcopi & confessoris.

Firmini. *feſſoris. Ambianis, ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. Capuæ via Aquaria, ſancti Priſci martyris, qui fuit unus ex illis antiquis Chriſti diſcipulis. Ipſo die, depoſitio S. Egidii abbatis, quem ob meritum ſanctitatis, omne genus hominum quærit & veneratur.*

Ægidii.

BRUXELLEN. Incipit: *Sancti Egidii abbatis & confeſſoris, magnarum virtutum viri. Qui de Græcia in Provinciam veniens, mira claruit ſanctitate. Cui angelus infra Miſſarum ſolempnia ſuper altare detulit cartam continentem quoddam occultum peccatum Karoli magni regis, quod ipſe nulli umquam auſus fuerat confiteri. Quo confeſſo, ſanctus Egidius abbas migravit ad Dominum.* In prophetis, Anna, & Priſco, ſatis purus eſt. Tum: *Apud Cæſaream Capadociæ, ſancti Longini militis & martyris. Quem tradunt illum eſſe, qui lancea latus Domini pendentis in cruce aperuit. Hic poſtmodum baptizatus ab Apoſtolis pro fide Chriſti capite truncatus eſt, & Afrodiſius commentarienſis, ſimul cum eo capite plexus coronatur.* Hæc ferme ex Adone, vide Uſuardum xv Martii. De Beneventanis, eadem ferme quæ ſupra. In Lupo, Sixto & Victurio, ſatis purus eſt. Pro *Verenæ*, ſcribit *Serenæ*, de qua eadem ſcribit quæ ſupra ULT. &c.

De Ægidio.

Longini.

De Benev.

Verenæ.

HAGENOYEN. Agit de ſolo Joſue, cui elogium ex Hiſtoria ſacra appingit. Tum: *In territorio Conſtantienſi, ad locum qui dicitur Aquæ duræ, id eſt Zurziatum, depoſitio ſanctæ Verenæ virginis, miraculorum gloria & ſanctitate illuſtris.* In Lupo, non omnino purus eſt. Dein: *Item Viuardi* [an non *Nivardi?*] *& Firmini epiſcoporum & confeſſorum.* De Anna, aliqua adjecit ex Euangelio. *Item ſancti Longini, militis & martyris, latus Domini perforantis. Item ſeptem fratrum martyrum.* In Priſco purus eſt. De Ægidio multa narrat, quæ non vacat deſcribere. Sequitur in fine, de Sixto & Victurio, ſatis pure.

De Verena.

Vivardi & Firmini.

Longini.

7. frat. mart

Ægidii.

AQUICINCT. Tertio loco ponitur: *Eodem die, ſancti Egidii abbatis.* In fine, calamo recentiore adjungitur: *Eodem die, Ambianis, beati Firmini epiſcopi & confeſſoris, qui dum Miſſam celebraret, palmam Domini in excelſis ſuper calicem conſecrantem* [an forte *ſuper calicem conſecratum* vel *conſecrandum*] *vidit.*

Ægidii.

Firmini.

VICTORIN. & REG-SUEC ſignatus num. 130. In fine: *Eodem die, natale ſancti Egidii abbatis, quieſcentis ſuper ſtagnum maris. In Tuſcia, ſancti Terentiani epiſcopi. Benevento, 12 fratrum.*

Ægidii.

Terentiani.

De Benev.

AMBIANEN. *Ambianis, tranſitus beati Firmini epiſcopi & confeſſoris. Qui inter cetera bonitatis ſuæ inſignia, dum corpus Domini ſacraret in terris, manum illius meruit videre in cælis.*

De Firmino.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Sixti & Sinicii epiſcoporum. Lupi epiſcopi & confeſſoris. Ægidii abbatis. Saninæ virginis.* Notat in margine: *Saninam non invenio, ſed bene Verenam. Duodecim fratrum martyrum*, haud dubie Beneventanorum. *Item Jeſu Nave & Gedeon.*

Sixti &c.

Ægidii.

Saninæ.

De Benev.

REG-SUEC. num. 428. *In Provincia, ſancti Ægidii abbatis. Ambianis, tranſlatio ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris.*

Ægidii.

Firmini.

In VATICAN. num. 5949. Deſunt, *Joſue, Gedeon, Sixti, & Victoris.* Adjicitur: *Beneventi, natalis ſanctorum martyrum duodecim fratrum. In Tude, ſancti Terentiani epiſcopi & martyris.*

Benevent.

Terentiani.

STROZZIAN. &c. *In territorio Tudertino, ſancti Terentiani epiſcopi & martyris. Capuæ, ſancti Priſci . . . . Item ſancti Fidelis confeſſoris, qui fuit ſocius ſancti Cerbonii epiſcopi Populonienſis, & apud eamdem urbem quieſcit, magnæ ſanctitatis viri. Apud Africam ſancti Reguli epiſcopi & martyris, cujus corpus requieſcit in baſilica ſancti Martini in civitate Lucana. Item, ſancti Mamertini abbatis, apud monaſterium ſancti Germani, ubi poſt ſanctum Alodium abbas fuit, ibique laudabiliter vivens tam Deo quam hominibus, quievit in pace.*

Terentiani.

Fidelis.

Reguli.

Mamertin.

LUGDUNEN. *In territorio Menoſenſi, natalis ſancti Ægidii.* De hoc alii pluribus.

Ægidii.

BIZUNTICEN. Poſt *Victoris: Item Auguſtoduni, exceptio corporis ſancti Lazari, quem Dominus Jeſus ſuſcitavit à mortuis.*

De Lazaro.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Remis, depoſitio BB. confeſſorum, pariterque ejuſdem urbis Pontificum, Sixti, Sinicii atque Nivardi.*

Sixti &c.

EDITIO LUBECO-COL. In prima pura, in ſecunda, interjecit, *filiæ Phanuelis.* Tum: *In Provincia, ſancti Egidii abbatis, magnarum virtutum viri. Hic de Athenis ex regia & Chriſtianiſſima ſtirpe progenitus, ac ſacris litteris ſufficienter edoctus, poſt mortem amborum parentum, patrimonium ſuum pauperibus erogavit, & ipſe humanæ laudis fugiens periculum, ad interiorem heremum ſe tranſtulit, juxta fluvium Rodani, in locum, qui Septimana vocatur, & ibi manens triennium, ſolum herbarum radicibus & lacte cujuſdam cervæ vixit. Tandem diem obitus ſui Dominus illi per ſpiritum revelavit, quem ille fratribus indicans, feliciter migravit ad Dominum. Treveris, tranſlatio ſancti Mathiæ Apoſtoli de Roma Treverim* &c. ut melius infra deſcribemus ex GREVENO. Sequitur: *Apud Beneventum*, de XII fratribus, ut ſupra. *Civitate Ambianenſium, depoſitio ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. Hic tanta ſcientia & ſanctitate floruit quod omnium Europæ eccleſiarum doctor & rector efficeretur. Deinde epiſcopus eccleſiæ Ambianenſis ordinatus eſt & completis annis ætatis ſuæ quadraginta ſeptem, ad Chriſtum tranſiens, ſancto fine quievit. Qui ſepultus in eccleſia beatæ Mariæ Virginis juxta corpus prædeceſſoris ſui, ſancti martyris & antiſtitis Firmini, cujus nomen ipſe ſortitus eſt.* In Priſco & Sixto pura eſt. De Lupo Senonenſi conjungit elogium Adonianum cum Uſuardino. *Cenomannis, S. Victurii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, S. Vivardi epiſcopi & confeſſoris.*

De Ægidio.

Translat. Mathiæ.

Benevent.

De Firmino.

Reguli.

Constant. &c.

Vivardi.

Vivarat.

BELIN. In textu non ſatis terſus, ſubjicit: *Item ſancti Egidii abbatis. Eodem die, Beneventi, ſanctorum martyrum duodecim fratrum.* Et in altera editione: *Eodem die, ſancti Lazari martyris.*

Ægidii.

Lazari.

GREVEN. *Ipſo die ſecundum Adonem, Longini militis & martyris, qui latus Domini lantea aperuit. Hic ab Apoſtolis baptizatus, cum apud Capadociam præcipuus degeret, ob Chriſti confeſſionem comprehenſus, linguâ præcisâ, dentibuſque excuſſis, capite truncatus, triumphavit. Uſuardus eum habet Idibus Martii. Cum ipſo ſimul coronatus eſt Afrodiſius commentarienſis, qui poſt linguæ abſciſſionem, Chriſtum expedite loquebatur. Bethſaida prima, natalis ſancti Marcialis* [prima editio *Marciani*] *epiſcopi, Siſinnii & Amanſi ſociorum. Petri epiſcopi Alexandrini & martyris.* In Beneventanis, ferme ut ſupra. *Terentiani epiſcopi & martyris. Secundum alios vero, III Kalend. Septembris. In Tuſcia civitate Lucana, ſancti Reguli epiſcopi & martyris. Item, ſanctorum Conſtantii & Feliciani. Remis, Vivardi epiſcopi & confeſſoris. Ambianis, ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris, qui à patre Fauſtiano, viro nobili, ad honorem ſancti Firmini Ambianenſis epiſcopi martyriſque glorioſi, quem ipſe ſepelierat, Firmini nomine vocatus eſt. Cumque vita & eruditione præcipuus, dictam eccleſiam multis annis ſtrenue rexiſſet, in Domino feliciter obdormivit. Ipſo die,*

De Longino ex Adone.

Marcialis &c.

Petri Alex.

De Firmino.

Bercharii cum elogio. *secundum Cathalogum, ſancti Bercharii abbatis & martyris. Hic ſub ſancto Vivardo Remorum epiſcopo primum, deinde ſub Euſtaſio abbate, in Luxovienſi monaſterio moribus & ſapientia imbutus, cum tempore quodam potum ex vaſe eliceret, juſſu abbatis vocatus, mox omnibus relictis, nec ipſum vas obſtruens, quo vocabatur occurrere feſtinavit. Cumque ex vaſe illo continenter liquor efflueret, vaſe repleto (ut meritum obedientiæ innoteſceret) liquor in ſublime tolli cœpit, nec quicumque in terram defluxit. Poſtmodum vero à filio, quem ob culpam corripuerat, occiſus, martyrum numero aſſociari meruit. Remis, ſancti Sinicii epiſcopi & confeſſoris. Apud Arelatum oppidum Provinciæ, ſancti Egidii abbatis & confeſſoris. Qui anno Domini* DCCXV *de Athenis, unde claram duxit originem, veniens, apud ſanctum Cæſarium Arelatenſem epiſcopum biennio manſit. Sed eremum cupiens, humanæque laudis timens periculum, clam diſceſſit in locum, qui Septimania dicitur, ubi Rodanus in mare defluit, herbarum radicibus, & cervæ cujuſdam lacte triennio vivens. Tandem conſtructo monaſterio, multos ad contemptum mundi vitamque monaſticam inſtruens, plenus fide & operibus bonis, quievit in pace. Rothildis, reginæ Franciæ. In diœceſi Conſtantienſi, ſanctæ Verenæ virginis, ex ſocietate ſanctarum Thebæorum. Treveris, tranſlatio ſancti Mathiæ Apoſtoli, ab urbe Roma. Cum enim ad inſtantiam ſanctæ Helenæ Treveris indigenæ, Silveſter Papa beatum Agricium patriarcham Antiochenum Treverenſibus epiſcopum mitteret, tradidit ei præfata imperatrix per manus ſancti Silveſtri, tunicam Domini inconſutilem, cum uno ex clavis ac cultello* [prima edit. *Chriſti*] *quo in cœna uſus fuerat. Inſuper & corpus ſancti Mathiæ Apoſtoli, quod ipſa de Judæa Romam tranſtulerat, ut hac honore condigno urbi ſuæ inferret. Qui Treverim veniens, ſacras reliquias diverſis in locis diſtribuit, ſanctum vero Mathiam, juxta corpus ſanctorum patrum Eucharii & Valerii epiſcoporum, venerabiliter collocavit. Item Treveris, inventio ejuſdem Apoſtoli apud ſanctum Eucharium.* Sic etiam habet EDITIO LUBECO-COL.

Sinicii. *De Ægidio.* *Rothildis.* *Verenæ.* *De tranſlat. Mathiæ.* *Inventio Mathiæ.*

MOLAN. Poſt *Victoris epiſcopi*, ſubdit: *Cujus geſta habentur præclara in ſanctitate & miraculis. Item, ſancti Egidii abbatis in Provincia. Ambianis, tranſitus ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. Tranſlatio ſancti Mathiæ Apoſtoli de Roma Treviros. Eodem die, depoſitio ſancti Nivardi. Remis, depoſitio beati Sinicii, ſucceſſoris ſancti Sixti, primi civitatis ipſius epiſcopi. Eodem die, Beneventi, ſanctorum martyrum duodecim fratrum. Ad Aquas duras, natale ſanctæ Verenæ virginis.* De hac ipſa ſancta Verena ultimo ſuo verſiculo ita cecinit Wandelbertus:

De Victore. *Ægidii.* *Firmini.* *Tranſl. Mat.* *Nivardi.* *Sinicii.* *Benevent.* *Verenæ.*

Has & Verenæ rutilant ſolemnia ſanctæ.

Dein typis minoribus: *Dominica die ante nativitatem beatæ Mariæ Dei genitricis, Lovanii in baſilica ſancti Petri, ſolemnitas recollectionis feſtorum ejuſdem beatiſſimæ Virginis, quæ cum totius urbis lætitia feſtive celebratur.* Editiones aliæ, idem habent elogium de Victore, quod ſupra dedimus. *Item in Provincia, ſancti Egidii abbatis.* De Beneventanis, ut in prima. *In Alto-villari, depoſitio ſancti Nivardi epiſcopi Remenſis.* De Firmino breviter, ut ſupra. *In territorio Conſtantienſi, ad Aquas duras* &c. *In die prima, ſancti martyris Aithalæ, & ſanctarum martyrum quadraginta mulierum, & Ammonis diaconi atque didaſcali ipſarum: & ſanctorum Martyrum, Calliſtes, Euodii & Hermogenis fratrum. Et principium indictionis, noviique anni. Et commemoratio ſuperbenedictæ Dei genitricis, in Maſinis. Treveris, tranſlatio ſancti Mathiæ Apoſtoli de Roma.* Rurſus minori charactere: *Dominica die prima menſis Septembris, Lovanii in baſilica* &c. ut ſupra. Non minori apparatu eadem ſolennitas *Recollectionis* feſtivitatum &c. Antverpiæ quotannis celebratur Dominica poſt Octavam Aſſumptionis ejuſdem beatiſſimæ Virginis.

Recollect. feſt. B. M. V. *Aithalæ & multor. martyrum.* *De princip. Indictionis.* *Commemor. B. M. V. in Maſinis.*

IV *Non.* *Die* 2.

Juſti. LUgduno Galliæ, natalis ſancti Juſti epiſcopi & confeſſoris, qui in heremum ſecedens, cum aliquot annis proximam angelis egiſſet vitam, & dignus adeſſet finis tantis laboribus, regnum ſcandere cælorum beato lucro promeruit. Hujus ſanctum corpuſculum cum oſſibus beati Viatoris ejus miniſtri, poſtea Lugdunum relatum eſt. Eodem die, apud præfatam urbem, ſancti Helpidii epiſcopi & confeſſoris. In Appamia, ſancti Antonini martyris.

Helpidii. *Antonini.*

Sic legunt *Praten. Herinien. Antverp-major, Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Eſt inter codices vetuſtiores & recentiores ea notabilis variatio, quod primi ex Uſuardi mente, *Juſti* elogium ex duobus Adonianis contractum exhibeant, nempe ex hac die & ex XIV Octobris; alii vero, ut Antverp. Max-Lubec. &c. ex ſolo hoc die hauſiſſe videantur, ut patebit Auctaria cum Adone conferenti. Ceterum inter puros codices hoc maxime diſcriminis occurrit; Praten. Antverp.major & Munerat. conſtructionem formant non ſatis perfectam; *regnum ſcandens cælorum beato lucro promeruit*: alii nitidius, *regnum ſcandere cælorum beato lucro* &c. Vide Adonem XIV Octobris, ubi invenies, *& dignus adeſſet finis tantis laboribus regnum ſpondens cælorum.* &c. Certa videtur lectio à nobis in textu expreſſa. De *heremum* vel *eremum*, diximus alibi. Muneratus pro *Helpidii*, ſcribit *Elipidii*: & pro, *In Appamia*, *In Appia*. Greven. Molan. & alii habent *Apamiæ*: utrovis modo ſcripſeris, mihi ſus deque eſt.

OBSER-

OBSERVATIO. *Juſtus Lugdunenſis*, inclytiſſimus poſt Irenæum epiſcopus, in Hieronymianis antiquarii additionem ſapit, inquit Florentinius, nonnulla tamen ex Theophilo Raynaudo aliiſque notans, quæ actis illuſtrandis lucem afferre poterunt. A Floro & Rabano hac ipſa die ſignatum invenies, ut proinde ratio non appareat, cur in Adonem inſurgant aliqui, quod Juſtum hac die collocarit. Nemo fortaſſe minus vapulare meritus eſt, cum clariſſime hodie explicet, *migraſſe ad Dominum pridie Idus Octobris: corpus* vero *à religioſis civibus Lugdunum cum oſſibus beati Viatoris miniſtri ejus relatum, & condigno cultu in baſilica beatorum ſeptem fratrum Machabæorum & martyrum glorioſiſſimorum conditum eſſe* IV *Nonas Septembris*. Si Adonis verba, tum hic, tum XIV Octobris, cum Flori & Rabani elogiis conferas, merito dubitabis, an ex iiſdem Actis ſinguli ſua hauſerint. Notkerus hîc Adonem ferme deſcribens, contra expreſſam ejuſdem ſententiam, ad XIV Octobris, corporis tranſlationem refert. De Uſuardo conſtat, natalem hodie ab eo celebrari, quamvis ambas Adonis annuntiationes legerit, contulerit, & ex utraque ea decerpſerit, quibus encomium ſuum componeret: quod non advertentes ſcioli aliqui, recentiorum codicum deſcriptores, phraſim Uſuardinam immutantes, ex ſolo hujus diei Adoniano latere culo omnia accipienda putaverunt, quorum verba in Auctariis dabimus. Plura ſuggerent Baronius, Severtius, Hermantius, in Ambroſio, aliique ſuo loco expendendi. Quos inter non poſtremus erit Tillemontius tomo 8. à pag. 546 & 798. Acta latina apud Surium hoc die exſtant, ſed elimato de more ſtylo, quem ex pluribus Mss. noſtris integritati reſtituemus. Wandelbertus de ſolo Juſto ſic breviter canit: *Juſti.*

Quartas hinc Nonas Lugduni Juſtus honorat.

De *Helpidio* nulla Adone antiquior in ſacris Faſtis memoria, ex quo ab Uſuardo & Notkero contractiori nonnihil phraſi acceptus eſt. Pauca de eo memorat laudatus Severtius pag. 39. *Antoninus*, quiſquis ille eſt, unus an multiplex, multis controverſiis materiam præbet. Ita de illo hodie apographa Hieronymiana: *In partibus Appamiæ, natalis ſanctorum Anthonii & Antonini.* Ad quæ Florentinius multa diligenter colligit, de martyrii loco, iſne ſcilicet *in Syria*, an *in Aquitania* quærendus ſit; de diſtinctione vel identitate *Antonii* & *Antonini*, qui in præfatis apographis conjunguntur. Diſputant alii, an idem ſit *Antoninus*, qui hac & ſequenti die in iiſdem apographis legitur. Rurſus an recte ab Adone, Uſuardo & aliis *Antoninus* aliquis die ſequenti *Capuæ* adſcribatur. De quibus omnibus alia habet Baronius, alia Chiffletius, alia demum Tillemontius tomo 4, in Dionyſio Pariſienſi, articulo x & nota xv, pag. 464 & 720. Quæ curioſus lector conſulere interim poteſt, donec Acta, à poſtremo & ſequacibus repudiata, à nobis ſuo tempore & loco accuratius examinentur. Videantur etiam Auctaria in Ultrajectino, Centulenſi, Victorino &c. Auctor Romani parvi, qui priores duos reticet, *Antoninum* diſerte notat, ſimplici eo modo, quo in Adonem & Uſuardum tranſiit, Notkero pro *Antonini* ſcribente, *Antonii*. De Capuano Antonino *annorum viginti puero*, agetur die ſequenti. Hæc pro ſinceritate & ſimplicitate lectionis noſtræ Uſuardinæ dicta ſufficiant. *Helpidii.* *Antonini.*

AUCTARIA.

Manſueti. Aniceti. Photini & ſociorum. ROSWEYD. In textu non omnino purus, ſuperaddit in fine: *Leuchorum civitate, ſancti Manſueti epiſcopi. In Nicomedia, ſancti Aniceti. Item Photini cum ſociis ſuis, qui in thermas publicas miſſi, inter flammas ſpiritum reddiderunt.* Vide de his Acta quæ exſtant apud Surium.

PULSANEN. In prima & ultima ſatis purus, deficit in media de Helpidio.

ANTVERP. MAX-LUBEC. ANTVERP-MAX. & LOVANIEN. Ex eorum numero ſunt, qui phraſim Uſuardinam immutant, hoc modo: *Natale ſancti Juſti Lugdunenſis epiſcopi, miræ ſanctitatis & prophetici ſpiritus viri, qui apud Egyptum quidem obiit, ſed corpus ejus cum oſſibus beati Viatoris miniſtri ejus, à religioſis civibus Lugdunum relatum, & cum digno cultu in baſilica conditum eſt.* Cetera pura ſunt, niſi quod ANTVERP-MAX. pro *Antonini*, ſcribat *Anthonii*. *De Juſto.*

ULTRAJECT. ALBERGEN. & DANIC. Sic incipiunt: *Apud Apamiam, ſancti Antonini martyris. Qui à gentilibus dum comprehenſus proſternitur, corpus ejus in partes plurimas ab eis diſcerptum, in momento ſic divinitus adunatur, ut ſingula membra prius diſperſa, in unam eamdemque compagem ſint reverſa.* De Juſto habent ut ANTVERP. &c. In Helpidio puri ſunt. *De Antonin.* *De Antonin.*

LEYDEN. Cum præcedentibus in re convenit, ſed ordine diſcrepat, primo loco, ut eſt in textu Uſuardino, Juſtum annuntians.

CENTULEN. *In Galliis territorio Catarcenſi, ſancti Antonini presbiteri & martyris. Eodem die, ſancti alterius Antonini pueri, martyris. Lugduni, ſancti Juſti epiſcopi. Et ibidem ſancti Helpidii epiſcopi & confeſſoris.* *De duobus Antoninis.*

BRUXELLEN. Incipit: *Apud Apamiam, natale ſancti Anthonini martyris. Qui à gentibus comprehenſus proſternitur; & dum corpus ejus in partes plurimas eſſet diſcerptum, in momento* &c. ut ſupra. *Apud Lugdunum Galliæ, ſancti Juſti epiſcopi & confeſſoris, miræ ſanctitatis & prophetici ſpiritus viri. Qui clam epiſcopatum ſuum relinquens, pervenit ad Egiptum; ubi in heremum ſecedens, cum per aliquot annos inter monachos, proximam angelis vitam egiſſet, quievit in pace. Cujus corpus cum oſſibus beati Victoris miniſtri ejus* *De Antonin.* *De Juſto.*

Lugdunum relatum & in basilica ibidem conditum est. In Helpidio purus est.

HAGENOYEN. *Lugduni Galliæ, natale sancti Justi episcopi & confessoris, miræ sanctitatis & prophetici spiritus viri. Qui in heremum* &c. satis pure. In Helpidio etiam purus est. Sequitur: *Apud Beneventum, natale sanctorum martyrum & fratrum, Donati, Felicis, Aroncii, Honorati, Fortunati, Saviani, Septimini, Januarii, Felicis, Vitalis & Repositi. Hii cum sua prædicatione plurimos ad fidem convertissent, sub imperatore Maximiano & judice Valeriano, capitalem susceperunt sententiam. Horum festivitas agitur in Kalendis Septembris.* Ut quid ergo hac die referuntur? De Antonino habet ut ULTRAJECT. &c.

De Justo. *De 12. frat. Benevent.*

AQUICINCT. In fine: *Leuchorum civitate, sancti Mansueti episcopi & confessoris.* Vide codices inter Auctaria die sequenti.

Mansueti.

VICTORIN. Etiam in fine: *Civitate Brugdunensi, passio sancti Antonini levitæ, cum Joanne presbitero & Almachio puero. Item, sancti Zenonis cum duobus pueris.*

Antonini & sociorum. *Zenonis &c.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Translatio Agnetis in Trajectum. Aigulphi abbatis & martyris, cum sociis suis. Helpidii episcopi & confessoris. Justi episcopi. Antonini martyris.*

Translat. Agnetis. *Aigulfi &c.*

REG. SUEC. signatus num. 130. *Item sancti Zenonis, cum duobus pueris.*

Zenonis &c.

FLORENTIN. *Apud civitatem Volaterranam, sancti Octaviani eremitæ & confessoris, natione Africani, miræ sanctitatis viri & miraculis gloriosi. Hic venit cum sancto Regulo episcopo ad prædictam urbem; qui demum in una arbore ulmi vitam finivit, cujus corpus ibi requiescit in ecclesia cathedrali. Item, sancti Terentii martyris, qui sub Alexandro imperatore passus est & apud civitatem Tudertinam, in loco, qui dicitur Petroso, octavo miliario requiescit.*

Octaviani. *Terentii.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *In territorio Constancienſi, ad locum qui dicitur Aquæ duræ, natale sanctæ Verenæ virginis. Hæc comitata fuit societate sanctorum Thebæorum martyrum.* Vide Auctaria die præcedenti. In Antonino similis fere ULTRAJECT. Post *discerptum est*, inserit, *simul cum capite truncatum, in momento in ripam fluminis demersum, sic divinitus* &c. Dein post *reversa*, additur, *& à fidelibus honorifice sepulta.* In Justo convenit cum ANTVERP. In Helpidio pura est. In fine: *Eodem die, sancti Nonnosi monachi.* Vide MOLAN. & Romanum.

De Verena. *De Antonio.* *Nonnosi.*

BELIN. Textui satis puro, subdit: *Item, Cosmæ sancti Cosmæ, confessoris & heremitæ.*

Cosmæ.

GREVEN. *In Ninive, sancti Thobiæ prophetæ. Nichomediæ, sanctorum Aniceti & Fotini fratrum martyrum, qui innumeris tormentis superatis, tandem cum aliis utriusque sexus, in caminum ignis præcipitati, impollutos creatori spiritus tradiderunt, tempore Diocletiani. Agricoli episcopi Avinionenſis & confessoris.* Vide Surium. *Elpidii abbatis, miræ abstinentiæ viri. Antonii confessoris. Joseph. Nonnosi monachi & confessoris. Justini confessoris. Cosmæ, confessoris, qui in insula Cretenſi eremit. cam vitam ducens quievit. Trajecto inferiori, translatio sanctæ Agnetis virginis & martyris.*

Tobiæ. *De Aniceto & Photino.* *Agricoli.* *Elpidii abb.* *Antonii.* *Joseph.* *Nonnosi.* *Justini.* *Cosmæ.* *Transl. Agn.*

MOLAN. *Item sancti Cosmæ confessoris & eremitæ. In Trajecto inferiori, translatio sanctæ Agnetis virginis & martyris. Remis, depositio, sancti Alpini episcopi.* Dein minoribus typis: *Nonnosi monachi & confessoris, de quo Gregorius scribit libro Dialogorum 1 cap. 7, quod inter alia miracula, ingentem lapidem precibus movit, lampadem fractam reparavit, & oleum augmentavit.* Editiones aliæ, sic legunt: *Item, sancti Cosmæ confessoris & eremitæ, cujus corpus ex Creta Venetias est translatum. Eodem die, beati Brocardi presbyteri, & Carmeli Prioris generalis, magnæ sanctitatis viri. Die secunda, sancti patris Joannis jejunatoris. Eodem die in Trajecto, translatio Agnetis virginis. Apud Dononium, elevatio corporis sanctæ Ragenfredis virginis.* Colitur VIII Octob.

Cosmæ. *Transl. Agn.* *Alpini.* *Nonnosi.* *Brocardi.* *Joannis Jejunatoris.* *Elevat. Ragenfredis.*

III *Non.* *Die* 3.

Phœbes. Serapiæ.

NAtalis sanctæ Feben, de qua beatus Apostolus Romanis scribit. Romæ, passio beatæ Serapiæ virginis, sub Adriano principe, quæ cum esset tradita duobus lascivis viris, & minime posset illudi, nec postmodum ardentibus lampadibus inflammari, jussu præsidis fustibus est cæsa, sicque gladio decollata. Hujus dies passionis quarto Kalendas Augusti, sepulturæ vero ejusdem in præsenti habetur, quando & memoria ipsius martyrii celebrior agitur. In Capua, sanctorum martyrum Antonini pueri, annorum viginti, & Aristei episcopi, quorum gesta habentur.

Antonini & Aristei.

Puri & integri sunt *Antverp-major, Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Recte scribit Molan. *Phœbes*; Greven. *Febes*, sequor reliquos, qui passim habent *Feben.* Antverp. major in *Seraphiæ* sequitur orthographiam Romani parvi & Adonis, nos communiorem ex codicibus nostris. Sunt qui legant *Kalendas Augustas*, ut Praten & Herinien. Sed reliqui cum textu. In Greven. & Molan. transponitur *tradita*, post *viris.* Omnes scribunt *Aristei*, non *Aristæi.* Excusus est Ptatensis, quia in fine adjecit: *Romæ, ordinatio sancti Gregorii Papæ*, ut in apographo nostro diserte refertur. Miror tamen, hoc additamentum acutam Castellani aciem effugisse. Herinien. textui etiam puro, subdit: *Item ipso die, natalis sancti Remacli episcopi & confessoris.* Rosweyd. *Stabulaus, sancti Remacli episcopi.* Alii alia, quæ in Auctariis recensebimus.

OBSER-

OBSERVATIO. Phœben primus memorat Ado inter feſtivitates Apoſtolorum, unde accepit Uſuardus, *de qua beatus Apoſtolus Romanis ſcribit*, omiſſis tamen Apoſtoli verbis ex Rom. 16: *Commendo autem vobis* &c. quæ ibi à præfato Adone deſcribuntur. *Phœbes.* De ſequenti Virgine ſic habet Romanum parvum: *Romæ, Seraphiæ virginis*, IV *Kal. Auguſti paſſæ*, II *Kal. ſepultæ*; III *Nonas Septembris memoria paſſionis ejus celebrior.* *Serapiæ.* Hæc & totum præclaræ Virginis martyrium ex Actis fuſius deducit Ado, ſervato nomine *Seraphiæ*, notatoque item paſſionis die IV Kalend. Auguſti; in quo advertes, non erraſſe Adonem, quaſi numerandus eſſet dies certaminis beatæ *Sabinæ*, qui in IV Kalend. Septembris ſeu XXIX Auguſti incidit, quo de *illuſtriſſima martyre* ex eodem Adone, cum Noſtro egimus; nam ibi in Actis indicatur, *interpoſitis aliquot diebus* prius paſſam ſepultamque *Serapiam*, quam ejuſdem gloriæ particeps fieret *Sabina*: quam facile autem dies illi aliquot ad menſem extendi poſſunt? De cetero elogium Adonianum hîc multum contraxit Notkerus, Noſter omnia decerpſit, quæ in textu cum ipſo tradidimus. Acta ipſa à recentioribus nonnullis ſatis ſcrupuloſe examinata, novis curis ſuo tempore illuſtrabuntur. Vulgata ſunt hoc die à Surio, ad manuſcriptorum fidem tunc exigenda. Vide ipſa Gallicè verſa à Tillemontio tomo 2 à p. 246, & notas eo ſpectantes à p. 597.

Recurrit modo difficultas, quam die præcedenti attigimus, de *Antonino* hîc ab Adone, *apud Capuam*, cum *Ariſtæo epiſcopo*, collocato, contra expreſſiſſimam Hieronymianorum ſententiam, *Antoninum* ſive *Antonium* illum qualemcumque, diſerte *in Syria* cum aliis circumſtantiis conſignantium, in quo ſequacem habent Rabanum, eorum verba ex parte deſcribentem. *Antonini & Ariſtæi.* Sed jam diximus, hæc multis controverſiis materiam præbere. Caſtellanus interim rotunde affirmat, *Antoninum* hodiernum, eumdem eſſe qui die præcedenti recolitur. Alii rotundius ex quatuor *Antoninis*, nempe *Appamienſi Syro*, *Appamienſi Gallo*, *Capuano*, & *Placentino*, qui XXX Septembris ponitur, unum conflant. Dubia iterum vides & implexa plurima, quibus elucidandis operoſe inſudat Florentinius, & nos eadem alibi diligentius diſcutiemus. Utrum Notkerus Antoninum Capuanum ſuſpectum habuerit, neſcio; certe de eo plane ſilet. Uſuardus annuntiationem ſuam totam ex Adone deſcripſit; notans etiam *Acta haberi*, quæ veroſimilius nec ipſe, nec Ado umquam viderint. Wandelberti verſus communiori opinioni, ni fallor, ſubſcribunt:

Ternis Antonine puer martyrque triumphas,
Tunc & Ariſtæus antiſtes de morte beatus.

Lego apud eumdem Adonem, in utraque tum Moſandri tum Roſweydi editione, *Remaclum Trajectenſem & Manſuetum Tullenſem*, de quibus ferme dubites, an vere Adoniani ſint, in codicum noſtrorum Uſuardinorum, ſaltem puriorum, & Notkeri ſilentio. Ut tamen demus ab Adone notatos, nihilominus certum puto, ab Uſuardo fuiſſe prætermiſſos, cujus textum purum & integrum à me productum ambigi haud quaquam poſſe videtur, excluſis iis omnibus, quæ in Variantibus ſupra rejecimus. *De Remaclo & Manſueto Adonis.*

AUCTARIA.

Ordinat. Gregorii. RATEN. Ut jam dixi, in fine ſubdit: *Romæ, ordinatio ſancti Gregorii Papæ.*

Remacli. HERINIEN. Etiam in fine: *Item ipſo die, natalis ſancti Remacli epiſcopi & confeſſoris.* In margine autem, eodem fere calamo, additur: *Item apud Pruvinum, ſancti Aigulfi, glorioſi martyris.* Vide de utroque Surium.

Aigulfi. ROSWEYD. Pro, *pueri annorum viginti*, legit, *annorum* XII, alii *annorum* X. Præterea in fine habet: *Stabulaus, ſancti Remacli epiſcopi.*

Remacli. PULSANEN. Purus eſt, uſque ad *decollata eſt.* Deſunt reliqua omnia.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Carent prima. In fine adjiciunt: *Tullo civitate, Manſueti epiſcopi.*

Manſueti. MUNERAT. Textui ſubjicit: *Civitate Sais, ſancti Godegrandi epiſcopi & martyris.*

Godegrandi. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Omnes carent annuntiatione prima. In ſecunda, puri ſunt. Sequitur: *Tullo civitate, ſancti Manſueti epiſcopi.*

Manſueti. *In territorio Leodienſi, monaſterio Stabuleto, natale ſancti Remacli epiſcopi & confeſſoris.* In ultima, puri ſunt. Omnes, excepto ANTVERP-MAX. Remaclo addunt titulum *epiſcopi glorioſi.*

Remacli. CENTULEN. *Natale ſanctæ Phœbe, diſcipulæ Apoſtolorum. Romæ, ſanctæ Seraphiæ virginis. Quæ veniens ab Antiochia, beatam Sabinam convertit & Romæ martyrium complevit. Capuæ, ſancti Ariſtei martyris. Romæ, ordinatio beati Gregorii Papæ, divini totius Eccleſiæ Doctoris, Anglorum vero Apoſtoli.* *Ariſtæi. Ordinat. Gregorii.*

De Remaclo. BRUXELLEN. *In territorio Leodienſi, monaſterio Stabulao, depoſitio ſancti Remacli glorioſi epiſcopi & confeſſoris. Qui ab Aquitania veniens ad monaſterium Solempniacum, ſub beato Eligio ſe in Chriſti tirocinio exercuit & poſtea Trajecti ſuprà Moſam epiſcopus ordinatur. Sed tandem ſtrepitum turbæ fuge* [fugere] *volens, beato Theodardo in epiſcopatu ſubſtituto, Stabulaus monaſterium regendum ſuſcepit, ubi in pace quievit.* Sequitur totus textus ſatis purus, cui ſubjungitur: *Tullo civitate, ſancti Manſueti epiſcopi & confeſſoris. Prumiaco, ſancti Aygulphi, abbatis Lixivenſis* [vario modo effertur, ſed ut ſemel dicam, lege *Lirinenſis*] *& martyris. Apud Gandavum in monte Blandinio, tranſlatio ſanctorum corporum Ausberti & Wulfranni, archiepiſcoporum Ausberti & Wandregiſili abbatis. Item Romæ, ordinatio beati Gregorii Papæ.* Vide Auctarium GREVENI. *Manſueti. Aigulfi. Tranſlat. Ausberti & Wulfranni. Ord. Greg.*

HAGE-

HAGENOYEN. Pro *Phœbe*, ſcribit *Paphen.* Secundo loco: *In civitate Tullienſi, depoſitio ſancti Manſweti, epiſcopi & confeſſoris, primi civitatis illius. Hic nobilium Scotorum genere erat natus, & ex manſwetudine mentis, vocabulum traxit nominis. Hic ſanctus, qui ſupergreditur laudem humanam. Iſte ſanctus diſcipulus beati Petri erat Apoſtoli* &c. ex Actis non ſatis probatis accepta. In Serapia, nonnihil interpolatus eſt. In Remaclo, ut ANTVERP-MAX. ſupra. *Romæ, ordinatio beati Gregorii Papæ, quam ordinationem præcepit Mauricius imperator fieri, qui & coëgit illum eſſe ſummum Pontificem. In Capua, ſanctorum martyrum Ariſtei epiſcopi, & Antonini pueri.*

De Manſueto. *De Ordinat. Gregorii.* *Ariſtæi. &c.*

AQUICINCT. Penultimo loco inſerit: *Eodem die, ſancti Remacli epiſcopi Tungrenſis.* In fine: *Apud Lirinenſe cœnobium, paſſio ſancti Agulfi martyris.* Deinde calamo recentiore: *Et ordinatio epiſcopatus, beati Gregorii Papæ.*

Remacli. *Aiguſi.* *Ord. Greg.*

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. In fine: *Tullo civitate, Manſueti epiſcopi. Apud Lirinenſium cœnobium, ſancti Aigulfi martyris.*

Manſueti. *Aigulfi.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Serapiæ virginis & martyris. Remacli epiſcopi Tungrenſis. Manſueti epiſcopi, diſcipuli beati Petri.*

Remacli. *Manſueti.*

REG. SUEC. num. 130. Præterea habet; *Romæ, electio & ordinatio præclari & doctiſſimi Gregorii Papæ.*

De Gregor.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Phœbes & Serapiæ.* Adjicitur: *In Aquileia, ſancti Syrici & ſanctæ Euphemiæ.*

Syrici &c.

FLORENTIN. *Tullo civitate, ſancti Manſueti epiſcopi. Romæ, ordinatio ſancti Gregorii Papæ. In pago Leodienſi, apud Scapachel* [vult dicere *Stabuletum*] *ſancti Remacli epiſcopi & confeſſoris.*

Manſueti. *Ord. Greg* *Remacli.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Ordinatio pontificatus ſummi & incomparabilis viri Gregorii Papæ urbis Romæ & confeſſoris.* In Serapia ex Adone interpolata eſt. *Tullo civitate, ſancti Manſueti epiſcopi & confeſſoris, quem beatus Petrus in Galliam direxit* &c. De Remaclo fere ut ſupra &c. In Antonino ſatis pura eſt. *Cœnobio Lunenſi, ſancti Agulphi abbatis & martyris. Eodem die, beati Emerici ducis Ungariæ & confeſſoris.*

Ord. Greg. *Manſueti Remacli.* *Aigulfi Emerici.*

BELIN. Omittit Phœben In Serapia mutilus eſt. Addit in fine: *Tullo civitate, ſancti Manſueti epiſcopi & confeſſoris. Eodem die Papiæ, ſancti Marini. Ordinatio ſummi pontificatus incomparabilis viri Gregorii Papæ. Et natale, ſanctæ Sebendæ, cujus Apoſtolus ad Romanos meminit.* Utrum inter *Sebendam* & *Phœben* affinitas ſit, tu judica: ſic tamen in altera editione componuntur. Dein: *Eodem die, ſancti Arnulphi, abbatis monaſterii Lirvienſis*; pro *Aigulfi.*

Manſueti. *Marini.* *Ord. Gregor.* *Sebendæ.*

GREVEN. *Civitate Sagienſi, ſanctorum Godegrandi epiſcopi & martyris, & ſancti Godegrandi ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris. Cœnobio Lunenſi, ſancti Aigulphi abbatis & martyris. Romæ, ordinatio pontificatus beatiſſimi atque incomparabilis viri Gregorii Papæ & Doctoris Eccleſiæ, facta anno Domini* DXCII. *Civitate Leuchorum, ſeu Tullenſi, depoſitio ſancti Manſueti epiſcopi & confeſſoris. Qui Scotorum claro ortus ſanguine, Romæ à beato Petro ordinatus antiſtes, præfatæ civitati primus Chriſti Euangelium annunciavit, vitaque & miraculis inclytus, quievit in pace. In territorio Leodienſi monaſterio Stabuleto, depoſitio ſancti Remacli epiſcopi Trajecti ſuperioris & confeſſoris. Qui ex diœceſi Bituricenſi nobilibus ortus parentibus, ſancto Eligio traditus, & ab ipſo in monaſterio Solemniaco locatus; in magna ſanctitate adolevit. Raptus deinde eſt ad regimen dictæ eccleſiæ; ſed amore vitæ ſolitariæ, ut alius ſuccederet, tandem impetravit: multoſque verbo & exemplo, ut ſervituti omnipotentis ſe redderent, provocans, beato fine quievit. Ambroſii, epiſcopi Senonum & confeſſoris. Tranſlatio ſancti Renoberti epiſcopi & confeſſoris. In Hungaria, ſancti Emerici ducis & confeſſoris, filii ſancti Stephani regis Hungariæ. Hic cælitus admonitus, integritatem carnis cum deſponſata ſibi virgine uſque ad finem ſervans, miraculis claruit. Papiæ; ſancti Maricii. Apud Aquilegiam, paſſio ſanctarum Eufemiæ, Dorotheæ, Telæ* (prima edit. *Teclæ*) *& Eraſmæ virginum & martyrum. Quæ pro fide Chriſti, primo virgis cæſæ, capita malleis ferreis contuſæ, tandem poſt lampadarum aduſtionem, mamillarum abſciſſionem, decollatione martyrii gloriam adeptæ ſunt.*

Godegrandi. *Aigulfi.* *Ord. Greg.* *Arnulfi.* *Ord. Greg.* *Remacli.* *Godegrandi.* *Ambroſii.* *Tranſlat. Renoberti.* *Emerici.* *Maricii.* *Eufemiæ & ſociarum.*

MOLAN. *In monte Blandinio Gandavi territorii, adventus ſanctorum corporum, Wandregiſili abbatis, Ausberti & Wulfranni archipræſulum. Tullo civitate, ſancti Manſueti epiſcopi & confeſſoris. Eodem die Papiæ, ſancti Marini. Ordinatio ſummi pontificatus incomparabilis viri Gregorii Papæ. Eodem die, ſancti Arnulphi abbatis monaſterii Lirinenſis.* Hunc ex BELIN. accepit, ſed, ni fallor, *Aiguſus* ipſe eſt, qui ſequitur. *Item apud Priminum, ſancti Aigulphi, glorioſi martyris. Eodem die, in territorio Leodienſi, in Ardenna, monaſterio Stabuleto, depoſitio ſancti Remacli epiſcopi & confeſſoris. Civitate Sais, ſancti Godegrandi epiſcopi & martyris.* Dein typis minoribus: *Cujus paſſio continetur in vita ſanctæ Oportunæ virginis ſororis ejus. Item ſancti Godegrandi, ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris.* Editiones aliæ: *Civitate Sais, ſancti Godegrandi epiſcopi & martyris. Eodem die, ſancti Aigulphi, abbatis monaſterii Lirinenſis, glorioſi martyris.* De Remaclo, Manſueto, & Marino, ut ſupra. Tum: *Apud Aquileiam, ſanctarum Euphemiæ, Dorotheæ, Teclæ & Eraſmæ, quæ tempore Neronis, poſt graviſſima multipliciaque tormenta, capite plexæ ſunt, & ab Hermagora ſepultæ. Die tertia, ſancti patris Theoctiſti, ſynaſceta magni Euthymii.* De ordinatione Gregorii, & aduentu corporum in monte Blandinio, ut ſupra. Denique: *Foſſis, tranſlatio corporis beati Foillani martyris.* Vide quæ de hoc habentur in Auctariis XXXI. Oct.

Advent. Wandr. &c. *Manſueti.* *Marini.* *Ord. Greg.* *Arnulfi.* *Aigulfi.* *Remacli.* *Godegrandi.* *Godeg. conf.* *Euphemiæ & ſociarum.* *Theoctiſti.* *Tranſlat. Foillani.*

Pridie Non. — *Die 4.*

Moyſis. *Rufini & ſociorum.* *Marcelli.*

MOyſi prophetæ. Apud Anciram Galatiæ, natalis ſanctorum martyrum trium puerorum Rufini, Silvani & Vitalici. Cabilonis, ſancti Marcelli martyris, qui à præſide Priſco, cum ad profanum convivium fuiſſet invitatus, & ejuſmodi execrans epulas, omnes qui aderant, cur idolis deſervirent, libera imprecatione corriperet,

peret, inaudito crudelitatis genere defodi eum cingulo tenus erectum Præſes juſſit, ſicque ſanctus Dei martyr, tertio die in Dei timore & laudibus perſeverans, incontaminatum reddidit ſpiritum. Ipſo die, ſanctorum Magni & Caſti. *Magni & Caſti.*

Puri ſunt *Praten. Herinien. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Moyſi* ſcribunt Uſuardini omnes, licet Romanum parvum & Ado habeant *Moyſis*. In Praten. & Molan. eſt, *Ancyram*, ceteri ſimpliciter, ut eſt in textu. In Greven. eſt *Galaciæ* & *Victalici*. Herinien. male ponit *Calonis*, pro *Cabilonis*. Sic Praten. Greven. & Molan. *prophanum*; malo cum reliquis *profanum*. De *ydolis*, *Sylvani*, *tercio* & hujuſmodi, dixi alibi. Hic maxime obſervandum, quod codex Pratenſis, ſecundùm Adonem habeat *defodiri*, quod tamen in nullis aliis codicibus invenio.

OBSERVATIO. Ex Romano parvo in Adonem, ex hoc in Uſuardum & Notkerum defluxit *Moyſes* propheta, de quo nec Hieronymiana, nec Beda, nec hujus ſequaces meminêre. Nempe, ut in præfatione & alibi non ſemel diximus, & hic unus eſt ex propriis Romani parvi Sanctis, quales numeramus veteris Teſtamenti Prophetas non paucos, plures ex novo Apoſtolorum diſcipulos, tum viros illuſtres Euſebio-Rufinianos, & feſta aliqua Romæ propria, quorum juvat lectorem identidem memorem reddere. Eſt etiam in Wandelberto, neſcio unde acceptus, cum is veroſimillime Romanum parvum numquam viderit. Sic Legiſlatorem Hebræum exornat poëta Martyrologus: *Moyſis.*

Legis divinæ lator, ſuſceptor & auctor,
Colloquio viſuque Dei dignate frequenti,
Præcelſo pridie tumularis monte Moyſes;
Nulli poſt licuit cujus cognoſcere buſtum.

Eumdem habent fontem *Ancyrani martyres*, ſic à Romano parvo notati: *Ancyræ, martyrum trium puerorum Rufini, Silvani, Vitalicæ.* Ado etiam ſcripſit *Vitalicæ*, pluſculis verbis uſus, ſed abſque elogio, eadem memorans, quæ rurſus à Noſtro & Notkero deſcripta ſunt, hoc ſolo diſcrimine, quod ultimum nomen *Vitalicæ*, mutaverint in *Vitalici*. Nodi hic denuo varii recurrunt. Primo, cur ex majori claſſe, ab Hieronymianis ad ſeptemdecim extenſa, ſoli tres enumerentur, nulla prorſus ſociorum facta mentione? Item, cur *pueri* dicantur, nullo in Hieronymianis majoris aut minoris ætatis apparente veſtigio? Demum, cur à poſterioribus *Vitalicæ* nomen in *Vitalici* transformatum fuerit? Plura fortaſſe alia diſputanda occurrent, ſed hæc omnia ſolvere hujus loci non eſt. *Rufini & ſociorum.*

Laudata Hieronymiana apographa de *Marcello* ſic legunt: *In Gallia civitate Cavallonentium, natalis ſancti Marcelli martyris.* Epternacenſe ceteris paulo contractius, addit tamen titulum *epiſcopi*, à quo reliqua abſtinent, quibus conſentiunt Martyrologi alii, ut Florus, Rabanus, Ado, Uſuardus, Notkerus, Wandelbertus, qui hoc ipſo die eumdem conſignant, ſola *martyris* laurea contenti. Porro Flori, Rabani & Adonis elogia multum diverſa ſunt, hoc ſolo concordantia, quod ab omnibus inſolens martyrii genus referatur. De cetero, quæ Florus habet, ſatis vulgaria ſunt. Rabanus totus eſt in narrandis variorum ſuppliciorum generibus. Ado aliam viam ingreſſus, primum ea complectitur, quæ fugam ejus ſpectant Lugduno Cabilonem verſus, ubi in aliam carnificinam inciderit. Ex quibus facile conjicias, Acta eadem ſingulos non conſuluiſſe. Quam vero ætatem ea ſapiant, hactenus mihi non liquet. Quæ vulgata ſunt, à recentioribus diſcuſſa, non probantur, nec in Gregorio Turonenſi quidquam reperio, quod iis illuſtrandis uſui eſſe poſſit. Ceterum ex Adone ſua omnia accepit Noſter, reſciſſa prima parte, qua Marcelli fuga Lugduno Cabilonem indicatur. Ita poſt Moyſen eum celebrat Wandelbertus: *Marcelli.*

Tunc etiam Cabilon Marcelli ſanguine vernat.

Magnus & *Caſtus* ab Uſuardo appoſiti ſunt, qui utrum pro Romanis, an pro Ancyranis, ex codicibus Hieronymianis deſumpti ſint, quis divinet? cum in iis apographis bis annuntientur. Quis primus Uſuardo *Maximum*, de quo in Auctariis, adjecerit, æque incertum eſt: *Saturninus* eorum potius videretur ſocius, *Maximo* ab iis longe ſejuncto. Quidquid ſit, textus noſter vere & ſimpliciter Uſuardinus eſt. *Magni & Caſti.*

AUCTARIA.

Tranſlat. Cuthberti.

ANTVERP-MAJ. Textui puro ſubdit: *Et tranſlatio reliquiarum ſancti Cuthberti epiſcopi.* Patet Anglicum eſſe. Vide etiam codicem ſequentem.

ROSWEYD. In fine adjungit: *Et tranſlatio reliquiarum ſancti Guthberti epiſcopi. Item, in Britanniæ finibus, tranſlatio ſancti Berini epiſcopi & confeſſoris. Hic primus miranda Catholicæ prædicationis conſtantia roboratus, paganiſſimam dudum occidentalium Saxonum provinciam intre-* *Idem.* *De Berino.*

intrepidus adiens, Kinegiſlum regem ad Chriſtianæ agnitionis culturam converſum, cum ſua gente regi Chriſto, ſacro fonte regenerans, poſt multos annos in prædicta urbe ſepultus, ſuperna Dei providentia cæleſtibus indiciis revelatus, ibidem condignis honoribus veneratur. Romæ, Bonifaci epiſcopi, qui fanum Pantheon eccleſiam Chriſti fecit. *Bonifacii.*

PULSANEN. Totum Marcelli elogium reſcindit, cetera ſatis pura ſunt.

ANTVERP. MAX-LUBEC. UGHELLIAN. REG-SUEC. num. 130. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Omnes puritati proximi ſunt, eo ſolo defectu laborantes, quod in fine poſt *Magni* & *Caſti*, addant *Maximi*. Vide Obſervationem. *Maximi.*

CENTULEN. *Moyſi prophetæ, hominis Dei. Ancira Galatiæ, ſanctorum Rufini, Silvani, Vitalicæ martyrum. Cabillone, ſancti Marcelli martyris.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. Incipit: *Moyſi prophetæ & legiſlatoris.* Sequitur de Marcello, deinde de Ancyranis, ſatis pure. Ad *Caſti*, addit etiam *Maximi.* Tum: *Apud Virdunum. ſanctorum Mauri & Silvini, pontificum & confeſſorum. Item, tranſlatio ſancti Cudberti.* *Maximi. Mauri &c. Tranſlat. Cutberti.*

HAGENOYEN. Juvat hîc attexere Moyſis elogium ex ſacris Litteris, qualia in hoc codice plurima ſunt. Sic habet: *Moyſi prophetæ, qui fuit filius Aran & Yocabeth, de Tribu Levi. Hic fuit ſubmerſus in flumine miſſus, quem invenit filia Pharaonis & in filium ſibi eum adoptavit, & adultus zelo Legis percuſſit Egyptium, & ſablo abſcondit, deinde fugit ad Yetro ejus cognatum, & accepit Sephoram filiam illius uxorem, & genuit duos ex illa filios, ſcilicet Gerſon & Elyazet. Poſtea Deum vidit in rubo, ad cujus præceptum rediit in Egyptum cum duobus ſignis, ſcilicet virga mutata in colubrum & manu leproſa, & tunc decem plagas duxit ſuper Egyptum, & in decima exivit cum omni populo & jumentis de Egypto per mare rubrum, ubi Pharao rex cum omnibus ſuis ſubmerſus eſt. Et veniens in deſertum, legem de manu Domini accepit, & facies ejus cornuta ex colloquio Domini apparuit. Veſtimenta ſacerdotalia, vaſa altaris cum archa & candelabro ex præcepto Domini inſtituit. Sacerdotium ſempiternum Aaron fratri ſuo & filiis ejus per floricionem virgæ ejus ſtatuit. Dethan, Abyron, & Chore litigantes pro ſacerdotio & principatu populi, vivos à terra abſorberi fecit. In deſerto miracula per eum Dominus oſtendit. Contra Amalech, Seon & Og reges orando pugnavit & vicit. Hunc Dominus ſemper dilexit, & ideo ſemper eum protexit, & maledicos pro eo ſemper corripuit. Filiis Iſrael benedixit, monens in campeſtribus Moab, cujus ſepulchrum numquam comparuit, & oſſa ejus numquam inventa fuerunt, & à manu Domini ſepultus eſt.* Vide Moyſis vitam bene longam apud Surium hoc die editam, in qua nitidius paulo & diſtinctius hæc omnia deducta invenies. Sequitur: *Item Seduno, tranſlatio Theodoli, Mauricii & ſociorum ejus.* In Ancyranis & Marcello, ſatis purus eſt. Adjungit, *Maximi.* Deinde: *In Viterbio, ſanctæ Roſæ virginis & abbatiſſæ, cujus corpus per plura tempora durans adhuc oſtenditur integrum.* Ipſum vidi anno MDCXCVII, cum adhuc adventantibus expoſitum pateret. At Caſtellanus notat tranſlationem hîc recoli, natalem vero eſſe VIII Martii. *Item, tranſlatio ſanctæ Barbaræ virginis, de Arecio in Romam. Eodem* *Plurima de Moyſe.* *Tranſlat. Theodoli &c. Maximi. Roſæ Viterb.* *Tranſlat. Barbaræ.*

die, ſancti Petri Criſogoni confeſſoris. An forte *Chryſologi*? ſed hic colitur 11 Decembris. *Petri Chryſ.*

AQUICINCT. In fine adjectum habet: *Et tranſlatio reliquiarum ſancti Cuthberti epiſcopi.* *Tranſlat. Cutberti.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Marcelli martyris inclyti. Trium puerorum martyrum Rufini, Silvani, & Vitalici. Moyſis Prophetæ.* *Textus mutilus.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Moyſis, Magni & Caſti.* Adjicitur autem: *Romæ via Salaria, depoſitio ſancti Bonifacii epiſcopi.* *Bonifacii.*

FLORENTINI codices addunt *Maximi.* Pro *Caſti*, legunt *Feſti. Item, ſancti Mauri confeſſoris. Tranſlatio ſancti Gudberti confeſſoris.* *Mauri. De Cutbert.*

LUXOVIEN. *Apud Virdunum, ſanctorum confeſſorum atque pontificum Mauri, Sylvani & Aratoris.* BRUXELLEN. tantum duos memorat. *Mauri &c.*

CAUDIACEN. *Arvernis, monaſterio Magni loci, adventus reliquiarum ſancti Sebaſtiani, & adventus corporis beati Ferreoli martyris.* *De advent. reliquiar.*

EDITIO LUBECO-COL. In Moyſi, Marcello & Ancyranis ſatis pura, ſubdit: *Apud Virdunum, ſanctorum confeſſorum atque pontificum, Mauri, Salvini atque Aratoris. Ipſo die, ſanctorum Magni, Caſti & Maximi martyrum. Treveris, beati Pauli confeſſoris. Item Treveris, beati Marcelli epiſcopi & martyris. Eodem die in Britannia, tranſlatio ſancti Cuthberti, epiſcopi Lindisfarnenſis & confeſſoris.* *Mauri &c. Maximi. Pauli. Marc. Trev. De Cutbert.*

BELIN. *Maximi. Et ſancti Mauri confeſſoris. Eodem die, octava ſancti Auguſtini epiſcopi.* *Mauri. Oct. Auguſt.*

GREVEN. *Aggei prophetæ. Treveris, beati Marcelli epiſcopi & martyris, qui Treverenſem ſimul & Tungrenſem rexit eccleſias. Romæ, depoſitio ſancti Bonifacii epiſcopi. Virduni, tranſlatio ſanctorum confeſſorum atque Pontificum* &c. *Treveris, beati Pauli confeſſoris. In Anglia, commemoratio ſancti Birini epiſcopi Dorcacenſis & confeſſoris. Eodem die, tranſlatio ſancti Cuthberti epiſcopi Lindisfarnenſis & confeſſoris. Item, canonizatio ſancti Suicberti epiſcopi Verdenſis & confeſſoris. In Titano monte, ſancti Marini Levitæ & confeſſoris, qui cum eſſet aolandorum lapidum peritus & à Diocletiano conductus, de laboribus ſuis, pauperibus large ſubveniebat, Chriſtianos quoque, ob Chriſti fidem in opere prægravatos, adjuvabat. Poſtea vero Romani Pontificis juſſu diaconus ordinatus, quievit in pace.* *Aggei. Marcelli Bonifacii. Mauri &c. Pauli. Birini. De Cutbert. De Suicbert. Marini.*

In Hibernia, Vultani abbatis. Muſei presbyteri Maſſilienſis & confeſſoris. In Africa, Simpliciolæ virginis & Gallæ matris ejus. Roſæ virginis. Herentrudis virginis. Irmgardis virginis, in majori eccleſia Colonienſi. Item, ſanctæ Idæ, viduæ nobilis, quæ tempore Karoli magni in Weſtphalia juxta Lippiam, decurſo ſtatu conjugali, in porticu eccleſiæ, quam maritus ejus impenſis ſuis conſtruxerat, recluſorium ſibi ſtatuens, in magna ſanctitate degens, & vere viduam ſe oſtendens, quievit in pace. *Vultani. Muſei. Simpliciolæ & Gallæ. Roſæ. Herentrud. Irmgardis. Idæ.*

MOLAN. *Et Maximi, & ſancti Mauri confeſſoris;* ex BELINO. Dein typis minoribus: *Irmgardis virginis, in majori eccleſia Colonienſi.* De Cutberto & Ida, ut GREVEN. ſupra. Editiones aliæ, de Maximo & Mauro, ut prior. *Maximi. Mauri. Irmgardis. De Cutbert.*

Treveris, ſancti Marcelli epiſcopi & martyris. In territorio Monaſterienſi, ſupra Lippiam fluvium, depoſitio beatæ Idæ viduæ, magnæ ſanctitatis. Tum, minori charactere: *Coloniæ, in majori eccleſia, Irmgardis virginis, in cujus præfeſto, ibidem campanæ pulſantur, ſicut in præfeſtis Sanctorum, licet non ſit canonizata.* Nempe, ob cultum immemorabilem, quo ibi à tot ſeculis gaudere pergit. *Idæ. Marcelli.*

Nonis. *Die 5.*

ROmæ, beati Victorini martyris, qui ſanctitate & miraculis præclarus, ſacerdotium Amiterninæ urbis, totius populi electione adipiſcitur. Inde poſtmodum ſub imperatore Nerva, juſſus eſt ſuſpendi capite deorſum, in loco ubi putentes & ſulphureæ emanant aquæ, quod cum per triduum pro nomine Chriſti paſſus fuiſſet, glorioſè coronatus, victor migravit ad Dominum. Item Romæ in Portu, natalis ſancti Herculani. Capuæ, ſanctorum martyrum, Quinti, Arcontii & Donati. Eodem die, ſancti Bertini abbatis. *Victorini.* *Herculani.* *Quinti & ſociorum.* *Bertini.*

Puri ſunt *Herinien. Antverp-max. Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danicus.*

VARIA LECTIO. Antverp. Max-Lubec. Alberg. Danic. & Belin. pro *adipiſcitur* legunt, *eſt adeptus*: omiſſaque particula *inde*, immediate ſubjungunt, *poſtmodum* &c. Belin. mendoſe habet, *qui cum per triduum*, pro *quod*. Rurſus, pro *migravit ad Dominum*, *migravit ad Chriſtum*, in quo ei conſentit Munerat. Menda ſcriptoria ſunt, *Amiterniæ*, *putrentes*, *Heriniani* pro *Herculani*: in prima Belini editione; *Quincii*, *Arconcii*, *Aconcii* &c. Praten., cum duobus ſolitis aſſeclis, in fine legit: *In pago Taruenenſi*, *ſancti Bertini abbatis*. Aſt obſervavit Caſtellanus, expuncta in eo codice verba, *Eodem die*, & nova illa, *In pago Taruenenſi*, ſubinde inſcripta, quod à prima manu factum exiſtimat. Idem habent Antverp. major & Roſweyd. ut in Auctariis referemus.

OBSERVATIO. De *Victorino* martyre, ita hodie loquitur Romanum parvum: *Romæ*, *Victorini martyris*, *fratris Severini*, *qui poſt miram pœnitudinem*, *Amiterninæ urbis epiſcopus & martyr factus eſt.* Hiſtoriam totam fuſius in Adone deſcriptam habes, ubi infelix lapſus & ſtupenda prorſus pœnitentia, aliaque eo ſpectantia denarrantur, ſed quæ omnia alteri *Victorino Septempedano*, Severini fratri, tribuenda cenſet Baronius, ut proinde toto hîc cælo Romanum parvum & Adonem aberrare neceſſe ſit. Eam tamen hiſtoriam ex Adone deſcripſit Surius, & eamdem refert Notkerus. Noſter, pro conſtanti more ſuo, ductorem non deſerens, ea ex ipſo decerpſit, quæ texendo elogio aptiora judicavit, in quo uniformiter referendo, ſingularem vides codicum noſtrorum Uſuardinorum conſenſum. At enim quam manifeſta eſt & vera ea propago, tam eſt ſuſpectus fons ipſe, unde primitus emanavit. Ego, rebus nondum ſatis expenſis, non habeo quod certo ſtatuam. Notat Caſtellanus, *Victorinum illum*, qui hodie recolendus eſt, in pace quieviſſe, atque adeo diverſum eſſe ab eo, cui apud Amiternenſes martyrii gloria tribuitur. Videat curioſus lector notationem Baronii, Adonis errorem redarguentis. Item Acta ſanctorum Nerei & Achillei XII Maii, apud nos cap. 5, ubi Victorinum inveniet, cujus martyrium cum hodierno plane convenit; eritque proinde hic *Victorinus*, idem qui cum Marone & Eutychete colitur XV Aprilis, ubi videndus Henſchenius pag. 374, num. 5. Hæc ſufficere exiſtimo, ut difficultates indicentur, alibi ex integro diſcutiendæ. *Victorini.*

Romanum parvum ſecundo loco ponit: *Romæ*, *Hercolani.* Annuntiatio noſtra plane Adoniana eſt. Variant Hieronymiana in Portuenſium martyrum numero, aliis quatuor, aliis tres, aliis binos dumtaxat numerantibus. Poſtrema ſecutus eſt Rabanus; at noſtris plerumque familiare eſt, unum, aut certe paucos, ex majori Hieronymianorum numero delibare. Sincerius ex iiſdem apographis ab Adone deſumpti ſunt *Capuani*, ſervata ferme eorum phraſi. Uſuardus Adonis verbis preſſe inſiſtit; neſcio qua auctoritate Notkerus ſocios duos adjunxerit. Rabanus ſolum ſcripſit: *In Campania*, *Quinti.* Huc ſpectare poterunt, quæ de Quarto & Quinto ad x Maii ab Henſchenio diſputata ſunt, quæque nos in Obſervatione ibi breviter indicavimus. Wandelbertus præter Ferreolum & Ferrutionem, de quibus cum Uſuardo egimus XVI Junii, ſolos duos Capuanos ita celebrat: *Herculani.* *Quinti & ſociorum.*

Donatus Capuam pariterque Arcontius ornant.

Plura de *Portuenſibus* & *Capuanis* vide in notationibus Florentinii. Patet hactenus textus noſtri puritas & ſimplicitas. De *Bertino*, ſolus inter antiquos loquitur Florus, his verbis: *Eodem die*, *depoſitio ſancti Bertini confeſſoris & monachi*, *qui in divinis rebus prudens*, *& in malis ſimplex*, *virtutibus claruit divinis.* Vulgare elogium, quod ferme quibuſlibet Sanctis tribui queat. Hoc vidiſſe Uſuardum, haudquaquam veroſimile eſt; quo uſque autem *Bertinus* ad eum vere ſpectet, ſupra in Variantibus explicuimus. Vitam Bertini edidit Surius, ſed plura apud Mabilionem collecta invenies ſec. 3 Benedict. parte 1 à pag. 104 ad 169. *Bertini.*

AUCTARIA.

PRATEN. & ANTVERPIEN-MAJOR. *In pago Taruenenſi, ſancti Bertini abbatis.* ROSWEYD. Idem plane augmentum habet, ſed in textu omnino purus non eſt. Item pro *Taruenenſi*, ſcribit *Tarvernenſi.* Et in fine adjicit : *Item ſancti Apri confeſſoris.* Si Tullenſis eſt, colitur XV Sept. *Apri.*

PULSANEN. *Romæ, beati Victorini martyris.* Deeſt totum elogium. In Herculano & Capuanis, ſatis purus eſt. Pro *Bertini*, in quo textum ſequitur, ſcribit, *Libertini.*

CENTULEN. *In ſuburbio Romæ, beati Victorini martyris. Capuæ, ſanctorum martyrum Quinti, Arcontii, & Donati. Ipſo die, ſanctorum Magni & Caſti. Romæ, ſancti Herculiani martyris. In territorio Morinorum, ſancti Bertini abbatis, magnæ ſanctitatis & innocentiæ viri.* *Textus mutatus. Magni &c.*

BRUXELLEN. *Romæ in ſuburbano, natale beati Victorini epiſcopi & martyris. Qui ſanctitate & miraculis præclarus, ſummum ſacerdotium Amiterninæ urbis, totius populi electione adeptus, ſub imperatore Nerva apud eum locum, qui Cotilias appellatur, ubi putentes aquæ & ſulphureæ emanant, in ipſis capite deorſum juſſus eſt ſuſpendi. Quod cum per triduum fieret, glorioſe coronatus, victor migravit ad Dominum.* In Herculano & Capuanis, purus eſt. *Ipſo die, depoſitio beati Bertini abbatis & confeſſoris.* *De Victorin.*

HAGENOYEN. Incipit : *Gedeonis prophetæ & judicis Iſrael. Hic Gedeon fuit Toas, de familia Ezri, de tribu Manaſſe. Hic fuit ſalutatus ab angelo & virorum fortiſſimus nuncupatus. Cui Gedeon ſuper petram carnes optulit ad edendum. Iſte ab ara Baal deſtructa, dictus Jerobaal. Hic ſuſcepto in vellere ſuo ſigno, cum trecentis viris* &c. quæ ex ipſa Hiſtoria ſacra, ſatis nota ſunt. Sequitur : *In Lauſana, Genebaudi epiſcopi & confeſſoris.* In Victorino, Herculano & Capuanis martyribus, ſatis purus eſt. In fine : *In Italia, ſancti Bertini abbatis.* Unde Italiam huc induxerit, aliis divinandum relinquo. *De Gedeone. Genebaudi.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Victorini epiſcopi & martyris. Bertini abbatis, cujus ſolemne monaſterium exſtat juxta S. Audomarum.* *De Bertino.*

CLUNIACEN. & CODEX D. DU CHEVAL, ſignatus C. *Cœnobio Cluniaco, beati Marcelli Papæ & martyris glorioſa ab Arvernis exceptio, miraculorum laude, populorumque frequentia non mediocriter illuſtris.* *De except. Marcel. PP*

REGINÆ SUEC. ſign. 428. *Civitate Sais, ſancti Godegranni, epiſcopi & martyris.* Vide dicta ſuperius ad III Septembris. *Godegranni.*

In VATICAN. ſub num. 5949. Deeſt *Victorini* & *Bertini.*

FLORENTIN. *In monaſterio Pulſanenſi, diœceſis Sipontinæ, juxta Manfredoniam, depoſitio ſancti Jordani abbatis dicti monaſterii.* Mirum in proprio illius cœnobii Martyrologio, toties à nobis citato, nullam Jordani illius memoriam fieri. *Jordani.*

BURDEGAL. *Burdegalæ, Innocentiæ virginis.* *Innocentiæ.*

CAUDIACEN. *Apud Burgundiam, pago Matiſcenſi, cœnobio Cluniaco, beati Marcelli Papæ & martyris glorioſa ab Arvernis exceptio* &c. ut ſupra in CLUNIACENSI. *De except Marcel. PP.*

EDITIO LUBECO-COL. *Apud Coloniam Agrippinam, in eccleſia beati Clementis, tranſlatio ſancti Cuniberti archiepiſcopi Agrippinenſium & confeſſoris. Romæ in ſuburbio, beati Victorini preſbyteri & martyris. Qui ſanctitate & miraculis præclarus, ſacerdotium Amicerrimæ* [Amiterninæ] *urbis, totius populi electione eſt adeptus. Deinde ab Aureliano judice cum aliis Dei ſervis Eutice & Marone* [ex Actis SS. Nerei & Achillei] *relegatus, ſexageſimo miliario ab Urbe, via Salaria. Inde poſtmodum ſub imperatore Nerva, juſſus eſt ſuſpendi* &c pure. In Herculano & Capuanis, pura eſt. Tum : *Apud Flandrias, monaſterio Sithino, depoſitio ſancti Bertini abbatis & confeſſoris. Eodem die, natale beati Genebaldi epiſcopi Laudunenſis & confeſſoris, de quo legitur in geſtis beati Remigii Remenſis epiſcopi.* *Tranſlat. Cuniberti. De Victorin. De Bertino. Genebaldi.*

GREVEN. *Sanctus Bertinus, in territorio Conſtantienſi ortus, patriâ relictâ, ad ſanctum Audomarum compatriotam ſuum, Taruanenſem epiſcopum, cum aliis duobus veniens, & ab eo in opus Dei miſſus, vita & ſignis glorioſus quievit. In Alexandria, Nympii & Saturnini. In Galliis civitate Veſontionenſi, inventio beatorum martyrum Ferreoli & Ferrutionis, a beato Aniano, tempore Juliani imperatoris. Ubi operante Domino, multæ virtutes fiunt.* Huc reſpicit hodiernus Wandelberti verſiculus, qui primo loco ponitur : *De Bertino. Nimpii &c. Inventi. Ferreoli &c.*

Nonis Ferreolus cum Ferrutione refulget.

In Promia, Agigulphi, abbatis, martyris cum aliis. Vide die præcedenti. *In Campania, Quintini epiſcopi & confeſſoris. Apud Coloniam Agrippinam, in eccleſia beati Clementis, tranſlatio ſancti Cuniberti, ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, depoſitio beati Genebaldi epiſcopi Laudunenſis & confeſſoris, de quo in geſtis ſancti Remigii legitur. Ipſo die, inventio ſancti Taurini. Victorini confeſſoris. Qui cum Romæ ob ſapientiam, ſtatuam in foro Trajani meruiſſet, in ſenectute, Chriſti fidei ſe tradens, quievit in pace. Trecas civitate, commemoratio ſanctorum Savinæ virginis, & Saviniani martyris, fratris ejus.* Quid hîc facit ea conjunctio ? De hoc enim Uſuardus XXIX Januarii, de illa XXIX Auguſti memoriam egit. *Aigulfi. Quintini. Tranſlat. Cuniberti. Genebaldi. Invent. Taurini. Victorin. C. Savinæ & Saviniani.*

MOLAN. *Almi patris noſtri & confeſſoris depoſitio, in pago Teruanenſi, monaſterio dicto Sithiu, qui vita & miraculis inſignis, anno ab Incarnatione Domini* DCXCVIII *migravit ad Dominum. Ubi dum dies caniculares finem faciunt, ſicut venerabilis Gregorius Turonenſis epiſcopus ſcribit, fine ultimæ diei, mutati ſunt viri ſancti invicti labores, quoniam diem clauſit ultimum, in regeneratione viva, diem accepit perpetuum, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Lauduno Clavato, ſancti Genebaldi epiſcopi & confeſſoris, & ſanctæ Probæ virginis.* Dein typis minoribus : *In Galliis civitate Veſontionenſi, inventio beatorum martyrum Ferreoli & Ferrutionis* &c. ut ſupra in GREVENO *In Campania, Quintini epiſcopi & confeſſoris. Victorini confeſſoris. Qui cum Romæ ob ſapientiam ſuam, ſtatuam* &c. etiam ut habet GREVEN. In editionibus poſterioribus, in fine inter, *eodem*, & *ſancti Bertini*, aliis litteris inſeritur : *In pago Teruanenſi, monaſterio dicto Sithiu.* Deinde, *almi patris* &c. *Lauduno Clavato, ſancti Genebaldi epiſcopi & confeſſoris. Et ſanctæ Probæ virginis. In Galliis, civitate Veſontionum, inventio beatorum martyrum Ferreoli* &c. ut ſupra. Demum minori charactere : *Eodem die, ſanctorum martyrum, Eudoxi, qui & Marianus, Eudoxi & Romuli, Zenonis & Macarii, qui ſub Trajano martyres coronantur.* Vide annuntiationem Romani moderni, & appoſitam Caſtellani notulam. *De Bertino Genebaldi & Probæ. Invent. Ferreoli &c. Quintini. Victorin. C. Eudoxi & aliorum.*

VIII *Idus.*

VIII *Idus.* *Die* 6.

ZAchariæ prophetæ, qui de Chaldea ſenex in patriam reverſus, juxta Aggeum prophetam jacet conditus. In Africa, beatorum confeſſorum & epiſcoporum, Donatiani, Preſidii, Manſueti, Germani, Fuſcoli, qui pro aſſertione Catholicæ veritatis diriſſime cæſi & exilio eliminati ſunt. Inter quos etiam epiſcopus, nomine Letus, ſtrenuus atque doctiſſimus vir, poſt diuturnos carceris ſqualores, incendio concrematus eſt. Item Cappadociæ urbe Reaten, ſancti Cottidi diaconi. *Zachariæ.* *Donatiani & ſoc. epp.* *Cottidi.*

Ex *Praten. Herinien. Antverp-majore*, *Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. In noſtro apographo Pratenſi ſcribitur *Zacariæ.* Herinien. Antverpien-maj. & Greven, habent *Caldea*, melius ex aliis, ut eſt in textu. Antverp-maj. omiſit particulam *de*, quæ immediate præcedit. Idem legit *Aggeam*, Munerat *Ageum*, optime Molan. *Aggæum*, ſed nos reliquos codices ſequimur. Rurſus Antverp-maj. ſcribit *confeſſorum epiſcoporum*, omiſſa conjunctione *et.* In Munerat. eſt *Donaciani*, in Antverp-maj. *Donatii.* Item in hoc *aſçertione*, pro *aſſertione.* Denique in eodem, poſt *concrematus*, deeſt *eſt.* De *Cappadociæ* alibi diximus. Greven. & Molan. ſic legunt: *Item, apud Cappadociæ urbem Reaten, ſancti Coctidi diaconi.* Alii cum textu, niſi quod Munerat. ſcribat *Cotidi. Strennuus* in Molano, mendum typographicum eſt: bene ſcribit *Præſidii*, & *Lætus*, ſed nos cum ceteris ſimpliciter.

OBSERVATIO. *Zachariæ propheta* hiſce iiſdem plane verbis meminerunt Beda, Rabanus, Romanum parvum, Ado & Notkerus. Noſter, ut ante non ſemel diximus, veteris Teſtamenti Patribus, quos in antiquioribus nudo nomine ornatos reperit, ſæpius proprium aliquid adjungit, ut de *Zacharia* factum, ex laterculo noſtro manifeſtum eſt. Solum ipſum hodie canit Wandelbertus: *Zacharia.*

Vates Zacharias octavas obtinet Idus.

Sequitur in Romano parvo: *Et Oneſiphori*, *Pauli diſcipuli*, Ado legit, *diſcipuli Apoſtolorum*; elogii vice inter Feſtivitates Apoſtolorum ea omnia deſcribens, quæ Paulus memorat 2 Tim. 1: *Det miſericordiam Dominus* &c. Notkerus non hæc ex Adone, ſed ſola Martyrologii ejus verba deſumpſit. Interim certum eſt, *Oneſiphorum* ab Uſuardo prætermiſſum; cauſam divinet qui poteſt. Illuſtrium Africanorum præſulum, in Wandalica ſub Hunnerico perſecutione paſſorum claſſis, breviter à laudato Romano parvo deſcribitur: *& confeſſorum Donatiani & ſociorum.* Adonis narratio paulo diffuſior eſt, in qua ſingulorum confeſſorum nomina exprimuntur, ſumpta, ni fallor, ex Victoris Vitenſis Hiſtoria perſecutionis Africanæ lib. 2. ſub finem. Adonis verba ferme omnia tranſumpſit Notkerus, contractior Uſuardus nonnulla excluſit, quæ in Auctariis ſupplebuntur. Reſtat annuntiatio ultima, Romano parvo & Adoni incognita, quæ ex ſolis Hieronymianis ab Uſuardo tranſlata eſt. In ipſis ita ferme legitur: *In territorio Cappadociæ, civitate Reaten, natalis ſancti Quottidi cum ſociis ſuis.* Variant apographa in urbis nomine. Rabanus legit: *In territorio Capadociæ, civitate Ructenſi, natale ſancti Cuttidi*, addens præterea, *Eugenii epiſcopi & ſociorum ejus.* Noſter, recepto more, ut ſæpius dixi, ſocios negligens, ſolum *Quottidum* vel *Quottidium* memorat, quem ex communi codicum noſtrorum ſcribendi ratione *Cottidum* nominavimus. Porro de præfata urbe multa diſquirit Florentinius. Utrum autem *Reate*, *Reaten*, *Readden*, *Sériate*, *Teriate*, vel hujuſmodi alia aut ei affinis in Cappadocia reperiri poſſit, cui Cottidus noſter vere tribuatur, alibi ex profeſſo examinabitur. Oſtendimus unde primos, unde ultimum hunc Sanctum acceperit Uſuardus, ac proinde, ex conſenſu codicum, manet textûs ejus primigenia & defæcata ſimplicitas. *De Oneſiphoro ex Adone.* *Cottidi.*

AUCTARIA.

PRATEN. Inter puros numeratus eſt, tametſi in textu, penultimo loco in antigrapho noſtro hæc habeantur: *Senonis, ſanctorum germanorum Sanctiani & Beatæ, & ſancti Auguſtini epiſcopi.* Nam cum hæc à Sirmondo vel Cortaſio ſubvirgulata ſint, indicium eſt, ex margine in textum irrepſiſſe. *Sanctiani & ſociorum.*

ROSWEYD. Satis purus eſt, ſed omittit annuntiationem ultimam.

PULSANEN. Omnia recte habet uſque ad *Fuſcoli*, ſed, ut codex ille jam paſſim in pluribus deficit, hîc etiam omiſit reliqua.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Textui adjungunt: *Romæ, Eleuterii epiſcopi.* In *Eleutherii.*

Romano agitur de Eleutherio abbate, servo Dei; videsis notulam Castellani.

Magni. LOVANIEN. In textu satis purus, subdit in fine: *Eodem die, natale sancti Magni confessoris.* Vide Surium & elogia inferius.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. ALBERGEN. & DANIC. Idem habent augmentum, sed præterea, post *Fuscoli*, textui inserunt: *De African.* *Qui persecutione Wandalica, jussu Hunerici regis Arriani, pro assertione Catholicæ* &c.

Onesiphori. CENTULEN. *Obitus Zachariæ prophetæ. Eodem die, sancti Onesifori, de quo sanctus Paulus, laudis plenam mentionem facit. Apud Africam, sanctorum confessorum & episcoporum Donatiani, Presidi, Mansueti, Germani, Fusculi, qui persecutione Wandalica, terminum hujus vitæ susceperunt.*

Onesiphori. De African. BRUXELLEN. Secundo loco: *Et natale beati Onesiphori Apostolorum discipuli.* In Africanis, similis est ANTVERP-MAX. &c. *Capadociæ apud urbem Reathen, sancti Coytidi dyaconi. Eodem die, sancti Magni confessoris. Item, sanctorum Donati & Eleutherii episcoporum.*

Magni. Donati & Eleutherii.

HAGENOYEN. Hîc rursus longa historia prophetica, ut huic codici familiare esse, non semel monuimus. In Africanis, eadem habet quæ ANTVERP-MAX. &c. supra. Tum: *Item Romæ, sancti Eleutherii episcopi* In ultima fere purus est, Cui in fine subjungit, quæ hîc describenda duximus: *Item Augustensi diœcesi, monasterii in Fautibus, depositio sancti Magni, vel Magnoaldi abbatis. Hic quondam erat diaconus beati Galli abbatis. Iste viginti quinque annis, laudabiliter sacerdotio functus est, in quibus etiam miraculis claruit, multos ad fidem convertens. Isti per ursum silvestrem venæ ferri monastratæ sunt. Huic etiam ursi ibi morantes, quoque boves domesticæ* [serviebant.] *Post hæc beatus Magnus obiit in pace.*

De African. Eleutherii. *De African.* *Magni, cum elogio.*

Humberti. Eleutherii. AQUICINCT. In fine: *Item, sancti Humberti confessoris. Romæ, Eleutheri episcopi.* De Humberto, videatur Surius.

Humberti. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT *Huberti presbyteri & confessoris.* (additur in margine, aliàs *Humberti.*) *Zachariæ prophetæ. Donatiani, Præsidii cum ceteris.*

CODEX D. DU CHEVAL. sign. C. *Romæ, Eleutherii episcopi.* Vide quæ supra notavimus.

Onesiphori. In VATICAN. num. 5949. Desunt *Zachariæ* & *Cottidi.* Adjicitur: *Apud Iconium, sancti Onesiphori, discipuli beati Pauli Apostoli.*

Eleutherii. Potiti. FLORENTIN. *Romæ, sancti Eleutherii episcopi. Passio sancti Potiti martyris.*

De African. EDITIO LUBECO-COL. In Zacharia purus, ita prosequitur: *In Africa, sanctorum confessorum & episcoporum Domitiani, Præsidii, Mansueti, Germani, Fustoli. Qui persecutione Wandalica, jussu Hunerici regis Arriani, pro assertione Catholicæ veritatis, durissime fustibus cæsi, exilio eliminati sunt. Inter quos etiam quidam episcopus* &c. *Ad Fauces, natale sancti Magni confessoris,* *Magni.* *qui in miraculis clarus habetur, discipuli beati Columbani. Capadociæ apud urbem Reatensem, sancti Cottidi diaconi & confessoris. In Asia,* *Onesiphori.* *sancti Onesiphori Apostolorum discipuli.*

BELIN. Penultimo loco inserit: *Romæ, sancti* *Eleutherii.* *Eleutherii episcopi.* Vide superius.

GREVEN. *Zachariæ, filii Joiadæ seu Barachiæ. Qui cum prævaricationem regis & populi argueret, illi miserunt lapides & interfecerunt eum in atrio domus Domini, 2 Paralip. 24. Eodem* *De Zachar.* *die, secundum Adonem, natalis beati Onesiphori* *Onesiphori.* *Apostolorum discipuli. Romæ, sancti Eleutherii* *Eleutherii.* *episcopi. In Hibernia, Mastulini episcopi. Me-* *Mastulini.* *tius, sancti Gundulphi episcopi & confessoris. Ma-* *Gundulfi.* *mertini abbatis monasterii sancti Germani Anti-* *Mamertini.* *siodorensis & confessoris. Ad Fauces, sancti Ma-* *Magni.* *gni, qui & Magnoaldus, discipuli sancti Columbani abbatis. Humberti confessoris. Eleutherii ab-* *Humberti.* *Eleut. abb.* *batis & confessoris, miræ simplicitatis & compunctionis viri. De quo beatus Gregorius 3 Dialog. inter alia refert, quia sibi infirmo virtutem abstinendi, & mortuo cuidam, oratione & lachrimis vitam impetravit.*

MOLAN. Post *concrematus est*, aliis litteris ex Adone textui inserit: *Tunc etiam episcopis,* *De African.* *quasi ad concilium convocatis Carthagine, una die universæ Africæ ecclesias clausit Hunericus rex Arrianus, universamque substantiam episcoporum, suis episcopis condonavit.* In fine superaddit: *Et natale sancti Humberti confessoris Christi. Eodem* *Humberti.* *die ad Fauces, sancti Magni confessoris. Romæ,* *Magni* *sancti Eleutherii Papæ. Et natale beati Onesiphori* *Eleuth PP.* *Apostolorum discipuli, de quo ait Apostolus: Det misericordiam Deus Onesiphori domui.* Sequitur *Onesiphori,* minoribus typis: *Quia sæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit, sed cum Romam venisset, solicitè me quæsivit & invenit. Et quanta* *cum elogio.* *Epheso ministravit, tu melius nosti.* Vide Adonem in festivitatibus Apostolorum. Deinde: *Mamertini abbatis monasterii sancti Germani An-* *Mamertini.* *tisiodorensis & confessoris. Eleutherii abbatis &* *Eleuth. abb* *confessoris, miræ simplicitatis & compunctionis viri, de quo beatus Gregorius 3 Dialogor. inter alia refert, quod sibi infirmo virtutem abstinendi, & mortuo cuidam, oratione & lachrymis vitam impetravit.* In editionibus aliis textui etiam inseritur Adonis clausula. De Magno habent, ut supra. *Et natale beati Onesiphori, Apostolorum discipuli,* usque ad *Onesiphori domui. Eodem die, translatio corporis beatissimi confessoris Chri-* *Translat.* *sti, Humberti, virtutibus & miraculis clari. Die* *Humberti.* *sexta, commemoratio miraculi facti ab archistra-* *De miraculo* *tego Michaele, in Colassis, sive in Chonis.* *Michaëlis.*

VII *Idus.* *Die 7.*

Joannis. APud Nicomediam, natalis beatissimi Joannis martyris. Hic nimio calore fidei ignitus, librum in quo continebantur crudelia edicta adversus Christianos, injecta manu detraxit ac discerpsit, cumque hoc relatum esset Diocletiano & Maximiano Augustis, in eadem urbe constitutis, nimia crudelitate sævientes, omnia suppliciorum genera jusserunt expendi in eum, quæ vir nobilissimus cum tanta alacritate vultus ac spiritus pertulit, ut nec tristis quidem pro his videri

videri potuiſſet. Civitate Aurelianis, depoſitio ſancti Evurtii confeſſoris, qui, ut geſta teſtantur, primo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus, dein divino munere per columbam eſt deſignatus pontifex præfatæ urbis. *Eortii.* In territorio Auguſtudunenſi, ſanctæ Reginæ virginis, quæ ſub proconſule Olibrio, equulei, carceris, ac lampadarum perpeſſa ſupplicia, tandem capitali ſententia finiri eſt juſſa. *Reginæ.* Item in territorio Pariſiacenſi, ſancti Chlodoaldi presbiteri, tam generis quam mentis nobilitate conſpicui. *Clodoaldi.*

Sumitur ex *Praten. Antverp-majore*, *Roſweyd. Antverp. Max-Lubec. Greven.* & *Molan.* Accedunt, *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Albergen.* & *Danicus.*

VARIA LECTIO. Scribo *diſcerpſit* cum Praten. Herinien Antverp. Max-Lubec. & Greven. Et ita ſenſus exigit, licet Antverp-maj. Roſweyd. Molan. & plerique alii habeant *decerpſit*. Antverp-maj. & Roſweyd. ita legunt, *cum tanta alacritate vultus ac ſpe*, ut abbreviatio illa potius *ſpecie*, quam *ſpiritus* eſſe videatur. *Euurtii*, ex Aurelianenſium uſu habent fere omnes. Excipe Roſweyd. qui *Euorcii*, Greven. *Euurcii*, Molan. *Euortii*. Poſtremi duo cum Antverp. & Max-Lubec. ac recentioribus adjiciunt titulum *epiſcopi*, qui in antiquis deeſt. In Greven. pro *dein*, eſt *dehinc*. Lego *Auguſtudunenſi* ex antiquiorum more, alij habent *Auguſtudinenſi*, Molan. *Auguſtodunenſi*, peſſime Greven. *Andegavenſi*. Roſweyd. ponit *Conſule Olibrio*, alii ut eſt in textu. Sic Antverp-maj. & Molan. *lampadum*. Antverp. *finiri juſſa eſt*, Max-Lubec. *juſſa eſt puniri*; Roſweyd. *vitam finire*. Reliqui *Chlodoaldi*, ut antiquiores habent, non ut Roſweyd. *Cloaldi*, vel ut alii *Clodoaldi*. Idem Roſweyd. pro *conſpicui*, ſubſtituit, *perſpicui*.

OBSERVATIO. Prima inclyti *Martyris*, qui apud Lactantium de mortibus Perſecutorum & apud Euſebium anonymus eſt, prima, inquam, ejus ſub *Joannis* nomine memoria, Romano parvo debetur, in quo, hoc die, pro ejus arbitrio electo, ſic legitur: *Joannis martyris, qui Nicomediæ ſub Diocletiano, librum iniquæ legis minutatim diſcerpſit*. Fuſius ex Rufino lib. 8 toto cap. 5, rem geſtam proſequitur Ado, à quo elogium ſuum Noſter accepit, & Notkerus etiam contraxit. Nomen aliud ſuggerit Caſtelianus & agonem circa XXIV Februarii anni CCCIII, veroſimillime conſummatum pronuntiat. Non improbabiliter conjectat Papebrochius, Georgio abſcribi poſſe, quæ hic *Joanni* noſtro tribuuntur, ut videſis in comment. prævio ad Acta S. Georgii XXIII Aprilis § 4. Alii aliter ſentiunt, ut Baluzius apud Ruinartium inter ſelecta pag. 319, in notis. Atque de hoc ſolo Joanne agere videtur Ado, quidquid & alios tres ei ſupponat Moſander: magiſque adeo in hoc Roſweydo aſſentior, quod Notkerus deſcriptor Adonis perpetuus, ceteros quoque prætermittat. *Joannis.*

Evurtius Aurelianenſis, in Hieronymianis *Evotus*, ab aliis *Evortius*, *Euritius*, & *Emirtius* nominatus, ſed ex propria ejus ſubſcriptione dicendus, *Eortius*, à Floro celebratur longo encomio, ex iis procul dubio Actis deſumpto, quæ pridem à variis edita, à recentioribus ut minimùm interpolata eſſe cenſentur. Eadem & Rabanum & Uſuardum præ oculis habuiſſe neceſſe eſt, ex quibus propria ſinguli decerpſerint. Auguſtodunenſis *Regina*, à Rabano etiam memoratur, ſed ſolo fere nomine ornata, licet geſta ejus citentur. Ea à Petro & à Mombritio edita, à Surio contempta videntur, & ab aliis pro mera fictione, tamquam ex conſimilibus Actis conſarcinata, traducuntur: de quibus nos hactenus nihil ſtatuimus. Ceterum ex hujuſcemodi Actis eductum eſt Uſuardi noſtri elogium, quod vere ei tribuendum eſſe, codices omnes evincunt. *S. Clodoaldi confeſſoris*, ſcribit Beda, Rabanus *Chlodoaldi*; acceſſiones Hieronymianæ *Chlonevaudi* & *Chlodoaldi*, Aimoinus, teſte Caſtellano, *Fludualdi*. Utcumque ſcripſeris, idem intelligitur eſſe Chlodovæi regis nepos, Chlodomiri filius, ex impia fratrum per patruos nece feliciter ſervatus. Vide auctores, qui de eo ſcribunt, à Baronio citatos, à nobis ſuo tempore cum Actis à Mabilione aliiſque editis conferendos. Uſuardi elogium paucis multa comprehendit, ex quo in Hagiologium Franco-Galliæ tranſlatum exiſtimo: certe Uſuardinum eſſe, æque ac cetera hodie tradita, minime dubitandum videtur. Secundam & quartam annuntiationem noſtram ſic verſibus ſuis copulavit Wandelbertus. *Regina.* *Clodoaldi.*

Antiſtes ſeptenas ſervat Euortius, atque
Regali inſignis Clodoaldus ſtirpe ſacerdos.

AUCTA-

AUCTARIA.

Viventii. HERINIEN. Toto textu puriſſimus, in fine proprium ſubjicit: *Eodem die, beati Viveentis* (vult dicere *Viventii*) *Remorum archiepiſcopi.*

PULSANEN. Purus eſt uſque ad *expendi in eum.* Sequitur immediatè: *In territorio Auguſtodunenſi, ſanctæ Reginæ virginis.* Hîc ſiſtit.

MUNERAT. Textui puro, phraſi ſibi propria ſubdit de Clodoaldo: *De cujus corpus requieſcit in eccleſia beati Clodoaldi prope Pariſius.* *DeClodoald.*

LOVANIEN. Deficit in elogiis Eortii Aurelianenſis & Reginæ Auguſtodunenſis.

CENTULEN. *Apud Nichomediam, beati Joannis martyris, ſub Diocletiano. Apud Aleſiam, quæ olim fortiſſima civitas fuerat, ſed à Julio Cæſare eſt deſtructa, ſanctæ Reginæ virginis, quæ ſub Olybrio præſide, pro fide plurima ſuſtinens, tandem capitali ſententia finita eſt. Aurelianis, ſancti Evurtii epiſcopi & confeſſoris. Pariſius, ſancti Chlodoaldi presbyteri & confeſſoris.* *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. Incipit: *Apud Gallias, civitate Aurelianis, depoſitio ſancti Evorcii epiſcopi & confeſſoris. Qui* &c. Sequitur: *Eodem die, ſanctorum martyrum Felicis, Lucæ, Poliani, Victoris, Laderis & Dativi. Qui ſub Decio graviter fuſtibus cæſi, deinde compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, agonem conſummaverunt martyrii.* Vide de his Uſuardum diſtinctius loquentem x Septembris. In Joanne, Regina & Clodoaldo ſatis purus eſt. In fine: *Item, depoſitio ſanctæ Magdalbertæ virginis, quæ Leodii quieſcit, filiæ ſcilicet ſanctæ Waldetrudis, & beatæ Gudilæ neptis.* Recentiori calamo attexitur: *Et ſancti Clodoaldi* &c. quaſi alius eſſet à ſuperiori. *Felicis&ſoc.* *Madelbertæ.*

HAGENOYEN. In Joanne ſatis purus, ſubdit de Regina, etiam ſatis bene. Tum: *In pago Lauſanenſi, ſanctæ Wlpeclæ virginis. Item tranſlatio ſanctæ Anaſtaſiæ. Item, ſanctæ Madelbertæ virginis.* Reliqua textûs pura ſunt. *Wlpeclæ. Tranſlat. Anaſtaſiæ. Madelbertæ.*

DAVERONEN. Scribit, *ſancti Chlodoaldi preſbyteri, tam gentis, quam mentis* &c.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Reginæ virginis & martyris. Madelbergis virginis. Nemorii* [alii ſcribunt, *Memorii*] *cum ſociis. Joannis martyris inclyti. Evortii epiſcopi & confeſſoris.* *Madelbertæ. Memorii & ſociorum.*

CAMBERIEN. S. Mariæ. *Civitate Auguſtæ, patriæ Sabaudiæ, depoſitio corporis ſancti Grati ejuſdem urbis epiſcopi.* *Grati.*

In VATICAN. n. 5949. Deeſt *Evortii* & *Reginæ.*

FLORENTIN. *Natale ſanctorum martyrum Deſiderii & Januarii.* Vide GREVEN. *Deſiderii & Januarii.*

BIZUNTICEN *Catalancii* (pro *Catalaunis*) *ſancti Alpini epiſcopi & confeſſoris, cujus laudabilem virtutem clariſſima miracula teſtantur.* *Alpini.*

REMENS. SS. Timoth. & Apoll. *Catalaunis, ſancti Alpini epiſcopi & confeſſoris.*

EDITIO LUBECO-COL. In Joanne ſatis pura, de Eortio inſerit: *epiſcopi & confeſſoris, viri ſanctiſſimi.* Rurſus in Regina, pura; de Clodoaldo, ſic ſcribit: *In territorio Pariſienſi, vico Novigenti, ſancti Clodowaldi presbiteri & confeſſoris, filii regis Franciæ Clodomeri, tam generis* &c. Tum: *In territorio Trecaſſino, beati Nemorii martyris & diaconi glorioſi Lupi præſulis, quem Attila rex Hunnorum cum ſociis interfecit. Cathalanis, depoſitio ſancti Alpini confeſſoris, diſcipuli ſupradicti ſancti Lupi epiſcopi, ut ex meritis diſcipulorum puteat, quantæ ſanctitatis magiſter extiterit. Eodem die, beatæ Magdelbertæ virginis.* *Alpini.* *DeClodoald. De Memor.* *De Alpino.* *Madelbertæ.*

BELIN. In Joanne & Eortio ſatis purus eſt. Pro *Clodoaldi*, habet, *Dodaldi*, cujus elogium reſcindit. Sequitur de Regina, etiam brevius.

GREVEN. *In territorio Trecaſſino, beati Memorii martyris, diaconi ſancti Lupi epiſcopi, quem Attila rex Hunnorum cum ſociis ſuis interfecit. Cathalaunis, ſancti Alpini confeſſoris, diſcipuli ejuſdem beati Lupi, unde ex meritis diſcipulorum, licet æſtimare ſanctitatem magiſtri. In Campania apud Beneventum, ſanctorum Innocentii, Januarii, Feſti. In Aquileia, Anaſtaſii martyris, qui fullonum compſitor erat. Vincentii* [vult dicere *Viventii*] *archiepiſcopi Remenſis & confeſſoris. Ipſo die, dignæ & ſanctæ memoriæ Stephani epiſcopi Dienſis, Ordinis Carthuſienſis, magnæ ſanctitatis & clariſſimi in miraculis viri. Qui ex Priore domus Portarum, ad regimen præfatæ Eccleſiæ aſſumptus, præter cetera ſtupenda opera, magno zelo animarum æmulabatur ſalutem. Unde cum populum duræ cervicis cerneret, ut eos ſalubriter terreret, utque ſcirent quibus hoſtibus ſerviſſent, fecit apparere coram omnibus* (in prima eſt, *coram omni populo, in eccleſia congregato*) *giganteæ enormitatis dæmones, rurſumque abire,* (in prima, *qui ad nutum ejus iterum abierunt.*) *Item ſanctæ memoriæ Gorlini epiſcopi Tullenſis & confeſſoris, de quo in geſtis beati Manſueti dicitur, quod fuerit piis & ſanctiſſimis operibus approbatus. Civitate Arelatenſi, depoſitio beati Auguſtalis. Magdelbertæ virginis.* Alii legunt *Madelbertæ.* *Memorii.* *De Alpino.* *Innocentii & ſociorum.* *Anaſtaſii.* *Viventii.* *Stephani, cum elogio.* *Gorlini.* *Auguſtalis.* *Madelbertæ.*

MOLAN. De Clodoaldo, habet auctarium MUNERATI. *Item in Leodio, beatæ Madelbertæ virginis. Eodem die, B. Vincentii Remorum Archiepiſcopi.* Deſcripſit ex GREVEN. *Arelati, ſancti Auguſtalis epiſcopi. In civitate Tenremundæ, beati Hildelwardi epiſcopi & confeſſoris, qui ſub duce Magriptio, primò diverſis tormentorum cruciatibus affectus, ſed fidei conſtantia in adverſis velut in proſperis lætus, fidelem populum ad agnitionem veritatis admonuit, fidemque catholicam conſtantiſſime prædicavit. Tandem ipſe Magriptium, oppoſito veritatis ſpeculo, ita devicit, ut rejecto incredulitatis errore, Jeſum Chriſtum Dei filium aſſereret, & ſe ſuoſque velle baptizari acclamaret. Quo facto, vir Dei Diclivennæ oratorium conſtruxit, in quo poſt hujus labilis vitæ deceſſum, glorioſo fine quievit. Quo de loco viri Tenremundenſes veneranda ejus oſſa, omni virtute famata, cum ſummo exultationis jubilo, Tenremunde tranſtulerunt. Item eodem die apud Tenremundam, adventus corporis beatæ Chriſtianæ virginis. In Aquileia, natalis ſancti Anaſtaſii martyris. Hic fullo fuit, ſed fidei merito in martyrum numerum annumeratus eſt. In territorio Trecaſſino, beati Nemorii, archidiaconi glorioſi Lupi Præſulis, quem Attila Rex Hunnorum cum ſociis ſuis interfecit.* Editiones aliæ, de Clodoaldo & Hildewardo, ut ſupra. De Madelberta, additur: *Quæ poſt amitam Aldegundem, & ſororem Aldetrudem, Malbodienſe cœnobium tertia rexit.* Pro *Vincentii* rectè hîc legitur *Viventii.* De Anaſtaſio, Auguſtali, & Nemorio, ut ſupra. *Ipſo die, depoſitio ſancti Grati confeſſoris, Auguſtenſis epiſcopi, miræ ſanctitatis ac miraculorum viri. Die ſeptima, ſancti martyris Sozantis. Et præfeſtum nativitatis ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ. In portu Valencianas, tranſlatio ſancti Salvii martyris, ac Ancoliſmæ civitatis epiſcopi, & Superii diſcipuli ejus. Item eodem die apud Tenræmundam, adventus corporis beatæ Chriſtianæ virginis.* *Madelbertæ.* *Viventii.* *Auguſtalis.* *Hildewardi, cum elogio.* *Grati.* *Sozontis.* *Vig Nativ.* *Tranſlat. Salvii & Superii.* *Advent. Chriſtianæ.* *Anaſtaſii.* *Memorii.*

VI *Idus.*

VI *Idus.* *Die* 8.

NAtivitas beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ, perpetuæ Virginis. Apud Nicomediam, natalis ſancti Adriani martyris, cum aliis viginti tribus, qui omnes poſt multa ſupplicia martyrium crurifragio conſummaverunt, ſub Diocletiano Auguſto. Alexandriæ, ſanctorum Ammonis, Theophili, Neotherii, & aliorum viginti duorum. Item Antiochiæ, Timothei & Fauſti. *Nativit. B. M. V. Adriani & ſoc. 23. Ammonis & ſocior. Timothei & Fauſti.*

Ex *Praten. Herinien. Antverp-majore, Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Inter puros connumerantur Antverpien. Max-Lubec. & Belinus, qui facile excludi poterant ratione defectus, quo laborant: nam ubi codices antiquiores legunt: *Nativitas beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ, perpetuæ Virginis*; Antverp. & Belinus, omittunt *perpetuæ Virginis* & Max Lubec. habet *genitricis Virginis Mariæ*. Praten. & Munerat. ſcribunt, *& aliorum viginti duum*; Greven. ſecurè, *aliorum* XXII, nos cum reliquis *viginti duorum*. Antverp-major mendoſe ponit; *Item Antiochiæ, Timothei & Fauſtini*; in textu purius. Reliqui errores fere ſcriptorii ſunt, aut antiqui ſcribendi modi: *Nichomediam, Dioclitiani, Diocliciani, Amonis, Theophuli, Neotheri.* &c.

OBSERVATIO. Nativitas ſanctæ Mariæ matris Domini, vel, *Natale ſanctæ Dei genitricis Mariæ*, vel ut eſt in textu, vel aliis æquivalentibus terminis, à Martyrologis omnibus celebratur. De prima inſtitutionis hujus feſti origine, videndæ Baronii & Florentinii Notationes. Nec minus curioſa ſunt, quæ pag. 129 & 130 obſervat Fronto ad Kalendarium, in quo, uti & Allatiano, ac Gregorii Sacramentario, prædictæ B. M. V. Nativitati, Adriani memoria ſubjungitur, in Thomaſiano excluſa. Cur autem in vetuſtiſſimo Hieronymiano Epternacenſi ea Nativitas Deiparæ collocetur XVII Kalend. Septembris ſeu XVI Auguſti, conjecturis non aſſequor. Feſta plura ejuſdem beatiſſimæ Dei matris hodie inter Feſtivitates Apoſtolorum connectit Ado: Noſter ea phraſi uſus eſt, quam ex antiquiorum codicum noſtrorum lectione in textu præferendam cenſuimus. Wandelbertus reliquis Martyrologis accinit, hiſce verſiculis: *Nativit. B. M. V.*

Qua Deus humanam ſuſcepit Virgine formam,
Illuſtrat ſenas ortus de luce Maria.
Martyr & Adrianus Romam tum ſanguine comit.

At vero qui ultimo verſu cantatur *Adrianus*, is Romæ à Wandelberto videtur attribui, *Romam tum ſanguine comit*: Nicomediæ tamen paſſim Martyrologi ceteri conſtanter aſſerunt; & quidem hoc die plerique, quorum elenchum in Actis noſtris ad IV Martii inter Prætermiſſos invenies. Ex Hieronymianis pro alterutra parte decidi nihil poteſt, cum & IV Martii & VIII Septembris *paſſio* vel *natalis* diſerte ponatur. Eſt & in Beda, *natale ſancti Adriani martyris cum aliis* XXIII. Ceterum à Baronio arguitur Ado, quod hodie Adriani *paſſionem celebrari* affirmet, in quo quid tantum piaculi occurrat, non video. Porro quidquid ſit de vero martyrii die, qui nec ex Actis ipſis ſatis eruitur, certum eſt feſtivitatem *Adriani* hac die ſolennius recoli, ſive id primæ, ſive ſecundæ tranſlationis, ſive baſilicæ dedicationis, ſive alia demum cauſa invaluerit. Conſulat curioſus lector, de his paulo uberius diſputantes Baronium & Florentinium. Acta ejus pluries edita ſunt, ex quibus diffuſam narrationem compilavit Ado, ſtrictiorem ex hoc Notkerus, breviſſimam Noſter, ſed omni difficultate expeditam, adeoque veriſſimam; cum Acta ipſa variis circumſtantiis decompta, licet ſincera à Baronio, pathetica à Florentinio exiſtimentur, ab eruditis nonnullis revocentur in dubium, imo Tillemontius tomo 5 pag. 818 rotunde aſſerat, nec probari nec propugnari poſſe, (inſoutenables.) Vide ejus notas citato tomo à pag. 641. Nos de iis & loco & tempore judicium noſtrum proferemus. Hactenus conveniunt Hieronymiana, Beda, Wandelbertus, Rabanus, Romanum parvum, Ado, Notkerus & Uſuardus. *Natalia* huic etiam diei ab auctore Romani parvi adſtringitur: Ado nullum determinat; Noſter ad I Decembris diſtulit, opinor, quia Ado eo die ſepultam memorat. Qui in laterculo ſupra ſequuntur *Alexandrini martyres* ex Hieronymianis à Noſtro accepti videntur, ſelectis pro arbitrio tribus ex ſeptem, quos nominatim exprimeret. Antiocheni *Timotheus* & *Fauſtus* ex iiſdem fontibus procedunt, non eodem ubique ordine nec eodem modo vocati; de quibus omnibus vide Florentinium. Noſtra lectio & vere Uſuardina, & ex codicum conſenſu ſatis clara & probata eſt. *Adriani.* *Ammonis & ſociorũ.* *Timothei & Fauſti.*

AUCTARIA.

Corbiniani. ROSWEYD. Majuſculis & miniatis litteris ſic habet: *Nativitas ſanctæ Mariæ ſemper virginis.* Et in fine poſt textum adjicit: *Friſingiæ, Corbiniani epiſcopi & confeſſ.* Vide ejus vitam apud Surium.

PULSANEN. Satis purus eſſet, niſi careret ultima annuntiatione.

ANTVERP-MAX. LEYDEN. & LOVANIEN. Omittunt, *perpetuæ Virginis.* Deinde poſt *Diocletiano Auguſto*, inſerunt: *Decurrentibus autem aliquot annis, corpus beati Adriani Romæ tranſlatum eſt* VI *Idus Septembris, atque in templo honorabili exornatum.* *De Tranſlat. Adriani.*

ULTRAJECT. ALBERGEN. DANIC. Prioribus ſimiles, præterea tertio loco interjiciunt: *Romæ, natale ſancti Sergii Papæ. Hic invenit miræ magnitudinis portionem Dominicæ Crucis in ſacrario beati Petri, quæ ſingulis annis in baſilica ſancti Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, die Exaltationis ejus, ab omni populo oſculatur atque adoratur. Hic ſtatuit, ut tempore fractionis Dominici corporis, Agnus Dei à clero & populo decantetur.* Vide Auctaria die ſequenti. *De Sergio.*

CENTULEN. *Nativitas ſanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, quam Spiritus ſanctus cuſtodivit, & electam ſanctificavit, ut ex utero illius naſceretur homo Deus excelſus. Alexandriæ, ſanctorum Ammonis, Teophili, Neoterii & aliorum viginti duorum. Romæ, feſtivitas ſancti Adriani martyris, qui paſſus fuerat Nichomediæ cum aliis viginti tribus* IV *Nonis Martii. Eodem die Frigiſinge, ſancti Corbiniani epiſcopi & confeſſ.* *De Nativit. B. M. V.* *Corbiniani.*

BRUXELLEN. In prima purus, ſic pergit: *Romæ, tranſlatio ſancti Adriani martyris. Qui apud Nycomediam* IV *Nonas Martii cum aliis viginti tribus, poſt multa ſupplicia, ſub Dyocleſiano Auguſto cruricfragio martyrium conſummaverunt. Et poſt aliquot annos, corpus beati Adriani hac die Romæ tranſlatum eſt.* Reliqua ſatis pura ſunt. *Tranſlat. Adriani.*

HAGENOYEN. *Nativitas beatæ Mariæ Virginis, quæ inventa eſt per quemdam heremitam, qui audivit omni anno in iſta nocte, & non in aliis noctibus, cæleſtem & dulcem armoniam ab angelis: tandem quæſivit à Domino, quid hoc ſignificaret. Cui reſponſum eſt divinitus, quod beata Virgo Maria* [mater] *Domini noſtri Jeſu Chriſti nata eſſet de beata Anna, matre ſua in terris, & propter hoc gauderet totus chorus angelorum & Sanctorum in cælis. Cui præceptum eſt cælitus, ut Romam pergeret & Papæ illud indicaret, ut Eccleſia militans in terra, gauderet illo die cum Eccleſia triumphante in cælis. Et ſic factum eſt. Eodem die, tranſlatio ſancti Adriani martyris, quando corpus ejus Romæ tranſlatum eſt. Qui paſſus erat ſub Dyocleciano & [in] Nycomedia cum aliis triginta tribus. Romæ, natale beati Sergii Papæ* &c. ut ULTRAJECT. &c. ſupra. In reliquis ſatis purus eſt. *De Inſtitut. Nativitatis.* *Tranſlat. Adriani.* *Sergii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Nativitas beatæ Mariæ Virginis. Adriani martyris cum viginti tribus martyribus.* Notatur autem in margine: *Hujus martyris caput eſt in eccleſia ſancti Martini, cum capite ſancti Eſiſii martyris, ſatis ſolemniter locatum.* *De Adriani capite.*

In VATICAN. ſub nota num. 5949. Deeſt, *Ammonis & ſociorum: Timothei & Fauſti.*

REMENS. SS. Timothei & Apollinaris. *Remis, natale ſancti Viventii epiſcopi & confeſſoris.* De eo inter Auctaria die præcedenti abunde actum eſt. *Viventii.*

EDITIO LUBECO-COL. *Nativitas beatiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ, quæ gaudium apportavit univerſo mundo. Ideo ſumma exultatione gaudeat terra noſtra, Virginis illuſtrata natali.* De Sergio habet, ut ſupra, diſtinctius exprimens, *Agnus Dei ter à clero & populo decantandum.* Sequitur: *In civitate Friſinga, natale ſancti Corbiniani epiſcopi & confeſſoris.* In Alexandrinis & Antiochenis, ſatis pura eſt. In fine: *Apud Nicomediam, tranſlatio ſancti Adriani martyris de Conſtantinopoli ad urbem Romam. Et licet dies paſſionis ejus celebretur* IV *Nonas Marcii, hæc tamen dies in Eccleſia celebrior habetur, quando corpus ipſius Romæ eſt tranſlatum atque in templo honorabiliter exornatum.* *De Nativit.* *Tranſlat. Adriani.*

GREVEN. *Corbiniani epiſcopi Friſingenſis. Ipſo die, ſancti Clodulphi epiſcopi Methenſis, & Dodæ matris ejus.* Vide VIII Junii. *Corbiniani.* *Clodulfi.* *& Dodæ.*

MOLAN. Poſt *Diocletiano Auguſto*, aliis litteris textui immiſcet: *Confractis itaque cruribus ac pedibus inciſis, inſuper & beato Adriano inciſa manu, orantes & gratias agentes Deo, ſpiritum emiſerunt. Corpora eorum juſſit tyrannus incendi, ſed ſubito factæ ſunt coruſcationes & tonitrua ac pluvia & extinctus eſt ignis. Tunc Chriſtiani rapientes martyrum reliquias, aſcenſis navibus, fugerunt Bizantium & reverenti honore ſepelierunt. Non longo poſt tempore beati Adriani corpus eſt Romam tranſlatum.* Hæc ex Adone decerpta ſunt. In fine ſubjicit: *In ſuburbanis Maguntiacenſis eccleſiæ, ſancti Disboti confeſſoris.* Lege potius *Diſibodi. Et Friſingæ, depoſitio ſancti Corbiniani epiſcopi, cujus vita virtutibus inclyta in Baioaria claruit.* Poſterioribus editionibus ſolum habet: *Friſingæ, depoſitio ſancti Corbiniani epiſcopi, cujus vita virtutibus* &c. ut in prima. *De Adriano.* *Diſibodi.* *Corbiniani.*

V *Idus.* *Die* 9.

Dorothei & Gorgon. APud Nicomediam, paſſio beatorum martyrum Dorothei & Gorgonii, qui præſente Diocletiano, cum perſecutionem, quam Chriſtianis inferebat, deteſtarentur, juſſi ſunt primo ſuſpendi & flagris toto corpore laniari: exin viſceribus pelle nudatis, aceto & ſale perfundi, ſicque in craticula aſſari, atque ad ultimum laqueo necari. Interjecto autem tempore beatus Gorgonius Romam tranſlatus eſt poſituſque via Latina. In Sabinis miliario ab urbe tricesimo, ſanctorum Jacincti, Alexandri, & Tiburtii. In territorio Taruanenſi,

Hyacinthi & ſocior. Audomari.

ruanenſi, ſancti Autmari epiſcopi & confeſſoris. In Scotia, Quc- *Querani.*
rani abbatis.

Sic habent *Praten. Herinien. Antverp-major, Roſweyd. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultrajectin. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. Poſt *laniari*, lego *exin*, cum præcipuis codicibus, quidquid Munerat. Greven. & Molan. habeant *exinde*, male Belin. *et*, qui & pro *nudatis*, mendoſe ſcribit, *nudati*. Non ſemel ſuperius recurrit nomen *Hyacinthi*, quod ex pluribus efformavimus *Hiacinti*, ut modo habet Praten. Hîc ſcribimus *Jacincti* cum Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Greven. & Molan. In Munerato eſt *Jacinti*, in Belin. *Jacinthi*: ultimorum ſex codicum nævos non obſervo. Molan. pro *Alexandri*, in prima editione poſuit *Alexandriæ*, unde, ni fallor, factum eſt, ut Uſuardo id tribuat Florentinius. Scribo *Taruanenſi* cum Herinien. Greven. & Molan. Variant alii, nam in Praten. legitur *Taruennenſi*, in Antverp-maj. *Taruenenſi*, in Roſweyd. *Taruernenſi*, in Munerat. *Ternanuenſi*, in Belini prima editione *Daruanenſi*, in altera *Teruanenſi*, in Ultrajectino peſſime *Tornacenſi*. Puto adhærendum Pratenſi, ſed aliorum numerum prætuli. Sic fere omnes legunt *Audomari*, ſed nos ex Praten. Herinien. & Greven. reliquimus *Autmari*, quo modo etiam videtur voluiſſe ſcribere Munerat. In Belini ſecunda editione & in Molan. omittitur titulus *ſancti*. De *Scotia* alibi ſæpius. Herinien. poſuit *Queranni*, Roſweyd. *Cherani*, melius cum ceteris in textu.

OBSERVATIO. Inter innumeros Nicomedienſes martyres, non poſtremas tenent ſævientis Diocletiani cubicularii *Dorotheus* & *Gorgonius*, ut apud Euſebium, Rufinum, Lactantium & alios celebratiſſimi, ita à Romano parvo, Adone, Uſuardo & Notkero, non ſatis opportune, ut merito pluribus videtur, hoc die collocati, cum manifeſte appareat, eos ipſos eſſe, qui ab Hieronymianis cum *Migdonio*, *Petro* aliiſque pluribus referuntur XII Martii, quo in Actis, de ipſis agitur. Legendus omnino de Nicomedienſi carnificina Euſebius lib. 8, vel ſaltem extractum ex eo, propoſitum & notis illuſtratum inter Acta martyrum ſelecta per Theodoricum Ruinartium à pag. 317. Videſis etiam Tillemontium tomo 5 à pag. 180, ubi *Dorothei*, *Petri* & *Gorgonii* geſta enucleate & erudite proſequitur. Quid de iis Sanctis ſingulare, præter tranſlationes, profecerant varia, quæ apud nos exſtant, monumenta, alibi explicabitur. Beda noſter, tactâ palæſtrâ, legit hoc die: *Natale ſancti Gregorii*, vitio, opinor, amanuenſis, nam *Gorgonii* ſcribendum dubitari vix poteſt, quemadmodum habet Rabanus, ingentem ei ſociorum turmam adjiciens, non Nicomedienſium, ſed Romanorum martyrum ſub Licinio, diſtinctis & locis & temporibus. Eſt & in Hieronymianis hodie ſolus Gorgonius, eſt item in Wandelberto: *Dorotheï & Gorgonii.*

Gorgonius quinas fama meritiſque retentat
*Romæ: quem paſſum * nunc Gallia poſcit adorans.*

* *al.* venerans nunc Gallia poſcit

An is Nicomedienſis? Videtur aſſerere Baronius, dubitant Florentinius & Caſtellanus, negant alii: tu citatos auctores conſule, uſque dum eorum opiniones accuratius ſuo loco à nobis expendantur. Ad præfixum laterculum noſtrum quod attinet, Adonem ſolens ſecutus eſt Uſuardus, & ſenſum & verba ſimpliciter ex eo deſcribens, ſolis iis prætermiſſis, quæ brevitatem ejus excedebant. Annuntiatio proxima *martyrum Sabinienſium* tota verbatim ex præfato Adone accepta eſt, paulo brevius à Romano parvo expreſſa. Plura de *Hyacintho* memorat Rabanus, at ſocios nec nomine appellat. In Hieronymianis pleriſque terni ſunt, eodemque modo referuntur, quo hîc à nobis configurati. Porro unde Hyacinthum *diaconum* faciat Rabanus, Petrus de Natalibus *epiſcopum*, divinare omnino nequeo. De *Autmaro* ſive *Audomaro*, nihil antiquiores memorant præter Florum, à quo exornatur hoc elogio: *Qui mundo mortuus, Deo vivens, plurimarumque virtutum ſignis pollens, Taruennis urbis populum ad cultum convertit divinum.* At hæc Uſuardo viſa non eſſe, ex textu noſtro ſatis patet: atque hinc facile colligas & *Audomarum* & *Queranum* ſingulari Uſuardi diligentia in ſacris Tabulis locum obtinuiſſe, cujus lectionem ſimplicem & genuinam eſſe ne dubites: ſane de *Sergio Papa*, an Uſuardinus ſit, quæri non poteſt, an Adonianus, diſcrepant Moſander & Roſweydus, ille adſcribit, hic rejicit; uter melius, incertum eſt. Notkerus eadem omnia habet, quæ à Moſandro Adoni tribuuntur, Uſuardus non item, uterque tamen Adonis aut deſcriptor aut abbreviator eſt. Statuat lector quod placuerit. Audomari vitam, quam Surius contractam & interpolatam dederat, integritati reſtituit & notis illuſtravit Mabilio ſec. 2 Benedict. à pag. 559: an cum noſtris Mss. plane conveniat, ſuo loco videbitur. *Querani*, *Kirani*, vel *Kiriani* vitam Ms. habemus, variaque ad eam annotata, quæ ſuo tempore digerentur. *Hyacinthi & ſociorum.* *Audomari.* *Querani.*

AUCTARIA.

Memorii. HERINIEN. In margine, alia, sed tamen antiqua manu adjecta, habet : *In territorio Trecassino, sancti Memorii martyris, cum socius suis.* Recurrit etiam diebus proxime præcedentibus, nunc sub *Nemorii*, nunc sub *Memorii* nomine, sed quidquid varient codices, in Romano ponitur VII Sept.

PULSANEN. Spatium magnum vacuum relinquit : agit deinde de Nicomediensibus, quorum elogium plane resecat & reliqua omnia, excepta ultima annuntiatione.

ANTVERP. MAX. LUBEC. & UGHELLIAN. In textu satis puri, carent ultima annuntiatione.

Textus mutatus. CENTULEN. *Apud Nichomediam, sanctorum Dorothei & Gorgonii martyrum, sub Dyocletiano. Eodem die, sancti Audomari Bolonienſium ac Morinorum episcopi, cujus gloriosa conversatio miraculorum præconio collaudatur. Ipso die, sanctorum Jacincti, Alexandri & Tiburtii. In Scotia, sancti Querani abbatis.* Hujus sancti nomen supra varie expressimus ; à Castell. vocatur *Kiaranus.*

De Gorgonio BRUXELLEN. In fine primæ annuntiationis, post *Romam*, addit : *Et postea Gorriam* [Gorziam] *septimo miliario ab urbe Methensi transla-*

De Sergio. *tum est. Romæ, sancti Sergii Papæ. Qui, ut in Officio Missæ inter communicandum, Agnus Dei ter canetur, instituit. In territorio Teruanensi seu*

De Audom. *Morinensi, depositio sancti Audomari episcopi & confessoris. Qui cæcus existens & in elevatione corporis beati Vedasti illuminatus, ut rediret cæcitas petiit & impetravit.*

De Gorg. &c HAGENOYEN. *Apud Nicomediam, passio sanctorum martyrum Gorgonii & Dorothei. Horum Dorotheus magister in officiis, quæ intra palatium exhibebantur : alter erat cubiculi regii præpositus. Quorum institutionibus optimis omnes pene cubiculi ministri in fide Dei vigilanter & libere persistebant. Hi duo audaciter arguunt Diocletianum de morte Christianorum, & se libere Christianos fatebantur. Tunc jussit eos apprehendi, & flagris toto corpore laniari, & visceribus jam pene nudatis, jubentur sale & aceto perfundi. Cumque alacriter hæc tormenta tolerassent, craticula prunis subtracta* (an non *substrata ?*) *poni jubetur in medio, ibique quod reliquum fuerat corporis à verberibus, supponi, & non ad subitum, sed sensim succendi. Ad ultimum laqueo appensos jussit necari. Interjecto autem tempore, beatus Gorgonius Romam transfertur & ibi sepelitur via Latina* (alii, *via Labicana*) *inter duos lauros. In*

Osmannæ. *Hybernia, sanctæ Osmannæ reginæ Christianissimæ.* Sequens annuntiatio ita interpungitur : *In Sabinis miliario ab urbe Romæ, triginta sanctorum martyrum, Jacincti, Allexandri & Tiburcii. In territorio Tarnanensi, sancti Audomari episcopi & confessoris depositio. In Scotia, natale sancti Querani abbatis & confessoris.*

De Sergio. VICTORIN. Penultimo loco : *Romæ, sancti Sergii Papæ. Hic statuit in tempore fractionis Dominici corporis, Agnus Dei à clero & populo decantari, & constituit ut diebus Annuntiationis & Nativitatis sanctæ Dei genitricis Mariæ ac sancti Symeonis, quod Græce Hypopanti dicitur, exeant à sancto Adriano, & ad sanctam Mariam occurrant.* Vide infra auctarium MOLANI, qui ex Notkero clarius scribit ; *& ad sanctam Mariam populus occurrat* ; ubi & priora paulo melius explicantur.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Gorgonii martyris. Audomari episcopi & confessoris. Sergii Papæ & confessoris.* *Sergii.*

REG. SUEC. sub num. 428. *Ipso die, beatissimæ Osmannæ virginis.* *Osmannæ.* Notat Castellanus hanc Sanctam peculiari cultu honorari in municipio sui nominis, provinciæ Cenomanensis, & ad S. Dionysii Franciæ, ubi reliquiæ asservantur.

REG. SUEC. fig. 130. *In territorio Tergaunensi, sancti Autmari episcopi & confessoris.*

In VATICAN. num. 5949. Deest *Audomari* & *Querani.* Adjicitur : *Romæ, natale sancti Sergii Papæ, qui præfuit ecclesiæ annis tredecim.* *Sergii.*

ALTEMPS. *Ipso die, sanctæ Modwidæ virginis.* *Modwidæ.* An forte *Modovenæ*, quæ à Castell. ponitur v Jul.? *Wilfidæ.* *Monasterio Berkingensi, sanctæ Wilfidæ abbatissæ.*

DIVIONEN *Revelatio beati Medardi episcopi, quem D. Jacobus Cardinalis revelavit apud nos.* *De Medard.*

REMENS. SS Timothei & Apollin. *Translatio sanctorum martyrum Timothei & Apollinaris, sanctorumque Jovinciani & Tonanti.* *Translat. Timot. &c.*

EDITIO LUBECO-COL. Post *via Latina*, interjicitur ; *inter duas lauros, Dorotheo in Græcia patrono remanente.* Post *Tiburcii*, additur : *martyrum, è quibus beatus Jacinctus tortori suo prædixit, hodie coluber te comedet, ignis vero & aqua, quibus me puniri fecisti, nihil mihi nocebunt : tandem decollatur.* *De Hyacint.* In duabus postremis, pura est. Tum : *In Babenberga civitate, translatio beatæ Cunegundis virginis.* *Translat. Cunegundis.*

GREVEN. *Beatus Audomarus (alias Autmarus) ut refert Vincentius ex gestis ejus, juxta Constantiam nobilibus ortus parentibus, cum patre suo in Luxoviensi cœnobio, sub sancto Eustasio abbate factus est monachus, ac non multo post Taruanensis episcopus. Et cum verbo pariter & exemplo XXX annis gloriose præfuisset, spiritum creatori reddidit, ineffabili odoris fragrantia remanente.* *De Audomaro.*

Apud Cæsaream Cappadociæ, natalis sanctorum Donati, Fortunati, Ammonii. Romæ, depositio beati Sergii Papæ & confessoris. Qui Syrus natione annis XIII Ecclesiam Dei laudabiliter rexit. In Missa post fractionem Dominici corporis, Agnus Dei ter dici a clero & populo instituit, plenusque operibus bonis quievit. Berlendis virginis & sociarum ejus [translatio.] *Civitate Babenberga, translatio beatæ Cunegundis virginis, imperatricis.* *Donati & sociorum. Sergii. Berlendis & sociar. Translat. Cunegundis.*

MOLAN. De Audomaro, inserit : *Qui obiit anno Verbi incarnati* DCXCI : aliæ editiones DCXCV. In fine ex Notkero : *Sergii Papæ, qui sedit Romæ annos* XIII. *Hic invenit miræ magnitudinis portionem ligni salutaris Dominicæ Crucis in sacrario beati Petri. Hic statuit in tempore Dominici corporis confractionis, Agnus Dei à clero & à populo decantari : & constituit, ut diebus Annunciationis Domini, Dormitionis & Nativitatis sanctæ Dei genitricis Mariæ & sancti Simeonis, quod hypanti Græce dicitur, letaniæ exeant à sancto Adriano, & ad sanctam Mariam populus occurrat.* Posteriores editiones : *Die nona, sancti martyris Severiani. In Bethnei, quam villam recentiores Stadfort nominant, sancti Bertellini eremitæ & confessoris. Alto monte, inventio sancti Marcelli Papæ & martyris. Merbeccæ, translatio Berlendis, Celsæ atque Nonæ virginum.* De Sergio Papa, fere eadem repetunt, quæ ex priori edition. retulimus. *De Sergio.* *Severiani. Bertellini. Invent. Marcelli. Translat. Berlend &c*

IV *Idus.* *Die* 10

ROmæ, beati Hilarii Papæ. Apud Africam, natalis ſanctorum epiſcoporum Nemeſiani, Felicis, Lucii: item Felicis, Littei, Poliani, Victoris, Iaderis, & Dativi, qui ſub Decio & Valeriano, exurgente perſecutionis rabie, ad primam confeſſionis Chriſti conſtantiam, graviter fuſtibus cæſi, deinde compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, glorioſæ confeſſionis agonem conſummaverunt. Extat epiſtola beati Cypriani ad ipſos & de ipſis ſcripta. Eodem die in Calcedonia, ſanctorum Soſtenis & Victoris, qui ob fidei confeſſionem, ſub Priſco Conſule, carcerem, vincula & beſtias ſuperantes, tandem in oratione vocati de cælo, ſpiritum emiſerunt. *Hilarii.* *Nemeſiani & ſocior.* *Soſthenis & Victoris.*

Ita *Praten. Antverp-major*, *Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Hylarii* adhuc alibi dictum eſt. In efformandis Africanorum præſulum nominibus, non una omnium eſt ratio. Pro *Nemeſiani*, male poſuit Antverp-major *Meneſiani*. Pro *Lucii*, eſt qui legat *Lacii*. In *Littei*, quod nos præferimus, maxima eſt variatio. Molan. cum Adone habet *Litei*; Greven. *Licei*; Munerat. *Lictei*; Antverp-maj. *Lutei*. Hic item *Iaredis*, nec melius Greven. *Vaderis*. Greven. & Molan. legunt, *compedibus vincti ad fodienda* &c. omiſſa conjunctione *et*. In Munerato mendoſe ſcribitur: *Extat epiſtola beati Cypriani ad ipſos & ipſis* &c. Quod autem mirum eſt, Molanus, qui diphthongis utitur, ante *confeſſionis*, poſuit *glorioſe* adverbialiter, ſed melius Praten., Herinien. & Roſweyd. cum Adone, *glorioſæ confeſſionis*. De reliquis udicium fieri non poteſt. Greven. & Molan. pro *beati* Cypriani, habent *ſancti*. Antverp. & Max-Lubec. ſcribunt *Calcidonia*, Munerat. *Calcidona*, omiſſa præpoſitione *in*. Solus Molan. recte ſcripſit *Soſthenis*, nos reliquos omnes ſequi in textu debuimus. Max-Lubec. expunxit verba ultima, *ſpiritum emiſerunt*.

OBSERVATIO. Quod die præcedenti circa beati *Sergii Papæ* annuntiationem obſervavimus, hoc idem rurſus dubium recurrit, utrum nempe de *Hilaro* ſeu *Hilario Papa* egerit Martyrologus Viennenſis, diſcrepantibus, ut ibi, editoribus Moſandro & Roſweydo. Et ille quidem ſecundo loco poſuit: *Romæ, depoſitio beati Hilarii Papæ*, quo ferme modo hîc Noſter loquitur, Notkero contra de *Hilario* plane tacente. Roſweydus autem citata Moſandrianæ editionis verba, in appendicem rejicienda cenſuit. Interim in Hieronymianis pleriſque ſignari certum eſt, ex quibus in Rabanum tranſiiſſe putamus; cujus hæc eſt annuntiatio: *Romæ, depoſitio Hilari Papæ, per quem Victorius ordinem Paſchalem conſcripſit*. Caſtellanus ex Papeprochii ſupputatione *Hilarum* retrahit ad XXI Februarii, quo die in primo ſuo Bimeſtri nonnulla obſervat, quæ legi merentur, non minus quam Baronii & Florentinii notationes. De cetero undecumque *Hilarium*, ut nos ſcribimus, Uſuardus acceperit, ex codicibus noſtris evidens exiſtimamus, eum eſſe Uſuardinum. Multa ab eo præclare geſta & ſcripta colliguntur in Conciliis Labbei tomo 4 à col. 1029. Vide etiam Tillemontium tomo 15 variis locis. *Hilarii.*

De novem celeberrimis præſulibus Africanis ita habet Romanum parvum: *In Africa, epiſcoporum, Nemeſiani, Felicis & aliorum ſeptem.* Singulos nominatim exprimit Ado, eorum elogium potiſſimum deſumens, ex epiſtola ſancti Cypriani ibidem citata, inter editas 77. Quæ vero Noſter in laterculo compendioſius recitat, ex præfato Adone eleganter contracta ſunt. Diverſis & diebus & locis Athletas illos confeſſionis curſum conſummaſſe notiſſimum eſt, ſed hîc in unam turmam collectos crediderim, quod à Cypriano ſimul connumerentur. Reſponſa eorum exſtant epp. 77, 79, 80, de quibus vide differentem Tillemontium tomo 4 à pag. 171 & in nota pag. 640. Sedes epiſcopales ſingulorum proprias annotat Caſtellanus in Martyrologio univerſali hoc die: reliqua nos fuſius ſuo loco. *Soſthenes* & *Victor*, Hieronymianis, Bedæ, Floro & Rabano, æque ac ſuperiores ignoti ſunt. Romanum parvum ſic de iis breviter: *Apud Chalcedoniam, Soſthenis & Victoris*. Ado ex qualibuſcumque inclytæ virginis & martyris Euphemiæ Actis elogium concinnavit, quod fere integrum reddidit Notkerus, ſed ſtrictius rem complexus eſt Noſter, ut in laterculo exhibuimus. Eoſdem ita memorat Wandelbertus: *Nemeſiani & ſoc. epp.* *Soſthenis & Victoris.*

Soſthenes & Victor quartis memorantur, eamdem
Chriſti pro regno ſortiti & laude coronam.

AUCTARIA.

HERINIEN. Raro exemplo defectuosus est, purus usque ad *consummaverunt*, omittens constructionem ultimam & omnia, quæ de Sosthene & Victore ab Usuardo dicuntur.

Odgeri. ROSWEYD. Textui subdit: *Item sancti Odgeri diaconi & confessoris.* Alii scribunt *Othgeri.*

PULSANEN. In prima & ultima satis purus, Africanos omnino reticet.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN & LEYDEN. In textu satis puri, adjiciunt: *Eodem die, passio sancti Theodardi episcopi Trajectensis. Hic beati Remacli successor, sanctique Lamberti extitit eruditor.* Vide notulam Castellani. *Theodardi.*

LOVANIEN. Idem habet auctarium, sed deficit in elogio martyrum Chalcedonensium.

ALBERGEN. & DANIC. De Hilario adjiciunt: *Hic constituit, ut nullus clericus à laico investituras recipiat.* Cetera ANTVERP-MAX. &c. similes sunt.

CENTULEN. *Romæ, depositio Hylarii Papæ, per quem Victorinus ordinem Paschalem conscripsit. Apud Africam, sanctorum episcoporum Nemesiani, Felicis, Poliani, Victoris, Faderis & Dativi* [desunt duo ad marginem adjecti] *qui sub Decio & Valeriano passi sunt. In Calcedonia, sanctorum Sostenis & Victoris, qui per beatam Eufemiam conversi sunt.* *DeHilario.*

BRUXELLEN. Incipit: *Passio sancti Theodardi, Trajectensis supra Mosam episcopi & martyris. Qui beati Remacli successor, & sancti Lamberti extitit eruditor.* Sequitur Hilarii, pure. Tum: *Romæ, via Lavicana, inter duas lauros, natale sanctorum martyrum Jacincti, Alexandri & Tiburcii.* Vide die præcedenti. In Africanis deest ultima periodus de epist. Cypriani. In Chalcedonen., purus est. *Theodardi.* *Hyacinthi & sociorum.*

HAGENOYEN. In Hilario convenit cum ALBERG. In Africanis & Chalcedonensibus satis purus est. Sequitur: *Item Salvii episcopi & martyris.* In Romano vocatur *confessor*, sed Salvii diversi sunt. *Eodem die, passio sancti Theodardi episcopi Trajectensis.* [Hic fuit sancti Remacli] *successor & sancti Lamberti post eum episcopi, secundum suum vaticinium, eruditor.* *Salvii.* *Theodardi.*

AQUICINCT. In fine, subdit: *Item sanctorum Nemesii & Ammonii.* In Hieronymianis plures habent socios; Vide ibi Florentinium. *Nemesii &c.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Theodardi episcopi & martyris. Hilarii Papæ & confessoris. Otgeri confessoris.* *Theodardi.* *Otgeri.*

REG-SUEC. num. 428. *Leodii, sancti Teodardi martyris, episcopi Tongrensis.* Vide supra. *Theodardi.*

CODEX D. DU CHEVAL. sign. C. *Item Demesii* [alii *Demetrii*] *& Ammonii.* Vide AQUICINCT. *Nemesii &c.*

In VATICAN. num 5949. Deest *Hilarii Papæ.*

ALTEMPS. *Eodem die apud Evesham, translatio sancti Egwini episcopi & confessoris. In territorio Bizontino, monasterio Bellæ-vallis, S. Petri episcopi & confessoris.* Vide Auctaria VIII Maii. *Translat. Egwini.* *Petri.*

STROZZIAN. *In Carontasiensi urbe, sancti Petri archiepiscopi & confessoris, qui multis virtutibus & miraculis claruit.* Forte idem, de quo proxime; & sic legendum esset *Tarentasiensi. Item, sancti Nicolai de Tolentino confessoris, Ordinis Fratrum Eremitarum.* *Petri.* *Nicolai.*

EDITIO LUBECO-COL. In Hilario, habet ut ALBERGEN. &c. supra. In Africanis & Chalcedonensibus satis pura est. De Theodardo, ut ANTVERP-MAX. &c. Sequitur: *Civitate Tollentinensi, depositio sancti Nicolai presbyteri & confessoris. Qui mirâ abstinentiâ, heremiticæ vitæ sectator, sub regulari disciplina beati Augustini degens, ultra communem vitam regulæ, artiorem conversationem inter fratres magnifice duxit. Nam quanti meriti fuerit ostensum est, cum per sex menses continuos ante obitum suum, meruit ministerio angelorum, cælestibus melodiis honorari. Postea sancto fine quievit, cujus sepulcrum usque in præsens, crebris signis & miraculis illustratur. Ipso die, sanctorum Demetrii & Ammonii martyrum. Item beati Otgeri diaconi & confessoris.* *Theodardi.* *De Nicolao Tolentino.* *Demetr. &c.* *Otgeri.*

BELIN. Incipit: *Tollentini, depositio sancti Nicolai confessoris, Ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini.* Sequitur de Hilario & Africanis, satis pure. Tum: *Eodem die, sancti Petri archiepiscopi, qui multis virtutibus & miraculis claruit. Eodem die in Calcedonia, sanctorum Sostenis & Victoris, qui post multa supplicia in oratione spiritum emiserunt.* *Nicolai.* *Petri.*

GREVEN. *Eodem die, passio sancti Theodardi episcopi Trajecti superioris & martyris. Hic sancto Remaclo eremum adeunti digne successit; sancti Lamberti educator. Demetrii & Ammonii martyrum. In Alexandria sanctorum Ammonis, Orionis, Orosii & aliorum* DCCCVI. *Item, depositio beati Silvii episcopi Albigensis & confessoris, qui contempto seculo, monasterium ingressus, oblitus quæ retro sunt, in anteriora semet ipsum indesinenter extendens, in abbatem electus est. Sed ipse utilius reputans inter monachos latere, quam abbatis habere nomen in populo, recluforium subiit; unde postmodum extractus, præfatæ ecclesiæ præesse cogitur, tandemque laboris sui mercedem à Domino vocatus cum aliis multis accepit. Othgeri diaconi & confessoris. In Anglia, translatio sancti Adelwoldi episcopi Wintoniensis & confessoris. Civitate Novaria, sancti Gabii episcopi & confessoris. Item, depositio sancti Nicolai de Tollentino, Ordinis Eremitarum beati Augustini, qui virtute continuæ orationis & mirâ abstinentiâ valde emicuit. Ad judicium denique eximiæ sanctitatis ejus, per sex menses ante obitum suum, audire meruit angelicos concentus quibus delectatus desideravit & obtinuit dissolvi & esse cum Christo. Felicitatis viduæ & filiarum ejus.* *Theodardi.* *Demetr. &c.* *Ammon. &c.* *Silvii pro Salvii.* *Othgeri.* *Translat.* *Adelwoldi.* *Gabii.* *De Nicolao.* *Felicitatis & filiarum.*

MOLAN. *Tolentini, depositio sanctissimi Nicolai* &c. ut BELIN. De Petro item, ut ibi. *Item Leodiensi civitate, natalis sancti Theodardi episcopi & martyris. Hic beati Remacli successor, sanctique Lamberti eruditor, requiescit in Legia, in basilica sancti Lantberti. Item, sancti Otgeri confessoris. Et depositio Salvii episcopi, de cujus sanctitate Gregorius Turonis episcopus scripsit, narrans quod per revelationem vidisset, divinæ vocis evaginatum gladium imminere super tegulum, quod Chilpericus rex præcepit construi. Cui visioni veritas statim subsecuta est, nam post dies viginti, duo filii regis mortui sunt.* Vide Rabanum. Sequitur, typis minoribus: *Eodem die, sancti Eunucii episcopi Noviomensis & confessoris.* Editiones aliæ, de aliis, ut supra. Sequitur: *Civitate Albiensi, depositio sancti Salvii* &c. ut supra. *Item, sancti Otgeri confessoris, qui ex Brytannia comes peregrinationis fuit sanctis episcopis, Vuironi & Plechelmo, atque post multa pietatis exercitia, sepulturam accepit in ecclesia Montis Petri, juxta Ruræmondam. Eodem die, sancti Eunucii episcopi Noviomensis & confessoris. Die decima, sanctarum martyrum Menodoræ, Metrodoræ, & Nymphodoræ.* *Nicolai.* *Eunucii.* *De Otgeri.* *Menodoræ & sociar.*

III *Idus.*

III *Idus.* *Die* 11.

ROmæ via Salaria veteri, natalis ſanctorum martyrum Proti & Jacincti eunuchorum, qui ſub Galieno imperatore, quod eſſent Chriſtiani deprehenſi, coguntur ſacrificare, ſed non conſentientes, primo diriſſime verberantur, tuncque pariter decollantur. *Proti & Hyacinthi.*

Sumitur Textus ex *Praten. Herinien Antverp-majore, Pulſanen. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Prothi* ſcribunt Antverp-maj. Greven. & Molan. nos cum aliis ſimplicius, ut eſt in textu. De *Hyacintho* dictum eſt IX hujus. Hic denuo plerique, ut Herinien. Antverp maj. Roſweyd. & Greven. cogunt ponere *Jacincti* Pulſanen. habet *Jacinthi*, Munerat. *Jacinti*, Molan. *Hyacinthi*, Praten. *Hiacincti*, niſi forte librario potius quam manuſcripto tribuendum ſit. Communis codicum lectio eſt, *tuncque pariter decollantur.* Variat Antverp-maj. *atque pariter decollati ſunt.* Greven. & Molan. *Tunc pariter decollati ſunt.*

OBSERVATIO. Pro antiquiſſimo & perpetuo duorum fratrum, vulgo geminorum, cultu, ſtant vetuſtiſſima Eccleſiaſtica monumenta, nimirum Kalendaria à Bucherio & Frontone edita (Allatianum hoc die corruptum eſt) ac Gregorii Sacramentarium, eſtque communis opinio, officium de iis ſolennius peragi conſueviſſe aduſque ſec. XIII quo primum inſtituta creditur octava Nativitatis B. M. V. His accedunt priſci Martyrologi omnes, nullo excepto, inter quos ea ſola diverſitas, quod in Florentinii codicibus adjungantur *Eugenia* & *Baſilla*, quarum poſtremam cum Romano parvo, Adone & Uſuardo dedimus XX Maii, alteram cum iiſdem daturi XXV Decembris. Hæc ſunt Lucenſis codicis verba: *Romæ, via Salaria vetere, in cimiterio Baſillæ, natalis ſanctorum Proti & Jacincti, Eugeniæ & Baſillæ.* Abſunt hæ ab Epternacenſi & Corbeienſi, atque in hoc veroſimilius fratres vocantur *Didimi* (*Dydimi*) ſeu gemelli. Beda ſcribit: *Romæ, ſanctorum Prothi & Hyacinthi: qui erant eunuchi ſancta Eugeniæ.* Addit Florus: *Sed fervore fidei facti ſunt doctores Chriſtianæ legis, unde & capitalem ſuſceperunt ſententiam.* Rabani elogium ex eodem fonte manat, ex quo ſuum deduxit Ado, nempe ex Actis ſanctæ Eugeniæ, ſed ab Adoniano plane diverſum eſt. Romanum parvum, ſic paucis legit: *Romæ, Hyacinthi & Prothi eunuchorum.* Hiſce Ado longiorem ſuam hiſtoriam, ex prædictis Actis ſubtexuit, quæ apud Notkerum tota ferme exſtat, à Noſtro brevioribus terminis conſtricta, ſic ut nihil magnopere contineat, quod non hiſtoricæ veritati ſatis conforme videatur, licet Acta ipſa, ex quibus ſua dicerpſit Ado, nonnulla cenſura indigeant, ut fatetur Baronius; ab aliis, ut plane fabuloſa rejiciantur. Qua de re alibi ex profeſſo agetur, ſi non ſufficiant, quæ à Papebrochio delibata ſunt, in Reſponſionibus ad P. Sebaſtianum art. 16 à num. 91. En modo Wandelberti metra: *Proti & Hyacinthi.*

Prothus hinc ternas, fraterque Hyacinthus honorant;
Qui Eugeniam pariter legem docuere ſacratam.
Has ſimul & Felix felici morte dicavit, *
Martyrio Regulæ ſancto pariterque beatæ.

*Tiguri

De poſtremis illis nihil apud Martyrologos antiquiores invenio: ſolus Notkerus populares Sanctos, nempe Tiguritanos, magno encomio exornavit, ad quem lectorem remitto, cum hæc ad Uſuardum noſtrum nihil attineant. Quæ nonnullis codicibus Uſuardinis ſubinde acceſſerunt, inter Auctaria ſubjiciam, ubi codices aliqui de his duobus Sanctis, tamquam Thebæorum comitibus, plura commemorant.

AUCTARIA.

Eugeniæ. Felicis & Regulæ. ROSWEYD. Toto textu purus, hæc in fine ſubdit: *Sanctæ Eugeniæ virginis. Felicis martyris & ſororis ejus Regulæ, virginis & martyris.* Eugenia colitur XXV Dec. De poſtremis vide Wandelbert.

Patientis. ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. In fine: *Lugduno, depoſitio ſancti Pacientis.*

Patientis. ANTVERP-MAX. & LOVANIEN. *Lugduno, depoſitio ſancti Patientis epiſcopi.* Vide Romanum.

ULTRAJECTIN. LEYDEN. ALBERGEN. & DANIC. Idem habent Auctarium de Patiente Lugdunenſi; cui ſubjungunt: *Turego, natale ſanctorum martyrum Felicis & Regulæ ſororis ejus, de comitibus Thebæorum. Quos Decius præſes juſſu Maximiani imperatoris diverſis primo tormentis affecit, tandem gladio animadverti præcepit.* *De Felice & Regula.*

CENTULEN. *Romæ in cymiterio Baſillæ, ſanctorum Prothi & Jacincti martyrum, qui fuerunt eunuchi* *Textus contractus.*

eunuchi beatæ Eugeniæ virginis. Lugduno, ſancti
De Patient. *Patientis epiſcopi & confeſſoris, cujus hortatu vita ſancti Germani Autiſiodorenſis deſcripta eſt.*

BRUXELLEN. In textu ſatis purus, de Felice
Felicis &c. & Regula eadem addit, quæ ſupra ex ULTRAJECT. & aliis dedimus. Tum: *Ipſo die, ſancti*
Dagoberti. *Dagoberti regis & martyris. Lugduno, ſancti Pa-*
Patientis. *cientis epiſcopi. Et ſanctæ Mucianæ virginis.* Puto
Mucianæ. indicari *Vincianam*, de qua vide Caſtellanum.

HAGENOYEN. *Romæ via Salaria veteri, na-*
De Proto & Hyacint. ex hiſtoria Eugeniana. *tale ſanctorum martyrum Prothi & Jacinctli fratrum. Qui cum Eugenia filia Philippi, poſtea præſidis Allexandriæ, traditi ſunt ſtudio. Et cum phyloſophiam adiſcere deberent, fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti dediderunt: unde & Eugeniam ad fidem converterunt. Deinde miſſi ſunt in Allexandriam cum Philippo, & illum reliquerunt, & cum Eugenia monaſterium intraverunt, & miraculoſe poſtea Philippo apparuerunt, & ad fidem eum converterunt. Poſt cujus mortem Claudia uxor Philippi, rediit Romam cum omnibus ſuis filiis & Protho & Jacincto; ubi dum plures per eos converterentur, ad immolandum ducuntur, & idolum ſtatim iis orantibus corruit & in favillam redactum eſt, quod paganos puduit, & ipſos mox decollaverunt. Item in*
Adelfii. *caſtello Habut, ſancti Adolfii confeſſoris.* Vide
infra Sanctum melius deſignatum. *Apud Ture-*
Felicis &c. *gum, paſſio ſanctorum martyrum Felicis & Regulæ ſororis ejus, & Exſuperancii. Qui poſt ferri candentis rotaſſitu* [lege, *rotas*] *& longos carceres, & alias afflicciones, poſt picis & bullientis plumbi examinationem, Dominum ſe vocantem audierunt in hac voce: Venite benedicti patris mei, percipite regnum* &c. *& non multo poſt, jubente Decio præſide decollati ſunt: & tunc poſt horam, corpora Sanctorum ſe erexerunt, & capita ſua ſuſtulerunt, & quadraginta cubitos ea tulerunt, & ibi quieverunt. In quo loco fideles Karolus magnus canoniam contraxit* [an vult dicere quod fideles collegerit?] *& poſt Ludowicus filius ejus monaſterium ſanctimonialium ædificaverunt. Lugduno, ſancti Patientis epiſcopi & confeſſoris.*
Patientis.

AQUICINCT. In fine: *Ipſo die, ſancti Patien-*
Idem. *tis epiſcopi Lugdunenſis.*

MATRIC-CARTUS ULTRAJECT. *Prothi & Hyacinthi martyrum.* Additur: *Iſti fuerunt eunuchi beatæ Eugeniæ virginis & martyris, qui cum ea ſunt ad fidem converſi, ſicut in ejus legenda invenitur.* Sequitur: *Felicis & Regulæ martyrum.*
Felicis. &c.

FLORENTIN. *Prothi & Hyacinthi..... Horum*
DeProt.&c *ſacratiſſima oſſa, una cum reliquiis ſancti Nemeſii martyris ad monaſterium ſanctæ Mariæ de angelis, de Florentia, tranſlata anno Domini* MCCCCXX
Heliæ. *tempore Martini V Papæ. Eoaem die, ſancti Heliæ abbatis.* Plures Eliæ ſunt, de hoc poſt videbitur.

CODEX MONTIS SANCTI. *Fulget natalitius*
De Adelfio. *dies Adelfii nobilis ex clarigena Sicambrorum gente nobiliter oriundi, cui genitrix fuerat filia nobiliſſimi Romarici, ſancti Rectoris noſtri dulciſſimique Patroni.*

EDITIO LUBECO-COL. Poſt *eunuchorum*, *DeProt.&c*
inſerit, *beatæ Eugeniæ virginis, cum qua ab Heleno epiſcopo baptizati. Qui non longo tempore poſt, ſub Galieno imperatore, quod eſſent* &c. Sequitur: *Turego in Almania, ſanctorum martyrum*
DeFelic.&c *Felicis* &c. fere ut ſupra in ULTRAJECTIN. &c. *Patientis.*
Lugduno, depoſitio ſancti Patientis epiſcopi & con- *Eupli &*
feſſoris. In Silicia, beatorum Eupli & Serapionis *Serapionis.*
c nfeſſoris. Melius in GREVENO infra.

BELIN. In textu ſatis purus, in fine addit
ut ſupra: *Lugduni, depoſitio ſancti Patientis.* Sed *Patientis.*
neſcio cur in ſecunda editione poſitum ſit, *ſanctæ Patientis*, niſi ex errore typothetæ.

GREVEN. *Turego in Almania, ſanctorum mar-*
DeFelic.&c *tyrum Felicis & Regulæ ſororis ejus ex ſacra legione Thebæorum, quos Decius præfectus, juſſu Maximiani imperatoris diverſis ſuppliciis affectos, gladio animadverti mandavit. Lugduni, ſancti*
Patientis. *Patientis epiſcopi & confeſſoris. Bodonis epiſcopi*
Bodonis. *Tullenſis & confeſſoris. Qui tranſlatus Lugdunum, mira fidelium devotione veneratur. Item commemoratio ſanctorum Leonis, Baſillæ & Eugeniæ. In Si-*
Leonis &c *cilia, Eupli & Serapionis confeſſorum. Item beatæ*
Eupli &c. *Mauræ. Apud inſulam Palmariam, depoſitio ſancti*
Mauræ. *Venerii abbatis. Qui tempore Focæ imperatoris apud*
Venerii. *eamdem inſulam, eremiticam vitam ducens, miraculis multis clarus, quievit in pace, ibidem ſepultus manibus angelicis. Quo in loco etiam oleum effluere viſum eſt, valens in ſalute multorum. Item Venerii*
Venerii alterius. *alterius monachi & confeſſoris. Qui amore vitæ ſolitariæ de cœnobio egreſſus, ſaxum quoddam hominibus inacceſſibile conſcendit, ibique ſine humano cibo (præter quatuor panes quos ſecum ſumpſerat) annis quatuor permanſit. Defunctus tandem ac in eodem loco ſepultus, miraculis claruit tempore Ottonis III. Apud Egyptum, ſancti Heliæ abbatis & confeſſo-*
Heliæ *ris. Item, bonæ memoriæ, Wilberti epiſcopi Agrip-*
Wilberti. *pinenſis Coloniæ & confeſſoris.*

MOLAN. *Lugduno, depoſitio ſancti Patientis*
De Patient. *epiſcopi. Cujus hortatu Conſtantius presbyter vitam beati Germani epiſcopi, virtutibus plenam deſcripſit. Vercellis, ſancti Æmiliani epiſcopi & con-*
Æmiliani. *feſſoris. Et ſanctorum Felicis & Regulæ.* Deinde
Felicis &c. typis minoribus: *Bodonis epiſcopi Tullenſis &*
Bodonis. *confeſſoris, qui tranſlatus Lugdunum, mira fidelium devotione veneratur. Vincianæ virginis.* Edi-
Vincianæ. tiones poſteriores de Patiente & Æmiliano eadem habent quæ prior. Sequitur: *Turigo, natale ſanctorum Felicis & Regulæ. In portu Ganda, ſanctæ Vincianæ virginis. Die undecima, ſanctæ matris Theodoræ Alexandrinæ.* Minori charac-
Theodoræ. tere: *Item Bodonis confeſſoris, epiſcopi Tullenſis, qui Lugdunum tranſlatus, mira* &c. Intellige *Lugdunum clavatum*, vulgo *Laon*; ubi corpus honoratur.

Pridie Idus. *Die* 12.

Syri & Juventii. APud urbem Ticinum, ſanctorum confeſſorum Syri & Iventii, qui à beato Hermagora ad præfatam urbem directi, primo illic Chriſti Euangelium prædicantes, & magnis virtutibus ac miraculis coruſcantes, etiam vicinas urbes divinis operibus illuſtrarunt, ſicque in pontificali honore, glorioſo fine quieverunt in pace.

Iterum ſumitur ex iiſdem *Praten. Herinien. Antverp-majore, Pulſanen. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIÆ

VARIA LECTIO. *Tycinum* à Greven. aliiſque ſcribitur, ſed male. In *Iventii* maxime diſcordant codices, unde & cum alio, aut aliis fere ſynonymis Sanctis, confuſio oriri poſſet. Hic, de quo agimus, vocatur in Actis noſtris VIII Februarii *Juventius*. Praten. hodie ſcribit cum Pulſanen. *Yventii*; Greven. *Yvencii*; Munerat. *Juvencii*; Auctor Breviarii Ticinenſis de Gaſparis, conſtanter vocat *Inventii*. Nos in textu Herinien. & Molan. ſequimur. Antverp-maj. legit *Syri Eventii*, omiſſa conjunctione *et*. Sic à Greven. & Molan. eadem particula expungitur ante *magnis virtutibus*, quam tamen alii omnes codices unanimiter ſervant. *Choruſcantes* in Antverp-maj. & Munerat. mendum eſt. Herinien. Antverp-maj. & Munerat. ponunt *illuſtraverunt*; nihil intereſt; ſed reliquos profero. In Pulſanen. deeſt *glorioſo fine*, Munerat., forte typothetæ vitio, habet *glorioſe*.

OBSERVATIO. *Syrum* aliquem, *Eventium* item, *Evantium* vel *Iventium* aliquem, apud Hieronymianos hoc die notari obſervo, ſed tales ambos, qui Ticinum retrahi nequaquam poſſint. Non magis Ticino propinqui ſunt, quos Rabanus memorat, ex Hieronymianis ſua ferme deſumens. Eſt & apud Wandelbertum, *Syri & Juventii.*

Martyr mox pridie celſus petit æthera Syrus.

Aſt hic martyrii laurea donatus, minus etiam Ticinenſibus tribuendus eſt. *Juventium* in Actis reperiri diximus VIII Februarii, ubi non pauca illuſtrantur, quæ ipſum & *Syrum* propius attinent, quamvis hujus geſta ad IX Decembris remittantur. Multa in utriuſque Actis reperiuntur, quæ ſcrupulos injiciunt, præſertim circa tempora, quibus ambo floruiſſe dicuntur, & circa miſſionem ab Hermagora, ſancti Marci diſcipulo ſuſceptam, ſed quæ operoſiori diſquiſitione diſcutienda ſunt. Conſuli interim poſſunt ſcriptores Ticinenſes, ſtrenui antiquitatum ſuarum propugnatores Gualla & de Gaſparis, ille in Sanctuario Papiæ, hic in Breviario SS. epiſcoporum eccleſiæ Ticinenſis: quorum prior in apertiſſima contradictione, inſcius, ſed fortaſſe vere aſſeruit, Juventium *Mediolani contra Arianos ſtrenue certaviſſe*; verum hoc pacto tota Syri, Pompei & Juventii hiſtoria everteretur, de qua vide citato die VIII Februarii, Bollandi commentarium & Tillemontium tomo 2 pag. 561. Ceterum nec in apographis Hieronymianis, nec in genuino Beda, Floro aut aliis, duo illi Ticinenſes *epiſcopi confeſſores* conjunguntur. Unus conjunctionis in hunc diem fons eſt auctor Romani parvi; ex quo in Adonem, hinc in Noſtrum & Notkerum emanarunt. Sic loquitur primus: *Ticini, confeſſoris Syri & Eventii diſcipulorum Hermagoræ, Aquileienſis primi epiſcopi.* Multa de more adjunxit Ado, ex quibus contractum ab Uſuardo elogium, quale hîc in textu expoſuimus, ut de ſimplicitate Uſuardina dubitari omnino non poſſit. Utrum nonnulla ſtudio caverit Uſuardus, neſcio, certe quæ in noſtro textu dicta ſunt, facilius ad hiſtoricam fidem exigi poſſe videntur, quam alia, quæ ex Actis Ado admiſcuit. Pluribus alibi.

AUCTARIA.

Maximini. ROSWEYD. In textu purus, ſubjicit: *Treveris, natale ſancti Maximini epiſcopi.* Vide infra.

Sacerdotis. ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Etiam in textu puri, addunt: *Lugduno Galliæ depoſitio beati Sacerdotis epiſcopi.* Gallicè *Serdot*, vel *Sardot*, quem Pariſiis obiiſſe, notat in Martyrologii margine Caſtellanus.

De Maxim. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBRG. & DANIC. Textui ſubdunt: *In Aquitania, natale ſancti Maximini Treverorum archiepiſcopi, qui* IV *Kalend. Junii Treverim relatus eſt.* (ULTRAJECTEN. & ALBERGEN. notant IV Kalend. Julii.) *Lugduno Galliæ, depoſitio*

Sacerdotis. *beati Sacerdotis epiſcopi.*

CENTULEN. *Apud urbem Tycinum, quæ & Papia dicitur, natalis ſanctorum confeſſorum pariter*

De Syro &c. *& pontificum Syri & Hiventii, quos beatus Hermacoras Aquilegienſis, ordinatos ad præfatam urbem tranſmiſit; qui non ſolum illam regionem, ſed vicinas civitates Veronenſem & Brixenam & Laudenſem verbo fidei illuſtrarunt, & optimo (fine, ni fallor) ſunt perfuncti.*

Idem. BRUXELLEN. *Apud urbem Ticinum, quæ & Papia dicitur, ſanctorum Syri & Evencii confeſſorum. Qui à beato Armagora, diſcipulo ſancti Marci Euangeliſtæ, ad præfatam urbem directi, primo illic Chriſti Euangelium prædicantes, & magnis virtutibus ac miraculis choruſcantes, etiam vicinas urbes divinis operibus illuſtrarunt; ſicque in pontificali honore &c. In Sicilia, paſſio ſancti Serapionis epiſcopi & aliorum tredecim. In Aquitania, depoſitio ſancti Maximini Treverorum archiepiſcopi. Cujus corpus* IV *Kalend. Junii Treverim relatum, in cimiterio ſancti Eucharii ſepelitur. Lugduno Galliæ, depoſitio beati Sacerdotis epiſcopi. Apud Anderlacum, vicum Brabanciæ nobis vicinum, depoſitio ſancti Guidonis confeſſoris. Ubi reliquiæ ſui corporis venerantur; vita quoque ejus atque miracula plura leguntur. Et ſanctæ Reginæ virginis. Item ſanctæ Edippæ virginis.*

Serapionis & aliorum. *Maximini.* *Sacerdotis.* *Guidonis.* *Reginæ.* *Edippæ.*

HAGENOYEN. In textu fere ſimilis eſt BRUXELLEN. Sequitur: *Ipſo die, Verenæ virginis, apud Zurziacum Conſtancienſis dyoceſis, quæ erat Thebæa genere & cum beato Mauricio & ſuis ſociis venit in Italiam cauſa peregrinationis, & intrans Mediolanum, carceres Sanctorum ſub Dyocletiana perſecutione viſitavit & eis de ſua ſubſtantia, in quantum potuit, miniſtravit, & quod non habuit, non potuit facere pecunia, hoc fecit voluntate & ſer-*

De Verena.

ſervitio corporis ſui. Igitur paſſo Mauricio & ſociis ſuis, Verena Alpes tranſgreſſa eſt, & morata cum uno qui evaſerat de Thebais, qui timore mortis non fugerat, ſed exemplo Domini. Itaque Verena mater multarum virginum effecta & cæcos illuminavit, & dæmones de obſeſſis ejiciebat, & plura alia miracula Dominus per illam operabatur, & ideo per quemdam Romanum variis injuriis affecta incarceratur, ubi à ſancto Mauricio viſitatur & confortatur. Cetera omitto, quæ utrum majorem fidem mereantur ſuo loco dicemus.

Maximini. Vide Auctaria, 1 Septembris. *Item, ſancti Maximi Treverorum epiſcopi & confeſſoris. Apud Lug-*

Sacerdotis. *dunum Galliæ, depoſitio beati Sacerdotis epiſcopi & confeſſoris.* Vide ſupra ANTVERP. &c.

AQUICINCT. In fine: *Lugdunis, ſancti Sacer-*

Sacerdotis. *dotis epiſcopi.* Vide dicta ſuperius.

VICTORIN. & REG-SUEC. ſub nota num. 130.

Patientis. *Ipſo die, ſancti Patientis epiſcopi Lugdunenſis.* Ex variis codicibus eum retulimus die præcedenti.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Cyri &*

Textus contractus. *Vrencii epiſcoporum, qui à beato Hermagora Ticinum miſſi, multum populum converterunt.* Recte notatur in margine: *Alias Syri & Yvenci, in Martyrologio Romano, Juventii.*

Patientis. FLORENTIN. *Lugduno Galliæ, natale ſancti*

Serapionis. *Patientis. Item ſancti Serapionis.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *In Aquita-*

De Maxim. *nia, natale beati Maximini, Treverorum archiepiſcopi & confeſſoris, à quo Athanaſius Antiſtes Alexandrinus, perſecutionem Conſtantii imperatoris fugiens, Treverim honorifice ſuſceptus eſt. Qui etiam Eufratam, præſulem Colonienſium eccleſiæ, hæreticum depoſuit, & beatum Severinum, virum diſcretiſſimum, in ejus locum ſubrogavit. Lug-*

Sacerdotis. *duno Galliæ, depoſitio beati Sacerdotis epiſcopi & confeſſoris. Apud urbem Ticinum, quæ & Papia dicitur, ſanctorum confeſſorum atque Pontificum Siri*

De Syro &c. *& Quencii, qui à beato Hermagora Aquileienſi pontifice, diſcipuli* [diſcipulo] *ſancti Marci Evangeliſtæ, ad præfatam urbem directi, primo illic Chriſti Evangelium prædicantes, & magnis virtutibus ac miraculis coruſcantes, etiam vicinas urbes, Veronenſem ſcilicet, Brixiam & Laudenſem, divinis operibus illuſtraverunt, ſicque in pontificali honore fundata & confirmata fide credentium populorum, glorioſo fine quieverunt. Auguſtoduno, ſancti Euancii epiſcopi & confeſſoris.* *Euantii.*

BELIN. Poſt textum: *Lugduno Galliæ, depo-* *Sacerdotis.*
ſitio ſancti Sacerdotis epiſcopi.

GREVEN. *Item Anthiochiæ, ſancti Timothei.* *Timothei.*
Apud Nichomediam, ſancti Niceti martyris, qui *Niceti.*
& Victor dictus eſt. Hic pro fide Chriſti ſuperatis gladiis acutis, igne, fumo, manuum ac pedum obtruncatione, cum divinitus illi membra reſtituta fuiſſent, iterum fuſtibus cæſus eſt, ac poſtea feliciter migravit. In Aquitania, depoſitio ſancti Maxi- *Maximini.*
mini epiſcopi Treverenſis & confeſſoris. Qui de Aquitania oriundus, fama ſanctitatis beati Agricii Treverorum epiſcopi allectus, ad eum venit: à quo in omni ſanctitate educatus, eidem ex divina revelatione ſucceſſit: patriam tandem ſuam inviſens, ibi quievit. Lugduni, beati Sacerdotis epiſcopi & *Sacerdotis.*
confeſſoris Item Serapionis epiſcopi. Marcellini epi- *Serapionis.*
ſcopi. Auguſtuduni, ſancti Euancii epiſcopi & con- *Marcellini.*
feſſoris. Tranſlatio ſancti Hermagoræ epiſcopi A- *Euantii.*
quilegienſis. In Normannia civitate Baiocenſi, beati *Tranſlat.*
Reverentii preſbyteri & confeſſoris. Apud Egyptum, ſanctæ Bonæ virginis, quæ & Mundicorda dicta, [in prima edit. *eſt, quæ*] *in multa ſanctitate Chriſto ſponſo ſervivit.* *Hermagoræ.* *Reverentii.* *Bonæ.*

MOLAN. *Lugduni Galliæ, ſancti Sacerdotis epi-* *Sacerdotis.*
ſcopi. Apud nos [vult dicere *Anderlaci* prope *Bruxellas*] *depoſitio ſancti Guidonis confeſſoris; qui poſt* *De Guidone.*
ſeptennem ac laborioſam peregrinationem, hunc locum ſuæ quietis elegit, ubi ſui ſacri corporis reliquiæ ſub frequentia miraculorum frequentantur. In A- *Maximini.*
quitania, natale S. Maximini Treverorum archiepiſcopi, qui IV *Kal. Junii Treverim relatus eſt.* *Reverentii.*
Eodem die, beati Reverentii preſbyteri & confeſſoris. Dein typis minoribus, *in Normannia civitate Baiocenſi.* Editiones poſteriores de Sacerdote, Guidone & Maximino, ut ſupra. Tum: *Eodem die, Baiocas, beati Reverentii preſbyteri & confeſſoris. In Galliis civitate Auguſtoduno, de-* *Euanti.*
poſitio beati Euanti epiſcopi. Die duodecima, ſa- *Autonomi.*
croſancti martyris Autonomi. Vide Martyrologium Romanum & Sancti Acta apud Surium.

Idibus. *Die* 13.

Philippi. APud Ægyptum civitate Alexandria, beati Philippi epiſcopi, patris ſanctæ Eugeniæ virginis. Hic dignitatem præfecturæ deferens, & baptiſmi gratiam adipiſcens, epiſcopii honorem poſtmodum eſt aſſecutus, quem in oratione conſtitutum, juſſit Perennius præfectus gladio jugulari, tempore Voluſiani & Galieni imperatorum. Eodem die, ſancti Amati presbiteri & abbatis monaſterii Romarici, qui miræ abſtinentiæ & anachoriticæ vitæ ſectator, virtutum & miraculorum gratia illuſtrem converſationem duxit. Andegavis, ſancti Maurilionis epiſcopi & confeſſoris.

Amati.

Maurilionis.

Ita *Praten. Herinien. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Egipto* dictum eſt pluſquam ſatis, in eo præter ceteros excedit Munerat. quod legat, *apud Egipium Alexandriæ*, addatque Philippo titulum *epiſcopi & martyris.* Superius etiam notata eſt differentia circa *epiſcopi, epiſcopatus* vel *epiſcopii* honorem. Ego ultimum modum ſecutus ſum ex Praten. potiſſimum & Herinienſi: Antverp-maj. ſecundo modo ſcribit, Munerat. & Molan. primo. *In orationem conſtitutus,*

ſtitutus, habet ſolus Antverp-major, ceteri ut eſt in textu. Male ab Adone ſcribitur *Perennius* pro *Terentius;* pejus mutaverunt Antverp-major in *Perhennius*, Molan. in *Perhemmius*. Omnes cum Adone ponunt *Voluſiani & Galieni*, de qua conjunctione vide infra. *Romanici* pro *Romarici*, *anachoritæ* pro *anachoriticæ*, vitia ſunt in Antverp-majore.

Philippi. OBSERVATIO. Baronius ad xxv Decembris de memoratis ſuprà ſanctæ Eugeniæ Actis ita pronuntiat: *Habent tamen aliqua, quæ cenſura indigeant, veluti quod ibi legitur de Philippo Eugeniæ patre, facto (ut ait auctor) epiſcopo Alexandrino; quod plane commentum eſſe, tabulæ epiſcoporum Alexandrinorum ..... manifeſte declarant.* Si hiſce adjunxeris quæ hoc die notat laudatus Baronius, facile deprehendes, non eo ſolo commento laborare præfata Acta, quæ, ut ſupra etiam diximus, à Papebrochio diſcuſſa & repudiata ſunt in Reſponſionibus ad P. Sebaſtianum art. 16 à num. 91. De Philippo non meminere apographa Hieronymiana, Beda, Florus, Rabanus, Wanbelbertus. Unus hîc denuo ſequacibus ſuis prælucet auctor Romani parvi, ita loquens: *In Alexandria, Philippi epiſcopi & martyris, qui primum præfectus fuit.* Ex citatis Actis deprompſit Ado, quæ de Philippi epiſcopatu aliiſque eum ſpectantibus ibi memorantur, quorum compendium ſuo ſinguli modo reddidere Uſuardus & Notkerus, ſervata ubique connexione imperatorum *Voluſiani & Galieni*, itemque nomine *Perennii* præfecti, qui in Actis à Surio vulgatis *Terentius* dicitur, quemque in Romano moderno ita appellat Baronius. Hæc modo pro re noſtra ſufficiant. Sequens annuntiatio de *Amato* presbytero & abbate, tota Ado- *Amati.* niana eſt, nec antiquior; tota ferme ad apicem à Noſtro deſcripta. Adoniana, inquam, eſt annuntiatio noſtra, ſed non Adonis illius, quem plerumque in Actis Benedict. citat Mabilio, quique ab omnibus noſtris, tum Mss. tum excuſis diſſentit, ut etiam alibi obſervavimus. Vide notationes prævias ad vitam ſancti hujus noſtri Amati, ſeculo Benedictino 2, pag. 129, ubi integra datur, quæ in Surio contracta & immutata eſt. Differt hîc Notkerus, quod pro *Amati* ſcripſerit *Aniani*, ſed hoc amanuenſis vitio irrepſiſſe credimus. Sic de ſolo Amato noſtro Wandelbertus:

Idibus abba nitet merito & cognomine Amatus.

Maurilionis. Præter Philippum & Amatum Moſander Adoni tribuit *Maurilionem* Andegavenſem & *Littorium* Turonenſem epiſcopos, à Roſweydo in appendicem rejectos. De poſtremo (quem Hieronymianorum verbis conſignat Rabanus) non agere Uſuardum, probatiſſimi noſtri codices oſtendunt. Crediderim, ex iiſdem Hieronymianis ipſum accepiſſe *Maurilionem*, quem hodie *Maurilium* communius appellant, quique à Moſandro & Hagiologio Labbei, iiſdem omnino terminis commemoratur. Atque hæc omnia vere & pure Uſuardina eſſe cenſemus; quod pro inſtituti hujus ratione plane ſufficit. Aliò remittimus examinandam rerum congeriem circa vitas plures apud nos Mss., inter quas, præter antiquius editas, exſtat Ms. & impreſſa Magnobodi Andegavenſis, aliaque ſoluto ſtylo, ac præterea metrica Marbodi Rhedonenſis in vetuſtiſſima membrana, de quarum fide jam inter eruditos, præeunte Launoyo, controverſum eſt.

AUCTARIA.

Feliciſſimi & Secundin. ROSWEYD. In fine ex Hieronymianis adjicit: *Item in Appulia, Feliciſſimi & Secundini martyrum.*

PULSANEN. In prima & ultima ſatis purus, ſecundam de Amato expunxit.

Lidorii. ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Textui ſubdunt: *Turonis, ſancti Lidorii epiſcopi.*

Materni. GREVEN. Textui attexit ſub ſigno LL. *Treveris, ſancti Materni epiſcopi.* De eo ſigno egimus V & XX Auguſti, & hîc eadem de cauſa GREVEN. è purorum numero excludimus.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. & DANIC. De Maurilione addunt: *Qui & vitæ ſanctitate perſpicuus extitit & multis virtutibus floruit. Turonis, ſancti Lidorii epiſcopi & confeſſoris.* *De Mauril. Lidorii.*

Materni. ALBERGEN. Hiſce ſuperaddit: *Treveris, natale ſancti Materni epiſcopi, diſcipuli ſancti Petri Apoſtoli.* Vide infra EDIT. LUBECO-COL.

LOVANIEN. De Amato, omnia reſecat poſt *Romarici.* In Maurilione purus eſt. In fine de Lidorio, ut ANTVERP-MAX. &c. ſupra.

CENTULEN. *Apud Egyptum civitate Alexandria, ſancti Philippi martyris, patris ſanctæ* [Eugeniæ] *virginis. Andegavis, ſancti Maurelii epiſcopi & confeſſoris, magnarum virtutum viri. In territorio Bolonienſi, ſancti Maximi Regenſis epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die, ſancti Amati abbatis de monte Romarici.* De Maximo vel potius de ejus inventione, vide GREVENUM infra. *Maximi.*

BRUXELLEN. In textu modice interpolatus, addit in fine hoc ſolum & unicum auctarium: *Turonis, ſancti Lidorii epiſcopi & confeſſoris.* *Lidorii.*

HAGENOYEN. De Philippo ex Eugeniæ Actis fuſius agit hoc modo: *Apud Egyptum civitate Allexandria, beati Philippi epiſcopi paſſio, patris ſanctæ Eugeniæ virginis. Qui per Eugeniam filiam ſuam mirabiliter converſus eſt, cum videret illam in ſtatu monachorum, & infamata eſſet de ſtupro: & illa aperiret veſtem & oſtenderet ſe eſſe filiam ſuam; ille corde compunctus eſt & baptizatus, deſerenſque præfecturam, epiſcopatus honorem, omnibus eum eligentibus aſſecutus eſt, & non multo poſt in oratione poſitum Perhennius præſes gladio jugulari fecit, Voluſiani & Galieni imperatorum tempore. Eodem die, ſancti Amati presbiteri & abbatis monaſterii Romarici, Metenſis dioceſis, qui mira* *De Philippo.* *De Amato.*

miræ abſtinentiæ &c. addens in fine, *& obiit multorum monachorum pater in pace. In Aquitania, natale ſancti Maximini Treverorum archiepiſcopi, qui* IV *Kalend. Junii, Treverim relatus eſt. Andegavis, ſancti Maurilionis vel Maurilii epiſcopi & confeſſoris depoſitio. Qui* &c. ut ANTVERP-MAX. *Turonis, depoſitio ſancti Lydorii* &c.

Maximini. *De Mauril.* *Lidorii.*

AQUICINCT. Poſt τὸ *imperatorum*, inſerit: *Duaci, tranſlatio ſancti Amati archiepiſcopi Senonenſis. Qui à Theodorico rege Francorum ab epiſcopatu dejectus conſilio Ebroini Majoris Domus, in hanc provinciam relegatus eſt, juſſu præfati regis. Qui abbas mônaſterii Romarici factus, miræ abſtinentiæ* &c. Poſt *regis*, omiſſum eſt: *Item alterius ſancti Amati*, aut quid ſimile, ne duo diverſi in unum confundantur.

Amati Sen.

DAVERONEN. *Sancti Lidorii epiſcopi Turonenſis.*

Lidorii.

De reliq. Jul *Exceptio reliquiarum beati Juliani martyris.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Philippi epiſcopi & martyris, patris ſanctæ Eugeniæ virginis, qui per filiam ſuam ſatis mirabiliter eſt converſus, reſignans præfecturam Alexandriæ. Maurilionis epiſcopi. Amati abbatis.*

Textus cont.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Amati & Maurilionis.* Adjectum primo loco: *Beneventi, natalis ſancti Felicisſimi epiſcopi in ſancta Sophia. Eodem die, ſancti Mamiliani confeſſoris.*

Felicisſimi. *Mamiliani.*

ALTEMPS. *Ipſo die, tranſlatio beati Auguſtini Anglorum Apoſtoli, & ſanctorum archipræſulum confeſſorum Laurentii, Melliti, Juſti, Honorii, Deusdedit, Theodori, & ſancti Adriani abbatis, ac Deo dilectæ virginis Mildredæ.*

Tranſlat. SS. Anglic.

FLORENTIN. *Amati* ..... (abb., vel aliàs *Donatici*) *Cujus corpus fuit conceſſum beato Ambroſio à ſummo Pontifice ſancto Damaſo & tranſlatum de civitate Romana ad civitatem Florentiam & ſepultum in eccleſia ſancti Laurentii; ubi & requieſcunt corpora ſanctorum Marci Papæ & Concordiæ martyris. Andegavis, ſancti Auxilii epiſcopi & confeſſoris.* Pro *Maurilii. Turonis, ſancti Littorii* [MED. *Litoris*] *epiſcopi & confeſſoris. Apud Lamum civitatem, tranſitus ſancti Venerii, cujus corpus Regium tranſlatum eſt. In Sicilia, ſanctorum martyrum* LXXIX, *qui paſſi ſunt à Profaſio tyranno in civitate Admimundula, ut habetur in paſſione ſanctorum Luciæ & Geminiani.* Proſtant Acta apud Surium, ſed nec tyranni nomen, nec palæſtra, nec martyrum numerus cum dictis conveniunt.

Amati Flor. *Littorii.* *Venerii.* *Martt. 79.*

CODEX MONTIS SANCTI. *Solennis jam diei fulminat orbita, qua præclarus Chriſti confeſſor, cœleſtem vitam ducens Amatus, ſupremam curiæ cœleſtis ſortitur lætabundus aulam, cujus miracula relegere qui vult, actus & vitam ſcilicet ipſius* [conſulat:] *Qui miræ abſtinentiæ* &c.

De Amato.

REMENS. SS. Timoth. & Apoll. *Turonis, ſancti Littorii epiſcopi & confeſſoris.* Perpetua variatio in nomine: conſtanter ſcribendum *Lidorii.*

Littorii.

EDITIO LUBECO-COL. *Colonia Agrippina, depoſitio ſancti Materni epiſcopi & confeſſoris, diſcipuli ſancti Petri Apoſtoli. Qui ſimul Colonienſi, Treverenſi, ac Tongerenſi archiepiſcopus præfuit Eccleſiæ. Bono tamen fine ſenex Coloniæ Deo ſpiritum reddidit* CXXVIII *Incarnationis anno.* Vide die ſequenti. In Philippo ſatis pura eſt. Sequitur: *Eodem die, ſancti Venerii ſacerdotis, notabiliter orti. Qui in inſula Tyri ſolitariam vitam duxit, & ibidem puerum ſubmerſum orando vitæ reſtituit; & multos à langvoribus diverſis curavit, & poſtea feliciter in Domino obdormivit.* De Maurilione habet ut ANTVERP-MAX. In Amato pura eſt. De Lidorio, ut ſupra: *Auguſtuduno, ſancti Neocarii epiſcopi & confeſſoris.* Hoc etiam nomen varie efformatur, GREVENO infra ſcribente *Necarii*, ſed cum MOLANO legendum *Nectarii. Inventio ſancti Maximi, epiſcopi Regenſis & confeſſoris.*

Materni. *Venerii.* *Lidorii.* *Nectarii.* *Invent. Maximi.*

BELIN. In prima annuntiatione ſatis purus, pro *Romarici*, ſcribit *Romancii* & Amati elogium reſecat. In Maurilione, quem in altera editione *Maurilium* vocat, purus eſt. Addit: *Ipſo die, ſancti Venerii confeſſoris admirandæ ſanctitatis viri.* Accedit in ſecunda edit. *Turonis, S. Lidorii* &c.

Venerii. *Lidorii.*

GREVEN. *Ipſo die, ſancti Ligorii martyris. Qui in Græcia partibus ob Chriſti nomen occiſus, poſtmodum Venetias tranſlatus eſt. Cum vero dies paſſionis ejus ignoraretur, ipſe per viſum, hunc diem deſignavit.* Vide notulam Caſtellani. *In Apulia, ſanctorum Felicisſimi & Secundini. Turonis, ſancti Lidorii epiſcopi & confeſſoris. Alexandriæ, ſancti Theodoli epiſcopi. Auguſtuduno, ſancti Necarii epiſcopi & confeſſoris. Inventio ſancti Maximi, epiſcopi Regenſis & confeſſoris. Adulphi abbatis & confeſſoris. Andegavis, ſancti Nectarii* Quis hic Nectarius ſit, neſcio, forte alterius occaſione intruſus. *Eodem die, Barſanophii abbatis & confeſſoris glorioſi. Qui apud Ægyptum tempore Juſtiniani imperatoris omni ſapientia mundana eruditus, divinitus admonitus, ſolitariam vitam petiit, in qua cum ſociis ejuſdem voti, in fame, ſiti, nuditate, vigiliis & laboribus, carnis mortificationi, & divinæ in ſe imaginis reformationi inſiſtens, tandem plenus dierum & ſanctitatis quievit. Item, ſecundum aliquos hîc, Venerii confeſſoris, qui ſupra* III *Idus habetur.*

Felicisſ. &c. *Lidorii.* *Theodoli.* *Nectarii.* *Inv. Maxim.* *Adulfi.* *Nectarii.* *Barſanophii.* *Venerii.*

MOLAN. *Broylo, depoſitio ſancti Amati epiſcopi & confeſſoris. Turonis, ſancti Lidorii epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die, ſancti Venerii confeſſoris, admirandæ ſanctitatis viri.* Editiones aliæ legunt: *Duaci ex Broylo, depoſitio ſancti Amati epiſcopi & confeſſoris. Cujus virtutem Salvator omnium pius magnificavit in temporali vita, ſuorum gratia meritorum.* De Venerio & Lidorio, ut ſupra. *Auguſtuduno, depoſitio ſancti Nectarii. Die decima tertia, dedicatio templi ſanctæ Chriſti & Dei noſtri reſurrectionis, & præfeſtum vivificæ Crucis.*

Amati Sen. *Lidorii.* *Venerii.* *De Amato.* *Nectarii.* *Dedicat.* *S. Crucis.*

XVIII *Kal.* *Die* 14.

Exaltat. S. Crucis.

EXaltatio ſanctæ Crucis, quando Heraclius imperator eam de Perſide Hieroſolimam reportavit. Sed & procurrentibus annis Papa Sergius, miræ magnitudinis portionem ejuſdem ligni in ſacrario beati Petri, Domino revelante, repperit, quæ annis omnibus, ipſo die exaltationis ejus, ab omni oſculatur atque adoratur populo.

Cornelii & ſociorum.

Romæ via Appia, beati Cornelii Papæ, cui os, poſt exilii rele-

relegationem, juſſit Decius plumbatis cædi, & ſic cum aliis viginti uno promiſcui ſexus decollari. Sed & Cerealis miles cum uxore Saluſtia, quos idem Cornelius fide inſtruxerat, ſub eodem die capite plexus eſt. In Africa, ſancti Cypriani epiſcopi, qui ſub Valeriano principe, poſt longum exilium, detruncatione capitis martyrium conſummavit, ſexto miliario à Cartagine, juxta mare. Referuntur cum eo paſſi Creſcentianus, Victor, Roſula & Generalis. *Cypriani & ſocior.*

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Munerat. Greven. & Molan.*

VARIA LECTIO. Scribo *Heraclius* cum Praten. Greven. & Molan. licet alii paſſim habeant *Eraclius*. De *Hieroſolima* ſatis dictum eſt; Herinien. ponit, *reportavit Hieroſolimam*. Omnes legunt *repperit*. Munerat. pro, *oſculatur atque adoratur*, tranſponit, *adoratur & oſculatur*. Rurſus pro, *ſub eodem die capite plexus eſt. Sub eodem capite* &c. In Greven. & Molan. deeſt *ſub*, & poſt *Cypriani*, deeſt *epiſcopi*. Antverp-maj. mendoſe ſcribit, *ſex miliario ex Cartagine*.

OBSERVATIO. Apud Martyrologos omnes feſtiviſſime recolitur ſalutiferæ Crucis *Exaltatio*, præterita tamen in vetuſtiſſimo Hieronymi ecgrapho Epternacenſi, unde, ſolitâ Florentinio dicendi formâ, conjici poſſet, antiquarii Gallici in aliis apographis additamentum eſſe. De illius feſti antiquitate, celebritate aliiſque eodem ſpectantibus videndi inter ceteros Baronius & Florentinius, qui merito cenſent, *Exaltationem Crucis* Heraclio vetuſtiorem habere originem, & ſi Caſtellano credimus, pluſquam ducentis & quadraginta annis ante illius imperatoris tempora, ſaltem Hieroſolymis inſtitutam fuiſſe. Hinc forte apud Hieronymianos codices, Bedam & Rabanum, nulla Heraclii facta mentione, ſimpliciter legitur: *Exaltatio ſanctæ Crucis*. Romanum parvum, præter morem, ſed tamquam de feſto proprio fuſius: *Exaltatio ſanctæ Crucis, ab Heraclio imperatore à Perſis Jeroſolymam reportatæ, quando & Romæ lignum ſalutiferum Crucis à Sergio Papa inventum, ab omni populo veneratur*. Longiorem hiſtoriam deduxit Ado, ex quo breviorem ſuam Uſuardus compoſuit, à Notkero non adeo contractam. *Exaltat. S. Crucis.*

Præponuntur in Kalendariis ſæpe citatis & in Martyrologiis omnibus, præterquam in Sacramentario Gregorii ac Hieronymianis, *Cornelii* & *Cypriani* memoriæ, toto orbe celebratiſſimæ. Et primo quidem in *Cornelio* hoc die conſignando conveniunt Martyrologi antiqui plane omnes, apud quos certatim conjunguntur *Cornelius* & *Cyprianus* eodem XIV Septembris, nempe uno die, ut ſupponunt, licet non uno anno coronati, cum alter alteri ſexennio ſupervixerit. At inter eruditos non parum laboratur, ut beati Cornelii vel obitus vel martyrium ad Septembrem differri poſſit, quod de corporis Centumcellis Romam relatione ejuſque ibi ſepultura ſatis apte explicare conatus eſt Papebrochius, cui nonnulli ſubſcribunt. Major difficultas eſt in tempore, à Beda, Adone & utriuſque ſequacibus diſerte notato *ſub Decio*, cum certum videatur, Decium vel Decios ante Cornelii exitum omnino periiſſe. Huic nodo ſolvendo ſolitus cuneus utcumque ſuccurret, ſi dixeris durantem potius Decii perſecutionem, quam viventem Decium, intelligendam eſſe. De cetero conjiciunt aliqui, Adonis hiſtoriam deſumptam ex Actis ab Hilduino compoſitis, de quorum auctoritate & fide alibi diſputabitur. Inſignem vitæ Cornelianæ ſeriem digeſſit Tillemontius tom. 3, ſuo tempore uſui futuram. Interim Uſuardi noſtri elogium ex Beda potiſſimum profluxiſſe videtur, tranſpoſita nonnihil, mutata & limata phraſi. *Cornelii.*

De *Cypriano celeberrimo martyre & epiſcopo Carthaginenſi omnia nota ſunt*, inquit Florentinius, imo notiſſima & ſinceriſſima ejus Acta à Pontio, ejus diacono, præſente & oculato teſte, poſteritati relicta, præter Conſularia ipſa cum prioribus ſimul vulgata. Notiſſima item ejus in Martyrologiis omnibus & in antiquioribus monumentis ſanctitatis fama, de quibus vide rurſus Baronium & Florentinium in hodiernis notationibus. Prælaudata ejus Acta integre edidit & eruditis notis illuſtravit Ruinartius inter ſelecta à pag. 193; nec minus accurate & diligenter, præter alios plures, Cypriani geſta diſpoſuit laudatus Tillemontius tomo 4 à pag. 45. Quod huc propius ſpectat, textus noſter ex Beda iterum acceptus eſt, quo uſque ejus verbis inſiſtit, verus & certus; nam quæ de Cypriani ſociis ex Adone adjunguntur, non æque explorata eſſe, ſolerter obſervat Florentinius. Atque hactenus patet totius textus propago & genuina ſimplicitas. De Cyprianicarum reliquiarum, imo & ſancti Cornelii in Galliam aliaſque partes tranſlationibus, non eſt hujus loci inquirere. Vide quæ pro libello de vita Cypriani à Pontio elaborato, erudite diſputavit Henſchenius ad diem VIII Martii. Cum noſtris concinit *Cypriani.*

nit Wandelbertus, ſed ultimo verſiculo Eparcum aliquem adjicit, quem puto eumdem eſſe, de quo egimus 1 Julii. Hîc reliquos verſus ſubjicio :

Octavo & decimo Octimbrem vocitante futurum
Exaltata Crucis fulgent vexilla relatæ,
Perſide ab indigna victor quam vexit Heracleus ;
Corneliuſque ſuam virtute & ſanguine Romam
Antiſtes fulcit, & Cypriano læta coruſcat
Carthago, inſigni doctore & martyre, totum
Eccleſiæ ſcribunt, cujus ſacra dicta, per orbem.

AUCTARIA.

ROSWEYD. Textui puro in fine ſubdit: *Treveris, ſancti Materni epiſcopi & confeſſoris.* Alii male die præcedenti. *Materni.*

PULSANEN. In prima annuntiatione ſatis purus, de duobus aliis Sanctis, ſic ſolum habet: *Romæ via Appia, beati Cornelii Papæ. In Africa, ſancti Cypriani epiſcopi.* *Textus contractus.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. & BELIN. Primam annuntiationem detruncant, hoc modo: *Exaltatio S. Crucis, ſub Heraclio imperatore piiſſimo.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. & LEYDEN. *Exaltatio ſanctæ Crucis, ſub Eraclio imperatore piiſſimo, qui eam de Perſide Hieroſolimam reportavit. Sed & procurrentibus.....* uſque ad finem textus ſatis pure. Tum additur: *Treveris, ſancti Materni epiſcopi, diſcipuli ſancti Petri Apoſtoli. Apud Coloniam Agrippinam, natale ſancti Evergiſili epiſcopi & martyris.* *Materni. Evergiſili.*

LOVANIEN. Incipit ut priores uſque ad *reportavit*, omiſſis ceteris. In Cornelio purus eſt. In Cypriano reſcindit ſocios. De reliquo ſimilis eſt ſuperioribus.

ALBERGEN. & DANIC. Principio ſolum habent uſque ad *piiſſimo*, ſicut ANTVERP. & MAX-LUBEC. In Cornelio & Cypriano ſatis puri ſunt. In ALBERGEN. nihil eſt de Materno. In utroque de Euergiſilo poſt *martyris* additur ; *apud Tungrim ſagittis interfecti.*

CENTULEN. *Exaltatio ſanctæ Crucis. Romæ, beati Cornelii Papæ & martyris ſub Decio Cæſare. Apud Karthaginem, paſſio magnifici & admirandi Doctoris Cypriani, qui martyrium celebravit ſub Galieno imperatore, Galerio Maximo proconſule.* *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. De Exaltatione ex Adone interpolatus eſt. Et nonnihil etiam in Cornelio & Cypriano. Deinde ſubdit ſequentia: *Et natale ſanctorum martyrum Senatoris, Viatoris, Caſſiodori fratrum, ac Dominatæ matris ipſorum. Treveris, ſancti Materni, diſcipuli beati Petri Apoſtoli, per cujus baculum poſt quadraginta dies ipſe à morte ſuſcitatus, tot annis in epiſcopali cathedra ſedit, quot diebus ſepultus in terra jacuerat. Apud Coloniam Agrippinam, beati Evergiſili epiſcopi & martyris. Qui ſancti Severini diſcipulus & archydiaconus exiſtens, in tranſitu beatiſſimi martyris ymnum angelicum cum ſuo audivit magiſtro, & poſtea apud Tungrim, quæ & Octavia dicitur, ſagittis interfectus eſt. Eodem die, dedicatio hujus eccleſiæ, ac ad illam tranſlatio corporis beatæ Gudilæ virginis.* *Senatoris & ſociorum. De Materno. Evergiſili. Dedicat. eccl. & tranſl. Gud.*

HAGENOYEN. Aliam de ſanctæ Crucis Exaltatione hiſtoriam compingit. De Cornelio aliqua etiam hinc inde interjicit. Tum: *Apud Coloniam, natale ſancti Evergiſili epiſcopi Colonienſis, apud Tungrim ſagittis interfecti.* In Cypriano nonnihil etiam interpolatus eſt. In fine adjicit: *Item in Swevia, ſancti Aurelii epiſcopi & confeſſoris.* *Evergiſili. Aurelii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Exaltatio ſanctæ Crucis. Cornelii & Cypriani martyrum Creſcentiani, Victoris, Roſulæ & Generalis, qui referuntur paſſi cum beato Cypriano.* *Textus contractior.*

CODEX D. DU CHEVAL. ſign. B. *Apud Coloniam Agrippinam, natale ſancti Evergiſili epiſcopi & martyris.* *Evergiſili.*

FLORENTIN. *Apud Calabriam, ſanctorum martyrum, Senatoris, Victoris, Caſſiodori & matris eorum Dominatiæ.* Vide ſupra in BRUXELLEN. *Senatoris & ſociorum.*

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Romæ, beati Cornelii Papæ & martyris. Cujus ſacrum corpus Roma tranſlatum à Carolo juniore auguſto, poſitum eſt in monaſterio, quod conſtruxit infra palatii ædes Compendii. Apud Carthaginem, paſſio beatiſſimi Cypriani Doctoris excellentiſſimi, cujus ſacratiſſimum corpus temporibus Caroli magni imperatoris, in Franciam eſt tranſlatum, & Lugduni venerabiliter repoſitum.* *De Cornel. De Cyprian.*

EDITIO LUBECO-COL. *Exaltatio ſanctæ Crucis, ſub Eraclio imperatore piiſſimo, qui eam de Perſide ad Hieroſolymam reportavit, expletis annis à paſſione Domini quingentis* [& quod excurrit.] De Cornelio adjicit: *Hic conſtituit, ut ſacerdotes pro certa cauſa jurare poſſint, ſi velint.* In Cypriano modice interpolata eſt. Sequitur: *Treveris, celebratio feſtivitatis ſancti Materni archiepiſcopi & confeſſoris. Apud Coloniam Agrippinam, natale ſancti Evergiſli epiſcopi & martyris, apud Turgrim ſagittis interfecti.* *Materni. Evergiſili.*

GREVEN. *Apud Tungrim, paſſio beati Evergiſli epiſcopi Agrippinenſis Coloniæ & martyris. Hic cum archidiaconi fungeretur officio, locaque ſancta cum beato Severino Colonienſi epiſcopo circuiret, audire meruit concentus angelorum, animam ſancti Martini Turonenſis, in cælum deferentium. Ferreoli martyris. Item ſanctorum Dionyſii & Felicis. Secundum aliquos hîc, depoſitio beati Joannis Chryſoſtomi, & VI Kalendas Februarii, tranſlatio. Materni epiſcopi & confeſſoris. Qui à beato Petro Apoſtolo cum ſanctis Euchario & Valerio, ad prædicandum Chriſti Euangelium Gallis & Germanis miſſus, poſt ſociorum dormitionem, ipſe Treverenſem, Agrippinenſem pariter & Tungrenſem* [in 1, *vigilantiſſime*] *rexit eccleſias : & apud Agrippinam* [1, *Coloniam*] *quievit, ubi & ejus ſolennitas per anticipationem* [1, *potiſſimum*] *agitur Idibus Septemb. Aurelii epiſcopi.* *De Evergiſ. Dionyſii & Felicis. De J. Chryſ. De Materno. Aurelii.*

MOLAN. *Treveris, ſancti Materni epiſcopi, diſcipuli ſancti Petri Apoſtoli, qui ſimul Tungrenſi, Colonienſi, & Treverenſi eccleſiis præfuit archiepiſcopus, & Coloniæ ad ultimum, ſpiritum reddidit, & in eccleſia ſancti patris Eucharii, quæ nunc ad ſanctum Matthiam appellatur, ſimul cum iiſdem requieſcit. Eodem die, dedicatio hujus eccleſiæ, ac ad illam tranſlatio corporis beatæ Gudilæ virginis.* Vide BRUXELLEN. *In Blandinio, tranſla-* *De Materno. De Gudilæ eccleſia.*

Translat. Ansberti. *translatio sancti Ansberti Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopi.* Dein minoribus typis: *Natale sancti Anastasii martyris, de quo est Petri Damiani sermo. In Mareolo, in territorio Atrebatensi,* *Anastasii.* *Elevat. Bertiliæ.* *elevatio beatæ Bertiliæ. Quarta feria post* XVIII *diem Kalendarum Octobrium, triduanum jejunium autumnale, sive septimi mensis, de quo extant beati Leonis Papæ* I *homiliæ novem.* Editiones posteriores truncant commemorationes sanctorum Cornelii & Cypriani, quas in XVI transferunt, id his verbis indicantes: *Quorum natales transferuntur in diem perendinum.* Tum, de Materno, ut in priori. *Bruxellæ, dedicatio ecclesiæ & ad illam translatio* &c. *In Blandinio, translatio sancti Ansberti Rothomagensis* &c. *In Mareolo, elevatio beatæ Bertiliæ.* Denique minori charactere: *Quarta feria post decimum octavum diem Kalendarum Octobrium, triduanum jejunium autumnale* &c. ut supra.

XVII *Kal.* *Die* 15.

ROmæ via Numentana, natalis beati Nicomedis presbiteri & martyris, sub Domiciano imperatore. Qui cum diceret compellentibus se sacrificare: Ego non sacrifico nisi Deo omnipotenti, qui regnat in cælis, plumbatis diutissime cæsus migravit ad Dominum. *Nicomedis.* Eodem die in territorio Cabilonensi, sancti Valeriani martyris, quem Priscus præses suspensum, & gravi ungularum laceratione cruciatum, cum in Christi confessione videret immobilem, ac læto animo in ejus laudibus permanentem, gladio animadverti fecit. *Valeriani.* Tullo, sancti Apri episcopi & confessoris. *Apri.* Item Carnoto, sancti Leobini episcopi. *Leobini.*

Puri sunt *Praten, Herinien. Antverp-major, Munerat.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Plurimi codices scribunt *Nichomedis*, secutus sum tamen priorem orthographiam, qua de eodem Nicomede agentes, usi sumus 1 Junii. Reliqui tamen *Domiciani* ex communiori codicum sententia, licet Herinien. & Molan. melius scribant *Dimitiani.* Ab omnibus reliquis recedit Molan. Grevenum, opinor, secutus; nam ubi illi legunt: *Qui cum diceret compellentibus se sacrificare: Ego non sacrifico, nisi Deo omnipotenti, qui regnat* &c. Aliter ipse construit: *Qui cum diceret compellentibus, se non posse sacrificare nisi Deo* &c. Pro *Cabilonensi*, mendose in Antverp-majore est, *Cabilenensi.* Molan. habet *Tulli* & *Carnoti.* Turpius Antverp-major *Cartono, sancti Leobidi;* Munerat. *beati Leobini.*

OBSERVATIO. De *Nicomedis* hujus nostri, martyris inclyti, dedicatione aliqua, ut putamus basilicæ, egimus non obiter 1 Junii, correcta variorum codicum Usuardinorum aut aberratione aut saltem confusione. Hodie *natalem* ejus recolunt codices Hieronymiani, quos tamquam suos habet Florentinius. Beda eadem hodie phrasi utitur, qua, citato die 1 Junii; sed cum hîc luxata videantur Mss. ex quibus genuinum textum ante tomum 2 Martii dedimus, præferenda forte erit sumpta ex ipso Beda, Rabani lectio, qui priori die *basilicæ dedicationem* exprimit, hîc legens, *passio Nicomedis martyris.* Exstat etiam vetus ejus memoria in Kalendario Frontonis & Gregorii Sacramentario, per Menardum, ubi consuli possunt utriusque editoris notæ; nec deest in Allatii Kalendario. Romanum parvum brevissime etiam legit: *Romæ, Nicomedis martyris.* Ado pro more suo plura delibat ex Actis sanctorum Nerei & Achillei, seu potius ex Marcelli epistola, alibi non semel à nobis citata; plura, inquam, delibat quæ hujus Sancti propria sunt, strictim à Notkero relata, magis etiam à Nostro, sed ferme Adonis ipsius verbis, contracta. Porro an sub Domitiano passus sit *Nicomedes*, an potius sub Trajano, suo loco explicabitur. Vide dicta superius variis locis, præsertim XII & XXXI Maii, quæ hîc repetenda non sunt. Metricum Wandelberti elogium inferius subjicimus. In signando hoc die *Valeriano* tam sunt concordes Hieronymiani codices, quam differant, in exprimendo distinguendoque martyrii loco, aliis *Castro Tremorcio*, aliis *Caulono castro*, aliis *Castro Ternocio*, quod ad *Tournus* proxime accedit, enuntiantibus. Utrum *Valeriani* vere meminerit Beda, non satis compertum est, cum dubium videatur, an ei tribui possint, quæ ibi designantur: *In territorio Cavillonensi, castro Trimorchio*, nisi Rabanus aliquid conferat, cujus verba sunt: *In territorio Cabilonense, castro Nortio, natale sancti Valeriani martyris:* quæ ferme à Notkero descripta sunt, relicta longiori Adonis panegyri, expuncta tamen Rabani palæstra, quam forte suspectam habuerit. Verum ut ut ea sita sint, non alium Noster ducem habuit quam consuetum, qui ex Actis sancti Marcell, tem

Nicomed. *Valeriani.*

Cabilo-

Cabilonenſis, de quo IV Septembris egimus, ea deſumpſiſſe videtur, quæ ex ipſo in plures alios tranſierunt. Uſuardus pauca quidem ſeligit, ſed vel in ea brevitate Adonis verbis ſcrupuloſe inhæret. Qualiſcumque ſit Bedæ codicum confuſio, patet nihilominus in iis memorari: *Eodem die ſancti Apri epiſcopi.* Deinde: *Leobini confeſſoris*, qui eodem prorſus modo à Rabano referuntur. De poſtremo nihil eſt in Adone, de primo ſic habet: *Eodem die, depoſitio beatiſſimi Apri Tullenſis epiſcopi & confeſſoris.* Quemnam è duobus deſcripſerit, an ex utroque aliquid ſumpſerit Uſuardus, confer & ſtatue. An hic idem *Aper* ſit, cui cum ſancto Paulino neceſſitudo aut litterarum commercium interceſſit, alterius loci & diſquiſitionis eſt. Conſule tantiſper noviſſimam B. Paulini operum editionem Pariſinam anni MDCLXXXV diſſertatione V ad ſancti vitam, ſub finem voluminis. Cum autem in ſolitis Uſuardi fontibus de *Leobino* nihil inveniam, non temere licet ſupponere, nomen ipſum ex Beda acceptum, cui Noſter aliunde epiſcopalem ſedem ſuperaddiderit. Sane ex codicum noſtrorum fide, & hic & ceteri omnes proprie & genuine Uſuardini ſunt. De duobus ultimis epiſcopis, poſt Nicomedem, cecinit Wandelbertus, cujus hi ſunt verſiculi:

Apri.
Leobini.

Septenum denum Nicomedes presbyter ornat,
Virgo tuus Petronilla comes martyrque beatus.
Pontifices arâ, meritis, vitaque colendi
Carnutes Leobinus, Aper Leucoſque tuentur.*

* *al.* Leo quoſque

AUCTARIA.

ROSWEYD. In Nicomede & Valeriano ſatis purus, deficit in duabus annuntiationibus ultimis.

PULSANEN. In prima ſatis purus, in 2 reſecat elogium, caret etiam duabus poſtremis.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Ambo deficiunt in ſola ultima annuntiatione. Sed MAX-LUBEC. in eo à priori differt, quod in fine habeat: *Et octava ſancta Dei genitricis Mariæ.* *Octavæ Nativit.*

GREVEN. Poſt textum purum ſubjicit: *Item octava, beatæ Virginis Mariæ.* Quæ mirum eſt potuiſſe ab eo inter Uſuardina recenſeri. *Idem.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERG. & DANIC. Incipiunt: *Octava nativitatis gloriosæ Virginis.* Sequitur de Nicomede & Valeriano, non omnino pure. Tum: *Civitate Tullenſi, natale ſancti Apri* &c. Deeſt *Leobini.* *Idem.*

LOVANIEN. Incipit etiam: *Octava nativitatis gloriosæ Virginis.* In Nicomede, ferme purus eſt. De Valeriano elogium reſcindit: *Civitate Tullenſi* &c. ut ſupra. Deeſt etiam *Leobini.* *Idem.*

CENTULEN *Octava nativitatis beatæ Mariæ. Romæ, paſſio ſancti Nichomedis preſbiteri & martyris. In territorio Cabillonenſi, caſtro Tenortio, ſancti Valeriani martyris. Item Carnoto, ſancti Leobini epiſcopi confeſſoris. Tullo, ſancti Apri epiſcopi & confeſſoris, cujus mortem in conſpectu Domini pretioſam miracula crebra teſtantur.* *Idem.* *De Apro.*

BRUXELLEN. *Octava nativitatis gloriosæ ſemper Virginis Mariæ.* In Nicomede & Valeriano ex Adone nonnihil interpolatus eſt. Tum: *Item Carnoto, ſancti Leobini epiſcopi & confeſſoris. Civitate Tullenſi, beati Apri ejuſdem eccleſiæ epiſcopi & confeſſoris. In territorio Rothomagenſi, monaſterio Ginegienſi, depoſitio ſancti Aycadri abbatis & confeſſoris. Qui cum ibi nongentos haberet monachos, media eorum pars, per angelum ſibi noctu præſignata, una die migravit ad Dominum. Quos ipſe non multo poſt ſecutus, quievit in pace.* Vitam edidit Surius, de qua vide Mabilionis obſervationes prævias ſec. 2 Benedict. à pag. 952, ubi aliam ejuſdem Sancti vitam producit, cum noſtris Mss. ſuo loco conferendam. *De Octava.* *De Apro.* *Aycadri.*

HAGENOYEN. De Octava nativitatis aliqua congerit, quæ ad rem non pertinent. Non magis apte proſequitur: *Romæ via Numentana, natale beati Nycomedis presbiteri & martyris tranſlatio, cujus dies paſſionis eſt in Kalendis Junii.* Vide quæ ſupra in Obſervationibus diximus. In Valeriano ſatis purus eſt. Sequitur longa hiſtoria de Apro epiſcopo Tullenſi, cujus ſpecimen ſubjicio: *In civitate Tullienſi, depoſitio ſancti Apri, epiſcopi & confeſſoris. Iſte vir adhuc puer tantæ fuit liberalitatis & pietatis erga pauperes, quod multoties veſtes ſuas dabat pauperibus & nudus domum reverſus eſt. Erat autem beatus Aper aſpectu venerandus, mitis alloquio, vultu ſerenus, expers veritatis* [potius *expers fallaciæ*, vel *expertæ veritatis*] *& tranquilla lenitate, cunctis placabilis. Erat etiam ei moris, ſanctos quoſque adire, ad imitandum eos, & ideo corporis habuit continentiam, animi lætitiam, cordis induſtriam, vigilans* [vigilantiam,] *jejunia, orationes, ſaccum, cinerem, patientiam & caritatem.* Omitto reliqua, quæ neſcio quo modo Apro noſtro convenire poſſint, ſi cum Actis ejus conferantur, ut alibi fuſius oſtendemus. In fine adjicitur: *Item, apud Carnotum, depoſitio ſancti Leobini epiſcopi & confeſſoris.* Ferme ut eſt in textu. *De Apro.*

AQUICINCT. In fine: *Et ſancti Aicadri abbatis.* Vide ſupra in BRUXELLEN. *Aicadri.*

DAVERONEN. *Civitate Carnotenſi, tranſlatio ſancti Leobini epiſcopi & confeſſoris.* *Tranſlat. Leobini.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Octava nativitatis beatæ Mariæ Virginis. Nicomedis martyris. Valeriani martyris. Leobini epiſcopi & confeſſoris. Apri epiſcopi & confeſſoris.* *Octavæ.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Apri* & *Leobini.* Additur *Beneventi, ſancti Conſtancii in S. Sophia.* Apud alios notus non eſt. *Conſtantii.*

UGHELL. Caret etiam annuntiatione ultima Leobini Carnotenſis, ut ANTVERP. & MAX-LUBEC. ſuperius, cum quibus plerumque convenit.

FLORENTIN. *Natale ſancti Archadii epiſcopi & confeſſoris.* Fallor, ni *Aicadri* velit dicere. *Archadii.*

EDITIO-LUBECO-COL. *Octava nativitatis gloriosæ Virginis Mariæ. Romæ via Numentana, natale ſancti Nicomedis presbiteri & martyris, qui corpus beatæ Feliculæ virginis & martyris* [cum] *honorificè ſepeliſſet, ob hoc detentus à Flacco Comite ſub Domiciano imperatore* [eſt] *& cum diceret compellentibus* &c. In Valeriano ſatis pura eſt. *Octavæ.* *De Nicom.*

Civi-

Civitate Tullenſi, natale ſancti Apri epiſcopi & confeſſoris. Apud Carnotum, beati Leobini epiſcopi & confeſſoris.

Cirini & aliorum. Clementis. Mereni. Aichadri. Luthardi. Ludmillæ.

GREVEN. *Alexandriæ, ſanctorum trium fratrum Cirini, Leoncii, & Serapionis. Item Seleuci, Conſtantii. Decorati martyris, & aliorum cum eo. Clementis epiſcopi. In Scotia, Mereni epiſcopi. Aichadri abbatis. Luthardi, comitis Clivenſis & confeſſoris. Ludumillæ, viduæ & martyris, aviæ ſancti Wenceſlai ducis Bohemiæ & martyris.*

MOLAN. *Eodem die, octava nativitatis Virginis Mariæ. Eodem die, depoſitio ſancti Aichadri abbatis. Lugduno, depoſitio Albini epiſcopi.* Dein typis minoribus: *In Galliis, ſanctæ Eutropiæ viduæ, de qua Sidonius in epiſtola ad Pragmatium. Luthardi comitis Clivenſis & confeſſoris, qui fundavit clauſtrum Wiſchelenſe & Nuſſienſe.* Editiones aliæ: *Eodem die, octava nativitatis* &c. Item de Albino Lugdunenſi & Aichadro abbate, ut ſupra. *Die decima quinta, ſancti martyris Niceræ. In Clivia, Luthardi comitis & confeſſoris, qui fundavit clauſtrum* &c. ut vide in jam citata priori edit.

Octavæ. Aichadri. Albini. Eutropiæ. Luthardi. Niceræ.

XVI *Kal.* *Die* 16.

APud civitatem Calcedoniam, natalis ſanctæ Eufemiæ virginis & martyris, quæ ſub proconſule Priſco tormenta & carceres, verbera & argumenta rotarum, ignes & pondera lapidum angularium, beſtias & plagas virgarum, ſecures & ſartagines igneas, rurſum morſum beſtiæ pro Chriſto ſuperavit. Romæ, ſanctorum martyrum Luciæ nobilis matronæ & Geminiani, quos Diocletianus pœnis graviſſime afflictos, diuque tortos, tandem poſt laudabilem martyrii victoriam, gladio animadverti præcepit.

Euphemiæ. *Luciæ & Geminiani*

Sic *Praten. Herinien. Roſweyd. Antverp. Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Lovanien.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. Primum noto, poſtremos tres codices puros quidem eſſe, ſed in eo differre à reliquis, quod Euphemiam habeant ſecundo loco. Ab aliis etiam diſcrepat Roſweyd. ſic incipiens: *In Calcidonia, Euphemiæ virginis* &c. *Calcidoniam* ſervant Herinien. & Greven. ſed Munerat. *Calcidonem.* De *Eufemiæ* non loquor cum ità omnes forment, excepto ſolo Molano, qui recte ponit *Euphemiæ.* In Antverp. deeſt epitheton *ſanctæ*, in Max-Lubec. eſt *beatæ.* Belin. legit *tormenta, carceres*, expuncta conjunctione *et.* Rurſus idem Belin. pro *ſartagines igneas*, forte melius cum Beda ſcribit *ſartagines ignitas.* Dubium eſt utrum præferri debeat, *rurſum morſum beſtiæ*, an *rurſus morſum beſtiæ.* Primo modo legit Beda, ex quo veroſimilius acceptum eſt. Herinien. Antverp-Max. Lubec. & Munerat. *rurſus morſum* &c. Greven. & Molan. ſingulares denuo ſunt in *nobiliſſimæ matronæ*, pro *nobilis matronæ.* Antverp. & Max-Lubec. neutrum expreſſerunt.

OBSERVATIO. *Sancta & maxime benedicta*, vel ut alii loquuntur, *pretioſiſſima & beatiſſima* Chalcedonenſis martyr *Euphemia* innumeris paſſim, tum in Oriente tum in Occidente, laudibus certiſſimiſque monumentis celebratur, tametſi daremus Acta ejus à Metaphraſte, Surio aliiſque vulgata, exiguæ fidei & auctoritatis eſſe, ut forte ſunt & alia quæ in pluribus antiquis Paſſionalibus aliiſque chartis Mss. habemus, ubi fortaſſe *præclara* illa *& editis hactenus meliora* reperientur, de quibus in Ephemeridibus Græco-Moſcis meminit Papebrochius. Utut tamen non ſatis probata, imo dubia illa omnia ſupponantur, dubia profecto non eſt inſignis de *Euphemia* Aſterii enarratio à Surio & noviſſime à Ruinartio edita & obſervationibus illuſtrata; dubia non ſunt tot alia argumenta, quæ poſt Baronium & Florentinium accurate digeſſit Tillemontius tom 5. à pag. 405. Quanti porro facienda ſit vita ſanctæ *Euphemiæ* metrica à Paſchale Verrone compoſita & Neapoli edita MDXCII; item Theodori Beſti encomium, quod Græce & Latine Ms. apud nos exſtat, poſtea videbitur. Ceterum pro antiquiſſimo ejus cultu ſtant Martyrologia noſtra omnia. Inter Hieronymiana hoc ſolum occurrit diſcriminis, quod in vetuſtiſſimo Epternacenſi, Romæ Euphemia tribui videatur, ut & Allatii & Frontonis Kalendaria innuunt, dum eam Luciæ conjungunt. Rurſus vero apud præfata Hieronymiana ſequenti die *Euphemia Chalcedonenſis* reperitur, de qua re vide Florentinium utroque die. Romanum parvum legit: *Chalcedone, Euphemiæ virginis.* Adonis elogium ex Actis ſupra citatis latius extenditur, ſtrictius à Beda, Rabano & Notkero: ſic tamen ut evidenter pateat, ultimum ex primo ſumpſiſſe. At ex quo Uſuardus? Is certe tormentorum genera verbis Adonis deſcripſit, ubi non *clavas*, ſed *plagas virgarum*; ubi deſunt

Euphemiæ.

verba *ferras acutas*, demum ubi *fartaginas igneas*, non *ignitas*. At vero verba illa ultima, *rurſum morſum beſtiæ pro Chriſto ſuperavit*, non ex Adone, ſed ex Beda manifeſte profluunt. Habes pro hac parte textus formationem.

Celebris etiam & antiqua eſt *Luciæ* matronæ Romanæ & *Geminiani* ſolennitas; tametſi ambo ab Hieronymianis hodie non notentur. An hæc ſit *Lucia*, quam ex Allatii & Frontonis Kalendariis nuperrime citavimus? Sunt qui dubitent. Beda, & poſt eum Rabanus, diſerte utrumque annuntiant, ſed omiſſa poſitione, ſeu palæſtra. Clarius Romanum parvum: *Romæ, Luciæ & Geminiani martyrum.* Longum ex Actis extractum profert Ado, quod in collectione ſua retulit Surius, procul dubio, quod Actis ipſis caruerit, quæ à Mombritio tomo 2 vulgata ſunt, qualia & apud nos Mss. in antiquo Membraneo codice ſervantur. Et hæc eadem ſunt, ni fallor, quæ vidit Baronius, recte obſervans correctione indigere. Miror Tillemontium aſſerere, ſe ea non habuiſſe, quaſi apud Mombritium aut alibi reperire non potuerit. De ipſorum ſinceritate aut diſputandi aut quidquam decernendi locus non eſt; qualiacumque fuerint, id ſatis aperte liquet, Adoniana omnia ex ipſis decerpta & ex hoc à Noſtro breviſſime contracta, ſic ut in laterculo noſtro nihil contineatur, quod magnopere in dubium revocari poſſit, ſi modo Diocletiani perſecutio, ut ſæpe alibi faciendum diximus, in ipſius perſecutoris locum ſubſtituatur. Wandelbertus metrica ſua encomia hoc die incipit à Martino Papa, quem in nullis noſtris codicibus ſignatum reperio: hunc eſſe diem obitus indicat Caſtellanus. Ceterum ita canit poëta Martyrologus:

Lucia & Geminiani.

Hinc ſexto deno Martinus Papa beatur,
Euphemiamque pio ſanctam veneramur amore:
Lucius hoc ſimul excellit cum Geminiano,* *Lucia
Condecorat pariter paſſos quos laurea Chriſti.

AUCTARIA.

Eadipæ. ANTVERP-MAJ. Textui puro, ut ſæpius uſuvenire ſupra oſtendimus, addit proprium Anglicum, hiſce verbis: *Eodem die, ſanctæ Eadipæ virginis.* Puto velle dicere *Edithæ.*

PULSANEN. In prima annuntiatione purus eſt. In ſecunda item purè pergit uſque ad *Geminiani*; ſed deſunt reliqua omnia.

Stigmat. S. Franciſci. ALBERGEN. Similis eſt ANTVERP-MAX. &c. in tranſpoſitione. In fine autem addit: *Item feſtum beatorum Stigmatum* beati Franciſci.*

De iiſdem. ULTRAJECT. & LEYDEN. Incipiunt: *Feſtivitas ſacrorum Stigmatum. Hiis ſiquidem almus ille confeſſor Chriſti Franciſcus, biennio antequam ſpiritum cælo redderet, poſt prædicationis ſuæ curſum, caritatis exceſſum, paupertatis titulum, ad aſpectum Seraphin crucifixi, veluti ſeraphicis agebatur deſideriis, inſignitus eſt corporaliter in manibus & pedibus, & latere dextro, non humanitus ſed digitis Dei vivi deſcriptus.* In reliquo textu ut ANTVERP-MAX. &c.

Textus contractus. CENTULEN. *Natalis ſanctæ Eufemiæ virginis, quæ paſſa eſt ſub Dyocleciano imperatore, proconſule autem Priſce* [Priſco] *in civitate Calcidona. Romæ, ſanctorum Luciæ & Geminiani martyrum,* *Aicadri.* *ſub conſulari Megaſio. Ipſo die, ſancti Aicadri abbatis.* Vide die præcedenti.

DeLuc.&c. BRUXELLEN. In Euphemia permodice interpolatus, in ſecunda, poſt *Geminiani*, inſerit: *Hæc beatiſſima Lucia, à filio ſuo Euprepio accuſata, quod eſſet Chriſtiana, juſſit eam, cum prædicto Geminiano, Dyocletianus ſibi adduci. Quos ille pœnis* &c. In fine ſubjungit: *Eodem die, receptio ſacrorum Stigmatum beati Franciſci.*

De Stigmat.

DeEuphem. HAGENOYEN *In civitate Calcedonia, ſanctæ Eufemiæ virginis & martyris. Hæc erat filia cujuſdam ſacerdotis ydolorum, & cottidie audivit cantantes Chriſtianos ejus domum tranſeuntes; Omnes dii gentium dæmonia* &c. *ad fidem Domini converſa eſt, & ſub perſecutione Maximiani, à præſide Priſco, tormenta & carceres* &c. *Romæ, paſſio ſanctæ Lucia viduæ & Geminiani martyrum. Hæc vidua Lucia quæ filium ſuum Euprepium fidem Chriſtianam in rigore obſervare docuit, ab eodem Euprepio filio ſuo, Dyocletiano imperatori accuſata eſt & tradita carceri, ubi ei Dominus apparuit, & fluvium de carcere eduxit, qui dimidium civitatis cum palacio regis ſubvertit* &c. Ex his, de reliquis plus juſto extenſis, facile ſtatues. In fine additur: *Item in Anglia, ſanctæ Edithæ reginæ & virginis.* *Deluc.&c.* *Edithæ.*

DAVERONEN. *Cenomannis civitatis, depoſitio ſancti Principii epiſcopi & confeſſoris.* *Principii.*

Juſtini. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Luciæ & Gemiani martyrum. Eufemiæ virginis & martyris. Juſtini presbyteri & confeſſoris.* Notatum eſt in margine, quod in Romano Martyrologio ponatur die ſequenti, & habeatur martyr.

Soſthenis & Victoris. FLORENTIN. *Item ſanctorum martyrum Soſthenis & Victoris.* Hi ad hunc diem non pertinent, ſed forte à ſciolo aliquo hîc poſiti fuerint, ut Euphemiæ conjungerentur, ex cujus Actis deſumptos diximus x Septembris. Sequitur; *ut & ſanctorum martyrum* XLIX. *Martii* 49.

DeLuc.&c EDITIO LUBECO-COL. *Romæ, ſanctorum martyrum Luciæ nobilis matronæ & Geminiani prapotentis. Hæc beatiſſima Lucia cum in viduitate perſtitiſſet triginta ſex annis, & jam ex decurſu totius vitæ ſuæ compleſſet ſeptuaginta quinque annos, à filio ſuo Euprepio accuſata, quod Chriſtiana eſſet; juſſit eam Dioclecianus imperator ſibi adduci cum prædicto Geminiano. Quos ille pœnis graviſſime afflictos tradidit cuidam perverſiſſimo judici, qui diu eos cruciavit, tandem poſt laudabilem martyrii victoriam, gladio animadverti fecit. Hos ſancta Maxima Chriſti devota famula decenter ſepelivit.* In Euphemia ferme pura eſt, poſt, *pro Chriſto*, adiungens, & *complevit martyrium.* Sequitur: *In montibus Alvernæ, receptio ſanctorum ſtigmatum ſancti Franciſci confeſſoris, primi Ordinis Minorum.* *De Stigmat.*

Principii. Editheæ. *rum. Cenomannis, ſancti Principii, epiſcopi & confeſſoris. In Anglia, ſanctæ Editheæ virginis.*

GREVEN. *Feſtum ſancti Joachim, patris glorioſæ Dei genitricis ſemper Virginis Mariæ. Et commemoratio ſanctæ Annæ matris ejus. Romæ, Felicis Papæ. Item ſancti Victoris. In Scotia, Niniani epiſcopi & confeſſoris. Cenomannis, depoſitio ſancti Principii epiſcopi & confeſſoris. Item ſanctæ memoriæ Ludovici archiepiſcopi Arelatenſis, Cardinalis ſanctæ Cæciliæ. In Anglia, Editheæ virginis abbatiſſæ, filiæ Edgari regis Anglorum. Quæ à religioſis parentibus, bima Chriſto conſecrata & ſanctiſſimè converſata, ſeculum ignoravit potius quam reliquit.* Caſtellanus legit *Eadgitheæ.*

Joachim & Annæ. Felicis. Victoris. Niniani. Principii. Ludovici. Editheæ.

MOLAN. Typis minoribus: *In Anglia, Editheæ virginis abbatiſſæ, filiæ Edgari* &c. ut GREVEN. ſupra. *In Scotia, Niniani* &c. *In territorio Argentinenſi, ſanctæ Einbeth virginis, præclaræ ſanctitatis. Agnetis virginis de monte Policiano, cujus vitam Magiſter Raymundus, Ordinis Prædicatorum ſcripſit.* In poſterioribus editionibus duorum ferme dierum textus confuſi ſunt: nam hoc die referuntur Cornelius & Cyprianus, ex XIV Septembris, quibus ſubjungitur totus textus hodiernus. In fine additur: *In Anglia, ſanctæ Editheæ virginis, filiæ Edgari Regis. In territorio Argentinenſi, ſanctæ Einbeth virginis, præclaræ ſanctitatis.* Dein typis minoribus: *In Scotia, Niniani epiſcopi Candidæ caſæ & confeſſoris. Item obitus Agnetis de monte Policiano, cujus vitam ſcripſit Raymundus, Magiſter Ordinis Prædicatorum.* Vide Martyrol. Romanum & Acta XX Apr.

De Editha. *Niniani. Einbeth. Agnetis.*

XV *Kal.* *Die* 17.

ROmæ via Tiburtina, natalis ſancti Juſtini presbiteri, qui perſecutione Decii, Galli & Voluſiani confeſſionis gloria inſignis- ſimus fuit. Item Romæ, ſanctorum martyrum Narciſſi & Creſcentionis. Apud Leodium, beati Lamberti epiſcopi Tungrenſis, qui à nocentibus, innocenter occiſus, aulam cæleſtis regni perpetuo intravit victurus. In Brittanniis, ſanctorum Socratis & Stephani. Niveduno, ſanctorum martyrum, Valeriani, Macrini, & Gordiani. Item Corduba, ſancti Emiliani diaconi & Hieremiæ decollatorum.

Juſtini. Narciſſi & Creſcentionis. Lamberti. Socratis & Stephani. Valeriani & ſocior. Emiliani & Hierem.

Sic habent *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.* Quibus accedere poſſunt *Antverpien-max.* & *Lovanien.*

VARIA LECTIO. Dixi accedere poſſe Antverp-max. & Lovanien. nam hi, licet totum textum referant, in eo tamen ab aliis diverſi ſunt, quod de Lamberto agant primo loco, & in fine periodi legant *perpetuo victurus intravit*, contra antiquiores omnes. Iidem cum Praten. & Molan. ſcribunt *Tyburtina*, ſed prævalent alii. Rurſus cum Molan. omittunt nomen *Galli*; Munerat. poſuit *Gauli*. Antverp-maj. poſt *Voluſiani* omittit *confeſſionis*, & cum Antverp. Max-Lubec. Antverp-max. & Lovan. pro *inſigniſſimus*, ſcribit, *inſignis*. Munerat. autem *confeſſionis* mutavit in *Confeſſoris*. In Praten. eſt *Narcyſſi*, in Molan. *Narciſci*, in Antverp. & Max-Lubec. *Narciſſæ*: ſed quid in Greven. ſibi vult *Marcillæ*? Antverp-max. & Munerat. nomen *Creſcentionis* vertunt in *Creſcentiani*, & ſic habet Romanum parvum, pejus Lovanien. *Creſcentis*. Praten. videtur ſcripſiſſe *Leodicum*, quod in nullo alio codice reperio. Item *Lantberti*, ut cum eo habet ſolus Roſweyd. Nos ex Adone & reliquis codicibus prætulimus orthographiam communiorem, ſec. IX certo uſitatam, etiam apud Wandelbertum, quidni & apud Bedam, licet Rabanus & alii utantur *Landebertus*. Errat Antverp-maj. in *innocentum*, pro *innocenter*, item in *Brttannia*, pro *Brittanniis*, ut paſſim reperimus. Mitto reliqua menda ſcriptoria, ut *Niveduni* pro *Niveduno*, *Matrini* vel *Martrini* pro *Macrini*, *Cordubæ*, *Eliani* pro *Emiliani*, ut ſervant codices. *Dyaconi*, *Hiremiæ*, *Jeremiæ*, *Jheremiæ*.

OBSERVATIO. Romani parvi auctor ſic hodie textum ſuum orditur: *Romæ, Juſtini presbyteri, ad quem beatus Laurentius in vico Patricii nocte venit.* Nullus antiquior Martyrologus de eo, ſaltem hoc die, meminit. Ado, ipſum refert tertio loco, plura ex Actis ſancti Laurentii memorans, quorum initium & finem, ductoris verbis, Noſter connexuit. Illum ipſum Juſtinum inter Auctaria ſignavimus IV Auguſti, quo die eum ita canit Wandelbertus: *Juſtini.*

Juſtinus pridie proprio celebratur honore
Presbyter in numero ſanctorum, cæde peremptus
Crudeli, exquirens tumulos qui condecoravit.

Martyrii proprie dicti lauream ipſi etiam tribuit Baronius; hac Wandelberti aliorumque antiquorum monumentorum (ut ait) auctoritate ductus, inter quæ procul dubio computat res ejus *geſtas, ſeorſum poſitas & uberius conſcriptas*, ex quibus pateat ſupervixiſſe

ad tempora Claudii. (intellige II) tuncque martyrio coronatum fuiſſe. Quæ omnia proprio loco diligentius erunt examinanda. In laudato Romano parvo ſequitur: *Item Narciſſi & Creſcentiani*, quos diſtinctius penultimo loco Ado *Romæ* adſcribit, *in crypta arenaria*, ſecundum vocans *Creſcentionem*, quemadmodum ex ipſo Uſuardus deſcripſit. *Narciſſi & Creſcention.*

Quid in Actis ſancti Laurentii, in eorum laudem contineatur, patebit x Auguſti. Quintum & poſtremum locum in Adone tenet inclytiſſimus præſul & martyr *Lambertus*, de quo etiam meminere Beda & Rabanus, à quibus *Landebertus* appellatur, ſi nonnullis Bedæ ecgraphis aſſentiri volueris. Florus elogium plane vulgare ei tribuit. Plura ex geſtis delibat Rabanus, pauciora Ado, quem contrahit Notkerus. Uſuardus proprio marte & ſermone hîc loqui voluit, ſenſum quidem Adonis ſecutus, ſed aliis omnino formulis rem exprimens. Quouſque ad Hieronymiana *Lambertus* vel *Landebertus* pertineat, diſces ex Florentinio. Complura Acta de eo conſcripta novimus, auctores vide apud Baronium in hodiernis notis; Mabilionem ſec. 3. Benedict. parte 1, à pag. 66 & alios recentiores. Nec prætereundus eſt Wandelbertus, qui ſolum Lambertum ita hodie celebrat: *Lamberti.*

Lambertus quintum denum virtute coronat,
Factio quem cæſum ſemper tremebunda paveſcit.

De *Socrate* & *Stephano* agunt Beda, Rabanus, Ado & Notkerus, iiſdem prope terminis; ſuos Noſter plane mutuatus eſt ex Adone, in quo primo loco ponuntur. Inter Hieronymiana eos etiam memorat vetuſtiſſimum ecgraphum Epternacenſe, tacentibus ferme reliquis. Proxima, ſeu ſecunda in Adone annuntiatio eſt: *Nividuno, natalis ſanctorum martyrum Valeriani, Macrini & Cordiani*: ubi vides nihil à Noſtro mutatum eſſe, præter ultimum nomen. Eodem modo loquuntur Hieronymiana, niſi quod pleraque *Magrini* & *Gurdiani* ſcripſerint. Quid de bina hac claſſe in ſinceris monumentis eccleſiaſticis ſuperſit, ſuo loco diſquiremus. Hactenus ductores ſuos habuit, eoſque, eo modo quo explicavimus, ſecutus eſt Uſuardus, ſed poſtremi duo *martyres Cordubenſes* ab eo primum, imo ab eo ſolo conſignati ſunt, ex Arabicæ perſecutionis meſſe in Hiſpania collecta, quam ipſe in Galliam retulit, ut jam ſuperius ſæpe dictum eſt. Prioris nomen ab Uſuardo mutatum vix dubito, formatumque *Emilianum* ex *Emilla*, qui cum *Hieremia* ab Eulogio refertur lib. 2 Memor. cap. 12. Cur in Romano moderno locum non habeant, ſed eorum loco *Columba* ex Memor. lib. 3 cap. 10 ſubſtituatur, non aliam cauſam video, quam quod ejus reformatores Galeſinium ſecuti ſint, neglectis Belino, Maurolyco, Felicio & aliis, quibus tamen uſos eos fuiſſe ſatis conſtat. At enim binos noſtros vere Uſuardinos eſſe æque ac ceteros, codices noſtri evidenter demonſtrant. *Socratis & Stephani.* *Valeriani & ſocior.* *Emiliani & Hieremiæ.*

AUCTARIA.

PULSANEN. In prima annuntiatione truncatus eſt: in ſecunda purus: deeſt tertia: purus eſt in quarta: deeſt iterum quinta In ſexta deeſt ultima totius textus vox *decollatorum*.

ULTRAJECT. & LEYDEN. Ex Adone Lamberti elogium amplificant, hoc modo: *Apud Leodium, beati Lamberti epiſcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis accenſus increpaſſet, & rediens, in eccleſia ſua orationi incumberet, à nocentibus innocenter occiſus, aulam cæleſtis regni perpetuo victurus intravit.* Sequuntur reliqua, quæ ad textum ſpectant. *De Lamber.*

ALBERGEN. & DANIC. Idem habent initium; ſed de Juſtino, Narciſſo & Creſcentione, nihil.

CENTULEN. *Romæ, ſanctorum martyrum Narciſſi & Creſcentionis. Cordubæ, ſanctorum Emiliani diaconi, & Jeremiæ, quorum corpora poſt abſciſionem capitum igni tradita ſunt. Niveduno, ſanctorum martyrum Valeriani, Machrini & Gordiani. In Britannia, ſanctorum Socratis & Stephani. Eodem die, paſſio ſancti Lamberti, Trajectenſis eccleſiæ epiſcopi.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. Incipit: *Apud Leodium, paſſio beati Lamberti epiſcopi & martyris. Qui fuit Apri comitis filius, quem ſanctus Landoaldus in via Dei induxit, ſicque ipſe beato Theodardo in epiſcopatu Trajectenſi ſucceſſit. Sed Ebronii* [Ebroini] *factione ab epiſcopatu dejectus, in Stabulaus cœnobio per ſeptem annos monachatur. Quem Pippinus tandem in ſua ſede reſtituit, & quia ipſe zelo religionis accenſus, præfatum Pippinum principem increpare auſus ſit, quod Alpaidem pellicem, ſuæ legitimæ Plectrudi ſuperduxerit, à Dodone fratre Alpaidis martyrizatur.* In Juſtino, deinde in Narciſſo & Creſcentione modice interpolatus eſt. Sequuntur Cordubenſes, tum Nivedunenſes & Britanni, pure. In fine: *Et Waſtagio, ſancti Eruagindi confeſſoris. Item ſancti Mauricii epiſcopi & confeſſoris.* *De Lamber.* *Eruagindi.* *Mauritii.*

HAGENOYEN. De Juſtino, nihil. In Narciſſo & Creſcentione purus eſt. Tum de Cordubenſibus & Nivedunenſibus, ſatis bene. Deſunt Britanni. Tum: *Item Merantii, ſanctorum Deſiderii epiſcopi & Reginfridi martyrum. In monaſterio ſancti Ruperti in Pingwia, Maguntinæ diœceſis, ſanctæ Hildegardis ſanctimonialis & propheteſſæ. Apud Leodium, beati Lamperti epiſcopi & martyris* &c. De quo jam ſatis diximus. *Ipſo die, ſancti Floſcelli martyris.* *Deſiderii & Reginfridi.* *Hildegardis.* *Floſcelli.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Lamberti epiſcopi & martyris. Flocelli pueri martyris. Hildegardis virginis. Narciſſi & aliorum martyrum.* *Floſcelli.* *Hildegardis.*

CODEX BIGOT. ſign. D 9. *Ipſo die, ſancti Floſcelli martyris.* Signatur in pleriſque codicibus, ſed vide ejus elogium infra inter Auctaria GREVEN. *Floſcelli.*

CAM-

CAMBERIEN. S. MARIÆ. *Item Romæ, beati Juſtini presbyteri.* Neſcio an cetera pura ſint.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt ultima annuntiatio *Emiliani & Hieremiæ.*

FLORENTIN. *Feſtum ſacrorum ſtigmatum Jeſu Chriſti in corpore S. Franciſci.* Tum STROZZIAN: *Ipſo die, ſancti Steſelli* [veroſimillime legendum *Floſcelli*] *martyris egregii.*

Invent. Gebetrud. Deſiaerii. CODEX MONTIS SANCTI. *Inventio ſanctæ Gebetrudis & Deſiderii martyris, Rudunenſis epiſcopi.*

BELNEN. *Natale ſancti Floſcelli martyris.*

EDITIO LUBECO-COL. In Lamberto ferme ſimilis eſt ULTRAJECT. &c. Secundo loco de Britannis, dein de Nivedunenſibus: quarto de Narciſſo & Creſcentione; quinto de Cordubenſibus; denique de Juſtino, ubique ſatis pure.

BELIN. In quatuor primis non omnino purus, quinto loco ſubdit: *Eodem die, octava ſancti Nicolai confeſſoris de Tolentino. Eodem die, feſtum, id eſt impreſſio ſacrorum Stigmatum Domini noſtri Jeſu Chriſti in carne, id eſt in corpore ſancti Franciſci, in ſacro monte Alvernæ, de diœceſi Aretina.* Sequitur de Nivedunenſibus & Cordubenſibus, pure. In fine: *Ipſo die, ſancti Fleſelli, martyris egregii.*

Octavæ Nicolai. De Stigmat. Floſcelli.

GREVEN. Longiora habet multorum Sanctorum elogia. *Ipſo die, ſanctorum Deſiderii & Reginfridi. Paſſio ſancti Floccelli pueri, qui tempore Antonini imperatoris, cum Chriſtianos in tormentis poſitos confortaret, cum leone in carcerem, ab eo devorandus, miſſus eſt, ſed ipſo orante leo moritur. Eductus è carcere atque in ignem miſſus, igne extincto, ipſe poſtmodum martyrium ſuum implevit. Tarraſis confeſſoris, cujus corpus juxta Conſtantinopolim in ſpelunca repertum, titulo appoſito: Hic requieſcit corpus ſanctæ Tarraſis confeſſoris, in urbem primum regiam, deinde Venetias tranſlatum, in monaſterio beati Zachariæ quieſcit. Leandræ virginis. Apud Pinguiam in diœceſi Maguntinenſi, depoſitio ſanctæ memoriæ Hildegardis virginis. Quæ tempore ſancti Bernardi abbatis odorem ſuæ ſanctitatis late ſparſit, adeo ut plurimi Romani Pontifices ei ſcribentes, ſe & Eccleſiam Romanam orationibus illius commendaverint: cumque Latini ſermonis eſſet ignara, ſpiritu ſancto docente, omnia quæ ſcripſit, Latine exceptoribus dictavit. In monte qui dicitur Alvernæ, prope Aſſiſium, impreſſio ſacrorum Stigmatum in corpus ſancti Franciſci. Cum enim idem vir Dei, ſeraphicis tempore quodam deſideriorum ardoribus ſurſum ageretur in Deum, atque in gratioſo aſpectu Chriſti crucifixi ſibi tam mirabiliter quam familiariter apparentis, exceſſivam quamdam conciperet lætitiam, ac dira Crucis affixio animam ipſius compaſſionis transfigeret gladio, poſt archanum cum Chriſto alloquium, caro ejus crucifixo conformiter inſignita (ſignis videlicet clavorum ex carne ſurgentibus, in manibus ac pedibus, nec non rubra cicatrice in latere dextro) apparuit.*

Deſiderii & Reginfr. Floſcelli. Tarraſis. Leandræ. Hildegardis.

MOLAN. Poſt *inſigniſſimus fuit*, aliis litteris ex Adone inſerit: *Quem beatus Sixtus ordinavit. Hic beatos Hippolytum & Concordiam, Ireneum & Abundium, & Cyrillam filiam Decii Cæſaris, martyres & alios plurimos ſepulturis condidit* De Lamberto multa etiam ex eodem Adone iiſdem litteris immiſcet. In fine: *Ipſo die, ſancti Freculli martyris egregii. In monte, qui dicitur Alvernæ prope Aſſiſium, impreſſio ſacrorum Stigmatum in corpore beatiſſimi patris noſtri Franciſci. Ipſo die, elevatio ſanctæ Hiltrudis virginis.* Tum minoribus litteris, de Hildegarde & Tarraſe, ut GREVEN. Denique: *depoſitio ſanctorum confeſſorum & presbyterorum Juſtini & Similini: de quibus Greg. Turonicus.* In aliis editionibus Juſtinus IV Auguſti poſitus, hoc die omittitur, poniturque primo loco Lambertus cum acceſſionibus, ut in prima. In fine de *Flocello*, ut ſupra. *Apud Bingam, ſanctæ Hildegardis virginis, quæ tempore ſancti Bernardi abbatis, odorem ſuæ ſanctitatis late ſparſit.* De Stigmatibus ſancti Franciſci, ut ſupra, excepta voce *noſtri*. Denique: *Lætus, ipſo die, elevatio ſanctæ Hiltrudis virginis.*

De Juſtino. Floſcelli. De Stigmat. Elevat. Hiltrudis. Juſtini & Similini. Hildegardis.

De Stigmat.

XIV *Kal.* *Die* 18.

NAtalis beati Methodii, Olimpi Liciæ, & poſtea Tiri epiſcopi, qui ſub Diocletiano in Calcide Græciæ, ut ſcribit ſanctus Hieronimus, martyrio coronatus eſt. Viennæ, ſancti Ferreoli, qui cum eſſet tribunitiæ poteſtatis, juſſu impiiſſimi præſidis tentus, & primò crudeliſſimè verberatus, dein gravi catenarum onuſtus pondere, in teterrimum carcerem truſus eſt, ac poſtea martyrii palmam capitis obtruncatione percepit.

Methodii. *Ferreoli.*

In textu conveniunt *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Molan. ab antiquiorum ſcribendi modo deflectens, recte poſuit *Olympi Lyciæ*: Praten. Antverp-maj. Munerat. Greven. & alii paſſim ſimpliciter *Olimpi Liciæ*; in Herinien. & Roſweyd. nimium ſapere voluit amanuenſium perſpicacia, nam in primo eraſum eſt *pi*, ita ut legatur *olim Liciæ*: in altero *pi* cum *Liciæ* connexum eſt, facitque proinde *olim Piliciæ*. Nos orthographiam paulo meliorem, ſaltem communiorem ſecuti ſumus. *Tyri* recte ſcribunt Herinien. & Molan. nos cum reliquis, ut eſt in textu. Munerat. poſt *Epiſcopi*, addit & *Martyris*. Male legit ſolus Praten. in *Colcide*, alii omnes in *Calcide*, præter Herinienſem, qui in *Calchide* & Molan. qui in *Chalcide*. Lego, *ut ſcribit ſanctus Hieronymus* cum omnibus, excepto codice Praten. & Antverp-majore, qui τὸ *ſanctus*, omittunt. De *Hieronimus*, dixi alibi. *Fercoli*, pro *Ferreoli*, mendum eſt in Ant-

verp-majore. Munerat. habet, *deinde catenarum onuſtus*; melius Greven. & Molan. *deinde gravi catenarum* &c. ſed nos cum ceteris *dein*. Sic prædicti Greven. & Molan. poſt *truſus eſt*, abſolvunt ſenſum, novumque incipiunt: *Poſtea vero* &c. Alii omnes habent, ut nos in textu ſcripſimus.

Methodii. OBSERVATIO. *Methodius* epiſcopus, doctor & martyr, ſcriptis non minus, quam ſanctitate & martyrii corona inclytus, multis tum antiquorum, tum recentiorum encomiis celebratur. Inter hos colligit Tillemontius tomo 5 à pag. 466 quidquid ferme alii ſparſim poſterorum memoriæ reliquerunt. Inter antiquos *Methodium* maxime prædicat Hieronymus de Scriptoribus eccl. cap. 83, ex quo à Romani parvi auctore (neque enim apud Hieronymianos codices, Bedam, Florum aut Rabanum memoratur) acceptus videtur, his verbis: *Methodii, Olympi Lyciæ & poſtea Tyri epiſcopi, qui ſub Diocletiano, martyrio coronatus eſt.* His Ado palæſtram dumtaxat ſeu locum martyrii ſuperaddidit, nempe *in Chalcide Græciæ*, quæ inde deſumpſit Notkerus, cum ea variatione, quod *Ebacide* poſuerit pro *Chalcide*, amanuenſis, opinor, vitio. Noſter præterea fontem indigitat, unde omnia deſcripta ſunt & plura deſcribi potuere. Bene etiam à Wandelberto laudatur Methodius, hiſce verſiculis:

Ore, fide antiſtes, ſignis & ſanguine martyr
Methodius, quartum denum celebrandus honorat.

Ferreoli. De *Ferreolo* quamtumvis celebri Viennenſi martyre nullus hoc die Martyrologus locutus eſt ante Adonem. Videtur tamen locum habere in vetuſtiſſimo Epternacenſi, cujus laterculum ab incurioſo librario male habitum cenſet Florentinius, cum in eo ſequenti die referatur. Tu illum ibi conſule. Interim ex Adone non niſi paucula extraxit Notkerus, ſed ita tamen, ut martyrium Brivatum etiam tranſferat, quod cum ſincerioribus Actis (quæ veroſimiliter Adoni ignota fuerunt) non ſatis cohæret, ut per te dignoſcere poteris, ſi ea conſulas quæ olim Surius & non ita pridem inter ſelecta edidit Ruinartius à pag. 509. Notiſſima Ferreoli cum Juliano Brivatenſi, de quo XXVIII Auguſti egimus, conjunctio, fecit, ut utriuſque res geſtas copulaverit Tillemontius tomo 5 à pag. 279, apud quem breviter deductum invenies quidquid in utriusque laudem alibi illuſtrandum erit. Uſuardus noſter ex Adonianis encomium ſuum tam prudenter attemperavit, ut nihil aſſerat, quod cum citatis Actis non aptiſſime conveniat. Antiquam de Ferreolo Miſſam exhibet Miſſale Gothicum ſeu potius Gallicanum à Thomaſio editum pag. 359.

AUCTARIA.

PULSANEN. In prima annuntiatione mutilus eſt, ubi etiam pro *Olympi Lyciæ*, ſcribit *olim Ciliciæ*. In altera de Ferreolo purus eſt.

ANTVERP. MAX-LUBEC. AQUICINCT. VICTORIN. BIGOTIAN. ſub littera P. 5. REG. SUEC. ſub num. 130 & UGHELLIAN. Omnes in textu ſatis puri, adjiciunt in fine: *Item, ſanctorum Trophimi, Oceani & Euſtorgii.* De vera horum diſtinctione & poſitione vide apographa Hieronymiana apud Florentinium. *Trophimi & ſociorum.*

ANTVER MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. Textum etiam ſatis purum referunt, cui in fine ſubdunt: *Mediolani, depoſitio ſancti Satiri confeſſoris, fratris ſancti Ambroſii.* Hic in Romano hodierno ponitur die præcedenti. Sequitur: *Item ſanctorum Trophimi* [apud aliquos *Trophini*] *Occeani, & Euſtorgii.* Mirum eſt, in DANICO pro *natale*, ſcribi in principio *Neapoli*. *Satiri.* *Trophimi & ſociorum.*

CENTULEN. *Natale ſancti Methodii Olimpiliciæ & poſtea Tiri epiſcopi, qui ſub Dyocletiano in Calcide Græciæ martyrio coronatus eſt. Viennæ, ſancti Ferreoli martyris.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. Solus inter omnes ita diem orditur: *Romæ, ſancti Martini Papæ & martyris. Qui dum Miſſam celebraret, Spatarius Olympii miſſus ad occidendum, & levans ad id gladium, cæcus efficitur. Et poſt ipſe Papa mittitur in exilium. Cujus memoria principaliter agitur* IV *Idus Novembris, qua die ipſe feliciter migravit ad Dominum.* Quæ cauſa fuerit, eum hac die Bruxellis recolendi, hactenus ignoro, nec inquirere operæ pretium exiſtimo. Vide quæ die XVI Septembris diximus occaſione verſiculi Wandelbertini. Sequitur textus ſatis purus. Deinde in fine: *Mediolani, depoſitio ſancti Euſtorgii epiſcopi, & beati Satiri confeſſoris, fratris ſancti Ambroſii. Item ſanctorum Trophini, Occeani & Sixti.* *Martini PP* *Euſtorgii* *Satiri.* *Trophini &c.*

HAGENOYEN. De Methodio, poſt *epiſcopi*, inſerit: *Doctoris egregii & martyris eximii.* In reliquo textu tantum modice interpolatus eſt. In fine adjicit: *Mediolani, depoſitio ſancti Sathiri confeſſoris, fratris ſancti Ambroſii, ejuſdem civitatis epiſcopi. Ipſo die, paſſio ſanctorum martyrum Trophini, Occeani & Euſtorgii, & aliorum. Fandela, ſanctæ Richardis virginis & imperatricis. In pago Caſtinâ, ſancti Severii confeſſoris, viri ſanctitate mirabilis & præclari.* Vide de his duobus clarius loquentem Caſtellanum in Martyrol. univerſali pag. 472. Item MOLAN. infra. *De Method.* *Satiri.* *Trophini &c.* *Richardis.* *Severii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Ferreoli tribuni & martyris. Methodii, epiſcopi & martyris. Satyri confeſſoris, fratris beati Ambroſii.* *Satyri.*

CODEX D. DU CHEVAL. ſignatus B. addi poterat ſuperioribus, in quibus poſt textum legitur: *Item ſanctorum Trophimi, Oceani & Euſtorgii.* *Trophimi &c.*

In VATICAN. num. 5949. Sic adjicitur: *Nicomediæ, ſanctorum Oceani, Xiſti & Euſtorgii epiſcopi.* Dixi ſuperius de his conſulenda eſſe apogra- *Oceani &c.*

apographa Hieronymiana. *Euſtorgius epiſcopus* aliò ſpectat.

FLORENTIN. *Item ſanctorum martyrum Triphonii (Triphinii) Oceani & Euſtorgii.* Tum STROZZIAN. *Mediolani, depoſitio, ſancti Satiri confeſſoris.* *Trophim.&c Satiri.*

EDITIO LUBECO-COL. In textu aliquantulum interpolata, ſubdit: *Mediolani, depoſitio ſancti Satyri confeſſoris, fratris ſancti Ambroſii epiſcopi. Item Mediolani, natale ſancti Euſtorgii epiſcopi & confeſſoris. Hic corpora ſanctorum trium Magorum à Conſtantinopoli Mediolanum transvexit & multis miraculis clarens in pace quievit.* *Satyri. Euſtorgii.*

Eodem die, ſanctorum Trophinii, Occeani & Euſtorgii martyrum. Item viginti quatuor ſeniorum. *Trophim.&c Senior.24.*

BELIN. Textui ſubdit: *Eodem die, ſancti Euſtorgii epiſcopi & confeſſoris. Mediolani, depoſitio ſancti Sathiri confeſſoris.* *Euſtorgii Satyri.*

GREVEN. *Viginti quatuor ſeniorum, quos Apocalypſis Johannis commemorat. Ipſo die, ſecundum catalogum Sanctorum, Victoris & Stephanæ, quæ latine dicitur Corona. Quorum Victor cum eſſet miles à Cilicia, pro fide Chriſti, poſt digitorum evulſionem, camino ignis incluſus, triduo ibi permanſit illæſus. Deinde juſſu Sebaſtiani ducis Alexandriæ, poſt hauſtum venenum, poſt oleum fervens, lampades lateribus applicitas, acetum cum calce ori infuſum, exoculatus atque excoriatus, capitis abſciſſione, victoriæ perhennis meruit triumphum. De Stephana require pridie Idus Maii, ubi hos Martyres habet Uſuardus. Florentii martyris. Trophimiæ, Occeani, & Euſtorgii martyrum. Apud Mediolanum, ſancti Euſtorgii epiſcopi & confeſſoris. Hic corpora beatorum Magorum* &c. ut ſupra. *Mariani epiſcopi. Synerii epiſcopi & confeſſoris. Mediolani, depoſitio beati Satyri confeſſoris, fratris ſancti Ambroſii epiſcopi, qui ejus virtutes eleganti delucidans ſtilo, in libro quem inſcripſit de exceſſu fratris, dicit eum ſacri dona baptiſmatis, caſto corpore & puro corde intemerata ſervaſſe. Item beatæ memoriæ Egberti, epiſcopi Treverenſis & confeſſoris. Beatæ etiam memoriæ Arnulphi fratris ejus, tertii Comitis Hollandiæ, ab impiis innocenter occiſi. Necnon Herlindis virginis, æquè ſanctæ memoriæ, ſororis eorum.* *Florentii. Trophim.&c. Euſtorgii. Mariani. Synerii. Satyri. Egberti. Arnulphi. Herlindis.*

MOLAN. *Apud Abrincas, depoſitio ſancti Sinerii, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris. Mediolani, ſancti Euſtorgii epiſcopi & confeſſoris. Mediolani, depoſitio ſancti Satyri confeſſoris, ac germani, præclariſſimi Doctoris ac epiſcopi Ambroſii. Qui in libro, quem de fratris obitu compoſuit, in ejus laudem ita inter cetera, dixit: Nihil quidem habui, fratres chariſſimi, in rebus humanis tanto fratre pretioſius, nihil charius. Bos frequenti mugitu pium teſtatur affectum, ſi forte defecerit cum quo ducere collo aratra conſuevit. Et ego te frater non requiram? aut poſſim umquam oblivi ſci tui, cum quo vitæ hujus ſemper aratra ſuſtinui? labore enim inferior, ſed amore conjunctior. Latus enim meum tuo latere ſepiebas, caritate, ut frater, cura, ut pater, ſolicitudine, ut ſenior, reverentia ut junior.* Editiones aliæ de Euſtorgio & Satyro eadem habent quæ in prima. Tum ſequitur: *Apud Abrincas, depoſitio ſancti Sinerii* &c. etiam ut ſupra. A Caſtellano vocatur *Senator*, apud quem vide ulteriorem ejus notitiam. Deinde: *In Germania, monaſterio Andelaha, depoſitio ſanctæ Richardis imperatricis, conjugis Caroli craſſi & virginis. Die decima octava, ſancti patris Eumenii, epiſcopi Gortynæ, thaumaturgi. Bergis, glorioſa tranſlatio corporis ſanctiſſimi patris* [noſtri] *Vuinoci abbatis.* *Sinerii. Euſtorgii. Satyri. Richardis. Eumenii. Tranſlat. Winoci.*

XIII *Kal.* *Die* 19.

IN Neapoli Campaniæ, natalis ſanctorum Januarii Beneventanæ civitatis epiſcopi, Feſti & Proculi diaconorum, Deſiderii, Eutici & Acuti, qui poſt vincula & carceres capite cæſi ſunt in civitate Puteolana, ſub Diocletiano principe. Item in Paleſtina, ſanctorum martyrum Pelei & Nili epiſcoporum, qui tempore perſecutionis cum plurimis clericis pro Chriſto igni conſumpti ſunt. Apud Nuceriam, natalis ſanctorum martyrum Felicis & Conſtantiæ, qui ſub Nerone paſſi ſunt. In territorio Lingonicæ civitatis, ſancti Sequani presbiteri. *Januarii & ſocior. Pelei & Nili. Felicis & Conſtant. Sequani.*

Ita *Praten. Herinien. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *In Neapolim*, pro *In Neapoli*, antiquo ſed mendoſo ſcribendi modo eſt in Herinienſi. Greven. *Feſti & Procli* pro *Proculi*. Codices paſſim habent *Lutici*, ut eſt in textu; Antverp-maj. *Euticii*. Idem legit, *Pelei & Lini*. Munerat. *Pelei & Jilii*. Rurſus Munerat., ubi codices omnes habent *pro Chriſto*, ſubſtituit, *pro Chriſti nomine*. Ibidem, *apud Miceriam*, pro *apud Nuceriam*. Et iterum, *Nerone imperatore*. Greven. Adoniano modo ſcripſit *Linguonicæ*. Et ſic Herinien. cum antiquioribus Martyrologis *Sigonis*, pro *Sequani*, quod nomen ſervavimus, quia in codicibus noſtris magis receptum. Antverp-maj. & Munerat. vocant *Signi*. Apud alios etiam legitur *Sigoni* vel *Sigonci*. Greven. claritatis cauſa, parentheſim textui interjecit, *Sequani (alias Sigonis)* ſed diverſis iſtis nominibus ſeu potius variis inflexionibus, unum ubique eumdemque indigitari ſatis certum eſt.

Januarii & ſociorum. OBSERVATIO. De prima Martyrum turma, multa hoc die à Baronio in notationibus, plura à Florentinio XII & XIX Septembris diſputantur, quæ amplam alibi differendi materiam ſuppeditabunt. Summa rerum geſtarum & martyrii capita collegit & accurate digeſſit Tillemontius tomo 5 à pag. 365. Apographa Hieronymiana ſatis confuſa & mutila ſunt utroque die jam citato. Beda, poſt eum Rabanus & item Ado, idem prorſus elogium pro tota claſſe referunt. Crediderim Bedam ex antiquioribus Actis (nam qui alia ſcripſit Joannes Diaconus longè Beda poſterior eſt) encomium ſuum concinnaſſe. Quæcumque autem Actorum illorum auctoritas ſit, inde immortalis Januarii toto orbe Catholico gloria nequaquam obſcurari poteſt, ut ex pluribus monumentis Mss. in eum finem collectis, ſuo loco oſtendetur. Sequor hîc Martyrologia. Romanum parvum ita ſcripſit: *Neapoli, Januarii, Soſii, Feſti, Deſiderii, Proculi, Eutychetis, Acuti.* Ubi pro re noſtra maxime notandum eſt, ab illis omnibus atque à Notkero, Adonis etiam contractore, ſeptem martyres connumerari. Uſuardus ſua quidem omnia ex Beda vel Adone decerpſit, ſed cum illi ambo *Soſium* denuo ſeorſim recolant XXIII Septembris, eum Noſter hîc ad vitandam repetitionem, prætereundum cenſuit. Quam viam inierit Baronius, ex hodierno Romano Martyrologio cuique obvium eſt perſpicere.

Pelei & Nili. *Paeli, Nili* & plurium aliorum memoriam apud Hieronymiana invenio, non *in Palæſtina*, ſed *Alexandriæ*, de quibus ex Euſebio de Martyribus Palæſt. cap. 13 & lib. 8 Hiſt. cap. 13 fuſius agit Florentinius, verum duobus prioribus ſocium jungens *Patermuthium*, pro quo apud Notkerum *Marcus*, alibi *Elias* irrepſit, qui forte melius diceretur *alius*, nempe presbyter anonymus, ab Euſebio non expreſſus. Beda & Rabanus de ipſis non meminêre. Romanum parvum breviſſime: *Et Pelei & Nili;* ut plerumque illius auctor in more poſitum habet, ſola martyrum nomina ex Euſebio Rufini extrahere. Ado nihil magnopere addidit, ſed ſic annuntiationem formavit uti eam ex ipſo deſcripſit Noſter, omiſſo tamen tyranni nomine; nam ubi Ado clare exprimit, *qui perſecutione Diocletiani*, Noſter indefinite, *qui tempore perſecutionis*, forte quod ἀντονομαστικῶς omnium violentiſſimam ſatis intelligi putaverit. Duos hoſce epiſcopos Tyrannioni, Silvano, Zenobio & anonymis Martyribus Tyriis conjunxit Ado XVIII Februarii; vide quæ ibi diximus.

Felicis & Conſtantiæ. Circa *Felicem* & *Conſtantiam* magna in Hieronymianis depravatio, in quibus cum bis reponantur, hoc nempe & ſequenti die, ita aliis commixti ſunt & ſexu confuſi, ut vix vera nomina, vix certam palæſtram inveniat Florentinius, cui ipſos tuto adſcribat, quamdiu aliis implexi ſunt. Unde Noſter ſua acceperit, non longe quærendum eſt, cum ſingula verba ex Adone deſcribat, ut ferme etiam fecit Notkerus. Florus à reliquis omnibus diſſentiens, eos die præcedenti ſed abſque poſitione, ita annuntiat: *Et paſſio ſanctorum Felicis & Conſtantii, qui paſſi ſunt ſub Nerone imperatore.* Qui ultimum locum tenet *Sigo*, *Sequanus* vel *Sequani.* *Signus* pro varia antiquorum nomenclatura, videtur ab Adone ex Hieronymianis extractus, unde in Noſtrum & Notkerum totidem verbis tranſiit. Dubitat Florentinius an unus & idem ſit *Sigo* ſeu *Sigonus* & *Sequanus;* verum ſi ex hujuſmodi diverſitate pro multiplicitate argui poſſit, jam Sanctus ille quadruplex imo & quintuplex eſſe poterit. Apud laudatum Florum ita idem celebratur his verbis: *In territorio Lingonicæ civitatis, monaſterio Segeſtro, depoſitio ſancti Sigonis presbyteri & confeſſoris.* Simili phraſi utuntur & alii etiam inter Uſuardinos, at vero & in hac parte & in reliquo textu germanam Uſuardi lectionem à nobis traditam, manifeſtiſſimum eſt. Nihil de Sequano reperit Surius præter cap. 88, quod male 8 vocat, Greg. Turon. de Gloria Confeſſorum. Vitam habemus Ms. qualem edidit Mabilio ſec. 1 Benedict. à pag. 263, cum alia paulo contractiori, quæ ambæ ſuo tempore conferri & illuſtrari poterunt. *Euſtathium* vel *Euſtachium* hodie canit Wandelbertus, at quo is ſpectet dicetur alibi.

AUCTARIA.

Turgii & ſociorum. Mariani. ROSWEYD. Textum ſatis purum habet, ſed in fine adjungit: *Item Turgii epiſcopi, Pii diaconi cum aliis* CLIV. *Biuriæ, Mariani epiſcopi confeſſoris.* Vide quæ cum Uſuardo diximus XIX Auguſti.

PULSANEN. In prima fere purus eſt. Subjungit immediate: *Apud Nuceriam, natalis ſanctorum martyrum Felicis & Conſtantiæ.* Deſunt reliqua omnia, ut jam ſæpius ſupra.

ANTVERP. MAX-LUBEC. ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. Poſt *Sequani*, addunt, *abbatis, plurimæ juſtitiæ presbyteri. Turonis, ſancti Euſta-*

De Sequano. Euſtoch. ep. *chii epiſcopi, magnarum virtutum viri.* Corrigendi hîc paſſim codices, nam verum nomen eſt *Euſtochius*, ut recte MOLAN. infra.

Textus mutatus. CENTULEN. *Neapoli Campaniæ, ſanctorum Januarii, Beneventanæ civitatis epiſcopi, cum Soſſio, diacono Meſenate civitatis, & diacono ſuo Feſto & lectore ſuo Deſiderio, ſub judice Draconio. In Paleſtina, ſanctorum Peles & Lini epiſcoporum, qui cum clericis multis pro confeſſione Chriſti, igni conſumpti ſunt. Apud Nuceriam, ſanctorum Felicis & Conſtantiæ, qui ſub Nerone paſſi ſunt. In territorio Linguonenſi, ſancti Sigoni presbiteri & monachi, qui miræ abſtinentiæ ſectator extitit.*

BRUXEL-

BRUXELLEN. Incipit: *Romæ, ſanctorum martyrum Euſtachii, cognomento Placidi & uxoris ejus Theoſpis, cum filiis Agapito & Theoſpite. Quorum Actus, peregrinatio atque converſio ſub Traiano imperatore, mirabiles leguntur. Et quia diis ſacrificare noluerunt, in inicio regni Adriani imperatoris in bove æneo, igne ſuccenſo, cremati ſunt.* Jam diximus hos Sanctos à Wandelberto etiam hoc die recoli; in Romano hodierno ponuntur die ſequenti, quo etiam ab Adone rejecti ſunt, nos de iis cum Uſuardo agemus 11 Novembris. Sequitur textus, ſed tranſpoſitus. Primo loco eſt; *Apud Micenam*, pro *Nuceriam* &c. Tum, de Januario & ſociis; deinde de Palæſtinis. Tum interjicitur: *Item Theodori martyris. Turonis, ſancti Euſtachii epiſcopi, magnorum virtutum viri. In territorio Lingonicæ civitatis, depoſitio ſancti Sequani abbatis, & ſancti Sigonis, plurimæ juſtitiæ presbyteri.* Hîc clare, ſed male, ni fallor, diſtinctos habes *Sequanum* & *Sigonem*, de quibus jam ſupra in Obſervatione ſatis diximus. *In territorio Bituricenſi, depoſitio ſancti Mariani confeſſoris.*

De Euſtach. & ſociis. *Theodori.* *Euſtach. ep. Sequani & Sigonis.* *Mariani.*

HAGENOYEN. In prima & ſecunda ſatis purus, ſubjicit: *Metis, depoſitio ſancti Goerici epiſcopi & confeſſoris.* Vide Surium. *Item ſancti Arnolfi epiſcopi & confeſſoris.* An epiſcopi Vapincenſis? Sequitur: *Apud Nuceriam, natalis ſanctorum* &c. pure. Demum de Sequano & Euſtachio Turonenſi, ut ANTVERP. &c. ſupra.

Georici. *Arnolfi.* *Euſtach. ep.*

AQUICINCT. In fine: *Item ſancti Zenonis martyris.* Infrà vocatur *Genonis.*

Zenonis.

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. *Item in territorio Biturico, ſancti Mariani.*

Mariani.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Materni, epiſcopi & confeſſoris. Januarii epiſcopi & martyris cum ſociis. Pelei & Nili, epiſcoporum, qui cum plurimis clericis igne conſumpti ſunt.*

Materni.

CODEX D. DU CHEVAL. ſign. B. *Treveris, beati Materni epiſcopi & confeſſoris.* Vide XIV Septembris. *Codex* ejuſdem, ſign. C. *Item Genonis martyris.* Is forte eſt, qui ab aliis *Zeno* vocatur. Sub neutra inflexione hîc colitur.

Materni. *Genonis.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Sequani.*

UGHELLIAN. *Turonis, ſancti Euſtachii epiſcopi, magnarum virtutum viri.*

Euſtach. ep. *Sequatii.* *Mariani.*

FLORENTIN. *Sancti Sequatii abbatis .... Item, ibidem ſancti Mariani confeſſoris.*

BURDEGALEN. *In territorio Lingonicæ civitatis, ſancti Signi presbiteri. Item Beonis martyris.*

Signi. *Beonis.*

CODEX CASTRI-KAROLI. *In territorio Lingonicæ civitatis, ſancti Signi presbiteri.* Hîc patet indicari *Sequanum*, ut in priori.

Signi.

BIZUNTICEN. *Metis, ſancti Goherici epiſcopi & confeſſoris.* Idem eſt, qui ſupra *Goericus* appellatur.

Goherici.

REMENS. SS. Timoth. & Apoll. *In territorio Lingonicæ civitatis, monaſterio Segeſtro, depoſitio ſancti Sigonii presbiteri & monachi.*

Sigonii.

EDITIO-LUBECO-COL. In tribus primis fere pura eſt, deinde ſubdit: *Treveris, ſancti Mileti epiſcopi & confeſſoris. Methis, ſancti Goerici epiſcopi & confeſſoris. In territorio Lingonicæ civitatis, depoſitio ſancti Sequani abbatis, plurimæ juſtitiæ presbyteri.* De Euſtachio Turonenſi, ut ſupra. *Eodem die, ſancti Zenonis martyris. Ipſo die, commemoratio ſancti Materni archiepiſcopi & confeſſoris, apud Tungerim.*

Mileti. *Goerici.* *Euſtach. ep.* *Zenonis.* *Materni.*

BELINI prima editio, penultimo loco interjicit: *Turonis, Euſtachii epiſcopi, magnarum virtutum viri.* Altera editio in fine adhuc ſubjungit: *Item Genonis martyris.*

Euſtach. ep. *Genonis.*

GREVEN. *Alexandriæ, ſanctorum Demetrii, Niceti & Caſtoris. Item Zenonis martyris. Metis, ſancti Goerici, epiſcopi & confeſſoris. Treveris, ſancti Mileti epiſcopi & confeſſoris. Turonis, ſancti Euſtachii epiſcopi & confeſſoris, magnarum virtutum viri. In Anglia, beati Theodori archiepiſcopi Cantuarienſis & confeſſoris. Hic (teſte Beda, lib. 4) natus Tarſo Ciliciæ, divina & humana litteratura, Latine Græceque inſtructus, probis moribus & ætate venerandus, cum eſſet annorum ſexaginta ſex, à Vitaliano Papa Doruvernenſis ſeu Cantuarienſis epiſcopus conſecratus, totius Angliæ eccleſias exemplo & doctrina replens, plenus dierum quievit in pace.* Vita exſtat apud Surium. *Turgi epiſcopi & confeſſoris. Eligii epiſcopi & confeſſoris. Apud Tungrim, commemoratio ſancti Materni epiſcopi & confeſſoris.*

Demetrii & ſociorum. *Zenonis.* *Goerici.* *Mileti.* *Euſtach. ep.* *Theodori.* *Turgi.* *Eligii.* *Materni.*

MOLAN. *Turonis, ſancti Euſtochii epiſcopi, magnarum virtutum viri. Treberis, ſancti Meliti* [Mileti] *epiſcopi. In Anglia, beati Theodori archiepiſcopi Cantuarienſis & confeſſoris. Hic natus Tharſo* &c. ut GREVEN. niſi quod in fine addatur: *Scribit Beda lib. 4 Hiſtor. Anglic. c. 1 & 2, & lib. 5, c. 8. Metis, ſancti Goerici epiſcopi & confeſſoris, qui cognomento Appo, vitæ ſanctitate fuit admirabilis & omnibus ſibi commiſſis amabilis.* Editiones aliæ, de Mileto, ut ſupra. Sequitur: *Meſſanæ in freto Siculo, ſanctorum Nicandri abbatis & ſodalium, Gregorii, Petri, Demetrii & Eliſabeth. Qui ſub quodam ſpecu ſolitarii vixere, inediam, ſitim, æſtum & algorem pro Chriſto tolerantes, ubi pariter in pace quieverunt.* De Euſtochio, ut ſupra. Tum: *Die decima nona, ſanctorum martyrum Trophimi, Sabbatii & Dorymedontis. Civitate Metis, ſancti Goerici, epiſcopi & confeſſoris. Qui vitæ ſanctitate fuit admirabilis, & omnibus ſibi commiſſis amabilis.* Apud Caſtell. patronus eſt Canonicarum Spinalenſium.

Euſtach. ep. *Mileti.* *Theodori.* *Goerici.* *Nicandri & ſodalium.* *Trophimi.* *Sabbatii & Dorymedon.*

XII *Kal.* *Die* 20.

IN Cizico, natalis ſanctorum martyrum Fauſtæ virginis & Euilaſii, ſub Maximiano imperatore, quam idem Euilaſius, cum eſſet primus palatii, juſſit primo dehoneſtari, ſuſpendi, torqueri, ac quaſi lignum ſecari mediam, ſed poſtea credens & ipſe Chriſtum, ſimul cum Fauſta agonizatus eſt. Civitate Corduba, beati Eulogii presbiteri, ob Chriſti martyrium decollati. In Phrigia, ſanctorum Dionyſii & Privati.

Fauſtæ & Euilaſii. *Eulogii.* *Dionyſii & Privati.*

Soli puri ſunt *Praten. Antverp-maj. Munerat.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Cizico* ſcribunt omnes, excepto Molano, qui *Cyzico*, ſed peſſime Antverp-maj. *Crito* vel *Erito*. Videtur Molanus voluiſſe Uſuardum corrigere, dum pro, *credens & ipſe Chriſtum*, legit *credens & ipſe in Chriſtum*, niſi ita à Greveno acceperit. Munerat. ante *martyrum*, omiſit *Chriſti*. At Antverp.maj. totam phraſim limavit, ſaltem mutavit, hoc modo: *Eulogii presbiteri pro Chriſti amore martyrio laureati*. Deinde pro *Phrigia*, ut paſſim codices ſcribunt, poſuit; *In Africa*. Molan. recte habet *Phrygia*, Munerat & alii *Frigia*. Sed de hoc alibi ſatis, dum cum codicibus aliam ſcribendi normam ſumus ſecuti.

Fauſtæ & Euilaſii. OBSERVATIO. Prima primorum hujus laterculi martyrum memoria, Hieronymianis ignota, apud Bedam reperitur, ubi ex longioribus Actis nonnulla decerpta invenies, quæ creditu difficilia non immerito pronuntiat Tillemontius tomo 5 pag. 160 & 161; præterquam quod alia à Surio, poſt Metaphraſten VI Februarii, alia à Beda hîc, alia rurſus à Baronio, qui Euilaſium idolorum ſacerdotem facit, narrari videantur. Sed hæc nos proprio loco examinabimus. Hîc præcipue notandum, Rabano & Adoni ita præluxiſſe Bedam, ut totam hujus hiſtoriam illi tranſcripſerint. Romanum parvum paucis legit: *In Cyzico, Fauſtæ virginis & Euilaſii.* Noſter, ſive Adonem ſive Bedam præ oculis habuerit, ita elogium formavit, ut in textu retulimus, non ut habent codices mediæ notæ, in quibus licet eadem referantur, phraſis tamen plane immutata eſt. Vide quæ de Cyzico, de virginum tonſione, & aliis eòdem ſpectantibus notauit Baronius, & de *Maſorte*, *Maphorte* vel *Mavorte*, muliebri capitis tegumento, Molanus in prima Uſuardi editione. Wandelbertus ſolos hodie Fauſtam & Euilaſium ita memorat:

Virgoque bis ſenum Fauſta atque Euilaſius ornant.

Eulogii. De *Eulogio* celeberrimo Cordubenſi presbitero & martyre, qui in textu noſtro proximus eſt, ſolus inter antiquos loquitur Uſuardus, quem ex recentioribus inter alios ſecuti ſunt Maurolycus, Felicius, Galeſinius; ſed cum hic notaverit V *Idus Martii ſecuri percuſſum*, illuc ipſum retrahendum cenſuit Baronius, tametſi idem Galeſinius aſſerat: *Hodierno die divinis ſtatarum horarum officiis ex eccleſiæ Cordubenſis uſu .... celebrari.* At hæc in Actis noſtris XI Martii Comment. prævio §. 1 ex Scholiis Ambroſii Moralis redarguuntur. Recte an ſecus, lector ſtatuat; mihi certe dubium non eſt, quin Uſuardus qui fere cominus Cordubenſia certamina intuitus eſt, rationem pro eo tempore gravem habuerit, cur eum hoc die potius quam XI Martii collocaret. Reliqua quæ ad Eulogium ſpectant videſis in Actis noſtris ad prædictum diem XI Martii accurate & diligenter ab Henſchenio illuſtrata. *Martyres Phrygii*, niſi vehementer fallor, ex Hieronimiano aliquo codice accerſiti ſunt. Turbata, mutila & confuſa nonnulla in illis codicibus hoc & præcedenti die reperiri, nuperrime indicavimus. Ceterum ex collatis à Florentinio variorum codicum Tabulis, *Dionyſius* & *Privatus* è Sinadenſium numero facile eruuntur, quidquid corrupta ibi & luxata nomina agnoſcamus. Gratiſſimum erit, ſiquis de poſtremis hiſce Martyribus monumenta aliqua ſuggeſſerit. Curſim denique obſervandum eſt, Molanum in prima editione purum, in poſterioribus *Euſtachium* cum uxore & filiis textui inſeruiſſe, quem Wandelbertus ſolum pridie cecinerat. Florus de eo meminit I Novembris, Uſuardus II, cujus poſtremi verba codex Herinienſis huic diei innexuit, ut in Auctariis mox dicemus.

Dionyſii & Privati.

AUCTARIA.

Vig. Matth. HERINIEN. Utut paſſim integer & ſincerus, mire hodie depravatus eſt. Incipit: *Vigilia ſancti Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ.* Sequitur prima textus annuntiatio puriſſima. At dein inſeritur quod jam dicebam: *Item temporibus Adriani imperatoris, paſſio beatorum Euſtachii cognomento Placidæ* [à Placidas] *& uxoris ejus Theoſpis, cum filiis Agapio & Theoſpite, quorum miri Actus leguntur.* Deficit præterea in Eulogio Cordubenſi.

De Euſtach. & ſociis.

ROSWEYD. In textu non omnino purus, in fine ſubdit: *Vigilia ſancti Mathæi Apoſtoli & Euangeliſtæ.* Hæc ſæpius infra recurrit.

Vig. Matth.

PULSANEN. Incipit: *Vigilia ſancti Mathæi Apoſtoli.* Textus plane truncatus eſt, nam ex eo ſolum habet: *In Cizico, natalis ſanctorum martyrum* &c, uſque ad *imperatore*; deſunt reliqua omnia.

Vig. Matth.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Præcipui ſunt ex eorum numero, quos dixi Uſuardi phraſim ex Beda vel Adone commutaſſe, hoc modo: *In Cizico, ſanctorum martyrum Fauſtæ virginis & Euilaſii. Quorum Fauſta ab eodem Evilaſio decalvata & ad turpitudinem raſa, ſuſpenſa eſt & torta. Deinde cum vellet eam mediam ſecare, ſed carnifices non valerent eam ladere, ſtupens Euilaſius credidit. Qui etiam à Maximiano cum fortiter torqueretur, Fauſta capite terebrata, clavis toto corpore confixa, ignitæ ſartagini impoſita, cum eodem Euilaſio voce de cælo vocata tranſiit.* Reliqua textus pura ſunt, ſed in fine adjicitur: *Item, Vigilia ſancti Mathei Apoſtoli.*

De Fauſta & Euilaſio.

Vig. Matth.

GREVEN. In textu purus, in fine etiam ſubdit ſed tamquam annuntiationem ad textum pertinentem. *Item, Vigilia ſancti Mathei Apoſtoli.*

De eadem.

ANT-

ANTVERP-MAX. LEYDEN. & LOVANIEN. Ita ordiuntur: *Vigilia ſancti Mathei Apoſtoli & Euangeliſtæ.* In ceteris omnibus tres hi codices ſimiles ſunt ANTVERP. & MAX-LUBEC. *De eadem.*

ULTRAJECT. In eo à tribus proxime prægreſſis differt, quod Eulogium omiſerit.

ALBERGEN. & DANIC. *Vigilia ſancti Mathei Apoſtoli. Romæ temporibus Adriani imperatoris, paſſio beatorum Euſtachii cognomento Placidi, & uxoris ejus Theoſpis, cum filiis Agapio & Theoſpite, quorum miri Actus leguntur.* Sequitur textus, ut in ANTVERP-MAX. &c. *De eadem. Euſtachii & ſociorum.*

CENTULEN. *Vigilia ſancti Mathei. In Frigia, ſanctorum Dionyſii & Privati. In Cizico, ſanctorum Fauſtæ virginis & Euilaſii, ſub Maximiano imperatore. Erat autem Fauſta puella annorum tredecim & Euilaſius octogenarius. Cordubæ, Eulogii presbyteri, ob Chriſti fidem decollati.* *Vig Matth.* *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. *Vigilia beati Mathei Apoſtoli & Euangeliſtæ.* De Fauſta & Euilaſio multa ex Adone miſcet, quæ purius leges in Auctario MOLANI. Sequitur de Eulogio & Phrygiis, pure. Tum: *Elnone monaſterio, elevatio corporis ſancti Amandi epiſcopi & confeſſoris.* *Vig. Matth* *Elevat. Amandi.*

HAGNOYEN. De Vigilia, ut ſupra. In Fauſta & Euilaſio, etiam Adonem aut Bedam ferme ſequitur. In duabus ultimis purus eſt. Subjungit: *Treveris, ſancti Quiriaci presbiteri & confeſſoris.* Vide VI Martii: infra ponitur *tranſlatio.* *Vig. Matth* *Quiriaci.*

AQUICINCT. Penultimo loco interſerit: *Elevatio corporis ſancti Amandi epiſcopi.* *Elevat. Amandi*

VICTORIN. & REG-SUEC. ſignatus num. 130, in fine: *Item Romæ, Euthii* vel *Eutii* [Euſtachii] *cum uxore & duobus filiis.* *Euſtachii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Fauſtæ virginis & martyris. Et Euilaſii. Dionyſii & Privati.* *Tex. contr.*

In VATICAN. num. 5949. Deſunt annuntiationes *Eulogii, Dionyſii* & *Privati.*

FLORENTIN. *Item ſancti Lauri epiſcopi & confeſſoris*: *Laudi*, opinor, de quo die ſequenti. *Lauri.*

EDITIO LUBECO-COL. *Vigilia ſancti Mathei Apoſtoli. Romæ, temporibus Adriani imperatoris, paſſio beatorum Euſtachii* &c. Ferme ut ſupra. In Fauſta & Euilaſio paulo magis interpolata eſt quam ANTVERP. &c. In duabus ultimis pura eſt. *Vig. Matth. Euſtachii.*

Sequitur: *Eodem die, ſancti Quiriaci Apoſtoli & martyris. Ipſo die, tranſlatio ſancti Quiriaci presbiteri & confeſſoris.* Diximus ſupra ad HAGENOYEN. Quiriaci hujus natalem recoli die VI Martii. Vide eo die in Actis commentarium hiſtoricum; hîc melius commemoratur *tranſlatio.* *Quiriaci. Tranſlat. Quiriaci.*

BELIN. In Fauſta & Euilaſio ſimilis eſt ANTVERP. &c. Tum immediatè ſubdit: *Eodem die, ſanctorum Euſtachii & ſociorum ejus. Item eodem die, vigilia ſancti Mathei Apoſtoli & Euangeliſtæ. In Frigia, ſanctorum* &c. Deeſt Eulogius Cordubenſis in editione prima, ſed in altera ad finem apponitur: *Civitate Corduba, beati Eulogii presbyteri.* *Euſtachii. Vig. Matth.*

GREVEN. *Florentii epiſcopi & martyris.* Inter multos Florentios, non facile eſt divinare, quem hîc indicatum velit. *Quiriaci philoſophi & martyris. Item ſancti Cuthberti. Ipſo die, tranſlatio ſancti Quiriaci presbyteri & confeſſoris. Secundum aliquos hic, Euſtachii & ſociorum ejus, qui in* IV *Nonas Novembris habentur. Item ſanctæ memoriæ Gerhardi eremitæ & confeſſoris. Hic ut in geſtis beatæ Lidwyd virginis refertur, ex dioceſi Agrippinenſis Coloniæ ortus, vitæ ſolitariæ deſiderio Egyptum adiit, ibique manna cæli vivens, corpore craſſus nimium, vultu vero angelicus, in ſpecu repertus eſt. Tandem beato in Domino ſine quievit, anno Domini* MCCCCXXVI [in 1 edit. 1425.] *Cujus animam præfata virgo vidit ab angelis in cælum ferri. Euſtochiæ virginis.* *Florentii. Quiriaci. Cuthberti. Tranſlat. Quiriaci. Euſtach. &c Gerhardi cum elogio. Euſtochiæ.*

MOLAN. Poſt *agonizatus eſt*, aliis litteris ex Beda vel Adone textui inſerit: *Cum enim eam carnifices ferris lædere non valebant, ſtupens Euilaſius, Chriſto credere cœpit. Et hoc ubi imperatori nunciatum eſt, miſit præfectum, qui eum ſuſpenſum fortiter torqueret. Qui etiam juſſit Fauſtam nudam & ſine maſorte flagellatam, incarceratam, caput terebrari, ac oculos infigi, cui poſtmodum non ſolum caput & facies, ſed & pectus & totum corpus uſque ad tibias clavis impletum eſt. Poſt hæc ſartaginem juſſit igniri, ſed hæc, pſallente illa, refriguit. Inter hæc veniens vox de cælo vocavit eos, & ſic tradiderunt ſpiritum. Erat autem Fauſta annorum* XIII *& Euilaſius* LXXX. In fine, addit: *Item eodem die, ſanctorum Euſtachii & ſociorum ejus. Item eodem die, vigilia* &c. *Ipſo die in cœnobio Sonegias, tranſlatio beati Vincentii confeſſoris & monachi.* Agitur de marito ſanctæ Waldetrudis, qui alio nomine vocatur *Madelgarius.* Vide de eo Auctaria ad diem ejus natalem XIV Julii. Aliæ editiones incipiunt ab Euſtachio. In fine de Vigilia, ut ſupra. Item de tranſlatione beati Vincentii. Demum: *Elnone, elevatio corporis ſancti Amandi epiſcopi & confeſſoris. Cujus corpus poſt centum quinquaginta annos à tranſitu, integrum inventum eſt, atque de ore ejus, geminis ab inventore dentibus ablatis, ſtillæ ſcribuntur fluxiſſe cruoris.* Vide de hac elevatione ſermonem Milonis monachi in Actis VI Februarii pagina 891. *De Fauſta & Euilaſio ex Adone.* *Euſtachii & ſociorum. Vig. Matth. Tranſlat. Vincentii.* *De Elevat. Amandi.*

XI *Kal.* *Die* 21.

NAtalis beati Mathei Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui apud Æthiopiam prædicans, martyrium paſſus eſt. Hujus Euangelium Hæbræo ſermone conſcriptum, ipſo revelante, tempore Zenonis imperatoris inventum eſt. Eodem die via Claudia, viceſimo miliario ab Urbe, paſſio ſancti Alexandri epiſcopi, qui pro fide Chriſti, ſub Antonino imperatore, vincula, fuſtes, equuleum, lampades ardentes, ungularum laniationem, beſtias ac fornacis flammas ſuperans, tandem gladio vitam adeptus eſt glorioſam. Item Romæ, ſancti Pamphili martyris. *Matthæi.* *Alexandri* *Pamphili.*

Conſonant *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Accedunt *Antverp-max. Ultrajectin. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. Tota ferme reducitur ad ſcriptionis diverſitatem, ut *Mathei*, quo modo omnes ſcribunt, excepto Molano, qui recte *Matthæi*. Roſweyd. habet *Ethyopiam*, Belin. & plerique alii *Ethiopiam*, nos cum Pratenſi & Herinienſi: & ſic in *Hebræo* &c. Belinus pro *laniationem*, habet *laceratione*, & Roſweyd. *exuperans*, pro *ſuperans*.

Matthæi. *OBSERVATIO.* Vetuſtiſſimam Apoſtoli & Euangeliſtæ Matthæi in Faſtis ſacris memoriam, præter antiqua alia monumenta, probant Martyrologia omnia. Et in Hieronymianis quidem diverſis quatuor diebus, videlicet I & VI Maii, & rurſus VII Octobris. Hodie vero in iiſdem ita legitur: *Et in Perſida, civitate Tarſeum* (vel *Tarrium,*) *natalis ſancti Mathei Apoſtoli & Euangeliſtæ.* Epternacenſe prudentius locum non exprimit. Beda ſimplicius poſuit: *Natalis ſancti Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ.* At Florus adjecit, *in Perſida*, imo &, *in civitate Tharim.* Rabanus, *in Æthiopia*, paucula ex vulgatis Actis ſubjiciens. Romanum parvum, breviſſime: *Matthæi Apoſtoli.* Nec multa in Feſtivitatibus Apoſtolorum ſuggeſſit Ado, ex Hieronymo potiſſimum, imo ferme ex eo ſolo delibans, quæ à Noſtro ſatis nitide contracta ſunt. Notkerus ſolito parcior, ſatis frigide addit, *cujus paſſionis hiſtoria circumquaque frequentatur.* Nos de hiſtoria illa & conſimilibus pluribus paſſim repudiatis, alibi differemus, uti & de martyrii loco multipliciter controverſo, de tranſlationibus reliquiarum aliiſque huc ſpectantibus, quæ prælibata inveniuntur in Notationibus Baronii, in Florentinii prævio ad Martyrologium indiculo pag. 158 & 159, ac in Notis hujus diei, & recentius à Tillemontio tomo I in ſerie Apoſtolorum. Videri etiam poſſunt Caſtellani, annotatiunculæ ad Martyrologium univerſale hoc, die. Wandelbertus hoc modo cecinit:

Deſeruit Chriſto mundi qui lucra vocante,
Undecimum Matthæus Euangelico ore ſacravit.

Alexandri epiſcopi nullus hodie Martyrologus præter unum Adonem meminit, apud
Alexand. quem XXVI Novembris longo elogio exornatur. Ibi Romanum parvum de eo ita memorat: *Et beati Alexandri epiſcopi & martyris, paſſi* XI *Kalend. Octobris, à Papa Damaſo* VI *Kalend. Decembris tranſlati, quando feſtivitatem ei dicavit.* Ex Adoniana hiſtoria huc retulit Uſuardus, quæ in elogio noſtro paucis ſed eleganter complexus eſt. Notavit Baronius, *conſtare, hunc omnino eſſe diverſum ab Alexandro Papa. Cujus autem fuerit civitatis epiſcopus*, inquit, *nondum invenimus.* Neque nobis hactenus lucis aliquid affulſit, unde de epiſcopali ejus ſede quidquam definire poſſimus, quod cum Actis ipſius diligentius ſuo loco
Pamphilꝰ. examinabitur. Poſtremum locum hîc occupat *Pamphilus martyr Romæ*, nulla alia diſtinctionis nota aut charactere veſtitus. Aſſerit Baronius, Uſuardo *adſtipulare vetera Mss.* Verum quæ aut qualia ea ſint, nuſquam indicat, forte quod ſolum citata invenerit apud Galeſinium, in iis appellandis ſatis liberalem. Ego me fateor mirari vehementer hunc Pamphilum ab Uſuardo adjunctum, cujus antiquiorum aut æqualium nullus mentionem faciat; cum alibi notaverim raro Sanctum quempiam apud Uſuardum reperiri (Cordubenſes excipio & populares Gallos) cujus apud alios veſtigia ſaltem aliqua non occurrant. Nihilominus vere ab ipſo hac die recoli ex codicibus noſtris omnibus indubitatum eſt.

AUCTARIA.

PULSANEN. Purus eſt uſque ad *Alexandri epiſcopi* incluſive, deſunt reliqua omnia.

Textus contractus. CENTULEN. *Natalis beati Mathei Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui primus in Judæa Euangelium Chriſti Hebræo ſermone conſcripſit, poſt vero Ethiopiam prædicans, martyrium paſſus eſt. Eodem die, ſancti Alexandri martyris, quem Papa Damaſus condignè ſepelivit. Romæ, ſancti Pamphili martyris.* Sic paſſim textum contrahit.

De Matth BRUXELLEN. *Natale beati Mathei Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui ex publicano à Chriſto electus, primùm quidem in Judæa euangeliſavit, poſtmodum in Macedonia & Ethiopia prædicans, martyrium paſſus eſt in Perſida. Hujus Euangelium* &c. pure. *Ipſo die, Romæ via Claudia, viceſimo ab urbe miliario,*
Alex. PP. *paſſio ſancti Alexandri Papæ.* Errat, nam Alexander Papa colitur III. Maii, ut ibi diximus. Sequuntur textus reliqua, ſatis pure, quibus ſubjungitur in eadem falſa hypotheſi: *Hic aquam aſperſionis cum ſale benedici, & ut oblatio altaris in azimo fieret, & ut vino aqua miſceretur ad deſignandam Chriſti & Eccleſiæ unionem, conſtituit. Et in Canone Miſſæ addidit: Qui pridie quam pateretur.* In Pamphilo purus eſt. Tum: *Et Truncinis, ſancti Gerolfi martyris. Et tranſlatio corporis ſancti Landelini confeſſoris. Quem ſanctus Autbertus ad Chriſtum convertit. Et ipſe converſus, monaſteria Alne ſuper Sambrem & Lobienſe fundavit.*

Gerolfi. Tranſlat. Landelini

Multa de Matthæo. HAGENOYEN. *Natale beati Mathei Apoſtoli & Ewangeliſtæ. Quem Dominus de theolonia vocavit & ſuum Apoſtolum fecit. Qui Domino magnum convivium in domo ſua fecit. Hic poſtquam ad Dominum venit, illum non reliquit, nec ad publica negotia reſedit. Hic in multis ſecretis erat Domini cum aliis Apoſtolis. Dominum vidit reſurrexiſſe à mor-*

mortuis, & in cælum eum aſcendere, & Spiritum ſanctum cum aliis recepit. Hic prius in Judæa prædicans lingwa Hebrayca primus ſcripſit Euangelium. Articulum adjecit Symbulo. Poſtea in Mirmidonea prædicans, cæcatus eſt & per Andream Apoſtolum illuminatus. Tunc deſcendit in Etyopiam verbum Dei Prædicare, ubi ſibi Tarves & Arfaxat magi valde erant infeſti. Ubi poſt ſuſcitationem filii regis, civitatem & patriam pro magna parte convertit, eccleſias plures ædificavit, presbyteros & epiſcopos ac alios clericos ordinavit, filiam regis Epigeniam ſacro velamine conſecravit, quam quia Hircatus poſt regem Eglyppum ſponſam habere [cogitaſſet,] *Apoſtolum Mattheum poſt Miſſarum ſollemnia, gladio a tergo percuti fecit & martyrem Chriſti conſecravit. Hujus Euangelium* &c. *Item, ſancti Landelini martyris.* Sed hic codex Landelinum cum aliis ex confeſſore martyrem facit, cum tamen ubique de eodem ſancti Autberti Cameracenſis epiſcopi diſcipulo agatur, quem Auctaria noſtra & Martyrologium Romanum memorant XV Junii, quo die vita ejus illuſtrata &c. *Item, beati Laudi epiſcopi & confeſſoris.* In Alexandro & Pamphilo, fere purus eſt.

Landelini.

Laudi.

Caſtoris.

AQUICINCT in fine *Civitate Attenſi* [Aptenſi,] *natalis beati Caſtoris epiſcopi & confeſſoris.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ. Alexandri epiſcopi & martyris, qui multa ſuſtinuit tormenta.*

CISTERCIEN. S. Benigni. *Dedicatio altaris ſancti Euſtadii & ſanctæ Paſchaſiæ.*

REGINÆ SUEC ſignatus num. 428. *Rotomago, ſancti Laudi epiſcopi.* Melius appellandus eſt, *Lauto*, Gallicè brevius *Lo.*

Laudi.

Caſtoris.

CODEX D. LE MARE ſignatus A, niſi fallor: *In civitate Attenſi, natalis beati Caſtoris, epiſcopi & confeſſoris.*

Vincentii.

In VATICAN. ſub nota num. 5949. Deſunt annuntiationes duæ ultimæ. Adjicitur autem: *Eodem die, ſancti Vincentii martyris.* De quo Vincentio loquatur neſcio, niſi id velit, quod in BIZUNTICEN. legitur XXIII Septembris.

Laudi. Weriburgæ. Caſtoris.

ALTEMPS. *Item ſancti Laudi epiſcopi. In Britannia, ſanctæ Weriburgæ virginis.* Vide III Feb.

CAUDIACENS. *Civitate Actenſi, natalis beati Caſtoris epiſcopi & confeſſoris.* Superius legebat aliquis, *civitate Attenſi*, GREVEN. infra, habet *Caſtoris epiſcopi Athenienſis*; ſed ſcribendum *civitate Aptenſi.* Vide de eodem Sancto nonnulla alia in Martyrologio Caſtellani.

EDITIO. LUBEC-COL. *Apud Ethiopiam, civitate Nadaber, natalis beati Mathei Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui & Levi. Primus in Judæa Euangelium Chriſti Hebreo ſermone conſcripſit, quod poſtea apud Ethiopiam prædicans, martyrium à rege Hircano paſſus eſt. Et licet per aliquod tempus Euangelium hoc occultatum fuerat, divino tamen nutu, ipſo Apoſtolo revelante, tempore Zenonis imperatoris inventum eſt.* In Alexandro tantillum interpolata, in Pamphilo pura eſt. Sequitur: *Eodem die, in territorio civitatis Conſtantiæ, ſancti Laudonis epiſcopi & confeſſoris. In pago Trecaſſino, ſanctæ Mauræ.* Additur in fine *τὸ civitatis*, ſed quod ad rem non facit; forte legere voluit *virginis.*

DeMatth.

Laudonis. Mauræ.

GREVEN. *Landelini martyris.* Vide dicta in HAGENOYEN. *Geronis martyris. In Flandria, Gerulphi pueri & martyris. In Normannia inferiori, civitate Conſtantienſi, beati Laudi epiſcopi & confeſſoris. Hic ſuperna diſpoſitione, cum eſſet annorum duodecim, in epiſcopum aſſumptus, verbo, vita & miraculis præfatam illuſtrans eccleſiam, beato fine quievit. Caſtoris epiſcopi Athenienſis & confeſſoris.* Vide CAUDIACEN. *Item Victoris. Geremari abbatis. In pago Trecaſſino, ſanctæ Mauræ virginis.*

Landelini. Geronis. Gerulfi. Laudi. Caſtoris. Victoris. Geremari. Mauræ.

MOLAN. De Alexandro, poſt *glorioſam*, aliis litteris textui inſerit: *Cui Papa Damaſus condignam faciens cryptam, illuc eum ſexto Kalendas Decembris transpoſuit, quando & feſtivitatem ei indixit, ubi & ejus paſſio annotata eſt.* Vide Adonem in Obſervatione citatum. In fine ſubjungit: *Apud Conſtantias inferioris Normanniæ, beati Laudi, primi præfatæ urbis epiſcopi, cujus vita miraculis floruit, & mors ipſius nihilominus pretioſa in conſpectu Domini fuit. Paſſio ſancti Gerulphi martyris.* De Alexandro eadem habent poſteriores editiones in textu, quæ jam diximus. In fine item de Laudo ſimiliter. Tum: *Truncinii juxta Gandavum, paſſio ſancti Gerulphi. Die vigeſima prima, ſancti Apoſtoli Codrati in Magneſia. Criſpini, elevatio & remotio corporis beatiſſimi patris Landelini, ab Odone Cameracenſi epiſcopo.* Recte hîc de *Landelino, patre* ſeu *abbate* & *confeſſore* agitur, & non de depoſitione, ſed de *elevat.* &c.

DeAlexand.

De Laudo.

Gerulfi.

Codrati. Elevat. Landelini.

X *Kal.* *Die* 22.

IN Galliis civitate Seduno, loco Acauno, natalis ſanctorum martyrum Thebeorum, Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum ſociis ſuis ſex millibus quingentis, qui ſub Maximiano paſſi pro Chriſto, glorioſiſſime coronati ſunt. Apud Beuuariam, ſancti Emmerammi epiſcopi & martyris. Hic crimen ſtupri à quodam commiſſum, ſibi cauſa Chriſti imputari ſuaſit, ac proinde mortis diſcrimen patienter pertulit. In pago Pictavenſi, ſancti Florentii presbiteri & confeſſoris. Item, ſancti Silvani confeſſoris, in territorio Bituricenſi.

Mauritii & ſocior.

Emmeramni.

Florentii.

Silvani.

Ita habent *Praten. Herinien. Antverp-maj., Roſweyd. Munerat. Greven* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Reliqui *Acauno*, cum antiquioribus noſtris codicibus Praten. & Herinien; & quia ita legunt Acta Eucheriana & veteres alii. Non tam facile ſociorum numerum ex codicibus iiſdem aut aliis definias, utpote quem Acta ipſa non exprimunt,

munt, licet ſolitas legionis copias ex communiori opinione declarent, quos intra terminos etiam hæſit Viennenſis. Primus numerum 6666 determinaſſe videtur Florus, qui & in pleriſque codicibus noſtris legitur, nempe in Herinien. Roſweyd. Greven. Molan. & mediæ notæ ferme omnibus. Ego cum exiſtimem Florum illum ab Uſuardo numquam viſum, ſic facile credo aliam ab ipſo initam rationem, quæ in Pratenſi, Antverp-maj. & Munerato remanſerit, qualem in textu ſecuti ſumus, ut fortaſſe vero calculo proximiorem, quem mallemus indeterminatum relinquere. Puto Uſuardum ſcripſiſſe *Beuuariam*, pro qua alii *Beiovariam*, alii *Bannariam*, alii *Bavariam*: preſſius Roſweyd. *Ratiſponæ*. In nomine Sancti, mirabilis diverſitas. In Pratenſi *Himmerani*; in Herinien. *Amtrani*; in Antverp-maj. & Munerat. *Avitramni*; Molan. *Emerami*; alii aliter. Liceat mihi pro textu ſeligere quod maxime ad verum accedit ex Roſweyd. & Greven. *Emmerammi*, pro *Emmeramni*. Male legit Praten. *crimen ſtupri à quodam commiſſo*: paulo melius Herinien. *commiſſi*, alii optime *commiſſum*. Roſweyd. Munerat. Greven. & Molan. contra antiquiores, in fine legunt: *In territorio Bituricenſi, ſancti Silvani* &c.

Mauritii & ſociorum

OBSERVATIO: Inclytiſſimæ legionis Thebææ martyrium tot antiquiſſimis & indubitatis monumentis firmatum & ſtabilitum eſt, ut ſatis mirari nequeam miniſtelli cujuſdam Anglo-Sabaudici temeritatem, qui agmen illud ſacroſanctum audaci ore arrodere auſus fuerit. Erit tempus, quo hypercriticam ejus diſſertationem, Anglice & Gallice editam, favente Deo convellamus, niſi eam, licet numquam viſam, prævie ſatis obtriverit Tillemontius tomo 4 à pag. 421, & alii plures, ceterà ſatis critici & in eruenda veritate hiſtorica peritiſſimi. Porro monumenta, quæ dicebam, Martyrologiis noſtris nituntur potiſſimum, & egregiis illis, imo venerandis ſancti Eucherii Lugdunenſis Actis, à Chiffletio noſtro primùm, deinde à Ruinartio inter ſelecta editis & illuſtratis à pag. 285: quibus non video quid hactenus tantopere detraxerint Dubourdæana ſophiſmata. De exacto martyrum illorum numero, ut nihil certo tradunt laudata Acta, ita neque hîc quidquam lubet ſtatuere. Ceterum in apographis Hieronymianis ita celebrantur: *In Gallia, civitate Sedunis, natalis ſanctorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum ſociis ſuis* V CIↃ D *& octoginta quinque.* Bedæ exempla manuſcripta in numero conformia non ſunt. Si Bedam in Rabano quærimus, ſic veroſimiliter ſcripſiſſe dicendus eſt: *Sanctorum martyrum Thebæorum, Mauricii, Candidi, Exuperii*, quæ nomina in Actis exprimuntur. In aliquo codice additur, *Victoris*, & hoc etiam recte: in altero ſocii anonymi recenſentur *ſexies mille & octoginta quinque.* Florus rotundius pro antiquarum Romanarum legionum cenſu: *Cum ſociis, quorum omnium numerus* 6666. Romanum parvum prudenter & vere pronuntiat: *Mauritii cum ſociis, qui Thebæi fuiſſe referuntur, ſub Maximiano paſſi.* Nec diſtinctius martyrum numerum expreſſit Ado, utpote quem in Eucherio, ex cujus ſinceriſſimis Actis partem potiſſimam in ſuum Martyrologium retulit; quem, inquam, in Eucherio omnino non repererit. Paucis elogium ſuum ex Adone Noſter exequitur, variante in codicibus præfato martyrum numero, ut ſupra abunde oſtendimus. Eſt igitur veterum Martyrologorum omnium, etiam Wandelberti & Notkeri, conſtantiſſima pro Thebæorum noſtrorum martyrio ſententia. Nec prætereunda eſt auctoritas Miſſalis Gothici ſeu Gallicani veteris, quod nongentis annis vetuſtius, ut teſtatur illuſtris editor Thomaſius, poſtea S. R. E. Cardinalis, pag 373 Miſſam exhibet, in qua *ſex millium ſexcentorum*, imo *Thebeorum exercitûs* præclariſſima exſtat memoria. Hi ſunt de Thebæis & Emmeramno Wandelberti verſiculi:

Mauritius denum ſocia legione coronat,
Effuſo mortem pariter quæ ſanguine vicit.
Emmeramus eum ſocio comitatur honore,
Quem gens inſignis Britannia voce repoſcit.

Emmeramni.

De *Emmerammo* vel *Emmeramno*, ſoli meminere Rabanus & Wandelbertus. Apud hunc nomen invenire potuit Uſuardus, ſed mihi veroſimilius eſt, aliunde vitam nactum, ex qua nomen deſumperit, ſatis crude *ſtuprum ab alio commiſſum, ſibi imputari ſuaſiſſe* commemorans, quod in Romano Baronius phraſi paulo moderatiori cenſuit exprimendum. Rei totius veritas ex Actis ejus à variis editis, ſuo tempore illuſtrabitur, quando & Wandelberti verſiculus excutietur: *Quem gens inſignis Brittannia voce repoſcit.*

Florentii. Silvani.

Florentius Pictavenſis, & *Silvanus Bituricenſis* à nemine ante Uſuardum in Tabulis ſacris conſignati ſunt, quod in popularibus Sanctis ei ſatis familiare eſt. Primi Acta cum aliis ſancti *Floriani* connexa, ex parte à Cointio publicata ſunt ad annum DCXCIV à num. 13. An quæ Mss. habemus, quatuor partibus diſtincta, tam ſint incertæ fidei, quam contendat recentior aliquis, poſtea videbitur. De *Silvano* nihil proditum ſcio, præter ea quæ Labbeus ſuggerit tomo 2 Bibliothecæ Mss. à pag. 444.

AUCTA-

AUCTARIA.

Silvani cum soc. PULSANEN. In prima satis purus, subjungit: *Item sancti Silvani confessoris cum sociis suis.* Desunt reliqua omnia.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. *In Gallis civitate Seduno, seu Octodero Valense, loco Agauno* &c. Numerum ponunt 6666, ut omnes mediæ notæ, & annuntiationem concludunt: *Passi pro Christo, gloriosa passione mundum illustrarunt*; quemadmodum hodie legit Martyrolog. Rom. Sequitur: *In pago Pictavensi, sancti Florentii presbyteri & confessoris. In territorio civitatis Constantiæ, sancti Laudonis episcopi.* Desunt alia quæ ad textum spectant. *Laudo* vel potius, ut supra notavimus, *Lauto* colitur die præcedenti, ubi & ab aliis *Laudus* appellatur.

ANTVERP-MAX. Legit 6660. Habet eamdem clausulam: *Passi* &c. De Florentio scribit *episcopi.* Tum de Laudone, ut proxime diximus. Demum in fine: *Apud Bojoariam, sancti Emineramini, episcopi & martyris.*

ULTRAJECT. LEYDEN LOVANIEN. & DANIC. Cum prioribus ferme conveniunt. Scribunt 6666. De Florentio, cum textu legunt *presbyteri.* In scribendo *Emmeramni* nomine plurimum variant, ut de aliis etiam dictum est.

ALBERGEN. Deficit cum ANTVERP. & MAX-LUBEC. in annuntiatione *Emmeramni*; in omnibus autem deest Silvanus Bituricensis.

CENTULEN. *In Gallis territorio Sedunensi, loco Agauno, natalis sanctorum martyrum Thebeorum, Mauricii, Exuperii, Candidi, Vitalis, Innocentii & Victoris, ac sociorum eorundem, quorum summa est sex milia, sexcenti sexaginta sex viri, qui sub Maximiano imperatore passi pro Christo, gloriosissime coronati sunt. Antisiodoro, adventus & exceptio corporis sancti Germani episcopi & confessoris, ab Italia. In Bauvaria, sancti Hameranti martyris. Eodem die, translatio sanctis Ioannis Rehomensis.*

BRUXELLEN. In prima utcumque purus, secundo loco habet de Silvano. Sed, *cum sociis suis.* Tum: *Apud Radisponam civitatem Bavariæ, passio beati Hemmeranni vel Anteanni episcopi & martyris. Qui crimen stupri à quodam commissum, sibi innocenti pro Christi imputari permisit.* &c. *In territorio civitatis Constantiæ, sancti Laudonis episcopi. In pago Pictavensi, sancti Florentii episcopi & confessoris.* Lege cum textu *presbyteri.*

HAGENOYEN. Multa de Thæbæis martyribus collegit, quæ apocrypha credimus. Tum, de Silvano. Deinde de Florentio, satis pure. Sequitur, de Laudone, ut supra. En modo aliqua de Emmeramno: *Apud Petivariam Ratisponam civitatem Alemaniæ, sancti Emeramni episcopi & martyris. Qui natus erat ex Aquitania de civitate Tholosa, qui à juventute sua mundum despexit & Christo adhæsit, litterarumque studium adeptus est, & summum sacerdotium adeptus est. Erat namque ille verus Dei cultor. Post hoc reliquit patriam, & omnia quæ habuit ut Hunis* [& aliis gentibus] *paganis verbum Dei prædicaret. Et ingressus Germaniam, quam Deodo vir alacri ingenio & strenuus in armis regebat; in cujus provincia ipso jubente, prædicavit tres annos. Eo tempore filia ducis stuprum commisit, quod illa cum fornicatore sibi confessa est. Quibus ille pœnitentiam injungens, sibi illud imponi fecit &c.*

AQUICINCT. S. Emmeramnum non appellat *episcopum*, & post τὸ *martyris*, sic prosequitur: *Hic crimen stupri à quodam commissum, sibi causa Christi imputari patitur, ac proinde mortis discrimen patienter pertulit.* Præter ea quæ superius notata sunt, ne excidat Cointius, multa diligenter inquirens ad annum DCXLIX à pag. 243 ad 256.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Muritii* [Mauritii] *& sociorum ejus. Salabergæ abbatissæ. Lintrudis virginis. Emmerami episcopi & martyris. Florentii episcopi & confessoris.*

CODEX D. DU CHEVAL. sign. B. *In territorio civitatis Constantiæ, sancti Laudonis episcopi.*

In VATICAN. signato num. 5949 nihil est de Emmeramno, Florentio & Silvano.

UGHELLIAN. Caret etiam Emmeramno & Silvano. Adjecit: *In territorio civitatis Constantiæ, sancti Laudi episcopi.*

ALTEMPS. Pro *Emmeramni*, scribit *Hautramni. Constantiæ, sancti Laudi episcopi.*

FLORENTIN. *In territorio civitatis Constantiæ, sancti Laudonis episcopi & confessoris.*

LUXOVIEN. *Lugduno Clavato, sanctæ Salabergæ, Christi famulæ, quæ mater extitit trecentarum sanctimonialium, ad cujus polyandrium* [intellige *sepulchrum*] *claræ post obitum patuerunt virtutes.*

CAUDIACEN. *Sancti Lautoni episcopi & confessoris.* Idem est, qui aliis *Laudo, Lando, Laudus* &c. Gallicè *Lo*, ut diximus.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Antissiodori, adventus & exceptio corporis ab Italia, sancti Germani ejusdem civitatis episcopi.*

EDITIO LUBECO-COL. In prima satis pura, subdit: *Item ibidem loco Agauno, beati Victoris veterani, qui post stragem beatorum Thebeorum, ibidem à persecutoribus interemptus est, & sanctis martyribus sociatus. Ratisponæ, sancti Emmeramni episcopi & martyris.* De Florentio, bene. *Apud Bavariam provinciam, natale sancti Haytramii, episcopi & confessoris.* An non repetitio? *In pago Tornodorensi, beati Iohannis abbatis.* De Silvano, ut supra. *Eodem die, sanctæ Luttrudis virginis.*

BELIN. In prima legit etiam 6666. & habet clausulam, ut supra. Sequitur de Florentio, ut ANTVERP-MAX. Tum, de Laudone &c. In Silvano nonnihil mutilatus est. *Apud Benvariam, sancti Antrani* &c. *Huic crimen stupri imputatum est, ac proinde mortis discrimen*, &c.

GREVEN. *Laudone, Romarici ac sociorum ejus quingentorum octoginta quinque. Platonis martyris. Victoris martyris. Qui cum Agaunenses martyres beatificaret, felicem se dicendo, si cum illis fuisset occisus, mox ab eisdem illorum carnificibus trucidatus est. Secundum aliquos hîc, Jonii presbyteri & martyris, socii beati Dionisii; secundum alios vero Nonis Augusti. Hic cum in Galliam, causa prædicationis venisset, tentus ac decollatus est, statimque corpus truncum, caput in manus sumens, miliario fere uno deportavit, in locum ubi quiescere elegerat. Secundum Cathalogum Sanctorum hîc, Sanctini episcopi Meldensis & confessoris, discipuli beati Dionysii Parisiorum episcopi & martyris. Item Silvani, episcopi Nazareth & confessoris, magnæ sanctitatis viri, beato Hieronymo familiarissimi, ut patet ex gestis ejusdem. In eremo Scythi, sancti Silvani abbatis & confessoris. In pago Tornodorensi, beati Ioannis abbatis. Lutrudis virginis. Ipso die, sanctæ Salabergæ viduæ, abbatissæ. Quæ in suburbano Leuchorum, nobilibus orta parentibus, cum oculorum lumen amissum, beati Eustasii abbatis interventu recu-*

De Thebæis. *Advent. Germani.* *Translat. Io. Reom.* *De Emmer.* *Laudonis.* *De Emmer.* *De Emmer.* *Laudonis.* *De Thebæis.* *De Emmer.* *De Salaberg.* *Lautoni.* *Adv. Germ.* *Victoris.* *Haytramii.* *Ioannis.* *Luttrudis.* *Laudonis.* *Romarici & soc. 585.* *Platonis.* *Victoris.* *Jonii.* *Sanctini.* *Silvani.* *Silv. abb.* *Joannis.* *Lutrudis.* *Salabergæ.*

recuperaſſet, defuncto viro, cui juſſu Dagoberti regis nupſerat, primum in ſuburbio Linguonenſi, hereditate vixit paterna, deinde Lugduni, conſtructo monaſterio, trecentis ferme adunatis famulabus Chriſti præſidens, vita & miraculis clara quievit.

De Victore & Thebæis. Molan. In textu aliis litteris poſt *coronati ſunt*, ex Adone miſcet: *Victor vero martyr, nec legionis ejuſdem fuit, neque miles, ſed emeritæ jam militiæ veteranus. Hic cum iter agens incidiſſet in hos, qui paſſim epulabantur læti martyrum ſpoliis, atque ab his ad conveſcendum invitatus, prolatam ab exultantibus per ordinem cauſam cognoviſſet, deteſtatus convivas refugiebat. Qui mox ab eis captus & jugulatus eſt, ac ceteris martyribus honore conjunctus eſt. At vero beatiſſimorum martyrum corpora, poſt multos paſſionis annos S. Theodoro epiſcopo revelantur, & in honore eorum baſilica honeſte componitur.* In fine habet de Laudone, ut jam ſæpe ſuperius. Tum: *Civitate Lauduno Clavato, depoſitio ſanctæ Salabergæ abbatiſſæ, quæ in lege divina erudita, vigiliis & orationibus aſſidue vacans, virtutum & miraculorum gratia illuſtrem converſationem duxit.* *Salabergæ.* *In pago Tornodorenſi, beati Joannis abbatis.* *Joannis.* Denique typis minoribus: *Corbeiæ, Lutrudis virginis ſanctimonialis.* *Lutrudis.* Editiones aliæ de Victore nonnulla contrahunt, ſed de Emmeramno addunt, *De Emmer.* quod & prima litteris Italicis inſertum habet: *Cui ſingulariter omnia membra abſciſa ſunt.* Præterea hæ editiones annuntiationem truncant & variant, rurſus litteris Italicis ſic legentes: *Huic crimen ſtupri imputatum eſt.* Deinde charactere Romano, ſeu proprio textûs; *ac proinde mortis* &c. In fine: *Civitate Lauduno Clavato, depoſitio ſanctæ Salabergæ* &c. ut ſupra. De Laudo vel Laudone, agunt hæ editiones die præcedenti, uti & plures alii codices. *In pago Tornodorenſi* &c.

IX *Kal.* *Die* 23.

Soſij. IN Campania, natalis beati Soſii diaconi Meſſenatæ civitatis. Hic cum tempore quodam Euangelium legeret in eccleſia præfatæ civitatis, præſente epiſcopo Januario, vidit ſubito idem epiſcopus de capite ejus flammam exurgere, & pronuntiavit, eum martyrem futurum. Et poſt non multos dies, cum eſſet annorum triginta, martyrium cum eodem epiſcopo capitis obtruncatione ſuſcepit. *Theclæ.* Eodem die, ſanctæ Teclæ virginis de Iconio civitate, quæ in confeſſione Chriſti ignem ac beſtias devicit, & poſt multa certamina ad doctrinam multorum veniens Seleuciam, requievit in pace. *Paterni.* In territorio civitatis Conſtantiæ, ſancti Paterni epiſcopi & confeſſoris.

Conveniunt *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Greven.* & *Molan.* Quibus accedunt *Antverpien-max. Leyden.* & *Lovanien.*

VARIA LECTIO. *ſancti Soſii*, pro *beati*, ſcripſit Herinienſis. Antverp-maj. habet *Soſſii.* Locus varie ſcribitur. Optime Roſweyd. & Molan. *Meſenatæ*, male Herinien. *Meſſeratæ*, Praten. Antverp-maj. & Greven. eo modo, quo in textu reliquimus. Roſweyd. pro *flammam exurgere*, legit *aſcendere*. In Praten. & Antverp-majore eſt *Theclæ.* Alii omnes ſimplicius *Teclæ.* De *dyacono, yconio* & hujuſmodi nævis, non loquor. *Seleutiam* ſcribit Pratenſis, ſed alii paſſim & melius, ut eſt in textu. In fine notabilior variatio, utpote cum Pratenſis & ſoliti duo aſſeclæ Antverp-maj. & Roſweyd. ab omnibus aliis diſſentientes, legant: *In territorio civitatis Abrincæ*, ceteri nullo excepto: *In territorio civitatis Conſtantiæ*, quod omnino ſervandum putavimus. Vide infra in Obſervatione. Sed nota, Caſtellanum, cetera Pratenſis codicis accuratiſſimum inſpectorem, hanc à Molani editione diverſitatem inter alias non indicaſſe.

Soſii. OBSERVATIO. De *Soſio* celebri Miſeno diacono jam abunde locuti ſumus ad XIX Septembris, quando de Januario actum eſt, neque ibi dicta, hîc repetenda ſunt. Beda, Rabanus, & Ado, idem habent elogium, ex quo Noſter compendium ſuum eleganter contraxit. Romanum parvum etiam cum aliis *Soſium* hoc die, ſecundò annuntiat: *Meſenathæ, Soſii diaconi, annorum* XXX *martyris.* Notkerus ſolum poſuit: *Soſii diaconi, de quo* XIII *Kalend. Octobris invenies.* Wandelbertus tertio verſiculo, ſic eum laudat:

Levita & Soſius merito ſplendeſcit honore.

Theclæ. Clariſſimam virginem, &, ſi ita vis, inter virgines protomartyrem, *Theclam* celebrant Martyrologia omnia, & quidem diebus variis Hieronymiana, ut diligenter in hodiernis aliorumque dierum ibi citatorum notationibus advertit Florentinius; ſive ubique eadem illa Apoſtoli diſcipula, ſive forte alia (ut plures fuerunt ejus virtutum æmulæ) memorentur. Nullum Hieronymianum apographum ſimplicius loquitur, quam vetuſtiſſimum Epternacenſe, in quo ſolum legitur: *In Oriente, Theclæ.* Florentinii textus paulo amplior eſt:

eſt: *In Seleucia, natalis Theclæ virginis, quæ Romæ igne depoſito evaſit.* Beda & ex eo Rabanus breve ſed ſatis nitidum elogium exhibent, quod pro majori parte Noſter in ſuum laterculum tranſtulit. Solita brevitate utitur Romanum parvum: *Et Theclæ virginis, Seleuciæ quieſcentis.* Longior eſt Adonis hiſtoria ex vulgatis Actis extracta, de quorum veritate ex Baronio aliiſque alibi diſputabitur. Notiſſima eſt priſci fabulatoris de Pauli & Theclæ Actibus reprobata dudum narratio, ex qua tamen alias apud Surium ſatis prolixas pullulaſſe negare non auſim. At enim, utut corruptos fateamur hujuſmodi fontes, tot aliunde ſuggeſſit veneranda ſanctorum Patrum auctoritas, ut ex iis vitæ ſeries concinnari queat, quemadmodum non infeliciter tentavit Tillemontius tomo 2 à pag. 60. Vero martyrio coronatam ſolus inter Martyrologos aſſerere videtur Wandelbertus, dum ita canit: *Nonum Tecla tenet roſeo perfuſa cruore.* Sed latiori id ſenſu intelligendum veroſimilius eſt, idque nonnulli inferunt ex eo, quod in Canone Miſſæ Eccleſia ei locum non tribuerit. Hæc pro inſtituto ſufficiant. *Paternus*, duobus præcedentibus ab Uſuardo ſuperadditus, ita à Praten. Antverp-majore & Roſweyd. ponitur, ut non territorio Conſtantienſi, ſed Abrincenſi adſcribatur, contra quam reliqui codices noſtri Uſuardini uniformiter ſcribant: *In territorio civitatis Conſtantiæ*; quo modo & in Romano hodierno legitur, ubi Baronius in Notatione obſervat, *primum fuiſſe Conſtantienſem epiſcopum.* At lapſum hîc memoria virum eminentiſſimum, probat Henſchenius in Comment. prævio ad Acta ſanctorum Paterni & Scubilionis, XVI Aprilis; atque ibi etiam oſtendit Paternum hunc noſtrum, illum ipſum eſſe Abrincenſium epiſcopum, qui, quod in Seſciaco monaſterio diœceſis Conſtantienſis obierit, ideo ſignatus ſit, *in territorio civitatis Conſtantiæ.* Et ſic Uſuardum legiſſe cenſemus, quidquid Pratenſis, cum ſolitis duobus ſociis refragetur. Conſtat porro Paternum in pace quieviſſe XVI Aprilis, neque hactenus cauſam reperi, cur eum Uſuardus hoc die collocarit. Sunt qui & *Linum* commemorent, duce, ni fallor, Floro vel Rabano, unde in nonnullos codices noſtros tranſiit, uti & in Romanum, cum de eo Uſuardus agat XXVI Novembris. Sed cur omiſſus *Liberius* Papa, de quo hoc die Hieronymiana & Wandelbertus, Rabanus die ſequenti? Forte alibi ratio aſſignabitur.

Paterni.

De Lino & Liberio.

AUCTARIA.

PULSANEN. In prima annuntiatione expunctum plane elogium. In ſecunda purus eſt. Tertia abeſt.

ANTVERP. MAX. LUBEC. UGHELLIAN. FLORENTINI & alii codices plures hodie Papam Liberium referunt, hiſce iiſdem terminis: *Romæ, ſancti Liberii epiſcopi* Vide Obſervationem ſupra & notulam Caſtellani. *Liberii.*

MUNERAT. Poſt textum purum, adjicit: *Eodem die, Paxentii martyris, de cujus corpus honoratur & colitur in conventu divi Martini de Campis, Pariſius.* Notabis phraſim huic codici propriam. *Paxentii.*

ULTRAJECT. ALBERGEN. & DANIC. Incipiunt: *Romæ, natale beati Lini Papæ. Qui cum poſt Apoſtolum Petrum primus Eccleſiam Romanam rexiſſet annis duodecim, martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano.* Vide Obſervationem. *De Lino.*

CENTULEN. *In Campania, ſancti Soſſii diaconi & martyris. Eodem die, ſanctæ Theclæ virginis, apud Seleuciam quieſcentis. Civitate Beluaco, ſancti Geremari abbatis.* Vide Martyrologium Romanum die ſequenti. *Geremari.*

BRUXELLEN. Sic orditur: *Natale Theclæ virginis, apud Seleuciam quieſcentis, Quæ de civitate Yconio a beato Paulo Apoſtolo inſtructa eſt. Quam mater ejus cernens Chriſtianam & nuptui repudiare, accuſavit eam. Quæ in confeſſione Chriſti, ignes & beſtias ſuperavit & poſt multa certamina, ad doctrinam plurimorum veniens Seleuciam, cum duplici corona virginitatis & martyrii requievit in pace. Romæ, beati Lini Papæ.* Sequitur de primo & ultimo, nempe Soſio & Paterno, pure. *De Thecla.* *Lini.*

HAGENOYEN. De Thecla, multa corradit, quorum hîc partem ſubjicio: *Apud Seleuciam, depoſitio ſanctæ Theclæ virginis, diſcipulæ ſancti Pauli Apoſtoli. Quæ orta erat de Yconio civitate, quæ quia ſponſum ſuum deſeruit & Paulo adhæſit, à matre propria eſt accuſata, quod Chriſtiana eſſet; unde in ignem projicitur & non læditur. Hæc comam tondere voluit, ut cum Paulo habitare poſſet; ſed ipſe prohibuit. Et iterum, quia nubere noluit, in Antiochia beſtiis objicitur, ſed non conſumitur: deinde in foveam plenam ſerpentibus mittitur, ſed illa orante, moriuntur. Et iterum in ignem projicitur, ſed non comburitur. Tunc ſuper leenam ligatur* &c. Sequitur: *Item Romæ, Liberii epiſcopi.* In Soſio ſatis purus eſt; de Paterno, nihil. *De Thecla.* *Liberii.*

AQUICINCT. In fine, *Romæ, ſancti Liberii epiſcopi & confeſſoris.* *Liberii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Theclæ virginis. Zozii diaconi & martyris, cum epiſcopo ſuo Januario. Paterni epiſcopi & confeſſoris.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Paterni.*

LUGDUNEN. Huc refert: *Victoris Innocentis....* cum ſociis ſuis 6066. Vide Thebæos, XXII. *Victoris &c.*

BIZUNTICEN. *Item feſtivitas ſancti Vincentii martyris. Quando ejus ſacratiſſimum corpus ab Hiſpaniis, Gallias eſt tranſlatum & in cœnobio, quod Caſtris dicitur, decenter humatum.* *Vincentii.*

LUXOVIEN. *Ipſo die, Medii monaſterii, repoſitio corporis beati martyris Bonifacii ex Thebæa legione.* *Bonifacii.*

CABILONEN. *Inventio corporis beati Vincentii levitæ & martyris.* Vide BIZUNTICEN. *De Vincent.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Romæ, natale beati Lini Papæ & martyris. Hic poſt beatum Petrum Apoſtolum, cum primus Eccleſiam Romanam rexiſſet annis duodecim, menſibus tribus, diebus duodecim, martyrio coronatur. Hic ex præcepto beati Petri conſtituit, ut mulier in eccleſiam velato capite introiret, qui etiam ſepultus eſt juxta corpus beati Petri Apoſtoli in Vaticano.* De Soſia tria hæc verba in fine adjicit; *tempore Diocletiani imperatoris.* In Theclæ elogio hinc inde nonnihil interpolata eſt, in ultima annuntiatione, ſatis pura. *De Linc.*

BELIN. Annuntiationum ſeriem mutavit. Primo loco: *In Iconio civitate, ſanctæ Theclæ virginis* &c. Secundo loco, de Paterno, pure. Item de Solio. In fine: *Eodem die, Romæ, ſancti Lini Papæ & Martyris, qui poſt Petrum primus, Romanam Eccleſiam tenuit annis duodecim, & martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano, octavo Kalend. Octobris.* Vide in auctario ſequenti. *De Lino.*

GREVEN. *Romæ, Lini Papæ & martyris: cujus hîc eſt paſſio, licet ejus celebritas* VI *Kalend. Decembris ſolemnior habeatur, quo die tranſlatus perhibetur. Rômæ, Liberii epiſcopi & confeſſoris. Adamnani epiſcopi. Conſtantii epiſcopi Aquinæ civitatis, de quo beatus Gregorius* 3. *Dialog. refert, quia prophetiæ ſpiritu claruerit. Stabilionis confeſſoris, diſcipuli beati Paterni epiſcopi.* Notabis, Paternum à GREVEN. ſignatum XVI. Aprilis, ſed ſub mendoſo titulo *epiſcopi Pictavienſis.* De reliquo vide dicta in Obſervatione & fuſius in Actis XVI Aprilis, ubi verum diſcipuli nomen invenies. Pergit GREVENUS: *Eodem die apud Anconam, ſancti Conſtantii confeſſoris, de quo beatus Gregorius* I *Dialog. refert, quod idem vir Dei funditus terrena deſpiciens, toto mentis adniſu ad cæleſtia flagraverit. Cumque in eccleſia, in qua manſionarii fungebatur officio, oleum unde lampades accenderet, defuiſſet, lampades ipſas aqua implevit, & allato igne ſuccendit, ſicque aqua arſit acſi in lampadibus oleum fuiſſet.* Vide notulam Caſtellani. *Adumiani abbatis.* Lege *Adamnani. Dignæ & Emeritæ, virginum & martyrum.* Spectant ad diem præcedentem. Vide Romanum. *De eodem. Liberii. Adamnani. Conſtantii. Stabilionis. Conſtantii Anconitani. Adamnani. Dignæ & Emeritæ.*

MOLAN. *Eodem die, Romæ, ſancti Lini Papæ & martyris: qui poſt* &c. ut BELIN. ſupra. *Item Romæ, ſancti Liberii confeſſoris.* Quam ſcrupuloſè, ubi Wandelbertus aperte enuntiat: *Liberiuſque dicat Romanam Papa per urbem.* Tum: *Eodem die, Paxentii martyris, cujus corpus honoratur & colitur* &c. ut MUNERAT. *In Gemblaco, elevatio corporis ſancti patroni noſtri Guiberti confeſſoris Chriſti, in miraculis præclari.* Subdit minoribus typis: *Secunda aſſumptio ſanctæ Mariæ virginis.* De Conſtantio Aquinate & de Conſtantio Anconitano eadem omnia ex Gregorii Dialogis refert. Denique: *In Scotia, monaſterio Huenſi, ſancti Adamanni, ejuſdem loci abbatis & confeſſoris, ſanctitate ac doctrina famoſi, de quo Beda l.* 5, *c.* 16 *&* 22. Editiones aliæ textui Uſuardino Linum præmittunt. De Thecla aliis litteris textui poſt *virginis*, inſerunt, *primæ martyris*, & poſt *Seleuciam*, hæc: *cum duplici corona, virginitatis & martyrii.* In fine: *Item Romæ, ſancti Liberii Papæ & confeſſoris.* De Paxentio martyre, ex MUNERAT. & elevatione corporis ſancti Guiberti, Gemblacenſis, ut ſupra in priori editione. Item typis minoribus, de ſecunda aſſumptione S. Mariæ Virg. *Lini. Liberii. Paxentii. Elevat. Guiberti. Conſtan. Aq. Conſtant. An. Adamnani. Aſſumpt 2. B. M. V.*

VIII *Kal.* *Die* 24.

Concept. Joan. Bapt. Andochii & ſocior. CONceptio ſancti Joannis Baptiſtæ. Et in Auguſtiduno, natalis ſancti Andochii presbiteri, Tyrſi diaconi & Felicis, qui à Policarpo epiſcopo ab Oriente directi ad docendam Galliam, ſub Aureliano principe ſunt glorioſiſſime coronati. Siquidem flagellis cæſi, in ultimo tota die inverſis manibus ſuſpenſi, in ignem miſſi, ſed non combuſti, tandem vectibus colla feriuntur.

Soli puri ſunt *Praten. Herinien. Antverpien-major* & *Roſweyd.*

VARIA LECTIO. De *Joannis* & *Johannis*, ſatis alibi dictum eſt. In apographo noſtro Pratenſi legitur ſimpliciter *Auguſtiduno*, at Caſtellanus notat, diſerte haberi: *Et in Auguſtiduno*, quemadmodum etiam legit Herinien. & alii, noſque ita ſervandum putavimus, licet in Antverp-maj. deſit *et*, in Roſweyd. vero utraque particula, Antverp-maj. pro *Andochii*, ponit *Andocii.* Ex quatuor citatis codicibus ſolus Roſweyd. ſcribit, *Tirſi*; ceteri, ut in textu; nullus *Thyrſi. Policarpo*, ut alibi. *Sub Aureliano* habent omnes poſt Bedam & Adonem; ſed eam temporis notam alibi correxit Uſuardus, & nos in Actis probabilius rejiciendam oſtendemus. Pro *principe*, ſolus Herinien. ſubſtituit *imperatore.* In Antverp-majore pro *combuſti*, male ſcriptum eſt *conbuſti.*

Andochii & ſociorum *OBSERVATIO.* Paucis obſervationes omnes neceſſarias abſolvero, ſi dicam indiculum noſtrum totum ex Adone verbatim deſcriptum; porro Adonem æque ac Rabanum ſua ex Beda accepiſſe. Eſt autem inter Bedam & Adonem ea diverſitas, quod hic poſt *feriuntur*, fruſtra repetat, *atque ita martyrium ſuum glorioſiſſime compleverunt* VIII *Kalend. Octobris*; Beda vero magis ad rem ſubjiciat: *Ubi Symphorianus tunc viginti annorum, qui poſtea paſſus eſt, ſemper vigilias & orationes agebat.* De hoc Symphoriano, ad ejus diem natalem XXII Auguſti pro re noſtra ſatis dictum eſt. At latius ſe extendit Æduenſium martyrum cognatio, quam fuſe explicatam invenies in Actis Tergeminorum Speuſippi; Eleuſippi & Meleuſippi ad XVII Januarii, in quibus *Benignus presbiter*, de quo agendum I Novembris, cum his Sanctis noſtris, Andochio item presbytero, Thyrſo diacono & Felice, à Polycarpo in Galliam miſſi dicuntur, ubi longe veroſimilius *Felix* poſtremus, & laicus & mercator indigena fuiſſe cenſetur, cum Apoſtolis illis, quos exceperat, martyrii laurea donatus. De Tergeminorum Actis quod ſuperaddam non habeo: quam vero

vero authentica ſint, quæ de Andochio & duobus hodiernis ſociis apud nos manuſcripta exſtant, ſatis erit deprompſiſſe, cum & otioſius & accuratius ea expendere licuerit. Interim Hieronymianis etiam inſertos vel potius adjectos oſtendit Florentinius, apud quem ita ſcribitur: *In Gallia, civitate Auguſtidunenſi, vico Sedulo, natalis ſanctorum Andochii, Tyrſi & Felicis martyris*; qua ferme phraſi non male uſi ſunt nonnulli codices Uſuardini, quos mediæ notæ appellamus. Huc quod ſpectat, vide in Obſervatione ad dictum diem XVII Januarii. Nihil de his Romanum parvum, cujus auctor procul dubio Warnacharii Acta aut hujuſmodi alia numquam viderat. Notkerus Adonem vel Rabanum plus ſolito contraxit: Wandelberti verſus ad calcem ſubjiciam. De *conceptione ſancti Joannis Baptiſtæ*, quæ in textu noſtro primum locum obtinet, hoc unice & breviter obſervandum, eam in omnibus omnino antiquis Martyrologiis conſignatam, imo ab omni ævo in veneratione ſemper fuiſſe, tam in Orientali quam in Occidentali eccleſia. Fatetur Florentinius, ignorare ſe, cur hujuſmodi celebritas in Romano emendato Martyrologio prætermiſſa ſit; utrum vero conjecturis ſuis id aſſequatur, lectoris judicio relinquo, cui auctor ſum ut ejusdem Florentinii Exercitationem huic diei ſubjunctam conſulat, *De Joannis Baptiſtæ nondum poſito Præcurſoris officio, deque ejuſdem conceptionis & nativitatis loco*, ubi de *Macherunte* diſputat, quo in loco nonnulla Hieronymiana Baptiſtæ conceptionem ſignant. Si hæc non ſufficiant, videatur Papebrochius, hæc omnia accuratiſſime illuſtrans Tomo IV Junii cap. 2 §. 2 & 3, à pag. 701. Videri etiam poteſt notatio Roſweydi in Feſtivitates Apoſtolorum pag. 223. En modo pollicitos Wandelberti verſiculos: *Concept. S. Jo. Bapt.*

Octavum ſterili conceptus ventre Joannes,
Andochiuſque ſacrat, martyrque & presbyter almus,
Quem Tyrſus Felixque pari comitantur amore.

AUCTARIA.

PULSANEN. Purus eſt uſque ad, *ſunt coronati*, ſed deſunt reliqua omnia.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. In prima bene. Ita pergunt: *In territorio Eduæ civitatis, caſtro Sedeloco, ſancti Andochii* &c. In fine: *Arvernis, depoſitio ſancti Ruſtici epiſcopi.* MAX-LUBEC. habet *Ruſaci.* *De Andochio & Ruſtici.*

MUNERAT. Textui ſubnectit: *Caſtro Bleſis, ſancti Solennis epiſcopi & confeſſoris.* Eſt in Martyrologio Romano die ſequenti. Videſis eo die lectiones noſtras Variantes. *Solemnis.*

GREVEN. Etiam addit & quidem ut partem textûs: *Item, ſancti Solemnis epiſcopi.* *Solemnis.*

MOLAN. In prima editione omittit *Conceptionem ſancti Joannis Baptiſtæ*, uti etiam fecit Baronius. At ille in editionibus poſterioribus eam annuntiationem reſtituit.

ANTVERP MAX. ULTRAJECTIN, LEYDEN. & LOVANIEN. Similes ſunt ANTVERP. & MAX-LUBEC. in eo ferme ſolum diſcrepantes, quod in Auctario de Ruſtico, omittant *το depoſitio*, & addant titulum *confeſſoris.*

ALBERGEN. & DANIC. Carent annuntiatione prima, in reliquo cum poſtremis conveniunt.

CENTULEN. In prima purus eſt. Tum: *Auguſtidumi, ſancti Judochii preſbyteri & martyris, Tyrſi diaconi & Felicis, qui ſub Aureliano principe ſunt glorioſiſſime coronati.*

BRUXELLEN. In prima purus, in ſecunda idem habet initium cum ANTVERPIEN. & MAX-LUBEC. &c. in fine tamen nonnihil tranſpoſitus. Tum: *Arvernis, ſancti Ruſtici epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, in territorio Beluacenſi, ſancti Gummari* (vult dicere *Geremari*) *abbatis.* *Ruſtici.* *Geremari.*

HAGENOYEN. *Conceptio ſancti Joannis Baptiſtæ, quæ facta eſt poſt completionem ſacerdotii Zachariæ, patris ejus.* In Auguſtodunenſibus nonnihil interpolatus eſt. Tum: *In territorio civitatis Conſtantiæ, ſancti Patrini* [pro *Paterni*] *epiſcopi & confeſſoris.* Vide die præcedenti. *In pago Pictavienſi, ſancti Florentii preſbiteri & confeſſoris.* De quo iterum ſuperius egit XXII Septembris. *De Conceptione I. B.* *Paterni.* *Florentii.*

Avernis, depoſitio ſancti Ruſtici epiſcopi & confeſſoris. Item, ſancti Silvani confeſſoris. An non *Silvani*, de quo etiam ſupra XXII? *In Ungaria, ſancti Gerhardi epiſcopi & martyris.* *Ruſtici.* *Silvani.* *Gerhardi.*

AQUICINCT. Omittit *Conceptionem ſancti Joannis Baptiſtæ*; in reliquis purus.

DAVERONEN. *Depoſitio beati Solemnis, epiſcopi Carnotenſis, magnificæ ſanctitatis & clariſſimi in miraculis viri.* *De Solemne.*

AMBIANEN. Poſt conceptionem Joannis, addit: *Eodem die, vigilia glorioſiſſimi epiſcopi & martyris Chriſti Firmini.* *Vigilia Firmini.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Conceptio ſancti Joannis Baptiſtæ. Solemni epiſcopi & confeſſoris.* *Solemnis.*

REG. SUEC. ſignatus num. 428. *Beloatus, depoſitio ſancti Geremari confeſſoris.* *Geremari.*

UGHELLIAN. *Arvernis, depoſitio Ruſtici epiſc.* *Ruſtici.*

ALTEMPS. *Ipſo die, dedicatio ſanctæ Trinitatis eccleſiæ Norwicenſis. In territorio Beluacenſi, ſancti Germani abbatis.* Pro *Geremari.* *Geremari.*

FLORENTIN. *In finibus Germaniæ, paſſio ſanctorum martyrum, qui tempore Maximiniani, paſſi ſunt pro Chriſto, ut habetur in geſtis ſancti Domnini.* *Mult. Mart.*

MONTIS SANCTI. *In Gallia, civitate Auguſtoduno, vico Sedulo, natalis ſanctorum Andochii* &c.

EDITIO LUBECO-COL. Poſt *Baptiſtæ* addit: *Præcurſoris Domini.* In Auguſtodunenſibus fere ſimilis eſt ANTVERP. &c. ſupra. In fine: *Avernis, ſancti Ruſtici epiſcopi & confeſſoris.* *Ruſtici.*

BELIN. Incipit: *Auguſtoduno* &c. pure. Tum, *Avernis, depoſitio ſancti Ruſtici epiſcopi, Item, in Ungaria, ſancti Gerardi epiſcopi & martyris. Item conceptio ſancti Joannis Baptiſtæ.* Hæc Conceptionis tranſpoſitio fefellit Papebrochium citato loco in Obſervatione, ubi ait, primum eſſe Belinum, qui hoc feſtum omiſerit, nempe quod in laterculi principio non repererit. Altera Belini editio ad hæc adjungit: *In territorio Beluacenſi, ſancti Germani abbatis.* Vide ſupra. *Ruſtici.* *Gerardi.* *Geremari.*

GREVEN. *In Pannonia ſeu Hungaria, ſancti Gerhardi epiſcopi & martyris, qui ſecundum Cathalogum paſſus eſt VII Kalend. Martii. Ruperti epi-* *Gerhardi.* *Ruperti.*

Mart. 49. *episcopi & martyris. In Calcedonia, sanctorum martyrum quadraginta novem, qui cum beata Eufemia pro fide Christi Prisco proconsuli oblati, martyrii palmam adepti sunt. Fymberti episcopi. Arvernis, depositio sancti Rustici episcopi & confessoris. Geniani abbatis. Epigeniæ virginis, abbatissæ & Eufemiæ matris ejus, de quibus ingestis sancti Mathæi Apostoli. Rosæ virginis.*

Fymberti. Rustici. Geniani. Ephigeniæ. Rosæ

MOLAN. *Arvernis depositio sancti Rustici episcopi. Item in Hungaria, sancti Gerardi episcopi & martyris. Item conceptio sancti Joannis Baptistæ. In territorio Beluacensi, sancti Germani abbatis, Cameraci, translatio sancti Gaugerici episcopi & confessoris. Eodem die, depositio Solemnis episcopi. Hic cum quadam die obvium haberet hominem, à nativitate cæcum & surdum, eum complexus collo osculatus est, & statim sanum reddidit. Hic etiam Carnotensium episcopus Ludovicum regem, cum trecentis septuaginta nobilibus sacro fonte regeneravit, sicque Dei sanctus tres olympiades gerens in episcopatu, migravit ad Dominum. Et sancti Rutperti confessoris*; tum aliis litteris; *episcopi Vuormatiensis & Saltzburgensis translatio.* De posterioribus editionibus, jam dixi restitutam in iis *Conceptionem sancti Joannis Baptistæ*, ubi aliis litteris inseritur textui; *gloriosi Prophetæ & Præcursoris.* In fine de Rustico & Gerardo, ut supra. *In territorio Beluacensi, sancti Germari abbatis. Cameraci, elevatio sancti Gaugerici, episcopi & confessoris.* Vide supra XI Augusti.

Rustici. Gerardi. Geremari. Translat. Gaugerici. Solemnis cum elogio. *Rutperti.* *Germari. Elevat. Gaugerici.*

VII *Kal.* *Die* 25.

Cleophæ. NAtalis beati Cleophæ, quem tradunt apud castellum Emaus, in eadem domo, in qua mensam Domino paraverat, pro confessione illius à Judæis occisum & glorioſa memoria sepultum.

Firmini. In civitate Ambianensium, beati Firmini episcopi, qui sub præside Rictiouaro post varia tormenta, capitis decollatione martyrium sumpsit.

Lupi. Apud Lugdunum, depositio sancti Lupi episcopi ex anachoretâ.

Herculani. Ipso die, sancti Herculani militis, qui in passione Alexandri episcopi legitur.

Aunarii. Autisiodoro, sancti Aunarii episcopi & confessoris.

Inter puros solum numero *Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Scripsi *Emaus*, ut codices habent communius, licet aliqui malint *Emmaus*. Nonnulli legunt, *Lupi episcopi anachoretæ* vel *anachoritæ*, sed melius Molanus & alii post Adonem, *ex anachoreta.* Sic rursus Molan. ex eodem Adone, ponit *Herculani* non *Herculiani.* Supereſt præcipua & difficilior varietas, circa annuntiationem *sancti Solemnis*, vel ut scribunt codices *Sollempnis*, quam certum est non ad hunc, sed ad præcedentem diem pertinere, ut recte observat Bollandus IV Februarii, ad vitam sancti Aventini; & alii. Nos die præcedenti Muneratum & Grevenum è puris excluſimus, quod ibi in ea annuntiatione ab omnibus reliquis discreparent, quamvis, si ponenda sit, eo die signanda videatur. Quæritur, utrum hoc die *Solemnem* collocarit Usuardus, & non potius ab alio adjectus sit? Vidit hoc, opinor, Molanus, qui neutro die ipsum retulit. At contrarium statuunt Praten. Herinien. Antverp-maj. Rosweyd. & Belin, apud quos ultimo loco disertissime exprimitur: *Item, sancti Solempnis*, vel *Solennii episcopi.* Cogor nihilominus existimare Usuardinum non esse, hac potissimum ratione ductus, quod Castellanus, diligentissimus codicis Pratensis inspector observaverit, prima manu solam S. Aunarii annuntiationem ultimo loco positam fuisse, quæ subinde erasa fuerit, tumque pressiori charactere ita rescripta, ut altera S. Solemnis accedere posset. Quod idem habeant Antverp-maj. Rosweyd. & etiam Aquicinct., novum non est, cum passim ex eodem fonte procedant. Sola me retineret Herinienſis auctoritas, nisi & hic hodie auctior esset. Nam ad Belinum quod attinet, tot ferme quotidie Auctariis abundat, ut raro incorruptus appareat. Ita equidem verosimilius censeo, si cui *Solemnem* Usuardo vendicare lubeat, argumentis facile cedam; liceat mihi interim Munerat. Greven. & præcipue Molanum ceteris codicibus hîc anteferre. De Solemni vide Rabanum XXIV Septembris. Acta ejus sincera non esse, satis indicat Bollandus, citata superius die IV Februarii in *Aventino* &c.

Utrum ad Usuardum spectet S. Solemnis.

Cleophæ. OBSERVATIO. De *Cleopha* nihil est apud Hieronymiana, Bedam, Florum, Rabanum aut Wandelbertum. Primus eum signavit auctor Romani parvi, his verbis: *Cleophæ, cui Dominus post resurrectionem in via apparuit.* Ado in suo Martyrologio præfigit: *Natalis beati*, & ita ferme descripsit Notkerus: at Usuardi elogium ex Apostolorum Festivitatibus ad verbum contractum est. Qua autem fide assertum ab Adone martyrium nitatur, hactenus non reperi. Alii cum Tillemontio tomo I pag. 366, 459 & 622 cognationem ejus vel affinitatem cum Christo Servatore examinant, de qua & nos alibi egimus, & porro

porro fuſius ſuo loco diſputabimus. Indubitata ſunt, quæ ex Lucæ cap. 24 refert laudatus Tillemontius pag. 368. De *Firmino* legit Rabanus : *Natale ſancti Firmini martyris.* *Firmini.* Wandelbertus, *Ambiana micat Firmino martyre plebes.* Plura Florus memorat. Adoni à Moſandro adſcribitur. Verum, niſi multum fallor, non alium ducem habuit Uſuardus quam Acta ipſa, quæ, ut fortaſſe ſincera omnino non ſint, gravia tamen & antiqua eſſe, ſuo tempore demonſtrabitur. Multa de tranſlationibus, una aut pluribus, hujus Firmini & alterius cognominis *confeſſoris*, jam pridem, & recentiſſime, vel ipſas inter umbras diſputata ſunt, quæ tunc etiam accuratius examinabuntur. *Lupi depoſitio* ab Hiero- *Lupi.* nymianis pridie notata, à Corbeienſi Lugduno, ab Epternacenſi Auguſtoduno tribuitur. Ado priorem ſecutus videtur, dum recte ſcribit : *Lugduni, ſancti Lupi epiſcopi ex anachoreta* : unde jam perſpicis, ex quo Noſter ſua acceperit. Hoc ei elogium canit Wandelbertus :

Septena Lupus Antiſtes Lugduna reviſit
Mœnia, devotæ paſtor memorabilis urbi.

Res ejus geſtæ colligi poterunt ex iis, quæ ſatis fuſe deduxit Severtius in Chronologia *Herculani.* hiſtorica à pag. 84, & ex aliis ab ipſo citatis. *Herculanus*, in Actis ſancti Alexandri epiſcopi, de quo ſupra ad XXI Septembris egimus, memoratus apud Adonem XXVI Novembris, hoc die pro mero Uſuardi arbitrio poſitus videtur, aliis omnibus antiquis Martyrologis præteritus, ubi etiam advertes, perperam, vel ſaltem gratis, ei ab Noſtro dari titulum *militis*, cum ab Adone ſolum dicatur, *juvenis ex officio Antonini.* Sequitur *Aunarius*, ſive, ut ſcribit Caſtellanus, *Aunacharius*, ab Uſuardo etiam primùm conſigna- *Aunarii.* tus, de cujus Actis plura ſparſim inveniuntur tomo primo Bibliothecæ Labbeanæ, ſed præcipuè à pag. 419 & 528, ad quæ accedere poteſt Compilatio noſtra Autiſſiodorenſis itidem Ms. ex Labbeo ferme pro hac parte deſumpta, pag. 53. Atque hactenus conformes ſunt probatioris notæ codices omnes, ut de genuino textu dubitari nequeat. Quid de *Solemne* ſeu *Solenne* cenſendum, ſuperius abunde diſcuſſum eſt.

AUCTARIA.

Solemnis. *Ceolfridi.* *Principii.* *Solemnis.* *Solemnis.* *Alex. PP.* *Solemnii.* *Alex. PP.* *Solemnis.* *De Solemne.* *Textus contractus.* *Solemnis.* *Rodberti.*

PRATEN. ANTVERP-MAJ. & ROSWEYD. De *Solemne* habent ut ſupra diximus. Sed in Roſweyd. præterea additur : *In monaſterio Gleſtienſi, ſancti Ceolfridi.*

HERINIEN. Secundo loco proprium inſerit : *Eodem die, ſancti Principii Sueſſionenſis epiſcopi, fratris beati Remigii.* In fine, de *Solemne*, ut ſupra.

PULSANEN. In prima ſatis purus, in ſecunda truncat elogium, & tunc immediate cum ſuperioribus ſubdit : *Item, ſancti ſollempnis epiſcopi.* Deſunt reliqua omnia.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Omittunt annuntiationem *Aunarii*, & recte etiam *Solemnis.* Pro *Alexandri epiſcopi*, ponunt *Alexandri Papæ.*

BELIN. Etiam legit, *Alexandri Papæ*, & in fine : *Item ſancti Solemnii epiſcopi*, altera editio diſtinctius legit : *Item Bleſis* &c.

ANTVERP-MAX. LEYDEN. & LOVANIEN. Scribunt : *Alexandri Papæ*; omittunt *Aunarii*, & ultimo loco habent : *Apud Carnotum, natale ſancti Solempnis epiſcopi & confeſſoris.*

ULTRAJECT. ALBERGEN. & DANIC. In eo à proxime ſuperioribus differunt, quod de Solemne ita addant : *Hic homini à nativitate cæco & ſurdo & muto viſum, auditum, & officium linguæ reſtituit. Clodovæum quoque regem Francorum & trecentos ſexaginta quatuor cum eo aqua ſacri baptiſmatis initiavit.*

CENTULEN. *Natale beati Cleophæ, qui fuit unus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis. Ambianis, paſſio ſancti Firmini martyris, primi illius civitatis epiſcopi. Lugduni, ſancti Lupi epiſcopi ex anachorita. Ipſa die, ſancti Herculiani militis. Antiſiodoro, ſancti Aunarii epiſcopi & confeſſoris. Item, ſancti Solennis epiſcopi. Cœnobio Ceſareæ, ſancti Rodberti epiſcopi & confeſſoris.*

BRUXELLEN. Incipit à Firmino, ſatis pure. Tum de Cleopha. Deinde de Herculano, quem *Arculanum* vocat. Sequitur : *Apud Carnotum, natale ſancti Solempnis epiſcopi & confeſſoris. Hic homini à nativitate cæco, ſurdo, & muto, viſum, auditum & officium linguæ reſtituit. Apud Lugdunum depoſitio ſancti Lupi ex anachorita epiſcopi. Antiſiodoro, depoſitio ſancti Januarii* (pro *Aunarii*) *epiſcopi & confeſſoris. Et eodem die, beatorum Sergii & Bachii.* Lege *Bacchi* & vide VII Octobris. *De Solemne.* *Sergii & Bacchi.*

HAGENOYEN. De Cleopha pluribus proſequitur hiſtoriam Euangelicam. In Firmino ſatis purus eſt. Item in Lupo. Tum : *Apud Carnotum, ſancti Sollempnis epiſcopi. Hic homini à nativitate cæco, ſurdo, & muto, viſum auditum & olfactum linguæ reſtituit. Clodovæum vero regem Franchorum & ſexingentos & ſexaginta quatuor cum eo, unda* &c. Sequitur de Herculano & Aunario cum textu ſatis purè. *De Solemne.*

AQUICINCT. Pro *Rictiovaro*, habet, *Sebaſtiano*; & in fine de Solemne, ut ſupra.

AMBIANENS. *Ambianis civitate, natalis ſancti Firmini martyris & primi epiſcopi civitatis ipſius.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. Hoc die contractior eſt, ſic habet : *Cleophæ, diſcipuli Chriſti. Firmini epiſcopi & martyris. Principii epiſcopi Sueſſionenſis, fratris beati Remigii epiſcopi.* *Principii.*

REGINÆ SUEC. ſignatus num. 130. Etiam habet : *Item ſancti Solennis epiſcopi.* *Solemnis.*

IN VATICAN. ſignato num. 5949. Deſunt poſtremæ duæ annuntiationes.

In UGHELLIAN. Deeſt in hoc codice Aunarius, ut ſupra in ANTVERPIEN. & MAX-LUBEC.

ALTEMPS. *In Gleſcovia, ſancti Ceolfridi abbatis & confeſſoris. Item, ſanctæ Fauſtæ virginis. Item, ſancti Solennii.* Idem qui *Solemnis.* *Ceolfridi.* *Fauſtæ.* *Solemnii.*

FLORENTIN. *Ipſo die, ſancti Solemnis epiſcopi.* *Solemnis.*

CAUDIACEN. *Magno-loco, ſanctæ Georgiæ virginis.* Vide hunc eumdem codicem citatum XV Februarii, ubi hujus Georgiæ, tranſlationem ſignat. *Georgiæ.*

EDITIO LUBECO COL. *In territorio Hierosolymitano, castello quod appellatur Emaus, natale*
De Cleopha. *sancti Cleophæ, qui fuit unus de septuaginta duobus discipulis Christi, qui etiam in die resurrectionis Domini, cum alio discipulo in idem castellum ibat, quibus Dominus in via apparuit. Et quem tradunt ibidem & in eadem domo, in qua mensam præparaverat Domino, pro confessione ejus &c. Colonia*
Ordinat. Cuniberti. *Agrippina, ordinatio sancti Cuniberti archiepiscopi ejusdem civitatis & confessoris. In civitate Am-*
De Firmino. *bianensium, beati Firmini episcopi & martyris. Qui sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus & sub præside Rictiovaro, post varias tormentorum minas, nocte clam in carcere decollatus est, sicque martyrium complevit. Cujus corpus Faustinianus, ab eodem baptizatus, rapiens sepelivit, qui ob amorem & reverentiam sancti Martyris unicum filium suum quem habuit, Firminum appellavit. Qui tandem scientia & sanctitate proficiens, omnium Europæ ecclesiarum magister effectus, episcopus prædictæ ecclesiæ Ambianensis ordinatur.* In Lupo & Herculano fere pura est. De Solemno eadem habet quæ
Solemnis. ULTRAJECTIN. & ALBERG. supra. *Antisiodoro, S. Amancii.* Voluit haud dubie scribere *Amarii.*

GREVEN. *In Asia, sanctorum Eucarpi, Bardumani, & aliorum viginti sex. Suessionis, sancti* *Eucarpi & sociorum*
Principii episcopi & confessoris, fratris beati Remi- *Principii.*
gii. Zachariæ episcopi. In Hibernia, Barreæ epi- *Zachariæ.*
scopi & confessoris. Germani abbatis & confessoris. *Barreæ.*
Apud Coloniam Agrippinam, ordinatio episcopatus *Germani.*
sancti Cuniberti, ejusdem civitatis episcopi & confes- *Cuniberti.*
soris. Item bonæ memoriæ Gerhardi confessoris Or- *Gerhardi.*
dinis Minorum, viri devotissimi.

MOLAN. *Item, sancti Solennis episcopi & confes-* *Solemnis.*
soris, castro Blesis. Eodem die, sancti Principii *Principii.*
Suessionensis episcopi, fratris beati Remigii. Quod ex HERINIEN. videtur desumptum. Editiones aliæ, sic habent: *Item Blesis, sancti Solennis epi-* *De Solemne.*
scopi. Hic hominem à nativitate cæcum & surdum osculatus est, & statim sanum reddidit. Hic etiam Carnotensium episcopus, Ludovicum regem cum trecentis septuaginta nobilibus sacro fonte regeneravit. Sicque Dei Sanctus, tres olimpiades gerens in episcopatu, migravit ad Dominum. Eodem die sancti Principii, &c. ut in priori. *Cusantiæ, in territorio* *Bizuntino, depositio beati Hermenfredi, abbatis &* *Hermenfr.*
confessoris. In Glasconia, depositio sancti Ceolfridi *Ceolfridi.*
abbatis & confessoris. Vide de utroque Castellan.

VI *Kal.* *Die* 26.

Cypriani & Justinæ. NAtalis sanctorum martyrum Cypriani episcopi & Justinæ virginis, quorum Justina, multa propter Christum perpessa, ipsum quoque Cyprianum, cum esset magus, & magicis suis eam dementare conaretur, convertit ad Christum, cum quo postea, jam episcopo & nobili doctore facto, martyrium sumpsit. Horum corpora postmodum à Christianis Romam delata sunt. Civitate Al-
Senatoris. bano, sancti Senatoris.

Puri sunt *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Rosweyd. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Vides hîc denuo inter puros codices recurrere Tornacensem, qui ab VIII Augusti ad hunc usque diem vacuus fuit, foliis aliquot aut decerptis aut saltem deperditis. De cetero codex ille, item Antverp-maj. & Greven. scribunt *Cipriani*, melius reliqui, ut in textu. Antverp-maj. Rosweyd. & Molan. post *magicis suis* non male addunt *artibus*, verum ex codicibus aliis judico, non sic scripsisse Usuardum, qui forte melius cum Beda posuisset *magiis suis*; siquidem ita vere Beda legit, cum Rabanus etiam simpliciter habeat *magicis suis*. Pro *dementare* in Antverp-majore est *temptare*. Idem, ante *Christianis*, omittit *a*. Ultimam annuntiationem sic format Rosweyd. *Civitate Albana, natale sancti Senatoris*. At utrovis modo scripseris, verum locum non facile designaveris. Munerat. in fine ei adjungit titulum *episcopi*.

Cypriani & Justinæ. *OBSERVATIO.* Multa sunt, quæ implexam & perplexam reddunt celeberrimorum alioqui martyrum nostrorum *Cypriani* & *Justinæ* historiam, ita ex Metaphraste à Lipomano, Surio aliisque editam, ut apertissime Cyprianum illum inclytissimum Carthaginensem antistitem cum hoc nostro, verosimilius Antiocheno, confundat; quod passim Gregorio Nazianzeno acceptum refertur. Ab ea confusione nonnihil recedit Eudociæ imperatricis laudatio; magis etiam vera, seu ut alii existimant, supposita ipsius Cypriani *Confessio*. Nec in martyrii tempore, nec in aliis pluribus circumstantiis satis conveniunt rerum gestarum scriptores, ut fatetur Baronius. Laudanda in hisce Tillemontii opera, qui, quæ verosimilia & probabilia sunt, operose digessit tomo 5 à pag. 329, suo tempore nonnulli usui futura. Jam ut ad textum nostrum accedamus, primum noto, in Hieronymianis apographis Cyprianum & Justinam omnino prætermissos. Romanum parvum sic eorum meminit: *Romæ, Cypriani episcopi, Antiochiæ passi, & cum martyre Justina Romam translati.* Martyrologus Viennensis longam quidem narrationem texuit, sed in qua Metaphrastæ confusio sic evitatur, ut tota Actorum ejus etiam à Surio edito-

editorum, veritas non incommode ſalvari poſſe videatur. Verum Noſter compendioſius Bedæ elogium a Rabano de more deſcriptum, hîc ſibi prælucere maluit, ex quo proinde eos deſumpſit characteres de *epiſcopo & nobili doctore facto*, ut Carthaginenſem Cyprianum plane, ni fallor, deſignari intelligamus: unde mirum videri non debet, ſi Romani Martyrologii reformatores eas notas expunctas voluerint. Id tamen prudenter cavit Uſuardus, ne Juſtinam æque ac Cyprianum *ſub Diocletiano multa propter Chriſtum perpeſſos*, in fine, *ſub Claudio principe martyrizaviſſe* aſſereret, quemadmodum in Beda & Rabano legitur. Quod autem ambo Antiochiæ & Nicomediæ adſcribantur, inde factum dici oportet, quod primo loco inchoata paſſio, poſtremo conſummata ſit. Cetera ad proprium locum remittamus, addito hîc ſolum metrico Wandelberti encomio:

Sexta martyr ovat Cyprianus, virgo beata
Quem Juſtina Dei fecit cognoſcere regnum,
Artibus inſanis tandem furiiſque relictis-

Senatoris. *Senator* Albanenſis ſeu *martyr*, ſeu *confeſſor*, & ſi ita vis, *epiſcopus*, multam Baronio & Florentinio conjectandi materiam præbuit. Nullis Martyrologis antiquis, præterquam Hieronymianis, notus videtur, in quibus ita lego: *Et in Albano, natalis ſancti Senatoris.* Quæ ab aliquo Adoni ſubinde ſuperaddita ſunt, ut abunde teſtantur Moſandri aſteriſcus & Roſweydi appendix. Mihi vix dubium eſt, quin ex Hieronymianis à Noſtro acceptus ſit, relictis terminis æque dubiis, ſic ut ubi *Albana* illa *civitas* ſeu *Albanum* quærendum ſit, necdum inter auctores plane conveniat. Utrum ſatis feliciter contra aliorum opiniones ipſum *in Scotia* invenerit Caſtellanus, ut ejus notula ad Martyrologium univerſale indicat, poſtea videbitur. Interim ſic poſuiſſe Uſuardum, ut in indiculo noſtro habetur, certiſſimum eſt.

AUCTARIA.

P ULSANEN. In prima purus, caret annuntiatione ſecunda; ut paſſim mutilus eſſe ſolet.

ANTVERP. MAX-LUBEC. BELIN. UGHELLIAN. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN & DANIC. In fine, textui puro ſubjungunt: *Romæ, ſancti Euſebii epiſcopi & confeſſoris.* Ejus *depoſitio* in Hieronymianis ſignata reperitur, *via Appia, cœmeterio Caliſti*, eo modo, quo confeſſores deſignari ſolent. Videatur Florentinius plures allegans, qui ei martyris laureolam aſſerant. Ceterum ex Hieronymianis tranſiit Euſebius in Bedæ & Adonis, imo & in Uſuardi Auctaria, ut ex probatiſſimis noſtris codicibus pro textu citatis manifeſtum eſt. De Euſebio Papa, vide Auctaria Uſuardina ad diem ſecundum Octobris. *Euſebii.*

CENTULEN. *Apud Antiochiam, natalis ſanctorum martyrum Cypriani epiſcopi & Juſtinæ virginis, qui paſſi ſunt ſub imperatore Dyocletiano. Civitate Albano ſancti enathoris.* Ita quidem in eo codice legitur, ſed apparent veſtigia eraſi *S* initialis, ut debeat legi *Senathoris.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. *Natale ſanctorum martyrum Cypriani epiſcopi, quondam magi, & Juſtinæ virginis & Theoginti. Quorum Juſtina, multa propter Chriſtum perpeſſa, ipſum quoque Cyprianum, cum eſſet magus & ſuis magicis artibus eam dementare conaretur, & à Chriſti cultura pervertere, convertit ad Chriſtum. Cum quo poſtea, jam epiſcopo & nobili Doctore facto, ſub Diocletiano imperatore, ſimul martyrio coronantur, & ipſorum corpora poſtmodum,* &c. *Romæ, ſancti Euſebii epiſcopi. Civitate Albana, ſancti Senatoris.* *Theoginti cum Cypr. & Juſtina.* *Euſebii.*

HAGENOYEN. *Apud Antiochiam, ſancti Cypriani epiſcopi & martyris, & Juſtinæ virginis & martyris. Hic Cyprianus prius erat incantator, & magus ſuis artibus multos dementabat. Nam ille puer exiſtens ſeptem annorum, à parentibus dyabulo conſecratus eſt, & à carnibus, piſcibus, vino & coitu abſtinuit diu, ut diabulo plus ſervire poſſet, & ut breviter concludam, omnia fecit mala, quæ excogitare potuit, ut demonibus plus placeret, & in quibuſdam malis demones in malo ſuperabat, & multis Chriſtianis ipſe erat cauſa peccati. Unde cum Juſtinam virginem ad ſuum conſenſum inclinare non poſſet, ſed multis ad eam miſſis demonibus, unus eorum interrogatus ab eo, cur nil perficeret, ille reſpondit, quod Chriſtus non ſineret. Cui Cyprianus: Eſtne ergo Chriſtus major nobis? Reſpondit demon: Major eſt omnibus creaturis. Sprevit ergo Cyprianus dyabulum & baptizatus eſt, & ipſe poſtmodum miracula fecit, & poſt annum ſacerdos ordinatus eſt. Et poſt* XVI *annos, mortuo Anthonio Antiocheno epiſcopo, ipſe epiſcopus ordinatus eſt, & multos ad fidem convertit, & fideles plurimum in fide confortavit; ac ipſe Juſtinam in monaſterio virginibus pluribus præfecit. Tunc ipſe cum Juſtina comprehenditur & incarceratur. Deinde in eculeo ſuſpenditur & ungulis ferreis laceratur. Dehinc alapis cæduntur & nervis crudis flagellantur: poſtea in ſartaginem plenam pice, cera, & adipe ſuccenſam* [mittuntur;] *in qua Deum ſine laſione laudabant. Tunc Eucolinus comes eos ad imperatorem Claudium in Nycomediam miſit, qui fecit eos decollari, & horum Romam tranſlata ſunt corpora, deinde Placentiam. Civitate Albala, ſancti Senatoris martyris. In Armenia majore, ſanctæ Riſpinæ, reginæ & virginis. Quæ cum ſpreviſſet connubia regis Armeniæ Thiridatii propter amorem Chriſti, cum pluribus aliis virginibus, inauditis tormentis eſt occiſa.* Ripſimen indicat, de qua vide notulam Caſtellani & Romanum XXIX Septembris. De Euſebio, ut ſupra. *Longa hiſtoria de Cypriano & Juſtina.* *Ripſimes. Euſebii.* *De Cypriano & Juſtina.*

AQUICINCT. In fine: *Romæ, ſancti Euſebii.* *Euſebii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Juſtinæ & Cypriani martyrum, qui fuit magus primo, ſed per ſanctam Juſtinam virginem converſus fuit.* Additur in margine eadem manu: *Horum reliquiæ habentur in eccleſia ſancti Joannis Trajectenſis.* *Euſebii. Januarii.*

In VATICAN. ſign. num. 5949. Deeſt *Senatoris.* Adjicitur: *Romæ, ſancti Euſebii epiſcopi & confeſſoris. Natale ſancti Januarii preſbyteri Antiocheni.* Multos novi Januarios, ſed quis hic ſit Antiochenus preſbyter, doceri cupio.

EDITIO LUBECO-COL. Præmittit annuntiationem ſatis miram, his verbis: *Apud Coloniam Agrip-*

Agrippinam, in eccleſia ſancti Maximini, inventio & tranſlatio ſancti Gorgonii epiſcopi & martyris & ſociorum ejus. Qui Gorgonius fuit confeſſor regis & reginæ Hiſpaniæ & de collegio ſanctarum undecim millium virginum. De Cypriano & Juſtina, poſt, *Doctore facto*, ſic ſcribit : *Martyrium ſub Diocleciano imperatore, judice Eutellio ſumpſit. Et cum jam hi duo martyres poſt multiplices pœnas juſſu imperatoris ducerentur in Nicomediam civitatem, ut ibidem decollarentur, adjunxit ſe eis Chriſtianus quidam, veniens de peregrinatione, nomine Theognitus, qui cum cervices ſanctorum deoſcularetur, cum ipſis pariter decollatus eſt. Quorum corpora nocte tulerunt nautæ in navem ſuam, transferentes ea Romam. Civitate Albano, ſancti Senatoris confeſſoris.* De Euſebio, ut ſupra.

De reliquiis Gorgonii. *De Cypriano, Juſtina & Jocio* *Theognito.* *Euſebii.*

GREVEN. *Item apud Coloniam Agrippinam, in eccleſia ſancti Maximini, inventio & elevatio ſancti Gorgonii epiſcopi & martyris. Hic confeſſor fuit regis Hiſpaniæ & de ſocietate undecim millium virginum. Romæ, Euſebii epiſcopi & confeſſoris. Arvernis, depoſitio ſancti Apollinaris epiſcopi & confeſſoris. Tranſlatio ſancti Meynulphi diaconi.*

Corgonii. *Euſebii.* *Apollinaris.* *Tranſlat. Meynulphi.*

MOLAN. *Romæ, ſancti Euſebii epiſcopi & confeſſoris.* Deinde minoribus typis : *Eodem die, Amantii preſbyteri & confeſſoris, de quo beatus Gregorius in Dialogis lib. 3 cap. 35.* Vide notulam Caſtellani. Editiones poſteriores de Euſebio habent, ut prior. Tum adjungunt: *Die vigeſima ſexta, tranſitus ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ Joannis Theologi.* Accepta eſt de more annuntiatio ex Græcorum Horologio ſeu Menologio contracto, de quo alibi diximus. Sed hæc & alia, quæ à Græcis de Joanne Euangeliſta liberaliter circumferuntur, ad diem ejus in Eccleſia Latina natalem XXVII Decembris remittenda ſunt.

Amantii. *De Joanne Euangeliſta.*

V *Kal.* *Die 27.*

Coſmæ & Damiani, APud civitatem Egeam, natalis ſanctorum martyrum Coſmæ & Damiani, qui ſub perſecutione Diocletiani, poſt multa tormenta, vincula & carceres, poſt mare & ignes, crucem, lapidationem & ſagittas divinitus ſuperatas, capite plectuntur. Referuntur etiam paſſi in eorum collegio tres fratres germani eorumdem, id eſt Anthimus, Leontius & Euprepius. Eodem die, ſanctorum fratrum Adulfi & Joannis, qui apud Cordubam civitatem pro Chriſto coronati ſunt. Caſtro Pſeuduno, ſancti Florentini, qui unà cum beato Hilario, poſt abſciſionem linguæ, gladio juſſus eſt feriri.

cum Anthimo & ſoc. *Adulfi & Joannis.* *Florentini & Hilarii.*

Ita *Praten. Antverp-major. Greven* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Ægeam* invenio in apographo noſtro Pratenſ. & Molano, at ceteri codices omnes ſcribunt ſimpliciter, ut eſt in textu. Neſcio an Caſtellanus rem acu tangat, dum his præfert nomenclaturam aliam *Ægæ, Ægarum.* Pro *lapidationem*, poſuit Molan. *lapidationes.* Pratenſis & Antverp-maj. videntur legere *Eoprepius*, in quo ſingulares ſunt, ſequimur reliquos. Ado prius ſcribit *Euprepius*, deinde *Eutropius.* In Greven. & Molan. ſuperflua ſcrupuloſitate legitur *Adulphi*, de qua inflexione ſatis alibi diximus, ſed in Antverp-majore male habetur *Aldulfi.* Reſtat *Pſeuduno*, ſic omnino ſcribendum, ut habent optimi codices Praten. Herinien. Tornacen. Roſweyd. & Greven. non *Seuduno*, ut eſt in Antverp.-majore, neque *Seduno*, ut in Molano & aliis. Vide infra in Obſervatione.

OBSERVATIO. Florentinius in diffuſâ de ſanctis Coſma & Damiano hac die annotatione, inter alia ſic habet : *Vidit Baronius varia horum ſanctorum martyrum Acta, erroribus & implicationibus referta*, qualia nempe apud Legendarios exſtant, *quæ ſi quis tueri velit, alios Coſmam & Damianum conſtituere neceſſe habeat*, & quidem Romæ martyres, alibi confeſſores admittere, eoſque non ſemel geminatos. Ita prorſus fecere Wangnerechius & Dehnius, ambo Societatis noſtræ, ex veteribus, ut ajunt, Græciæ monumentis, in Syntagmate hiſtorico *de tribus ſanctorum Anargyrorum, Coſmæ & Damiani nomine, paribus*, edito Viennæ MDCLX, quo terna illa Græcorum diſtinctio, contra Latinorum confuſionem acriter defenditur, in ea nimirum ſuppoſitione, qua illi alios Coſmam & Damianum I Julii, alios XVII Octobris, alios I Novembris aut diebus aliis recolunt. Viderat hæc pridem Baronius ſed rejecerat, nec ſcio equidem, an ſatis tutò digeri poſſint, tametſi Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moſcis eo inclinari videatur. Nequid tamen hîc inconſulte definiam, ubi longo & maturo examine opus eſt, ſola Martyrologiorum noſtrorum auctoritate rem circumſcribam. Sic loquuntur Hieronymiana : *Ad Acia civitate, natalis ſanctorum Coſmæ & Damiani martyrum.* An recte locum *Ad Acia*, vel *Adacia* ſive diviſim ſive conjunctim explicet Florentinius, tu ſtatue, ego mendum exiſtimo pro *Ægea* vel *Ægæa*, ut ſcribunt Beda & ex eo Rabanus, item auctor Romani parvi, Ado, Notkerus &c. Hos inter Romanum parvum ita legit : *In Ægæa civitate, Coſmæ & Damiani, Anthimi, Leontii & Euprepii.* Multa ex Actis ſuperaddidit Viennenſis, quæ & ipſa tritu-

Coſmæ & Damiani.

trituratione indigent. Noſter priorem elogii ſui partem ex Beda deſcripſit, alteram ex Adone mutuatus. Hactenus conſentiunt Martyrologi antiqui omnes, etiam Wandelbertus, qui, ſi Hieronymianos excipias, de ſolis Anargyris hodie meminerunt; nam Sancti à Moſandro adjecti, Adonis non ſunt. Audiamus Wandelbertum:

Quinto, cum fratre excellit Coſma Damiano.
Antimus hos ſequitur, Leontius, Euprepiuſque,
Unum, Chriſte, tibi ſertum qui morte dicarunt.

Florus hoc ipſo die Timotheum rettulit, ex Hieronymianis procul dubio acceptum, de quo vide ſupra ad XXII Januarii &c. *Martyres Cordubenſes* pure Uſuardini ſunt, nec de iis quidquam obſervandum video, præter id quod ſæpius alibi dictum eſt, eos nempe ex Hiſpania allatos & à Noſtro ſignatos, locum in ſacris tabulis primùm inveniſſe. Breve ſed præclarum utriuſque elogium exſtat in Memoriali lib. 2 cap. 8 ultra medium, ubi Eulogius ipſorum, *inſtar ſiderum cæli, geſta micantia, ad emolumentum Eccleſiæ ſanctæ & exemplum debilium, à ſene & magiſtro* ſuo *atque illuſtriſſimo doctore.... beatæ recordationis & memoriæ Speraindeo; ſtylo latiori compoſita* aſſerit. Hæc occaſione matris eorum Artemiæ: porro ipſos denuo nominat Eulogius lib 3 cap. 17, dum ſororis Aureæ illuſtrem confeſſionem deſcribit. Acta ipſa periiſſe credimus, eamque forte irreparabilem jacturam merito deplorat noſter Martinus de Roa tomo de Martyribus Cordubenſibus pag. 153. Si in hujuſmodi monumentis perquirendis operam poſuiſſent Scriptores illi, qui tot pſeudochronica nobis obtruſerunt, quam ſolidam toti genti, quam veram ſibi laudem peperiſſent. *Adulfi & Joannis.*

Florentinus in Hieronymianis ſic ultimo loco notatur: *In territorio Edue civitate, natalis ſancti Florentini.* Hujus nomen à Moſandro cum aſteriſco refertur, Roſweydus in appendicem rejicit, & recte, ut in præfatione cap. 3 contra Mabilionem oſtendimus. Ampliorem alicunde notitiam nactus fuerit Uſuardus, dum locum preſſius deſignat, & martyrii ſocium *Hilarium* exprimit, optime ſcribens *Pſeduno*, cujus loci nihil hodie ſupereſſe dicitur, præter vicum, quem Gallicè vocat Caſtellanus *Semont* in Lugdunenſi Gallia, non procul ab Arari; unde perſpicias, errare aliquos, qui *Caſtrum Sedunum* ad Rhodanum intelligunt, vulgo *Sion* vel *Sitten*. Colligas etiam, eam ſententiarum varietatem argumento ſufficienti non eſſe, ut hi martyres duplicentur apud Florentinium. Paſſos eſſe ſub perſecutione, ſeu mavis graſſatione & depopulatione Wandalica, communior fert opinio Baronii, Florentinii & aliorum, à qua neſcio cur recedat Caſtellanus in Martyrologio ſuo univerſali, apponens annum Chriſti CCLXIV. Utcumque tamen ea ſe habeant, ſatis hìc fuerit ſimplicem & germanam Uſuardi phraſim repræſentaſſe. *Florentini & Hilarii.*

AUCTARIA.

Tranſlat. Gibriani. HERINIEN. Propriam appendicem habet: *Ipſo die, tranſlatio ſancti Gibriani confeſſoris.* Vide Auctaria VIII Maii, ubi ex eodem codice Gibriani depoſitionem retulimus, in S. Remigii quieſcentis.

TORNACEN. In prima commemoratione purus, à duabus ultimis elogia reſcindit.

ROSWEYD. Textui integro in fine ſubjicit: *Item Fidentii & Terentii martyrum.* Vide Roman. *Fidentii & Terentii.*

PULSANEN. In prima etiam purus eſt, ſed caret reliquis omnibus.

ANTVERP. MAX-LUBEC. ANTVERP-MAX. & LOVANIEN. Sic primam enuntiant: *Apud civitatem Egeam, natale ſanctorum martyrum Coſmæ & Damiani, qui ſub perſecutione Diocletiani, poſt multa tormenta, vincula & carceres in mare merſi, divina virtute educti, igni copioſo impoſiti, ſed frigente igne illæſi, cum ſuperiores tormentis exiſterent, paratis crucibus proconſul impius eos ſuſpendi & lapidibus juſſit urgeri. Hinc ſagittis aggredi, tandem gladio præcepit abſumi. Referuntur* &c. pure. *De Coſma & Damiano.*

MUNERAT. In fine: *Eodem die, ſancti Cerauni confeſſoris & epiſcopi Pariſiorum civitatis.* Vide Caſtellanum in Martyrologio univerſali. *Cerauni.*

ULTRAJECT. LEYDEN & DANIC. Conveniunt cum ANTVERPIEN &c. Sed in fine adjiciunt: *Methis civitate, depoſitio ſancti Petri epiſcopi & confeſſoris.* In DANIC. ad marginem additur: *Sancti Elzearii confeſſoris feſtum ſolemne.* Nempe quod codex fuerit ad uſum PP. Franciſcan. *Petri. Elzearii.*

ALBERGEN. Præterea adjungit: *Ipſo die, ſancti Elyaſii confeſſoris*; pro *Elzearii*. *Elzearii.*

CENTULEN. *Apud Egeam, paſſio ſanctorum Coſmæ & Damiani martyrum, cum quibus ſunt paſſi tres eorum fratres Antimus, Leontius, Euprepius. Eodem die, ſanctorum fratrum Adulfi & Iohannis, qui apud Cordubam civitatem pro Chriſto coronati ſunt. In territorio Auguſtodunenſi, ſanctorum martyrum Florentii & Hilarii.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. In prima fere ſimilis eſt ANTVERPIEN. &c. In ſecunda & tertia, ſatis purus. Addit etiam in fine: *Mettis civitate, depoſitio ſancti Petri epiſcopi & confeſſoris.* *Petri.*

HAGENOYEN In Coſma & Damiano interpolatus, ſubjungit: *In Armenia, ſanctæ Gaianæ viduæ, & alterius virginis.* Vide Caſtellanum, qui duas virgines addit. In duabus poſtremis annuntiationibus, ſatis purus eſt. Tum: *Item tranſlatio Virgilii Salizburgenſis, epiſcopi & confeſſoris.* Colitur XXVII Novembris. *In die Coſmi & Damiani, ſancti Elſearii comitis Arriani & confeſſoris, per Urbanum Papam quintum noviter canonizati.* De Petro Metenſi, ut ſupra. *Gaianæ &c. Tranſlat. Virgilii. Elzearii. Petri.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Coſmæ & Damiani martyrum. Florentini & Hilarii martyrum. Fidentii & Terentii martyrum. Liobæ virginis. Anthimi, Leontii & Euprepii.* Notatur in margine, quod *Liobæ in Martyrologio Romano* habeatur *die ſequenti*, quod verum eſt. *Fidentii &c. Liobæ.*

AUGENS. *Flaviaco, ſancti Geremari confeſſoris atque* *Geremari.*

atque abbatis. Et hæc ponuntur primo loco. De eo ſupra actum eſt non ſemel. Vide XXIV. Sept.

In VATICAN. num. 5949. Deſunt annuntiationes duæ ultimæ. Adjicitur: *In Epheſo, ſancti Timothei.* Vide Obſervationes.

Timóthei.

FLORENTIN. *Ravennæ, ſancti Adenti* [Aderiti] *archiepiſcopi & confeſſoris.* Tum STROZZIAN. *Sancti Eleazarii confeſſoris, de tertio Ordine S. Franciſci.*

Aderiti. Elzearii.

JURENSIS. *In civitate Ambianenſi, beati Firmini epiſcopi* &c. Vide ſuperius, XXV.

Firmini.

DIVIONEN. *In territorio Auguſtidunenſi, paſſio ſanctorum martyrum Florentini & Hilarii.*

REMEN. SS. Timoth. & Apoll. Verbis proxime citatis veram ipſam poſitionem, ſeu locum interſerit, *caſtro Pſeduno*, ut eſt in textu.

EDITIO-LUBECO-COL. *Apud Epheſum, miſſio in exilium beati Iohannis Euangeliſtæ, unà cum ſancto Procoro diacono, ſub Domiciano imperatore. Apud civitatem Egeam in Arabia provincia, natale ſanctorum martyrum Coſmæ & Damiani fratrum, medicorum. Qui ſub perſecutione Diocletiani imperatoris à præſide Lyſia, poſt multa tormenta* &c. ut ſupra in ANTVERPIEN. & aliis. De Cordubenſibus, ſatis pure. Tum: *In territorio Auguſtudino, caſtro Seuduno, natale ſanctorum Florentini & Hilarii, qui præcipiente Crooo, Wandalorum rege, poſt dentium excuſſionem ac linguarum extractionem, gladio perempti ſunt.* De Petro Metenſi, ut ſupra. *Eodem die, ſancti Elſiarii comitis & confeſſoris, de tertia regula ſancti Franciſci confeſſoris.*

Exil. Joan. De Coſm. & c. De Florent. & Hilario. Petri. Elzearii.

BELIN. De Coſma & Damiano, eadem habet quæ ANTVERPIEN. &c. ſupra. Cetera purus eſt in poſtremis annuntiationibus, niſi quod in prima editione pro *Florentini*, ſcribat *Florentii.* In fine adjicitur: *Eodem die, ſancti Elzearii confeſſoris, de tertio Ordine ſancti patris Franciſci.*

Elzearii.

GREVEN. *Miſſio in exilium beati Iohannis Euangeliſtæ, unà cum ſancto Procoro diacono, ſub Domiciano imperatore. Item, ſanctorum Eleutherii, Andronici, Timothei. Fidentii & Terentii martyrum. Feliciani & Benedicti martyrum. Tranſlatio beati Staniſlai epiſcopi & martyris. Methis, depoſitio ſancti Petri epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, Elſiarii comitis & confeſſoris, de tertia regula beati Franciſci. In Dacia, dormitio ſancti Ketilli confeſſoris, regularis Præpoſiti eccleſiæ Wiburgenſis. Theodotæ matronæ, matris ſanctorum Coſmæ & Damiani. Apud Coloniam Agrippinam, dedicatio majoris eccleſiæ ſancti Petri Apoſtoli.*

Exil. Joan. Eleutherii & ſociorum. Fident. &c. Tranſl. Stan. Petri. Elzearii. Ketilli. Theodotæ.

MOLAN. De Coſma & Damiano, poſt *Euprepium*, aliis litteris ex Adone textui inſerit: *Quorum corpora religioſi viri ſepelierunt in loco venerabili, non longe à civitate Ægea. Duorum autem fratrum Coſmæ & Damiani memoria* [Romæ] *etiam, templo præclaro opere, nomini eorum ædificato, ſolenniter agitur.* In fine autem: *Pariſiis eodem die, ſancti Eleazarii confeſſoris, de tertio Ordine ſancti patris Franciſci. Eodem die, ſancti Cerauni confeſſoris & epiſcopi Pariſiorum civitatis. Civitate Sagienſi, dedicatio baſilicæ præfatæ urbis, per diœceſim ubilibet celebranda. Natale ſanctæ Hiltrudis virginis, quæ amore Chriſti ſponſum in terris fugiens, ei quem elegerat, viriliter adhæſit, bonumque propoſitum laudabili fine concluſit.* Dein minoribus typis: *Cujus corpus quieſcit in Hannonia, monaſterio Letiis.* De Ketillo habet, ut GREVEN Poſteriores editiones de Coſma & Damiano ſolum inſerunt: *Pecuniæ abſtinentia & miraculis clari.* In fine de Elzeario & Cerauno, ut in priori. Tum: *Lætiis, natale ſanctæ Hiltrudis virginis, quæ amore Chriſti*, &c. *Die vigeſima ſeptima, ſancti martyris Calliſtrati & ſociorum ejus. Civitate Sagienſi, dedicatio baſilicæ.* &c.

De Coſma & Damian. Elzearii. Hiltrudis. Ketilli. Calliſtrati.

IV *Kal.* *Die* 28.

Exuperii.

APud Toloſam, ſancti Exuperii epiſcopi & confeſſoris, qui beatus vir, quantum ſibi extiterit parcus, quantumque aliis largus, ſanctus Hieronimus memorabili proſecutus eſt relatu. Romæ, natalis ſancti Stactei. Civitate Januis, ſancti Saloris epiſcopi & confeſſoris.

Stactei. Salonis.

Sumitur ex *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-majore, Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. In minutiis hæret. Herinien. habet, *extiterit ſibi.* Tornacen. Poſt *Romæ*, omittit *natalis.* Antverp-maj. legit *Stactei*; Max-Lubec. *Stacteti*; Munerat. & Greven *Tactei.* Antverp. & Max-Lubec. pro *Salonis*, ſcribunt *Salomonis*; Molan. *Saloni.* De *Tholoſam, Hieronimus, Jeronimus* &c. aliquid notare, operæ pretium non eſt.

Exuperii.

OBSERVATIO. Solitos ductores ſuos Romanum parvum & Adonem hodie Noſter deſeruit; nam cum illi, ſequente Notkero, ſolos referant martyres Cordubenſes *Fauſtum, Januarium* & *Martialem*, de quibus etiam agit Wandelbertus, hos Uſuardus diſtulit ad XIII Octobris; utrum quod in Hiſpaniis de proprio eorum cultûs tunc temporis die, certiorem notitiam adeptus ſit, alibi expendemus. Beda hac die plane vacat. Superſunt itaque ſoli codices Hieronymiani, ex quibus meſſem Noſter colligere potuerit. Neque tamen ex illis accepit *Exuperium* Toloſanum, omnibus Martyrologis præteritum. Nihil veroſimilius eſt, quam quod Uſuardus in ipſis Hieronymi operibus reperit, quæ de ſanctiſſimo præſule in laterculo prædicat. Plura de hoc Sancto in ſua ad Martyrologium Romanum Notatione obſervat Baronius, at vitæ ſeriem accuratius digeſſit Catellus in commentariis ad hiſtoriam Occitaniæ lib. 5 à pag. 827, apud quem invenies, unde extracta ſint, quæ hîc in Sancti laudem ex Hieronymo recitantur, cum pluribus

ribus aliis eodem ſpectantibus. Vide etiam teſtimonia à Surio collecta. *Stactei* cum Noſtro meminit Rabanus. Uterque eodem modo ſcribit, uterque ex Hieronymianis eum deſumpſit, in quibus varie efformatum nomen *Stactæ*, & in vetuſtiſſimo Epternacenſi repetitum *Stertei* & *Stactei*, anſam Florentinio dedit ſuſpicandi, *diverſos eſſe martyres*, & *Sterteum deficere* in pluribus codicibus. Diſputat etiam de officio & titulo; verum, ni fallor, unus idemque eſt *Sterteus* & *Stacteus*, non confeſſor aut epiſcopus, ſed martyr Romanus, ſolo ferme nomine notus, & pro majori parte Fuldam tranſlatus, ut in beati Rabani vita, IV Februarii illuſtrata, pag. 517 indicat Henſchenius. *Stactei.*

Salo, *Salon*, *Salonus* vel *Salonius*, fatente Florentinio, notatur in pluribus apographis Hieronymianis, quidquid ab ipſo tamquam adjectitius, alio charactere exprimatur his verbis: *Civitate Genua in Gallia, depoſitio ſancti Saloni epiſcopi.* Eadem verba tranſcripſit Rabanus, ſed editor Caniſius ad oram libri poſuit *Salomonis*, haud dubie ex hodierno Romano. Noſter forte pridem difficultatem ſubodoratus, reſciſſa voce *Gallia*, ſcripſit *Januis*. Baronius nullum Genuæ Salonem inveniens, ex Belino aliiſque recentioribus *Salomonem* ſubſtituit. Vides intricatum negotium, cui ſolvendo hanc notam Martyrologio ſuo univerſali attexuit Caſtellanus; remiſſo alteriſco ad *Salomonis: Hoc eſt*, inquit, *ſecundum antiqua Martyrologia, Genevæ, ſancti Saloni, veroſimiliter primi ejus nominis* (epiſcopi) *in catalogis prætermiſſi, qui cum patre ſuo ſancto Eucherio ſubſcripſit Concilio* I *Arauſicano; atque hic potius intelligendus, quam ſecundus, qui Concilio* IV *Pariſienſi ſubſcripſit, cum altero Salono epiſcopo Ebredunenſi.* Favet eruditæ conjecturæ Hieronymianorum & Rabani recitata lectio: *civitate Genua*, *in Gallia*, quibus verbis, meâ quidem ſententiâ, ſatis clare excludi videtur celebris Genua Ligurum, apud medii ævi ſcriptores *Janua* potius vel *Januis*, quàm Genua dicta, certe in antiquis noſtris Martyrologiis numquam, quod ego ſaltem ſciam, nominata. Raro etiam occurrit Geneva, ſed hanc tantiſper hoc loco intelligendam ſupponemus, donec in Actis res elucidetur. Longiuſcule ab inſtituto digreſſi videri poſſumus, cum interim ſuper Uſuardina puritate nihil magnopere dubii occurrat. *Salonis.*

AUCTARIA.

Wenceſlai. Martialis & ſocior. ROSWEYD. In textu non omnino purus, in fine adjicit: *In Boëmia, ſancti Wenizlai martyris. Item Martialis & aliorum* XXXIII *martyrum.* In Hieronymianis nominatim exprimuntur ſocii quindecim cum viginti anonymis. 33

PULSANEN. In prima & ſecunda fere purus, omittit tertiam, frequenti defectu.

Wenceſlai. ANTVERP-MAX. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. Poſt textum, addunt: *Apud Pragam civitatem Boemiæ, ſancti Wenzelai* vel *Wenceſzlai, ducis & martyris. Qui valde in Chriſti religione devotus extitit, adeo ut oblitus dignitatis ſui primatus, tempore meſſis & vindemiæ ipſe meteret & vindemiaret, quod in ſacrificales hoſtias ſacerdotum manibus offerretur.* Notandum in ſolo LOVANIEN. ſcribi *Salonis*, in aliis *Salomonis.*

Elzearii. ULTRAJECT & LEYDEN. Recte habent *Salonis.* In Wenceſlao cum præcedentibus conveniunt, ſed præterea in fine adjiciunt: *Eodem die, depoſitio ſancti Elearii* (pro *Elzearii*) *confeſſoris, de Ordine tertiæ regulæ beati Franciſci.* Vide quæ non ſemel dicta ſunt die præcedenti.

Fauſti &c. CENTULEN. *In Hiſpaniis civitate Corduba, ſanctorum Fauſti, Januarii & Martialis.* Jam dixi in Obſervatione, dilatos ab Uſuardo ad XIII Octobris, ubi & Wandelberti geminata encomia metrica invenies. *Romæ, natalis ſancti Stactei. Antiſiodoro, ſancti Alogii* (Hieronymiana & Rabanus ſcribunt *Alodi*) *epiſcopi & confeſſoris, qui fuit ex diſcipulis ſancti Germani. Civitate Januis, ſancti Salomonis martyris.* *Alodi.* *Salomonis.*

de Fauſto &c. BRUXELLEN. Incipit ex Adone: *In Corduba, natale ſanctorum Fauſti, Januarii & Martialis. Qui poſt eculeum, raſis ſuperciliis, & auribus & naribus præciſis, dentibusque ſuperioribus evulſis deturpati, ad ultimum in igne conſumpti ſunt.* Sequitur de Stacteo, pure. Tum: *Apud Pragam civitatem Bohemiæ, natale ſancti Wenceſlai ducis & martyris. Qui in Chriſti religione adeo extitit devotus, ut ipſe perſonaliter meteret & vindemiaret, quod Deo in ſacrificales hoſtias ſacerdotum manibus offerretur. Lugduno, Auremundi martyris.* Melius *Enemundi*, vel *Annemundi*, Gallice *Chaumond*, de quo vide Caſtellanum. In fine, de Exuperio & Salone, ut eſt in textu. *De Wenceſl.*

HAGENOYEN. In Exuperii elogio mutata nonnulla & procul tranſpoſita ſunt. De Wenceſlao habet ut ſupra uſque ad *offerretur*, ſed adjungit. *Et etiam ligna in ſilvis ſuis propriis ejus manibus ſuccideret, quæ in dorſo ſuo ante januas pauperis ponebat, qui aliter ligna habere non poterat. Qui quandoque à ſervis ſuis ligna cuſtodientibus graviter percutiebatur, nec tamen deſiſtebat. Hic tandem à fratre proprio, ut dominium ſuum poſſideret, occidebatur.* In Stacteo purus eſt. Pro *Salonis*, ſcribit *Salomonis.* Tum: *Item Liobæ virginis.* De qua videndus Rabanus, & quæ ex ipſo dabit MOLANUS infra: item vita apud Surium. *Item ſanctæ Euſtochiæ virginis à ſancto Jeronymo* (puto velle dicere *informatæ* vel *inſtitutæ.*) Vide notulam Caſtellani. *Civitate Corduba, ſanctorum Fauſti, Januarii & Marcelliani. Item Martialis epiſcopi & confeſſoris.* Vide ſuperius Auctarium primum. *De Wenceſl.* *Liobæ.* *Euſtochii.* *Fauſti &c.* *Martialis.*

AQUICINCT. Ante memoriam ſancti Stactei, interſerit: *Eodem die, ſancti Martialis epiſcopi & confeſſoris.* Puto *martyrem* eſſe, de quo ſupra. *Martialis.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Wenceſlai martyris, ducis Bohemiæ. Exuperii epiſcopi & confeſſoris, de quo ſcribit Jeronymus.* *Wenceſlai.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt textus, cujus loco ſubſtituuntur: *In Hiſpaniis civitate Corduba, natalis ſanctorum martyrum Fauſti, Januarii & Martialis. In civitate Praga, ſancti Wenceſlai regis & martyris.* Habes hîc in codicibus varia ejus elogia; vide brevius & elegantius in Mart. Rom. *Fauſti &c.* *Wenceſlai.*

FLORENTIN. *In Hiſpaniis civitate Corduba, ſanctorum martyrum Fauſti, Januarii & Martialis. Item ſancti Foroſei epiſcopi & confeſſoris, cujus hiſtoriam venerabilis Beda ſcripſit.* Nomen corruptum videtur, an forte de *Furſeo* agitur, quem Beda celebrat? Sed hic colitur XVI Januarii, ſolo *Confeſſoris* titulo. Vide GREVEN.

Fauſti &c.
Foroſei.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit à Wenceſlao, de quo etiam cum ſuperioribus convenit uſque ad *offerretur*, quibus ſubdit: *Quem Boëſlaus frater ſuus, advocatis ſervis ſuis & ſociis, pariter gladiis & lanceis confoderunt & tali paſſione eum martyrem Chriſti effecerunt: ſanguis autem martyris Chriſti effuſus, quaſi contra fratricidam clamans de terra ad Dominum, à loco paſſionis ſuæ per multa annorum curricula nec abradi potuit nec abſtergi.* De Cordubenſibus legit, ut BRUXELLEN. ſupra. Sequitur de Exuperio, pure. *Romæ, natale ſancti Stactei confeſſoris.* Pro *Salonis*, ſcribit *Salomonis.* In fine: *Antiſiodoro, depoſitio ſancti Alodii epiſcopi & confeſſoris.*

De Wenceſl.
Stactei conf.
Alodii.

BELIN. In Exuperio ferc purus, ſecundo loco habet: *Eodem die, ſancti Venceſlai martyris, regis Boemiorum, ſanctitate & miraculis glorioſus* [glorioſi.] In Stacteo ferme purus, pro *Salonis* ſcribit *Salomonis.* Demum: *Civitate Corduba, ſanctorum martyrum Fauſtini, Januarii & Marcialis.*

Wenceſlai.
Fauſti & ſociorum.

GREVEN. *Feſtum de proprio angelo hic quidam ſervant. Terentiani epiſcopi & martyris. Apud Pragam Bohemiæ, ſancti Wenceſlai ducis & martyris, qui tempore Ottonis I, cum patri in principatu ſucceſſiſſit, in Chriſtianam religionem adeo devotum ſe geſſit, ut oblitus dignitatis ſuæ, privatim tempore meſſis & vindemiæ, meteret & vindemiaret quod in ſacrificio Chriſti, ſacerdotum manibus offerretur. Cumque magnis polleret virtutibus, à fratre ſuo Boëzlao gentili innocenter occiſus, martyrii palmam adeptus eſt. Apud Aſiam, Maximi martyris. Qui juſſu Decii imperatoris fuſtibus cæſus in equuleum levatus eſt atque ita ungulis attractatus, ut carnes ejus una cum ſanguine in terram diffluerent. Ad extremum vero lapidibus obrutus, glorioſe occubuit. Item ſecundum Adonem hic, Fauſti, Januarii & Marcialis, quos Uſuardus habet III Idus Octobris. Antiſiodoro, ſancti Allodii epiſcopi. Marnulphi epiſcopi. Aaron epiſcopi. Forſei epiſcopi. Juſtini presbyteri. Eodem die, ſanctorum Convalli & Maucharii presbyterorum & confeſſorum. Eodem die, Euſtochii virginis, filiæ ſanctæ Paulæ viduæ. Hanc in quanta veneratione habuerit divus Hieronymus, teſtantur frequentes ad ipſam matremque ejus epiſtolæ: item & illud quod eam virginitatis & eccleſiæ pretioſum monile vocat. In Britannia, ſanctæ Teclæ abbatiſſæ. Monaſterio Fuldenſi, ſanctæ Liobæ virginis.* Vide notam Caſtellani, ubi pro *Lioba*, ſcribit *Leobgytha*, aitque proprium nomen fuiſſe *Truthgebe.*

Maximi.
Fauſti &c.
Allodii.
Marnulfi.
Aaronis.
Forſei.
Juſtini
Convalli & c
Euſtochii.
Teclæ.
Liobæ.

MOLAN. De Cordubenſibus Adonem etiam ferme deſcribit. Sequitur ex Rabano: *In Germania, ſanctæ Liobæ virginis, quæ de Britannia inſula à ſancto Bonifacio archiepiſcopo Moguntiacenſis eccleſiæ advocata, ut famulas Dei in monaſteriis Germaniæ divinis ſcripturis inſtrueret; ubi non ſolum multa miracula vivens fecit, imo poſt obitum in Buchonia ſylva, in monaſterio Fulda juxta decretum ſancti Bonifacii ſepulta, non paucis miraculis claret. Eodem die, ſancti Wenceſlai martyris, regis Bohemorum, ſanctitate & miraculis glorioſi. Qui valde in Chriſti religione devotus,* &c. ut ANTVERP-MAX. ſupra. De Euſtochio deſcribit typis minoribus verba GREVENI, poſt *vocat*, adjiciens: *In matris ſuæ epitaphio; ubi & obſequia ejus erga matrem ægrotam enarrat.* Editiones aliæ, de Wenceſlao habent, ut ſupra. Tum: *Antiſiodoro, depoſitio ſancti Alodii epiſcopi.* Sequitur de Lioba, ferè ut ſupra. In fine: *Die vigeſima octava, ſancti patris & confeſſoris Charitonis.* Vide Martyrol. Caſtellani.

De Liobæ.
De Wenceſl.
De Euſtoch.
Alodii.
Charitonis.

III *Kal.* *Die* 29.

Michaëlis archang.

IN monte Gargano, venerabilis memoria beati archangeli Michaëlis, ubi ipſius conſecrata nomine habetur eccleſia, vili facta ſcemate, ſed cæleſti prædita virtute. In Thracia, natalis ſanctorum Eutici, Plauti & Eracleæ. Autiſiodoro, ſancti Fraterni epiſcopi & confeſſoris.

Eutici & ſociorum.
Fraterni.

Ita codices fere omnes, *Praten. Herinien. Tornacen. Antverpien-maj. Roſweyd. Pulſanen. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultrajectin. Leyden. Lovanien.* & *Albergen.*

VARIA LECTIO. Pulſanen. Munerat. & Belin. legunt *Michaëlis archangeli.* Roſweyd. *Feſtivitas ſancti Michaëlis* &c. *Scemate* habent omnes, excepto Molano, qui melius *ſchemate.* Aſt in ea conſtructione nonnulla occurrit variatio. En verba Antverp-majoris: *Ubi in ipſius nomine conſtat eccleſia conſecrata, vili quidem cemate facta, ſed cæleſti virtute prædita.* Roſweyd. *ſed cæleſti conſtat prædita virtute baſilica.* Belin. *vili quidem facta.* Antverp. & Max-Lubec., *prædita cæleſti virtute.* Lectio noſtra ſincera & Adoniana eſt. De *Tracia* ſatis diximus alibi. Pulſanen. ſolus ſubſtituit, *In Africa. Eutici* ſcribunt omnes, ſolus Antverp-maj. *Euticii.* Codices recentiores ponunt *Plati*, cum Antverp. & Max-Lubec. In Munerato eſt *Plāti*, in Belino *Paulati.* In paucis invenio *Heracleæ.* Mendoſe Greven. & Molan. *Eracletæ;* ſed hic in poſterioribus editionibus emendavit, *Heracleæ.* De *Authiſiodoro, Antiſyodoro* &c. vide ſupra. Antverp-maj. male pro *Fraterni*, ſuppoſuit *Firmini.*

Michaëlis archangeli.

OBSERVATIO. Præcipuas tres eaſque celebriores archangeli Michaëlis apparitiones à ſcriptoribus enumeratas invenio. De prima, quæ in Aſiatica regione Chonenſi accidit, multa apud Metaphraſtem commemorat Pantaleon, editus à Surio. Secunda ordine

ordine temporis, ſed multiplex fuit, ad montem Garganum. Exſtat etiam relatio de Normannica, in monte *Tumba*, aliàs in *periculo maris*, de qua videndus Mabilio ſec. 3 Benedict. parte 1 à pag. 84. De hac expreſſius in acceſſionibus Uſuardinis agitur XVI Octobris. Quæ autem hac die memoria in Martyrologiis recolitur, ea potiſſimum ſpectare videtur Dedicationem ejus templi, quod in præfato monte Gargano famoſiſſimum eſt. Ita ferme loquuntur Hieronymiana: *Dedicatio baſilicæ ſancti Michaëlis*, ut in Epternacenſi vetuſtiſſimo; vel ut in Corbeienſi: *Dedicatio baſilicæ archangeli Michaëlis, in monte, qui dicitur Garganus.* Beda priori ſimilior: *Dedicatio eccleſiæ ſancti angeli Michaëlis:* addit Rabanus, *in monte Gargano.* Concinit Wandelbertus:

Ætherea virtute potens, princepſque ſuperna
Militiæ Michaël terno ſibi templa ſacravit.

Hæc omnia de dedicatione in monte Gargano accipienda eſſe, manifeſtum puto; eóque itidem referenda, quæ in Kalendariis per Allatium & Frontonem, ac Sacramentario Gregorii per Menardum editis, de dedicatione habentur, uti & in aliis veteribus monumentis à Florentinio recitatis. Aliam ſibi propriam ſemitam ingredi videtur auctor Romani parvi, duobus articulis rem explicans. Primo quidem: *In monte Gargano, venerabilis memoria archangeli Michaëlis.* Sed quæ ea memoria ſit, an *apparitionis*, an *dedicationis*, in dubio relinquitur. Sequitur vero: *Et Romæ, dedicatio eccleſiæ ejuſdem archangeli, à beato Bonifacio Papa conſtructæ in Circo, qui locus* INTER NUBES *dicitur.* Ado *memoriam* illam in monte Gargano deſcribit ipſiſſimis verbis, quæ ex ipſo ad apicem Noſter tranſumpſit, quibus jam dictam *dedicationem* ſatis aperte & præciſe enuntiari non video. Hinc motum opinor Baronium, ad phraſim ita reſtringendam, ut *conſecrationis* ſolennitatem, tamquam hoc ipſo die factam, paulo clarius indigitaret. Habes in Adone longiorem Garganenſis hiſtoriæ ſeriem, ſuo tempore illuſtrandam, ubi in fine ex Rom. parvo attexitur dedicatio Romanæ eccleſiæ *inter nubes* ſitæ, de qua videſis Notationem Baronii. Hiſtoriam ipſam cum ſana Chronologia conciliare conatur Florentinius, & nos alibi operam conferemus. Ceterum verbo notaſſe juverit, hodiernam celebritatem, ita ab univerſali eccleſia Catholica recoli, ut non Michaëlis ſolius, ſed angelorum omnium eſſe cenſeatur.

Sequens claſſis *martyrum in Thracia*, ambagibus & nebulis à Florentinio obnoxia merito dicitur, quia in Hieronym apographis & martyrum & locorum nomina ita confuſa ſunt, ut non facile alia ab aliis diſcreveris. Interim ex eodem fonte hauſerunt Rabanus & Noſter, at purum non fuiſſe, oſtendit utriuſque diſcrepantia, cum prior ita ſcribat: *In Thracia civitate Eraclea, natale Euticii, Plauti.* Multa alia expendit Florentinius. Verum utut ea ſint, lectio noſtra ex omnibus codicibus vere Uſuardina eſt, eamque in Romano moderno ſecutus eſt Baronius. *Fraterni, Autiſſiodorenſis epiſcopi depoſitio* ſignatur in Hieronymianis, ex quibus eum denuo totidem verbis accepit Rabanus: Noſter addidit *confeſſoris*, quo ſpectat in Hieronymianis *depoſitio.* Ab aliis *martyr* dicitur & ſignanter in epiſcoporum Autiſſiodorenſium catalogo apud Democharem, & in alio apud nos manuſcripto. Caſtellanus martyris titulum videtur eripere, eumque neſcio ob quam cauſam ad IX Julii retrahendum putat. An ab Adone notatus ſit, dubium videtur, ſed Uſuardi ſimplicitas, ſecundum omnes tabulæ noſtræ partes, extra controverſiam poſita eſt. Tillemontius tomo 15 pag. 26 de Fraterno pauca ſuggerit, neque in notis pag. 838 & 839 quidquam affertur, quod ad illuſtrandam ejus vitam multum conferre poſſit.

Eutici & ſociorum

Fraterni.

AUCTARIA.

Lincwini. DANIC. Textui ſatis puro in fine ſubjungit: *Treveris, ſancti Lincwini epiſcopi.* Nomen diverſimode formatur, ut patebit inferius: an ceteris palmam præripiat Caſtellanus, dum *Ludovini* ſcribit, alibi ex profeſſo erit examinandum.

Michaëlis in Gargano, Romæ &c. CENTULEN. *In monte Gargano, venerabilis memoria beati Michaëlis archangeli, ubi ipſius conſecrata ab eodem archangelo habetur eccleſia, vili facta ſcemate, ſed cæleſti prædita virtute. Item Romæ, dedicatio oratorii ſancti Michaëlis archangeli, quod Pontifex Bonifacius dedicavit in ſummitate circi, miro opere altiſſime porrectum. Antiſiodoro, paſſio Fraterni epiſcopi & martyris. In Tracia, ſanctorum Lucii, Plauti & Eracleæ.*

Lucii &c. BRUXELLEN. *Venerabilis memoria beati archangeli Michaëlis, patroni hujus eccleſiæ: ac in monte Gargano, dedicatio eccleſiæ, quæ ibi ipſius nomine conſecrata habetur, vili quidem ſcemate* &c. Nomina martyrum in Thracia nonnihil luxata ſunt. Sequitur: *Treveris in monaſterio Medeloco, depoſitio ſancti Lindemini archiepiſcopi & confeſſoris.* In Fraterno ſatis purus eſt.

Lindemini.

De omnib. angelis. HAGENOYEN. Poſt textum de archangelo Michaële ſatis pure relatum, ſubjungit. *Hac etiam placuit die ſanctæ matri Eccleſiæ, ut omnium ſanctorum angelorum memoria ſolempniter agatur, quia unuſquiſque hominum creditur unum angelum habere ſibi à Deo deputatum ad cuſtodiam. Apud Carnotum, natale ſancti Sollempnis epiſcopi & confeſſoris. Hic homini, à nativitate cæco, ſurdo & muto, orando viſum, auditum & loquelam reſtituit. Clodoveum quoque regem Francorum & ſecum trecentos & ſexaginta quatuor, unda baptiſmatis initiavit; quem poſtea Remigius Remorum epiſcopus in regem conſecravit.* De eo ſupra actum eſt in Auctariis

Solemnis.

XXIV & XXV Septembris: hiſtoria fuſius alibi examinabitur. *In Tracia, natale ſanctorum martyrum Eutici, Plati & Eraclia.* De Fraterno, ſatis pure. In fine: *Treveris, ſancti Lyntivini epiſcopi & confeſſoris,*

Lyntivini.

REG-SUEC. Qui fuit Urſini à Roſemberg. *Treveris, ſancti Liutuini epiſcopi & confeſſoris.* Diverſa ſæpe ejuſdem nominis formatio. Vide quæ diximus ad DANIC. ſupra.

Liutuini.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECTIN. *Michaëlis archangeli. Lutwini epiſcopi Treverenſis. Eutici & ſociorum ejus martyrum Fraterni epiſcopi & confeſſoris.* De quo in Obſervatione.

Lutwini.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Fraterni.*

EDITIO LUB-COL. De Michaële poſt textum uſque ad *virtute*, adjungit: *In quo tamen omnium angelorum ſolemnitatem agimus & omnes adoramus & honoramus. In Thracia, natale ſanctorum Eutici, Pluti & Eraclea martyrum. In monaſterio Melacenſi, juxta Treverim, depoſitio ſancti Lutwini epiſcopi Treverenſis & confeſſoris. Qui primo fuit dux in Francia & monaſterium ibidem conſtruens, monachus factus eſt: deinde Treverenſis archiepiſcopus ſit, multis clarens miraculis, & poſtmodum in Domino quievit. Autiſiodoro, ſancti Fraterni epiſcopi, quem tradunt eodem die interemptum, quo epiſcopum ordinatum. Treca, beati Urſionis monachi & confeſſoris. Eodem die, ſancti Blandini confeſſoris.*

De angelis. *Lutwini.* *De Fraterno* *Urſionis.* *Blandini*

GREVEN. *Item ſanctorum Placidi, Soſii. Aquilini epiſcopi. Treveris, ſancti Ludwini epiſcopi & confeſſoris. Item ſecundum Cathalogum hic, depoſitio ſancti Maximi Regenſis epiſcopi, quem Uſuardus habet in* V *Kalend. Decembris. Apud Indiam, ſancti Joſaphat, regis & confeſſoris; cujus ortum, converſionem & geſta præclara Vincentius in Speculo, lib.* 16 *ad longum proſequitur. Blandi confeſſoris. Trecas, Urſionis monachi & confeſſoris.*

Placidi &c. *Aquilini.* *Ludwini.* *Maximi.* *Joſaphat.* *Blandi.* *Urſionis.*

MOLAN. De Michaële, poſt *virtute*, textui ex Adone interſerit: *Vertice ſiquidem montis excelſi poſita, de corpore ejuſdem ſaxi ſpelunca ad inſtar præcavata oſtenditur. Romano itaque Pontifice & Sipontino epiſcopo, de conſecratione loci ipſius quærentibus, ac propterea triduanum jejunium cum civibus celebrantibus, nocte jejunii ſuprema, ſanctus Michaël epiſcopo Sipontino per viſionem apparens, monuit, ut intrarent eccleſiam, quam ipſe dedicavit, & Miſſas ibi juxta morem agerent. Innumera quoque ibi præſtantur beneficia per ſanctorum archangelorum merita.* Sequitur pars reliqua textus. In fine: *Eodem die, in Mediolacenſi monaſterio, juxta Treverim, natale ſancti Loutwini, archiepiſcopi & confeſſoris ejuſdem antedictæ civitatis. Ipſo die, inventio corporis ſancti Giſleni epiſcopi & confeſſoris. Trecas, beati Urſionis monachi.* In poſterioribus editionibus omittitur prima periodus eorum, quæ ex Adone interſeruntur, nam in his incipitur à *Romano ſiquidem Pontifice & Sipontino epiſcopo de* &c. In fine de Loutwino Treverenſi habent, ut in prima. Tum: *Trecas beati Urſionis monachi.* Tum: *Die vigeſima nona, ſancti patris Cyriaci anachoritæ.* Vide Metaphraſtis narrationem apud Surium hoc die. Denique de *inventione corporis ſancti Giſleni epiſcopi & confeſſoris* repetuntur quæ ſupra dicta ſunt in priori editione.

De Michaële archangelo. *Loutwini.* *Invent. Giſleni.* *Urſionis.* *Cyriaci.*

Pridie Kal. *Die* 30.

Victoris & Urſi.

IN Galliis caſtro Solodoro, paſſio ſanctorum martyrum Victoris & Urſi, ex glorioſa legione Thebeorum, qui primo diris ſuppliciis cruciati, ſed cæleſti ſuper eos lumine coruſcante ruentibus in terram miniſtris, erepti ſunt, deinde in ignem miſſi, ſed in nullo penitus læſi, noviſſime gladio conſummati ſunt. Eodem die apud *Hieronym.* Bethleem Judæ, depoſitio beati Hieronimi presbiteri, qui obiit anno ætatis ſuæ nonageſimo octavo, menſe ſexto. Civitate Placentia, ſancti *Antonini.* Antonini confeſſoris.

Ita ſoli *Praten. Herinien. Tornacen. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Duabus notatiunculis abſolvitur. In Herinien. pro *erepti ſunt*, legitur, *erecti ſunt.* In Greven. & Molan. *menſe tertio*, pro *menſe ſexto.* De *choruſcante*, *Bethlehem*, *Jheronimo*, *Jeronimo* &c. ſatis diximus.

Victoris & Urſi.

OBSERVATIO. Signati I loco gemini martyres *Victor* & *Urſus* ex inclyta Thebæorum legione in Actis Eucherianis ſaltem nomine appellantur, in antiquioribus Martyrologiis, ut ſunt Hieronymiana, Beda & Romanum parvum, omnino præteriti; quidquid recentior aliquis & Hieronymianos codices & editorem Florentinium fruſtra alleget. De altero *Victore*, Mauritianis annumerato, aliiſque egimus XXII Septembris. Qui hodie coluntur, ab Adone in ſacros Faſtos primum relati ſunt, cum elogio, ex Actis opinor, longioribus contracto, cujus medullam Uſuardus in textu ſelectam reddidit. Acta aliqua ex Gallia deportata edidit Surius, ſed quam ætatem ſapiant aut qua valeant auctoritate, ut minimùm incertum eſt, nec puto veroſimile, ea Adoni præluxiſſe, tametſi in principio haud multum ab ejus encomio diſcrepent. An quid novi ſuppeditent Acta apud nos Mss., ſuo loco examinabitur. *Victor* alius, cujus tranſlationem Mediolanenſem Hieronymiana hoc die celebrant, non ex Thebæorum numero, ſed aliunde, *Hieronymi.* forte ex Africa eo delatus creditur. De glorioſiſſimo eccleſiæ Doctore *Hieronymo* loquuntur

tur Martyrologia & monumenta alia paſſim; ſuntque *ita clara omnia*, inquit Florentinius, ut *recoquenda non videantur*. Hieronymiana ſic habent: *In territorio Jeroſolymitano, depoſitio ſancti Jeronimi presbyteri.* Beda: *In Bethleem Juda, depoſitio ſancti Hieronymi presbyteri.* Additur: *Qui obiit anno nonageſimo primo.* Florus breve elogium interpoſuit, Rabanus paulo longius, ſed in annorum numero Bedæ adverſans. Romanum parvum breviſſime notat: *Bethleem, Hieronymi presbyteri:* quam brevitatem compenſat deducta fuſius in Adone, cum operum elencho vita, ex qua Uſuardus pauciſſima extraxit ſervatâ ætatis determinatione, nec Bedæ nec Rabano conformi. Videantur Baronii Notationes. Hieronymi vitam poſt alios diligentius collegit Marianus Victorius, alias alii ſpoponderunt, nobis viam præſignavit Tillemontius tomo 12, multa erudite diſponens, quæ Actis Hieronymianis illuſtrandis utiliſſime ſubſervient, uti & ea quæ in nupera operum Hieronymianorum, & ſecuta vitæ Gallicæ editione, à Martianæo obſervata ſunt, cum plurimis noſtris monumentis, tum manuſcriptis, tum excuſis ſuo loco in Actis examinanda, & pro inclytiſſimi Sancti merito, luculentius exornanda. Locum hîc ſibi poſtulat metricum Wandelberti non adeo rude encomium:

Interpres legis veteriſque novæque probatus,
Inſtructor doctrinæ, hæreſis damnator iniquæ,
Hieronymus pridie Septembrem claudit ovantem.

Qui ultimum locum implet Placentiæ *Antoninus*, nobis *confeſſor*, is in Corbeienſi vocatur *Antoninus martyr*, in aliis vero Hieronymianis apographis *Anthonius* vel *Antonius* ſimpliciter, abſque ullo titulo. De eo multa diſquirit Florentinius, lectores remittens ad 11 & 111 Septembris, quibus diebus etiam nos de variis *Antoninis* & *Antoniis* abunde egimus, nec modo quidquam magnopere occurrit, quod verſatas ibi tenebras novo ſplendore diſpellat. Acta apud Petrum in Catalogo lib. 8 cap. 133, *martyrem* prædicant, *qui de Placentinis finibus egreſſus, per Orientales provincias pertranſiverit, & multa miracula fecerit; demum ad urbem ſuam rediens* &c. Supponitur fuiſſe nihilominus ex legione Thebæa. Crediderim, & titulum & officium ex Petro in Romanum hodiernum perperam, ni fallor, irrepſiſſe. *Antonini* hujus & alterius *Antonini Appamienſis* Acta quoquo pacto confundi agnovere Ferrarius & Florentinius: nos, ne hîc tricis involvamur, hæc omnia ſuo loco diſcutienda relinquimus. Certe haud dubium eſt, quin Uſuardus ex aliquo Hieronymiano Antoninum acceperit, cum aliis omnibus Martyrologis incognitus ſit, etiam Adoni, cui Uſuardi verba ab aliquo adſcripta fuerint, à Moſandro & Roſweydo rejecta. Pluribus opus non eſt, ut textus Uſuardini integritas ſtabiliatur. *Antonini.*

AUCTARIA.

Honorii. ANTVERP-MAJ. Textui puro ſubdit: *Item ipſo die civitate Dorobernia, ſancti Honorii archiepiſcopi & confeſſoris.*

ROSWEYD. In textu non omnino purus eſt, & in fine adjicit: *Ipſo die. depoſitio ſancti Honorii archiepiſcopi. Qui quintus à beato Auguſtino, genti Anglorum verbum Dei prædicavit. Item, ſanctorum Tharaci, Probi & Andronici, quorum geſta habentur.* Imo præſidialia ipſa Acta integre edita ſunt à Roſweydo anno MDCVII & etiam ab aliis. At cur hac die referantur neſcio, quandoquidem paſſi ſint XI Octobris, ut ibi dicemus. *Honorii. Tharaci & ſociorum.*

PULSANEN. Primo loco de Hieronymo, pure. Tum: *Romæ, paſſio ſanctarum virginum Piſtis, Elpis, Agapis & Sophiæ matris earum, id eſt Sapientiæ.* Vide 1 Auguſti. In martyribus Solodorenſibus reſcindit elogium. Antonino Placentino tribuit titulum *martyris.* *Piſtis &c.*

ANTVERP. & MAX-LUBEC. In prima puri, de Hieronymo poſt *presbyteri*, interſerunt: *Qui omnium ſtudia litterarum adeptus atque probatiſſimorum monachorum imitator eſt factus. Obiit autem anno* &c. ut in textu. De Antonino, recte. *De Hieron.*

MUNERAT. Poſt textum purum, addit: *Pariſius, ſolennitas ſanctarum noſtræ redemptionis reliquiarum, ibidem in ſacra capella regia, à beatiſſimo rege Ludovico honorifice reconditarum.* *S. Crucis Pariſiis.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. LOVANIEN. & DANIC. Sic incipiunt: *Apud Bethleem Judæ, depoſitio ſancti Hieronymi presbyteri, viri ſanctiſſimi & in Scriptura ſacra eruditiſſimi. Hic omnium ſtudia litterarum adeptus, probatiſſimorum quoque monachorum imitator factus, obiit anno* CCCCXXIII (ANTVERP-MAX. CCCCIII) *ætatis ſuæ anno* XCVIII, *menſe* VI. (DANIC. rotunde, *anno* XCIX.) Melius alii obiiſſe Hieronymum ſtatuunt anno CCCCXX. In reliquis codices ſatis puri ſunt. *De Hieron.*

ALBERGEN. De ſancto Hieronymo præter jam dicta, poſt *presbyteri* interponit: *Glorioſi Doctoris, & Eccleſiæ Romanæ Cardinalis. Hic omnium ſtudia* &c. ut præcedentes. *De Eodem.*

CENTULEN. *In Galliis caſtro Solodoro, ſanctorum martyrum Victoris & Urſi, qui fuerunt ex glorioſa legione Thebæorum. Apud Bethleem Judæ, depoſitio ſancti Jeronimi presbiteri & abbatis, per quem omnis divina ſcriptura apud Latinos ad tenorem veritatis eſt reducta. Placentiæ, ſancti Antonii confeſſoris.* Vide ſupra Obſervationem. *Textus contractus.*

BRUXELLEN. Poſt *imitator*, auget Hieronymi elogium his verbis: *Eumdem annorum numerum, quem & alter Dei genitricis miniſter Johannes Euangeliſta complens, ætatis ſuæ anno* XCIX *quievit in Chriſto. De quo quidam in viſione nocturna quemdam quaſi in codice legentem hos verſus audivit:* *De Hieron.*

Græcia miratrix nullo plus gaudet alumpno:
Si numerabit avos repetens ab origine prima,
Pluſquam laudatur, eſt quod laudetur in illo.

In Victore & Urſo, quos ſecundo loco refert, etiam *De Victor. & Urſo.*

etiam interpolatus est, hæc inter alia ex Adone inserens: *Qui cum illic furorem Maximiani tyranni declinantes secessissent, ipsius jussu tenti, primo diris supplicüs excruciati, sed cælesti super eos lumine* &c. In ultima purus est.

HAGENOYEN. in prima aliquantum interpolatus, de Hieronymo plura narrat, sed quæ ab Adone verius deducuntur. Tum addit: *In Augia majori Constantiensis diœcesis, sanctæ Fortunatæ virginis & martyris, & fratrum suorum Terponii, Euagisti & Prisciani martyrum.* Coluntur hi Sancti & in codicibus referuntur XIV Octobris, quo die vide Auctaria. In ultima purus est. *Fortunatæ & fratrum.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Hieronymi presbyteri confessoris. Victoris & Ursi martyrum ex legione Thebæorum. Anthonini confessoris.* (Additur in margine, *in Mart. Rom. martyris*) *Romæ, Arethæ martyris & aliorum quingentorum* (notatur denuo, *in Martyrologio Romano sequenti die*) *Leopardi martyris.* Vide de hoc etiam Romanum. *Arethæ & quingent. Leopardi.*

REG. SUEC. signatus num. 428. *Eodem die, sancti Seranni Parisiensis episcopi.* Vide Auctaria Usuardina ad XXVII Septembris. *Cerauni.*

VATICAN. num. 5949. Adjicit: *Romæ, sanctarum virginum Pistis, Elpis, Agapis, & Sophiæ matris earum.* Jam dixi recurrendum ad I Aug. *Pistis &c.*

CODEX CASTRI KAROLI. *In Gallüs castro Solodoro, quod est super Prulam fluvium,* &c.

BIZUNTICEN. *Catalaunis, sancti Leudomiri confessoris.* Alii scribunt *Leodemiri* &c. *Leudomiri.*

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Catalaunis, sancti Ledomari episcopi & confessoris.* *Ledomari.*

EDITIO LUBECO-COL. *Apud Bethleem Judæ, depositio gloriosi Hieronymi presbyteri & Doctoris, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis. Hic omnium studia litterarum adeptus, Latina, Græca, Hebraica & Chaldea erud.tus fuit; Hierosolymam venit, & visitatis locis sacris à Cyrillo episcopo Hierosolymitano locum præsepis Domini petivit & obtinuit, & ibidem monasterium fundavit, imitator probatissimorum monachorum factus, cœpit vivere cum fratribus sibi in charitate adjunctis, secundum regulam à sanctis Apostolis constitutam. Hic post perfectam, placitamque Domino conversationem, post multos labores, quos in descriptione librorum ad ædificationem Ecclesiæ desudaverat, tandem obiit anno Domini* CCCCXXIII, *ætatis vero suæ anno* XCIX, *sepultus in ore speluncæ præsepis Domini.* De Victore & Urso, fere ut supra. In Antonino, pura est. Deinde: *Cathalanis, sancti Leodomeri, ejusdem civitatis episcopi & confessoris. Eodem die, sancti Lauri episcopi & confessoris. In Babemberga, translatio sancti Ottonis episcopi & confessoris. Ipso die, sancti Leopardi martyris.* *De Hieron.* *Leodomeri.* *Lauri* *Translat.* *Ottonis.* *Leopardi.*

BELIN. Primo loco de Hieronymo, ut ANTVERP & MAX-LUBEC. Secundo loco, de Antonino, pure. Sequitur Victoris & Ursi, pure, nisi quod pro *Ursi*, scribat *Ursicii*. In fine: *Eodem die, sanctæ Sophiæ viduæ.* Omissis filiabus. *Sophiæ.*

GREVEN. *Romæ, sancti Leopardi martyris, apud Aquisgrani nunc quiescentis. In Anglia, sancti Honorii archiepiscopi Cantuariensis, post beatum Augustinum quinti. Leodomeri episcopi Cathalaunensis & confessoris. Translatio sancti Ottonis episcopi Babenbergensis & confessoris. Romæ, depositio beati Symeonis monachi & confessoris, filii comitis Veromandiæ. Lauri presbyteri & confessoris. Eodem die, beatæ Sophiæ viduæ. Rachelis, uxoris Jacob Patriarchæ, quæ interpretatur ovis. Item sanctæ memoriæ, Jacobi de Viniaco, Ordinis Cartusiensis. Hic vitæ contemplativæ studio magno intentus, loco octavo decimo, itemque vicesimo, Cartusiæ prioratum tenuit, & post mortem miraculis vivere cœpit. Item bonæ memoriæ, Johannis Cornerii monachi Cartusiensis Ordinis, maximæ sanctitatis viri. Hic die quo primam Missam celebraturus erat, cum à sacristà vocaretur, reperta est cella ejus igneo fulgore coruscans, & idem vir Dei velut flamma ignis ardens. Ejus etiam meritis litteræ quædam, casu in ignem copiosum projectæ & post longam moram extractæ, in nullo penitus læsæ repertæ sunt.* *Leopardi.* *Honorii.* *Leodemeri.* *Translat.* *Ottonis.* *Symeonis.* *Lauri.* *Sophiæ.* *Rachel.* *Jacobi de Viniaco.* *Joannis Cornerii.*

MOLAN. De Hieronymo aliis litteris textui inserit eadem ferme, quæ supra ANTVERP. & MAX-LUBEC. In fine de Sophia, ut BELIN. Item de solemnitate reliquiarum Parisiis, ut MUNERAT. Tum: *Translatio corporis sancti Vedasti de loco sepulturæ ejus in eum quo nunc requiescit. Transtulerunt autem eum beati confessores Autbertus & Audomarus. Eodem die, festivitas sancti Leopardi martyris.* Dein minoribus typis: *Romæ; nunc in Aquisgrani quiescentis.* De translatione sancti Ottonis, & de S. Honorio, ut GREVEN. supra, Tum: *Catalaunis, sancti Leudomiri ejusdem civitatis episcopi & confessoris: de quo canit Ecclesia:*

Leudomire pater filiis succurre potenter,
Ut sani vivant æternaque gaudia quærant.

Sophiæ. *Translat. Vedasti.* *Leopardi.* *Transl. Ott.* *Honorii.* *Leudomiri.*

In posterioribus editionibus, de Hieronymo in textu, ut supra In fine de Sophia, ut supra. *Babenbergæ, sancti Othonis, episcopi & confessoris, qui convertit Pomeranos. In Anglia, sancti Honorii archiepiscopi Cantuariensis.* De Leudomiro, fere ut in prima. *Aquisgrani eodem die, festivitas sancti Leopardi martyris. Die trigesima, sanctorum martyris Gregorii, in magna Armenia.* De solennitate reliquiarum Parisiensium, & translatione sancti Vedasti, ut in prima. Sequitur: *In Andaino monasterio, translatio corporis beatissimi Huberti, Tungrensis episcopi & confessoris; quando à beatæ memoriæ Vulcando episcopo, ejus sacra ossa à Leodio ad locum Andainum sunt translata, anno dominicæ incarnationis* DCCCXXV. *Ubi miraculorum gloriâ ejus declarantur merita, & fidelium devotione ipsius celebrantur beneficia.* *Ottonis.* *Gregorii Armeni.* *Translat. Huberti.*

MENSIS

MENSIS OCTOBER

Habet Dies XXXI.

Kalendis. *Die* I.

ROmæ, natalis beati Arethæ martyris & aliorum quingentorum quatuor. Thomis civitate, ſanctorum Priſci, Creſcentis, & Euagrii. Apud Provinciam Luſitaniam civitate Oliſepona, ſanctorum martyrum Veriſſimi, Maximæ & Juliæ ſororum. Civitate Tornaco, paſſio ſancti Piatonis presbiteri, qui cum beato Dionyſio epiſcopo ejuſque ſociis ab urbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migravit ad Chriſtum. Eodem die, tranſlatio ſanctorum confeſſorum Germani & Remigii, quorum prior Autiſiodorenſem, alter vero Remenſem rexit eccleſiam. In portu Ganda, ſancti Bavonis confeſſoris.

Arethæ & ſocior. 504. *Priſci & ſociorum. Veriſſimi & ſociar. Piatonis. Tranſlat. Germani & Remigii Bavonis.*

Puri vel puris proximi ſunt *Praten. Greven* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Principio advertenda annuntiationum tranſpoſitio in multis codicibus, & iis quidem, quos puriores cenſemus. Etenim Pratenſis de Piatone agit ante tranſlationem Germani & Remigii; Greven. autem & Molan. tranſlationem præponunt. *Arethæ* ſcribunt omnes. Item *Thomis*, licet Romanum parvum, Ado & Notkerus legant, *Tomis*, & Romanum modernum addat, *in Ponto*. Multis diſputat Florentinius, legendumne ex Hieronymianis *Thmuis*, vel *Thomis* in Ægypto, an potius *Tomis* in Ponto; aſt hæc ad aliud examen ſpectant, nos Uſuardinam ex codicibus lectionem quærimus. Molan. textum corrigit ſcribendo *Luſitanam. Oliſepona, Oleſipona, Oleſpoma* & aliis modis effertur: qui puriores ſunt, ſcribunt ut in textu. Praten. cum paucis habet *Pyatonis*. Greven. & Molan. poſt *Dionyſio*, omittunt *epiſcopo*, & pro *rexit*, ponunt *gubernavit*. Greven. *migravit ad Chriſtum*, mutat in *migravit ad Dominum*: & pro, *In Portu Ganda*, ſubſtituit, *In portu Ganto*. Supereſt notanda maxima inter codices variatio circa tranſlationem jam dictam, quæ in Hieronymiano Lucenſi potius pro natali habetur multorum ſimul conjunctorum: *In Gallia civitate Autiſſiodorenſi, ſancti Germani epiſcopi & ſancti Vedaſti, Remedii & ſancti Piatoni.* Neſcio an hinc fortaſſe nata ſit Uſuardinorum aliquot codicum confuſio, ſic ut Antverp-maj. ſcribat: *Eodem die, tranſlatio ſanctorum confeſſorum & epiſcoporum Germani, Remigii & Vedaſti; quorum prior Antiſiodorenſem, alter vero Remenſem, tertius vero Atrebatenſem gubernavit eccleſiam*, quo ferme modo referunt Antverp. Max-Lubec. & mediæ notæ codices cum Belino & Romano moderno. Herinien. ſervat quidem annuntiationem puram, ſed primum ei locum tribuit, & poſt tres alias etiam purus, inſerit: *Apud caſtrum Atrebatis, ſancti Vedaſti epiſcopi:* pro quo Pratenſi codici

De tranſl. confuſione.

ad marginem, ni fallor, adjectum eſt: *Et tranſlatio ſancti Vedaſti epiſcopi;* quam tranſlationem Molanus ad diem præcedentem retractam aſſerit, quòd hic dies Remigii feſtivitate impediretur. Obiter notabis lapſum Florentinii, qui verba Rabani de Vedaſto infra citanda, Notkero inadvertenter adſcripſit. Vide reliqua in Obſervatione & Auctariis.

Aretha & ſocior. 504.

OBSERVATIO. Non ſemel ſuperius obſervatum eſt, raros in Uſuardi Martyrologio Sanctos reperiri (populares Gallos & Cordubenſes ſemper excipio) qui apud antiquorum aliquem non memorentur. Oppoſita exempla hinc inde dedimus & noviſſime XXI Septembris in Pamphilo martyre Romano, reliquis Martyrologis plane incognito. En tibi ſpecimen aliud in prima hujus diei annuntiatione de *Aretha* & ſociis DIIII. Sudavi affatim, ut vel veſtigium horum Sanctorum alibi invenirem, ſed fruſtra; nam Adonem & hîc & alibi ſæpius perperam à Baronio ejuſque ſequacibus citari, evidentiſſimum eſt. Galeſinius, Ferrarius & recentiores alii numerum illum fingunt & refingunt, adeo ut Bartholomæus Piazza in Emerologio, ſocios ad ſeptem dumtaxat contraxerit, quorum glorioſæ confeſſionis memoriam ſuperſtitem ait, & reliquias per varia Urbis templa diſperſas. Martyrii tempus divinare videntur citati Galeſinius & Ferrarius, ego de tota annuntiatione nihil me compertum habere candide profiteor. *Aretham* alium martyrem apud Homeritas, cum multis ſociis ſub tyranno Dunaan paſſum, de quo Metaphraſtes apud Surium XXIV Octobris, curſim attigimus in Tractatu de Patriarchis Alexandrinis pag. 64. Quidquid interim ſit de Aretha noſtro Romano, negari omnino non poteſt, eum ab Uſuardo, undecumque demum acceptum, vere conſignatum fuiſſe. Alterius annuntiationis fons patentiſſimus eſt, nam de tribus illis

Priſci & ſociorum.

Martyribus meminere Hieronymiana, tametſi hinc inde luxata. Clare eos ſignat Romanum parvum, ex quo Ado, ex hoc Notkerus & Noſter, iiſdem ubique terminis, niſi quod Uſuardus pro *Creſcentii*, vel ut Hieronym. *Creſcenti*, poſuerit *Creſcentis. Ulyſſiponenſes martyres* inter antiquos ſolus memorat Florus in Bedæ auctario, quibus & elogium concinnavit. At ſi Flori & Uſuardi textus conferas, facile perſpicies (quod alibi etiam monui) alterum alteri notum non fuiſſe. Ita ſcribit ille: *Eliſſipona civitate., paſſio ſanctorum Veriſſimi, Maximi & Juliæ, qui paſſi ſunt ſub Datiano præſide* &c. Baronius in Romano legit: *Qui in perſecutione Diocletiani paſſi ſunt.* Noſter nullam temporis notam appoſuit, quod fortaſſe (ita quidem conjicio) nullam ejus notitiam in Hiſpania, unde Martyres illos cum Cordubenſibus afferre potuit, inveniſſet. *Piatonis* vel *Platonis*, aliàs *Piati*, memoria Hieronymianis à Florentinio adjecta cenſetur, nec illam inde accipere debuit Uſuardus, qui procul dubio Acta vidit, ex quibus elogium contextum eſt. Laborarunt nonnulli in nomine *Dionyſii* & *Quintini*, quorum alterutri ſocius in Galliam ex urbe profectus ſit: verum hic ſcrupulus facile tollitur, ſi utrique compoſitum aſſeramus. Acta Piatonis, ſuſpecta ſunt, quod ex aliis conſimilibus profluxiſſe videantur, ſed de ea controverſia ſuo loco agendum erit. De tranſlationum confuſione ſupe-

Veriſſimi & ſocior.

Piatonis.

De Remigio Germ. &c.

rius dictum eſt. Hîc obſervandum, Bedam ſcripſiſſe: *Feſtivitas ſancti Remigii, Remis civitate.* Romanum parvum: *Et Remis civitate, ſancti Remigii epiſcopi.* Ado elogii vice aliqua addidit, & ex eo Notkerus, quæ etiam magis ad natalem vel depoſitionem quam ad tranſlationem pertineant. Et ita loquitur Rabanus de Germano atque Vedaſto, cujus verba hîc recitari merentur: *In Galliis civitate Autiſiodorenſe, depoſitio ſancti Germani epiſcopi. Remis civitate, Remedii epiſcopi. Adradis* (pro *Atrebatis*) *civitate, beati Vedaſti epiſcopi. Ganda monaſterio, ſancti Babonis epiſcopi. Quorum omnium converſationes & geſta miraculis plena, conſcripta habentur.* De feſto Remigii ſolenni, ſeu, ut aiunt, in populo pro diœceſi Remenſi, dictum eſt XIII Januarii; Germani autem retulimus XXXI Julii; Vedaſti VI Februarii. Illuſtria Remigii geſta & hiſtorice & oratorie deducta in Actis noſtris non minimam Octobris partem occupabunt, licet antiquiſſima eorum collectio, ex qua Fortunatus Pictavienſis compendium edidit, periiſſe dicatur. De Germano Autiſſiodorenſi ea omnia hîc narrat Viennenſis & contrahit Notkerus, quæ melius proprio die collocata fuiſſent. Ceterum in tanta lectionum varietate, puto Uſuardi textum

Bavonis.

à nobis ſincere redditum. Conſuli poſſunt notationes Baronii. In *Bavone*, qui non Adoni, ſed Uſuardo primùm tribuendus eſt, conveniunt codices. Acta ejus primigenia protulit Mabilio ſeculo 2 Benedictino à pag. 394, quæ cum Theodoricianis collata, ſuo tempore illuſtrabuntur. Ad poſtremas annuntiationes pertinent Wandelberti verſiculi:

Francos qui primus docuit domuitque feroces
Remigius, proprio Octimbrem præſignat honore:
Germanuſque ſimul doctrina inſignis & actu,
Tum propriam munit meritis Antiſiodorum;
Qui oceano fidei refugas & dogma nefandum
Reppulit, & ſignis te picta Britannia texit.
Hos virtute Bavo & ſancto comitatur honore.

AUCTA-

AUCTARIA.

De Piatone. HERINIEN Præter dicta, hoc habet peculiare, quod de Piatone ſic incipiat: *In pago Medenentinſe, natalis ſancti Piatonis* &c. Vide Variantes.

TORNACEN. Caret duabus primis. In reliquis purus eſt, ſed in fine adjicit. *Vedaſt. &c.* *Eodem die, Vedaſti, Waſnulfi & Truonis.*

ANTVERP-MAJ. Hic per aliquot folia recentiori manu reſcriptus, mendis ſcriptoriis refertiſſimus eſt. De ejus Auctario jam diximus.

Remigii. Germani. Vedaſti. ROSWEYD. Incipit: *Remis, Remigii epiſcopi & confeſſoris. Anthiſiodoro, Germani epiſcopi & confeſſoris. Atrebatis, Vedaſti epiſcopi & confeſſoris.* Tum de Bavone, Piatone, Aretha, Thomitanis & Luſitanis, ſatis pure.

PULSANEN. Pro *Aretha*, habet *Hermetis*. Deſunt annuntiationes Luſitanorum, Piatonis & Bavonis, ut ferme quotidie deficit.

De iiſdem. ANTVERP. MAX LUBEC. UGHELLIAN. & DAVERONEN In tribus primis ſatis puri ſunt. Tum: *Eodem die, tranſlatio ſanctorum confeſſorum Germani, Remigii, Vedaſti. Quorum prior Antiſiodorenſem, alter vero Remenſem gubernavit eccleſiam; tertius vero Atrebatenſem atque Cameracenſem.* Cetera puri ſunt.

Piati Carn. MUNERAT. Puritati proximus eſt, ſolum in fine addit: *Apud Carnotum, Piati martyris.* Adjectum forte ex inſcitia. Vide BURDEGALEN.

ANTVERP-MAX ULTRAJECT. LEYDEN LOVANIEN. & ALBERGEN. Incipiunt: *Remis civitate, tranſlatio ſancti Remigii epiſcopi & confeſſoris.* *De Tranſl. trium epp.* *Ipſo die, tranſlatio ſanctorum confeſſorum Germani & Vedaſti, quorum primus Antiſiodorenſem, alter vero Atrebatenſem & Cameracenſem gubernavit eccleſias.* Sequitur de Aretha, Thomitanis & Luſitanis, pure. Omnes præter ALBERGEN. Piatoni tribuunt titulum *epiſcopi*. In fine de Bavone ſic ſcribunt: *In portu Gandavenſi, depoſitio* &c.

Nicetii. DANIC. Superioribus ſimilis, penultimo loco interſerit: *Treveris, ſancti Niceti epiſcopi.* Colitur v Decembris.

CENTULEN. *Romæ, beati Arethæ martyris, cum ſocius ſuis* DIIII. *Antiſiodoro, depoſitio ſacratiſſimi corporis beati Germani epiſcopi & confeſſoris, qui obiit apud Ravennam Italiæ civitatem* II *Kal. Auguſti. Remis Francorum metropoli, tranſlatio ſancti Remigii archiepiſcopi & confeſſoris. Atrebas, tranſlatio ſancti Vedaſti epiſcopi & confeſſoris. In territorio Tornacenſi, ſancti Piati preſbiteri martyris, qui à Roma Gallias venit in comitatu ſancti Quintini. Cœnobio Ganda, depoſitio ſancti Bavonis confeſſoris & monachi, quem B. Amandus pontifex à ſeculi vanitate converſum, ad cæli gloriam feſtinare perdocuit. In pago Pontivo, natalis ſancti Vulflagii preſbiteri & confeſſoris.* Colitur VII Junii. Vide Acta ejus eo die illuſtrata.

Additur de Vedaſto. *Vulflagii.*

DeRemigio. BRIXELLEN. *Remis, tranſlatio ſancti Remigii archiepiſcopi & confeſſoris. Qui antequam naſceretur per Montanum monachum cæcum, ex nomine pronunciatus eſt. Quo nato, idem Montanus de lacte Cilliniæ matris ejus oculos linens, illuminatur. Hic Idibus Januarii migravit ad Chriſtum, ſed hac die feſtum ſuæ tranſlationis celebratur. Antiſiodoro, tranſlatio ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris. Cujus dies depoſitionis cadit pridie Kal. Auguſti. Attrebatis, tranſlatio ſancti Vedaſti epiſcopi & confeſſoris. Qui à beato Remigio epiſcopus ordinatus, Cameracenſem ſimul & Atrebatenſem rexit eccleſias, &* VIII *Id. Februarii migravit ad Chriſtum.* Sequitur de Piatone, Aretha, Thomitanis & Luſitanis, ſatis pure. Tum: *Item ſancti Waſnulphi martyris. In pago Medenetenſi, Piatus pro Chriſto patitur. In portu Gandavo, depoſitio beati Bavonis confeſſoris. Qui ex comite Haſbaniæ ferociſſimo converſus, in Gandavo ſub beato Amando ſibi monaſterium ſtatuit, cui Florbertum abbatem præfecit. Hic in hora ſui tranſitus, ſanctæ Gertrudi, ſuæ cognatæ, Nivellæ oranti apparuit, petens ut mox veſtes ſepulturæ aptas ſibi pararet. Treveris, ſancti Nyceſii epiſcopi & confeſſoris.* Vide DANIC. ubi diximus, coli v Decembris.

Waſnulfi. Piati. De Bavone. Nicetii.

HAGENOYEN. In prima & ſecunda purus, tertio loco ſic habet: *In pago Medenentinſe, civitate Tornaco, natale ſancti Piatonis martyris. Qui* &c. In tranſlatione conjungit tres, ut ANTVERP. MAX-LUBEC. &c. In Luſitanis, ſatis purus eſt. Tum. *In pago Gandavenſi Flandria, depoſitio ſancti Bavonis monachi & confeſſoris. In epiſcopatu Tridentienſi, ſancti Remedii confeſſoris.* Nec *Tridentienſi* intelligo, nec *Tridentinenſi*, ut alii loquuntur. Vide ſis Caſtellanum in primo Bimeſtri pag. 231, ubi de Remigio. Sequitur: *In Babmberg, ſancti Ottonis epiſcopi & confeſſoris.* De eo actum die præcedenti. *In Salſa, tranſlatio ſanctæ Alheydis imperatricis.*

De 3 epp. Remedii. Ottonis. Tranſlat. Alheydis.

AQUICINCT. In tranſlatione etiam tres conjungit, & de Vedaſto ita addit: *Tertii vero corpus angelica revelatione à ſanctis epiſcopis Autberto & Audomaro à ſede pontificali, in loco ubi nunc veneratur, tranſlatum eſt.* In fine: *Et depoſitio ſancti Waſnulfi confeſſoris.*

De 3 epp. Waſnulfi.

AMBIAN *Cœnobio Centulæ, dedicatio eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis, & beati Petri Apoſtolorum principis, & ſancti Richarii confeſſoris.* Plane mirum eſt, talem eccleſiæ dedicationem in ipſo illius cœnobii Martyrologio non ſignari.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Remigii epiſcopi & confeſſoris, cujus feſtum hic celebratur in Ordine, quando ſcilicet tranſlatio ejus accidit, quia in die obitus propter octavas Epiphaniæ & commemorationem ſancti Hilarii non vacat. Pyatonis primi Tornacenſis epiſcopi & martyris.* Notatur in margine: *de epiſcopatu Piatonis vidi magnam quæſtionem. Bavonis confeſſoris in Gandavo, ubi corpus ejuſdem requieſcit.*

DeRemigio. Pyaton. ep.

REG SUEC. num. 130. *Item ſancti Vedaſti.* *Vedaſti.*

IN VATICAN. ſub. num. 5949. Deſunt Luſitani, Piatus & Bavo.

FLORENTIN. *Treveris, beati Nicetii epiſcopi & confeſſoris.* Jam diximus, coli v Decembris. *Nicetii.*

BURDEGALEN. *Civitate Carnoto, paſſio ſancti Pictonis preſbyteri, qui cum beato Dionyſio* &c. Si legas *Tornaco* & *Piatonis*, habebis textum. Vide MUNERAT. & hîc infra. *Piat. Carn.*

BIZUNTICEN. *In pago Carnotenſi, natalis ſancti Platonis, qui cum beato Dionyſio* &c. *De eodem.*

EDITIO LUBECO-COL. Tres tranſlationes in tres articulos dividit. De Piatone poſt *expetiit*, addit, *ac poſtea ſub Diocletiano, conſummato martyrio migravit ad Dominum. Treveris civitate, monaſterio ſancti Maximini, natale ſancti Nicecii, ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris, totius ſanctitatis viri, & [qui] Trevericum populum, adhuc in corpore vivens, ab inguinaria peſte ſuis precibus liberavit.* In Thomitanis & Luſitanis ſatis pura

De 3 epp. De Piaton. Nicetii.

pura eſt. De Bavone habet, ut ANTVERP-MAX. &c. Tum de Aretha, pure. *Eodem die, ſancti Melori martyris.* Vide Caſtellanum. *Item ſancti Waſnulphi*, aliàs *Baſanulfi.*

Melori.
Waſnulfi.

BELIN. Jam dixi, hunc etiam Germani, Remigii & Vedaſti tranſlationem ſimul conjunxiſſe. In reliquo textu prima editio ſatis pura eſt, niſi quod pro *Ganda*, ſcribat *Gada*, & pro *Bavonis*, *Pavonis*. Et hæc altera editio quidem corrigit, ſed in fine gratis repetit: *Attrebati, ſancti Vedaſti epiſcopi & confeſſoris.*

De 3 epp.

Vedaſti.

GREVEN. *Meloris martyris. Treveris, depoſitio ſancti Nicetii epiſcopi & confeſſoris. Item ſanctorum confeſſorum Remedii, Abra, qui & Deodatus, David, diſcipulorum ſancti Germani epiſcopi. Imeri confeſſoris. Item, Waſnulphi confeſſoris. Attrebati, tranſlatio ſancti Vedaſti, cui interfuerunt ſanctus Lambertus Tungrenſis, Auſbertus Rothomagenſis, & Audomarus Taruanenſis, qui lumen oculorum amiſerat. Cumque precibus ſanctorum epiſcoporum præſentium & meritis beati Vedaſti viſum recuperaſſet, moleſte tulit, atque ut iterum excæcaretur obtinuit. Tranſlatio ſancti Autberti Cameracenſis epiſcopi & confeſſoris. Item Cathalogus Sanctorum huc reponit memoriam quorumdam juſtorum antiquorum, ſcilicet Mathathiæ, patris Judæ Machabei, Jonathæ & Simonis filiorum ejus: qui quanta pro patriis ſanctiſque Dei legibus egerint & paſſi fuerint, Machabeorum libri plene edocent. Additur his Johannes, Symonis ſupradicti filius. Item memoria Oniæ ſacerdotis ſummi, viri eximiæ modeſtiæ & ſobrietatis, ab impio Andronico innocenter occiſi. Item Eleazari, viri de primoribus ſcribarum à puero optimæ converſationis, qui cum urgeretur contra legem ad carnes porcinas, mira animi libertat & fortitudine renuens, tormenta ſuſtinuit, [&] adoleſcentibus exemplum forte relinquens, honeſta morte perfunctus eſt.* Nihil de his in aliis codicibus.

Meloris. Nicetii Remedii & ſocior. Imeri. Waſnulfi. Tranſlat. Vedaſti.

Tranſlat. Autberti.

Judæ & aliorum ex Machab.

MOLAN. *Item ſancti Frontι epiſcopi, cujus geſta miraculis plena conſcripta habentur.* Vide Rabanum. Colitur XXV Octobris, ſub nomine *Frontonis. Item in cœmeterio* [civitatis Hannoniæ quæ dicitur] *Condatum nomine, ſancti Vuaſnulphi confeſſoris, qui de Scotia inſula veniens in ſalitum Ceraſia, in loco qui nunc vocatur Cella, multis diebus vitam laudabiliter duxit. Poſtea vero ad monaſterium Dei genitricis Mariæ Condatum nomine perveniens, ibi Domino ſervivit uſque ad obitum. Treveris, ſancti Nicetii epiſcopi & confeſſoris, qui de utero matris ſanctus fuit; nam ab ipſo ortus ſui tempore mirabiliter clericus deſignatus eſt. Cum partu itaque fuiſſet effuſus, toto capite, ut eſt conſuetudo naſcentium, à capillis nudo, egreſſus eſt, in circuitu modicorum ordine pilorum apparente.* Editiones aliæ pro *Dionyſio*, ponunt *Quintino*. Et ad *Bavonis*, aliis etiam litteris addunt, *cujus geſta habentur.* Deinde textui adnectitur *: Civitate Treveris, ſancti Nicetii epiſcopi, totius ſanctitatis viri:* & aliis litteris, *qui ab ortus ſui tempore mirabiliter clericus deſignatus eſt. Condato, ſancti Waſnulphi confeſſoris.* De Fronto, ut in prima. Demum: *Die prima, ſancti Romani melodi.* Ex ſolito Horolog.

Fronti.

Waſnulfi cum elogio.

Nicetii cum elogio.

Romani melodi.

VI *Non.* *Die* 2.

Eleutherii, cum aliis plurimis.

APud Nicomediam, natalis ſancti Eleutherii martyris, cum aliis innumeris, quorum jubente Diocletiano imperatore, alii gladiis obtruncabantur, alii ignibus cremabantur, alii in mare præcipitabantur; ſed horum primus Eleutherius, cum diu cruciatus, per ſingula tormenta validior redderetur, martyrium victoriæ ſuæ, ignibus velut aurum examinatus, complevit. In territorio

Leodegarii Adartenſi, paſſio beati Leodegarii Auguſtudunenſis epiſcopi, quem variis injuriis & diverſis ſuppliciis pro veritate afflictum, Ebroinus

Sereni. Major domus regiæ interfecit. Ipſo die, ſancti Sereni confeſſoris.

Pro textu ſtant *Praten. Herinien. Antverp-maj.* & *Greven.*

VARIA LECTIO. Præcipua diverſitas occurrit in principio, ubi Praten. & Antverp-maj. ſyntaxim habent non ſatis rectam; *quorum jubente Diocletiano acervatim collecti, alii gladiis* &c. Nec Munerati conſtructio exacta eſt; *quorum multitudo, jubente Diocletiano, acervatim collecta, alii gladio* &c. Melius Herinien. cum Antverp. Max-Lubec. & aliis; *quorum, jubente Diocletiano, ſæviſſimo imperatore, alii gladiis* &c. Verum adjectum videtur epitheton *ſæviſſimo*, ſic ut, meâ quidem ſententiâ, brevius & nitidius legant Greven. & Molan.; *quorum, jubente Diocletiano imperatore, alii gladiis* &c. Eſt in Greveno, *concremabantur.* Deinde *cruciatus diu*; reliqui habent, ut in textu. Antverp-maj. ut nuper dixi, mendis ſcatet, ſufficiant paucula: *Adaracenſi*, pro *Adartenſi*, *Eborinus, Serini* &c. Scribit tamen cum reliquis omnibus *afflictum*, contra quam legat Praten. ſolus, *affectum.* Videatur Ado.

Eleutherii & aliorum.

OBSERVATIO. Hîc veroſimiliter ſub una annuntiatione denuo celebrantur fortiſſimi illi athletæ omnes, qui Nicomediæ coronati ſunt, forte exeunte Martio, occaſione famoſæ conflagrationis palatii Diocletianæi, de qua videndi Euſebius & Lactantius, alibi à nobis citati, dum de particularibus huius turmæ Sanctis ageremus, præſertim XII Martii, XXVII Aprilis & IX Septembris. Hieronymiana hodie ſolum Eleutherium

therium nominant, his verbis: *In Nicomedia, Eleutheri, cujus gesta habentur.* Ultimam partem resecuit Rabanus, forte quia nulla hujus sancti Acta reperire potuit. Romanum parvum breviter & nitide rem totam colligit: *Nicomediæ, Eleutherii martyris sub Diocletiano, & innumerabilium aliorum, quos iratus Diocletianus pro incenso palatio, diversis tormentis odio Christiani nominis occidit.* Paulo diffusior est in Adone narratio, à Petro in Catalogum hinc translata, ex quâ etiam Noster totum suum elogium contraxit. Nicomediensem carnificinam diligenter evolvit Tillemontius tom. 5 a pag. 23.

Dubium est, utrum *Leodegarius* ad codices Hieronymianos spectet. Florus à nostris editus eum certò posuit, elogio tamen ab Adonis & Usuardi phrasi tam diverso, ut nihil commune habeant præter rei substantiam. Errat Rabanus, dum legit: *In Gallia, natale sancti Leudegarii episcopi & confessoris*: atque in eo hallucinari videtur, quod *Leudegarium*, hoc die, nominet, tamquam distinctum à *Leutgario* Augustodunensi episcopo, cujus passionem paulo fusius celebrat die sequenti. Ado martyrium collocat, *In Atrebatis, villa Siricinio* (Notkerus descripsit, *in Atratis.*) Noster cetera omnia ex Adone desumens, sic positionem extendit, ut pagum vel provinciam Artesiæ, pro villa Siricinio substituerit, quomodo etiam scripsit Hagiologium Franco-Galliæ a Labbeo editum, quod alibi diximus sæpe ex Usuardo transumptum esse. Leodegarii Acta duplicia sunt, à Mabilione aliisque edita & postea à nobis accuratius cum Mss. nostris conferenda & recensenda. In veteri Missali Gothico seu Gallicano, Missâ honoratur, ut vide in editione Thomasii pag. 375. Eum hodie solum cecinit Wandelbertus: *Leodegarii.*

Mox sextum Nonarum Leodegarius ornat,
Seditione potens quem Dux populusque peremit.

Hactenus textus noster ex Adone profluxit. Qui postremum locum occupat *Serenus*, is ab Usuardo primum, ex privata notitia consignatus est, in Romano moderno prætermissus, forte quod in Belino repertus non sit, aut Reformatoribus non satis cognitus, utpote quem Usuardus solo dumtaxat nomine indigitavit. Maurolycus eum recte adscripserat *Castro Cantumerulæ*, & sic in Actis nostris Mss. quæ in nonnullis valde mira sunt, notatum invenio, appositio nomine Gallico *Chante-merle*, quæ abbatia est Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini. Castellanus solertissimus aliàs nominum, & Sanctorum, & locorum inquisitor, eorumque, ignosce voci barbaræ, latinisator, id hoc die in Martyrologio suo universali neglexit, quando testatur Serenum maxime honorari in *Montier-la Celle*, non procul ab urbe Trecensi. Supposuit, nimirum, facile occursurum *Monasterium Cellense*, seu cœnobium à Cella denominatum. Ut clarius loquar, intellige prioratum Cellensem, Ordinis sancti Benedicti, quarta leucæ parte distantem à prædicta abbatia Cantumerulensi. Atque hæc ad Sancti notitiam pro instituto nostro sufficiant. *Serenus.*

AUCTARIA.

TORNACEN. Caret annuntiatione prima de martyribus Nicomediensibus, in reliquis omnibus plane purus est.

ROSWEYD. In prima & secunda annuntiatione satis purus, omittit tertiam.

PULSANEN. In prima mutilus est, expunctis omnibus post *innumeris*. In duabus aliis purus.

ANTVERP. MAX-LUBEC. UGHELLIANUS & ANTVERP-MAX. In prima & secunda satis puri sunt, habent tamen positionem Leodegarii ex Adone; & loco tertiæ, legunt: *Eodem die, sancti Gerini martyris, fratris beati Leodegarii. In Antiochia, natale sanctorum Primi, Quirilli & Secundiani.* De his agit Romanum. *Gerini. Primi & Sociorum.*

MUNERAT. De Leodegario, pro textu Adoniano & nostro, legit: *Quem erutis oculis, lingua & labiis præcisis, cum non cessaret prædicare verbum Dei, fecit Ebroinus Major-domus regiæ decollari.* Pro *Sereni*, habet *Severi*. *De Leodeg*

MOLAN. Importune textui intrudit; *In territorio Atrebatensi*, & litteris cursivis *Villa Siricinio*, ex Adone. Sed defectus ejus præcipuus est, quod annuntiationem ultimam expunxerit.

LOVANIEN. Similis est ANTVERP. MAX-LUBEC. &c. nisi quod in prima truncatus sit.

ALBERGEN. Totum textum habet, ut ANTVERP. &c. Sed ei præfigit: *Romæ, natale sancti Eusebii PP. Eusebii Papæ & martyris. Hic à beato Petro extitit* XXXII. *Hujus tempore inventa est Crux Domini Iherosolymis* IV[V] *Non. Maii, & Judas baptizatus est, cui nomen postea Quiriacus.* In Romano ponitur XXVI Septembr. Vide ibi notam Castellani.

ULTRAJECT. LEYDEN. & DANIC. His anteponunt: *In Assisio civitate, translatio sanctæ Claræ virginis.* Quæ verba in DANICO extra ordinem & quantum apparet, alia manu appolita sunt *Translat. Claræ.*

CENTULEN. *Apud Nichomediam, sancti Eleutherii martyris. In territorio Atrebatensi, passio sancti Leodegarii, Augustidunensis episcopi & martyris. Eodem die, sancti Sereni confessoris. Item ipso die, sancti;* Deest nomen & minori ac recentiori manu appositum *Huini* (forte voluit dicere *Gerini*) *martyris*, de quo superius. *Textus contractus.* *Huini.*

BRUXELLEN. Incipit. *In territorio Atrebatensi villa Syricinio, passio sancti Leodegarii Augustudinensis episcopi. Qui pro justicia veritatis primò in Luxonio monasterio retruditur, & ab illo revocatus capitur, quem Ebronius Major regiæ domus, post oculorum evulsionem & linguæ ac labiorum abscisionem decollari mandavit. Cujus meritum multis miraculis post mortem declaratur. Eodem die, sancti Gerini martyris, fratris beati Leodegarii. Quem Ebroinus lapidibus obrutum interfecit. Romæ, natale sancti Eusebii Papæ & confessoris. Cujus tempore, ut ipse in epistola sua scribit, inventa est Crux sancta, & ideo inventionem sanctæ Crucis* V *Non. Maii solempniter* *De Leodeg.* *De Gerino.* *Eusebii.*

lempniter celebrari inſtituit. Sequitur de Eleutherio & ſociis Nicomedienſibus, pure. In fine: *In Antiochia, natale ſanctorum Primi, Quirilli, & Secundiani.* Demum de Sereno, pure.

Primi & ſociorum.

De Euſebio. HAGENOYEN *Romæ, natale ſancti Euſebii Papæ & martyris. Hic à beato Petro extitit* XXXII, *qui paſſus eſt ſub Dioclesiana perſecutione. Hujus tempore creditur inventa fuiſſe ſancta Crux Domini Hieroſolymis,* V *Non. Maii, quam & celebrem diem Chriſtianis ipſe inſtituit, & Judas, qui & Quiriacus, baptizatus eſt.* In Eleutherio, ſatis purus eſt. De Leodegario longam habet hiſtoriam, quæ apud Surium ſincerior legi poteſt. Tum *Ipſa die,*

De Gerino. *Gerini, fratris ſancti Leodegarii martyris, quem idem Ebroinus ligatum ad ſtipitem lapidibus obrui*

Apollinaris. *præcepit. Item ſancti Apollinaris epiſcopi & martyris.* Deſideratur poſitio.

DAVERONENSIS, CODEX CASTRI-KAROLI, GOLLIAN. & CAUDIACEN. In fine paulo brevius ſcribunt: *ſancti Sereni confeſſoris.*

MATRIC-CARTUS ULTRAJECT. *Leodegarii epiſcopi & martyris. Eleutherii martyris, apud Nicomediam cum aliis multis.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Sereni.* Adjicitur: *Beneventi, natalis ſancti Modeſti levitæ & martyris. Romæ, natalis ſancti Euſebii Papæ, qui ſedit in epiſcopatu annis duobus.*

Modeſti. Euſebii.

Primi &c. Euſebii. FLORENTIN. *In Antiochia, ſanctorum martyrum Primi, Quirilli, Secundarii. Sancti Euſebii Papæ.*

De Euſebio. EDITIO LUBECO-COL. *Romæ, natale ſancti Euſebii Papæ & confeſſoris, qui ſedit in epiſcopatu annis ſeptem. Hic à beato Petro extitit* XXXII. *Hujus tempore inventa* &c. In Eleutherio & Leode-

Gerini. gario, ſatis pura eſt. *Item ſancti Gerini martyris, fratris beati Leodegarii prædicti epiſcopi. In An-*

Primi &c. *tiochia, natale ſanctorum Primi, Quirilli, & Se-*

Tranſlat. Claræ. *cundiani martyrum. Apud Aſſiſium, tranſlatio ſanctæ Claræ virginis, Ordinis Minorum. In Anglia,*

Thomæ. *ſancti Thomæ epiſcopi & confeſſoris. Caſtro Cantumerulæ, beati Sereni monachi & confeſſoris. Oſtenſio*

Oſtenſionis Maximi. *ſancti Maximi epiſcopi Regenſis & confeſſoris.*

BELIN. In Eleutherio, pro *Diocletiano*, ponit *Juliano*, & præter alia multa menda, omittit annuntiationem *Sereni.* Poſt *interfecit* autem,

Gerini. adjicit: *Eodem die, ſancti Gerini martyris, fratris beati Leodegarii. In Antiochia, Primi, Quirilli & Secundarii. Eodem die, tranſlatio ſanctæ Claræ virginis.* Clarius ſupra, & in GREVEN.

Primi &c. Tranſlat. Claræ.

GREVEN. *In Antiochia, Primi, Quirilli, Secundiani. In Tuſcia, Colmeri epiſcopi & martyris. Romæ, beati Euſebii Papæ & confeſſoris. Theylaidi abbatis & martyris. In Anglia, ſancti Thomæ Herefordenſis epiſcopi & confeſſoris, vita & miraculis clari.* Vide notulam marginalem Caſtellani, in Martyrologio univerſali. *Item, ſancti Garini martyris, fratris beati Leodegarii epiſcopi, quem vilis apoſtata Ebroinus, de exilio reductum, juſſit lapidibus obrui. Beregiſi confeſſoris. Item beatæ memoriæ Gerici, ducis Sabaudiæ & confeſſoris. Oſtenſio ſancti Maximi, epiſcopi Regenſis & confeſſoris. Apud Aſſiſium, tranſlatio ſanctæ Claræ virginis.*

Primi &c. Colmeri. Euſebii. Theylaidi. Thomæ. De Gerino. Beregiſi. Gerici. Oſtenſion. Maximi. Tranſlat. Claræ.

MOLAN. In fine, poſt *interfecit*, ſubdit: *Corpus ejus in Bronio quieſcit. Binchii, tranſlatio Urſmari & aliorum, de veteribus capſis in novas. Eodem die, ſancti Gerini martyris, fratris beati Leodegarii. In Antiochia, Primi, Quirilli & Secundarii. Eodem die, tranſlatio ſanctæ Claræ virginis. Ipſo die, ſancti Sereni confeſſoris. In Dalmonaſterio natalis ſancti Beregiſi abbatis.* Tum minoribus typis: *Qui habitum ſancti Benedicti aſſumpſit in monaſterio ſancti Trudonis.* De Thoma Herefordenſi, ex GREVENO. Editiones aliæ conveniunt cum priori in textu, in Gerino & Antiochenis. Tum: *Andaino monaſterio, natalis beati Beregiſi abbatis. Hic ex Conduſtro pago Auſtraſiorum oriundus, Huſbanii intra monaſterium ſancti Trudonis, litteris eſt eruditus. Cumque ſublimatus in comitatu Pipini junioris, ſolitariam vitam deſiderabat attentius, contigit Plectrudem ejuſdem principis conjugem, tranſitum habuiſſe per ſaltum Arduennenſem: & ecce chartulam inter ſaxa decidentem reſpicit, in qua continebatur, locum illum à Deo electum, multaſque inde animas fidelium dirigendas in cælum. Beregiſus ultro ſe offerens, locum ſuſcipit, ſtirpat, monaſterium conſtruit, & multos ſuo exemplo, ad bene vivendum ibidem collegit.* De Sereno, ut ſupra. *In Anglia, ſancti Thomæ, Herefordenſis epiſcopi & confeſſoris. Aſſiſii, tranſlatio ſanctæ claræ virginis. Morinis, oſtenſio ſancti Maximi epiſcopi Rhegienſis & confeſſoris.*

Tranſlat. Urſmari. Gerini Primi &c. Tranſlat. Claræ. Beregiſi. Thomæ. De Beregiſo. Oſtenſion. Maximi.

V *Non.* *Die* 3.

Dionyſii. NAtalis beati Dioniſii epiſcopi & martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt graviſſima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatus eſt, ut teſtatur Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiaque mirabilis, in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Apud antiquos Saxones, ſanctorum martyrum

Ewaldor. duorum Ewaldorum, qui cum eſſent presbiteri & prædicare ibi Chriſtum cœpiſſent, comprehenſi ſunt à paganis & occiſi; quorum corpora noctu multa diu lux apparens, & ubi eſſent & cujus eſſent me-

Candidi. riti declaravit. Romæ ad Uiſum pilleatum, ſancti Candidi martyris.

Ita *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Accedunt, *Antverpien-max. Ultrajectin. Leyden. Lovanien.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. *Dyoniſii, Ariſthides, Ariſtodes*, & ſimilia prætermitto. Variatio eſt in Ariſtidis elogio, quod Greven. & Molan. exprimunt, *fide vir ſapientiaque:* Antverp. *vir ſapientia fideque.* Belin. & Max-Lubec. omittunt *fide*; in textu pura eſt lectio.

lectio. Munerat. pro *compoſuit*, ſcripſit, *complevit*. Legendum eſt more noſtro *Ewaldorum*; ut habent Antverp-maj. Max-Lubec. Greven. & Molan. Eodem recidit, ſed non tam recte ſcribitur in Praten. & Herinien. *Euualdorum*. Antverp. ponit *Egualdorum*; Belin. *Eugualdorum*. Senſus videtur exigere, *ad quorum corpora*; ut habent Antverp. & Belin. ex Beda, Adone &c. vel, *quorum ſuper corpora*, ut Munerat. Sequimur tamen probatiores codices Praten. Herinien. Antverp. maj. Greven. & Molan. ex quibus textus. Munerat contraxit ultimam periodi partem, *& ubi atque cujus eſſent* &c. Reliqui, *ad Urſum pilleatum*, quod prope omnes ita ſcribant; Belin. ea verba fortaſſe melius expunxit.

OBSERVATIO. Mirum eſt, Uſuardum in hodierno laterculo *Areopagitæ* appellationem prætermiſiſſe, ubi ex ipſo textu evidentiſſimum eſt, non de alio, quam de celeberrimo illo Athenienſi epiſcopo ſermonem eſſe; utpote qui ex Adone, tum hîc, tum in Apoſtolorum feſtivitatibus, & primùm ex Romano parvo clariſſime deſumptus eſt. Nihil de Areopagita ponunt Hieronymiana, nihil Beda, Florus aut Rabanus. Textus fontem deſignavimus, eumque adeo certum, ut eruditorum hodie nemo Hilduini opinamenta tueri audeat, tam aperte ab Adone & Uſuardo ejus ſynchronis rejecta, quidquid Wandelbertus etiam coævus, Hilduinum ſecutus videatur, dum IX Octobris illum Dionyſium celebrat, *Gallia doctorem Paulo inſtituente beatum, quem meruit, gemino comptum, junctumque miniſtro*. Verſamur in re vel eruditorum vulgo notiſſima, in qua paſſim Baronio contradicitur, qui & in Notationibus & in Annalibus ad annum CIX a num. 38, Hilduino adhæſiſſe videtur. Gratum futurum opinor, ſi Roſweydi animadverſionem, in epiſtola Ms. ſæpe alibi citata, ultimam, hîc curioſo lectori proponam, ex qua pateat, doctiſſimum virum id pridem obſervaſſe, quod eodem ſeculo tot alii ſuis ſuffragiis confirmarunt. Refert primùm Uſuardi ex Belino verba omnia, hîc in textu expreſſa, ad quæ ſubjungit „ Miror, hæc omiſſa eſſe in Martyrologio Romano „ Baronii, cum ante centum annos in Martyrologio Belini hæc exhibita fuerint. Quid „ quod ante mille annos ita credidit Eccleſia Romana? Nam vetus Martyrologium Ro„ manum, quod Adonis Martyrologio ex editione Moretiana olim præmiſi, (ubi & „ ejuſdem Roſweydi notatio videri poteſt pag. 219) clare ita repræſentat; *Athenis* „ *Dionyſii Areopagitæ, ſub Adriano diverſis tormentis paſſi, ut Ariſtides teſtis eſt in opere, quod* „ *de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes inter antiquorum memorias cla*„ *riſſimum tenetur*. Idem habet Beda (ſuppoſititius,) Uſuardus, Ado & Notkerus, ut „ merito in conſiderationem venire debeat, num hic Dionyſius Areopagita ſuo loco „ tot comitatus teſtibus relinquendus ſit, maxime cum & Menologium Græcum, „ itemque Menæa, Areopagitam Dionyſium hoc die repræſentent. Jam vero cum „ iidem hi auctores citati, Dionyſium Pariſienſem alio die, videlicet IX Octobris repo„ nant, quis dubitare poteſt, quin Dionyſium Areopagitam à Pariſienſi diſtinxerint. „ Quare in textu Baronii IX Octobris, ubi de Dionyſio Pariſienſi agitur, ut confor„ mitas ineatur inter vetera Martyrologia, Romanum tempore Gregorii Magni, Ro„ manum Belini ante centum annos, Uſuardum, Adonem, Notkerum; videtur de„ lendum *Areopagitæ*, itemque *à B. Clemente*, cum hæc à poſterioribus inſerta & intruſa „ ſint. Conſuli poterunt Romæ omnia vetuſtiſſima Martyrologia Romana, non exiſti„ mem ullum inveniri poſſe, ante tempora Hilduini abbatis, quod IX Octobris Diony„ ſium Areopagitam repræſentet. Fors Baronius, ſi vetus Martyrologium Romanum, A„ doni præmiſſum, cujus deſiderio tantopere tenebatur, vidiſſet, in aliam ſententiam „ declinaſſet. „ Hactenus Roſweydus. Videnda etiam breviſſima, ſed veroſimillima, Caſtellani in Martyrologio univerſali obſervatio, ex quibus omnibus pateat, adſtructam à monachis Dionyſianis, ſed perperam, Dionyſiorum plurium confuſionem dicam, an diſtinctionem, à Romano parvo, Adone, Uſuardo & Notkero abunde pridem confutatam. Qui plura cupit, adeat Reſponſiones Papebrochii art. XI, toto § 4. *Dionyſii.*

De *Ewaldis*, *Euualdis*, ſeu *Egualdis* (hujuſmodi nominum etymologiam & litterarum W in G mutationem ſatis alibi explicavimus) clare loquitur Beda in Martyrologio, quem ſequuntur & tranſcribunt Rabanus, Ado, Uſuardus & Notkerus, ita tamen ut poſtremi duo paulo contractius hiſtoriam exprimant. Apud Hieronymiana & Romanum parvum noti non ſunt. Wandelbertus ita canit: *Ewaldorum.*

Ewaldi, meritis, gente & cognomine & ara
Doctrinaque pares, quintum ſibi morte dicarunt.

Actorum ſeries ex Beda elucidabitur. Videri interim meretur brevis Caſtellani notatiuncula, quam ex parte tangunt nonnulli codices inter Auctaria. Huc uſque iterum patet Uſuardini textus ſcaturigo. At unde *Candidus* ille ad *Urſum pileatum*? nuſquam reperio. Eſt quidem in Hieronymianis aliquibus *Candidæ* vel *Candidi* memoria hoc die, ſed unde Uſuardus poſitionem ad *Urſum pileatum* acceperit, cum nulla hujus Sancti Acta noverimus, incertum eſt. Quæ Adoni à Moſandro ex Hieronymianis ſuperadjecta ſunt, Roſweydus veroſimilius ab Adoniano textu diſcernenda putavit. *Candidi.*

AUCTA-

AUCTARIA.

ORNACEN. Primam refert usque ad *coronatus est*, deest pars altera. Secundam plane omittit, purus est in tertia. In fine subjungit: *In pago Dulcomensi, sancti Juvini confessoris.* *Juvini.*

ROSWEYD. In prima satis purus, in secunda Bedæ quam Usuardo similior est, inserens hæc verba: *Cum sancto Willebrordo venientes in Germaniam, Saxonibus prædicare cœperunt, comprehensique à paganis & occisi* &c. *DeEwaldis*

PULSANEN. In Prima satis purus, in secunda rescindit totum elogium. Pro *Ewaldorum* scribit *Guandolorum.* Deest etiam tertia.

ALBERGEN. Textui satis puro, præmittit: *In cœnobio Werdinensi, translatio sancti Ludgeri, primi Monasteriensis episcopi & confessoris. Quod cœnobium ipse primus, divinitus adjutus fundavit, in quo & Domino revelante, diem se expectaturum novissimum præcognovit.* *Translat. Ludgeri.*

CENTULEN. *Natale sancti Dionysii episcopi & martyris. Apud antiquos Saxones, sanctorum duorum presbyterorum martyrum, qui ambo fuerunt nominati Ewaldus, qui pro prædicatione verbi Dei à paganis occisi sunt.* In ultima purus est. *Textus contractus.*

BRUXELLEN. Incipit: *Apud antiquos Saxones, sanctorum duorum Ewaldorum presbyterorum, quorum unus Ewaldus albus & alter Ewaldus niger dicti sunt. Qui cum beato Wiliebrordo episcopo de Anglia venientes in Germaniam, transierunt ad Saxones, & cum ibi Christum prædicare cœpissent, à paganis occisi sunt. Super quorum corpora columpna lucis noctu apparens, ubi essent, & cujus essent meriti declaravit; sicque Pippino jubente Coloniæ sepeliuntur. Ipso die, natale beati Dyonisii Ariopagitæ episcopi & martyris. Qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, & primus apud* [habebatur ni fallor, *Athenas*, sed super ea voce erasa, alia manu scriptum est] *Chorinthum ab eodem Apostolo episcopus ordinatus, post gravissima tormentorum genera sub Adriano imperatore glorioso martyrio* &c. Tum: *Romæ ad Ursum pilleatum, natale sancti Candidi martyris. Eodem die, elevatio sancti Ludgheri episcopi, virtutibus clari. Et depositio Domini Maduluti Verdunensis episcopi.* Apud Castellanum est *Madelvei* die sequenti. *DeEwaldis. DeDionysio. Elevat. Ludgeri. Maduluti.*

HAGENOYEN. In prima satis purus, in secunda, post *Saxones*, inserit, qui nunc vocantur *Frysones.* Deinde: *In Anthyochia, sanctorum natalis martyrum Primi, Quirilli & Secundiani.* Vide die præcedenti. Sequitur longa historia Nicetii Treverensis, de quo ad 1 Octobris satis dictum est. Demum: *In Anglia, sancti Thomæ episcopi & confessoris*: de quo etiam die præcedenti. *Primi &c. Nicetii. Thomæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Duorum Euualdorum martyrum. Gerardi, primo militis, postea abbatis. Dionysii episcopi & martyris.* *Gerardi.*

AUGENS. *In pago Dulcomensi, sancti Vivini confessoris.* TORNACEN. habet *Juvini*, alibi *Jovini.* *Juvini.*

REG-SUEC. signatus num. 428. *Item ipso die, sancti Francisci confessoris.* Vide die sequenti. *Francisci.*

FLORENTIN. *Item sanctorum martyrum Victoris & Spargi.* Vide de his codices Hieronymianos & notulam Florentinii. *Victoris & Spargi.*

LUXOVIEN. *Depositio sancti Madalnei Verdunensis episcopi & confessoris.* Jam dixi ex Castellano, melius vocari *Madelveum*, colique die sequenti. Hæc proprio loco uberius discutientur.

CAUDIACEN. *Apud sanctum Andream de Ulmis, adventus sancti Ragnoberti militis & martyris.* Ponitur à Castellano XIII Junii atque etiam inter Auctaria nostra ipso die, in Actis tamen remissus est ad XV Julii. Ratio postea dabitur. *Advent. Ragnoberti.*

DIVION. *Natale sancti Dionysii Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo.*

REMENS. SS. Timoth & Apoll. *In suburbio Remensi, natale sancti Jovini confessoris.* *Jovini.*

ABDINGHOFFEN. *Eodem die, adventus corporis beati Felicis martyris.* De quo Felice agatur inter tot ejusdem nominis Sanctos, ignoro. *Advent. Felicis.*

EDITIO LUBECO-COL. *Apud antiquos Saxones, natale sanctorum martyrum duorum Ewaldorum fratrum. Qui cum essent presbyteri & prædicare ibi Christum cœpissent, comprehensi sunt à paganis & occisi & in fluvium Reni projecti. Super quorum corpora multa diu lux noctu apparens, & ubi essent & cujus essent meriti declaravit. Quorum corpora fluxus non absorbuit, sed refluo cursu per passus fere quadraginta millia, comitante eos luce divina, usque Coloniam provexit, ubi ipsa corpora Sanctorum à Pippino duce Francorum, qui tunc Romanum sceptrum regebat, cum universo clero in ecclesia sancti Clementis juxta Renum posita, condigna veneratione condita sunt. Item apud antiquos Saxones, sancti Willibrordi episcopi & martyris.* Sequitur de Dionysio & Candido, pure. Tum: *Apud Warindas, beati Gandulphi confessoris. Eodem die, sanctorum Felicis & Casti martyrum. Ipso die, depositio sancti Madalnei episcopi Virdunensis & confessoris.* De translatione sancti Ludgeri, eadem habet quæ ALBERGEN. supra. *DeEwaldis. Willibrordi. Gandulfi. Felicis &c. Madalnei.*

GREVEN. *Apud antiquos Saxones, sancti Willibrordi episcopi & martyris.* Ita etiam posuit EDITIO LUBECO-COL. supra, sed alium ego Willibrordum non novi, quam celebrem illum Trajectensem episcopum & confessorem, qui colitur VII Novembris. *In Africa, Victoris, Urbani, Sapargii. Et alibi Felicis, Ammonii & Casti. Antiochiæ, Cheugenii.* In Hieronymianis vocatur *Thugenus* vel *Theugenus* vel *Theogenes* &c. *Gerardi abbatis Bronienſis & confessoris. Apud Warindas, beati Gandulphi confessoris. Scopilionis, archipresbyteri & confessoris. Apud Monasterium Werdenense, translatio sancti Ludgheri, episcopi primi Monasterienſis, & confessoris, præfati monasterii fundatoris, in quo & revelante Domino, se diem generalis resurrectionis expectaturum præcognovit.* Vide diem ejus natalem in Actis XXVI Martii. *Willibrordi. Victoris &c. Felicis &c. Cheugenii. Gerardi. Gandulfi. Scopilionis. Translat. Ludgeri.*

MOLAN. *Et in Bronio monasterio, natale & translatio sancti Gerardi abbatis, qui post militiam temporalem, Christi tyrocinio mancipatus, hujus monasterii fundator extitit devotus jussione beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Hic postea, auctore Christo fuit pater & abbas sex cœnobiorum. Corpus ejus in Bronio quiescit. In pago Dulcrimensi, sancti Juvini confessoris.* Editiones posteriores eadem referunt quæ habentur in prima, solum addunt: *Mosonii festivitas beati Arnulphi martyris.* In hoc vero à priori differunt, quod annuntiationem Dionysii ponant post Auctarium, cui litteris Italicis inserunt cognomentum *Areopagitæ.* Frequentium hujusmodi variationum an sufficiens, in harum editionum præfatione ratio reddatur, aliorum judicio relinquo. Hîc saltem satis opportune emendatio apposita est. *DeGerardo. Juvini. Arnulfi.*

IV *Non.* *Die* 4.

APud Corinthum, natalis beatorum Criſpi & Gaii, quorum meminit ſanctus Paulus Apoſtolus Corinthiis ſcribens. *Criſpi & Caii.* In Ægypto, ſanctorum Marci & Marciani fratrum, & aliorum cum eis innumerabilium, non inferioris gloriæ, utriuſque ſexus atque ætatis; quorum alii poſt verbera & diverſi generis horribiles cruciatus, flammis traditi ſunt, alii in mare præcipitati, nonnulli etiam capite cæſi, plurimi inedia conſumpti, alii patibulis affixi, quidam etiam capite deorſum preſſo, & pedibus in ſublime ſublatis, beatiſſimam paſſionis coronam meruerunt. Civitate Pariſius, ſanctæ Aureæ virginis. *Marci & ſociorum.* *Aureæ.*

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-major, Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Corintum* poſuit Herinien. Sed recte ſe corrigit in *Corinthiis.* Idem ſcribit *Martiani*, ſed alii cum textu conſonant. Solus Pratenſis legit *cruciatus horribiles.* Luxata erant in Antverp-maj. hæc verba, *nonnulli etiam capite cæſi*, pro quibus legebatur, *non ſine etiam capite cæſi:* nec ſenſum purum reddidit, qui deletis, *non ſine*, ſubſtituit, *alii etiam* &c. Non male ſcripſit Herinien. *capite deorſum verſo*, ſed melius cum Adone, *capite deorſum preſſo*, ubi, errore opinor typothetæ, pro *quidam*, habet Molan. *quidem*, ubi paulo ante *inedta* pro *inedia:* ſcrupuloſus eſt in *Pariſiis* pro *Pariſius.* De *Caii Gai, Gaii, Gagi* &c. alibi dictum eſt ſæpius: codices ſibi non conſtant.

OBSERVATIO. De *Criſpo*, prius archiſynagogo, præclara fit mentio in Actibus Apoſtolorum capite 18. *Caius* Apoſtoli hoſpes exprimitur ultimo capite epiſtolæ ad Romanos. Amborum conjunctionis cauſam exiſtimo, quod ambo ſoli ab Apoſtolo baptizati dicantur 1 ad Cor. 1. Atque inde ferme eruenda ſunt, quæ in eorum laudem indubitate referri poſſunt. Prima eorum in Martyrologiis memoria debetur Romano parvo, ubi ſimpliciter ſignantur: *Apud Corinthum, Criſpi & Caii.* Quod hîc in textu ſuperadditur, ab Adone adjunctum eſt, à Noſtro plene, à Notkero fere deſcriptum, iis neglectis, quæ præter hæc in Feſtivitatibus Apoſtolorum idem Ado commiſcêre viſus eſt. Etenim tres Caios Apoſtolorum diſcipulos diſtinguendos, veroſimile eſt; hunc nempe Pauli hoſpitem, ad Rom. cap. 16; alterum *Derbium*, & ipſum Pauli diſcipulum, qui Act. 20 clare diſtinguitur, & tertium illum, ad quem Joannes epiſtolam ſuam tertiam deſtinat, in quo Adonem aberraſſe nonnulli volunt, dum ultimum cum primo confudit, ut ex eo Beda ſuppoſititius, hinc Molanus textui ſuo inſeruit. Quid ſi & aliquis dubitet, utrum tribus adjici quartus non debeat, qui cum Ariſtarcho memoratur Actorum cap. 19? Sed hæc alterius loci & diſquiſitionis ſunt. *Criſpi & Caii.*

Marcus & *Marcianus* ab Hieronymianis diſerte poſiti, tot characteriſticis à Marco & Marcelliano ſecernuntur, ut mirum ſit confundi potuiſſe. Rabanus ſcribit *Marti* & *Mauriciani*, quæ amanenſium oſcitantiæ adſcribimus. Romanum parvum breviter: *Apud Ægyptum, Marci & Marciani fratrum, cumque eis innumeræ multitudinis.* Adonis encomium ſatis aperte ex Euſebii lib. 8 cap. 8 deſumptum eſt, apud quem glorioſi illi athletæ omnes anonymi ſunt, uti & alii ab eodem Euſebio ſequenti capite enumerati. Ceterum ita paſſim admittitur facta ab Adone ad duos hoſce martyres applicatio, ut qui eam in dubium revocet, hactenus invenerim neminem. Eam ipſam ſecuti ſunt Uſuardus & Notkerus, ille phraſim in textu elegantius contrahens, quam iſte, qui etiam *Marcellianum* pro *Marciano* ſubſtituit. Wandelbertus ſolos fratres his verſibus exornat: *Marci & ſociorum.*

Marcus Marcianuſque ſuo implent munere quartum,
Germine, martyrio, natura & funere fratres.

Aurea Pariſienſis virgo pure Uſuardina eſt, omnibus aliis Martyrologis antiquis ignota, ſaltem præterita; inter Adonis augmenta cum *Marſo* Autiſſiodorenſi ab ipſo Moſandro recenſita. Ejus meminit ſanctus Audoënus in vita ſancti Eligii, ex qua aliiſque, ſi quæ ſuperſunt, monumentis, ea ſuo loco elucidari poterunt quæ ad ipſam, ipſiuſque abbatiam, ab Eligio in Martialis Lemovicenſis, popularis ſancti, honorem Pariſiis conditam, deinde extinctam, aliaque eo ſpectantia reperientur. Vide tantiſper indicem Sanctorum prætermiſſorum ſeculo 2 Benedictino pag. LVIII. *Aureæ.*

AUCTARIA.

Franciſci. TORNACEN. In prima & ultima purus, in ſecunda, media fere parte mutilatus eſt. In margine: *Eodem die, Franciſci confeſſoris.*

Marſi. ROSWEYD. In textu ſatis purus, adjungit: *Item, ſancti Marſi preſbyteri.*

PULSANEN. In prima & tertia ſatis purus, in ſecunda ſolum habet uſque ad *utriuſque ſexus atque ætatis*, deſunt reliqua.

Franciſci. ANTVERP. & MAX-LUBEC. Idem habent augmentum de ſancto Franciſco, ſed primus ita effert: *Eodem die, depoſitio beati Franciſci.* Alt MAX-LUBEC. in eo differt, quod omittat *to depoſitio* & adjungat, *confeſſoris.*

De Franciſ MUNERAT. Incipit: *Apud Aſſiſium, natalis beati Franciſci confeſſoris, Ordinis Minorum fundatoris, ſeu inſtitutoris.* Sequitur textus. Sed in

De Aurea. fine poſt *Aureæ virginis*, adjicitur: *Cujus corpus requieſcit in eccleſia ſancti Eligii, prope palatii, Pariſii.* MOLANUS hæc emendat, ſic corrigens, *prope palatium, Pariſiis.*

Franciſci. ANTVERP-MAX. Puritati ſatis prope accedit, hoc ſolum textui præfigens: *Apud Aſſiſium, natale beati Franciſci confeſſoris, FF. Minorum Ordinis fundatoris, & primi Miniſtri.*

Franciſci. LOVANIEN. Idem habet, ſed in martyrum Ægyptiorum elogio mutilus eſt.

ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERGEN. & DANIC. Ita primo loco de S. Franciſco: *Apud Aſſiſium,*

Franciſci cum elogio. *natale beati Franciſci confeſſoris, FF. Minorum Ordinis fundatoris & primi Miniſtri. Huic irrationales creaturæ miram exhibebant obedientiam, velut agnoſcentes in homine primam innocentiam reſtitutam. Hic tanto deſiderio ferebatur in Deum, ut in orationis ſpiritu conſtitutum viderent qui aderant, à terra toto corpore ſublevatum, unde & in oratione prophetiæ ſpiritum & revelationem obtinuit ſecretorum. Hic per biennium ante felicem ejus tranſitum, poſt prædicationis ſuæ curſum, martyrii deſiderium, animarum zelum, charitatis exceſſum, paupertatis titulum, ad aſpectum ſeraphim crucifixi, ſicut ſeraphicis agebatur deſideriis, inſignitus eſt corporaliter in pedibus, manibus & dextro latere, ſtigmatibus Jeſu Chriſti.* Cetera ſatis puri ſunt.

Textus contract. CENTULEN. *Natale ſanctorum Criſpi & Gaii, quos beatus Apoſtolus ad Corinthios, ſe commemorat baptizaſſe. Apud Ægyptum, ſanctorum Marci & Marciani fratrum, cum quibus innumerabiles tam viri quam feminæ, ſed & pueri & ſenes pro fide*

Marſi. *Chriſti paſſi ſunt. Antiſiodoro, ſancti Marſi preſbyteri & confeſſoris. Pariſiis, ſanctæ Aureæ virginis & abbatiſſæ.*

De Franciſ. BRUXELLEN. *Apud Aſſiſium, depoſitio beati Franciſci confeſſoris & fundatoris Ordinis FF. Minorum. Qui per biennium, ante felicem ejus tranſitum, in pedibus, manibus & latere corporaliter inſignitus eſt ſtigmatibus Jeſu Chriſti.* Sequitur prima & ſecunda annuntiatio ſatis pura. Tum *Pa-*

De Aurea. *riſiis civitate, depoſitio beatæ Aureæ virginis, quam beatus Eligius præfecit puellarum monaſterio, quod ipſe ibi conſtruxit.*

De Franciſ. HAGENOYEN. In prima & ſecunda ſatis purus, omittit tertiam, cujus loco ſubſtituit. *Apud Aſſiſium, depoſitio beati Franciſci confeſſoris, fundatoris Fratrum Minorum* &c. quæ nitidius ſupra ex ULTRAJECTEN &c. exhibita ſunt.

Franciſci. AQUICINCT. In fine recenti manu: *Eodem die, S. Franciſci confeſſoris.* Vide ſupra ULTRAJECT.

DAVERON. *In pago Turonico, ſancti Quintini martyris.* Vide de hoc caſtitatis martyre Caſtellani Martyrologium univerſale. *Quintini.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Franciſci confeſſoris. Aureæ virginis, abbatiſſæ Pariſiis. In Ægypto, Marci & Martiani fratrum, cum aliis innumeris varie paſſis.* *Franciſci.*

UGHELLIAN. *Item ſancti Franciſci confeſſoris.* *Ejuſdem.*

FLORENTIN *Sancti Franciſci..... Item, ſancti Petronii epiſcopi & confeſſoris.* *Petronii.*

REMENS. SS. Timothei & Apollinaris. *Antiſſiodori, ſancti Marci* (voluit dicere *Marſi*) *preſbyteri & confeſſoris.* *Marſi.*

EDITIO LUBECO-COL. incipit: *Apud Treverim, natale ſanctorum martyrum Tyrſi ducis ſacratiſſimæ legionis trecentorum Thebæorum & ſancti Boniſacii. Hos Maximianus imperator Herculeus, propter frequentes tumultus Gallorum, Thebæos milites ab Oriente in auxilium accerſivit. Hi Thebæi ab antiſtite Hieroſolymitano fuerunt baptizati & à Marcellino beato Papa, qualiter ſub armis Romanæ libertatis, Chriſtianam innocentiam ſervare deberent, inſtructi ſunt. Hos Rictiovarus præfectus urbis interrogavi, an vellent Romanorum deos adorare, & eorum detractores armis debellare. Cui cum dux legionis Tyrſus reſponderet, ſe ſuoſque omnes ſocios & milites pro Chriſti amore potius malle mori, quam hujuſmodi ſacrilegio pollui, tunc Rictiovarus diffuſis per totum campum militibus, præcepit omnes interfici, & corpora eorum feris avibuſque devoranda relinqui. Hæc igitur multitudo militum martyrizata eſt ad littus Moſellæ juxta capitolium, quod poſtea in honore Dei genitricis ſemper Virginis Mariæ eſt dedicatum, & ipſe locus ob memoriam Martyrum, Littus ad Martyres, nomen accepit.* Sequitur de Franciſco ut ULTRAJECT. &c. ſupra. Tum textus totus ſatis purus. De Quintino, ut DAVERON. In fine: *Antiſiodoro, depoſitio ſancti Marci preſbyteri & confeſſoris.* Vide dicta ſuperius ad codicem REMENSEM. *De Tyrſo & 300 Thebæis* *Franciſci.* *Quintini.* *Marſi.*

De Franciſ. BELIN. *In civitate Aſſiſii, natale beati Franciſci confeſſoris, fundatoris Ordinis Minorum. Hic poſt multiplicationem mirabilem Ordinis, quem fundavit ubique terrarum diffuſius, in eodem viginti annis cœlibem vitam ducens, de hujus mundi miſeria carnis ergaſtulo, ad cæleſtem patriam eſt deductus.* Junge hæc ULTRAJECT. &c.

De Trevirens GREVEN. De Trevirenſibus pauca habet, ſed *Quintini.* de iis ſatis diximus. De Quintino, ut ſupra. *Aniani.* *Ipſo die, ſecundum Cathalogum, ſancti Aniani epiſcopi & confeſſoris, de quo in geſtis ſancti Marci Euangeliſtæ refertur: quia cum eſſet ſutor & calceamentum beato Marco reficeret, manum ſibi perforaverit. Sed à beato Marco curatus eſt & presbyter ordinatus, tantæ fidei extitit, ut montem tranſtuliſſe feratur; deinde epiſcopus ordinatus in pace quievit, tranſlatus poſtea Venetias, in monaſterio ſancti Clementis conditus ſervatur.* Vide Tract. de Patriarchis Alexandrinis ante tomum v Junii. *Madalvei* *Madalvei.* *Petronii.* *epiſcopi Virdunenſis & confeſſoris. Item Petronii epiſcopi Bononienſis & confeſſoris, qui vitas Patrum conſcripſiſſe fertur. In valle Spoletana, apud Aſſiſii civitatem* &c. paulo brevius quem ULTRAJECT. &c. ubi dicitur quieviſſe anno MCCXXIV. *Antiſiodoro, ſancti Marſi preſbyteri & confeſſoris, natione Romani. Daſii confeſſoris.* *Franciſci.* *Marſi.* *Daſii.*

MOLAN. De Criſpo & Cajo, poſt *ſcribens*, aliis litteris interjicit: *Cujus Gaii meminit idem* *De Caio.*

Apo-

Apoſtolus ad Romanos: Salutat vos, inquit, Gaius hoſpes meus & univerſæ eccleſiæ. Cujus beatus Joannes, epiſtolam ſcribens, meminit ita: ſenior Gaio chariſſimo, quem ego diligo in veritate. In fine de Aurea, addit verba MUNERATI, de Franciſco, verba BELINI refert, ſolum addens poſt *deductus, anno Dominicæ Incarnationis* M CC XXVI. &, *Cujus vitam inclytam, miraculis plenam deſcribit Bonaventura. Item Treveris, Thirſi & ſociorum ejus, ſub Rictiovaro præſide.* Tum typis minoribus de Quintino, ut ſupra. Succedunt deinde ſequentia: *Baptiſta Mantuanus in Faſtis Eccleſiaſticis lib.* 10:

Hæc eadem tibi Petroni, celeberrime gentis
Flamminiæ princeps, lux eſt ſacrata tuarum,
Felſina quæ quondam Thuſci caput eſſe ſolebat
Imperii, laudum ſervat monumenta; fuiſti
Et pater & paſtor tantæ digniſſimus urbis &c.

De Franciſ.

De Trevir.

Hactenus prima & purior editio. In poſterioribus ſancti Franciſci annuntiatio litteris Italicis ponitur primo loco. De Caio adduntur, quæ ſupra. In fine de Aurea & Thyrſo, etiam ut ſupra. Tum: *Bononiæ, ſancti Petronii epiſcopi & confeſſoris.* Sequitur de Quintino, ut in prima. Dein: *Virduni, ſancti Magdalvei epiſcopi & confeſſoris eximii.* Jam ſupra non ſemel diximus legendum eſſe *Madelvei. Die quarta, ſancti patris Hierothei epiſcopi Athenarum.* Vide notulam Caſtellani, quæ ſi vera eſt, & hîc & in Romano delendus erit.

De Petronio

Madelvei.

Hierothei.

III *Non.* *Die* 5.

APud Siciliam, natalis ſanctorum martyrum Placidi, Euticii, & aliorum triginta. In Eumenia, beati Traſei epiſcopi, apud Smirnam martyrio conſummati. In Galliis civitate Valentia, ſancti Apollinaris epiſcopi, cujus & vita virtutibus inſignis fuit, & mors nihilominus ſignis & prodigiis decoratur. Autiſiodoro, depoſitio ſanctorum Germanorum Firmati diaconi, & Flavianæ virginis.

Placidi & ſociorum. Thraſeæ.

Apollinar.

Firmati & Flavianæ.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverpien-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Syciliam* ſcribit ſolus Praten; ſolus Antverp-maj. *Ciciliam.* In Antverpien. eſt *Placiti*, ut Hieronymiana aliqua habent; Max-Lubec. mendis ſcriptoriis plena eſt. *Eutychius* varie effertur, relîqui *Euticii*, pluralitate ſuffragiorum, nempe Roſweydi, Greven. Tornacen. &c. Praten. habet *Eutichii*, Herinien. *Euthici*, Antverpienſes *Eutici*, Munerat. *Ethici*, ſolus Molan. recte. Idem recurrit in *Thraſeæ*, cujus nomen efformavi ex Praten. Herinien. Greven. & Molan. Apud alios eſt *Traciæ*, *Tarſeæ*, *Tharſeæ*, *Tranſeæ* &c. Rurſus *Smirnam* ſcripſi ſimpliciter ex omnibus ferme codicibus, excepto Pratenſi & item Molan. Lego, *cujus & vita virtutibus* &c. contra quam habeant Praten. & Herinien. qui omittunt particulam *et*, quam certum videtur Uſuardum ex Adone poſuiſſe, qui cetera omnia ex eo ſumpſit. Neſcio cur Greven. & Molan. ante *germanorum*, expunxerint *ſanctorum*, uti Roſweyd. ante *Thraſeæ*, delevit *beati.* De *nichilominus*, *dyaconi*, &c. nihil dicendum eſt.

OBSERVATIO. Codices Hieronymiani Lucenſis & Corbeienſis, tum Ms. tum ab Acherio vulgatus, diſerte legunt: *In Sicilia, Placidi*, vel *Placiti, Eutici & aliorum* XXX. Mutilus videtur Epternacenſis, dum ſolum notat: *Eutici & aliorum* VIII. Rabanus in nomine cum poſtremo convenit, in ſociorum anonymorum numero aliis ſubſcribit. Hîc jam varie ſe torquet Florentinius, ut *ſpiras, amfractus, ambages*, imo *labyrinthum errorum* complanet, qui ex Actis pſeudo-Gordianis emanarunt, quod quam eſſet difficile, ſatis perſpexit Baronius ad annum DXXIX num. 10 & alibi; fatentibus modo Benedictinis ipſis, fontem, ex quo Maurolycus, aliique hauſêre, turbidum prorſus & lutoſum eſſe: adeo ut Theodoricus Ruinartius in Appendice ad Apologiam miſſionis ſancti Mauri, non ita pridem edita, aliam plane viam iniverit ad ſalvandum *Placidi*, Benedicti diſcipuli cultum. Non alius occurrit modus expeditior, quam ſi *Placidus* alter ab altero diſtinguatur. Hoc certe indubitatum videtur, nullum antiquorum Martyrologorum, dum *Placidum*, *Eutychium* & ſocios anonymos memorant, vel per umbram cogitaſſe monachos ipſos, nedum Benedictinos fuiſſe, quod profecto, qui monachi & ipſi erant, inſinuare non neglexiſſent, ut paſſim faciunt; fruſtra hîc & ſubtimide reclamante Ruinartio. Factam interpolationem in Romano moderno (veroſimiliter ex Maurolyci Actorum compendio) obſervavit Caſtellanus, quæ ibi non ſemel ſubinde mutata eſt, ut patebit vel ſolas editiones Plantinianas conferenti. Belinus ſolum *Placidum* primus ipſe *Benedicti diſcipulum* fecerat, textum cetera intactum relinquens. Sed & hoc novitatis revincitur, cum in tanto codicum noſtrorum numero, quorum pars maxima à Benedictinis monachis exarata eſt, nec unus unicus reperiatur, in quo Uſuardi verbis vel ſyllaba adjecta ſit. Interim de *Placido* aut ſociis nihil legitur in Beda, Romano parvo, Floro aut Wandelberto.

Placidi & ſociorum.

delberto. Adonis verba describit Noster, Notkerus paululum contrahit. Porro Acta præfata *atrocibus mendis exonerare conati sunt* Acherius & Mabilio, de quibus videsis paucis Responsiones Papebrochii ad art. XI num. 238 & 239. Nos cetera loco proprio reservamus.

Thraseæ. De *Thrasea* sic primus hodie ex solito ductore Rufino lib. 5 cap. 24, meminit auctor Romani parvi: *Eumeniæ, Thraseæ episcopi, ad Smyrnam coronati, qui unus fuit ex antiquis.* Hæc ab Adone ex Eusebio nonnihil ampliata sunt, ex hoc iterum accepere Usuardus & Notkerus. Textus nostri verba, an ad Rufini sensum satis exacta sint, non plane constat, nam apud Eusebium aliter loquitur Polycrates, non asserens Thraseam martyrio consummatum *Smyrnæ*, sed *requiescere* vel *requievisse*, κεκοίμηται, ubi Rufinus simpliciter vertit *consummatus.* Sed de his plura alibi.

Apollinar. Præcedit in Viennensi *Apollinaris* cum elogio, quod verbatim in textum nostrum translatum est; à Notkero, ut proxime superius, modice decurtatum. Nonnulla de hoc Sancto edidit Surius, sed certiora ex aliis monumentis suo tempore producemus. Apollinarem ex Hieronymianis ab Adone desumptum existimo, ex quibus

Firmati & Flavianæ. etiam in Rabanum purius transivit, cum annuntiatione ultima de *germanis Autissiodorensibus.* Utrum vero Florentinius pro suo arbitrio recte *hos cælites ex additis à Gallico antiquario agnoscat*, mihi satis compertum non est, quemadmodum nec satis intelligo, cur ultimam hanc annuntiationem, à Mosandro positam, Rosweydus Adoni abjudicaverit, utpote qui hanc æque ac proxime superiorem ex Hieronymianis unà desumere potuit. Conjicit Castellanus, *Flavianam* hanc mutatam in *Flaviam* (sicuti aliàs vocatur) accessisse martyribus Siculis, inter quos etiam frater ejus *Firmatus*; uti *Victorinus* & *Faustus*, qui in Hieronymianis apographis expresse cum particula *alibi* ponuntur. Nescio cur in ultima Martyrologii Romani editione Plantiniana anni MDCCI, *Firmatus* Autissiodorensis appelletur *Firmanus.* Hæc in præsentiarum sufficiant. At quid sibi vult Wandelbertus, hos de Apollinare versus pangens, qui ad XXIII Julii potius remitterentur, quamvis & ibi Apollinarem memoraverit.

Ternas tum Nonas Apollinaris honorat
Præsul, templa frequens cujus Ravenna coronat.

AUCTARIA.

TORNACEN. Ad puros accederet, nisi deessent verba illa; *apud Smyrnam martyrio consummati.*

PULSANEN. In duabus primis annuntiationibus purus est, contra vero in duabus postremis plane deficit.

ANTVERP MAX. & LOVANIEN. In prima, tertia & quarta puri, sic secundam efferunt: *Apud*

De Thrasea *Smirnam, sancti Traceæ Eumenienses episcopi & martyris, cujus meminit quintus liber Ecclesiasticæ historiæ.* Vide in seqq. textum Adonis.

ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERGEN. & DANIC. Idem habent augmentum, sed ei insuper

De eodem. adjungunt: *Hic unus ex antiquis, quasi ex traditione priorum, se asseruit accepisse, Salvatorem Apostolis præcepisse, ante annum duodecimum ab Hierosolymis ne discederent.* Quæ sunt verba Adonis, accepta ex Eusebio lib. 5 cap. 18.

CENTULEN. *In Gallis civitate Valentia, sancti*

Textus contractus. *Apollinaris episcopi & confessoris. Apud Siciliam, sanctorum martyrum Placidi, Euthicii & aliorum* XXX. *Antisiodoro, sanctorum Firmati diaconi, & Flaviæ virginis Deo sacratæ.* Observa, hîc *Flaviæ* legi, non *Flavianæ.*

BRUXELLEN. In prima purus, secundam sic format: *Apud Eumeniam vel Smirnam, beati Traseæ episcopi & martyris, cujus meminit.....* ut supra ULTRAJECT. &c. In tertia constructionem modicè transposuit. In ultima purus est.

HAGENOYEN. In prima purus, in secunda fere similis est etiam ULTRAJECT. &c nisi quod Thraseam faciat *confessorem*, simul & *martyrem.* In tertia & quarta, satis purus est. In fine refert quæ ad diem præcedentem pertinent: *Parisiis*

Aureæ. *civitate, depositio sanctæ Aureæ virginis.* Vide ibi.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Placidi & Euticii cum aliis* XXX. *Firmati diaconi & sororis ejus.*

IN VATICAN. signato num. 5949. Deest annuntiatio ultima de Autissiodorensibus.

FLORENTIN. *Ravennæ, sancti Marcelli* [aliàs *Marcelli.* *Marcellini*] *ejusdem civitatis episcopi & confessoris. In Iconio, beati Traseæ episcopi.* De Marcellino Ravennate, vide Surium.

ABDINGHOFFEN. *Eodem die, sancti Meinulfi confessoris*, alii legunt *Magenulfi.* Vide Surium.

EDITIO LUBECO-COL. *Colonia Agrippina, translatio sanctissimi patris Severini, ejusdem civi-* *Translat.*
tatis archiepiscopi & confessoris. Quæ angelica am- *Severini.*
monitione per religiosos cives Colonienses, de Aquitania civitate Burdigala, in Coloniam facta est, ad ecclesiam sanctorum martyrum Cornelii & Cypriani, quam beatissimus Dei confessor Severinus à fundamentis erexerat, & in eorum honore in vita sua dedicaverat, ac conventum fratrum ibidem in Christi charitate instituerat. Cujus etiam translationem Deus, qui semper est gloriosus in Sanctis suis, novis miraculis decoravit, ut ejus corporis relationis gesta testantur. Treveris, passio sanctorum martyrum Palmacii consulis & patricii civitatis, cum unde- *Palmatii & sociorum.*
cim principibus, quos Rictiovarus præfectus urbis, ob confessionem nominis Jesu Christi jussit gladio plecti. Quorum principum nomina hæc sunt: Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Sother, Hermisda, Papirius, Constans & Jovianus, quorum corpora requiescunt ibidem in crypta, juxta corpus sancti Paulini episcopi & martyris. In territorio Paderbornensi, monasterio Bo- *Maynulfi*
decensi, depositio sancti Maynulphi diaconi & con- *Maynulfi*
fessoris. Sequitur textus, ut est in ULTRAJECT. &c. In fine: *Eodem die, beati Faustini confessoris.* *Faustini.*

BE-

BELIN. *Apud Siciliam, natale ſanctorum martyrum Placidi monachi, beatiſſimi Benedicti abbatis diſcipuli, Euticii & aliorum* XXX. In Apollinare & Autiſſiodorenſibus ſatis purus eſt. In finem rejicit: *In Iconio, beati Traſeæ epiſcopi, apud Smyrnam martyrio coronati.*

GREVEN. *Nota, Anthoninus parte 2 tit. 15* *De Placido.* *cap. 14 dicit, hunc Placidum diſcipulum fuiſſe ſancti Benedicti, quem Maurus ex aquis retraxerat, & in Siciliam miſſum ad curanda bona, quæ pater ipſius, monaſterio contulerat. Treveris, paſſio ſanctorum martyrum Palmachii conſulis ac patricii civitatis ipſius, cum undecim principibus, Maxentio, Conſtantio, Creſcentio, Juſtino, Leandro, Alexandro, Sothero, Hormiſda, Papirio, Conſtante & Joviniano. Quos omnes Richiovarus urbis præfectus, ob confeſſionem nominis Chriſti, gladio occidi mandavit.* *Palmatii & ſociorum.* *Tranſlat. Severini.* *Meynulfi.* *Eugſtini. Oſtriæ.* *Galliæ.* De tranſlatione Severini, habet ferme ut ſupra. Tum: *In Dioceſi Paderbornenſi, monaſterio Budicenſi, ſancti Meynulfi diaconi & confeſſoris. Qui tempore Karoli magni in fundatione Paderbornenſis eccleſiæ, vita & miraculis inclytus, beato fine quievit. Fauſtini confeſſoris. Oſythæ virginis & martyris.* Vide Surium & Caſtellanum die VII Octobr. *Galliæ nobiliſſimæ viduæ ſanctimonialis, de qua Greg. lib. 4 Dial. refert, quod cum viro viduatæ medici dicerent, niſi ad amplexus viriles rediret, barbas eſſet habitura, quod ita quoque factum eſt: illa nihil exterioris deformitatis timens, ad omnipotentis Dei ſervitium ſe tradidit, ſimplicitati cordis, orationi & eleemoſynarum largitionibus dedita, beato Petro Apoſtolo, ut eſt vulticus benigniſſimi, ſibi apparente, de ſeculo migravit.*

MOLAN. Aliis litteris poſt *Placidi*, textui *De Placido.* inſerit: *monachi beatiſſimi Benedicti abbatis.* In fine: *Item Treveris, ſanctorum martyrum Palmatii & ſociorum ejus, ſub Richiovaro præſide. Coloniæ, tranſlatio ſancti Severini epiſcopi.* *Palmatii & ſociorum.* *Tranſlat. Severini.* Tum typis minoribus de Meinulfo, ut GREVEN. Deinde: *Meinulfi.* *Galliæ, nobiliſſimæ viduæ ſanctimonialis, de qua Gregorius lib. 4 Dialogorum. Eodem die, natalis ſancti Attilani, epiſcopi Zamorenſis, quem vita functum Urbanus II Papa, in Sanctorum numerum retulit.* *Attilani.* Vide Surium. In editionibus aliis de Placido præterea additur famoſa hiſtoria Manuchæ piratæ, miſſi ab Abdala Hiſpaniæ rege, quem apud hiſtoricos Hiſpanos fruſtra quæſiveris. De Thraſea, *cujus meminit* &c. In fine, poſt *virginis*, additur *Deo ſacratæ.* De Palmatio, ut in priori. Tum: *Budicæ monaſterio, diœceſis Paderbornenſis, ſancti Meinulphi, diaconi & confeſſoris. Zamoræ, natalis ſancti Attilani epiſcopi, quem Urbanus II in Sanctorum numerum* *Charitines.* *retulit. Die quinta, ſanctæ martyris Charitines.* Vide Metaphraſten apud Surium hoc die.

Pridie Non. *Die 6.*

APud Capuam, natalis ſanctorum martyrum Marcelli, Caſti, *Marcelli & ſoc. or.* Emilii, & Saturnini. Eodem die, beati Sagaris martyris & *Sagaris.* epiſcopi Laodicenſis, qui unus fuit de antiquis Pauli Apoſtoli diſcipulis. Civitate Agenno, natalis ſanctæ Fidis virginis & martyris, *Fidis.* cujus exemplo beatus Capraſius ad agonem martyrii animatus eſt.

Sumitur ex *Praten. Herinien. Tornacen. Munerat. Greven.* & *Molan.* Item ex *Antverp-max. Ultrajectin. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. Omnes ſimpliciter ſcribunt *Emilii*, excepto ſolo Molano, qui *Æmilii.* Tornacen. pro *beati* Sagaris, legit *ſancti.* In apographo noſtro Pratenſi habetur *Laudicenſis*, forte ex amanuenſis errore; certe nec *Laudicenſis* valet, nec *Laudunenſis*, ut habet Munerat. cum certum videatur, ibi epiſcopum fuiſſe ubi mortuus eſt, nempe *Laodiceæ.* De eo ſic habet Munerat: *Qui fuit unus de diſcipulis beati Pauli Apoſtoli.* Sunt inter codices mediæ notæ, in quibus legitur *Aginno*, item *Agynno*; noſtra lectio antiquior eſt, an purior & verior, non diſputo.

OBSERVATIO. Tota hodierna tabula integre & ad verbum Adoniana eſt, à Notkero etiam deſcripta, cum hoc tamen diſcrimine, quod Noſter *Fidem* virginem ab *Marcelli & ſociorum.* Adone & Notkero, ſecundo loco poſitam, in tertium rejecerit. De *Capuanis martyribus* ſilent Beda, Romanum parvum, Florus & Wandelbertus. Rabanus ſolum legit: *In Apulia, Caſti & Emili.* Annuntiatio noſtra ab Adone ex Hieronymianis primitus videtur accepta, ubi totidem fere verbis legitur: *In Capua, natalis ſanctorum Marcelli, Caſti, Emili, Saturnini*: atque in nonnullis apographis hoc ipſo die inferius repetuntur: *In Apulia, Caſti, Emili, Saturnini* &c. Alia aliter efferunt. Diſcordias componere conatur Florentinius, quibus hîc diutius immorari non vacat. Satis plauſibilis eſt conjectura Baronii, ſumpta ex ſimilitudine nominum Caſti & Æmilii Africanorum de quibus egimus XXII Maii, quidquid contra inſurgat Ferrarius. At hæc ſuo loco uberius expendentur. Secunda annuntiatio ex Rufino, ni fallor, accepta, ſic ponitur in Romano parvo: *Sa-* *Sagaris* *garis epiſcopi Laodicenſis, de antiquis Pauli Apoſtoli diſcipulis.* Nihil magnopere addidit Viennenſis præſul, præter titulum *martyris*, quem ei ſuggeſſit Polycrates in citata, die præcedenti, epiſtola ad Papam Victorem, de controverſia obſervationis Paſchatis apud Euſebium lib. 5 cap. 24, ubi ille *Sagarim* pro Aſiaticæ conſuetudinis antiquitate adducit, mortuumque aſſerit Laodiceæ, eum Thraſeæ, de quo pridie egimus, ſubjungens;

neutrum autem, utut antiquum, Apoſtoli Pauli diſcipulum, ſaltem eo loci prædicari video.

Fidis. *Fidis*, non *Fidei* virginis diſertiſſime meminerunt Hieronymiana, Ado, Uſuardus, & Notkerus, ſub eadem inflexione; ſolus Rabanus legit *Fidei*; at *Fidem* in *Felicem*, *Agennum* in *Genuam* mutaſſe videtur Epternacenſis codicis ſcriptor Laurentius. Ceterum Acta ejus à pluribus vulgata ſunt, noviſſime à Labbeo tomo 2 Bibliothecæ Ms. à pag. 528, à Tillemontio ſatis accurate expenſa tomo 4 à pag. 543, & rurſus in notis à pag. 752, ubi ea quæ ad Capraſium & Vincentium, Agiinnenſes itidem martyres ſpectant, unà conjungi monuimus in Obſervatione noſtra ad IX Junii. Hîc locus non eſt Tillemontii criticam aut examinare aut refellere, cum hæc omnia à nobis ſuo tempore diligentius illuſtranda ſint. Sic Fidem noſtram metro unico cecinit Wandelbertus:

Virgo Fides pridie hinc felici morte triumphat.

AUCTARIA.

Romani. Tranſlat. Hugonis. ANTVERP-MAJ. Textui ſatis puro in fine ſuperaddit: *Antiſiodoro, ſancti Romani epiſcopi & martyris. Eodem die apud Lincolniam, tranſlatio ſancti Hugonis epiſcopi & confeſſoris.*

Romani. ROSWEYD. In textu purus, ſubdit: *Antiſiodoro, Romani epiſcopi & martyris.*

PULSANEN. In duabus primis purus eſt, deficit in tertia, quod huic codici familiare eſſe alibi non ſemel notavimus.

Balbinæ. ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Hoc habent principium: *Romæ, ſanctæ Balbinæ virginis.* Cetera puri ſunt. Crediderim ex aliquo codice Hieronymiano, ubi hoc die ſignatur, Balbinam huc fuiſſe intruſam. Videatur notatio Florentinii. De ipſa egimus XXXI Martii. Codex UGHELLIAN. videtur legere *Sabinæ*; ut alii infra.

Brunonis. HERINIEN. In textu puriſſimus, in margine minori & recentiori calamo adjectum exhibet: *In Calabria, depoſitio beati Brunonis confeſſoris, primi inſtitutoris Ordinis Cartuſienſis.*

Textus mutilus. CENTULEN. *Apud Capuam, ſanctorum Marcellini, Caſti, Emilii & Saturnini. Civitate Agenno, paſſio ſanctæ & glorioſæ Fidis virginis, cujus exemplo beatus Capraſius, ad agonem martyrii animatus eſt.*

Romani. *Antiſiodoro, ſancti Romani epiſcopi & confeſſoris.*

Oct Mich. Balbinæ. BRUXELLEN. Incipit: *Octava beati Mychaëlis archangeli, patroni hujus eccleſiæ.* Sequitur textus purus. In fine: *Romæ, ſanctæ Balbinæ.*

Abraham. HAGENOYEN. Multa coacervat de patriarcha Abraham, quæ hîc non vacat deſcribere. Vide infra IX Octobris. Sequuntur martyres Capuani, pure. Inde: *Romæ, ſanctæ Balbinæ virginis. Eodem die, ſancti Sygaris epiſcopi Laodicenſis & martyris.* De Fide, nihil.

Balbinæ.

Rogati. AQUICINCT. In fine: *Item ſancti Rogati.* Quis hic Rogatus ſit, ſive martyr, ſive confeſſor, ſive epiſcopus, necdum ſcio.

Romani. DAVERONEN. *Antiſiodoro, depoſitio ſancti Romani epiſcopi.*

Capraſii. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Fidis virginis & martyris. Capraſii martyris, qui exemplo Fidis virginis martyrium pertulit.* Vide XX Octobris. *Marcelli, Caſti, Æmilii & Saturnini martyrum.*

Brunonis. In margine notatum habetur: *Eſt dies S. P. N. Brunonis, & tamen omiſſus, unde antiquitatem & ſinceritatem hujus Kalendarii animadvertere licet.* Verba ſunt amanuenſis, qui codicem tranſcripſit.

Rogati. CLUNIACEN. & CODEX D. DU CHEVAL ſignatus C. *Item Rogati.* Vide ſupra.

Renati. VATICAN. ſub num. 5949. Addit: *Apud Surrentum, ſancti Renati confeſſoris.* Adde *epiſcopi.*

ALTEMPS. *Item Rogaci martyris.* An *Rogati?*

FLORENTIN. *In Judæa, civitate Ebron metropoli, depoſitio ſanctorum patriarcharum Abrahæ, Iſaac & Jacob. Quorum corpora in eadem eccleſia, in ſpelunca duplici, divina revelatione inventa ſunt à Latinis Canonicis ejuſdem eccleſiæ, anno Domini* MCXX. *Romæ, ſanctæ Sabinæ virginis.* MEDICÆUS codex forte melius legit, *Balbinæ.* *Abrahæ, Iſaac &c.* *Sabinæ.*

Romani. REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Antiſſiodori, ſancti Romani epiſcopi & confeſſoris.*

Oct. Mich. &c. Martyrum Trevirens. EDITIO LUBECO-COL. *Octava ſancti Michaelis & omnium angelorum. Treveris, paſſio innumerabilium martyrum à præfecto urbis Rictiovaro occiſorum, [qui] in plebem utriuſque ſexus & ætatis, eadem pro nomine Chriſti exercuit. Pauci vero Chriſtiani qui hujus procellas fuga declinaverunt, poſtquam aliquantulum perſecutio ceſſavit, horum martyrum corpora partim ſepulturæ tradiderunt & quemdam ingentis capacitatis puteum, vetuſtate neglectum, & aquis exhauſtum, eorumdem martyrum oſſibus impleverunt: in quo puteo ſuper oſſa martyrum, ſanctus Athanaſius Alexandrinus epiſcopus, ſex annis incognitus latitavit, in quo loco monaſterium ſancti Maximini dedicatum eſt, in cujus crypta in eodem puteo corpora ipſorum martyrum &c. requieſcunt.* In Capuanis pura eſt. Fidem paſſam ait, *ſub Daciano præſide Hiſpaniarum.* Tum: *Item apud Agennum, civitatem Galliæ, paſſio ſancti Capraſii martyris, qui exemplo beatæ Fidis virginis prædictæ, ad Agonem martyrii animatus eſt.* Jam diximus coli XX Octobris. In Sagari, ſatis pura eſt. Sequitur: *Eodem die, ſancti Rogati martyris. Antiſiodoro, ſancti Romani epiſcopi & confeſſoris. In Angliâ villa Lincolme, tranſlatio ſancti Hugonis, epiſcopi & confeſſoris, Ordinis Cartuſienſis. Item ipſo die, memoria ſanctorum patriarcharum Abraham, Iſaac & Jacob. In monaſterio Schonaugia, tranſlatio ſanctorum Ceſarii & Verenæ virginis & aliorum ſociorum eorum martyrum, de ſocietate undecim millium virginum.* *De Capraſio* *Rogati.* *Romani.* *Tranſlat. Hugonis.* *Abrah. &c.* *Tranſlat. Cæſarii &c.*

Balbinæ. Rogati. BELIN. In prima editione incipit: *Romæ ſanctæ Balbinæ virginis.* In ſecunda ad finem adjicit: *Item ſancti Rogati epiſcopi.* Cetera textus purus, ſed in ſcriptione mendoſus eſt.

Oct. Mich. &c. De Patriarc. Raphaëlis. Eskilli. De Trevir. Primi & Feliciani. Gangulfi. Romani. GREVEN. *Octavæ ſancti Michaelis & omnium beatorum ſpirituum.* De Patriarchis, ut EDITIO LUBECO-COL. *Raphaëlis archangeli apud aliquos hîc ſervatur memoria. In Swecia, Eſkilli epiſcopi & martyris.* De Treverenſibus paulo ſuccinctius quam ſupra. *Item ſanctorum Primi & Feliciani, qui cum beata Fide paſſi referuntur.* Vide IX Junii. *Secundum Cathologum hîc paſſio ſancti Gangulphi martyris, qui ſupra habetur* III *Id. Maii. Antiſiodoro, depoſitio ſancti Romani epiſcopi*

Dulcidii. De Brunon.

ſcopi & confeſſoris. Dulcidii, epiſcopi Agennenſis. In Calabria, depoſitio ſancti Brunonis confeſſoris. Qui ex Colonia Agrippinenſi claris ortus natalibus, litteris tam ſecularibus quam divinis apprime eruditus, doctorque famoſus, eccleſiæ Remenſis canonicus, honeſtatis & gravitatis ac totius maturitatis quaſi quoddam ſimulachrum, relicto ſeculo cum aliis ſex ejuſdem propoſiti viris (terrifico illo caſu apud Parisios defuncti cujuſdam, ſe accuſatum, judicatum, deinde etiam damnatum clamantis, ſalubriter exterritis, jamque divino amore ardentibus) heremum Carthuſiæ, ubi per id tempus ſanctus Hugo Gracianopolitanus epiſcopus Deum viderat dignationi ſuæ habitaculum conſtruentem, ſtellaſque ſeptem ducatum ſibi itineris præſtantes (erant quippe & hi numero ſeptem) ingreſſus, monaſticæ converſationis propoſitum ſatis arduum, religionem videlicet Carthuſienſium inſtituit anno Domini MLXXXIV. *Verum ab Urbano Papa II, cujus olim præceptor fuerat, evocatus, Romam adire & ſummo Pontifici in eccleſiaſticis negociis aſſiſtere cogitur. Sed Curiæ non ferens ſtrepitus, ſpreto archiepiſcopatu Reginenſi, ad quem electus fuerat, relictæ ſolitudinis & quietis amore flagrans, in Calabriæ heremum ſeceſſit; ubi multis fratribus adunatis, in maximæ ſanctitate & auſteritate degens, primi quoque monaſterii, id eſt Carthuſiæ heremi, ſollicitudinem gerens, vita & miraculis clarus, quievit in pace anno Chriſti* MCI *in die Dominica.* De Schonaugienſibus, & tranſlatione ſancti Hugonis Lincolnienſis, ut ſupra in EDITIONE LUBECO-COL. In fine : *Babillæ virginis.*

Tranſlat. Hugonis. Babillæ.

MOLAN. *Romæ, ſanctæ Balbinæ virginis. Depoſitio Romani Antiſiodorenſis epiſcopi. Item, ſancti Rogati epiſcopi. In Calabria, depoſitio ſancti Brunonis confeſſoris, primi inſtitutoris Ordinis Carthuſienſis.* Tum minoribus typis : *Quem Leo X ſanctorum Catalogo aſcripſit.* De Eskillo & martyribus Trevirenſibus GREVENUM deſcripſit. In editionibus aliis, Brunonem primo loco aliis litteris collocat. In fine de Romano & Balbina, ut ſupra. Tum : *In Galliis, ſanctæ Emmiæ virginis, filiæ Clodovei regis, eximiæ ſanctitatis.* An non melius vocetur *Enimia*, vide Martyrologium Caſtellani. De martyribus Trevirenſibus dictum eſt ſatis, hic eorum elogium contrahitur.

Balbinæ. Romani. Rogati. Brunonis. Eskilli. De Trevir. Emmiæ.

Nonis *Die 7.*

ROmæ via Appia, depoſitio beati Marci Papæ. Apud provinciam, quæ nuncupatur Auguſta Euphrateſia, ſanctorum martyrum Sergii & Bachi, ſub Maximiano imperatore; quorum Bachus tam diu nervis crudis eſt cæſus, quoaduſque totus corpore diſciſſus in confeſſione Chriſti emitteret ſpiritum : Sergius vero clavatis coturnis pedibus indutus, cum in fide fixus maneret, datâ ſententiâ, juſſus eſt decollari. Item apud eamdem provinciam, ſanctæ Juliæ virginis, quæ ſub Marciano præſide martyrium conſummavit. Eodem die, ſanctorum martyrum Marcelli & Apulei, qui per Apoſtolum Petrum, relicto Simone, Apoſtolicæ doctrinæ ſe tradiderunt, ac poſtmodum ſub Aureliano conſulari, martyrii coronam reportarunt, ſepulti non longe ab urbe Roma.

Marci PP. Sergii & Bacchi. Juliæ. Marcelli & Apulei.

Ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Praten. cum ſolitis duobus comitibus Antverp-maj. & Roſweyd. differt à reliquis omnibus; quod annuntiationem Marcelli & Apulei ponat ſecundo loco. Molanus pro *beati* Marci, habet, *ſancti.* Roſweyd. ei tribuit titulum *martyris.* Solus Praten. ante *Euphrateſia*, omittit *Auguſta.* Ceterum ſcribo *Eufrateſia, Bachi, coturnis, Apulei* &c. ex communi codicum enuntiandi ratione. In Antverp. & Max-Lubec. ante *Sergii*, deeſt *martyrum.* Molan. voces tranſpoſuit, *tamdiu eſt nervis crudis cæſus.* Rurſus loco *Marcelli*, poſuit *Marci*, quod in poſterioribus editionibus correctum eſt. Praten. Antverp-maj. Roſweyd. & Munerat. ſcribunt *Symone.* Roſweyd. præterea cum Antverp. & Max-Lubec. addit *Mago.* Antverp-maj. præter plurima ſcriptoria ſphalmata, ut *Bachii, Bacus, diſciſus, confeſcione* &c. peculiare habet, cur ferme à puris excludi debuit; legit enim cum Adone, *Aureliano conſulari viro ſententiam ferente.*

OBSERVATIO. Hodierni laterculi eadem eſt quæ heſterni origo, tranſlatio videlicet totius textus ex Adone, quem Uſuardus & Notkerus hîc de more ſecuti ſunt, ille ex Romano parvo Sanctos omnes accepit. *Sanctus Marcus Papa* apud Bedam legitur, *Lino* itidem Papæ conjunctus, unde veroſimiliter profluxit Wandelberti verſiculus, quo ſimul uterque non ſatis metrice prædicatur : *Pontifices nonas Linuſque Marcuſque retentant.* Inter Hieronymiana diſtinctius loquitur vetuſtiſſimum Epternacenſe, his verbis : *Romæ, depoſitio Marci epiſcopi.* In aliis apographis varia conjunctio & confuſio eſt, multaque im-

Marci.

implexa occurrunt, quibus explicandis non parum desudat Florentinius. Romanum parvum, Bedæ non absimile, ponit: *Romæ, Marci Papæ.* Breve elogium texuit Ado, in quo Notkerus aliquid mutare voluit. Noster solam positionem determinavit. Quid de Marco tradant Pontificalia, videri potest in veteribus Catalogis tomo 1 Aprilis præfixis, ex quibus paucula desumpsit Fronto, in hodierna sua notula ad Kalendarium, in quo signatur hoc modo: *Mense Octobri die* VII, *natale S. Marci*; distinctius in Allatiano & Sacramentario Gregorii: *Nonis Octobris, natale S. Marci Papæ.* Quibus abunde stabilitur vetustissimus sancti hujus Pontificis in Ecclesia cultus; nec plura quæ ad vitam aut gesta pertineant, reperit Tillemontius tomo 7 pag. 268.

Sergii & Bacchi. *Julia*, *Sergius* & *Bacchus* in codicibus Hieronymianis, Romano parvo, Adone & Notkero sub una annuntiatione conjunguntur, de qua observari multa possent, sed ne actum agam, ad Florentinii notationem lectores remitto. Actorum compendium satis eleganter concinnavit Ado; an ex fonte puro & sincero, non ausim asserere. Agnovit Baronius ad annum CCCIX, numero ultimo, aliqua esse emendanda: sunt qui plane rejiciant tamquam à Metaphraste, ut apud Surium exstant, aut interpolata aut corrupta; inter quos Tillemontius tomo 5 à pag. 491 satis habuit ea diligenter colligere, quæ ad vetustum & celebrem eorum in universa Ecclesia cultum pertinent; nos hîc ea omnia intacta relinquimus, suo loco discutienda. Usuardus *Juliam* à duobus aliis sejunxit, ex uno geminos distinguens articulos, & utrumque Adonianis verbis componens. Atque hoc etiam fecit in annuntiatione ultima, quam nimium contrahens, paulo obscuriorem reddidit. Utrum *Marcellus* & *Apuleius* ad Hieronymiana spectent, collige ex Florentinio, perperam asserente, Usuardum pro *Marcelli*, scribere *Marci*, quod procul dubio legerit in prima Molani editione, de qua superius locuti sumus. Nitide ambos annuntiat Romanum parvum: *Marcelli & Apuleii, qui primo adhæserunt Simoni Mago, deinde Apostolo Petro: sub Aureliano consulari viro, martyrio coronati.* Plura Adonis, ex quo nostra, ut dixi, desumpta sunt; sed qua fide ea omnia narrentur, alibi statuemus. Totam historiam improbant, qui Acta sanctorum Nerei & Achillei, item Processi & Martiniani non admittunt. Vide Tillemontium tomo 1 pag. 189 & 538. Interim pro antiquo cultu cum Martyrologiis stat Sacramentarium Thomasii, in quo pag. 174 diserte leguntur orationes, *in natal. sanctorum Marcelli & Apulei Non. Octob.*

Julia.

Marcelli & Apuleii.

AUCTARIA.

TORNACEN. Purissimus esset, nisi post *Maximiano imperatore*, reliquum elogii rescinderet.

PULSANEN. Eodem defectu laborat, quo TORNAC., sed præterea expungit omnia post *Juliæ virginis*, & post *Marcelli & Apuleii.*

Invent. Caletrici. GREVEN. Peculiari augmento hodie à puritate deficit, nempe addendo in fine proprium loci, cujus aliquando fuit: *Civitate Carnotis, inventio corporis sancti Caletrici, ipsius civitatis episcopi.*

De Marco. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Tantum non puri sunt, cum solum differant in annuntiatione prima, apud ipsos ita expressa: *Romæ via Appia, cimiterio Balbinæ, depositio sancti Marci Papæ & confessoris.* Julia non ponitur immediate post Sergii & Bacchi, sed ultimo loco, repetita positione.

LOVANIEN. Cum hisce convenit, sed expungit totum elogium Sergii & Bacchi.

ALBERG. & DANIC. In eo ab aliis recedunt, quod Sergium & Bacchum habeant primo loco, & Marcum penultimo.

Textus mutatus, & contract. CENTULEN. *Romæ, sancti Marchi Papæ & confessoris. Qui sedit in pontificatu annos tres, menses octo, dies viginti. Item Romæ, sanctorum martyrum Marcelli & Apulei. Qui primum quidem adhæserunt Symoni mago, sed videntes mirabilia, quæ contra eum fiebant per Apostolum Petrum, relicta spurcitia Symonis, sinceritatem fidei perceperunt. Apud provinciam, quæ nuncupatur Augusta Eufratesia, sanctorum Sergii & Bacchi martyrum. Item apud eamdem provinciam, S. Juliæ virginis & martyris.* In duabus primis textum auget, hîc corripit.

BRUXELLEN. *Romæ via Appia, depositio sancti Marci Papæ & confessoris. Qui constituit ut symbolum fidei in Missa alta voce cantetur, & apud sanctum Petrum in cimiterio Balbinæ sepultus est.* Sequitur de Marcello & Apuleio. Tum de Sergio & Baccho. Item de Julia, satis pure. In fine: *Apud civitatem Bituricas, depositio beati Augusti presbyteri & confessoris.* *De Marco.* *Augusti.*

De Sergio & Baccho. HAGENOYEN. Incipit à Marcello & Apuleio, in quibus parum abest à puritate. De Sergio & Baccho multa commiscet, quæ purius in Adone invenies. Hoc notandum, quod eos martyres *translatos* asserat *in Wittenburg oppidum.* In Julia, modice interpolatus est. Demum: *Romæ via Ardeatina in cymiterio Balbinæ* [erratur hîc æque ac in BRUXELLENSI,] *depositio sancti Marci Papæ. Hic tricesimus quintus erat à beato Petro Apostolo, & successor sancti Silvestri fuit, & sedit sub Constantino imperatore magno, undecim annis & mensibus octo, & constituit, ut Hostiensis episcopus Papam consecrare debeat & pallio utatur, & obiit in pace.* Vix mensibus totis novem Apostolicam sedem tenuit. *De Marco.*

AQUICINCT. Post *Marci Papæ*, adjicit: *Hic constituit, ut episcopus Ostiæ, qui consecrat episcopos urbis, pallio uteretur.* Hæc proxime superius dictis satis consentanea sunt, ferme ex Notkero aut ex Tabulis Pontificiis accepta.

Lini. VICTORIN. & REG. SUEC. signatus num. 130. *Item sancti Lini Papæ.* Nescio unde in hos duos codices hæc annuntiatio irrepserit. Vide Usuardum XXVI Novembris, & quæ diximus XXIII Septembris sub finem Observationis.

MA-

Textus contractus. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Marci Papæ & confeſſoris. Sergii, Juliæ virginis, & Bacchi martyris. Marcelli & Apulei martyrum.*

Lini. In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Juliæ*. Adjicitur: *Romæ, ſancti Lini Papæ & martyris.*

Oſithæ. ALTEMPS. *Apud Orientales Saxones, paſſio ſanctæ Oſithæ virginis & martyris. Cujus caput à Danis exſectum, ipſa martyr illud aſſumpſit, ac de loco in locum portavit.*

De Marco. Juſtinæ. FLORENTIN. *Sancti Marci Papæ.... Et jacet nunc Florentiæ in eccleſia ſancti Laurentii. Apud civitatem Paduanam, ſanctæ Juſtinæ virginis & martyris.* Vide infra.

Palladii. BURDEGALEN. *Xantonas civitate, ſancti Palladii epiſcopi & confeſſoris.* Memoratur à Sauſſayo & aliis, ſed mirum eſt à Caſtellano in Martyrologio univerſali prætermiſſum.

Except. Prudentii. BIZUNTICEN. & SALINEN. Franciſcanorum. *In Bezua cœnobio, exceptio corporis ſancti Prudentii martyris.*

Helani. REMENS. SS. Timoth. & Apoll. *In pago Remenſi, vico qui vocatur Buxioſus, depoſitio ſancti Elanii presbyteri & confeſſoris.* Romanum modernum & alii melius ſcribunt *Helani.*

De Marco. Oſgidæ. Juſtinæ. EDITIO LUBECO-COL. In Sergio & Baccho, nonnihil interpolata eſt; purior in Marcello & Apuleio. Tum: *Romæ via Ardeatina, in cimiterio Balbinæ, depoſitio ſancti Marci Papæ & confeſſoris. Qui ſedit in epiſcopatu annis duobus, menſibus octo, diebus decem.* In Julia ſatis pura eſt. *Ipſo die, beatæ Oſgidæ virginis. Apud Baduam, ſanctæ Juſtinæ nobilis virginis & martyris, quæ cum ibidem juſſu Maximiani imperatoris nollet idolis immolare, gladio per latus percutitur, & orans migravit ad Chriſtum ſponſum ſuum. Item, tranſlatio ſancti Wolfgangi epiſcopi & confeſſoris, & canonizatio ejuſdem. Eodem die, canonizatio ſanctæ Brigittæ viduæ.*

Tranſlat. Wolfgangi. Canonizat. Birgittæ.

Juſtinæ. BELIN. Incipit: *Apud Paduam civitatem, ſanctæ Juſtinæ virginis & martyris.* Sequitur textus non omnino caſtigatus. Altera editio in fine de ſuo adjungit: *Ipſo die, beatiſſimi Lini Papæ.*

Lini PP.

Syſai. GREVEN. *Syſai epiſcopi & confeſſoris. Bituricas civitate, depoſitio ſancti Auguſtalis epiſcopi. Tranſlatio & canonizatio Wolfgangi epiſcopi Ratiſponenſis & confeſſoris. Octava ſancti Hieronymi presbyteri & Doctoris, Eccleſiæ Romanæ Cardinalis. Qui lingua Hebræa, Græca, Latina & Chaldaica eruditus, ab urbe Roma propter æmulos ſecedens, Hieruſolymis à Cyrillo epiſcopo locum præſepis Domini obtinuit. Ubi poſt multa heremi loca peragrata, conſtructo monaſterio, cœpit cum ſuis vivere ſecundum regulam à ſanctis Apoſtolis inſtitutam, tandemque poſt multos pro Eccleſiæ utilitate ſudores, obdormivit in Domino, anno Domini CCCCXXIII. Patavi, ſanctæ Juſtinæ virginis & martyris. Quæ regali orta progenie, cum ad juſſum Maximiani nollet idolis immolare, gladio latus tranſfixa, martyrii gloriam adepta eſt. Jothæ abbatiſſa. Ipſo die, Oſgidæ virginis. Item canonizatio ſanctæ Brigittæ viduæ.* Malo legere *Birgittæ.*

Auguſtalis. De Wolfg. Oct. Hieron. Juſtinæ. Jothæ. Oſgidæ. De Birgitt.

MOLAN. *Apud Paduam civitatem, ſanctæ Juſtinæ virginis & martyris. Carnoti, inventio corporis ſancti Caletrici, ipſius civitatis epiſcopi. In pago Remenſi, vico qui vocatur Buxiolus, depoſitio ſancti Helani presbyteri & confeſſoris. Romæ in eccleſia ſancti Petri, canonizatio beatæ Brigittæ viduæ per Bonifacium IX, pontificatus ſui anno ſecundo. Qui ſolemnem edidit libellum, quo dictam Chriſti ſponſam, tamquam viduam ſanctam in Eccleſia Chriſti, authoritate Apoſtolica perpetuis temporibus præcepit venerari.* In editionibus aliis de Sergio & Baccho inſeruntur textui ex Adone, charactere Italico, *primicerius & ſecundicerius ſcholæ gentilium.* In fine, de Juſtina & Helano, ut ſupra. Tum: *Bituricas, Auguſti presbyteri & confeſſoris.* De inventione Caletrici Carnotenſis & canonizatione beatæ Birgittæ, omnia ponuntur ut in prima editione. Demum minoribus typis, adjicitur: *Tolozæ, inventio ſanctorum confeſſorum, Silvii, Hilarii & Honorati epiſcoporum, & Pappoli epiſcopi & martyris.* Neſcio unde hæc accepta ſint; ceterum Papulus inventus dicitur menſe Octobri anno MCCLXV.

Invent. Silvii &c.

Juſtinæ. Invent. Caletrici. Helani. De Birgitt. De Sergio & Baccho. Auguſti. De Caletric. De Birgitt.

VIII *Idus.* *Die* 8.

NAtalis beatiſſimi ſenis Simeonis, qui in Euangelio legitur Dominum ſuis ſuſcepiſſe in ulnis. Apud Theſſalonicam, paſſio ſancti Demetrii martyris. Item civitate Hiſpali, ſancti Petri martyris. In territorio Laudunenſi, ſanctæ Benedictæ virginis & martyris. Ipſo die, ſanctæ Pelagiæ, quæ peccatrix appellatur.

Simeonis. Demetrii. Petri. Benedictæ. Pelagiæ.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Greven. & Molan. pro *beatiſſimi ſenis Simeonis*, legunt, *beati ſenis Simeonis.* Praten. ſcribit hîc iterum cum aliis *Symeonis*, ſed codices ſibi non conſtant, ſæpe pro libitu ſcribentes: nos hîc turbam ſequimur. In Antverp. & Max-Lubec. deeſt prima annuntiationis vox, nempe, *natalis.* Tornacen. poſt *Dominum*, omiſit *ſuis.* Poſui *Theſſalonicam* ut alibi, licet nonnulli habeant *Teſſalonicam.* De *Hyſpali*, dictum eſt ſupra. Praten. legit: *In territorio Lugduni Clavati*, in quo ei conſentit ſolus Antverp-maj. Munerat. & Max-Lubec. habent, *Lugdunenſi.* Sequimur reliquos omnes. In Herinien. male ſcriptum eſt *pecatris*, pro *peccatrix.* Munerat. loco *appellatur*, ſubſtituit *nuncupatur.*

OBSERVATIO. Ad XI Aprilis curſim indicavimus, Philippum Gortynenſem in Creta epiſcopum, hac etiam die recoli à Romano parvo, Adone & Notkero: repetitionis illius cauſam hactenus non reperio, nec in eam operoſius lubet inquirere, cum ad

Simeonis.

Uſuardum noſtrum nihil ſpectet. *Beatiſſimi ſenis Simeonis* primus meminit Ado, etiam inter Feſtivitates Apoſtolorum, ubi ex Lucæ 2 cap. ea referuntur, quæ de eo vere commemorari poſſunt. Noſter ſtrictim omnia complectitur. Mirum eſt; eum à Notkero prætermiſſum, ejuſque loco ſubſtitutam celeberrimam virginem & martyrem *Reparatam*, cum elogio ex Rabano contracto. Quid de Simeone ſuggerat Leo Allatius in diatriba de Symeonum ſcriptis pag. 100, ſub nomine *Methodii* vel *Timothei presbyteri Hieroſolymitani*, dicetur ſuo loco. Videri interim poteſt Tillemontius tomo 1 pag. 424. De *Demetrio* ſic habet auctor Romani parvi: *Theſſalonicæ, Demetrii martyris.* Hinc ab Adone acceptus eſt, ex hoc à Noſtro & Notkero. Ejus encomium ita metrice exhibet Wandelbertus: *Demetrii.*

Octavo ante Idus, Demetri ſancte, bearis,
Nomine pro Chriſti tortores paſſus iniquos.

Plurima de celeberrimo hoc martyre à variis ſcripta enumerat Baronii Notatio, ſelectiora colligit Tillemontius tomo 5 à pag. 149, ubi & *Megalomartyrem* & *Thaumaturgum* à Græcis nuncupatum aſſerit. Nos ea omnia & producemus, &, qua poterimus diligentia illuſtrabimus, collatis Actis Metaphraſticis apud Surium editis, cum paſſione ab Anaſtaſio Bibliothecario elaborata, quæ exſtat inter Analecta Mabilionis tomo 1 à pag. 65. *Petrum* Hiſpalenſem martyrem extra Uſuardum nuſquam invenio: liceat igitur ſuſpicari, eum eſſe de illorum numero, quos ex Hiſpania in Franciam Noſter contulit; quemadmodum alibi ſæpe ſupponendum fuit, nempe cum alius fons non ſuppeteret, ex quo ipſum hauſiſſe conjectaremur. *Benedicta Auriniacenſis*, vel, ut alii, *Origniacenſis*, ab Uſuardo etiam in ſacras tabulas, quod in ſanctis Gallicis ſæpe accidit, primum relata eſt, *Laudunenſi*, non *Lugdunenſi* territorio adſcribenda. Pridem notarunt Majores noſtri ad XXVI Maii, in indice Prætermiſſorum, tomo 6 pag. 353, *Acta hujus martyris plane eadem eſſe, quæ ſunt Saturninæ virginis & martyris, mutatis ſolum nominibus, & hæc à nobis XX Maii edita.* Siqua nihilominus peculiaria ſubinde reperta fuerint, ſive ad vitam ſive ad tranſlationem ſpectantia, ea menſe Octobri in Actis locum invenient. Videri poſſunt quæ de ea & virginibus aliis, ejus fortaſſe ſociabus, curſim notavit Tillemontius in Luciano Bellovacenſi tomo 4 pag. 540. *Pelagiam* aliquam in Hieronymianis memorari certum eſt, an pœnitentem illam, quæ Hieroſolymis à Baronio adſcribitur, dubitat Florentinius. Nobis in re obſcura, nihil hactenus licet decernere. Satis veroſimile, Uſuardum nomen Pelagiæ ex Hieronymianis accepiſſe, cui pro arbitrio *peccatricis* cognomentum addiderit, quod ea inter ſynonymas eſſet notiſſima. Ceterum ex Uſuardi mente, à recentioribus omnibus hodierna Pelagia pro *peccatrice* accipitur. Vita à Jacobo Diacono ſcripta, in Surii collectione edita eſt, ex Roſweydi Vitis Patrum accepta; quam ſequitur alia à Metaphraſte adornata. *Petri.* *Benedictæ.* *Pelagiæ.*

AUCTARIA.

Tranſlat. Oſwaldi. ANTVERP-MAJ. Caret Pelagia, cujus loco ponitur: *Ipſo die, tranſlatio ſancti Oſwaldi archiepiſcopi & confeſſoris.* Patet acceſſio Anglica.

ROSWEYD. In prima, ſimilis eſt GREVEN. & MOLAN. In ſecunda & tertia purus. Tum: *In territorio Lauduni Clavati, id eſt in Auriniaco, ſanctæ Benedictæ virginis. Antiochiæ, Dioniſii epiſcopi & ſocii ejus. Item, ſanctæ Regenfledis virginis. Et ſanctæ Reparatæ virginis. Ipſa die, ſanctæ Pelagiæ, quæ appellatur peccatrix.* *Dionyſii.* *Regenfledis.* *Reparatæ.*

PULSANEN. In Simeone, Petro Hiſpalenſi & Benedicta ſatis purus, caret reliquis.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. ALBERGEN. & DANIC. In prima puri, poſt *Demetrii martyris*, addunt: *Quem Maximinus* [aliqui *Maximianus*] *imperator, apud præfatam civitatem docentem populum, juſſit lanceis perforari, talique fine glorioſum martyrium conſummavit.* In reliquo textu puri, ſubjungunt: *Apud civitatem Cæſarienſem, natale ſanctæ Reparatæ virginis. Quæ ſub Decio præſide, ferventi plumbo perfuſa, deinde per lampades accenſas, mamillis ejus ablatis, viſceribuſque fruſtratis* [aliqui *fruſtatis*] *caminum igni ſuccenſum ſuperans, capitis tandem detruncatione martyrium conſummavit. Beliſiæ, depoſitio ſancti Amatoris* [aliqui *Amoris*] *confeſſoris.* Colitur in *Munſterbilſen* prope Tungros. *De Demetr.* *Reparatæ.* *Amoris.*

LOVANIEN. In eo à ſuperioribus differt, quod Demetrii elogium expunxerit.

CENTULEN. *Natalis beatiſſimi ſenis Symeonis, qui in Euangelio legitur Dominum ſuſcepiſſe in ulnas. Theſſalonicæ, ſancti Demetrii glorioſi martyris. In Galliis territorio Lauduni Clavati, paſſio ſanctæ Benedictæ virginis, ſub judice Matroclo. Eodem die, territorio Atrebatenſi, ſanctæ Ragemfledis virginis & abbatiſſæ. In monte Oliveti, ſanctæ Pelagiæ, ex peccatrice religioſæ atque ſanctiſſimæ factæ.* *Textus mutilus.* *Ragemfledis*

BRUXELLEN. Incipit: *Natale ſanctæ Benedictæ virginis & martyris.* De Simeone poſt *ulnis*, addit; *& dictaſſe canticum, Nunc dimittis. Apud Cretam urbem Cortinæ,* [lege, *Cortinam urbem Cretæ*] *beati Philippi, epiſcopi glorioſi.* Vide ſupra in principio Obſervationis. De Demetrio & Reparata, habet ut ANTVERP-MAX. &c. Tum de Petro Hiſpalenſi, pure. Sequitur: *Beliſiæ, depoſitio ſancti Amoris confeſſoris. Item Richarii confeſſoris.* Vide XXVI Aprilis. De Pelagia, pure. Demum: *Et ſanctæ Ragenfredis virginis.* Varie hoc nomen in codicibus inflectitur. *Philippi.* *Reparatæ.* *Amoris.* *Richarii.* *Ragenfredis*

HAGENOYEN. De Simeone præter jam dicta, more ſuo non ſatis veroſimiliter addit: *Hic Symeon*

De Simeone. *meon fuisse fertur unus de septuaginta duobus interpretibus, qui missi fuerant ab Onya Pontifice, regi Ptolomæo ad transferendam legem Dei de Hebrayco in Chaldaycum.* Tum S Fidem inserit cum satis longo elogio: nos de ea abunde egimus VI Octobris. *Fidis.* Sequitur de Demetrio, ut supra in ANTVERP-MAX. &c. *De Demetr.* Demum de Benedicta, pure. Petrus Hispalensis & Pelagia hîc omissi sunt.

AQUICINCT. Secundo loco post Simeonem, *Ragensledis.* inserit: *Eodem die, sanctæ Ragensledis virginis.* Pro *Laudunensi*, habet, *Lauduni Clavati.*

VICTORIN. In fine: *Civitate Cæsariensi, sanctæ Reparatæ virginis & martyris.* *Reparatæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT *Sancti Simeonis, senis. Reparatæ virginis & martyris Benedictæ virginis & martyris. Pelagiæ meretricis Antiochenæ, quæ dicta fuit Margarita, propter pulchritudinem; mirabiliter conversæ per sanctum Nonnum episcopum.* *Reparatæ. De Pelagia.*

REG-SUEC. sub num. 428. *Vigilia sanctorum martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii. Civitate Cæsarea, sanctæ Reparatæ virginis & martyris.* *Vig. Dionys. Reparatæ.*

In VATICAN. num. 5949. Deest memoria Simeonis, Demetrii, Petri, & Pelagiæ Adjicitur: *Apud Cretam, natale sancti Philippi episcopi. Et sanctæ Reparatæ virginis.* *Philippi. Reparatæ.*

STROZZIAN. *Passio sanctorum martyrum Terentiani presbyteri, Probi & Andriani* [in MED. est *Adriani*] *qui apud civitatem Niceam sub Maximiano tyranno pro Christo passi sunt.* Puto corrupta esse nomina. Quid si indicentur *Tharacus, Probus* & *Andronicus*, de quibus Usuardus XI Octobris? *Dedicatio ecclesiæ sancti Marci Evangelistæ, in alma civitate Venetiarum.* *Terentiani & soc.orum* *Dedicat. Marc. Evan.*

CABILONEN. *Cabilone, translatio sancti Grati episcopi & confessoris.* Vide Castellanum. *Grati.*

REMENS. SS. Timoth. & Apoll. *In pago Laudunensi, sanctæ Benedictæ virginis & martyris.*

ABDINGHOFFEN *In territorio Lugdunensi, sanctæ Benedictæ virginis & martyris.*

EDITIO LUBECO-COL. In Simeone pura, de Demetrio habet, ut supra. In Petro, pura est. De Benedicta, addit: *Quæ tempore Maximiani imperatoris in civitate Aurelianaco, sub judice Matroculo, diversis tormentis atrociter afflicta, novissime tempora ejus securi confracta sunt. In pago Bitonensi, sanctæ Susannæ virginis.* *De Benedict.* *Susannæ.* De Pelagia elogium habet vulgo notissimum. De Reparata Cæsareensi, ut supra Tum: *Belisiæ, depositio sancti Amoris confessoris. Qui de Aquitaniâ nobilissimis parentibus ortus, foris carnem torquebat cilicio, intus augebat jejuniis; vigiliis inhærebat assidue & precibus, ab otioso sermone abstinebat & risu, multisque claris miraculis, in pace quievit. Treveris, sancti* *Reparatæ* *Amoris.*

Metropoli episcopi & martyris. Eodem die, commemoratio sancti Flaviani martyris. Item, translatio sancti Erhardi episcopi & confessoris. *Metropoli.* *Flaviani.* *Translat.* *Erhardi.*

BELIN. In textu, more solito, purgatus non est. In fine addit de dedicatione ecclesiæ sancti Marci, ut supra. Deinde: *Item sanctæ Reparatæ virginis.* Accedit in altera editione: *In territorio Senonico, sanctæ Porcariæ virginis & martyris.* *Reparatæ.* *Porcariæ.*

GREVEN. *Treveris, sancti Metropoli episcopi & martyris. In Antiochia, sanctorum Dyonisii, Januarii, Faustini, Marcialis. Flaviani martyris commemoratio. Philippi episcopi Gortinensis & confessoris.* De sancto Amore, habet fere ut supra in EDITIONE LUBECO-COL. *In Anglia, Ewgii confessoris. Translatio sancti Erhardi episcopi & confessoris.* De Reparata etiam ferme ut supra in ANTVERP-MAX. &c. *In pago Bleonensi, sanctæ Susannæ virginis. In Humeltoet, Valeriæ virginis. Rainfredis virginis. Eodem die, sanctæ Triduanæ virginis.* *Metropoli.* *Dionys. &c.* *Flaviani.* *Philippi.* *Amoris.* *Ewgii.* *Translat.* *Erardi.* *Reparatæ.* *Susannæ.* *Valeriæ.* *Rainfredis.* *Triduanæ.*

MOLAN. *Adventus sancti Gerulphi martyris.* Dein typis minoribus, *ex Merendra Tronchinium. Qui ab Helizeo episcopo in cœnobio Blandiniensi, sacro unctus chrismate, ingressus ex itinere Deipara templum diutius oravit quam reductori patrino placeret, ac propterea ab illo ita cæsus est, ut brevi post mors sit subsecuta. Scribit Meierus in comment. rerum Flandriæ anno* DCCCCXV. Tum rursus solito charactere Italico: *In Vualchioduro, sancti Eloqui presbyteri & confessoris. Eodem die, dedicatio ecclesiæ sancti Marci Evangelistæ Venetiis. Et in Humeltoet, sanctæ Valeriæ virginis. Item Dionysii episcopi, Januarii cum sociis eorum. Item Belisiæ, depositio sancti Amoris presbyteri & confessoris. In territorio Senonico, sanctæ Porcariæ virginis & martyris. Apud Rothomagum, beati Euodii, præfatæ urbis episcopi & confessoris. In pago Bitonensi, sanctæ Susannæ virginis. Eodem die in Donaey, sanctæ Rainfredis virginis. Item, sanctæ Reparatæ virginis.* De qua versiculi tres ex Baptista Mantuano de sacris diebus I.10.

Cæsarensis eram vivens: post fata cadaver
Venit in arva meum Fesulis subjecta, cubatque
Quæ Tuscus decurrit aquis torrentibus Arnus.

Editiones aliæ: *Et in Hemulcurt, sanctæ Valeriæ virginis. Item depositio sancti Amoris, qui quievit in Belisiæ monasterio.* De Porcaria Senonensi, Euodio Rothomagensi, Susanna, Metropolo, Reparata, ut supra. Tum: *Apud Dononium, solemnitas sanctæ Ragensledis virginis.* De dedicatione ecclesiæ sancti Marci, & translatione sancti Eloquii, ut supra. Denique: *Truncinii ex Merendra, adventus S. Gerulphi martyris.* *Metropoli.* *Flaviani.* *Translat.* *Erhardi.* *Reparatæ.* *Porcariæ.* *Eloquii.* *Dedicat. Marci.* *Valeriæ* *Dionysii & sociorum.* *Amoris.* *Euodii.* *Susannæ.* *Rainfredis.* *Reparatæ.* *Advent.* *Gerulfi.*

VII *Idus.* *Die* 9.

ABrahæ patriarchæ. Apud Parisium, natalis sanctorum martyrum Dionisii episcopi, Rustici presbiteri, & Eleutherii diaconi, qui beatus episcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratiâ directus, præfatam urbem devenit, ubi per aliquot annos commissum sibi opus ardenter prosequens, tandem à præfecto Fescennino, unà cum sociis gladio animadversus martyrium complevit. Apud Juliam, via Claudia, sancti Domnini martyris, sub Maximiano, qui cum vellet persecutionis rabiem declinare, protinus insecutus, & nihilominus gladio verberatus, glorioſè occubuit. *Abrahæ.* *Dionysii & socior.* *Domnini.*

Ita habent *Praten. Herimen. Antverp-maj.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Lego, *apud Pariſium*, ex Praten, Molan. & etiam Greven. quamvis alii paſſim ſcribant, *apud Pariſius;* ratio eſt, quod ita in Adone Uſuardum reperiſſe exiſtimem. Idem valeat in *præfatam urbem devenit* abſque præpoſitione; quo modo plerique puriores legunt, excepto Antverp-majore & Molano. Rurſus Antverp-maj. poſuit *commiſſum opus ſibi:* Molan. autem volens energiam addere, ante *ardenter* adjunxit *ſolerter*, legens *ſolerter & ardenter.* Solus Antverp-maj. ex Adone ſumpſiſſe videtur, *Feſcennino Siſinnio.* Deeſt in Pratenſi particula penultima *glorioſe.* Antverp-maj. ſcribit *Dompnini*, ſed hoc, & *nichilominus*, & *Dioniſii* &c. præteriri poſſunt.

Abrahæ. *OBSERVATIO.* Antiquorum veteris Teſtamenti Patriarcharum fœcundiorem ſegetem ſubminiſtrat auctor Romani parvi, ex quo hoc die *Abraham*, ſequenti à pluribus *Loth*; aliis diebus alii accepti ſunt. Ado illius verba deſcripſit, & ex ipſo eadem habent Uſuardus & Notkerus. Videſis infra Wandelberti verſus quatuor in Abrahami laudem depromptos. Nunc controverſia recurrit, quam ad III hujus attigimus; à Baronio in Notatione locupletiſſime tractata, in qua nec Lucam Holſtenium, nec eruditos Gallos, nec alios pleroſque in tuendis Hilduini abbatis Areopagiticis ei faventes invenies. Nos Martyrologorum cancellis conſtricti, ea ſolum adducemus, quæ ipſorum auctoritate definiri poſſe videntur. En verba Hieronymiani Corbeienſis: *Pariſius, natalis ſanctorum Diuniſii epiſcopi, Ruſtici presbyteri & Eleutheri diaconi.* Conſonat Beda: *In Pariſiis, natale ſanctorum martyrum, Dionyſii epiſcopi, Ruſtici & Eleutherii*, quæ in Rabano paulo auctiora ſunt. Accedit Romanum parvum: *Pariſiis, Dioniſii epiſcopi cum ſociis ſuis, à Feſcennino, gladio animadverſi.* Eadem eſt Adonis & clariſſima ſententia, à quo plane deſumptus textus noſter, quemadmodum & à Notkero factitatum, cum hac tamen differentia, recte etiam à Caſtellano in præf. Bimeſtris primi pag. 25 obſervata, quod Ado, & ex hoc Notkerus *Eleutherium presbyterum* nominent, *Ruſticum*, *diaconum*, quæ ab Uſuardo in textu noſtro melius correcta ſunt. Fallor vehementer, ſi ex his omnibus vel umbram Areopagiticam expreſſeris. Hæc igitur modo confer cum Romani parvi, Adonis, Uſuardi & Notkeri verbis, III Octobris relatis, atque apertiſſime perſpicies, ex eorum mente hodiernum Dionyſium ab Areopagita remotiſſimum eſſe. Is itaque, de quo hodie agimus, *Dionyſius*, primus cenſetur Pariſiorum epiſcopus; de cujus ætate, patria, miſſione, ſociis & rebus geſtis plurima, elapſo præſertim ſeculo diſputata ſunt, quæ ſuo loco accutate à nobis diſcutientur, digerenturque. Conſuli interim poſſunt, ut inter tot ſcriptores, binos dumtaxat ſeligam; conſuli, inquam, poſſunt Du bois in Hiſtoria eccleſiæ Pariſienſis, lib. I cap. 3, & libro 6 cap. 6, ac recentior Tillemontius tomo 4 à pag. 439, apud quos alii indicantur. In tabulis Hieronymianis Lucenſibus, primo loco ponitur: *Natalis ſancti Domnini martyris*, de quo non pauca notavit Florentinius. Nihil de eo legitur in Hieronymiano Epternacenſi aut Corbeienſi, nihil in Beda, Romano parvo, Adone & Notkero. Rabanus eum ſignat cum brevi elogio, ſed quod ab Uſuardino diverſum eſt. Crediderim, Uſuardum ex aliquo codice Hieronymiano ipſum martyrem accepiſſe, eademque Acta legiſſe, quæ Moſander apud Surium edidit, nempe cum inde ſumpta videantur, quæ in textu noſtro ſtrictim exhibuimus. Præfata Acta recentioribus aliquibus ſuſpecta ſunt, ſed ea diſceptatio hujus loci non eſt. Diximus III Octobris, in quam opinionem circa Dionyſios, uberiori elogio, quod apud Molanum integrum exſtat, inclinare videatur Wandelbertus, hîc de Domnino verſiculum ejus ultimum, aliis quatuor de Abrahamo adjungimus:

Dionyſii & ſociorum.

Domnini

Exemplum fidei, parendi & norma ſalubris,
Excelſi patris primum cognomine dictus,
Gentibus inde pater cæleſti ſorte vocatus,
Septenas Abraham ſancit retinetque beatus.....
Domninoque Itali claro cum martyre fulgent.

AUCTARIA.

TORNACEN. Frequenter ſolitus elogia decurtare; de Dionyſio habet uſque ad, *præfatam urbem devenit.* Deſunt ejus elogii reliqua. De cetero purus eſt.

De Dionyſio. ROSWEYD. Interpolatus eſt, nam poſt *Pontifice Romano*, inſerit, *Clemente, Petri Apoſtoli ſucceſſore.* Item poſt illa verba, *cum ſociis*, ſequitur, *hebetatis ſecuribus caput truncatus.* Reliqua ad ſolum Uſuardinum ſpectantia ſatis pura ſunt.

PULSANEN. In prima & ſecunda ferme purus, deficit in tertia, ut jam toties ſupra.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. In toto textu puri, ad finem ſubdunt: *Item natale ſancti Giſleni confeſſoris.* *Giſleni.*

MUNERAT. Etiam interpolatus eſt, nam legit, *à præfecto Romæ Feſcennino.* Et poſt *complevit*, phraſi propria adjungit: *De quorum corpora requieſcunt in cœnobio beati Dionyſii in Francia.* *De Dionyſio.*

GRE-

GREVEN. Textui puro, de ſuo adnectit : *Eodem die, tranſlatio ſancti Richarii confeſſoris.* Vide XXVI Aprilis. *Tranſlatio Richarii.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Inſerunt de Dionyſio, *qui beatus epiſcopus à beato Clemente Romano Pontifice....* De Domnino autem : *Et nihilominus gladio capite truncatus, nutu divino caput proprium abſciſum de terra elevans, & quantum eſt jactus lapidis, à loco percuſſionis deferens, glorioſe occubuit.* In fine: *Item ſancti Giſleni confeſſoris.* *De Domnin.* *Giſleni.*

LOVANIEN. In duabus primis, ſuperioribus ſimilis, in tertia totum elogium reſcindit. In Giſleno rurſus convenit. *Giſleni.*

ALBERGEN. Ab ANTVERP-MAX. &c. ſolum differt ordine, primo loco Dionyſium ponens, Abraham ſecundo.

DANIC. Totum textum habet, ut ALBERGEN. Sed in ora codicis inferiori duarum paginarum, alia manu adſcriptum invenio : *Apud Ceptam civitatem Hiſpaniæ* [vult dicere *apud Septam Africæ*] *paſſio ſanctorum martyrum Danielis, Samuelis, Angeli, Dompni, Leonis, Nicolai & Hugolini, de ſacro Ordine Fratrum Minorum. Hii cum fidem catholicam regi Saracenorum & ſuis ferventer prædicarent in eadem civitate, poſt vincula ferrea, carceres, verbera atque ſæviſſimas flagellationes pro Chriſto patientiſſime toleratas, ab eiſdem Saracenis omnes crudeliter in ore ſunt gladii trucidati & membratim conciſi anno Domini* MCCXXI. *Feſtum Majus duplex.* Alibi referuntur XIII Octobris. *De Martt. Septanis.*

CENTULEN. *Obitus Abrahæ patriarchæ. Pariſius, beatorum martyrum Dyoniſii, Ruſtici archipresbiteri, & Eleutherii archidiaconi, qui ſecuribus decapitati, martyrium compleverunt. In Italia via Claudia, ſancti Donnini martyris. Cœnobio Centula, optabilis tranſlatio precioſi corporis ſanctiſſimi patris noſtri Richarii, de heremo in locum cœnobii, à ſe olim fundati, ut Chriſti milites ſua præſentia roboraret, quos verbo & exemplo antea educavit. In territorio Haumacenſi, ſancti Giſleni confeſſoris.* De Richario Centulenſi jam ſuperius diximus, coli XXVI Aprilis. *Tranſlat. Richarii.* *Giſleni.*

BRUXELLEN. Incipit à Dionyſio, ferme ut ſupra. Tum : *Ipſo die, ſancti Abrahæ patriarchæ, qui in Canone Miſſæ nominatur.* In Domnino etiam auctus eſt, ut ſupra. Ultimo loco : *In comitatu Hannonienſi, depoſitio ſancti Giſleni archiepiſcopi & confeſſoris. Qui ab Athenis veniens in Hannonia, monaſterium Cellenſe conſtruxit, cujus eccleſiam beatus Autbertus Cameracenſis epiſcopus dedicavit.* *De Abrah.* *De Giſleno.*

HAGENOYEN. De Dionyſio multa congerit quæ prætermittere ſatius duco. Vide infra EDIT. LUBECO-COL. In Domnino, fere ſimilis eſt ſuperioribus. Tum : *In civitate Hiſpali, ſancti Petri martyris*, de quo die præcedenti. Demum : *Item, ſancti Gilleni confeſſoris.* *De Dionyſ.* *Petri.* *Giſleni.*

AQUICINCT. In elogio Dionyſii, pro *gladio*, habet *ſecuri*. De Domnino ſilet. *Eodem die, ſancti Giſleni confeſſoris. Et tranſlatio corporis ſancti Richarii.* Quæ adduntur de ſancto Goſſuino, ſunt à recenti calamo. *Giſleni.* *Tranſlat. Richarii.*

AMBIANEN. *In pago Pontino* [opinor *Pontivo*] *tranſlatio ſancti Richarii, magnifici confeſſoris. Qui in eodem loco ubi nunc requieſcit, monaſterium de paterno palatio inſtituens, multorum pater ibidem extitit monachorum, magnorumque patrator miraculorum.* *De eadem.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii martyrum. Abrahæ patriarchæ. Nicaſii epiſcopi & martyris, cum ſociis Quirino & Stanilo.* Quid hoc nominis ſit, neſcio: vide XI Octobris. *Romæ, Domnini martyris. Giſleni presbyteri & confeſſoris.* *Nicaſii.* *Giſleni.*

CODEX BIGOTIAN. ſignatus E 40. *Eodem die, tranſlatio ſancti Richarii confeſſoris.* *Tranſlat. Richarii.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Abrahæ* & *Domnini*. Adjicitur : *Apud Coloniam Agrippinam, ſancti Gereon cum aliis* CCCXVIII &c. Agunt de iiſdem Hieronymiana, Beda & Notkerus : nos cum Uſuardo, die ſequenti. *Gereon cum ſociis.*

ALTEMPS. *Ipſo die, tranſlatio ſancti Oſwaldi archiepiſcopi. Et Reparatæ virginis.* Vide Auctaria diei præcedentis. *Natale ſancti Richarii abbatis & confeſſoris.* Agitur de tranſlatione, vide dicta ſuperius. *Tranſlat. Oſwaldi.* *Reparatæ.* *Richarii.*

FLORENTIN. *Item ſancti Giliberti confeſſoris.* Alii vocant *Giſlerii*; melius ſupra, *Giſleni*. *Giliberti.*

EDITIO LUBECO-COL. *Apud Pariſius, ſanctorum martyrum natale Dionyſii epiſcopi... Qui beatus epiſcopus Dionyſius cum Athenis in vico Ariopagita commoraret, ab Apoſtolo Paulo inſtructus, credidit Chriſto, & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo epiſcopus ordinatus eſt, & cum percepiſſet, beatos Apoſtolos Petrum & Paulum Romæ à Nerone captivos detineri, amore eorum & deſiderio martyrii flagrans, ut ſimul cum eis pateretur, uſque illuc properavit. Quem ſanctus Clemens Papa, ſucceſſor ſancti Petri, conſummato martyrio Apoſtolorum, in Galliam prædicandi gratia direxit, & ſic ad prædictam urbem Pariſienſem devenit, ubi per annos* &c. fere ut ſupra. *Item Abrææ Patriarchæ.* De Domnino addit, *cubicularii Maximiani.* In reliquis parum differt ab ANTVERP-MAX. &c. *Multa de Dionyſio.*

BELIN. In textu ſatis purus, in fine adjicit: *Item, natale ſancti Giſlerii confeſſoris.* Pro *Giſleni*, niſi multum fallor. *Giſlerii.*

GREVEN. *Ipſo die, ſanctorum Dioniſi achidyaconi Remenſis & ſociorum ejus. Romæ, natalis ſanctorum Marcellini, Gemini & Nivii. Item ſancti Theodori. Giſleni abbatis & confeſſoris. Romæ inter duas lauros, ſanctæ Priminæ virginis.* Multa hic colligere ſolet, alibi ex profeſſo diſtinguenda. *Dion. Rem. Marcellini & ſociorum. Theodori. Giſleni. Priminæ.*

MOLAN. Aliis litteris textui inſerit verba MUNERATI, *quorum corpora requieſcunt in cœnobio beati Dionyſii in Francia.* In fine : *In pago Hainau, in loco qui tunc à circumjacentibus pagenſibus nominabatur Urſidongus, nunc Cella vocatur, natale ſancti Giſleni epiſcopi, confeſſoris, miræ ſanctitatis viri, qui Athenienſium epiſcopus fuit, & pro Chriſto ipſum apicem terreni honoris relinquens, pauper fieri voluit, Romamque veniens, cauſa viſendi Principum Apoſtolorum limina Petri & Pauli, ibi voce divina juſſus eſt, in Gallias properaret ibidemque oratorium conſtrueret in honore Apoſtolorum Petri & Pauli, ac finem iſtius arumnoſi exilii præſtolaretur. Item eodem die, elevatio corporis ipſius. Item ſancti Domnini, qui ſub Maximiano imperatore propter fidem Chriſti decollatus eſt.* An hic à priori diſtinguendus? Minoribus typis habet : *Aquiſcincti, obitus beati Gozuini abbatis; hic rumores nec audiebat nec referebat libenter.* Editiones aliæ in textu concordant. In fine : *Item natale ſancti Giſlerii confeſſoris. Eodem die Cameraci via Atrebatenſi, feſtivitas ſanctæ Ollæ virginis.* Sequitur *Giſleni*, ut ſupra : ſed quid ſibi vult *Giſlerius* ex BELINO, ni fallor, acceptus? *Die nona, ſancti patris Andronici.* Minoribus typis, de Goſuino, ut ſupra. *De Dionyſio.* *De Giſleno.* *Goſwini.* *Giſlerii.* *Ollæ.* *Andronici*

VI *Idus.* *Die* 10.

Pinyti. APud Cretam, beati Piniti, inter epiſcopos nobiliſſimi, qui in ſcriptis ſuis velut in ſpeculo viventem ſui dereliquit imaginem. *Gereonis & ſoc.* 318 Civitate Agripinenſi, ſancti Gereonis martyris, cognomento Malloſi, cum aliis trecentis decem & octo, qui perſecutione Maximiani tyranni, pro vera pietate colla patienter gladiis ſubdiderunt. *Victoris & ſoc.* 17. Item in territorio ejuſdem urbis, ſancti Victoris martyris & aliorum decem & ſeptem. *Caſſii & ſociorum.* Item ſanctorum martyrum Caſſii & Florentii, cum aliis pluribus. *Paulini.* In Britannia, ſancti Paulini epiſcopi & confeſſoris.

Ita *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Scribo ſimpliciter *Piniti.* Praten. & Greven. habent *Pyniti*, nullus recte *Pinyti.* Antverp. & Max-Lubec. cum Greven. legunt, *viventem ſibi dereliquit imaginem*, melius cum reliquis in textu. In Greven. & Molan. recte eſt *Agrippinenſi*, ſed ceteri omnes ſuffragiis vincunt. Antverp-maj. inter plura errata ſcriptoria habet *ſubdiderant* pro *ſubdiderunt.* Legendum omnino eſt *Caſſii & Florentii*, non ut in apographo noſtro Pratenſi *Florentini. Brittannia* à Pratenſi & Herinienſi ſcribitur, ceteri *Britannia*, quod hîc ſequimur. Antverp-maj. de Paulino addidit, *Eboracenſis archiepiſcopi.* Antverp. autem, Max-Lubec. Aquicinct. & Ughellianus adjungunt *& Eubrachii*, quod pro *Eboraci* irrepſiſſe non dubito, cum hujuſmodi Sanctum prorſus nor noverim, licet in codice Camberienſi inveniam, *& Eubrachii confeſſoris*, ut videſis in Auctariis.

De Loth. OBSERVATIO. *Loth* propheta, ut pridie monui, in Romano parvo hodie ponitur, unde in Adonem & Notkerum tranſiit, à Noſtro prætermiſſus, ſed à Wandelberto hoc ornatus elogio: *Senas juſtitiæ titulis Loth ſanctus adornat.* Altera Romani parvi annuntiatio veroſimiliter ex Rufino lib. 4 cap. 23, ita ſonat: *Pinyti.* *In Creta, Pyniti, inter epiſcopos nobiliſſimi.* Atque hîc primum ſignatur; Hieronymianis, Bedæ, Floro, Rabano, Wandelberto incognitus. Elogium noſtrum totum Adonianum eſt. Res ejus geſtæ deſumendæ ſunt ex auctoribus, à Baronio in Nota citatis, & ex ejus Annalibus ad annum CLXXII num. 8., & CLXXV num. 15. Summa exſtat citato jam Rufini vel Euſebii loco, ex quo ſua habet Hieronymus de ſcriptoribus Eccl. cap. 28. De *Gereone*, aliiſque ad Rhe- *Gereonis & ſociorum.* num martyribus, multa occurrunt, maturo poſtea examine diſcutienda. Imprimis confuſa ſunt & hoc & præcedenti die Hieronymiana, tum in nominibus, tum in martyrum numero, tum etiam in natione, Maurine an Thebæi fuerint, an ex utraque gente diverſæ claſſes admittendæ; quæ omnia explicare conatur Florentinius. Dubitant Majores noſtri, utrum vere die præcedenti *Gereon cum ſociis* CCCXV à Beda relatus ſit, idque adeo mihi ſit incertius, quod de iis non loquatur Rabanus. Legit hodie Florus editus: *In Colonia, quæ vocatur Agrippina, natale Gereonis martyris, cum aliis* CCCXVIII. Notkerus die præcedenti numeravit ſocios CCCXIX, & hoc die ex Adone meminit *Malloſi & Victoris.* *Victoris &c* Beda abſque poſitione ſeu certaminis loco: *paſſio ſancti Victoris martyris.* In Adone primo loco reperias *Gereonem* cum CCCXVIII, *quos ferunt*, inquit, *Thæbeos fuiſſe, & cum legione illa beati Mauritii* &c. Deinde poſt Loth & Pinytum ſequitur longior commemoratio *Malloſi & Victoris*; quibus nec ſocios tribuit; nec *Caſſium* aut *Florentium* nominat purior Roſweydi editio. Quid hîc jam ſtatues? Vidit Adonem Uſuardus, nam *Gereonis* elogium ex ipſo accepit; nihilominus quod proprium nomen ſtatuit Ado, hic in cognomentum vertit, *Malloſi* videlicet. Si divinare licet, opinabor, Acta aliqua Elinandæis antiquiora Uſuardo innotuiſſe, in quibus nullum (ut nec in Elinandæis eſt) *Malloſum* repererit, *Caſſii. &c.* ſed ſolos quatuor præcipuos pugiles diſtincte expreſſos *Gereonem*, *Victorem*, *Caſſium & Florentium*, quorum commemorationes in textu noſtro ſequuntur. Si Acta, Elinando antiquiora, Uſuardum vidiſſe neges, non magnopere reluctabor, ſed dicam poſteriorum trium nomina ex Hieronymianis, utut confuſis, fuiſſe decerpta. At unde Victori acceſſerunt ſocii dumtaxat XVII, cum & in Hieronymianis & in Actis, imo & apud Moſandrum adnumerentur CCCXXX? Quinam vero ſunt illi plures, cum Caſſio & Florentio? Iterum repeto, hæc omnia adeo involuta & implexa eſſe, ut operoſa diſcuſſione indigeant, ad locum proprium hîc differendâ; ſalva tamen inviolata fide eccleſiæ Colonienſis.

nienſis. Telam non indiligenter exorſus eſt Tillemontius tomo 4 à pag. 429. Quid Molanus ſenſerit, docent annotationes, quæ poſterioribus editionibus acceſſerunt. Wandelberti verſus, ſolos nominatos quatuor athletas etiam complectuntur.

Caſſius & Gereon, Victor, Florentius, atque
Martyrii comites, plebs tum conjuncta triumphat.

Paulini Eboracenſis vitam in Hiſtoria ſua deſcripſit Beda, eumque in Martyrologio ſignavit, his verbis: *Et in Britannia, Paulini epiſcopi Eburaci:* quæ inde à Rabano mutuata ſunt. Adonis elogium à Notkero contractum, à Noſtro præteritum eſt. Vita apud Surium edita videri poteſt. *Paulini.*

AUCTARIA.

Teclechildis. TORNACEN. Caret annuntiatione prima: reliqua textus pura ſunt. Adjicit: *Jotro monaſterio, ſanctæ Teclechildis, virginis & abbatiſſæ.* Caſtellanus ſcribit *Theodolechildis*, Gallicè *Thelchide.*

De Victore & Florent. ROSWEYD. In textu non omnino purus, poſt *Caſſii & Florentii cum pluribus*, adjungit: *Quorum Victor Trecaſſis, & Florentius Veronæ* [nempe *Bonnæ*] *depoſiti requieſcunt.* Sed quid ille Victor huic Florentio conjungitur?

PULSANEN. Omnes Sanctos recenſet excepto Victore, ſed omnium elogia reſcindit, & nomina aliqua male exprimit.

Loth. Cerbonii. ANTVERP-MAX. & LOVANIEN. Incipiunt: *Loth propheta, filii Aran, fratris Abrahæ.* Tum: *Apud Populonium, natale ſancti Cerbonii epiſcopi & confeſſoris.* In Pinyto, puri ſunt. Poſt *Agrippinenſi*, inſerunt, *quæ dicitur Colonia.* Poſtea: *Item in territorio ejuſdem urbis, loco qui Zanctis dicitur, ſancti Victoris martyris & aliorum* CCCXXX. *Victoris & ſoc.* 330. *Caſſii &c.* *Item in Verona, ſanctorum martyrum Caſſii & Florentii cum aliis* VII. De Paulino, poſt *epiſcopi*, addunt *Eburaci.*

De Cerbonio. ULTRAJECT. & LEYDEN. In eo ſolum proxime præcedentes excedunt, quod Cerbonio hoc adjiciant elogium. *Hic Vigilio Papæ accuſatus & ab eo citatus, dum nollet manu vacua comparere, ſilveſtres anſeres, domitorum more ſecum venientes, ſummo præſentans Pontifici, ipſum ſibi aſſurgere compulit tanto ſigno.*

Loth. Cerbonii. ALBERGEN. & DANIC. Differunt à codd. præcedentibus ſolo ordine, primo loco ponentes Cerbonium, Loth ſecundo.

CENTULEN. *Apud Cretam, beati Piniti, inter epiſcopos nobiliſſimi. Coloniæ Agripinæ, ſancti Gereonis martyris cum ſociis ſuis* CCCXIX, *quos fuerunt* [ferunt] *Thebæos fuiſſe. Item ibidem, ſanctorum Malloſi & Victoris. Item ſanctorum Caſſi & Florentii, cum aliis pluribus.* De Paulino, inter *epiſcopi* & *confeſſoris*, inſerit *Eboracenſis.* *Malloſi & Victoris.*

Gereonis & aliorum. BRUXELLEN. Primo loco Gereonem, Victorem, Caſſium & Florentium in una annuntiatione conjungit, cum ſociis &c. ut ſupra: tumque ex Adone ſubdit: *Quos ferunt Thebeos fuiſſe omnes & cum legione illa beati Mauricii, juſſu Maximiani imperatoris in Gallias tranſitum feciſſe, atque circa Rheni littora, funeſtum tyranni imperium reſpuendo colla patienter gladiis ſubdidiſſe pro Chriſto.* De Loth, ut ſupra. In Pinyto fere purus eſt. De Cerbonio, ut ULTRAJECT. & LEYDEN. Deinde: *In Britannia, depoſitio ſancti confeſſoris Paulini Eboracenſis epiſcopi. Item, inventio ſanctæ Auſtrebertæ.* Colitur x Febr. *Loth. Cerbonii.* *Invent. Auſtrebert.*

HAGENOYEN. In duabus primis utcumque purus, de Victore habet, fere ut ſupra. Tum: *In territorio ejuſdem civitatis, quod Bunna vocatur, natalis ſancti Caſſii & Florentii cum aliis* VII, *qui ſub eodem perſecutore pro fide Chriſti occubuerunt.* In Cerbonio, paulo auctior eſt; inter alia in fine addens: *Et ſic cum gloria ad ſedem ſuam reverſus eſt & obiit in pace.* *Caſſii &c.* *Cerbonii.*

AQUICINCT. Secundo loco hic ingerit Dominum, de quo pridie. Victori adjicit, *& aliorum* CCCXXX. In fine apponitur, *& Eubrachii*, ut in ANTVERP. & MAX-LUBEC. &c. de quo vide in Variantibus. *Domnini. Eubrachii.*

VICTORIN. & REG. SUEC. num. 130. In fine: *Nivernis civitate, ſancti Troëſii abbatis, qui plenus dierum migravit ad Dominum.* Apud Caſtellanum in Martyrol. univerſali ponitur XVII Octobris, vocaturque *Trojecius.* *Troëſii.*

AMBIANEN. *Eodem die, ingreſſio beati Firmini martyris in civitate Ambiana.* *De Firmino.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Victoris martyris. Et Gereonis, Caſſii, Florentii* &c. Additur in margine, *feſtum in civitate Trajectenſi. Paulini, epiſcopi & confeſſoris. Ponti* [Pinyti] *epiſcopi & confeſſoris.* *Textus contractior.*

BIGOTIAN. Sign. P. 5. *Item dedicatio eccleſiarum Ordinis Cæleſtinorum, hodie inſtituta ubique ſolemniter celebrari.*

CAMBERIEN. *In Britannia apud Eboracum, beatorum Pauli* [Paulini] *præſulis & Eubrachii confeſſoris.* Vide Variantes. *Eubrachii.*

In VATICAN. ſignato num. 5949. Deeſt *Gereonis, Caſſii & Florentii.* Adjicitur autem recentiori manu: *Via Claudia, natalis ſancti Dompnini martyris; cujus corpus a venerabilibus monachis tranſlatum eſt in ſacro cœnobio Sculeularum per divinam revelationem, in quo clare quieſcit.* *De Domnin.*

FLORENTIN. *Apud civitatem Populonienſem, in partibus Tuſciæ, ſancti Cerbonii, ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris, magnæ ſanctitatis viri. Apud urbem Narnienſem, ſancti Caſſi ejuſdem urbis epiſcopi, & ſancti Florentii cum aliis ſeptem.* Diceres hos Sanctos hinc Bonnam, vel Bonna huc tradu&os. *In territorio Florentino, loco qui dicitur Paſignanum, tranſlatio ſancti Joannis Gualberti, abbatis Vallis Umbroſæ.* Additur in STROZZ.: *Moritur carne & regnat cum Chriſto, anno ab ejus Incarnatione* MLXXIII. *Cerbonii.* *Caſſii. &c.* *Narnienſ.* *Tranſlat. Joan. Gualb.*

BURDEGALEN. *Sancti Clari, epiſcopi & confeſſoris.* Vide Caſtellanum. *Clari.*

CAUDIACEN. *Pago Matiſcenſi, monaſterio Cluniaco, exceptio ſanctorum Valentini presbyteri & martyris atque Felicis Pontificis & confeſſoris, qui apud Arvernum epiſcopalem cathedram tenuit.* *Except. Valent. &c*

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Monaſterio Jotero, depoſitio ſanctæ Theodehildis abbatiſſæ.* *Theodehild.*

EDITIO LUBECO-COL. De Gereone & reliquis vix quidquam novi affert, vide GREVENUM infra. Sequitur de Loth, ut in ANTVERP-MAX. &c. De Cerbonio, ut ULTRAJECT. Sed poſt *ſigno*, attexit: *Hic milites Chriſtianos hoſpicio recipit, propterea à rege Gothorum, urſo feroci ſubjicitur: qui pedes ſancti viri lambebat, & ſic liberatus, poſtmodum feliciter in Domino quievit.* In Pinyto ſatis purus, *Loth. Cerbonii. cum elog*

purus, de Paulino inſerit, *Eboracenſis*. In fine: *Trecas, ſancti* [ſanctæ] *Anchæ virginis & martyris.* Legendum *Tancæ* vel *Tanchæ*, quæ hoc die colitur. *Anchæ.*

BELIN. In fine textus, non omnino puri, ſubdit: *Eodem die, ſancti Zerboni, epiſcopi & confeſſoris.* Altera editio legit *Cerbonii*, & adjicit: *Lemovicas, tranſlatio egregii confeſſoris Chriſti Martialis.* Dies natalis eſt xxx Junii. *Cerbonii.* *Tranſlat. Martialis.*

GREVEN. *Loth propheta. Nota, ſanctus Gereon & ſocii ejus fuerunt ex legione Thebeorum. Similiter ſanctus Victor, qui cum ſociis* CCCXXX *apud Troiam, quæ nunc Xanctis dicitur, paſſus eſt. Ex eadem legione fuerunt Caſſius & Florentius cum ſeptem aliis, apud Veronam, quæ & Bonna dicitur. Hi omnes glorioſi martyres, diverſis licet in locis, pro una tamen fide Chriſti occiſi ſunt, corporaque eorum in loca profunda demerſa. In Africa, ſanctorum Euſebii, Eraclii, Venuſti martyrum. Cerbonii, epiſcopi Populoniæ civitatis & confeſſoris. De quo B. Greg. 3 Dialog. inter alia refert, quia hoſpitalitatis ſtudio valde intentus, milites transeuntes hoſpitio ſuſceptos, a Gothis abſconderit. Cumque ob hoc, urſo expoſitus fuiſſet, & beſtia epiſcopi pedes ferocitate depoſita lamberet, dimiſſus eſt. Cujus corpus cum in navi ad ſepeliendum deferretur, circa utraque navis latera procelloſa valde pluvia deſcendit, in ipſam autem ne una quidem gutta cecidit. Virgilii, epiſcopi Arelatenſis & confeſſoris.* Vide Acta v Martii. *Attici, Conſtantinopolitani epiſcopi & confeſſoris, cujus virtutes libro* 12 *hiſtoriæ tripartitæ tanguntur. Trecas ſanctæ Anchæ virginis & martyris.* De hac vide ſupra. An Atticus Sanctis adſcribi mereatur, alio loco inquiremus. *Loth.* *De Gereon. &c.* *Euſebii & ſociorum.* *Cerbonii cum elogio.* *Virgilii.* *Attici.* *Anchæ.*

MOLAN. Aliis litteris, de Victore textui inſerit, *loco qui Xanthis dicitur.* Tum: *Apud Veronam, quæ vulgo Bonna dicitur.* In fine, de Paulino: *Qui gentem Nordanhumbrorum, eam videlicet nationem Anglorum, quæ ad Aquilonem Humbri fluminis habitabat, cum rege ſuo Hedwino, prædicando verbum fidei, convertit ad Dominum. Eodem die, ſancti Cerbonii epiſcopi & confeſſoris.* De tranſlatione Martialis, ex BELINO. *Loth propheta. Jotro monaſterio, ſanctæ Telechildis virginis & abbatiſſæ. Trecas, paſſio ſanctæ Anchæ virginis. Ipſo die, dedicatio Ordinis Cæleſtinorum, ubique locorum præfati Ordinis una die ſolenniter celebranda.* Tum typis minoribus: *Joannis Prioris Bridlingtoniæ in Anglia, Ordinis Regularium, qui canonizatus eſt à Bonifacio* IX. *In Galliis juxta Aream, ſancti Venantii martyris vere nobilis.* Editiones poſteriores præfigunt aliis litteris, *Loth propheta.* In textu præter dicta, pro, *decem & ſeptem*, legitur, *ſociorum ejus.* De quibus videnda ibi Molani Annotatio. Inſeritur etiam *Ebraci.* Augmentum vero incipit ab his verbis: *Qui eam nationem* &c. De Cerbonio, poſt *Confeſſoris*, additur: *Populonienſis, cujus reliquias attulit in Gallias frater Robertus Piſanus.* De Tancha Trecenſi, ut ſupra. *Jotro monaſterio, ſanctæ Telechildis* &c. *In Anglia, monaſterio Bridlingtonia, depoſitio ſancti Joannis confeſſoris, & Prioris ejuſdem monaſterii, de Ordine Regularium.* De ſancto Venantio, ut ſupra. *In Haſteria, ſancti Nuncii confeſſoris. Die decima, ſanctorum martyrum Eulampii & Eulampiæ. Ipſo die, dedicatio Ordinis Cæleſtinorum, ubique locorum præfati Ordinis* &c. ut in priori. *De Paulino.* *Tranſlat. Martialis.* *Loth.* *Telechildis.* *Anchæ.* *Joannis.* *Venantii.* *Cerbonii.* *Nuncii.* *Eulampii & Eulampiæ.*

V *Idus.* *Die* 11.

Tharaci & ſocior. APud Tarſum metropolim Ciliciæ, natalis beatiſſimorum martyrum Tharaci, Probi & Andronici, qui perſecutione Diocletiani, longo tempore carcerali ſqualore afflicti, & tertio diverſis tormentis & ſuppliciis examinati, in confeſſione Chriſti triumphum gloriæ adepti ſunt. *Nigaſii & ſocior. Cainichi. Firmini.* In pago Vilcaſino, paſſio ſanctorum Nigaſii presbiteri & ſociorum ejus Quirini & Pientiæ. In Scotia, ſancti Cainichi abbatis. Civitate Uzetia, ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris.

Soli puri ſunt *Praten. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Scribo *Tarſum, presbiteri, Scotia*, &c. ut ſupra dixi ſæpius, licet codices in eo varient. *Tharaci* ſcribitur communius, & ita habent codices vetuſtiores Praten. Herinien. &c. non *Taraci*, ut alii, aut *Tarati* ut Greven. nullus *Tarachi* poſuit, cum tamen ex Græco ita legendum ſit. In Praten. Herinien. & aliis eſt *Vilcaſini*, ut nos ſervavimus, licet Greven. & Molan. malint *Vilcaſſini*: utrumvis elige. Greven. ſcribit *Nycaſii*, melius Molan. *Nicaſii*, quem multi ſequuntur, optime tamen, ni fallor, Praten. *Nigaſii*, ad diſtinctionem à Nicaſio Remenſi. Non capio, cur ea annuntiatio ab Herinienſi prætermiſſa ſit, niſi forte codicis deſcriptor, ut erat diœceſis vel provinciæ Remenſis, putarit eo modo ſanctum ſuum Nicaſium aliò transferri. *Canici* ſcribunt Greven. & Molan. ego *Cainichi* malo, ut ad veram nominis formationem proxime accedens, uti habent Praten. Herinien. & Aquicinct. vere tamen legendum exiſtimo *Kainnichi*, ut eſt in vita. *Uzecia, Uzechia* & aliter efferunt codices, præfero *Uzetia*, cum præcipuis.

Tharaci & ſocior. OBSERVATIO. Pretioſiſſima & numquam ſatis laudanda ſunt, genuina & Præſidialia illuſtriſſimorum horum trium Martyrum Acta, à Baronio primum, purius à Roſweydo, ab aliis etiam deinceps vulgata, ut in admonitione ſua fuſius explicat, is qui

is qui noviſſimam editionem Græco-Latinam adornavit Theodoricus Ruinartius, inter ſelecta & ſincera, a pag. 454. Eorum memoriam recolunt Hieronymiana, non hoc ſolum die, ſed etiam IX & ex hujus, ex diverſis codicibus diverſimode. Eos inter vetuſtiſſimum Antverpiense ſeu Epternacenſe, hodie: *Anazobori Ciliciæ* eos diſerte collocat, quo loco (quem *Anazarbi* multo melius expreſſeris) paſſos eſſe, non *Tarſi*, ex Actis ipſis demonſtratur. Hîc tamen eos primus ſtatuiſſe videtur auctor Romani parvi, his verbis: *Apud Tarſum, martyrum Tharaci, Probi & Andronici*, unde in Adonem, Uſuardum, Notkerum & recentiores omnes ea poſitio dimanavit. Quod in Epternacenſi Andronico addatur titulus *presbyteri*, id, procul dubio, ſcriptoris incuria irrepſerit. Adonis elogium ex ipſis Actis eleganter deductum eſt, à Noſtro ſolitæ brevitati ex illo aptatum. Inde veroſimiliter ſua quoque eruit Wandelbertus:

Quinas mox Tharacus, Probus, Andronicuſque coronant,
Virtutis mortiſque pares quos gloria reddit.

Huc uſque patent Uſuardi duces; alios Sanctos unde acceperit, non adeo clare perſpicio. Potuit quidem in aliquo Hieronymiano codice, forte Corbeienſi ſimili, reperire: *Nicaſii & aliorum martyrum*: ſed ibi ſociorum ejus nomina haudquaquam reperit. Ad hæc Adoniana Moſandri qualiſcumque editio meminit, *Nichaſii epiſcopi*, & *Subiculi diaconi* Noſter interim de hoc ſilet, alterique ſolum tribuit titulum *presbyteri*. Neque ab aliis Martyrologis lux ulla affulget; unde ſupereſt conjectandum, peculiarem notitiam habuiſſe Uſuardum, ex qua clariſſem illiam Martyrologio ſuo inſeruerit. Circa veram nominum inflexionem, conſuli poſſunt notulæ P. Motherii ad noviſſimam ejus Martyrologii Romani Gallicam verſionem. De reliquo videatur Tillemontius in Dionyſio Pariſienſi tomo 4 art. 18 pag. 485. *Venantius* abbas Turonenſis, Hieronymianis ex Florentinii mente adjectus, Floro, Rabano, Adoni Moſandri, & Notkero notus eſt, quem Noſter ad XIII Octobris diſtulit. At ex Scotia *Cainichum*, à nullo alio nominatum, adducit; forte quod Ordinis ſui abbatem cenſuerit, aut in ipſa Gallia peculiari cultu fuerit celebratus. Vita apud nos exſtat Ms., in qua *Kainnechus* appellatur, multaque de eo Roſweydus ad vitæ capita, notata reliquit, in Actis producenda. *Firminus* Uzetienſis plane etiam Uſuardinus eſt. De geſtis ejus ſcripſere varii, nos omnia ſuo tempore colligemus.

Nigaſii & ſocior. *Cainichi.* *Firmini.*

AUCTARIA.

HERINIEN. Puriſſimus eſſet & integerrimus, niſi omitteret annuntiationem ſecundam, de qua ſuperius dixi.

TORNACEN. Eodem laborat defectu quo HERINIEN. Cetera etiam ſatis purus.

ANTVERP MAJ. In Nigaſio, poſt *Quirini presbyteri*, ſic pergit, *& Scuvicoli diaconi & Pientiæ virginis. Qui cum beato Dyoniſio ab urbe Roma in Gallias ad prædicandum directi, & a præfecto Siſinnio in eodem pago comprehenſi, glorioſo ſunt martyrio coronati.* In fine præterea: *In Britannia, ſanctæ Ethelburgæ virginis, cujus vitam meminit Venerabilis Beda in geſtis Anglorum*

De Nigaſio & ſociis. *Ethelburgæ.*

ROSWEYD. De Nigaſio ſic legit. *Item, paſſio ſanctorum Nigaſii* &c. In fine: *Item ſanctæ Oneſtæ virginis.*

Oneſtæ.

PULSANEN. Tarſenſium elogium plane expunxit. Tum: *In pago Vilcaſſino, paſſio ſancti Nicaſſii presbyteri & ſociorum ejus Excubiculi, Quirini & Pientiæ virginis & martyris.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Incipiunt: *Redonis civitate, ſancti Melani confeſſoris.* Lege *Æmiliani.* Scribunt *Nigaſii epiſcopi & ſociorum ejus*, ſed nullum nominant. Deeſt annuntiatio ultima de Firmino

Melani pro Æmil.

MUNERAT. Scribit etiam *Nigaſii epiſcopi*, ſed dein mutata poſitione: *Caſtro Corbolio, beatiſſimi Quirini & Pœnitentiæ.*

De Nigaſ. &c

ANTVERP. ULTRAJECT. & LEYDEN. Incipiunt: *Tranſlatio ſancti* [LEYDEN, *patris noſtri*] *Auguſtini epiſcopi & confeſſoris, de Sardinia ad Papiam.* In Tarſenſibus, fere puri ſunt. De Nigaſio & ſociis poſt *Pientiæ*, addunt: *Quia beato Clemente Papa cum beato Dyoniſio ad prædicandum in Gallias directi, inſequente eos præfecto Feſcennino, gloriam martyrii adepti ſunt.* Habent, *Canici abbatis*; ſed de Firmino nihil

Tranſlat. Auguſt. in. De Nigaſ. &c

LOVANIEN. Etiam, *patris noſtri*: ex quo patet fuiſſe ad uſum PP. Auguſtinianorum. Cetera prioribus ſimilis eſt, niſi quod totum elogium Tarſenſium expungat.

ALBERGEN. & DANIC. Incipiunt: *Octava beati Franciſci confeſſoris.* De reliquo textum habent ſicut ANTVERP-MAX. ſed nihil de tranſlatione ſancti Auguſtini.

Octavæ Franciſci.

CENTULEN. In prima purus eſt, dempto elogio. *In pago Vilcaſſino, ſanctorum Nichaſii primi Rothomagenſium epiſcopi & ſociorum ejus Quiriaci & Pientiæ martyrum. In Syria, ſancti Euſtachii martyris. Turonis, depoſitio ſancti Venantii abbatis & confeſſoris.*

De Nigaſ. &c *Euſtachii.* *Venantii.*

BRUXELIEN. Incipit: *Apud Lyram oppidum Brabantiæ, depoſitio ſancti Gummari confeſſoris.* Sequitur de Nigaſio & ſociis, ut ANTVERP-MAX. In Tarſenſibus, fere purus eſt Tum: *In Acervo Siciliæ, natale ſanctorum Anaſtaſii presbyteri, Placidi & Marcialis. Apud Antiochiam, natale ſancti Eracli. Apud Coloniam Agrippinam, depoſitio Domini Brunonis archiepiſcopi. Apud Virdunum, depoſitio beati Sanctini epiſcopi & confeſſoris. In Scocia, depoſitio ſancti Canuthi abbatis & confeſſoris. Eodem die, tranſlatio beati Auguſtini glorioſi epiſcopi & confeſſoris.*

Gummari. *Anaſtaſii & ſocior.* *Eracli.* *Brunonis.* *Sanctini.* *Tranſl. Aug.*

HAGENOYEN. Incipit à Nigaſio & ſociis, auctus ut ſupra. In Tarſenſibus utcumque purus eſt. Tum inſerit: *Apud civitatem Cæſarienſem,*

Reparatæ. *natale ſanctæ Reparatæ virginis* &c. ut vide in Auctariis VIII Octobris. *Peluſiæ* [pro *Beliſiæ*] *depoſitio ſancti Amoris* &c. ibidem. *In Scocia, ſancti Canici abbatis depoſitio. In civitate Vſzecia, depoſitio ſancti Firmini* &c.

Amoris.

Placidi &c. AQUICINCT. In fine: *Item ſanctorum Placidi & Athanaſii.* Ita etiam codex D. CHEVAL ſignatus C.

VICTORIN. & REGINÆ SUEC. ſignatus num. 130. In fine: *Tranſlatio ſancti patris noſtri Auguſtini epiſcopi, de Africa in Sardiniam.* Superius agitur de tranſlatione ſecunda. Deinde. *Turonis, ſancti Venantii abbatis.*

Tranſl. Aug

Venantii.

Sanctini. Melani. Gummari. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Sanctini epiſcopi & martyris. Tharaci, Probi & Andronici, martyrum. Melani* [dixi ſupra legendum *Æmiliani*] *epiſcopi & confeſſoris. Gummari confeſſoris. Tranſlatio Auguſtini.* Dubium, de qua agat.

BIGOTIAN. ſignatus P. 5. Primo loco: *Rodonis civitate, ſancti Melani confeſſoris.*

DeNic. &c. BIGOTIAN. ſign. D. 9. *Eodem die, ſancti Nicaſii epiſcopi, Quirini presbyteri, & Scubiculi diaconi.*

AUGEN. Alia manu adjectum habet: *Apud Rotomagum, ſancti Nigaſii martyris, ſociorumque ejus.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt memoria Cainichi & Firmini; nihil adjectum eſt.

ALTEMPS. *In Scotia, ſancti Canuchi abbatis. Civitate Urſecia, ſancti Firmini* &c.

FLORENT. *Prima tranſlatio corporis ſancti Auguſtini epiſcopi & doctoris, de Iponia in Sardiniam.*

Tranſl. Aug.

Melanii. BURDEGALEN. *Turonis, ſancti Melanii epiſcopi & confeſſoris.* An non *Æmiliani Redonenſis* vel *Rotomenſis?*

BIZUNTICEN. *In Scotia, ſancti Canuti* &c. Legendum, opinor, *Cainichi. In civitate Uzetia* &c.

LUXOVIEN. *Sancti Sanctini, primi Virdunenſis epiſcopi.* Vide etiam ſuperius.

Venantii. REMENS. SS. Timothei & Apollinaris: *Turonis, ſancti Venantii abbatis.*

EDITO LUBECO-COL. Incipit à Nigaſio, ut

ANTVERP-MAX. In Tarſenſibus, ſatis pura eſt.

De Tranſlat. Auguſtini. Pro *Cainichi*, ſcribit *Carachi.* Tum: *Item translatio corporis eximii Doctoris ſancti Auguſtini epiſcopi & confeſſoris, de Sardinia in civitatem Ticinum, quæ nunc Papia dicitur, ubi per devotiſſimum regem Longobardorum, Luitbrandum nomine, in eccleſia ſancti Petri Apoſtoli, in calo aureo ſic dicto, honorifice, ut decuit, relatus ac conditus eſt anno Domini* DCCXXIII, *temporibus Gregorii Papæ II & Leonis III imperatoris, ab obitu ejuſdem Patris* CCLXXXIII. (Calculi chronologici non cohærent.) *Et hæc ipſius ſecunda tranſlatio appellatur. Ipſo die, ſanctorum martyrum Anaſtaſii presbyteri, Placidi & Geneſii ſociorumque eorumdem. Virduni, ſancti Xantlini ejuſdem loci epiſcopi & confeſſoris. Civitate Eurecia, ſancti Firmini* &c. *Ipſo die, ſanctæ Athelburgæ virginis. Item, ſanctorum Juſti, Arthemii & Honeſtæ virginis, martyrum. Et Turonis, ſancti Venancii abbatis.*

Anaſtaſii & ſocior.

Sanctini. Athelburgæ. Juſti &c. Venantii.

Tranſl. Aug Æmiliani. BELIN. Incipit: *Papiæ, tranſlatio & reconditio corporis beatiſſimi patris Auguſtini epiſcopi & confeſſoris. Redonis civitate, ſancti Emiliani confeſſoris.* In Tarſenſibus, recte. Tum: *Eodem die, octava ſancti patris Franciſci.* Deeſt Nigaſii & ſociorum. In Cainicho & Firmino ſatis purus eſt. Altera editio in fine addit: *Item Placidi & Athanaſii.*

Oct. Franc.

Placidi &c.

GREVEN. *Ipſo die, ſanctorum Anaſtaſii presbyteri, Placidi, Marcialis, Geneſii ac ſociorum eorum martyrum. Antiochiæ, natalis ſancti Eraclii. Venantis martyris. Iuſti, Arthemii & Honeſtæ virginis, martyrum. Virduni, beati Sanctini, ejuſdem loci epiſcopi & confeſſoris. Gummari confeſſoris. Melani confeſſoris. Tranſlatio ſancti Auguſtini epiſcopi. Cum enim Luitprandus, devotus Longobardorum rex, audiſſet, à Sarracenis depopulatam Sardiniam inſulam, in quam olim, ob barbarorum incurſionem, ab Ypone oſſa eximii Doctoris tranſlata fuerant, ſub omni celeritate illuc nuncios ſuos dirigit, datiſque pecuniis magnis ſacras reliquias Papiam deferri fecit anno Domini* DCCXXIII, *ab obitu ejuſdem ſancti* CCLXXXIII. *Diciturque hæc ſecunda ejus tranſlatio, prima vero celebratur ultima Februarii. Aliqui tamen hîc celebrant primam, illic vero ſecundam. Athelburgæ virginis & abbatiſſæ. Item ſanctæ memoriæ Brunonis archiepiſcopi Agrippinenſis Coloniæ & confeſſoris, germani Ottonis I imperatoris* Vide Surium.

Anaſtaſ. &c

Eraclii.

Venantis.

Juſti &c.

Sanctini.

Gummari.

Melani.

Tranſlat.

Auguſtini.

Athelburgæ.

Brunonis.

MOLAN. De Tarſenſibus textui inſerit aliis litteris totum Adonis elogium, quod in fonte legi poteſt. In fine, de tranſlatione ſancti Auguſtini & Æmiliano, BELINUM deſcribit. Tum: *Lyræ, depoſitio ſancti Gummari præclari confeſſoris, qui inter cetera virtutum ſuarum inſignia, ictu baculi ſui fontem de terra produxit; arborem quoque ſucciſam & terræ proſtratam, divino auxilio erexit, ac ita integram ſolidavit, ut nullum ſignum læſionis in ea appareret, quæ in teſtimonium tantæ virtutis, per annos plurimos incolumis permanſit.* Dein, minoribus litteris: *Hoc die obiit B. Jacobus Alomannus, Ordinis Prædicatorum. Athelburgæ virginis & abbatiſſæ.* De Sanctino, ut BELINUS. *Ex Calendario defunctorum Coloniæ, ad S. Pantaleonem obiit Dominus Bruno, pius paſtor ſanctæ Colonienſis eccleſiæ, qui inter cetera laudabilis vitæ inſignia, quæ liber geſtorum ejus plenius enumerat, etiam locum iſtum à fundamentis erexit, & rebus quæ ibi Deo ſervientibus ſufficerent, abundanter locupletavit.* In editionibus aliis textus ſimplex eſt. In fine de Gummaro, Æmiliano & Sanctino, ut ſupra. *Biſontii, ſancti Germani epiſcopi & martyris. In Anglia, ſanctæ Ethelburgæ virginis & abbatiſſæ. Die undecima, ſancti patris Theophanis, ſcriptoris & poëtæ, epiſcopi Niceæ. Papiæ, tranſlatio & reconditio* &c. ut BELIN. *Eodem die, depoſitio beati Brunonis Agrippinæ eccleſiæ archiepiſcopi. Qui inter cetera* &c. Deinde minoribus litteris, de Jacobo Alemanno, ut ſupra. Denique repetit: *Coloniæ ad ſanctum Pantaleonem, obiit Dominus Bruno, pius paſtor ſanctæ Colonienſis eccleſiæ ac fundator dicti monaſterii.* Vide quæ hîc habet citatus auctor in fine Annotationis.

Tranſl. Aug. Æmiliani. Gummari.

Jac. Aleman Athelburgæ.

Sanctini. Brunonis.

Germani.

Theophanis.

IV *Idus.* *Die* 12.

Hediſtii. Martyrum Afr 4976

APud Ravennam via Laurentina, natalis ſancti Hediſtii martyris. In Africa, ſanctorum confeſſorum & martyrum quatuor millium nongentorum ſeptuaginta ſex, ſub Hunnerico rege, qui cum eſſent eccleſiarum Dei epiſcopi, presbiteri, diaconi, aſſoci-

associatis sibi turbis fidelium populorum, pro defensione Catholicæ veritatis, in horribilis heremi exilium trusi, & ad extremum varie excruciati, martyrium celebrarunt; inter quos erant Cyprianus & Felix, præcipui Domini sacerdotes. In Syria, sancti Eustachii presbiteri. *Eustachii.*

Sumitur ex *Praten. Herinien. Munerat. Belin. in prima editione*, *Greven.* & *Molan.* Accedit codex *Danicus*, licet de cetero non satis correctus.

VARIA LECTIO. Munerat. pro, *via Laurentina*, legit, *via Laurentia.* Varie effertur nomen martyris, sed præcipue *Edistii*, vel *Hedistii.* Pro primo modo stant Greven. Molan. & alii cum Adone; pro secundo Praten. Herinien. & probatiores codices cum Romano parvo, quibus assentimur. Omnes codices legunt *milium*, ut alibi etiam dixi. Herinien. posuit, *quatuor milia* &c. In Greven. & Molan. est *Honerico*, in Munerat. *Himerico*, qui superius omisit ultimum numerum, *sex.* Greven. & prima Molani editio transponunt ordinem, legentes, *presbyteri*, *diaconi*, *episcopi. Heremi*, habent omnes, excepto solo Molano. Et hic rursus cum Greven. transposita habet nomina, *Felix & Cyprianus.* Munerat. & Belin. scribunt *celebraverunt.* Herinien., haud dubie amanuensis vitio, pro *Syria*, legit *Africa.* Belin. *Schitia.* Munerat. pro *Eustachii*, *Eustacii.*

OBSERVATIO. Notabilis est hodie inter codices Hieronymianos atque etiam inter alios Martyrologos discrepantia. Vetustissimum Epternacense primo loco enuntiat: *Romæ*, *natalis Hedisti*: quo modo ex pari codice descripsit Rabanus. Porro Hieronymiani alii expresse legunt: *In Ravenna*, *via Laurentina*, *natalis sancti Edisti.* Nescio in quo Notkero invenerit Florentinius: *Romæ*, *natalis sancti Bodisti martyris*, pro *Hedistii.* Invenio equidem tertio loco, *Bedisti martyris*, ast in principio clare expressit: *Apud Ravennam*, *sancti Edistii*, in quo à ductoribus suis minime deflectit. Etenim Romanum parvum stricte habet: *Ravennæ*, *Hedistii.* Ado paulo distinctius ex mente Hieronymianorum: *Apud Ravennam*, *via Laurentina*, *natalis sancti Edistii.* Unde Noster acceperit, in propatulo est; nec de Notkero dubium relinquitur, tametsi omiserit hæc verba, *via Laurentina.* An pro via Laurentina, substituenda sit, *via Lauretina* à nemore lauris consito, discere poteris ex Florentinio. Ceterum Ravennatem martyrem fuisse Hedistium, videtur extra controversiam, subscribente etiam Wandelberto hisce versiculis: *Hedistii.*

Idus tum quartas meritis Edistius auget,
Urbs Ravenna suo celebri quo martyre gaudet.

De fortissima & glorioſissima Africanorum martyrum legione, primus meminit auctor Romani parvi: *Apud Africam*, *sanctorum confessorum quatuor millium nongentorum septuaginta sex*, *sub persecutione Wandalica passorum.* Lacrymas, non jam commiserationis, sed potius exultantis animi testes, excutit Victor Vitensis, dum immanem Hunnerici barbariem describit lib. 2 in editione Chiffletiana à pag. 24, unde procul dubio encomii sui materiam desumpsit Viennensis Martyrologus, in martyrum numero secutus Romanum parvum, cujus Martyrologii auctor, diversum à Chiffletiano historiæ Wandalicæ persecutionis exemplum consuluit, nam in præfata Chiffletii editione, tota martyrum turma ad quatuor millia DCCCCLXI contrahitur. Numerum integre reddit, qui novis curis Vitensem recensuit Ruinartius pag. 30. Ab utroque differt Baronius, legens quatuor millia DCCCCLXVI. Præferendus omnino videtur Martyrologorum nostrorum calculus, novissimæ editioni conformis. Utcumque tamen fuerit; Usuardus Adonis elogium eleganter contrahens, etiam in determinando pugilum numero, recte sententiam ejus amplexus est. De ultima nostra annuntiatione, quemadmodum de prima, inter codices Hieronymianos controvertitur: arbitrum vide Florentinium. Nobis indubitatum est, ex aliquo apographo, simili Epternacensi, *In Syria*, *Eustachium*, vel *Eustatium presbyterum* acceptum fuisse, relictis, siquos habuit, sociis, ut passim Noster facere assolet: certe plane Usuardinam esse annuntiationem illam, ex codicibus evidentius ostendi non potest. Atque ex eodem ipso fonte hausisse videtur Rabanus, dum scribit: *Et in Syria*, *Eustati presbyteri*; ubi additur: *Et Eucharisti*, *Burri*, *Bonati* (Epternacense habet *Donate*,) de quibus, cum ad Usuardum non spectent, nulla hîc nobis quæstio est. *Eustachium* cum pluribus, tamquam Adoni adjectum, in appendicem retulit Rosweydus, idque etiam indicat asteriscus à Mosandro appositus. Videatur Notula a Castellano, Martyrologio suo universali appositа, qua confusos Martyres distinguere conatur. An satis feliciter, necdum ausim asserere; in tanta tabularum Hieronymianarum turbatione, quam alibi componere conabimur. *Martyrum Africanor* 4976. *Eustachii.*

AUCTARIA.

TORNACEN. Caret tota annuntiatione prima, in reliquis puriſſimus eſt.

ANTVERP-MAJ. Non legit, *pro defenſione Catholicæ* &c. ſed, *pro Dei confeſſione Catholicæ* &c. In fine autem addit: *In Brittania, ſancti Wilfridi epiſcopi & confeſſoris, qui inter ceteras virtutes, mortuo quoque vitam legitur reddidiſſe.* Vita *Wilfridi* illuſtrata eſt XXIV Aprilis. Vide etiam Surium hoc die. *Wilfridi.*

ROSWEYD Textui ſubdit: *In Britannia, depoſitio ſancti Wilfridi epiſcopi & confeſſoris.* *Wilfridi.*

PULSANEN. Mutilus eſt in elogio Africanorum, poſt *Hunerico rege*; cetera ſatis purus.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN In fine adjiciunt: *Bituricas, ſancti Epionis presbyteri.* *Epionis.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. & ALBERGEN. In textu ſatis puri, idem cum præcedentibus habent augmentum. *Bituricas, ſancti Epionis presbyteri.* *Epionis.*

CENTULEN. *Apud Ravennam, via Laurentia, ſancti Hediſtii martyris. Apud Africam, ſanctorum confeſſorum & martyrum nongentorum ſeptuaginta ſex* (deſunt quatuor millia) *Meldis, ſancti Sanctini epiſcopi & confeſſoris.* Vide die præcedenti. *Sanctini.*

BRUXELLEN. Incipit: *Apud Burgundiam, natale ſancti Gengulphi martyris. Qui a quodam clerico, uxoris ſuæ conſtuprutore, clam perimitur. In cujus necis ultionem idem clericus dum ventrem purgaret, viſcera, ut Arrius, effudit.* Vita ejus in Actis edita eſt XI Maii. *Apud Ravennam, via Laurentina, natale ſancti Hediſtii martyris & ſanctorum Celeſtii & Saturi. In provincia Siriæ, ſanctorum martyrum Quirini presbyteri & Euagri. In Egipto, ſancti Euſtachii presbyteri. In Campania, ſancti Euchariſti. Apud Bituricas, depoſitio ſancti Epionis presbyteri. Item ſancti Wilfrini, epiſcopi & confeſſoris.* Puto Wilfridum indicari. Africanos in ſequentem rejicit. *Gengulfi. De Hediſtio cum ſociis. Quirini &c. Euſtachii Ægypt. Euchariſti. Epionis Wilfrini.*

HAGENOYEN. Huc refert Loth Prophetam cum vitæ compendio, ex ſacris litteris de more collecto. Deinde agit de martyribus Africanis, in quibus fere purus eſt. Deſunt reliqua. *Loth.*

AQUICINCT. Africanorum martyrum numerum reducit ad *trium millium* DCCCCLXXVII. In fine autem addit: *Bituricas, ſancti Opionis. Et ſanctorum Saturi & Calixti.* *Opionis. Saturi & Calixti.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Amici & Amelii militum, martyrum, quorum actus leguntur. Sanctorum confeſſorum & martyrum quatuor millium & ultra.* *Amici & Amelii.*

In VATICAN. ſub num 5949. Deeſt *Euſtachii.* Adjicitur: *Romæ, ſancti Cæleſtini & Saturi.* *Cæleſtini & Saturi.*

FLORENTIN. *Biturichas, ſancti Epionis presbyteri. Item, ſancti Vilſtridii* [an non *Wilfridi*?] *epiſcopi & confeſſoris. Item, ſancti Eulagrii.* *Epionis. Wilfridi. Eulagrii.*

EDITIO LUBECO-COL. Textum purum refert, niſi quod in fine de Euſtachio addat, & *confeſſoris.* Tum: *Bituricas, ſancti Epionis presbyteri & confeſſoris. Civitate Meldis, beati Schynni, epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, ſancti Wilfridi epiſcopi & confeſſoris Eboracenſis civitatis. Ipſo die, ſancti Maximiliani epiſcopi & confeſſoris.* *Epionis. Schynni. Wilfridi. Maximiliani.*

BELINI editio altera, in fine: *Bituriges, Opionis confeſſoris.* Vide ſuperius. *Opionis.*

GREVEN. *Apud Apamiam, beati Marcelli epiſcopi & martyris, qui cum tempore Theodoſii ſenioris multa idolorum templa diruiſſet, à paganis tentus, pro confeſſione nominis Chriſti martyrio coronatus eſt. In Campania, natalis ſanctorum Euchariſti, Fortunati, Priſciani. In Syria, natalis ſanctorum Syri & Euagrii. Romæ, natalis ſanctorum Celeſti & Saturi. Item ſanctorum Amelii & Amici, quorum miri actus leguntur in ſpeculo Vincentii lib. 24 cap. 162. Cumque eſſent miro modo ſibi conſimiles, tandem in bello quod Karolus magnus contra Deſiderium Longobardorum regem in Italia geſſit, multis pollentes pietatis operibus, cum aliis multis interfecti, martyrii palmam adepti ſunt. Maximiliani Laureacenſis epiſcopi & martyris, qui tempore Cari & Numeriani imperatorum, martyrii coronam adeptus, poſtmodum à Duce Baioariorum in Pataviam ſuper litus Eni tranſlatus, in magna veneratione habetur. Lucinii & ſororis ejus martyrum. In Anglia, ſancti Wilfridi epiſcopi Eboracenſis & confeſſoris, cujus cum meminiſſet Beda lib. 4, rurſus lib 5, velut ad priora repedans, vitam ejus virtuoſiſſimam à puero diligentius perſtringit; epitaphium etiam verſibus conſcriptum adjiciens: ubi inter alia legitur, quod multis domi foriſque jactatus nimium per tempora longa periculis, tandem in pace quieverit. Hic libros quatuor ſacrorum Euangeliorum aureis litteris ſcribi, & thecam auream his condignam fieri fecit. Aniani epiſcopi, Namaati epiſcopi. Civitate Meldenſi, ſancti Schynni epiſcopi & confeſſoris. Symperthi epiſcopi. Bituricas, ſancti Opionis presbyteri & confeſſoris. In Aquitania, ſancti Geraldi abbatis & confeſſoris, de quo in geſtis ſancti Arnulphi Sueſſionenſis epiſcopi refertur, quia eidem Arnulpho in regimine monaſterii ſucceſſerit, ſed ab ambitioſis expulſus, Aquitaniam profectus, monaſterium conſtruxerit, quodque ejus vita & mors ſignis virtutum & miraculorum gloria reſulſerit. Ardani abbatis. In Scotia, Movei abbatis. Eufraſiæ virginis & martyris. Harlindis virginis & martyris.* *Maximiliani. Euchariſti & ſociorum. Syri &c. Celeſti & Saturi. Amelii & Amici. Marcelli. Aniani. Nazmati. Schynni. Symperti. Geralai. Ardani. Movei. Eufraſiæ. Harlindis.*

MOLAN. *Bituriges, Opionis confeſſoris.* Deinde minoribus typis ex GREVENO deſcribit omnia de Wilfrido Eboracenſi. Item de Amelio & Amico notans in Vincentii Speculo librum 24 cap. 62 & ſeqq. In fine. *Maximiliani Laureacenſis epiſcopi & martyris.* In editionibus aliis, de Opione, ut ſupra. *Mediolani, tranſlatio ſancti Monæ archiepiſcopi. In Anglia, natalis ſancti Vuilfridi epiſcopi Eboracenſis & confeſſoris. Celenæ in Pannonia, Maximiliani Laureacenſis epiſcopi & confeſſoris. Cujus corpus Laureacum tranſtulit ſanctus Rupertus Bavarorum Apoſtolus, qui plurimas eccleſias ad ejus honorem dedicavit. Tandem vero Pataviam reliquias tranſtulit Henricus ſecundus imperator.* Deinde typis minoribus: *Papiæ, ſanctorum martyrum Amelii & Amici, quos rex Deſiderius occidit in bello contra Carolum magnum.* Ex Caſtellano diſces, reliquias eſſe Mortariæ. *Wilfridi. De Amel &c. Maximil. Tranſlat. Monæ. Amelii & Amici.*

Die 13.

III *Idus.*

Carpi. Fauſti & ſociorum. APud Troadam, natalis beati Carpi diſcipuli Apoſtoli Pauli. In Hiſpaniis civitate Corduba, paſſio ſanctorum Fauſti, Januarii & Martialis, qui primo equulei pœna cruciati, deinde ſuper-

ſuperciliis raſis, auribus quoque & naribus præciſis, dentibus etiam ſuperioribus evulſis, ad ultimum ignis paſſione martyrium conſummaverunt. Antiochiæ, ſancti Theophili, qui ſextus ab Apoſtolo Petro pontificatum eccleſiæ tenuit. Turonis, ſancti Venantii abbatis. *Theophili.* *Venantii.*

Ex *Herinien. Roſweyd. Munerat. Belini prima editione, Greven. & Molan.*

VARIA LECTIO. *Troadam* ſcribunt Mss. vetuſtiores codices cum Adone; typis editi, ut Munerat &c. habent *Troadem.* Belin. legit, *diſcipuli ſancti Pauli Apoſtoli.* Idem pro *Fauſti*, ponit *Fauſtini:* item *ſupercilitis* & errata alia. Rurſus Belin. Greven. & Molan. ſcribunt, *qui ſextus ab Apoſtolo Petro eccleſiæ pontificatum tenuit.* Roſweyd. autem, *qui ſextus a beato Petro Apoſtolo Antiochenæ eccleſiæ* &c. Puto Uſuardum legiſſe, ut eſt in textu. Belinus iterum male *Amantii*, pro *Venantii* ſubſtituit. Pratenſem codicem a puris excluſimus, quia in fine additamentum habet: *Ipſo die, ſanctorum confeſſorum Geraldi & Leoboni.* A recentiori calamo eſſe, vel inde colligo, quod ſoliti comites Antverp-maj. & Roſweyd. eam annuntiationem non poſuerint.

OBSERVATIO. De Carpo Apoſtoli hoſpite & diſcipulo, nullus Martyrologus meminit ante auctorem Romani parvi, a quo ita celebratur: *Troade, Carpi, Apoſtoli Pauli diſcipuli.* Hinc in Adonem defluxit, & in Adonis ſequaces Uſuardum ac Notkerum. Prima ejus & certa notitia ſumitur ex 2 ad Timotheum 4 ℣ 13. Alia in Notis inſinuat Baronius, ſuo tempore uſui futura. Vide quid de iis ſentiat Tillemontius tomo 1 pag. 301 & 581. *Cordubenſes martyres*, & quoad locum & quoad nomina deformatos, exhibent Hieronymiana aliqua, quibus conciliandis occupatur Florentinius, Ex his ſua decerpſit Rabanus, at Noſter ſolitum ducem Adonem ſecutus eſt, omnia ex eo ferme verbatim deſcribens: non quidem ex hoc die, ſed ex XXVIII Septembris, quo à Romano parvo notati ſunt, & ab Adone præfato, elogio exornati. Cur Uſuardus huc eos diſtulerit, non aliam cauſam divinare licet, præter eam, quam XXVIII Septembris breviter attigimus, nimirum quod fortaſſe in Hiſpania, hoc ipſos die coli deprehenderit. Plura in hanc rem colligit Theodoricus Ruinartius, eorum Acta inter ſincera & ſelecta referens, à pag. 597; nec tanti momenti ſunt difficultates propoſitæ a Tillemontio tomo 5 pag. 796, ut non facile diſſolvi queant. Laudantur etiam Cordubenſes noſtri in hymno Prudentii apud eumdem Ruinartium pag. 517. Wandelbertus & XXVIII Septembris & hoc die Martyres illos cecinit, quos forte diverſos putavit ex *Martialis* & *Marcelli* apud ipſum diſcrimine. Primo loco ita habet: *Carpi* *Fauſti & ſociorum.*

Fauſtus, Martialis quartum & Januus ornant,
Martyrii trabea ſimul & certamine clari.

Hodie vero ſic unico verſu abſolvit:

Ternas Marcellus, Fauſtus, Januarius implent.

Theophilus ab Hieronymo de Script. cap. 25 egregie laudatus, primitus etiam oritur ex Romano parvo, his verbis: *Antiochiæ, Theophili epiſcopi, qui ſextus ab Apoſtolis fuit.* Vix dubito, quin ex Rufino lib. 4 cap. 24 deſumptus ſit. Phraſim permodicè ampliavit Ado, ſed eam neſcio unde auxerit Notkerus: Noſter ex Adone ſua deſumpſit, omittens duo ultima verba, *viri eruditiſſimi*, quæ certe intacta ſervare poterat, cum ex citatis Euſebio & Hieronymo de inſigni ejus doctrina abunde conſtet, ut pluribus invenies ex aliis ſcriptoribus à Baronio in Notatione citatis. Nobis maxime uſui veniet Halloixii noſtri lucubratio, conferenda cum commentario Gallico Tillemontii tomo 3 à pag. 49. De *Venantio* non ſemel in Auctariis ſermo fuit. Liquet hoc primum die ab Uſuardo ſignatum, ſed obſervavit Caſtellanus in Martyrologio ſuo univerſali, hunc ſepulturæ potius quam obitûs diem eſſe. Vita ejus ex Gregorio Turonenſi potiſſimum innoteſcit. *Theophili.* *Venantii.*

AUCTARIA.

PRATEN. Jam ſupra in Variantibus augmentum ejus notavimus: *Ipſo die, ſanctorum confeſſorum Geraldi & Leoboni.*

TORNACEN. Hic ſolito defectuoſior caret annuntiatione prima & ultima, in duabus mediis omnino purus.

ANTVERP-MAJ. Habet iterum acceſſionem Anglicanam: *Eodem die apud Weſtmonaſterium, tranſlatio ſancti Edwardi regis & confeſſoris.* *Tranſlat. Eduardi.*

PULSANEN. Deficit in elogio Cordubenſium, in relequis ſatis purus.

ANTVERP. MAX-LUBEC. CODEX BIGOTIAN. ſign P. 5. & UGHELLIAN. Omnes in fine poſt textum adjiciunt: *Item Marcelli, Adriani & Marci.* Ex Hieronymianis codicibus accepti videntur, ſed, ut ſæpiſſime accidit, male conjuncti. *Marcelli ſociorum.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERGEN. & DANIC. Omnes pro *Fausti*, ſcribunt *Fauſtini*. Omnes ex Adone de Theophilo reſtituunt verba, quæ ab Uſuardo omiſſa fuerant; nempe, *viri eruditiſſimi*. Omnes penultimo loco inſerunt: *Item Calcedonia, ſanctorum Marcelli*, [ſolus ANTVERP-MAX. præter ceteros legit *Marcelliani*] *Adriani & Marci*.

De iiſdem.

LOVANIEN. Cum prioribus convenit, ſed deficit in elogio Cordubenſium.

CENTULEN. *Apud Troadam, ſancti Carpi epiſcopi, diſcipuli Pauli Apoſtoli. Cordubæ, ſanctorum Fauſti, Januarii & Martialis, qui ignis paſſione martyrium conſummaverunt.*

Textus mutilus.

BRUXELLEN. Huc refert martyres Africanos, de quibus egimus die præcedenti, narrationem ex Adone amplificans. In Carpo, purus eſt. Sequitur de Theophilo, ut ſupra. In Cordubenſibus ſatis purus eſt. *In Calcedonia, natale ſanctorum martyrum Marcelli, Adriani & Marci. In Alexandria, ſancti Athanaſii, orthodoxi.* Videtur indicari Magnus Athanaſius, ſed hic colitur 11 Maii. Sequitur: *Arvernis, ſancti Gerardi confeſſoris.* Vocatur *Geraldus*. Vide Caſtellanum, & codices infra. De Venantio agendum erit die ſequenti.

Marcel &c. Athanaſii.

Gerardi.

HAGENOYEN. De Carpo, poſt *Apoſtoli*, addit: *De quo idem Apoſtolus mentionem facit in ſuis epiſtolis.* Hîc ponit Hediſtium Ravennatem, de quo nos pridie. Theophilo etiam addit elogium *viri eruditiſſimi*: Deinde adjungit: *Qui librorum quatuor Euangeliorum in uno volumine compoſuit. Turonis, depoſitio ſancti Venantii abbatis in monaſterio ſancti Martini. Ipſo die in Calcedonia, paſſio ſanctorum martyrum Marcelli, Adriani & Marci.*

De Carpo. Hediſtii. De Theophil. Venantii. Marcel &c.

AQUICINCT. Ante *Turonis*, interſerit: *Item ſanctorum Marcelli, Adriani & Marci. Eodem die, ſancti Geraldi confeſſoris. Qui licet in laicali habitu, Chriſtianæ religioni inhærens viriliter, quemadmodum Deo charus extiterit, per miracula monſtratum eſt, quæ vivens geſſit & multiplicitèr poſt mortem operatur.*

Marcel. &c. Geraldi.

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. *Ipſo die, ſancti Geraldi confeſſoris.*

Geraldi.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Venantii abbatis & confeſſoris. Carpi, diſcipuli beati Pauli. Fauſti, Januarii & Martialis, grauiter paſſorum. Theophili epiſcopi Antiochiæ.*

Textus contractus.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Fauſti* & ſoc. item *Venantii*. Adjectum: *Apud Gallias, depoſitio ſancti Geraldi confeſſoris. Tranſlatio ſancti Giliberti confeſſoris. Romæ, depoſitio ſancti Honorii Papæ.* Majori auctoritate opus erit, ut de cultu aliquid ſtatuatur.

Geraldi. Tranſlat. Giliberti. Honorii.

LUGDUNEN. *Depoſitio beati Geraldi confeſſoris Chriſti.* De quo jam ſæpius.

Geraldi.

BURDEGALEN. *Tranſlatio ſancti Geraldi confeſſoris.* Lege cum aliis, *depoſitio.*

CASTRI-KAROLI. *Apud urbem, quæ Orlacus nuncupatur, ſancti Geraldi confeſſoris.*

Geraldi.

REMENS. SS. Timothei & Apollinaris. *In Aquitania, monaſterio Aureliaco, depoſitio ſancti Geraldi confeſſoris.*

Geraldi.

EDITIO LUBECO-COL. *Coloniæ Agrippinæ, in monaſterio ſanctorum Panthaleonis, Coſmæ & Damiani medicorum Dei, inventio corporis beati Maurini abbatis & martyris, ſub Ottone I imperatore, & fratre ejus Domino Brunone, Colonienſi archiepiſcopo, incarnationis Verbi anno* DCCCCLVI. Sequitur textus, ut eſt ſupra in ANTVERP-MAX. &c. Tum: *In Calcedonia, ſanctorum Marcelli, Adriani & Marci confeſſorum. In territorio Treverenſi, tranſlatio ſancti Lubencii presbyteri & confeſſoris. Eodem die, ſancti Geraldi confeſſoris. Apud Auſtriam juxta Danubium, paſſio ſancti Calomanni martyris ac peregrini Chriſti. Ipſo die, triumphus ſancti Lamberti epiſcopi Leodienſis & martyris. In Anglia, tranſlatio ſancti Etwardi regis & confeſſoris.*

Invent. Maurini.

Marcelli & ſociorum.

Lubencii. Geraldi. Calomanni.

BELINI. Editio altera habet textum, ut prior, ſed in fine conjungit: *Item Marcelli, Adriani, Marci & Geraldi.* Ultimus confeſſor, cum primis martyribus male connectitur.

Marcel. &c. Geraldi.

GREVEN. *In Calcedonia, ſanctorum Marelli* [Marcelli] *Adriani & Marci. Apud Auſtriam juxta Danubium, paſſio ſancti Colomanni martyris ac peregrini Chriſti. Colonia Agrippina, inventio ſancti Maurini abbatis & martyris. Cum enim beatæ memoriæ Bruno Colonienſis archiepiſcopus anno Domini* DCCCCLXVI, *monaſterium ſancti Panthaleonis in præfata civitate erigeret & pro fundamento locando foderetur, repertum eſt ſacrum corpus titulo appoſito: Hic requieſcunt oſſa bonæ memoriæ Maurini abbatis, qui in atrio eccleſiæ martyrium pertulit ſub die quarto Idus Junii. Ipſo die, triumphus ſancti Lamberti epiſcopi Leodienſis & martyris. Alexandriæ, Athanaſii, Doctoris optimi, qui fidem expoſuit. In Uſuardo habetur* VI *Nonas Maii. In Anglia, tranſlatio ſancti Edwardi regis & confeſſoris. In territorio Treverenſi, beati Lubentii presbyteri & confeſſoris. Congani abbatis. Item beatæ memoriæ Belixendæ, filiæ Karoli magni, uxoris ſancti Amelii Comitis & martyris.* An cultum habeat, poſtea videbitur.

Marcel. &c. Calomanni. Invent Maurini. Lamberti. Athanaſii. Tranſlat. Eduardi. Lubentii. Congani. Belixendæ.

MOLAN. *Eodem die, triumphus ſancti Lamberti in Steps. Apud Ceptam Saracenorum civitatem, ſanctorum martyrum Danielis, Samuelis, Angeli, Domni, Leonis, Nicolai, Hugolini; de Ordine fratrum Minorum, qui deſiderio martyrii flagrantes, fidem Catholicam imperterrita mente ibidem conſtantiſſimè prædicaverunt; tandem poſt illata opprobria, poſt contumelias, irriſiones, flagella & vincula, capitis obtruncatione martyrio coronati ſunt, anno Domini* MCCXXI, *anno ſexto ante obitum beati patris noſtri Franciſci. In Alexandria, natale ſancti Anaſtaſii epiſcopi, & ſancti Lupentii presbyteri & ſancti Geraldi confeſſoris. Coloniæ, in monaſterio ſanctorum Panthalionis, Coſmæ & Damiani medicorum Dei, inventio corporis ſancti Maurini abbatis & martyris: quod anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCLXIV, *dum fundamentum ejuſdem eccleſiæ effoderetur, cum hujuſmodi inſcriptione repertum eſt: Hic requieſcunt* &c. Deinde minoribus typis, de Colomanno, ut ſupra. *Item ſancti Gerbrandi abbatis & confeſſoris. Simperti epiſcopi duodecimi eccleſiæ Auguſtenſis, circa annum* DCCLXVI; *cujus corpus requieſcit in cœnobio ſanctorum Udalrici & Afræ. Per cujus merita, inter varia miracula, muliercula quædam pauper recuperavit officium brachii unius ac manus, quo per aliquot annos caruerat. Quæ pro ſanitate recepta laudes exſolvit & brachium cereum ad indicium ſanitatis ſuæ ibi reliquit.* Editiones aliæ: *Apud Septam Saracenorum* &c. ut ſupra in priori. *In Galliis, ſancti Geraldi confeſſoris. Treveris, ſancti Lupentii presbyteri. Auguſtæ Vindelicorum, ſancti Simperti, epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, triumphus ſancti Lamberti in Steps. Coloniæ in monaſterio ſanctorum Pantaleonis* &c. ut ſupra. Demum charactere minori: *Item, ſancti Gerbrandi confeſſoris & primi abbatis in Flori campo, Ordinis Ciſtercienſis.* Vide Caſtell. in Martyr. univ.

De Lambert De Marit. Septanis. Calomanni. Gerbrandi. Simperti cum elogio.

II *Idus.*

II *Idus.* *Die* 14.

ROmæ via Aurelia, natalis beati Caliſti Papæ & martyris. Hunc Alexander imperator ſub diutina cuſtodia, fame cruciari, & quotidie fuſtibus cædi juſſit, tandem vero per feneſtram domus, in qua cuſtodiebatur, præcipitatus, victoriæ triumphum promeruit. Civitate Tudertina, ſancti Fortunati epiſcopi, qui in effugandis ſpiritibus immundis, immenſæ virtutis gratia enituit. *Calliſti.* *Fortunati.*

Sumitur ex *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-majore, Roſweyd. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Calixto, Calliſto, Caliſto, Caleſto*, dixi alibi, ut videſis XVI Aprilis. Hîc iterum ſequor antiquiores noſtros codices Praten & Herinien. cum Hieronymianis. De *cotidie* etiam ſatis dictum eſt. Inter alia errata typographica, eſt in Munerato, *tantem vero*. Praten. Herinien. & Munerat. legunt *Tutertina*, cogor cum omnibus aliis melius ſcribere *Tudertina*. Alter Munerati error eſt in *affugandis*, pro *effugandis*. Maxima variatio eſt circa ultimum verbum *enituit*, quo modo ſcribunt Praten. Tornacen. & Munerat. Male Herinien. verbum *pollebat*, quo utitur Gregorius, in præterito inflexit per *polluit*. Antverp-maj. Greven. Molan. ponunt *emicuit*. Roſweydini codicis ſcriptor, dubius quid præferret, ſcripſit *emicuit*, & ſuperius adjunxit *enituit*. Putamus, nos cum Uſuardo legere.

OBSERVATIO. *Calixti, Calliſti*, vel *Caliſti* Papæ, ſive is mortualis ſit, ſeu potius ex mente Adonis, ſepulturæ dies, in antiquiſſimis quibuſque Eccleſiæ monumentis, pridie Idus Octobris ſolenniter recolitur. Etenim hoc ipſo die de eo loquuntur Bucherii, Allatii, Frontonis, aliaque kalendaria vetuſtiſſima, Sacramentarium Gregorii & Martyrologia omnia. Hieronymiani codices non eâdem quidem phraſi, ſed *Calixti, Caliſti* vel *Caleſti*, expreſſe meminerunt. Diſcordiam inter ea apographa non unam componere, & locum determinare conatur Florentinius. Beda & ex eo Rabanus, Calliſtum inſigni elogio exornant, quod in Adone diffuſius eſt, deſumptum tamen ex eodem fonte, quem non ſatis limpidum & defæcatum agnovit Baronius, tum in Notatione, tum in Annalibus, ad annum CCXXVI à numero 2, ut fuſius ſupra notavimus ad diem x Maii. Videri poſſunt quæ apud Surium edita ſunt. Ceterum quæ in hodierno latercolo Noſter protulit, ex Beda potius quam ex Adone accepta videntur. Romanum parvum Adoni paucis prælu xerat: *Romæ, Calliſti Papæ & martyris, & Privati militis.* Mavult Florentinius *Saturnum* ſocium Calliſto adjungere; Wandelbertus anonymum relinquit: *Calliſti.*

Caliſtus pridie an tiſtes martyrque trophæo
Præcelſens multo, & comitatus martyre fulget.

Brevem pontificatus ſancti Calliſti ſyllogen dedit Tillemontius tomo 3 à pag. 250: pars Actorum ad x Maii vulgata eſt, ubi de Calepodio, Palmatio & ſociis actum; reliqua ſuo loco illuſtrabuntur. De *Fortunato*, Tudertino epiſcopo, ſilent antiqui Martyrologi omnes, ſic ut proinde planiſſime Uſuardinus ſit; repertus procul dubio in ſancti Gregorii Dialogis, cujus fere verbis ex libro I. cap. 10 annuntiatio Noſtra contexitur. Aſt in Gregorio, qui ſolum miraculis referendis intentus eſt, diem obitus Noſter non reperit, quidquid Ferrarius rotunde ſignet, pridie Idus Octobris, unde non temere conjectari poſſe videor, hunc præ ceteris diem pro mero Uſuardi arbitrio ſelectum eſſe, qui ſubinde inter recentiores obtinuit; quod plerumque factum eſt in aliis Sanctis, ex Gregorii Dialogis in Faſtos ſacros tranſlatis. Cur XXX Junii apud Tudertinos Fortunati memoria feſtivius celebretur, vide in Notatione Baronii. Obſervat autem Caſtellanus, feſtum ſolenniter recoli in ea civitate XXX Auguſti; an quod is forte obitus dies ab incolis cenſeatur, ſuo loco diſquiretur. Vide interim quæ de Fortunato exſtant apud Surium hoc die. Recurrit hodie in Adone *Juſtus* Lugdunenſis, de cujus & depoſitione & tranſlatione abunde egimus ſecunda Septembris. *Fortunati.*

AUCTARIA.

PULSANEN. Pergit deficere, ferme quotidie in Sanctorum elogiis mutilus. Hodie de Calliſto ſolum habet, uſque ad *Papæ & martyris*, expunctis reliquis omnibus. In Fortunato ſatis purus eſt.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. De more hîc denuo conveniunt: in Uſuardino textu puri ſunt, ſed in fine adjungunt: *Item Saturnini & Lupi.* Sunt illi martyres Cappadoces, quorum ſocios vide in Hieronymianis. *Saturnini & Lupi.*

ULTRA-

ULTRAJECTIN. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Sic habent : *Item, ſanctorum Saturnini & Lupi*

De iiſdem,

ANTVERP-MAX. Idem habet augmentum, & præterea adjungit : *Eodem die Brugis, beati Donatiani archiepiſcopi Remenſis ſeptimi.*

Donatiani.

CENTULEN. *Romæ, natalis ſancti Calixti Papæ & martyris, qui ſedit in epiſcopatu annos ſeptem, menſes duos, dies decem, & ſub imperio Alexandri, martyrii gloriam adeptus eſt. Civitate Toderta, ſancti Fortunati epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, feſtivitas ſancti Donatiani, ſeptimi Remorum epiſcopi, cujus corpus in caſtro Brugenſi magnæ reverentiæ habetur. Ipſo die, ſancti Viatoris, lectoris, comitis ſancti Juſti epiſcopi.* Vide Obſervationem.

Donatiani.

Viatoris.

BRUXELLEN. *Romæ via Aurelia, natale ſancti Calixti Papæ & martyris, qui jejunia quatuor temporum inſtituit. Hic ſub perſecutione Alexandri imperatoris, in carcere poſitus, quemdam militem ab ulcerum fœditate, ſimul & ab infidelitate curavit : quod audiens Alexander imperator, ipſum quidem militem plumbatis deficere, beatum vero Calixtum Papam per feneſtram domus præcipitari, & ligato ad collum ejus ſaxo, in puteum demergi præcepit. Poſt dies autem decem & ſeptem Aſterius presbyter cum clericis, nocte levavit corpus ejus & illud in cimiterio Calopodii, qui antè martyrium conſummaverat, ſepelivit.* Vide Adonem. *Mauri monaſterio, ſancti Celeſtis epiſcopi, diſcipuli beati Petri Apoſtoli. Qui cum beato Clemente & Felice ad urbem Metenſem veniens, poſt primum, in eadem urbe epiſcopus conſtitutus, cœleſtem duxit vitam & tandem ad Chriſtum migravit. Et in Corduba, natale ſanctorum martyrum Saturnini, Lupi & Aureliæ.* Vide Auctarium ſecundum. In Fortunato purus eſt. *Eodem die, ſancti Donaciani Remorum archiepiſcopi. Turonis, depoſitio ſancti Venancii abbatis & confeſſoris. Civitate Belloacenſi, ſanctæ Angadriſinæ virginis, ſponſæ ſancti Ausberti archiepiſcopi Rothomagenſis.* Apud Caſtellanum appellatur *Angadriſma. Item tranſitus ſancti Juſti.* Vide Obſervationem.

Multa de Calliſto.

Celeſtis.

Saturnini & ſociorum Donatiani.

Venantii.

Angadriſin.

De Juſto.

HAGENOYEN. Præter jejunium quatuor temporum alia Calliſti ſtatuta adducit, quæ malim alibi reperire. In Fortunato ſatis purus eſt. Tum : *In Britannia, ſancti Paulini, epiſcopi & confeſſoris in civitate Eburati.* Vide ſupra x Octobris. *Item, ſanctorum martyrum Saturnini & Lupi.*

De Calliſto

Paulini

Saturn. &c.

AQUICINCT. In fine, addit : *Item, ſanctorum Saturnini & Lupi. In pago Beluacenſi, ſanctæ Andragiſines virginis. Brugias, ſancti Donatiani archiepiſcopi & confeſſoris.*

De iiſdem. Andragiſin. Donatiani.

VICTORIN. In fine : *Item, ſanctæ Fortunæ virginis* Pro *Fortunatæ.* Vide inferius.

Fortunatæ.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Calixti Papæ & martyris. Donatiani epiſcopi & confeſſoris. Fortunati epiſcopi. Eutropii epiſcopi* (notatur in margine, *hunc hoc die alibi non invenio.*) *Fortunatæ virginis & martyris cum tribus germanis.*

Donatiani.

Eutropii

Fortunatæ.

REG. SUEC. ſub num. 428. *Beloacus, ſanctæ Angadriſinæ virginis.* Vide BRUXELLEN.

Angadriſin.

REG. SUEC. Sub. num. 130 : *Item, ſanctæ Fortunatæ virginis.* Vide cod. ſequentem.

Fortunatæ.

In VATICAN. num. 5949. Deeſt *Fortunati.* Adjicitur : *Eodem die, tranſitus ſancti Juſti eremitæ. Apud Campaniam, ſanctæ Fortunatæ virginis, quæ paſſa eſt cum tribus fratribus ſuis Carponio, Euariſto & Priſciano, apud Cæſaream, imperantibus Diocletiano & Maximiano, præſide Urbano.*

Juſti. Fortunatæ & ſocior.

FLORENTIN. *Item, ſanctorum Saturnini & Lupi. Item ſancti Gaudentii.* STROZZIAN. addit, *Gaudentii. epiſcopi.* Vide GREVEN.

Saturn. &c.

LUXOVIEN. *Tranſitus ſancti Juſti confeſſoris in eremo. Ipſo die, Cœleſtis epiſcopi ipſius civitatis.*

Juſti Cœleſtis.

EDITIO. LUBECO-COL. In Calixto interpolata, præter jejunium quatuor temporum, addit, *quod promotiones Eccleſiæ Ordinum gradatim fieri inſtituit, & induxit ſervare perpetuam caſtitatem miniſtris Eccleſiæ.* Cetera habes ſupra. In Fortunato, pura eſt. Tum : *Eodem die, ſanctorum Saturnini & Lupi martyrum Treveris, ſancti Ruſtici, ſecundi epiſcopi & confeſſoris. Herbipolim, ſancti Burchardi ejuſdem civitatis primi epiſcopi & confeſſoris. In heremo, tranſitus ſancti Juſti heremitæ. Methis civitate, ſancti Cœleſtis, ſecundi ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris. Civitate Remis in Galliis, ſancti Donatiani epiſcopi & confeſſoris.*

De Calliſto.

Saturn. &c.

Ruſtici Burchardi.

Juſti. Cœleſtis.

Donatiani.

BELIN. Poſt *promeruit*, interponit : *Hic conſtituit jejunium die ſabbati quater in anno fieri, frumenti, vini & olei ſecundum prophetiam.* In fine : *Item ſanctorum Saturnini & Lupi.*

De Calliſto.

Saturn &c.

GREVEN. *Eodem die, ſancti Gaudentii epiſcopi Ariminenſis & martyris. Qui Epheſi ortus, Romæ tempore Damaſi Papæ, presbyter ordinatus, miraculis claruit. Conſecratus deinde Ariminenſi eccleſiæ in epiſcopum, poſtquam multos ad fidem convertiſſet, ob Catholicæ fidei defenſionem fuſtibus & lapidibus uſque ad emiſſionem ſpiritus mactatus eſt. Civitate Corduba, ſanctorum Lupi & Aureliæ. Saturnini & Lupi martyrum. Viennæ, ſanctorum Agrati & Caſturi, ejuſdem urbis epiſcoporum. Treveris, ſancti Ruſtici, ſecundi ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris. Apud Herbipolim, ſancti Burchardi, primi illius eccleſiæ epiſcopi & confeſſoris. Hic cognatus fuit ſancti Bonifacii Maguntinenſis epiſcopi & martyris, atque ab eo præfatæ eccleſiæ antiſtes ordinatus anno Domini* DCCLI. *Cumque multo tempore ſtrenue eam gubernaſſet, ſolitariæ vitæ deſiderio alium loco ſui inſtituit faciens, Deo & ſibi vacans, quievit anno ſacerdotii ſui quadrageſimo. Juſti Lugdunenſis epiſcopi & confeſſoris hic depoſitio. Qui & ipſe ſolitariam vitam diligens, in heremo aliquot annis ſanctiſſime converſatus, miniſtro ſuo Viatori, quod ſe celeriter ſequeretur, mortens prædixit. In Galliis civitate Remis, beati Donatiani archiepiſcopi & confeſſoris. Methis, beati Celeſtis, ſecundi ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris, diſcipuli beati Petri Apoſtoli. Vitalis confeſſoris. Apud Beluacum, ſanctæ Angadriſimæ virginis, ſponſæ ſancti Ausberti Rothomagenſis. Vide ſupra* V *Idus Februarii. Fortunatæ virginis & martyris, & trium fratrum.*

De Gaudent. Lupi &c.

Saturn. &c.

Agrati &c.

Ruſtici.

Burchardi cum elogio.

Juſti.

Donatiani. Cœleſtis.

Vitalis. Angadriſin. Fortunatæ & ſociorum

MOLAN. *Item, ſanctorum Saturnini & Lupi. Treveris, ſancti Ruſtici epiſcopi & confeſſoris. Brugis, ſancti Donatiani archiepiſcopi Remenſis. Lugduno Galliæ, tranſitus ſancti Juſti in eremo. In territorio Cathaulannenſi, ſanctæ Manegildis virginis.* Deinde minoribus typis, de Burchardo ex GREVEN., uſque ad *anno Domini* DCCLI. Tum : *Item beatæ memoriæ, Placillæ uxoris Theodoſii imperatoris. Eodem die, obiit Dominicus Loricatus, cujus vitam ſcribit Petrus Damiani, tomo* 8 *Aloyſii.* In editionibus aliis, de Saturnino & Lupo ut ſupra. *Herbipoli, ſancti Burchardi epiſcopi & confeſſoris.* De Donatiano, Ruſtico & Manegilde, ut ſupra. Tum de Andregiſina, ut GREVEN. Dein : *Et ſancti patris Coſmæ Hagiopolitani & poëtæ, epiſcopi Majumæ.* Minoribus litteris : *Eodem die, obiit venerabilis Dominicus Loricatus.*

Saturn. &c.

Ruſtici.

Donatiani.

Juſti. Manegildis.

Burchardi.

Placillæ. Dominici Loricati.

Idibus.

Idibus. *Die* 15.

APud Coloniam Agripinam, natalis ſanctorum quinquaginta martyrum, qui cum eſſent ex legione ſacra Thebeorum, apud eamdem urbem curſum ſui agonis compleverunt. Romæ via Aurelia, ſancti Fortunati. Lugduni, ſancti Antiochi epiſcopi, qui ſtrenue adminiſtrato pontificii culmine, ad quod aſſumptus fuerat, regnum cæleſte adeptus eſt. In territorio Remenſi, ſancti Baſoli confeſſoris. *Martt.* 50. *Fortunati.* *Antiochi.* *Baſoli.*

Puros exiſtimo *Praten.* & *Munerat.* Proxime accedunt *Roſweyd.* & *Belini prima editio.*

VARIA LECTIO. Dixi poſtremos duos proxime ad puritatem accedere, nam in principio uterque corruptus eſt, dum in Roſweyd. legitur: *Apud Coloniam, ſanctorum Maurorum* CCCXL, & in Belino, CCC *martyrum*; certum enim eſt, omnino legendum *quinquaginta*, ut habent codices vetuſtiores Praten. Herinien. Antverp maj. Pulſanen. Aquicinct. & Munerat. ex Adone. Munerat. poſt *ex legione*, omittit vocem, *ſacra*. Item pro *compleverunt*, legit *impleverunt*; & pro *Baſoli*, habet *Bajoli*. Hîc noto, excluſum codicem Herinienſem, quia ſecundo loco inſertum habet: *Eodem die, ſancti Oſwaldi, epiſcopi & confeſſoris.* Atque in fine: *In territorio Remenſi, tranſlatio ſancti Baſoli confeſſoris, quæ facta eſt ab Hincmaro archiepiſcopo, viro venerabili.* Atque hoc vere ſcribit, licet non pure Uſuardinè. Mihi veriſimile eſt, *Oſwaldum*, qui hîc ponitur, accipi pro Oſwaldo Wigornienſi & Eboracenſi epiſcopo, qui colitur XXIX Februarii; quamvis & pro *Ethelwaldo* Lindisfarnenſi, qui etiam Oiwaldus dictus eſt, ſumi poſſit, ut viſum eſt Henſchenio tomo 3 Februarii pag. 750. Vide quæ de codice Herinienſi diximus in præfatione. De tranſlatione alicujus Oſwaldi egit Antverp-maj. VIII Octobris, hîc vero idem codex in fine ſubdit: *In Britannia, ſancti Wlfuni epiſcopi & confeſſoris*, pro quo legit Henſchenius, loco citato, *Wlfranni.*

OBSERVATIO. Natalem *ſanctorum Maurorum* hodie in Hieronymianis conſignari, manifeſtum eſt; quod Rabanus, eos codices ſecutus, ipſos martyres in *agro Pinenſi* collocet, facile corrigitur; voluit enim legere: *In Galliis, Colonia Agrippinenſi, natale Maurorum.* Hactenus pugilum iſtorum numerum proditum non reperio. Utrum Thebæorum & Maurorum claſſes, quas Florentinius ex Elinando ſive Helinando, ſeculi XIII ſcriptore diſtinguit, ſatis ſubſiſtant, alterius eſt indaginis; uti &, an hi fuerint ex legione Thebæa, quod diſertiſſime aſſerit Ado, & ex eo Uſuardus ac Notkerus; an potius claſſis alia, ex Africæ oris Coloniam advecta, ut Grevenus & alii ſcriptores populares contendunt. Equidem de numero & gente nullam invenio antiquiorem, atque adeo certiorem notitiam illâ, quæ apud Gregorium Turonenſem exſtat, libro de glor. Martyrum cap. 62, ex quo elogium ſuum plane deſumpſit Ado. Ibi porro Gregorius: DICUNTUR QUINQUAGINTA VIRI EX ILLA LEGIONE SACRA THEBÆORUM. *Et quia admirabili opere ex muſivo quodammodo deaurata reſplendet* (baſilica) SANCTOS AUREOS *ipſam baſilicam incolæ vocitare voluerunt.* Hæc ſunt Gregorii, ab Adone in Martyrologium ſuum tranſlata verba, ex quibus colligas, quam præclare recentiores Uſuardum corrigere, melius dicam, depravare præſumpſerint, ut ſe feciſſe candide fatetur Molanus, & ab aliis male tentatum ſuperius oſtendimus, magiſque patebit ex ſubſequentibus Auctariis, quæ nihil diſſonant à Breviario Ultrajectino, edito Leydæ, anno MDVIII, recentiori nempe, quam ſit Matricula Cartuſiæ Ultrajectinæ, infra etiam citanda. Laudabilis certe Colonienſium erga Martyres ſuos inſignis veneratio, utpote qui à Gregorii Turonenſis tempore, per tot ſecula *deauratam baſilicam*, & *ſanctos Aureos* conſtanti cultu, ſemperque ornatiori cuſtodierint & honoraverint, ut mihi non ſemel ſumma cum voluptate coram intueri licuit. Hæc obiter dicta ſint. Wandelbertus Mauros exornat, circa controverſa nihil definiens:

Idibus inde tibi Maurorum turba vocatur
Agrippina, animis pariter quæ læta beatis,
Militiam Chriſto virtute & morte dicavit.

Sequitur in textu, *Fortunati martyris*, quem minime dubito ex Hieronymianis ab Uſuardo acceptum; nam Adoni perperam omnino tribui, facile cum Roſweydo exiſtimo, cum in Notkero plane aliter notetur: hic enim ex Rabano, *Capuæ, Libulum* cum *Fortunata* conjunxit. Et vero *Fortunatæ*, non *Fortunati*, legendum videtur, ſi primam in *Fortunati.*

Hieronymianis ſcaturiginem conſulimus, in qua ſic leges: *Via Aurelia, in cimiterio ejuſdem, ſanctæ Fortunatæ.* De *Antiocho* Lugdunenſi, omnium primus meminit Ado, ex quo Notkerus ſolum nomen & poſitionem deſumpſit, Noſter partem elogii ſatis eleganter contraxit. Vitæ Antiochi monumenta aliqua collegit Severtius à pag. 37. Notus etiam eſt in vita ſancti Juſti, de quo vide quæ diximus 11 Septembris. Ultimo loco ex codicum noſtrorum lectione ponitur *Baſolus*, non recte, ſi pro die obitus, cum is ad XXVI Novembris certo ſpectet, unde melius corporis ejus tranſlationem ab Hincmaro hoc die factam, ſuperius retulit codex Herinienſis, ſolitus propria Remenſia hinc inde Uſuardo adjicere. Varia de Baſolo refert & notat Mabilio, ſeculo 2 Benedictino à pag. 64. Verum quod ſub Adonis nomine de *Baſulo* ibi recitat, merum augmentum eſt, quod in ſolo codice Ms. Lobienſi reperire potui. Conſtat proinde proprie Uſuardinum eſſe Baſolum, quem, quod Uſuardi tempore ex celebriori tranſlatione inclaruerit, eâ causâ hoc die recolendum putarit.

Antiochi.

Baſoli.

AUCTARIA.

DE codicibus HERINIENSI & ANTVERP-MAJORE vide ſuperius dicta in Variantibus.

TORNACEN. De Mauris filet, ſed in fine adjicit: *Ipſo die, natalis ſancti Beracharii abbatis & martyris.* Hoc die eſt in Romano. Vide ibi notulam Caſtellani, de qua dicitur alibi.

Bercarii.

PULSANEN. In prima purus eſt. Secundam omittit. De tertia ſolum habet: *Lugduno, ſancti Antiochi epiſcopi.* In quarta, ſcribit *Baſſoli.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Habent CCC *Martyrum.* Et in fine: *In Capua, ſanctorum Lufili & Fortunati.*

Lufuli &c.

GREVEN. Habet CCCLX, & poſt textum ſubdit: *Eodem die, tranſlatio ſancti Gregorii Papæ ab urbe Roma.*

Tranſlat. Gregorii.

MOLAN. Sequitur GREVENUM in numero CCCLX. Et in fine omittit annuntiationem ultimam.

De 360.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. DANIC. Omnes ponunt numerum martyrum CCCLX. Inſerunt textui, *ſub perſecutione Maximiani*, & *cum duce ſuo Gregorio.* In fine: *In Capua, ſanctorum Lufili* [*Luſyli, Luſili, Inſili*] *& Fortunati.*

Lufili &c.

CENTULEN. *Apud Coloniam Agrippinam, ſanctorum martyrum quinquaginta. Lugduni, ſancti Antiochi epiſcopi. Cœnobio Fontanella, tranſlatio ſancti Wulfranni, Senonenſis quondam archiepiſcopi & confeſſoris. In territorio Remenſi, natalis ſancti Baſoli confeſſoris & monachi: cujus ſancta converſatio etiam miraculis claruit.*

Tranſlat. Wulfranni.

BRUXELLEN. De Mauris habet, ut ANTVERP-MAX. &c. In Fortunato purus eſt. Tum: *In Capua, ſanctorum Luſili & Fortunati.* In Antiocho & Baſolo, iterum purus. In fine: *Fontanellæ monaſterio, elevatio & tranſlatio ſancti Wulfranni archiepiſcopi & confeſſoris.*

Luſili &c.

Tranſlat. Wulfranni.

HAGENOYEN. *Apud Coloniam Agrippinam, extra muros, natale ſanctorum Maurorum cum quadraginta* [puto ex CCC, formatum CUM, ut ſit legendum CCCXL] Cetera fere ſimilis ANTVERP-MAX. &c. In reliquo textu ſatis purus eſt. Pro *Baſoli*, habet, *Baſili.* In fine additur: *In Capua, ſanctorum martyrum Luſii & Fortunati. In Syria, ſancti Euſtachii preſbyteri & confeſſoris. Bituricas, ſancti Epionis preſbyteri & confeſſoris.* De utroque actum eſt ſupra XII Octobris.

Luſii &c. Euſtachii. Epionis.

AQUICINCT. Subdit in fine: *In Capua, ſanctorum Lupuli & Fortunati. Eodem die, ſancti Vulfranni archiepiſcopi Senonenſis.*

Lupuli &c. Wulfranni.

VICTORIN. & REG. SUEC. ſignatus numero 130. *In territorio Lemovicenſi, Sancti Leonardi confeſſoris.* Melius infra alii poſitionem aſſignant.

Leonardi.

DAVERONEN. *In pago Cenomannico, ſancti Leonardi confeſſoris.* Vide Caſtellanum.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Baſoli abbatis & confeſſoris. Tranſlatio ſanctorum martyrum quinquaginta, ex legione Thebæorum. Obiit hoc die ſancta Hedwigis, duciſſa Moraviæ, Sleſiæ, Slavoniæ, anno Domini* MCCXLIII; *matertera ſanctæ Elizabethæ Thuringiæ, quæ canonizata eſt à Clemente* IV. *Qui cum differret canonizationem ejus, in Miſſa orans, ut, ſi tanti meriti eſſet apud Deum, & voluntas ejus eſſet, ut adſcriberetur Sanctorum catalogo, ut filia ejus cæca, quam in ſtatu militari de propria uxore habuerat, ejus meritis lumen reciperet, quod factum eſt; unde eam ſtatim canonizavit, anno Domini* MCCLXVII: *licet Urbanus* IV *eam intendebat canonizare, ſed præventus fuit per mortem. Hæc infra marginem*, inquit deſcriptor.

Hedwigis cum elogio.

BIGOTIAN. ſign. P 5. *In Capua, ſanctorum Lufili & Fortunati.*

Lufili &c.

BIGOTIAN. ſign. E 40. *Eodem die, tranſlatio ſancti Gregorii Papæ, ab urbe Romæ.*

Tranſlat. Gregorii.

AUGEN. *Ipſo die, natalis ſancti Beracharii abbatis & martyris.*

Bercarii.

CODEX D. LE MARE. ſign. A. *In partibus Auguſtodini, ſancti Leonardi abbatis.*

Leonardi.

CODEX D. DU CHEVAL. ſign. B. *In Capua, ſanctorum Luſyli & Fortunati.*

Luſili &c.

In VATICAN. ſignato num. 5949. Deeſt memoria *Fortunati* & *Baſoli.* Adjicitur: *Beneventi, natalis ſanctorum martyrum Lupuli & Modeſti, in S. Sophia. Et ſancti Tammari epiſcopi & confeſſoris.*

Lupuli &c. Tammari.

ALTEMPS. *Ipſo die, tranſlata ſunt de Roma ſanctorum corpora Sebaſtiani & Gregorii. In Britannia minori, ſancti Erkleti martyris.*

Tranſlat. Gregor. &c. Erkleti.

FLORENTIN. *Capuæ, ſanctorum martyrum Rufili* vel *Rufili, & Fortunati.*

Rufili &c.

LUXOVIEN. *Luxovii, dedicatio eccleſiæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ.*

EDITIO LUBECO-COL. In Mauris paulo auctior eſt, addens: *Cum duce Gregorio & beato Conſtantio, curſum ſui agonis compleverunt, & cum beato Gereone ejuſque ſociis, beatorum corporum quietem perpetuam delegerunt in baſilica, quæ ammirabili opere ex muſco* [muſivo] *quodammodo deaurata reſplenduit. Treveris, natale ſancti Severi epiſcopi & confeſſoris.* Sequitur reliqua pars textûs, ſatis pura. Tum autem: *In Capua, ſanctorum Lufili, & Fortunati martyrum. Apud Viennam, ſanctorum Agrati & Caſtuli, ejuſdem urbis epiſcoporum & confeſſorum. Lemovicas, beati Auſtridini confeſſoris. Eodem die, ſancta Hadwigis reginæ. Item, ſancti Wulfranni epiſcopi & confeſſoris. In Argentina, natale ſanctæ Aureliæ virginis, quæ fuit una de undecim*

De Mauris.

Severi.

Lufili &c.

Agrati &c. Auſtridini. Hadwigis. Wulfranni Aureliæ.

decim milibus Virginum, & in reditu de Roma, infirmata ibidem obiit.

Lupini &c. BELINI editio altera. Habet ut prima, *trecentorum Martyrum.* In fine: *In Capua, Lupini & Fortunati martyrum.*

Lufili &c. Deodati. Severi. Wulfram. Auſtridini. Specioſæ. Margaritæ. GREVEN. *Apud Capuam, ſanctorum Lufili & Fortunati martyrum. Viennæ, ſancti Deodati epiſcopi & confeſſoris. Treveris, natale beati Severi epiſcopi & confeſſoris. Vulframmi epiſcopi & confeſſoris. Lemovicas, ſancti Auſtridini confeſſoris. Specioſæ virginis. Antiochiæ, ſanctæ Margaritæ virginis. Quæ, ut ſeculi hujus pelagus evaderet, relicto ſponſo carnali, monaſterium virorum ingreſſa Pelagii ſibi nomen aſſumpſit. Ubi in magna ſanctitate vivens, monaſterio virginum prælata, de fornicatione falſo accuſata, pœnitentiam egit, plenaque ſanctitate quievit. Nota; ſupradicti martyres*

De Mauris. CCCLX *fuerunt ex Mauricania, quæ eſt pars Africæ, non ex legione Thebeorum, licet Ado & Uſuardus ſic habeant: veneruntque Coloniam navigio*

Leonardi. *cum duce ſuo Gregorio. Item, ſancti Leonardi Corbiginacenſis confeſſoris. Qui, ut refert Vincentius libro 22, temporibus Lotharii regis, in pago Cenomannico ſibi & ſequacibus ſuis conſtructo monaſterio, tantæ inter omnes humilitatis extitit, ut Prioris nomen refugiens, cunctis ſe viliorem exhiberet: vita tandem & miraculis inclytus quievit circa annum* DLIX. Imo paulo ſerius. *In Argentina, ſanctæ*

Aureliæ. *Aureliæ virginis, quæ cum eſſet ex nobili illa ſocietate undecim milium Virginum, apud præfatam urbem in reditu ab urbe Roma infirmata, obiit in pace.*

Placidiæ. *Eodem die Placidiæ virginis, filiæ Valentiniani imperatoris, quæ ſpreto ſeculo, aviæ ſuæ Galla adhærens, jejuniis, eleemoſynis & aſſiduis orationibus intenta, tandem Veronæ quievit, ſignis coruſcans. Ipſo die, ſanctæ Hadwigis duciſſæ Poloniæ, materteræ ſanctæ Elizabeth Lantgraviæ. Hæc matrona ſanctiſſima, ultra quam dici poteſt piam in pauperes ſe exhibens, flexis genibus alimenta eis præbebat, pedes loros oſculabatur, virtuti etiam continuæ orationis valde intenta, corpus ſuum frigore, nuditate, jejuniis & flagellis diris caſtigans, ſpiritu prophetico clarens, quievit in pace.* *Hadwigis.*

MOLAN. De Mauris in textu aliis litteris ex Adone adjungit: *Conditi in baſilica, quæ admirabili opere ex muſivo quodammodo deaurata reſplendet, unde & incolæ ad ſanctos Aureos vocitare conſueverunt.* In fine, ex HERINIENSI: *Eodem die, Oſwaldi epiſcopi & confeſſoris. In territorio Remenſi, tranſlatio ſancti Baſoli confeſſoris, quæ facta eſt ab Hincmaro archiepiſcopo, viro venerabili.* Tum: *Ipſo die, ſancti Severi epiſcopi Treverenſis.* Dein typis minoribus: *Sleſiæ ipſo die, ſanctæ Hadwigis duciſſæ Poloniæ, materteræ ſanctæ Eliſabeth Lantgraviæ. In Scotia, ſancti Malcolmi regis, qui ex Hungaria conjugem habuit beatam Margaretam, & ſanctitate clarus in Domino quievit anno* MXCVII. Editiones aliæ in textu, ut prima. In fine: *Eodem die, Oſualdi, epiſcopi Vuigornienſis & confeſſoris.* Vide ſupra in Variantibus. De *Severo*, ut ſupra. *Cracoviæ, ſanctæ Hedwigis, duciſſæ Poloniæ. Argentinæ, ſanctæ Aureliæ virginis. Ipſo die, ſancti Theodorici, confeſſoris, Ordinis Carmeli. Apud Veronam, ſanctæ Placidiæ, virginis ſanctiſſimæ, Valentiniani imperatoris filiæ.* De tranſlatione Baſoli, ut ſupra. Demum: *In portu Valencianas, elevatio pretioſiſſimi corporis beati Salvii martyris, ac Ancoliſmæ civitatis epiſcopi.* Hîc clare deſignari videtur Salvius ille, de quo videnda Obſervatio noſtra 1 Julii.

De Mauris. *Oſwaldi.* *Tranſlat. Baſoli.* *Severi.* *Hadwigis.* *Malcolmi.* *Aureliæ.* *Theodorici.* *Placidiæ.* *Elevat. Salvii.*

XVII *Kal.* *Die* 16.

IN Africa, ſanctorum martyrum ducentorum ſeptuaginta, pariter coronatorum, & ſanctorum martyrum Martiani & Satiriani cum duobus fratribus eorum, qui pro conſtantia fidei Catholicæ, primùm nodoſis fuſtibus cæſi, & uſque ad oſſa laniati, cum multo tempore talia paterentur, ſequenti die ſemper incolumes reddebantur; noviſſimè in exilii relegatione, vinctis pedibus poſt terga currentium quadrigarum, inter ſpinoſa loca ſilvarum, pariter juſſi ſunt interire. Paſſa eſt etiam Maxima virgo cum eis. In territorio Bituricenſi, ſancti Ambroſii confeſſoris. *Martyrum Afric. 270 Martiani & aliorum.* *Ambroſii.*

Solus inter codices omnes aut purus, aut puro proximus eſt, *Molanus.*

VARIA LECTIO. Molan. habet *Satyriani*, nos cum reliquis fere omnibus *Satiriani*. Legendum eſſet *Saturiani*, ut infra dicam. Rurſus idem cum Greveno legit, *in exilium relegatione*, reliqui ut in textu. Denique pro, *paſſa eſt etiam*, ponit, *paſſa eſt autem*. Nunc ceterorum codicum corruptelas expendamus. De annuntiatione *Ambroſii*, in qua Praten. Antverp. maj. & Roſweyd. à reliquis diſcordant, dicemus in Obſervationibus. Habet præterea Praten. additamentum: *Monaſterio clervo* (forte habetur *Derno* vel *Dervo*) *ſancti Bercharii martyris & abbatis.* Mortuus is eſt XXVI Martii, adeoque melius, licet non magis Uſuardine poſuit Herinien: *ipſo die, tranſlatio ſancti Bercharii abbatis & martyris.* Tornacen. in prima mutilus eſt, & in fine adjicit: *Jotro monaſterio, natalis ſancti Priſci martyris.* Antverp-maj. incipit: *Dedicatio baſilicæ beati archangeli Michaelis, in monte Tumba, ubi multa mirabilia Deus oſtendit;* ſub finem attexens, *& exceptio reliquiarum ejuſdem.* Quæ ridicula ſunt, niſi *ejuſdem* referatur ad *baſilicam*, ita ut exceptio ſit reliquiarum ejuſdem baſilicæ, de cujus dedicatione agitur. Roſweyd. in fine: *In Alemannia, ſancti Galli abbatis & confeſſoris.*

Coloniæ, Eliffii martyris. Pulſanen. in prima mutilus, in ſecunda purus, ſubdit: *Item dedicatio baſilicæ ſancti Michaelis archangeli in mari, in monte qui dicitur Tumba.* Hæc ad ſpecimen ſufficiant, cetera in Auctariis dabimus.

Martyrum Afric. 270

OBSERVATIO. Inter Hieronymianas tabulas ea hodie occurrit differentia, quod aliæ ſcribant: *Et in Africa, Cacræ,* vel *Cecræ & aliorum pariter paſſio* vel *paſſorum* CCLXX; aliæ vero: *In Aſia, Cereæ & aliorum* CCLXX. Huic poſtremæ lectioni inſiſtit Rabanus, aliam præferunt alii, at de perſecutione Wandalica, nuſquam vel verbum; ut merito cenſeat Florentinius, anonymos illos noſtros CCLXX, utut Africanos fuiſſe admittamus, ſaltem tempore dividi ab illis, qui in laterculo nominatim exprimuntur, quorumque illuſtria certamina deſcribit Victor Vitenſis lib. 1 in editione Chiffletiana à pag. 10, ubi nec apicem invenias, qui ad CCLXX reduci queat, niſi ex indeterminato Martyrum hinc inde paſſorum numero, certum aliquem pro arbitrio colligas. Aliter nihilominus loquitur Romanum parvum, anonymos illos cum aliis, *Martiano, Satiriano* &c. diſertiſſime conjungens, his verbis: *Sanctorum martyrum Martiani & Satyriani, cum duobus fratribus eorum, & aliorum* CCLXX *pariter coronatorum, Wandalica perſecutione.* Aſt certe ex Victore hæc eruere non potuit hujus Martyrologii auctor, nec alium fontem facile aſſignaveris. Rurſus videtur hic dies pro mero arbitrio ab illo delectus. Ceterum in omnibus eum ſequitur Ado, principio quidem CCLXX anonymos collocans, ſed ita cum ſequentibus copulatos, ut ad eamdem perſecutionem omnes referat, cum interim longiori ſua narratione ea ex Victore ſolummodo proſequatur, quæ ad *Martianum, Satyrianum cum duobus fratribus, & egregiam Chriſti ancillam, Maximam virginem,* ſeorſim & proprie attinent. Adonis ſententiam more ſuo complexi ſunt Uſuardus & Notkerus, ambo elogium, ſed pro ſuo quiſque ingenio, contrahentes; atque inde in omnes recentiores Martyrologos dimanavit. Putat Florentinius, Belinum claſſes omnino dividere voluiſſe, dum poſt anonymos, aliam annuntiationem ut ſeparatam exorſus eſt: *Item ſanctorum Martiani &c.* Quaſi eas Baronius etiam non diviſerit per, *Ibidem* &c. qui nihilominus priores etiam in Wandalica perſecutione paſſos affirmat, & quidem ex Victore acceptos. Wandelbertus anonymorum numerum ita exprimit, ut quæ gentem, locum & tempus ſpectant, penitus indeciſa relinquat.

Martiani & aliorum.

Bis centum & decies ſeptem memorantur, iniquus
Quos furor ob Chriſtum ſimili mactavit honore.

Ambroſii.

Neque ego in hiſce quidquam determinare auſim, donec accuratiori examine ſingula expendere licuerit, ſatis hîc eſt diverſas opiniones propoſuiſſe: unum obiter moneo, luxata eſſe in Martyrologiis noſtris duorum martyrum nomina, nam pro *Martiani* & *Satiriani* vel *Satyriani*, ex Victore cum Baronio legendum eſt *Martiniani & Saturiani.* Conveniunt codices in ſignanda *Ambroſii* commemoratione, in modo prorſus diſſentiunt. Praten. cum ſuis, nempe Antverp-maj. & Roſweyd. legit: *In pago Bituricenſi, ſancti Ambroſii Caturcenſis epiſcopi.* Quibus fere accedit Munerat. per: *In territorio Bituricenſi, ſancti Ambroſii, confeſſoris, epiſcopi Caturcenſis.* Contra vero, Herinien. Tornacen. Pulſanen. Belin. Greven. & Molan. ſimpliciter ei tribuunt titulum *confeſſoris*, ita legentes: *In territorio Bituricenſi, ſancti Ambroſii confeſſoris.* Equidem fateor, veram etiam eſſe priorem lectionem, ſed alteram, quæ noſtra eſt, vere Uſuardinam exiſtimo. Quæ ad *Ambroſii* hujus vitam & geſta pertinent, non indiligenter ſcrutatus eſt Guilielmus de la Croix, in epiſcopis Cadurcenſibus à pag. 32. Omnia ſuo tempore diligentius illuſtrabuntur. De *Gallo* abbate egimus cum Uſuardo xx Februarii, ubi notavimus, eum à Notkero aliiſque melius referri hoc die, ut facit etiam codex Roſweydi, cum pluribus aliis auctioribus Uſuardinis, in Auctariis citandis, quibus & Wandelbertus accedit: *ſepteno denoque Novembrem qui venientem præſignat, Gallus colitur confeſſor.* Sed cum hæc textui hodierno extranea ſint, ad Acta remittimus: vita exſtat apud Surium hoc die.

AUCTARIA.

DE PRATEN. HERINIEN TORNACEN. ANTVERP-MAJ. ROSWEYD. & PULSANEN. ſatis dictum eſt ſupra in lectionibus Variantibus.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Nihil habent de *Maxima.* In fine: *Item Saturnini, Nerei cum aliis* CCCLXV Vide Notulam Caſtellani in Martyrologio univerſali.

Saturnini & ſociorum.

MUNERAT. Poſt *interire*, inſerit: *Eodem die, ſanctorum martyrum Luciani, Maximiani & Juliani.* Tum vero: *Paſſa eſt etiam* &c. De martyribus illis Bellovacenſibus, Luciano, Maxiano & Juliano vide VIII Januarii. In DAVERON. ponitur eorum *inventio.* Alia memorat Tillemontius Tomo 4. pag 538 & 539; quæ ex Bollando ferme deſumpta ſunt.

Luciani & ſociorum.

BELIN. Secundo loco poſt Africanos: *Item Saturnini, Nerei cum aliis* CCCLXV. *Eodem die, ſancti Galli abbatis.* Vide Obſervationem.

Saturn. &c. Galli.

GREVEN. Deficit in nomine virginis *Maximæ.* Præterea in fine adjicit: *Carnotis, natalis ſancti Priſci martyris, ſuper fluvium Anduræ.*

Priſci.

ANT-

ANTVERP-MAX. & LOVANIEN. Pro *coronatorum*, habent, *decollatorum*. Inſerunt: *Qui tempore Wandalicæ perſecutionis, ſub Geiſerico rege Arriano*. Sequitur: *In Allemannia, depoſitio ſancti Galli abbatis. Qui Scotus natus, cum Suevis collocat artus*. Ambroſio nullum titulum addunt, uti nec ANTVERP. & MAX-LUBEC. ſupra. In fine: *Item Saturnini & Nerei cum aliis* CCCLXV.

De Afris. Galli. *Saturn. &c.*

ULTRAJECT. & LEYDEN. Recte habent, *coronatorum*. Idem inſerunt de perſecutione, & cetera habent, ut duo præcedentes; ſed præterea in fine adjiciunt: *Apud Coloniam Agrippinam, natale ſancti Eliphii martyris. Qui cum frequenter ea quæ ſunt Chriſtianæ fidei, gentibus prædicaſſet, tandem ſub Juliano apoſtata, apud civitatem Grandenſem, capite truncatus, gloria & honore præcelſi martyrii coronatur*. Vide Surium.

Eliphii.

DANIC. Proxime citatis ſimilis eſt, ſed omittit hæc verba: *Paſſa eſt etiam Maxima* &c.

ALBERG. Eodem laborat defectu, atque item quod pro CCLXX, ſcribat CCLX, ſed omnes excedit hoc augmento, poſt *interire*: *Cumque ducta ac reducta dumoſis lignorum aculeis innocentum corpora traherentur, vicino currentibus indomitis equis, vale ſibi invicem, iis verbis dicebant: Frater ora pro me, implevit Deus deſiderium noſtrum; taliter pervenitur ad regna cælorum; ſicque orando & pſallendo, gaudentibus angelis ſuis, animas emiſerunt*. Vide Adonem.

De Afris.

CENTULEN. *Octava beati patris noſtri Richarii, confeſſoris Domini glorioſi. Apud Africam, ſanctorum martyrum* CCLXX, *& egregiæ Chriſti ancillæ Maximæ, virginis, abbatiſſæ. Civitate Beluaco, ſanctorum Luciani, Maxiani & Juliani martyrum. Bituricas, ſancti Ambroſii presbyteri & confeſſoris*. Vide Obſervationem.

Oct. Richar. *Luciani &c.*

BRUXELLEN. Incipit: *In partibus Alamanniæ, Armona caſtro Retiarum, depoſitio beati Galli abbatis. Qui de Ybernia ſeu Scocia cum beato Columbano in Alamanniam veniens, & ibi manens, tranſitum ejuſdem beati Columbani, in Ytalia morientis, nullo nuncio referente cognovit. In Africa, ſanctorum martyrum Cacræ & aliorum* CCLXX, *pariter coronatorum. Item Saturnini & Nerei cum aliis* CCCLXV. *In caſtro Sollercii, natale ſancti Eliphii martyris. Qui cum ferventer, ea quæ ſunt Chriſtianæ fidei, gentibus prædicaſſet, tandem ſub Juliano apoſtata, apud civitatem Grandenſem, capite truncatus, gloria & honore martyrii coronatur. Cujus corpus tranſlatum, nunc ad Coloniam Agrippinam quieſcit*. In Ambroſio fere purus eſt. *Civitate Novioma, depoſitio ſancti Nommolini epiſcopi & confeſſoris. In civitate Nazareth, memoria beati archangeli Gabrielis ſuperni paranimphi. Item in monte maris, qui dicitur Tumba, dedicatio eccleſiæ ſancti Michaelis archangeli*. Nihil hîc habet de Martiniano &c. quos tranſtulit ad diem XXIV Octobris.

De Gallo. *Cacræ & 270.* *Saturn. &c.* *Eliphii.* *Nommolini.* *Gabrielis.* *Michaelis.*

HAGENOYEN. In prima ſimilis eſt ANTVERP-MAX. De Saturnino & ſociis ut ſupra. Tum: *In Conſtancienſi dioceſi Alimania, depoſitio beati Galli abbatis, diſcipuli ſancti Columbani abbatis. Qui monaſticæ religionis amator ardentiſſimus, quamdam heremum ingreſſus eſt, de qua in virtute Dei multum prævaluit, ita ut de illa fugaret beſtias & demones. Et ſicut tunc demones à loco ſolitudinis, ita etiam poſtmodum illos ab hominibus fugavit obſeſſis. Denique multis perpetratis miraculis, & pluribus receptis diſcipulis, & ad fidem pluribus converſis, & monaſteriis edificatis, obiit in pace*. Ambroſium Bituricenſem tranſtulit in diem ſequentem.

De Gallo.

AQUICINCT. In fine: De Saturnino &c. ut ſupra. *Ipſo die, ſancti Ægidii confeſſoris*. Vide 1 Septembris. *Colonia, ſancti Eliphii martyris. Alemannia, ſancti Galli preſbyteri & confeſſoris. In territorio Lemovicenſi, ſancti Juniani confeſſoris. Civitate Novioma, depoſitio beati Nummolini epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, natalis ſanctorum Luciani, Maxiani & Juliani*. Vide infra codicem DAVERONENSEM.

Ægidii. *Eliphii.* *Galli* *Juniani.* *Nummolini.* *Luciani &c.*

VICTORIN. & REG. SUEC. num. 130. *In Alemannia, natale ſancti Galli abbatis.* VATICAN. ſub num. 5949 habet, *depoſitio* &c.

Galli.

DAVERONEN. *Belvaco, inventio ſanctorum Luciani, Maxiani & Juliani martyrum. Ipſo die, ſancti Magnibodi epiſcopi & confeſſoris. Cenomannis civitate, depoſitio ſancti Berarii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, in pago Carnotenſi ſuper fluvium Audiera, ſancti Priſci martyris.*

De Lucian. &c. *Magnibodi.* *Berarii.* *Priſci.*

AMBIANEN. *Eodem die, repoſitio ſancti Firmini epiſcopi & martyris.*

De Firmino.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Eliphii martyris. Cujus caput eſt in eccleſia ſancti Martini Trajectenſis. Galli abbatis & confeſſoris. Sanctorum martyrum* CCLXX. *Bercharii abbatis & martyris*. Vide quæ de ipſo habet Surius hoc die.

Eliphii. *Galli* *Bercharii.*

CODEX D. LE MARE ſignatus A. *In territorio Ratine, ſancti Vitalis confeſſoris*. Hunc mihi plane ignotum fateor.

Vitalis.

FLORENTIN. *Apparitio ſecunda ſancti Michaelis archangeli, quæ circa annum Domini ſeptingenteſimum decimum accidiſſe legitur. Item ſanctorum martyrum Saturnini & Nerei cum aliis* CCCLXV. De his jam ſupra non ſemel.

De Michael. *De Saturn.*

BURDEGALEN. Novum ſanctum producit, ſic ſcribens: *Sancti Bertrandi epiſcopi Convenarum*.

LUXOVIEN. *In monte Falconis, beatiſſimi Baldrici confeſſoris, cujus merita crebris miraculis declarantur. In territorio Tullenſi, ſancti Eliphii martyris*. Vide infra longiorem hiſtoriam.

SALINEN. *In territorio Bizuntinenſi*, [pro *Biturinenſi*,] *ſancti Ambroſii confeſſoris*.

REMENS. SS. Timothei & Apollinaris. *In territorio Biturinenſi, ſancti Ambroſii presbyteri & confeſſoris*.

EDITIO LUBECO-COL. *In Prato ameno, ſuper flumen, quod Vera dicitur, inter Grandenſem & Tulenſem civitates, natale ſancti Eliphii martyris. Qui cum ferventer ea quæ ſunt Chriſtianæ fidei, Judæis & gentibus prædicaſſet, tandem ſub Juliano apoſtata tentus & requiſitus ut Chriſtum negaret; reſpondit: Inimice veritatis & adverſarie propriæ ſalutis, ad hæc utere conſilio meo, & pœniteat te erraſſe, ut mortem æternam evadere poſſis. Audiens Julianus fremuit & juſſit eum decollari, dicens: Nunc videbo, in quo Deus tuus prævaleat; & capite truncatus, cum gloria & honore preciosè martyrium complevit. Quo facto corpus examine ſe de terra tranſtulit & caput amputatum ambabus manibus amplectens, & fere per miliare deportavit in montem excelſum quem antea ſuæ ſepulturæ elegerat. Sed nunc in Colonia Agrippina, in monaſterio ſancti Martini epiſcopi per tranſlationem requieſcit. In Almania, depoſitio ſancti Galli abbatis & confeſſoris, in monaſterio Avernenſi, diſcipuli ſancti Columbani abbatis. Qui Scotus natus cum Suevis collocat artus. Hic obitum magiſtri ſui Columbani, abſens cognovit, & fratribus ſuis hunc denuntiavit. Virtutibus itaque plenus, apud Arbonam caſtrum migravit ad Dominum. Tunc inventa eſt in cella ejus capſella, & in ea enea catena, qua vir ſanctus corpus ſuum macerabat*. Vide Notkerum plenius de monaſterii ſui

Eliphii cum elogio. *Galli abb.*

fundatore & inſtitutore, hoc ejus natali die diſ-
ferentem. De Africanis, ut ULTRAJECTIN. &c.
Tum: *In loco qui Tumba dicitur, juxta mare, ſex*
De Michael. *miliaribus ab urbe Abicenſi, apparitio ſancti Mi-*
chaelis archangeli. In Ambroſio pura eſt. *In pago*
Silvani. *Lemovicenſi, ſancti Silvani martyris. Cenomannis,*
Betharii. *depoſitio ſancti Betharii epiſcopi & confeſſoris. Ipſo*
Magnob.&c *die ſanctorum Magnobodi & Mammoleni epiſco-*
porum & confeſſorum. E quibus prior Andegaven-
ſem rexit eccleſiam, & vita ejus miraculis exſtitit
Lulli. *glorioſa. Apud Maguntiam, ſancti Lulli epiſcopi*
& confeſſoris. De Saturnino & ſociis, ut ſupra.
Bercharii. *In Dervo monaſterio, ſancti Bercharii abbatis. Item*
ipſo die, ſancti Niniani monachi & confeſſoris. De
Balderico, ut ſupra ex codice LUXOVIEN. *Item*
De Maxim. *eodem die, beatæ Maximæ virginis. Quæ multorum*
extitit rectrix virginum; noviſſime in veritatis con-
feſſione glorioſa quievit.

GREVEN. *In territorio Abrincenſi, apparitio*
De Michael. *ſancti Michaelis archangeli, qui circa annum Do-*
mini DCCVII *apparuit Autberto Abrincatenſi epi-*
ſcopo, monens ut in loco maris, qui Tumba propter
ſui eminentiam, & etiam in Periculis maris dici-
tur, eccleſiam in ſui memoriam fundaret, volens
nimirum ſibi in pelago, æqualem ei, quæ in monte
Gargano eſt, venerationem exhiberi. De Satur-
nino, ut ſupra. De Eliphio, vide jam dicta,
hic deeſt allocutio *In pago Lemovicenſi, ſancti*
Silvani. *Silvani martyris. Eodem die, ſancti Lulli archie-*
Lulli. *piſcopi Maguntinenſis & confeſſoris. Qui ſancto Bo-*
nifacio, cujus cognatus erat, digne ſuccedere me-
Arnulfi. *ruit. Arnulphi epiſcopi. Magnobodi Andegaven-*
Magnobodi, *ſis epiſcopi & confeſſoris. Qui tempore Dagoberti*
Benedicti. *regis vita, & ſignis clarè effulſit. Benedicti epiſcopi.*
Mammoleni epiſcopi & confeſſoris. De Bethario *Mammoleni.*
Cenomannenſi, al. *Berario*, Gallo, & Balderico, *Bercharii.*
ut editio ſuperior. *In Deruo monaſterio, tran-* *Niniani.*
ſlatio ſancti Bercharii &c. *Niniani monachi & con-* *Berthæ.*
feſſoris. Bertha, abbatiſſa & martyris. Heriburgis *Heriburgis.*
virginis. Eodem die, beatæ Maximæ &c. ut ſupra.

MOLAN. In fine, *epiſcopi Caturcenſis.* De Sa-
turnino ſatis dictum eſt. *Eodem die, ſancti Galli* *Galli.*
abbatis depoſitio, cujus vita virtutibus plena con-
ſcripta habetur. Carnotis Jothro monaſterio, natalis
ſancti Priſci martyris ſuper fluvium Anduræ. De *Priſci.*
Berchario habet tranſlationem. De Baldrico, ut
ſupra. *Civitate Novioma, ſancti Nummolini epi-* *Nummolin.*
ſcopi & confeſſoris. Eodem die, tranſitus ſancti Gur- *Gurdielli.*
dielli confeſſoris, [Duaci.] *Apud Lugdunum, beati* *Antiochi.*
Antiochi epiſcopi. Et Eliphii martyris. Qui cum *Eliphii.*
ferventer &c. ut BRUXELLEN. Dein typis mino-
ribus: *Hic apud Coloniam Agrippinam in monaſte-*
rio ſancti Martini quieſcit. Tum de Lullo, ut *Lulli.*
GREVENUS; item de Magnobodo & Bertha. In *Magnob.&c*
editionibus aliis adſcribitur textui *Gallus abbas*,
& pro Auctario, eſt, *miræ ſanctitatis viri. Qui*
Scotus natus &c. Et *cujus vita* &c. De Saturnino
& Priſco, ut in priori. *Ipſo die, Deruo mona-*
ſterio, ſancti Bercharii abbatis & martyris. De Bal-
drico, ut ſupra. *Coloniæ, Eliphii martyris. Qui*
cum &c. ut ſupra, excepta additione, minoribus
typis in priori editione appoſita. *Maguntiæ, na-*
talis ſancti Lulli &c. ut GREVEN. *Andega-*
vis, ſancti Magnobodi &c. etiam ut GREVEN.
De Nummolino, ut in priori. *Duaci eo die, tranſ-*
itus ſancti Gurdielli confeſſoris. In territorio
Aprincenſi, apparitio beati Michaelis archangeli,
in procella maris, id eſt in monte Tumba. Ve ſupra.

XVI *Kal.* *Die* 17.

Heronis IN Antiochia, natalis ſancti Heronis diſcipuli beati Ignatii martyris, qui poſt eum epiſcopus factus, viam magiſtri pius imitator ſequitur & pro commendato grege amator Chriſti *Florentii.* occubuit. Civitate Arauſica, ſancti Florentii epiſcopi, qui multis clarus virtutibus in pace quievit.

Tres codices puri ſunt, *Herinien. Tornacen.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Tornacen. pro *Heronis*, ſcribit *Jeronis*, pro *Arauſica*, *Auraſica.* Videtur Praten. habuiſſe *Auraufica*, quod in apographo noſtro à reviſoribus Sirmondo aut Cortas correctum eſt. Sic in eodem codice credo prius poſitum fuiſſe *Florentii*, idque mutatum in *Florentini*, quemadmodum & in Herinien. & Tornacen. legitur; at melius reliqui probatiores cum Adone, Notkero & Wandelberto, *Florentii.* Præfatum Adonem preſſe ſecuti ſunt Greven. & Molan. qui ita legunt: *In Galliis civitate Auraſica* (pro *Arauſica*) *ſancti Florentii* &c. Multos hîc denuo codices è purorum numero excluſi, quod variis abundent Auctariis. Praten. imprimis in fine ſubjungit: *In territorio Nivernenſi, ſancti Vincentii presbyteri & confeſſoris*, ubi notavit Caſtellanus, hæc eâdem quidem manu ſed non eodem atramento ſcripta eſſe. Ceterum ordinarii ſequaces duo, Antverp-maj. & Roſweyd. Pratenſi denuo ſubſcribunt, licet omiſerint titulum *presbyteri*, & prior male pro *Vincentii*, ſcribat *Vincii.* De aliis dicemus infra, hîc ex ceterorum probatiſſimorum codicum auctoritate omnino cenſeo, dictam annuntiationem merum eſſe additamentum.

OBSERVATIO. De hodiernis ſanctis *Herone* & *Florentio* prorſus non meminere antiquiora Martyrologia, ut ſunt Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Flo-
Heronis. rus & Rabanus. Ex Adone deſumpta ſunt, quæ hîc in textu exhibentur. Sed neque in omnibus prælucentem Adonem ſecutus eſt Noſter, nam quæ in ipſo & in anteſignano Romano parvo, prima annuntiatio eſt; *Marthæ ſororis Lazari*, de ea Uſuardus hodie

hodie non loquitur, ſed ad XIII Decembris transfert. Sequitur in utroque jam citato, *Ariſtion*, de quo egimus XXII Februarii, ubi ex Obſervatione intelliges, fruſtra ab Adone repetitum, quem hoc tantummodo die in Romano parvo invenerat. Notkerus Adonem cæce deſcripſit, Noſter delectum fecit. Itaque qui tertio loco apud Adonem eſt, is primum locum hîc occupat, *Heron*, ſeu potius *Heros*, magni Ignatii in Antiochena cathedra ſucceſſor, ut habet Euſebius lib. 3 editionis Valeſianæ cap. 36, cujus capitis ultima verbà ſunt: *Quo* (Ignatio) *defuncto, epiſcopatum Antiochenæ eccleſiæ ſuſcepit Heros.* Alius eſt apud Rufinum (ex quo ab auctore Romani parvi Heronem acceptum credimus) alius, inquam, apud Rufinum ordo capitum, ſed eadem prorſus ſententia. Apud hunc poſt libri 3 cap 25, poſtrema hæc verba, *hactenus de Ignatio*, ſic inchoatur caput 26: *Poſt hunc rexit eccleſiam civitatis Antiochenæ Heros.* Nec quidquam ultra eſt, quod ab antiquis in ejus laudem memoriæ proditum ſit, quandoquidem Ignatii litteræ, ad ipſum prætensè datæ, communi hodie eruditorum ſuffragio ſuppoſititiæ exiſtimentur. Qua cumque igitur de magiſtri imitatione & effuſo pro commendato grege ſanguine, in textu memorata ſunt, ſolâ, quod equidem ſciam, Adonis auctoritate nituntur. *Florentius* Arauſicanus, ſolus poſt Eutropium, inter illius urbis antiſtites, Sanctorum albo adſcriptus, ab Adone primum conſignatus eſt, ejuſque verba omnia tranſumpſit Notkerus; Noſter ſola initialia reſecuit, *In Gallis*: quæ à Greveno & Molano reſtituta oſtendimus. Vitæ ejús compendium tradunt Sammarthani, nonnullaque alia ſuggerit catalogus apud nos manuſcriptus, ex quo diſquiſitionibus aliis materia ſuo tempore poterit ſuppeditari. Wandelberti verſiculum ſubjicio. *Florentii.*

Sedecimum ſacer antiſtes Florentius ornat.

AUCTARIA.

PRATEN. Jam ſupra in Variantibus, augmentum ejus de Vincentio Nivernenſi notavimus.

ANTVERP-MAJ. Præcedenti ſimilis, in fine ſubdit: *In territorio Nivernenſi, ſancti Vincii* [pro *Vincentii*] *confeſſoris.* *Vincentii.*

ROSWEYD Etiam in fine: *In territorio Nivernenſi, ſancti Vincentii confeſſoris.* Deinde: *In Britannia, ſanctæ Edeldruthæ virginis & reginæ.* Eſt feſtum tranſlationis. Vide Acta noſtra XXIII Junii. *In Mauritania, Mariani & Maximi martyris, cum aliis* XXIII. Vide de his apographa Hieronymiana. *Vincentii. Edeldruthæ. Marian. &c*

PULSANEN. In prima annuntiatione mutilat elogium Heronis. In ſecunda purus eſt. Tum adjungit: *In territorio Nivernenſi, ſancti Vincentii epiſcopi & confeſſoris.* *Vincentii.*

ANTVERP. MAX. LUBEC. & UGHELLIAN. Textui de cetero ſatis puro ſubdunt, *Item, Victoris, Alexandri, Marciani.* *Victor. &c.*

GREVEN Rurſum propriis Carnotenſibus excedit. Primo: *Carnoti ſanctæ Solinæ virginis.* Tum: *Apud eamdem urbem, dedicatio baſilicæ in memoria beatiſſimæ Mariæ matris Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti.* *Solinæ. Dedicat. Carnotens.*

MUNERAT. In textu ſatis purus, addit proprium Pariſienſe: *Eodem die, ſancti Cerbonii Populonenſis epiſcopi, cujus reliquias attulit Fr. Robertus Piſanus.* Vide Auctaria, die quo colitur ſanctus Cerbonius, nempe x Octobris. Pariſiis hodie feſtum habet, ob partem prædictarum reliquiarum, de quibus vide infra in codice REG. SUECIÆ ſub numero 428. *Cerbonii.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. Textui etiam ſubdunt, fere ut ANTVERP. & MAX-LUBEC. *In Nicomedia, natale ſanctorum Victoris, Alexandri & Mariani.* Florentinius ipſos ex Hieronymianis conatur educere. *Victor. &c.*

CENTULEN. Etiam repetit, quæ poſuerat XXII Februarii, nempe: *Natalis beati Ariſtionis, qui unus fuit ex antiquis Chriſti diſcipulis. Antiochiæ, ſancti Heronis epiſcopi, ſucceſſoris beati Ignatii, qui Heron pro ovibus ſuis conſtanter occubuit. Civitate Arauſica, ſancti Florentii epiſcopi confeſſoris.* *Ariſtionis.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. In prima purus, ſecundo loco habet: *In Auxiopolim, natale ſanctorum Hermetis & Taxii. In Nicomedia, natale ſanctorum Victoris, Alexandri & Mariani. In Galliis, civitate Arauſica* &c. *In territorio Nivernenſi, ſancti Vincentii presbyteri & confeſſoris. Eodem die, ſanctæ Auſtrudis virginis.* *Hermet. & Victoris &c. Vincentii. Auſtrudis.*

HAGENOYEN. Poſt *Ignatii martyris*, inſerit: *Qui poſt eum factus eſt epiſcopus à Policarpo, diſcipulo ſancti Joannis Euangeliſtæ; cui Ignatius eccleſiam, vadens Romam captivus ut occideretur, commiſit. Qui viam magiſtri* &c. *Apud Coloniam Agrippinam, natale ſancti Eliphii martyris. Qui cum ferventer ea quæ ſunt Chriſtianæ fidei, gentibus prædicaſſet, tandem ſub Juliano imperatore tentus eſt, & in vinculis ad Grandenſem civitatem eſt perductus, & ibi capite ab eodem truncatus eſt, & honore præcelſi martyrii coronatur.* Vide die præcedenti. *Civitate Auraſica, depoſitio ſancti Florentii* &c pure. *In Nicomedia, natalis ſanctorum martyrum, Victoris, Alexandri & Mariani. Item in territorio Byturienſi, depoſitio ſancti Ambroſii confeſſoris.* Colitur die præcedenti. *De Herone. De Eliphio. Victor. &c. Ambroſii.*

AQUICINCT. In fine: *Item, ſanctorum Victoris, Alexandri & Martiani.* Tum PRATENSI, ut ſæpe ſolet, cohærens: *In territorio Nivernenſi, ſancti Vincentii confeſſoris.* *Victor. &c. Vincentii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Aurelii martyris, cum uxore ſua & aliis ſocius eorum. Sancti Heronis martyris. Florentini epiſcopi & confeſſoris.* Puto deſignari Florentium Arauſicanum. *Aurelii. & ſocior.*

REG. SUEC. ſub num. 428. *Eodem die, ſancti Cerbonii Populonienſis epiſcopi, cujus nobis reliquias attulit Fr. noſter Robertus Piſanus.* Qui Robertum illum Piſanum noverit, ſciet cujus eccleſiæ aut monaſterii olim fuerit codex, de quo loquimur. Tum: *In territorio Nivernenſi, ſancti Vincencii presbyteri confeſſoris.* *Cerbonii. Vincentii.*

CODEX D. LE MARE. ſign. A *Eodem die, natalis ſanctorum martyrum, Annæ, Lucis & Victoris.* *Annæ &c.*

In

In VATICANO ſub num. 5949. In fine additur: *Natale beati Ariſtionis, qui unus fuit de* LXX *diſcipulis. In Sannia, ſancti Pardi epiſcopi.* De Ariſtione vide dicta XXII Februarii.

Ariſtionis. Pardi.

ALTEMPS. *Apud Rameſiam in Anglia, translatio germanorum ac pretioſorum martyrum Chriſti, Ethelredi atque Ethebrithi, regia ſtirpe ortorum. Horum quidem corpora, nequiter necata ac furtim ſub regali condita ſede, nocte media lux clarior ſole, per regia tectum aulæ cælitus emiſſa, revelavit; non multo vero poſt necatorem eorum, ad ipſius veſaniam, & martyrum gloriam declarandam, terra vivum abſorbuit & ad inferos tranſmiſit. Eodem die, ſanctæ ac perpetuæ virginis Etheldredæ, cujus ſacratiſſimum corpus, poſt multos annos, ad demonſtrandum ipſius eximiæ virginitatis meritum, pietas divina, in ipſa ſcilicet tranſlatione, ſine corruptione ſervatum revelavit.* Vide ſupra in ROSWEYD.

Ethelredi & Ethelbrit. Etheldredæ.

FLORENTIN. *In territorio Nivernenſi, ſancti Vincentii epiſcopi & confeſſoris. Item ſanctorum martyrum Victoris, Alexandri & Mariani. Item ſancti Ariſtionis, qui fuit unus ex* LXX *diſcipulis Jeſu Chriſti. Item, natale ſancti Rufiniani.*

Vincentii. Victor. &c. Ariſtionis. Rufiniani.

BURDEGALEN. *Andegavis, ſancti Lupi epiſcopi.* Vide Caſtellanum.

Lupi.

LUXOVIEN. *Luxoviæ, dedicatio eccleſiæ ſancti Martini.*

DIVIONEN. ſancti Benigni. *In territorio Nivernenſi, ſancti Vincentii presbiteri & confeſſoris.*

Vincentii.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Natalis beatæ Marthæ, ſororis Lazari.* Vide Obſervationem. *Arauſicæ, Florentii.*

Marthæ.

EDITIO LUBECO-COL. De Herone, poſt *diſcipuli*, inſerit, *ac diaconi.* De reliquo textus ſatis purus eſt: Tum: *In Nicomedia, natale Victoris, Alexandri & Mariani martyrum. Treveris, ſancti Florentini epiſcopi & martyris. Carnoti, ſanctæ Solinæ virginis. Eodem die, translatio ſanctæ Marthæ, hoſpitæ Chriſti, ſororis beati Lazari & Mariæ Magdalenæ. In Anglia, tranſlatio ſanctæ Etheldredæ virginis. Andegavis, ſancti Lupi epiſcopi & confeſſoris. In territorio Nivergenſi,* [lege cum aliis *Nivernenſi,*] *beati Vincentii, presbyteri & confeſſoris.*

Victor. &c. Florentini. Solinæ. Tranſl. Mar. Et Etheldr. Lupi. Vincentii.

BELIN. Pro *Arauſica*, habet *Aurifica.* Prima editio addit in fine: *Item, Victoris, Alexandri & Mariani.* Ad hæc ſecunda adjicit, *atque Marci.*

Victor. &c.

GREVEN. *Treveris ſancti Florentini epiſcopi & martyris. Apud Nichomediam, ſanctorum Alexandri & Victoris. In Mauricania, ſanctorum Mariani, Maximi, Nini, Lucii, Sacrati, Veneri, Primæ, Donatæ, Victoriæ, Baſillæ & aliorum.* Vide Hieronymiana. *Item ſecundum Adonem hîc, beati Ariſtionis, qui fuit unus de* LXXII *Chriſti diſcipulis. Uſuardus habet eum* VIII *Kal. Martii. Ipſo die, ſecundum alios præcedenti, paſſio ſancti Silvani, Alexandri & Marci martyrum. Privati martyris, qui cum eſſet miles & ulceribus plenus, à beato Calixto Papa curatus & baptizatus, pro Chriſto plumbatis, donec deficeret, mactatus eſt.* Vide ſupra XIV Octobris. *Andegavis, ſancti Lupi epiſcopi & confeſſoris. In Cancia, Nodelini epiſcopi & confeſſoris. In Hibernia, Monachi confeſſoris. In territorio Nivernenſi, ſancti Vincentii, presbyteri & confeſſoris. Meynardi confeſſoris. Gordinelli confeſſoris. Eodem die, tranſlatio ſanctæ Marthæ hoſpitæ Chriſti. In Anglia, tranſlatio ſanctæ Etheltredæ virginis. Lilioſæ, virginis, cognatæ ſanctæ Nathaliæ. Auſtrudis virginis.* De hac plura invenies in auctario ſequenti.

Florentini. Alexand. & c. Mariani. & c. Ariſtionis. Silvani & aliorum. Privati. Lupi. Nodelini. Monachi. Vincentii. Meynardi. Gordinelli. Tranſl. Mar. Et Etheltr. Lilioſæ. Auſtruais.

MOLAN. *Item, Victoris, Alexandri & Mariani. Carnoti, ſanctæ Solinæ virginis. Eodem die, ſancti Cerbonii Popolonienſis epiſcopi, cujus reliquias attulit frater Robertus Piſanus. Lauduno Clavato, natale ſanctæ & illuſtriſſimæ Auſtridis virginis & abbatiſſæ, quæ ab ipſis infantiæ rudimentis mire Dei gratia prædita, etiam virtutibus & miraculis glorioſa, migravit ad Chriſtum. Item beati Ariſtionis, qui fuit unus de* LXX *Chriſti diſcipulis.* Deinde typis minoribus: *Meinardi confeſſoris.* In poſterioribus editionibus, eadem habet quæ in prima, de Victore & ſociis, de Solina virgine, & Florentino Treverenſi. *Item, beati Eutichii confeſſoris, magnæ ſanctitatis viri, Ordinis Carmeli. Lauduno Clavato, natale ſanctæ & illuſtriſſimæ Auſtrudis,* &c. ut in priori. Tum: *Die decima ſeptima, ſancti martyris, Andreæ in Criſi:* Deinde minoribus typis: *Qui propter adorationem ſecrarum imaginum glorioſe coronatus eſt, ſub improbo Conſtantino.* Nampe iconomacho illo, cognomento *Copronymo.* Andreæ diſputationem & certamina ex Metaphraſte edidit Surius.

Victor. &c. Cerbonii. Auſtrudis. Ariſtionis. Meinardi. Florentini. Eutychii. Andreæ.

XV *Kal.* *Die* 18.

Lucæ. NAtalis beati Lucæ Euangeliſtæ, qui cum eſſet ſeptuaginta & trium annorum, obiit in Bithinia plenus ſpiritu ſancto, cujus oſſa viceſimo Conſtantii anno Conſtantinopolim tranſlata ſunt. Eodem die, ſancti Aſclepiadis, Antiocheni epiſcopi, qui unus fuit ex præclaro confeſſorum numero, qui ſub Decio glorioſe paſſi ſunt. Item Romæ, ſanctæ Triphoniæ, uxoris Decii Cæſaris. In territorio Beluacenſi, ſancti Juſti martyris.

Aſclepiad. Triphoniæ. Juſti.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Greven.* & *Molan.* Proxime accedit *prima Belini editio.*

VARIA LECTIO. Codices noſtri omnes cum Adone ſcribunt *ſeptuaginta & trium*, neſcio unde Greven. & Molan. acceperint *octoginta & trium.* Recte ſcripſit Molan. *Bithynia*, ſed reliqui omnes, ut eſt in textu. Dixi Belinum proxime ad puros accedere, deficit enim in eo quod annuntiationum ordinem invertat, Aſclepiadem in ultimum locum rejiciens: & præterea textum corrumpit, dum pro *Conſtantinopolim tranſlata*, ſubſtituit

ſtituit *Paduam tranſlata ſunt.* De Patavina hac tranſlatione ita hodie notat Florentinius: *Licet*, inquit, *eam affirmet Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, hac ipſa die; veluti fabulam tamen Petrus de Natalibus lib.* 9 *cap.* 7 *eamdem antea rejecerat.*

OBSERVATIO. *Lucam Euangeliſtam* in Hieronymianis non uno loco ſignatum invenio, male tamen nos hîc Florentinius ad xxv Septembris remittit, cum indicare debuerit xxi ejuſdem menſis, quo die: *In Paralice civitate, natalis ſancti Lucæ Euangeliſtæ*, diſerte ponitur, & xxvii Novemb: *In Mediolano, Lucæ.* Hodie vero in iiſdem apographis legimus: *In Oriente, tranſlatio corporis Lucæ Euangeliſtæ*; ni malis cum vetuſtiſſimo Epternacenſi *natalem* ſupponere, quemadmodum faciunt Martyrologia reliqua antiqua omnia, ut Beda, ex quo Rabanus; Romanum parvum, ex quo Ado, & qui eum ſequuntur. Alias tranſlationes, atque ad alia loca factas adducit, & ex parte, ut ſupra diximus, refellit laudatus Florentinius, quem de his & ceteris eo ſpectantibus conſulere poterit curioſus lector. Bedæ elogium ampliavit Ado, ætatem uno anno contrahens, cum pro LXXIV, ſcribat LXXIII *annorum:* Menologium Sirleti ad LXXX, Greven. & Molan. ad LXXXIII, Hieronymus ad LXXXIV extendit. Interim Noſter Viennenſi adhæret, totumque elogium in laterculo poſitum, ex eo plane contraxit. De Lucæ martyrio ultro citroque controvertitur. Sermones varios in ejus laudem compoſitos citat Baronius, quorum aliquos retulit Surius. Vitæ ſeriem ex certioribus monumentis ſatis accurate exegit Tillemontius tomo 2 à pag. 130. Nec prætermittendum metricum Wandelberti encomium. *Lucæ.*

Lucas ter quintum, feſto officioque dicatum
Monſtrat, Paule, tuo Chriſtum ſermone locutus.

De *Aſclepiade* ita primus ex Rufini Euſebio lib. 6 cap. 9, meminit auctor Romani parvi: *Et Aſclepiadis Antiocheni epiſcopi.* Pluſculum habet Ado, & ex eo Noſter; quæ neſcio unde omnia accepta ſint, præſertim ſi *glorioſe pati*, de mortis ſupplicio intelligatur. Nam vere paſſum fuiſſe, ſatis exprimit Euſebius lib. 6 cap. 11, dum de eo, Serapioni ſuccedente, ait: *Qui perſecutionis tempore, fidem Chriſti confeſſus, maximam gloriam retulerat*; vel, ut interpretatur Rufinus, cujus verba textui Uſuardino inſerta ſunt: *Qui & ipſe unus ex præclaro confeſſorum numero fuit.* At certe de violenta morte non plane conſtat, nec dici poteſt *ſub Decio* paſſus; quod à Baronio obſervatum, eum impulit, ut pro Decio, *Macrinum* ſubſtitueret. Nos ſuo loco rem omnem de integro accuratius examinabimus. Obſervari interim poteſt, veroſimiliter ab Adone confuſos duos Aſclepiades, hunc nimirum Antiochenum epiſcopum, qui ſub Severo paſſus eſt & alterum Pionii ſocium, cujus certamen ad Decii tempora ſpectat, ut vide in comment. prævio ad Acta Pionii 1 Februarii § 3. Paucula quæ ad Aſclepiadis noſtri laudem ſuperſunt, citato loco breviter exponit laudatus Euſebius. Ceterum & hîc textus noſter totus ex Adone procedit. Rurſus & in *Triphonia*, quam iiſdem prope omnino verbis referunt Beda, Rabanus & Ado. Romanum parvum ſtrictius eam annuntiat: Notkerus ductoris phraſim nonnihil mutilat; Noſter more ſuo ſatis eleganter in pauciora redigit: eadem eſt ubique ſententia quod *Decii Cæſaris uxor fuerit*; at filii, ſeu *junioris*, ut cenſet Baronius. Hiſtoriæ veritas pendet ex ſinceritate Actorum ſancti Laurentii, de quibus curſim egimus proprio die x Auguſti & alibi. Wandelberti verſiculus aliis conſonat: *Regni calcatrix juxta & Triphonia claret.* Hieronymiano codici Corbeienſi inſerta legitur, *depoſitio Juſti pueri*; hujus veroſimiliter, quem hodie vel ex tali codice, vel de ſuo conſignat Uſuardus, eum diſerte *Beluaco* tribuens. Sitne porro *Juſtus* iſte, idem cum *Juſtino* Pariſienſi, de quo Muneratus VIII Auguſti, non eſt hujus loci examinare, neque etiam utrum Acta, quæ ſub Bedæ nomine circumferuntur, ſatis probata ſint. Sane genuinum Bedæ Martyrologium, quod hîc ſolum ſequimur, de Juſto omnino non loquitur. Videatur interim Tillemontius in Luciano Bellovacenſi tomo 4 pag. 540. Acta exſtant Apud Surium hoc die. *Triphoniæ. Juſti.*

AUCTARIA.

TORNACEN Deficit in annuntiatione ſecunda de *Aſclepiade*, in omnibus reliquis purus eſt.

ANTVERP-MAJ. Legit, *ſanctæ Aſclepiadis*, caret ejus elogio, atque item annuntiatione *Triphoniæ*.

ROSWEYD. Sic incipit: *In Bithinia, natale beati Lucæ Euangeliſtæ, qui diſcipulus Apoſtolorum, poſtea Paulum ſecutus, cum eſſet ſeptuaginta & trium annorum, obiit in Bithinia, plenus ſancto ſpiritu, cujus oſſa* &c. In duabus mediis, purus eſt, in ultima iterum auctior, addens de Juſto: *Qui pro Chriſti nomine martyrio conſummatus eſt.* *De Luca.* *De Juſto.*

PULSANEN. In prima, deſunt hæc verba: *Viceſimo Conſtantii anno.* Secunda deeſt In tertia purus eſt; caret ultima, ſed adjicit: *Ipſo die, ſancti Hermelandi abbatis & confeſſoris.* Eſt is, opinor, qui colitur XXV Martii. *Hermelandi.*

ANTVERP MAX-LUBEC. UGHELLIAN. BIGOTIAN. ſignatus P ſ. & ALTEMPS Textui ſubdunt: *Item Alexandri & Victoris.* *Alexandri.*

MUNERAT. In textu ſatis purus, adjicit: *Andega-*

Hermeland. degavis, *ſancti Herblandi abbatis.* Sic vocatur Gallicè *Hermelandus.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTEN. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. De *Triphonia*, poſt *caſaris*, ex Adone inſerunt: *Hæc per beatum Juſtinum baptizata, ſequenti die defuncta, migravit ad Dominum.* In fine habent additamentum ſuperius: *Item Alexandri & Victoris.* *De Triphon.* *Alexand&c*

CENTULEN. *Natale ſancti Lucæ Euangeliſtæ. Qui fuit natione Syrus Antiochenſis, arte medicus, Apoſtolorum diſcipulus. Antiochiæ, beati Aſclepiadis epiſcopi. Qui unus fuit de præclaro confeſſorum numero. In territorio Belloacenſi, ſancti Juſti pueri & martyris, de tempore Rictiovari. Remis Francorum metropoli, dedicatio eccleſiæ ſanctæ Mariæ.*

BRUXELLEN. *Sancti Lucæ Euangeliſtæ, Apoſtolorum diſcipuli. Qui Syrus natione & arte medicus, Apoſtolum Paulum ſecutus, apud Achayam Euangelium, quod ab eodem beato Paulo didicerat & Actus Apoſtolorum deſcripſit. Et poſt multa certamina, ipſe ſeptuaginta trium annorum obiit in Bithinia. Cujus oſſa viceſimo anno Conſtancii imperatoris cum reliquiis beati Andreæ Apoſtoli Conſtantinopolim tranſlata ſunt.* Sequitur de Aſclepiade & Juſto, pure. Tum: *Item Alexandri & Victoris.* Deinde: *Romæ, natale ſanctæ Triphoniæ ſeu Cephiniæ, uxoris Decii caſaris. Quæ, viro ſuo, poſt interfectionem beatorum Sixti & Laurentii, divinitus punito, petiit cum filia Decii Cyrilla, à Juſtino presbytero baptizari, & ſequenti die defuncta, migravit ad Dominum, & apud ſanctum Ypolitum in cripta ſepulta eſt. Ipſo die, ſancti Hermelandi abbatis & confeſſoris.* *De Luca.* *Alexandri & Victoris.* *De Triphon.* *Hermeland.*

HAGENOYEN. *In Bytinia, depoſitio ſancti Lucæ Euangeliſtæ, qui erat natus de civitate Anthyocena Syriæ, arte medicus, & tamen quidam dicunt de eo quod fuerit pictor egregius; & eloquio Græcus erat, ignorans litteras Ebraycas. Hunc quidam dicunt fuiſſe unum de* LXXII *diſcipulis Chriſti. Sed Jeronimus dicit eum tantum poſt paſſionem Domini primo converſum, & Apoſtolorum diſcipulum. Hic virgo extitit & ideo ſecretarius Virginis Mariæ matris Domini fuit, & ab illa audiviſſe* [creditur] *quod ſcripſit poſt Matheum & Marcum in ſuo Euangelio. Hic, ut legitur, carus Deo fuit, cujus Scriptor erat Euangelium; carior erat beatæ Virgini, cujus fuerat paranymphus: cariſſimus fuit Apoſtolo Paulo, cujus erat ſocius individuus, & cooperator omnium factorum ſuorum optimus. Ipſe etiam poſt Euangelium, Actus Apoſtolorum compoſuit. Denique multis perpetratis miraculis & eccleſiis pluribus ædificatis, & pluribus ad fidem converſis, & epiſcopis pluribus ordinatis & clericis, obiit in Bytinia plenus ſpiritu ſancto. Cujus oſſa &c. Eodem die, ſancti Aſclepiadis, Antyoceni epiſcopi & martyris. Hic Aſclepiades multum in epiſtolis Alexandri Iheroſolimitani commendatus eſt, & vocat eum virum ſanctiſſimum. Iſte erat unus ex præclaro &c. Romæ, depoſitio ſanctæ Triphoniæ, uxoris minoris Decii imperatoris. Quæ ſatis erat crudelis, & tamen arguit eum de nece Sanctorum. Hæc poſt mortem viri ſui, cum filia ſua Cyrilla per beatum Juſtinum* *Multa de Luca.* *Aſclepiadis.* *De Triphon.*

Chriſtiana eſt effecta, & ſequenti die orans ad confeſſiones Sanctorum, migravit ad Dominum. Juſtum Bellovacenſem differt in diem ſequentem.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Lucæ Euangeliſtæ. Juſti pueri & martyris. Mononis martyris. Aſclepiadis epiſcopi & martyris Antiocheni.* *Mononis.*

REG. SUEC. ſub numero 428. *Andegavis, ſancti Erblandi abbatis.* Vide ſupra. *Hermelnd.*

In VATICAN. ſign. num. 5949. Deeſt *Juſti.* *Alexand&c*

FLORENTIN. *Item ſanctorum Alexandri & Victoris. Item, ſancti Hermelandi abbatis. Et ſancti Monnonis* vel *Mononis martyris.* *Mononis.*

BURDEGALEN. *In territorio Belloacenſi, ſancti Juſti martyris. Alexandri, Victoris.* *Alexand&c*

EDITIO LUBECO-COL. In Luca ferme convenit cum ſupradictis. In Aſclepiade pura eſt. In Triphonia habet ut ANTVERP-MAX. &c. *In territorio Beluacenſi, ſancti Juſti pueri & martyris, qui temporibus Diocleciani imperatoris, ſub Rictiovaro judice, capite caſus eſt. Eodem die, ſancti Alexandri & ſancti Victoris. Ipſo die, ſancti Aquilini epiſcopi & confeſſoris.* Vide die ſequenti. *De Juſto.* *Alexand&c.* *Aquilini.*

BELINI editio altera in fine adjicit. *Eodem die, beati Marci, clariſſimi Doctoris.* In reliquis ſimilis eſt priori. Multos Marcos novi, ſed de quo hîc agat, neſcio. Si de Hieroſolymitano, colitur XXII Octobris. *Marci.*

GREVEN. *Mononis martyris. In Auxiopoli, ſanctorum Hermetis & Rexii.* Vide Hieronymiana, ex quibus hæc male deſcripta ſunt. *In Campania, civitate Puteolana, Januarii.* Vide XIX Septembris. Hic intervenit error typothetæ. *Item Victricis, Marcialis. In Nichomedia, Victorini & Hermetis. In Africa, Victoris & Fauſti. Aquilini epiſcopi Eboracenſis* [Ebroicenſis] *& confeſſoris; ſecundum alios die ſequenti. Andegavis, ſancti Herblandi abbatis.* *Mononis.* *Hermetis & Rexii.* *Januarii.* *Victricis &c.* *Aquilini.* *Hermeland.*

MOLAN. De Luca, aliis litteris, poſt *tranſlata ſunt*, ex Adone adjungit: *Hic fuit natione Syrus Antiochenſis, arte medicus, Apoſtolorum diſcipulus, Paulum ſecutus uſque ad confeſſionem ejus, ſerviens Domino ſine crimine, neque umquam uxorem habens.* Iterum, poſt *Decii caſaris: Quæ viro ſuo, poſt interfectionem Sixti, Laurentii & Hippolyti divinitus punito, ſe petiit baptizari cum filia Decii Cyrilla, à Juſtino presbytero, & alia die defuncta eſt, & juxta ſanctum Hippolytum in crypta ſepulta.* In fine: *Eodem die, in Naſſonia apud ſanctum Hubertum in Ardenna, beati Mononis martyris. Andegavis, ſancti Herblandi martyris.* Puto eſſe eumdem *Hermelandum* abbatem, de quo ſupra, ut aliæ editiones corrigunt. *In Machlinia, tranſlatio beati Rumoldi martyris atque Pontificis.* Editiones poſteriores, de Luca ſolum adjiciunt in textu aliis litteris: *Hic fuit arte medicus, Paulum ſecutus uſque ad confeſſionem ejus.* De Triphonia, idem quod in priori. In fine: *Andegavis, ſancti Herblandi abbatis. In Naſſonia, natalis beati Mononis martyris, qui angelico monitu, de Scotia Arduennam devenit; ibique ſoli Deo, multo tempore ſerviens, à ſicariis latronibus confoſſus, feliciter occubuit, ſepultus in ea eccleſia, quam ipſe conſtruxerat.* De tranſlatione beati Rumoldi, ut ſupra. *De Luca.* *De Triphon.* *Mononis Hermelandi.* *Tranſlat. Rumoldi.* *De Monone.*

XIV *Kal.* *Die* 19.

Ptolemæi & Lucii. APud Alexandriam Ægypti metropolim, natalis ſanctorum martyrum Ptolomei & Lucii, ſub Antonino cognomento Pio, quorum prior multo tempore ſqualore carceris maceratus, & ad

& ad ultimum, cum de Chriſti magiſterio publica confeſſione teſtaretur, juſſus eſt duci ad mortem. Sequens quoque, cum ſe Chriſtianum liberrime fateretur, ſimilem ſententiam excepit. In Antiochia Syriæ, ſanctorum martyrum Beronici, Pelagiæ & aliorum quadraginta novem. *Beronici & ſocior.*

Ita *Praten. Herinien. Antverp-maj. Belini prima* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Ægypti* ſæpius dictum eſt. *Ptholemei, Tholomei, Ptolomæi* & aliis modis ſcribitur, nos plerorumque codicum ſimplicem inflexionem ſecuti ſumus, quamvis putemus legendum *Ptolemæi*. Antverp-maj. legit: *Cum Criſti magiſterium &c.* Belinus autem mutat quæ immediate ſequuntur; *publica confeſſione ac atteſtatione firmaret.* Idem ſcribit *Anthiochia*, Antverp-maj. *Antyochiæ* &c. Herinien. & Antverp-maj. habent *quadraginta & novem*, ceteri ut eſt in textu. In Pratenſi noſtro apographo adjectum invenio: *Eodem die, tranſlatio ſanctorum Saviniani & Potentiani ſociorumque eorum.* At cum verba illa ſubducta ſint, conjicio ad marginem recentius eſſe appoſita, ut etiam notavit Caſtellanus, unde textus integritati nihil officiunt.

OBSERVATIO. Ut ſuperius non ſemel apud viros harum rerum peritos, in confeſſo eſſe diximus, auctorem Romani parvi, præcipue ex Rufini Euſebio Martyrologium ſuum compilaſſe, ita id hodie manifeſte patet, dum de *Ptolemæo* & ſociis ita habet: *Et Ptolomæi, qui à quodam centurione Urbicio judici traditur; & Lucii ac Tertii ſimul decollatorum, qui Alexandriæ ſepulti ſunt.* Hæc certe, ſi ultimas particulas excipias, ex Euſebii lib. 4 cap. 17 evidenter deſumpta ſunt, & ex eodem loco ab Adone ampliata, ſervatis duobus, quæ in citatis verbis omnino diſplicent. Primum eſt, quod *Tertius* pro nomine proprio accipi videatur, qui in Euſebio tertius ordine & anonymus relinquitur; alterum, quod *Alexandriæ ſepulti* dicantur, quos *Romæ* paſſos eſſe conſtat, ex hiſtoriæ hujus fonte Juſtini apologetico, apud Halloix pag. 48. Adjunxit præterea Viennenſis Martyrologus, *paſſos eſſe ſub Antonino, cognomento Pio*: at *liquet*, inquit Halloix, in notis pag. 361, *hæc accidiſſe ſub Marco Antonino Philoſopho, Pii filio.* Erratum primum de Tertio evitavit Noſter, ſed in turpius labitur, dum annuntiationem incipit: *Apud Alexandriam Ægypti metropolim*, quod nec in Adone, nec alibi reperit, niſi forte bona fide ſuppoſuerit, ibi paſſos martyres, ubi ſepultos inveniebat. Non diffitebor tamen martyrii locum apud Euſebium ſatis dubium relinqui, imo ex toto contextu anſam præberi, ut alibi, & præſertim Alexandriæ, Ptolemæus & ſocii paſſi intelligantur; verum hæc omnia in Romano moderno, ex ipſa Juſtini apologia rectiſſime caſtigavit Baronius. Hujuſmodi controverſa examinat Ruinartius, inter ſincera & ſelecta in admonitione à pag. 35. Videatur etiam Tillemontius tomo 2 pag. 312 & à pag. 395. *Ptolemæi & Lucii.*

De cetero textus totus, à nobis relatus, ex Adone contractus eſt. Attamen ſerie ab utroque anteſignano differt, nam illi primo loco Antiochenos ponunt, qui à Noſtro poſt Ptolemæum collocati ſunt, ſic nihilominus, ut totam ipſam de Antiochenis annuntiationem Uſuardus ex præfato Adone deſcripſerit, quam hic ex Romano parvo transtulerat. Eſt & hujus Antiochenæ claſſis memoria apud Hieronymianos codices hoc die, præfixo tamquam ducis aut primipili nomine *Pelagii*, de quo & aliis eo ſpectantibus vide Florentinium. Porro quænam ſit hodierna *Pelagia*, operoſius ſuo tempore diſquirendum erit; *pœnitentem* non eſſe, quam hîc importune obtrudunt Rabanus & Notkerus, certum puto. Sitne Antiochena illa celebris Virgo & Martyr, ab Ambroſio laudata, de qua in Actis noſtris IX Junii, id ex characteribus, in Commentario prævio egregie à collega noſtro Janningo delineatis tomo 2 pag. 154 & ſeqq. diſpiciendum erit. Ibi interim pag. 157 C, tantum non prævie refutatam invenies Caſtellani notulam de *Domnina* Pelagiæ, ut ipſe vult, matre, & ſororibus *Bernice* & *Proſdoce*, quorum primæ & poſtumæ nomina, quomodo ex hodiernis Hieronymianis tabulis laudatus Caſtellanus extundat, & cum Antiochenis hiſce conjungat, fateor me ſaltem hactenus non ſatis perſpicere. At ne præfixos limites hîc excedam, hæc & ſiquæ alia controverſa ſunt, ad majus opus remitto; ſatis erat, abunde oſtendiſſe, unde Uſuardus, & textum ſuum, & unà errandi occaſionem deſumpſerit. Wandelbertus de Ptolemæo & ſociis non loquitur; de Antiochenis eadem cum noſtris canit: *Beronici & ſocior.*

Beronicus bis ſepteno atque Pelagia fulget,
Quos pariter quadraginta atque novem comitantur.

AUCTARIA.

De Translat. Saviniani & Potentiani.

TORNACEN. Caret annuntiatione prima, in secunda purus est, tum vero adjungit: *Ipso die, festivitas sive translatio beatorum martyrum Saviniani & Potentiani sociorumque eorum. Horum festivitas dum ab antiquis temporibus ageretur pridie Kalendarum Januariarum, transmutata est à Patribus,* XIV *Kalendarum Novembrium, eo quod ipso die translata sunt corpora eorum, & angelicæ voces in cælo sunt auditæ, sicut in translatione eorum sacra legitur. Ideo & hîc venerabilior habetur eorum sollempnitas, quo & eorum corpora sancta honestius sunt tumulata.*

Januarii. Proculi. Translat. Willib.

ROSWEYD. In textu purus, subdit: *Beneventi, Januarii episcopi & sociorum ejus martyrum.* Vide XIX Septembris. *Proculi martyris cum aliis* XLIV. *Translatio sancti Willibrordi episcopi.*

PULSANEN. In prima mutilus est, rescisso elogio. Pro *Beronici*, est *Berontii & aliorum* LIX, ut habet Notkerus.

ANTVERP. MAX.-LUBEC. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. In textu satis puri, addunt: *In civitate Puteoli, natale sanctorum Proculi & Niceæ matris ejus.*

Proculi &c.

MUNERAT. In fine: *Senonis, sanctorum martyrum Saviniani & Potentiani, sociorumque eorumdem.* Vide supra in TORNACEN.

Savin. &c.

GREVEN. Hæc magis distinguit: *Apud Senones, passio sanctorum martyrum Potentiani, Saviniani, Altivi & Totaldi.* Male legit postrema nomina, pro quibus alii, *Altini & Eodaldi.*

Savin. &c.

CENTULEN. *Alexandriæ, beatorum Ptholomæi & Lucii martyrum. Antiochiæ, sanctorum Beronici & Pelagiæ & aliorum* XLIX. *Cœnobio Centula, dedicatio orientalis criptæ in honorem sanctæ Mariæ & sancti Richarii sacerdotis glorioſi.*

Textus contractus.

BRUXELLEN. Incipit ab Antiochenis, in quibus purus est. Tum: *Et in civitate Puteoli, natale sanctorum martyrum Proculi & Niceæ matris ejus.* Sequitur deinde annuntiatio de Ptolemæo & Lucio, pure. Accedit: *Item Amati, episcopi Senonensis, qui pro veritatis justicia à Theodorico rege, gravi exilio diu fuit tribulatus.* Vide Auctaria XXVIII Aprilis & XIII Septembris.

Proculi &c.

Amati.

Columbani.

Turonis, depositio sancti Columbani abbatis. Infra dicitur *episcopus Turonensis*, neque sic notus.

HAGENOYEN. In textu, præter morem, purus. adjungit: *In territorio Beluacensi, natale sancti Justi martyris.* Vide dicta die præcedenti. *Item, sanctorum Alexandri & Victoris martyrum.* Vide ibidem. *In civitate Puteoli, sanctorum martyrum passio Proculi & Niceæ matris ejus.*

Justi. Alexand. &c Proculi &c.

AQUICINCT. Incipit à proprio vicini oppidi: *Duaci, translatio sancti Amati archiepiscopi & confessoris.* In fine autem addit: *Apud castrum Ebroicas, natalis sancti Aquilini episcopi & confessoris.*

Transl. Am. Aquilini.

Aquilini.

VICTORIN. & REG. SUEC. sign. num. 130. In fine absque positione: *Ipso die, sancti Aquilini, episcopi & confessoris.*

Ethbini.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJ. *Ptholomæi & Lucii martyrum. Ethbini confessoris. Beronici, Pelagiæ & aliorum quadraginta novem martyrum.*

BIGOTIAN. signatus P 5. *In civitate Puteoli, natalis sanctorum Proculi & Nicheæ matris ejus.*

Proculi &c.

BIGOTIAN. signatus E 40. *Apud Senones, passio sanctorum martyrum Saviniani, Potentiani, Altini & Eodaldi.* Constat ex TORNACEN. supra, hodie memoriam agi translationis, quæ facta est anno MXXVI, vel, ut alii, MXXX.

Savin. &c.

CODEX D. DU CHEVAL. signatus B. *In civitate Puteoli, natalis sanctorum martyrum Proculi & Niceæ matris ejus.* UGHELLIAN. Procul dubio similis hîc etiam est ANTVERP. MAX-LUBEC. &c. Verum in extracto nostro sic primum nomen scriptum est: *In civitate Puteoli, natalis sanctorum Pauli & Niceæ matris ejus.*

Proculi &c.

ALTEMPS. *In Britannia, civitate Oxoniæ, sanctæ Fredeswidæ virginis. Et sancti Aquilini, episcopi & martyris.*

Fredeswidæ. Aquilini.

FLORENTIN. *In civitate Puteoli, sanctorum martyrum Proculi & Niceæ matris ejus. Item, sancti Amati confessoris.* Addit solus codex STROZZIAN. *Romæ, sancti Asterii presbyteri & martyris.* Vide XXI Octobris.

Proculi &c. Amati. Asterii.

BIZUNTICEN. *Senonis, sanctorum martyrum Saviniani & Potentiani sociorumque eorum.*

Savin. &c.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Turonis, depositio sancti Columbani abbatis & confessoris.*

Columbani.

EDITIO LUBECO-COL. Primæ annuntiationi post, *& Lucii*, inserit, *atque Tertii sub Antonino cognomento Pio, & filio ejus.* Cetera satis pura sunt usque ad finem. Ubi additur: *In civitate Puteoli, natale sanctorum martyrum Proculi & Niceæ matris ejus. In Anglia, civitate Oxonia, sancta Fridesuidæ virginis.*

Proculi &c. Fridesuidæ.

BELINI editio altera, priori in textu similis, in fine adnectit: *Eodem die, sancti Eadnochi martyris, episcopi Eboracensium. In territorio Aurelianensi, depositio beati Verani episcopi & confessoris.* Vide Usuardum XI Novembris.

Eadnochi. Verani.

GREVEN. *Civitate Puteolis, sanctorum martyrum Proculi & Niceæ matris ejus. In Histria, sanctorum Austeri, Neopoli, Desiderii & Festini. Eodem die, commemoratio sanctorum Januarii & sociorum ejus martyrum. Columbani episcopi Turonensis & confessoris. Bevagii, episcopi Silvanectensis & confessoris. Folquini episcopi. Desiderii episcopi. Geremari abbatis Flaviacensis & confessoris.* Vide Auctaria XXI, XXIII & XXIV Septembris. *Amati, abbatis Luxovienſis & confessoris. In Hibernia, sancti Ethbini, levitæ & confessoris, discipuli beati Samsonis Dolensis archiepiscopi. Hic cum sancto Wingualoco presbytero & confessore dignissimo (de quo supra* VI & V *Nonas Martii habetur) iter faciens, Christum in specie leprosi susscipere & miro fidei ardore cum eodem tractare, vocem etiam ascendentis Domini audire, salutem promittentis eis, qui amborum memores in orationibus extitissent, meruit. Ipse tandem vita & miraculis, inter quæ & mortuum suscitasse legitur, clarus, beato fine in Domino quievit.* Notabis parenthesim hîc insertam in prima editione sic legi (*qui* VI & V *Nonas Martii sine egregia commendatione transiri non debuerat*) Sequitur: *Translatio sancti Willibrordi episcopi & confessoris. In Anglia, civitate Oxonienſi, sanctæ Fridesuidæ virginis.*

Proculi &c. Austerii &c. Januar. &c. Columbani. Bevagii. Folquini. Desiderii, Geremari. Amati abb. Ethbini. Translat. Willibrordi. Fridesuidæ.

MOLAN. *Eodem die, Eadnochi martyris, episcopi Eboracensium. In territorio Aurelianensi, depositio beati Verani, episcopi & confessoris. Senonis, sanctorum martyrum Saviniani & Potentiani sociorumque ejus. Horum festivitas dum ab antiquis temporibus, pridie Kalendarum Januariarum ageretur, transmutata est* XIV *Kal. Novemb. eo quod ipso*

Eadnochi. Verani. Savin. &c.

Translat. Amati. *ipso die translata sunt corpora eorum, & angelicæ voces sunt auditæ, sicut in translatione eorum legitur. Duaco, translatio sancti Amati episcopi & confessoris. Qui postquam execrabili jussu Theodorici regis, gregi suo condolens, sed commendans sanctæ Trinitati, episcopatum dereliquit, carnem suam macerando, multas passiones pro Christo sustinuit. Et sancti Aquilini episcopi & confessoris;* *Aquilini.* dein typis minoribus, *Eboracensis* [Ebroicensis.] *In Anglia, civitate Oxoniensi, sanctæ Fredeswidæ virginis.* Editiones aliæ habent: *Ebroicas, sancti Aquilini, episcopi & confessoris. Oxoniæ, sanctæ Fredeswidæ virginis. Die decima nona, sancti Vari martyris* De Saviniano & sociis: item de Amato, plane ut in priori. Ad finem adjicitur aliis litteris. *In Britannia sancti Etbini, abbatis Nectensis.* *Fredeswidæ.* *Vari.* *Etbini.*

XIII *Kal.* *Die* 20.

APud Avienſem provinciam, natalis beati Maximi levitæ & martyris, qui patiendi deſiderio, inquirentibus ſe perſecutoribus palam oſtendit, & poſt reſponſionum conſtantiam, equuleo ſuſpenſus ac tortus, dein fuſtibus cæſus & ad ultimum obrutus occubuit. In Galliis civitate Agenno, ſancti Caprafii martyris, qui cum rabiem perſecutionis declinans, lateret in ſpelunca, tandem animatus ad tolerantiam paſſionum, ad aream certaminis properavit, & palmam martyrii fortiter dimicando promeruit. Civitate Colonia, paſſio ſanctarum virginum Marthæ & Saulæ cum aliis pluribus. Ipſo die, exceptio ſanctorum martyrum Georgii diaconi & Aurelii. *Maximi.* *Capraſii.* *Marthæ & Saulæ.* *Except.* *Georgii &c.*

Omnino puri ſunt ſoli *Praten. Antverp-maj. Munerat.* & *Greven.*

VARIA LECTIO. Munerat. & recentiores aliqui codices ſcribunt *Anienſem*, ſed pro *Avienſem* ſtant omnes antiquiores, licet locus hodie in Veſtinis, ubi olim fuit, notus non ſit, ac proinde computari poſſit inter eos pagos vel oppida, de quibus recte dixeris: *Hæc tunc nomina* fuerunt, *nunc ſunt ſine nomine.* Præterea idem Munerat. omiſit titulum *beati.* Legendum eſt *patiendi deſiderio*, male in Greven. *patiendo.* In Munerat. & Greven. eſt, *reſponſionis conſtantiam*; ceteri ut in textu. *Captaſii*, error eſt in Antverp-majore. Greven. pro *paſſionum*, habet *paſſionis.* Denique in Antverp-majore omiſſa eſt particula *&*, poſt *properavit.*

OBSERVATIO. De *Maximo* hoc noſtro Avienſi antiquorum Martyrologorum memi- *Maximi.* nit nullus, excepto ſolo Uſuardo, qui unde illum acceperit, divinare prorſus nequeo, niſi ſuſpicemur, Martyris illius paſſionem, aut brevia quædam Acta, in ejus manus perveniſſe, qualia ferme edidit Petrus de Natalibus lib. 9 cap. 85. Alia apud nos Mss exſtant, & quidem varia, in quorum nonnullis manifeſta inter Maximos apparet confuſio, de qua diſputantem vide Tillemontium tomo 3 pag. 710 & 711. Afferit Baronius, *ejus martyrii atque tranſlationis hiſtoriam manuſcriptam ſe accepiſſe ab eccleſia Aquilana*; nimirum, opinor, Acta illa ipſa, ex quibus compoſitum ſubinde fuit officium eccleſiaſticum Aquilanæ diœceſi proprium, Romæ impreſſum anno MDCIV, cujus exemplar habemus, & ex quo deſcripſit Ferrarius, quæcumque de Maximo annotat in Sanctis Italiæ pag. 657. Colitur ab Aquilanis, ſacri depoſiti poſſeſſoribus, tamquam peculiaris patronus XIX Octobris; nos alterutro die vitam & geſta, qua poterimus veroſimilitudine illuſtrabimus. *Capraſium* certo memorant Hieronymiana, nec eſt cur adjectitium reputet Florentinius, *Capraſii.* niſi quod forte in codice Lucenſi defuerit, de cetero ejus Notatio conſuli meretur. Superius VI Octobris, ubi de *Fide* agendum fuit, paucis indicavimus, quæ ad celeberrimæ virginis Acta ſpectabant, ex quibus haurienda ſunt Caprafii geſta, ut proinde ea hîc repetere opus non ſit. Ex præfatis Actis *Capraſium* accepit Ado, brevique exornavit elogio, cujus medullam Noſter repræſentat; at codices recentiores, contra Uſuardi mentem, integrum reſtituunt, ut in Auctariis pateſcet. Notkerus, contractis Adonis verbis, eum Sanctum die præcedenti collocavit. Wandelbertus de ipſo ſolo hodie cecinit:

Ternum cum deno, Capraſi martyr, honoras:

Sequitur claſſis virginum Colonienſium, quam diu, ſed fruſtra, apud Martyrologos *Marthæ & Saulæ.* aut alios ſcriptores antiquos, imo apud Colonienſes ipſos, quæſiveram, donec caſu incidi in locum Crombachii de Urſula lib 11 cap. 12, ubi Uſuardum *primarum Virginum cæſarum pridie cladis generalis Urſulanæ*, per textus noſtri verba meminiſſe contendit, addens, *Colonienſes has, vel non colere, vel tantum poſtridie cum tota ſodalitate Urſulana.* Hîc paucis edoctus ſum, cur in vanum quæſierim: at unde Virgines ſuas Uſuardus aut accepe-it

aut efformaverit, æque incertum relinquitur. Utrum vero satis comperta sint, quæ de Usuardina nostra commemoratione censuit Crombachius; atque item, an satis consona vulgatis Actis Ursulanis, alterius loci & examinis est. At enim, ex Usuardo, tamquam de recepta suo seculo, nempe nono, opinione, testimonium ferente, id eruitur, *Virgines plures* apud Coloniam, ut sequenti die etiam Wandelbertus testabitur, id, inquam, eruitur, Virgines plures, & si ita vis, plurimas ibi pro fide Christi occubuisse. Poterunt forte *Martha* & *Saula* curiosioris perscrutationis materiam aliquando suggerere. Interim si de societate undecim millium fuisse censeantur, mirari liceat, inter tot Ursulanas, ab aliquibus nominatim expressas, hæc duo nomina ferme ubique desiderari. De *Georgio*, *Aurelio* & sociis martyribus Cordubensibus egimus cum Usuardo XXVII Augusti, quo die illos ipse perperam consignavit, cum certum sit ex Eulogio, VI kal. Augusti seu XXVII Julii esse interemptos. Hîc recolitur festiva exceptio sacrorum corporum, Corduba ab Usuardo ipso & Odilardo allatorum, quam ob insignem celebritatem Noster Martyrologio inserere voluit. Exstat translationis ipsius, factæ anno DCCCLVIII historia ex Usuardi narratione, ab Aimoino symmista compilata, & à Mabilione recusa seculo 4 Benedictino, parte 2 à pag. 45.

Except. Georgii &c.

AUCTARIA.

Sindulf. HERINIEN. In textu purissimus, augmentum Remense proprium adjicit: *Eodem die, depositio Sindulfi confessoris, cujus vita quam fuerit Deo accepta, testanturipsius miracula, quæ per ejus merita sunt facta.*

TORNACEN. Omittit elogium Maximi: in Capraso & Colonienfibus purus, nihil habet de exceptione reliquiarum &c.

ROSWEYD. In textu non omnino purus, præcipuum defectum habet, quod careat penultima annuntiatione de Martha & Saula.

PULSANEN. Rescindit elogia Maximi & Capraſii, cetera omnia pura sunt.

De Capraſio. ANTVERP. & MAX-LUBEC. &, ut puto, UGHELLIAN. In prima puri, de Capraſio Adonem deſcribunt poſt, *in ſpelunca*, addentes: *tandem audiens qualiter beata Fides pro Christo agonizavit, animatus ad tolerantiam passionum, oravit ad Dominum, ut si eum gloria martyrii judicaret dignum, ex lapide spelunca aqua limpidissima emanaret, quod præstante Domino, securus ad certamen properavit, palmamque* &c. Deſunt annuntiationes duæ ultimæ.

MOLAN. In prima satis purus, in secunda mutilus est, in tertia purus, caret quarta.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. & LEYDEN. De Capraſio habent, ut ANTVERP. & MAX-LUBEC. De Martha & Saula, nihil; in prima & ultima puri. In fine: *In pago Remensi, depositio sancti Sindulphi presbyteri & confessoris.* Noto, ANTVERP-MAX. pro *Maximi*, legere *Maximini.*

Sindulfi.

ALBERGEN. & DANIC. In prima & secunda similes sunt superioribus, sed carent reliquis, ut supra ANTVERP. &c.

LOVANIEN. Convenit cum ANTVERP-MAX. &c. sed totum Capraſii elogium expunxit.

CENTULEN. *In Gallis civitate Agenno, sancti Capraſii martyris. Apud Avienſem provinciam, beati Maximi, levitæ & martyris. Civitate Colonia, ſanctarum virginum Marthæ & Saulæ cum aliis pluribus.*

Textus mutilus.

BRUXELLEN. Incipit à Capraſio, de quo habet ut ANTVERP. &c. Sequitur de Maximo, pure. Tum: *Romæ, natale sancti Austerii presbyteri.* Vide die sequenti. *In Puteolis civitate, natale sanctorum martyrum Zozimi, Januarii & Dorotheæ.* Ex Hieronymianis, æque ac Austerius. Sequitur de exceptione Georgii &c. & sanctarum Marthæ & Saulæ, pure. Deinde: *In pago Remensi, depositio sancti Synduſi* [pro *Sindulfi*] *presbyteri & confeſſoris. Et ſanctæ Auſtrebertæ virginis.* Vide x Februarii; infra indicatur translatio.

Auſterii. *Zozimi &c.* *Sindulfi.* *Auſtrebertæ.*

HAGENOYEN. In prima satis purus, de reliquo textu nihil habet, sed substituit: *Apud Alexandriam ſanctæ Pelagiæ, quæ peccatrix appellatur; quam mirabiliter ſanctus Nummus* [Nonnus] *episcopus ad fidem convertit, & in conventu clericorum, & totius civitatis Alexandriæ baptizavit. De qua prius tamen, cum adhuc meretrix esset, ipse prophetaverat, quod ipsa acto episcoporum præire deberet ſacerdotium. Et de illa postea mirabilem vidit visionem, quam ipsam in se implevit: nam illa habitum virilem induit, & solo Nummo episcopo sciente, à quo cilicium accepit, fugit, & cellam solitariam intrans, vocans se Pelagium. Et ibi multis annis in magna abstinentia & pœnitentia vixit & ante mortem à Nummo episcopo, per Jacobum dyaconum est salutata, & multum confortata & obiit in pace.* Vide quæ de Pelagia & Pelagiabus dicta sunt in Obſervationibus ad VIII & XIX Octobris.

Multa de Pelagia.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Capraſii martyris. Maximi, levitæ & martyris. Sanctarum virginum Marthæ & Saulæ cum aliis multis, martyrum.*

Textus mutilus.

CLUNIACEN. *Item, Neonis martyris.* Novi septem Neones, quis hîc signetur, nescio.

Neonis.

VATICAN. num. 5949. Textui præfigit: *Beneventi, ſancti Zozimi episcopi.* Deſunt annuntiationes duæ ultimæ.

Zozimi.

ALTEMPS. *Eodem die, ſancti Neoti presbyteri & confeſſoris. Item Neonis martyris. Item translatio ſanctæ Auſtrebertæ virginis.*

Neoti. Neonis. Tranſl. Auſt.

FLORENTIN. *Item, ſanctorum martyrum Georgii diaconi & Aurelii. Ipso die Romæ, ſancti Asterii presbyteri & martyris, ſub Alexandro imperatore, quem præcepit per pontem præcipitari.* Vide die sequenti.

Georgii &c. Aſterii.

BIZUNTICEN. *Parisius, exceptio ſanctorum martyrum Georgii diaconi & Aurelii*

CABILLON. *Sancti Verani episcop Cabillonenſis.* Vide Usuardum XI Novembris, & alios die præcedenti.

Verani.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *In territorio Remensi, villa quæ dicitur Alſontia, depositio ſancti Sindulfi presbyteri & confeſſoris.*

Sindulfi.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Colonia Agrippina, in eccleſia ſanctarum undecim milium virginum, commemoratio ſancti Hippolyti martyris & ſociorum ejus, cujus Hippolyti corpus ibidem per*

Hippolyti.

per tranſlationem requieſcit. Item apud Coloniam, paſſio ſanctarum virginum & martyrum Marthæ &c. In Maximo, ſatis pura eſt. *In Galliis, civitate Agenno, feſtivitas tranſlationis ſancti Capraſi martyris. Qui cum timore, perſecutionis rabiem* &c. ſicut ANTVERP. uſque ad *præſtante Domino*, ubi adjungit: *Ita factum eſt. Securus igitur ad certamen paſſionis properavit, ubi una cum beata Fide decollatus, ſicque palmam*, &c. Tum: *Horum ſanctorum tolerantiam paſſionis & patientiæ Primus & Felicianus fratres videntes, ad Chriſtum converſi, cum ipſis pariter decollati ſunt.* Vide quomodo hæc conveniant cum dictis IX Junii. *Trecas, ſancti Arandi confeſſoris.* An non *Adroldi* vel *Alderaldi? Eodem die, ſancti Quirini presbyteri & martyris.* Hunc Quirinum non novi. *Apud Mynden, ſancti Feliciani martyris.*

Tranſlat. Capraſii. *Arandi.* *Quirini.* *Feliciani.*

BELIN. In prima non plane purus, in ſecunda habet cum ANTVERP. &c. In tertia purus eſt, deeſt ultima. Altera ejus editio ſubjungit in fine: *Item, ſancti Neonis martyris.*

Neonis.

GREVEN. *Avelſi & Valeriani, diſcipulorum Chriſti. Quirini presbyteri & martyris. Apud Mynden, ſancti Feliciani martyris. Feliciæ martyris & Juſti pueri. Nichomediæ, ſanctorum Eutici, Promaſii, Lucii & Marcellini. Civitate Puteolis, ſanctorum Zozimi, Januarii, Dorochæ. In Fulginea, Feliciani, epiſcopi & confeſſoris. Sindulphi, confeſſoris. Priſci, confeſſoris. Trecas, ſancti Arandi, confeſſoris.* Vide ſupra in EDIT. LUBECO-

Avelſi &c. *Quirini.* *Feliciani.* *Feliciæ &c.* *Eutici &c.* *Zozimi &c.* *Fel.ciani.* *Sindulfi.* *Priſci.* *Arandi.*

COL. *Apud Coloniam Agrippinam, in eccleſia ſanctarum undecim millium Virginum, commemoratio ſancti Hipoliti martyris, ibidem per tranſlationem quieſcentis, & ſociorum ejus.*

Hippolyti.

MOLAN. Ex Adone eadem textui, ſed aliis litteris interjicit, quæ ſupra retulimus in ANTVERP. & aliis. Mutilum autem ſupra diximus in hac ipſa annuntiatione, quod ultima verba, *& palmam martyrii fortiter dimicando promeruit*, etiam Italicis exprimat. In fine vero adjectitium cenſet: *Ipſo die, exceptio ſanctorum martyrum Georgii diaconi & Aurelii.* Tum: *Item Neonis martyris. Eodem die, depoſitio Sindulphi confeſſoris: cujus vita, quam fuerit Deo accepta, teſtantur ipſius miracula.* Hæc ex HERINIENSI, ſed nonnihil immutata. *Trecas civitate, natalis ſancti Arandi confeſſoris & archidiaconi.* Editiones aliæ in textu conveniunt. In fine: *In pago Remenſi, depoſitio Sindulphi confeſſoris: cujus vita, quam fuerit Deo accepta, teſtantur ipſius miracula. Trecas civitate, natalis ſancti Araldi, confeſſoris & archidiaconi. Item, ſancti Neonis martyris. Et tranſitus ſancti Vendelini, confeſſoris. Apud Mindam, natalis ſancti Feliciani, epiſcopi & martyris.* Putat Caſtellanus, ubique indicari unum & eumdem Felicianum Fulginatem. *Die vigeſima, ſancti magni martyris Artemii. Ipſo die Pariſiis, exceptio ſanctorum martyrum Georgii diaconi & Aurelii.* Vide apud Surium longam de magno illo martyre Artemio ex Metaphraſte hiſtoriam.

Neonis. *Sindulfi.* *Arandi.* *Araldi.* *Vendelini.* *Feliciani.* *Artemii.*

XII *Kal.* *Die* 21.

APud Nicomediam, natalis ſanctorum martyrum Daſii, Zotici, Gai cum duodecim militibus. Eodem die ſancti patris noſtri Hilarionis, cujus vitam Hieronimus virtutibus plenam ſcribit. In civitate Oſtia, ſancti Aſterii presbiteri, qui in paſſione beati Caliſti Papæ legitur. Ipſo die, ſancti Viatoris, miniſtri beati Juſti Lugdunenſis epiſcopi.

Daſii & ſociorum. *Hilarionis.* *Aſterii.* *Viatoris.*

Inter codices, undequaque puri ſunt ſoli *Praten.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Gai*, *Hieronimus*, *Oſtia*, *Caliſti*, non ſemel dictum eſt. Molan. opinor ex Greveno, phraſim nonnihil tranſpoſuit, legens: *Cujus vitam virtutibus plenam Hieronymus ſcribit.* Noſtra lectio Bedæ & Adoni conformior eſt. Hîc noto, varietatem lectionis etiam inter vetuſtiores codices in eo eſſe præcipuam, quod Antverp. maj. Roſweyd. Antverp. Max-Lubec. Munerat, & Greven. cum ſigno L, textui adjiciant celebratiſſimas illas Virgines Colonienſes undecim mille numero, de quibus die præcedenti agere cœpimus occaſione *Marthæ*, *Saulæ* & ſociarum plurium, ex quo die in hunc tranſlatas exiſtimat Caſtellanus. Hoc certum, hodiernas iſtas, Uſuardinas omnino non eſſe, nec apud ullum antiquum Martyrographum ſub eo numero cognitas. Wandelberti verſus, nuper etiam indicatos, lubens ſubjicio, ex quibus id demum habetur, quod ultro concedimus, numeroſam Virginum multitudinem apud Coloniam martyrio coronatam. Ita habet:

De Virgin. Urſulanis.

Tunc numeroſa ſimul Rheni per littora fulgent
Chriſto virgineis erecta trophæa maniplis
Agrippinæ urbi, quarum furor impius olim
Millia mactavit ductricibus inclyta Sanctis.

Numerum hîc pro poëtæ arbitrio determinari perſpicuum videtur. Ceterum & millia & millenas fuiſſe illuſtriſſimas Virgines, tam indubitatum putamus, ut ferreus ſit oporteat (loquor ex Magiſtri ſententia) qui hiſce & antiquis fundamentis nixæ Colonienſium traditioni fidem negare ſuſtineat. Acta equidem, ut paſſim vulgata ſunt, nullus probo, nec de ipſis varie à variis & merito caſtigatis, hîc diſputandi locus eſt. Videatur

atur Baronii Notatio, ſed cum ea conferantur, quæ diligentiſſime ſcrutatus eſt Browerus noſter in Venantii Fortunati librum tertium à pag. 61 : item Reſponſiones Papebrochii ad articulum XIX, num 15, quæque ibi ab eo indicantur. Nos reliqua ex Crombachio & aliis ſuo tempore expendemus.

Daſii & ſociorum. OBSERVATIO. Incipio à confuſione, quæ in Adonianis codicibus Mss. haud dubie inveniri debuit, & propter adjectas virgines Urſulanas, & propter tranſpoſita in Romano parvo nomina, quæ à Roſweydo locis ſuis feliciter reſtituta ſunt, à Moſandro & magis etiam à Notkero turbata. De cetero quod ad textum noſtrum attinet, is plane ex Adone aut deſcriptus aut contractus eſt; ſingula ordine proſequamur. Inter codices Hieronymianos, ut vetuſtiſſimus, ita hodie correctiſſimus eſt Epternacenſis, nam ubi alii ferme legunt : *In Nicomedia, Daſi, Zotici, Gagi cum duodecim milibus*; enormem numerum, Græcis ipſis incognitum, melius iſte reſtringit hoc modo : *cum duodecim militibus.* Primam lectionem pridie ſecutus eſt Notkerus, at Romanum parvum, Ado & ex hoc Noſter probatiori inſiſtunt. Jam vero præfata verba, *cum duodecim millibus*, dubium injecêre Florentinio, utrum ſub iſto numero *ſanctæ Urſulæ ac ſociarum certamen* non *celebretur.* Nec ſane tam procul rejicienda videtur haud infundata ſuſpicio, præſertim ſi vera ſunt, quæ in Notula ſua aſſerit Caſtellanus, nimirum, in nonnullis antiquis codicibus non *duodecim* ſed *undecim* dumtaxat *millia* accenſeri, eumque numerum non ad Nicomedienſes referri, ſed ipſis martyribus Colonienſibus applicari. Ad hæc rurſus dilabimur, de quibus ſatis dictum eſt; aliorum virorum eruditorum circa hujus famoſi numeri geneſim conjecturas vix quiſquam vel leviter doctus ignorat. Videri aliquæ poſſunt in Notatione Motherii, in nupera verſione Gallica Martyrologii Romani ad hunc diem.

Hilarionis. De *Hilarione* non eſt quod addam Notationi Baronii. Celebratur à Beda & ex hoc à Rabano iiſdem verbis : Romanum parvum, paucis : *Et ſancti Hilarionis monachi.* Verum Ado ex inſigni vita, ab Hieronymo deſcripta, ſeriem bene longam Martyrologio ſuo inſeruit, ex qua non multa Notkerus, ſed die præcedenti male retulit; Noſter ſolam primam periodum, quæ Bedæ & Rabani phraſi perſimilis eſt, ſelegit & tranſumpſit.

Aſterii. Vide quæ curſim à nobis præſignata ſunt XXI Martii, & vitam apud Surium. *Aſterii* meminit etiam laudatus Beda, meminit Rabanus, meminit Ado, omnes iiſdem plane terminis. Bedam, an Adonem, ſecutus ſit Uſuardus tantumdem eſt, certe ex alterutro, & veroſimilius ex ſolito anteſignano., pauca ea excepit, quæ in textu retulimus. De Actis videnda ſunt quæ in Calliſto obſervavimus XIV Octobris. Aſterium porro & Hilarionem ſic laudat Wandelbertus :

Presbyter Aſterius duodeno laude coruſcat,
Egregia, multos docuit qui vincere Sanctos
Undique bella piis diram minantia mortem:
Hunc & Hilarion eremi bonus accola comit.

Viatoris. *De ſancto Viatore*, inquit Florentinius, *apud Gallicos ſcriptores omnia aperta ſunt.* Aſſentior : ſed an ejus conjectura adeo fundata ſit, in reſtituenda Gallici antiquarii, ut vocat, additione, judicent alii. De Juſto, Viatoris hujus magiſtro, abunde egimus ad II Septembris, quo die ab aliquibus miniſter epiſcopo conjungitur, cetera alibi de integro diſcutientur. Auctaria nonnulla utrumque, aut conjunctim, aut diviſim diverſis diebus referunt; ſed hoc nihil ad textum. Hîc demum ſufficiat obſervaſſe, Uſuardum in Viatore juxta ac in reliquis Sanctis, ut initio monebamus, ſua omnia ex Adone tranſtuliſſe.

AUCTARIA.

Ciliniæ. HERINIEN. Toto textu puriſſimus, iterum proprium Remenſe inſerit ſecundo loco: *Item, in caſtro Laudunenſi, ſanctæ Ciliniæ, matris beati Remigii Remorum archiepiſcopi.* In ora codicis inferiori, recenti manu adjicitur : *Apud Coloniam Agrippinam, paſſio ſanctarum Virginum, undecim milium.*

11000 *VV.* TORNACEN. In textu etiam puriſſimus eſt, ſed penultimo loco interjicit : *Civitate Laudunenſi, ſanctæ Ciliniæ.* Deinde poſt Viatoris in fine: *Meldis civitate, ſanctæ Ciliniæ virginis.* Putat Caſtellanus Remigii matrem, occaſione hujus virginis fere ſynonymæ, conſignatam.

Ciliniæ. *Ciliniæ V.* ANTVERP-MAJ. In textu non ſatis correctus, in fine non magis eleganter adjicit: *Civitate Colonia, paſſio ſanctarum undecim milia Virginum.*

11000 *VV.* ROSWEYD. De Aſterio : *Qui in paſſione beati Kalixti legitur Papæ urbis Romæ.* In fine: *Civitate Colonia, undecim milia Virginum.* *De iiſdem.*

PULSANEN. Omnia ſatis pura habet, excepta ultima annuntiatione, in qua deficit.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Adjiciunt textui : *Burdegala, Severini epiſcopi. In civitate Colonia, natale Virginum* XI *milium.* *Severini.* 11000 *VV.*

MUNERAT. *Dazii, Zotici cum* XII *milibus.* In fine : *Eodem die, apud Coloniam, ſanctarum undecim milium Virginum & martyrum.* *De iiſdem.*

GREVEN. cum ſigno L, ut diximus, in fine ſubdit : *Apud Coloniam Agrippinam, paſſio ſanctarum undecim millium Virginum.* *De iiſdem.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. In prima puri, ſecundam ſic efferunt: *Apud Paleſti-*

leſtinam, natale ſancti Hilarionis abbatis, cujus vitam &c. Tum: *Apud Coloniam Agrippinam, natale Virginum undecim milium.* De Aſterio addunt: *Qui ſicut in paſſione Kalixti Papæ legitur, juſſu imperatoris Alexandri per pontem præcipitatus, quia corpus ſancti Kalixti ſepelierat, gloriam martyrii adeptus eſt.* In Viatore puri, ſubdunt: *In caſtro Laudunenſi, ſanctæ Ciliniæ, matris ſancti Remigii Francorum Apoſtoli. Burdegala, ſancti Severi Treverenſis epiſcopi.* Severus Trevirenſis colitur XV Octbris Hîc de *Severino* agitur, ut alibi latius explicabimus.

De iiſdem. De Aſterio. Ciliniæ.

Severini.

LOVANIEN In eo à ſuperioribus differt, quod elogium Aſterii expunxerit.

ALBERGEN. & DANIC. Ab ANTVERP-MAX. &c. ſolo ordine diſſident, nam primo loco Hilarionem annuntiant, ſecundo Urſulanas, tertio Nicomedienſes; cetera ut ſuperius.

CENTULEN. *Apud Nichomediam, ſanctorum Daſii, Sottitii cum aliis decem militibus. In Paleſtina, tranſitus beati Hylarionis, magni patris monachorum, cujus vitam beatus Jeronimus ſanctitatis & miraculorum gloria plenam deſcribit. In civitate Hoſtia, ſancti Aſterii presbyteri & martyris. Laudani Clavati, ſanctæ Ciliniæ, matris ſancti Remigii archiepiſcopi.*

Textus mutilus. Ciliniæ.

BRUXELLEN. Incipit: *Apud Coloniam Agrippinam, foris muros civitatis ad aquilonarem plagam, paſſio beatæ Urſulæ, ac cum ipſa ſanctarum undecim milium Virginum. Quæ de Britannia Romam & inde Coloniam venientes, ibi juxta Renum martyrizatæ ſunt.* Nicomedienſes quatuor nominatim exprimit, nempe, *Elaſii, Daſii, Zotici, Gagii vel Gai* &c. De Hilarione habet ut ANTVERP-MAX. &c. Tum: *Apud Burdegalam, depoſitio ſancti Severi Treverenſis archiepiſcopi.* Vide in ANTVERP-MAX. *Fontanellæ monaſterio, depoſitio ſancti Condedis* [aliàs *Condedi*] *confeſſoris. Apud Laudinium, depoſitio ſanctæ Ciliniæ, matris beati Remigii.* Lege *Laudunum*, ut ſupra.

De Urſulan. Severini. Condedi. Ciliniæ.

HAGENOYEN. De virginibus Urſulanis multa narrat, ſed ita ut ſelegiſſe videatur quæ maxime ſunt inveriſimilia. Vide infra in editione LUBECO-COL. & GREVENO. De Nicomedienſibus ſolum addit, *cum undecim militibus.* De Aſterio, ferme ut ANTVERP-MAX. Tum: *Item in caſtro Lugdunenſi, depoſitio ſanctæ Ciliniæ, matris ſancti Remigii Francorum Apoſtoli.* Deſunt Hilarion & Viator.

Ciliniæ.

AQUICINCT. Textui ſubdit: *Burdegala, ſancti Severini epiſcopi. Eodem die, inventio corporis beati Audomari epiſcopi. Et ſanctæ Ciliniæ, matris ſancti Remigii. Coloniæ, ſanctarum undecim millium Virginum.* Notat amanuenſis, qui codicem contulit cum ſecunda Molani editione, & variantes deſcripſit; notat, inquam, faciem unam & alteram recentiori manu hic inſertam, in quibus additamenta ſunt varia, atque illud potiſſimum, ex quo codicis ætatem in præfatione colligere conati ſumus.

Severini. Inventio Audomari. Ciliniæ. 11000 VV.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Undecim millium Virginum. Hilarionis, confeſſoris. Daſii, Zotici, Cai, cum duodecim militibus martyribus. Aſterii preſbyteri & martyris.*

De iiſdem.

REG. SUEC. ſub. num. 428. *Apud Coloniam, undecim millium Virginum.*

De iiſdem.

CODEX D. LE MARE ſignatus A. *Civitate Burdegala, ſancti Severini epiſcopi & confeſſoris.*

Severini.

VATICAN. num. 5949. Pro *Daſii*, habet *Claudii.*

De Urſula & ſociabus.

FLORENTIN. Non omnino conveniunt, ſed ſic ferme legunt: *Urſulæ cum undecim millibus, & paſſio ſanctorum martyrum Cyriaci Papæ, qui fuit poſt Petrum* XVIII, *nec non & Jacobi, archiepiſcopi Antiocheni, Vincentii presbyteri Cardinalis, Mauricii epiſcopi Lavicani, Follani epicopi Lucenſis, Sulpitii epiſcopi Ravennæ, Clementis epiſcopi, & Marculi epiſcopi, & Heredi ſponſi ſanctæ Urſulæ. Burdegalæ, ſancti Severini epiſcopi.* Hæc ultima annuntiatio de ſancto Severino, iiſdem verbis legitur in codice BURDEGALEN.

Severini.

CODEX MONTIS SANCTI. *Tulli, tranſlatio ſancti Gerardi epiſcopi & confeſſoris.* Vide in Actis noſtris ad diem XXIII Aprilis.

Tranſlat. Gerardi.

EDITIO LUBECO-COL. *Apud Coloniam Agrippinam, paſſio ſanctæ Urſulæ, & ſodalium ejus ſanctarum undecim milium Virginum & martyrum. Quorum ſancta Urſula, virgo & filia regis Britonum, domina & regina extitit. Hæc cum eſſet deſponſata Etherio, filio regis Angliæ, has ſacras virgines ad dedicationem & conſervationem virginitatis ſuæ elegit, cum quibus peregrinavit Romam, de Roma uſque ad Coloniam pervenit. His ſacris Virginibus aſſociati fuerant ſanctus Cyriacus Papa, & Innocentius preſbyter Cardinalis, Pantalus Baſileenſis epiſcopus, & ſanctus Marculus epiſcopus, multique epiſcopi & ſacerdotes, principes & nobiles huic ſanctæ ſocietati adhæſerunt, & cum eiſdem virginibus una die, ſub una fide ſanctiſſimæ Trinitatis ſuper litus Reni præfatæ civitatis, una cum beata Geraſina, regina Siciliæ ac filiabus ejus Babilla, Juliana, Victoria & Aurea, ac parvulo ſuo Adriano & beatis virginibus Cleomata, Theomata, & Criſtantia, Pynnoſa, Theuſta, Thamaria regina & Officia, ab Hunis & barbaris tempore Marciani imperatoris, circa annum Domini* CCCCL, *crudeli examinatione trucidati ſunt. Apud Burdegulum civitatem Aquitaniæ, memoria ſanctiſſimi patris Severini, Agrippinenſium archiepiſcopi & confeſſoris; quæ glorioſa feſtivitas apud ejuſdem civitatis incolas, hodie celebri jocunditate recolitur.* De Hilarione, plura etiam habet, ſed quæ in Adone legi mavelim. In Nicomedienſibus eſt, *cum duodecim milibus.* De Aſterio, ut ANTVERP-MAX. &c. In Viatore fere pura eſt. De Cilinia etiam ut ANTVERP-MAX. ſed pro *matris* habet *martyris.* Tum: *Eodem die, tranſitus ſancti Wendelini confeſſoris, cujus merita frequentibus panduntur miraculis. Civitate Meldis, ſanctæ Celinæ, virginis. Ipſo die, beatorum Victoris & Syndulphi, confeſſorum.*

Hiſtoria Urſulana. Severini. Ciliniæ. Wendelini. Celinæ V. Victoris & Sindulfi.

BELIN. In textu ſatis purus eſt, niſi quod legat, *cum duodecim milibus.* In fine adjicit: *Burdagaliæ, ſancti Severini epiſcopi. Eodem die civitate Colonia, natale ſanctorum undecim milium Virginum, quæ pro virginitatis conſtantia, martyrio vitam conſummaverunt.*

Severini. 11000 VV.

GREVEN. *Nota, undecim millium Virginum regina & ductrix fuit beata Urſula, Deonoti regis Britonum filia, deſponſata Conano regi Armoricorum, ſeu Britanniæ minoris. Hæ omnes Virgines cum aliis innumeris, ad ipſas confluentibus, apud Coloniam martyrio coronatæ ſunt (ut in geſtis Britonum legitur) tempore Gratiani imperatoris, qui cœpit anno Domini* CCCLXXXI. *Aliis aliud videtur.* [confer cum his EDIT. LUBECO-COL.] *Ad quarum ſanctitatem commendandam non modo conſuetudo, verum etiam pro conſuetudine ſacramentum inolevit, ut intra ambitum virginalis ſepulturæ, nemo cujuſquam defuncti audeat corpus inferre. Fuerunt autem cum beata Urſula ſuper totum exercitum Virgines quatuor, quarum nomina ſunt Pynnoſa, Cordula, Eleutheria, Florentia. Poſt has*

Alia hiſt. Urſulana.

 unde-

undecim, ſingulæ millenis præerant, quarum hæc ſunt nomina: Jota, Benigna, Clementia, Sapientia, Carpophora, Columba, Benedicta, Odilia, Celyndris, Sibilia, Lucia. Item Nicea Bithiniæ, ſanctorum Macharii, Proculi, Modeſti cum aliis CCLXXII. *Maurunti, epiſcopi Marſilienſis & confeſſoris. Severi, epiſcopi Treverenſis & confeſſoris. Monaſterio Fontinella, ſancti Condeli presbyteri & confeſſoris. Item, depoſitio ſancti Wendelini confeſſoris Treverenſis, cujus merita frequentibus panduntur miraculis. Malchi monachi. In Hibernia, Nummi confeſſoris. Apud Burdegalim, civitatem Aquitaniæ, ſolemnis memoria beati Severini, Colonienſis archiepiſcopi & confeſſoris. Civitate Meldenſi, ſanctæ Celinæ virginis. In caſtro Laudunenſi, ſanctæ Ciliniæ, matris Sancti Remigii Francorum Apoſtoli.* Jam ſæpius ſupra recurrit.

Macarii &c. Maurunti. Severi. Condeli. Wendelini. Malchi. Nummi. Severini. Celinæ V. Ciliniæ.

Molan. *Burdegalliæ, ſancti Severini epiſcopi. Eodem die, in Colonia Agrippinenſi, ſanctarum* 11000 *VV.* &c. ut Belinus. *Item in caſtro Laudunenſi, ſanctæ Ciliniæ, matris beati Remigii, Remorum archiepiſcopi. Meldis civitate, ſanctæ Ediniæ virginis. Ipſo die, tranſitus ſancti Wandelini confeſſoris.* Minoribus typis additur, *Treverenſis, cujus merita* &c. ut Greven. *Malchi, monachi. Eodem die, beati Wimonis, Bremenſis epiſcopi, qui Bircæ quieſcit.* Editiones aliæ, de Urſulanis, ut ſupra. De Cilinia, Remigio datur titulus *Francorum Apoſtoli. Meldis civitate, ſanctæ Celiniæ virginis. In Sithiu, inventio ſancti Audomari epiſcopi Morinenſis.* Demum, minoribus typis: *Bircæ, beati Wimonis, Bremenſis epiſcopi, qui Gothis verbum Dei prædicavit.* A Caſtellano vocatur *Vimo* Gall. *Guimon*, diciturque fuiſſe tertius Bremenſis epiſcopus.

Severini. Ciliniæ. Edimiæ, pro Celiniæ V. Wandelini. Malchi. Wimonis. Invent. Audomari

XI *Kal.* *Die* 22.

Philippi & ſocior. Marci. APud Adrianopolim Thraciæ, natalis ſanctorum martyrum Philippi epiſcopi, Euſebii & Hermetis. Item beati Marci epiſcopi, clariſſimi & doctiſſimi viri, qui primus ex gentibus eccleſiam Hieroſolimorum ſuſcepit regendam, ac non multo poſt martyrii meruit palmam. *Salomæ.* Item ſanctæ Salomæ, quæ in Euangelio legitur circa Domini ſepulturam ſollicita. *Nunilonis & Alodiæ.* In civitate Oſca, ſanctarum virginum Nunilonis & Elodiæ, quæ pro confeſſione Chriſti diutina cuſtodia maceratæ ac capitali ſententia punitæ, martyrium celebrarunt.

Conſonant codices multi, ut *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Belin. Greven.* & *Molan.* Item *Antverpien-max. Ultrajectin. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. Sunt qui ſcribant *Hadrianopolim*, ut Praten. & Molan. ceteri ſimpliciter, excepto Belino, qui legit *Andrianopolim.* De *Thraciæ*, item *Hieroſolimorum* &c. non amplius loquor. Pro *doctiſſimi*, habet Antverp-max. *devotiſſimi*, Antverp-maj. eum vocat *Marcii.* Antverp. Max-Lubec. & recentiores omnes ſcribunt, *fuiſſe ſollicita.* Nuſquam tanta variatio quanta in nomine *Nunilonis*, pro quo ſcriptum invenio, *Numilonis, Munilonis, Mulinonis, Numelonis, Numilionis, Minulionis, Mymilionis, Mivilionis, Milionis* & quid non? Relîqui in textu *Elodiæ*, quod ita habeant codices omnes, excepto ſolo Molano, qui recte ſcribit *Alodiæ*, ut omnino ſcribendum docet Memoriale Eulogii. In Antverp-majore non bene exprimitur *cuſtodia maceratæ*, at magis deficit Belinus, phraſim mutilans hoc modo: *Mulinonis & Zolodiæ, quæ capitali ſententia punitæ, martyrium conſummaverunt*; ubi plane deſunt hæc verba: *Quæ pro confeſſione Chriſti diutina cuſtodia maceratæ* &c. Greven. & Molan. pro *celebrarunt*, ponunt *celebraverunt.* Sex ultimi codices, quos mediæ notæ vocamus, in eo à purioribus differunt, quod ſecundam annuntiationem ſic incipiant: *Hieroſolymis, beati Marci* &c.

Philippi & ſocior. OBSERVATIO. *In Atriopoli* vel *Adrionopoli Thraciæ, Philippi epiſcopi, Euſebi, Hermetis, Severi*, paſſim legunt apographa Hieronymiana, apud Florentinium. Hinc veroſimillime tres primos accepit Ado, qui conjunctiores videbantur; ex Adone verbatim ſua deſumpſit Noſter, primo loco claſſem referens, quæ illi poſtrema eſt. In *Severo* vel *Severis* (qui forte diverſi ſunt) confuſi videntur codices citati, at unde huc *Euſebium* intruſerint, fateor me nec divinando aſſequi poſſe. Exſtant *Philippi* hujus, non *Adrianopolitani* ſed *Heracleenſis epiſcopi, Severi presbyteri* & *Hermetis diaconi*, præclariſſima Acta apud nos Mss. à Mabilione tomo 4 Analectorum vulgata, à pag. 134, & ſubinde correctius à Ruinartio inter ſelecta & ſincera à pag. 442, ex quibus evidenter patet, Philippum non niſi binos martyrii ſocios habuiſſe, *Severum presbyterum*, & *Hermetem decurionem, diaconum.* Ex his primum, nempe Severum, diſerte excludit Caſtellani notula, aſſerens *ſolum decurionem diaconum cum epiſcopo paſſum*; verum qui Acta conſulucrit, manifeſte deprehendet, prædictum Severum una cum duobus aliis ejuſdem martyrii

tyrii gloria coronatum. Acta ipsa solus inter Martyrologos legisse videtur Rabanus, socios recte distinguens & determinans, ac breve ex iisdem Actis elogium contexens. Rabanum ex parte sequitur Notkerus, sed ejus verba cum Adonianis perperam commiscet, in Kalendarum ordine hîc rursus aberrans. Falluntur, opinor, qui Philippum sub Juliano agonem consummasse existimant, nec recte Baronius eum inter episcopos Adrianopolitanos connumerat. Wandelbertum eadem cum Adone sensisse, patet ex ejus versibus:

Undecimum festo Philippus episcopus auget,
Hermis hoc ipso nitet, Eusebiusque beatus.

De *Marco* Hierosolymitano primus inter Martyrologos loquitur auctor Romani parvi, ex solito suo fonte Rufino lib. 4 cap. 7 his verbis: *Jerosolymis, Marci, qui primus ex gentibus episcopus ibi factus est.* Hunc sequitur Viennensis primo loco, breve Marco elogium concinnans, quod ex citato loco pro aliqua parte desumptum est. Ex Adone sua omnia decerpsit Noster, quod etiam fecit Notkerus, sed die præcedenti. Ceterum in laudato Rufino non reperit Ado, quod Marcus *non multo post* (electionem) *martyrio consummatus sit*; nam primum falsum est, alterum, de martyrio, ut minimùm saltem dubium. Videsis in Historia Chronologica episcoporum Hierosolymitanorum, a Papebrochio præfixa tomo 3 Maii pag. xi. Plura suggerunt Baronius & alii suo loco recensenda. *Salome* aliis Martyrologis antiquis præterita, debetur etiam auctori Romani parvi: *Et Salomæ, quæ in Euangelio legitur. Mariæ* prænomen ei alicubi tribuitur, at nusquam, quod ego sciam, ita apud antiquos appellata legitur. Eam ex Romano parvo transtulit Viennensis, Noster ea solum expunxit, quæ ad eam proprie non pertinebant; nempe, *cum reliquis sanctis feminis*; cetera omnia plane Adoniana sunt. Videantur Euangelistæ, præsertim Matthæus capitibus 15 & 16, & quæ jam nunc in Actis deducta sunt occasione Mariæ Cleophæ ad ix Aprilis. Ultima classis Hispanica & propria Usuardo est. De nominum variatione jam superius satis superque diximus. Tu vitam & Acta illustrium Virginum egregie descripta invenies apud Eulogium lib. 2 Memorialis cap. 7. Vide præterea quæ ab Ambrosio Morali circa earum passionem uberius discussa sunt & annotata in scholiis ad Eulogium, quæ habes tomo 4 Hispaniæ illustratæ pag. 285.

Marci.

Salomæ.

Nunilonis & Alodiæ.

AUCTARIA.

Tornacen. In tribus primis annuntiationibus purus est, in quarta plane deficit.

Festi & Modesti. Roswеyd. In toto textu purus est, sed in fine adjungit: *In Neapoli, sancti Festi & Modesti martyrum & aliorum* CCLXXI. Vide Hieronymiana, die præcedenti *Ravennæ, sancti Severi episcopi confessoris.* Vide hîc infrà EDITIONEM Lubeco-Col. Greven. & Molan. Item Auctaria 1 Februarii.

Severi.

Pulsanen. In prima purus, in secunda desunt omnia post *doctissimi viri.* In tertia etiam purus est, deest quarta.

Munerat. In textu non omnino purus est, & in fine subdit: *In Gallis civitate Rothomago, natalis sancti Melloni, qui ejusdem urbis primus ecclesiam archiepiscopus rexit, ibidemque sepultus gloriosissime quievit.* Qualia occasione hujus Sancti à nonnullis Hispanis scriptoribus conficta fuerint, disces ex Card. Aguirrio relato in Resp. Papebrochii art. xviii num. 37.

Melloni.

Centulen. *Jerosolimis, beati Marci, qui primus Jerosolimis ex gentibus, post episcopos ex circumcisione, sacerdotium tenuit illius ecclesiæ. Apud Adrianopolim Traciæ, sanctorum Philippi episcopi, Eusebii & Hermetis. In civitate Osca, sanctarum virginum Innilonis & Helodiæ, quæ Daciana persecutione* [videantur Acta ipsa] *pro fide Christi passæ sunt. Item, sanctæ Salomæ, quæ in Euangelio legitur circa Domini sepulturam solicita.*

Textus contractus.

Bruxellen. Incipit: *Mariæ Jacobi & Mariæ Salome, materterarum Domini nostri Jesu Christi. Quæ, ut in Euangelio legitur, circa ejusdem Domini Jesu sepulturam sollicitam curam gerebant. Apud Coloniam Agrippinam, passio beatæ Cordulæ virginis & martyris. Apud Andronopolim Traciæ &c Jerosolimis, natale sancti Marci episcopi, clarissimi & doctissimi viri &c. In civitate Osta* [Ostia] *natale beati Asterii presbyteri. De quo in passione Calixti Papæ legitur: quod pro eo, quod ipse corpus ejusdem Calixti Papæ sepelisset, Alexander imperator jussit ipsum per pontem præcipitari, & sic martyrii palmam adeptus est. Apud eamdem Ostam civitatem* [patet error] *natale sanctarum virginum Munilodiæ & Elodiæ. Quæ pro confessione &c. Item Valerii episcopi & martyris. Apud Lugdunum, depositio sancti Viatoris confessoris, lectoris, comitis & ministri beati Justi Lugdunensis episcopi,* De hoc & Asterio vide die præcedenti. *Et Mellonis confessoris, Rothomagensis ecclesiæ archiepiscopi.*

Mariæ Jac. Mariæ Sal.

Cordulæ.

De Asterio.

Valerii.

Viatoris.

Mellonis.

Hagenoyen. Errat in ipso principio, dum pro *Salome* scribit, *Mariæ Magdalenæ*, multaque ibi commiscet alibi trituranda. In Adrianopolitanis purus est. *In Jherosolyma, natale sancti Marci episcopi & martyris, qui primus ex gentibus &c. In Britannia, sancti Mellonii episcopi & confessoris. In civitate Osca, natale sanctarum virginum Mynidemis, Mymilionis & Elodiæ. Quæ pro confessione Christi &c.* pure. *Ipso die, sanctæ Cordulæ virginis cum aliis pluribus, quæ fuerunt de consorcio undecim milium Virginum. Quæ fuerunt perterritæ nomine mortis & latuerunt per noctem in navibus; ubi* [autem] *viderunt alias Virgines glorioſas cælum conscendere, sponte sequenti die carnificibus se tradiderunt; quæ cum aliis Virginibus sepeliri non poterant, & ideo illæ non requieſcunt in ecc[l]. S. Hospitaliorum, ubi plura permerita earum facta sunt miracula. Apud Ravennam civitatem, depositio sancti Severi episcopi,* De Severo qui

Mellonii.

Cordulæ & sociarum.

De Severo.

qui dicitur fuisse faber, & per baculum suum florentem electus est episcopus. Qui scientiam regendi subditos à Domino recepit, bene rexit, miracula fecit, & vivus, sicut Johannes Euangelista, sepulchrum introivit & obiit. Vide ROSWEYD. supra.

Severi. Cordulæ. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Severi episcopi. Cordulæ virginis. Philippi episcopi & martyris cum sociis. Mariæ Salomæ. Marci episcopi Hierosolymitani.*

Mell nis. BIGOTIAN. signatus D 9. *Ipso die, translatio sancti Mellonis, archiepiscopi Rotomagensis.*

De Mellone. REG. SUECIÆ sub num. 428. *Civitate Rotomago, depositio sancti Mellonis episcopi & confessoris. Qui ejusdem urbis primus ecclesiam archiepiscopus rexit, ibique sepultus glorioso fine quievit.*

In VATICANO signato num. 5949. Desunt annuntiationes duæ ultimæ. In fine adjicitur: *Beneventi, natale sancti Cassii episcopi in sancta Sophia.* *Cassii.* Quis hic sit Cassius, postea quæretur.

Valerii. ALTEMPS. *Item passio Valerii, Lingonicæ urbis archidiaconi, qui, Wandalis Galliam invadentibus, glorioso martyrio pro Christi nomine coronatus est.*

Donati. FLORENTIN. Primo loco: *In partibus Tusciæ, apud Fesulas in territorio Florentino, sancti Donati, Scoti, ejusdem urbis episcopi & confessoris, qui virtutibus & miraculis* [clarus,] *quievit in Domino, & sepultus* [est] *in basilica prædictæ urbis. Item, sancti Mallonii Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopi & confessoris.* *Mellonii.*

Valerii. DIVIONEN. S. Benigni. *In territorio Lingonicæ civitatis, sancti Valerii archidiaconi & martyris.*

Lupentii. REMENS. SS. Tim. & Apoll. *In pago Catalaunensi, sancti Lupentii martyris.*

De Cordula. EDITIO LUBECO-COL. *Colonia Agrippina, passio sanctæ Cordulæ, reginæ, virginis & martyris; una de undecim milibus Virginum. Quæ videns atrocissimam stragem suarum sodalium, timore perterrita, in navi se nocte illa abscondit, sed in crastinum se sponte morti offerens, martyrii coronam accepit. Item vigilia beati Severini,* *Vigilia Severini.* *archiepiscopi & confessoris.* In Adrianopolitanis & in Marco satis pura est. *Ravennæ, sancti Severi episcopi & confessoris. Hic ex lanificio opere per ostensionem columbæ in episcopum ab universo clero & populo assumptus est. Quod videntes uxor ejus Vincentia & filia ejus Innocentia, monasterium ingressæ, dedicaverunt & ipsæ se Domino. Ipse vir sanctus, prænoscens obitum suum, sanctis misteriis celebratis & populis expulsis de ecclesia, accessit ad sepulcrum uxoris & filiæ, & lapide per se revoluto, dixit ad eas: Præcepto Domini vocor, date mihi locum vobiscum dormiendi, illis autem sibi locum dantibus, vivus intravit moriturus. Item, sanctæ Mariæ Salomæ. Quæ in Euangelio legitur, cum reliquis feminis circa Domini sepulturam fuisse sollicita. Ab urbe autem Romana veniens in Campaniam, civitatem Merulanam* [Verulanam] *migravit ad Christum, & ibidem sub quodam specu accepit sepulcrum. Cujus corpus à Jacob filio suo revelatur & honorifice ad prædictam civitatem transfertur. In civitate Osta, sanctarum virginum & martyrum Mivelonis & Helodiæ. Quæ pro confessione* &c. cum textu Usuardino satis pure. *De Mellone.* *De Salome.*

Gratiani. Leogati. Ebidii. Melloni. GREVEN. *In pago Ambiacensi, beati Gratiani martyris. Leogati martyris. Ebidii episcopi & martyris. In Gallis civitate Rothomagensi, sancti Melloni episcopi, qui à sancto Stephano Papa & martyre primus illi urbi ordinatus antistes, glorioso ibidem fine quievit. Ipso die, secundum alios vero Kalend. Februarii, Ravennæ, beati Severi episcopi & confessoris. Qui ex lanario, miraculo columbæ calitus missæ in episcopum assumptus, cum injunctum officium strenue administrasset, diemque dormitionis suæ præsciret, aperto sepulchro uxoris & filiæ, ut sibi locum secum quiescendi concedant, imperat, illisque locum dantibus, sepulchrum moriturus intravit. Colonia Agrippina, sancta Cordula, regina, virginis & martyris. Quæ cum esset ex societate unaecim millium Virginum, exterrita strage sodalium, in navi se abscondit, sed mane facto sponte se offerens, martyrii coronam accepit.* *De Severo.* *De Cordula.*

De Phil. &c MOLAN. Post *Hermetis*, aliis litteris textui inserit: *Qui persecutione sæviente, Christianorum ecclesias claudere & spoliare, jussu imperatoris Juliani, per iniquos præsides contradicebant, & ob hoc per Bassum præsidem, nec non & Justinum multis tormentis afficiebantur, hoc est carceribus, vinculis, flagellis, ad ultimum vero flammarum incendio, sed Domini virtute roborati, usque in finem in confessione nominis ejus perseveraverunt.* Hæc ex Rabano petita sunt, intruso perperam nomine *Juliani*, quod ibi abest. In fine: *In Gallis, civitate Rothomago, natalis sancti Meloni, qui ejusdem urbis* &c. ex MUNERATO. *Meloni. Severi.* *Severi episcopi & confessoris. Eodem die, Cordulæ virginis.* *De Cordula.* Deinde minori charactere; *Quæ cum esset ex societate undecim millium* &c. ex GREVEN. *Lupentii, Gabalitani abbatis & martyris, de quo in Chronic. Greg. Turon.* *Lupentii.* Editiones aliæ idem habent in textu. In fine, de Mellono, ut supra. Tum: *In urbe Gabalitana, sancti Lupentii, abbatis basilicæ sancti Privati & martyris. Coloniæ, Cordulæ virginis & martyris. Die vigesima secunda, S. Abercii episcopi Hierapolis, qui claruit miraculis tempore Apostolorum.* *Abercii.* Vide Metaphrastem apud Surium. *In Oesterhout, natalis S. Oelberti martyris.* *Oelberti.* Pauca quæ de hoc Sancto ex traditione supersunt, invenies in Natalibus Sanctorum Belgii hoc die. *Eodem die, translatio S. Severi confessoris, episcopi Ravennatis, cum uxore & filia, ad diœcesim Moguntinam.* *Translat. Severi.*

X *Kal.* *Die* 23.

Theodoreti APud Antiochiam Syriæ, natalis sancti Theodoriti presbiteri, qui persecutione Juliani impii, post equulei pœnam & multos ac durissimos cruciatus, etiam lampadibus circa latera appositis inflammatus, cum in confessione Christi persisteret, occisione gladii martyrium consummavit. In Hispaniis, sanctorum

Servandi & German. Servandi & Germani, qui post verbera, squalorem carceris, sitis ac famis injuriam & longissimi itineris laborem, novissime martyrii sui cursum, ferro cæsis cervicibus, impleverunt. Ex quibus Germanus

manus Emeritæ, Servandus vero Hiſpali conditus eſt. Civitate Colonia, ſancti Severini epiſcopi & confeſſoris. In pago Pictavenſi, ſancti Benedicti confeſſoris. *Severini.* *Benedicti.*

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-majore, Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Soli codices Praten. & Antverp maj. habent *Theodoriti*, quam lectionem ex ejus Actis prætulimus, tametſi ceteri antiqui codices ponant *Theodirici*, alii *Theodori* cum Sozomeno, Romanum parvum autem & Ado, *Theodoreti*. Antverp-maj. & Munerat. ſcribunt *presbiteri & martyris*. De *presbiteri*, *Syriæ* & id genus aliis, ſatis dictum eſt. Praten. ſcribit *diriſſimos cruciatus*, nos cum reliquis *duriſſimos*. Rurſus Praten. disjungit *etiam*, legens *et jam*; in Antverp maj. eſt *et lampadibus*. Greven. & Molan. *impii Juliani*, pro *Juliani impii*. In Munerat. poſt *Germani* additur, *martyris*; & pro *martyrii ſui*, legitur *martyrii ſocii*. Molan. vero in enumerandis tormentis ſubſtantiva continuat, *ſqualorem*, *carceres*; ceteri, ut in textu. Item pro *Pictavenſi*, ut legunt omnes, corrigit ipſe, *Pictavienſi*.

OBSERVATIO. In toto hodierno laterculo nullam partem habent aut Hieronymiani codices, aut Beda & qui hunc ſequuntur. Prima itaque *Theodoriti* vel *Theodoreti*; *Theodori* vel *Theodorici* memoria petitur ex Romano parvo, his verbis: *Antiochiæ, Theodoreti presbyteri.* Ita enim nomen effert Ado, licet Sozomenus lib. 5 cap. 8 editionis Valeſianæ martyrem noſtrum, ut diximus, *Theodorum* appellet. Acta à teſte oculato graviter deſcripta, Adoni viſa exiſtimo, cum elogium ejus ex ipſis contractum videatur. Citat Acta Mss. ex Cartuſia Amſtelodamenſi Molanus hîc, in quibus paſſionis dies expreſſe ſignatur x *Kal. Novembris*, quemadmodum etiam legunt Mss. aliqua apud nos, ſed & alia aliter, quæ omnia cum editione Mabilionis tomo 4 Analectorum, & Ruinartiana inter ſincera & ſelecta à pag. 658 ſuo rempore accuratius conferentur. De cetero ex Adone ſua omnia tranſumpſit Uſuardus, uti & Notkerus die præcedenti. De *Servando* & *Germano* primus etiam meminit auctor Romani parvi: *In Hiſpaniis, Servandi & Germani.* Elogium non multis complexus eſt Ado, qui forte Acta aliqua viderit Surianis, ex Lucio Marineo Siculo extractis, non abſimilia. Habemus nos uberiora cum aliis collata, de quibus multa obſervare nec tempus nec locus eſt; videri poſſunt interim quæ notavit Baronius. Noſter textum ſuum integrum hîc etiam ex Adone tranſtulit Moſander ſic hodie laterculum Adonianum exorditur: *Coloniæ, depoſitio ſancti Severini epiſcopi & confeſſoris.* Roſweydus additamentum cenſuit, atque adeo in appendicem rejecit; recte, opinor, cum & à Notkero, fideli utique Adonis deſcriptore, præteritus ſit. De Uſuardo nihil prorſus dubii relinquitur in communi codicum præcipuorum conſpiratione. Feſtivitatem ejus Burdegalæ ſolenniter celebrari ſolitam XXI Octobris, patet ex Auctariis illius diei. Quæ de illuſtriſſimo Sancto ſcripſiſſe dicitur Fortunatus, necdum lucem aſpexere. Acta alia recentioris auctoris à Surio edita ſunt, cum extracto ex Gregorio Turonenſi, atque item hiſtoria tranſlationis; alia apud nos exſtant Mss. cum prioribus alibi illuſtranda. Videatur iterum Baronii Notatio. A Wandelberto ſolus hodie Severinus celebratur hiſce verſiculis: *Theodoreti.* *Severini.*

Severine, tuos decimo ſacer inde Colonos
Inſpectas, primi radians de culmine templi.

Sequitur partus ultimus, isque itidem plane Uſuardinus, *Benedictus* nempe Pictavienſis *confeſſor*, quem Caſtellanus in notula marginali aſſerit *Quintiaci* & *Aſiniaci* cultum ſub titulo *epiſcopi*, qui & in Auctariis ei tribuitur. Legit Caſtellanus in verſione ſua Gallica, Pictavorum more, *Bonizet*, ſed mavult Motherius vindicare ſolitam hujus linguæ inflexionem, *Benoiſt*. Siqua ejus Acta aut geſta memoriæ prodita ſint, ſuo tempore producentur. Nihil ego hactenus reperi obſervatione dignum. Quod ipſum Sauſſayus prædicet, *gratiæ privilegiis perornatum*, id ita Benedicto huic noſtro quadrare intelligis, ut de Sanctis omnibus cujuſcumque aut ſexus aut ordinis pronuntiari mereatur. *Benedicti.*

AUCTARIA.

IORNACEN. In prima & duabus ultimis ſatis purus, ſecundâ, de Servando & Germano, plane caret.

ROSWEYD. In textu non omnino purus, poſt *Severini* addit, *archiepiſcopi & confeſſoris. Qui in hora tranſitus ſancti Martini, cum poſt Matutinum, loca ſancta cum clericis ſuis circuiret, audivit pſallentium chorum in ſuperius.* Superaddit in fine: *In Ceſarea Cappadociæ, Severi episcopi & confeſſoris.* In Hieronymianis repe- *De Severin.* *Severi.*

reperitur aliquis *Sureſus*, ſed *martyr*, ni fallor, dicendus is erit, non *epiſcopus*.

PULSANEN. In duabus primis expungit elogia. In tertia purus eſt. Tum: *Rotomagum, depoſitio ſancti Romani archiepiſcopi & confeſſoris.* *Romani.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. In textu fere puri, omittunt ultimam.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERG. & DANIC. Omnes ſcribunt, *Theodori.* In duabus primis puri ſunt; tertiam ſic formant: *Civitate Colonia, quæ Agrippina dicitur, natale ſancti Severini epiſcopi & confeſſoris. Qui in tranſitu beati Martini, voces audire meruit pſallentium angelorum.* *Severini.* Deeſt hîc etiam annuntiatio ultima, ut in PULSANENSI &c.

LOVANIEN. Cum proxime citatis omnino conveniret, ſi non careret elogio duorum martyrum Hiſpanorum Servandi & Germani.

CENTULEN. *Apud Antiochiam Sciriæ, ſancti Theodorici presbiteri, qui perſecutione Juliani, occiſione gladii martyrium conſummavit. In Hiſpaniis, ſanctorum Servandi & Germani martyrum. In Pago Pictavienſi, ſancti Benedicti confeſſoris. Civitate Colonia, ſancti Severini epiſcopi & confeſſoris. Ambianis civitate, ſancti Domitii confeſſoris.* *Domitii.* *In territorio ejuſdem civitatis, ſancti Graciani martyris, ad cujus ſanctitatem comprobandam, Dominus quot annis arborem Corilum ſub unius noctis ſpatio facit frondere, florere & nuces producere.* *Gratiani.*

BRUXELLEN. Incipit: *Apud Coloniam Agrippinam, depoſitio ſancti Severini, ejuſdem civitatis archiepiſcopi.* *Severini.* *Qui tranſitum beati Martini Turonenſis mox cognovit, & una cum ſuo archidiacono tunc audire meruit voces in cælo pſallentium angelorum. Apud Antiochiam Syriæ, natale ſancti Theodori preſbyteri.* *De Theodor.* *Qui perſecutione impii Juliani apoſtatæ, poſt eculei pœnam, ac multos & duriſſimos cruciatus, etiam lampadibus circa latera appoſitis inflammatus eſt. Sed cum angelorum aſpectu territi ruiſſent in faciem miniſtri, credentes Chriſto, juſſit eos Julianus impius pelago immergi. Quibus beatus Theodorus ait: Præcedite, fratres, ego vero ſuperans inimicum, ſequar ad Dominum, ſicque ipſe in confeſſione Chriſti immobilis perſiſtens decollatus eſt.* Vide Adonem. In Servando & Germano purus eſt. Tum: *Et alibi ſancti Longini.* *Longini.* *Item, Oda vidua, filia ducis Lotharingiæ ac conjugis relicta Lamberti comitis, noſtri fundatoris.* *Odæ.* *Quæ viro ſuo in tranſlatione corporis beatæ Gudulæ, & inſtitutione Collegii hujus eccleſiæ, tam conſilio quam auxilio, fidelis coadjutrix fuit. Eodem die, ſancti Romani archiepiſcopi & confeſſoris.* *Romani.* *Et tranſlatio ſancti Theodori abbatis.* *Tranſlat. Theodori.* De Benedicto Pictavienſi, nihil.

HAGENOYEN. In prima & ſecunda nonnihil interpolatus, ſic habet tertiam: *Civitate Colonia, quæ Agrippina dicitur, natale ſancti Severini epiſcopi & confeſſoris ejuſdem civitatis.* *De Severino.* *Qui ſub tempore Arrianæ perſecutionis, eccleſiam eamdem optime rexit, & à Deo ipſe refertur inſtitutus fuiſſe. Qui in epiſcopatu ſuo peregrinam legitur duxiſſe vitam, & cum quodam tempore eccleſias more ſolito cum clericis ſuis circuiret, in tranſitu ſancti Martini voces audire meruit pſallentium angelorum.* Deeſt hic annuntiatio ultima ad diem ſequentem, pro hujus codicis auctoritate, tranſlata.

AQUICINCT. In fine recentiori manu: *Eodem die, ſancti Leotadii, epiſcopi & confeſſoris.* *Leotadii.*

VICTORIN. REG. SUEC. ſignatus num. 130 & CODEX D. DU CHEVAL ſignatus litt. C. *Eodem die, ſancti Leothadii epiſcopi & confeſſoris.* *Leotadii.*

DAVERON. *Feſtivitas beati Gratiani martyris.* *Gratiani.* De Severino & Benedicto pure.

AMBIANEN. *Ambianis civitate, natale ſancti Domicii confeſſoris, magnarum virtutum viri.* *Domicii.* *In territorio ejuſdem civitatis, ſancti Gratiani mart.* *Gratiani.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Severini epiſcopi Colonienſis. Odæ viduæ. Theodorici preſbyteri & martyris. Servandi & Germani martyrum.* *Severini.* *Odæ.*

CLUNIACEN. *Eodem die, Leotadii epiſcopi & confeſſoris.* *Leotadii.* Sæpius hoc die recurrit.

CAMBERIEN. & REG. SUEC. ſub num. 428. *In pago Ambianenſi, beati Gratiani martyris.* *Gratiani.*

In VATICAN. ſignato num. 5949. Deſunt annuntiationes Severini & Benedicti.

ALTEMPS. *Eodem die, ſanctæ Ethelfledæ reginæ.* *Ethelfledæ.* *Et ſancti Leotadii epiſcopi & confeſſoris Cantuarienſis.* *Leotadii.* Vide Martyrologium Caſtellani.

FLORENTIN. *Item ſancti Romani archiepiſcopi.* *Romani.* Tum STROZZIAN. *In territorio Ambianenſium, ſancti Domitii epiſcopi & confeſſoris.* *Domitiani.*

CASTRI KAROLI. Scribit cum ſuperioribus: *Sancti Leothadii epiſcopi & confeſſoris.* *Leothadii.*

REMENS. SS. Timothei & Apoll. *In pago Pictavenſi, ſancti Benedicti epiſcopi & confeſſoris.*

EDITIO LUBECO-COL. *Civitate Colonia, quæ Agrippina dicitur, tranſitus ſanctiſſimi patris & protectoris noſtri Severini, ejuſdem urbis archiepiſcopi & confeſſoris, magnæ auctoritatis & ſanctitatis viri. Hic ex Aquitania, civitate Burdegala honeſtis parentibus ſecundum ſeculi felicitatem, ac nobilibus progenitus; liberalibus litteris ſufficienter eruditus, primo apud Senonas epiſcopus ordinatus, poſtea, ut ſibi à Domino per angelum prædictum fuerat, apud Coloniam Agrippinam* IV. *Idus Maii archiepiſcopus ordinatus* [eſt.] *Cujus Catholica fide & maximo ſudore ac ſana doctrina Colonienſium, Burdegalenſium, Tongerenſium vicinorumque eccleſiæ, ab infeſtatione Arrianæ hæreſeos, tempore ſancti Damaſi Papæ, Theodoſii & Valentiniani imperatorum defenſæ ſunt, multas ideo Arrianorum & malorum perpeſſus inſidias. Et quanti fuerit meriti apud Deum, coruſcantia miracula proteſtantur. Qui ad inſtar beati Jacob Patriarchæ, ſtans in oratione nocte, vidit ſcalam auream uſque ad cælum tendentem & angelos aſcendentes & deſcendentes. In tranſitu beati Martini Turonenſis epiſcopi voces audire meruit pſallentium angelorum. Unum juvenem mortuum legitur ad vitam reſuſcitaſſe. Illius etiam prophetiæ gratia erat, cujuſcumque viderat aſpectum, ejus cognoſcebat & animum. Poſt multa inſignia virtutum ac miraculorum, convocatis fratribus prædixit, ſe mortis debitum ſoluturum & diem ac horam ſui exitus. Unde in Burdegula, in præſentia beati Amandi ejuſdem loci epiſcopi, ac plurium fidelium utriuſque ſexus, poſt datam exhortationem & pacis oſculum, cunctis onuſtus virtutibus migravit à mundo, die, qua ipſe prædixerat, qua Dominus noſter victor à mortuis reſurrexit. Vidit Dominum Jeſum Chriſtum & gloriam ſanctam Dei patris, acceſſerunt angeli & ſuſceperunt animam ejus, ſed relatus eſt Coloniam tertio Non. Octobris & in his diebus, ut creditur, decenter locatus: Cujus ſepulcrum divinis creberrime illuſtratur miraculis, ut ejus vitæ geſta teſtantur.* Habes hîc vulgatorum Actorum, ſuo tempore expendendorum, compendium. *Item tranſlatio beati Materni,* *Tranſlat. Materni.* *Colonienſis primi, Treverenſis tertii, & Tongerenſis etiam primi archiepiſcopi & confeſſoris. Cujus corpus ad vitandam ſeditionem populorum harum trium eccleſiarum, maturo conſilio expoſitum fuerat Coloniæ navigio. Et ecce navis illa ſine humano guber-*

gubernatore in medio Reni poſita, cæleſti agitata remigio, contra curſum aquæ verſus Treverim aſcendebat. Et hæc accurate examinanda erunt ad XIV Septembris. De Theodorico Antiocheno videantur dicta ſuperius in BRUXELLENSI, cum quibus editio hæc fere convenit. In Servando & Germano, pura eſt: item in Benedicto. Tum: *Eodem die, ſancti Romani epiſcopi & confeſſoris.* *Romani.*
In pago Ambiacenſi, beati Graciani martyris. Vienna, ſancti Eodicii epiſcopi. *Gratiani. Eodicii.*

BELIN. In toto textu ſatis purus eſt, ſed penultimo loco interſerit: *Ipſo die, ſancti Romani epiſcopi & confeſſoris.* Et in fine: *In territorio Ambianenſium, ſancti Domiti epiſcopi & confeſſoris.* Altera editio adhuc ſuperaddit: *In civitate Rothomagenſi, depoſitio ſancti Romani epiſcopi & confeſſoris.* Vide infra auctarium MOLAN.

GREVEN. *Nota, prædictus beatus Severinus ex Aquitania nobili proſapia ortus, litteris liberalibus ſufficienter inſtructus, primo Senonum, deinde, ut ſibi per angelum prædictum fuerat, Colonienſis eccleſiæ antiſtes factus, ſua induſtria, Catholica fide & doctrina ſana, magno licet labore, Colonienſem, Tungrenſem, Burdegalenſem, finitimaſque eis eccleſias ab infeſtatione Arrianæ hæreſeos, tempore Damaſi Papæ, defendit. Ipſe concentus angelorum audire & qui animam beati Martini Turonenſis in cælum deferrent, per ſpiritum agnoſcere meruit. Tandem vita & miraculis (inter quæ mortuum ſuſcitaſſe legitur) clarus, quievit in pace; Colonienſis eccleſiæ patronus protectorque ſingulariſſimus, multis uſque hodie miraculis coruſcans. Longini martyris.* *De Severin.* *Longini. Severi &c.*
Apud Adrianopolim, ſanctorum Severi & Dorothei. In Cæſarea Cappadociæ, ſancti Severi epiſcopi. *Severi ep.*
Civitate Rothomagenſi, ſancti Romani epiſcopi & confeſſoris. *Romani.*
Qui tempore Clodovei, præfatæ eccleſiæ præſidens, inter alia mira opera, vaſculum criſmatis, caſu confractum, oratione integrum reddidit, moxque criſma ſacrum guttatim in idem vaſculum ſe recepit. Viennæ, ſancti Eodici epiſcopi & confeſſoris. *Eodici.*
De tranſlatione Materni, vide jam dicta. In fine: *Ethelfredæ reginæ.* *Ethelfredæ.*

MOLAN. Aliis litteris de Severino textui adjungit: *ſanctiſſimi protectoris noſtri. Cujus Catholica fide, maximoque ſudore, ac ſana doctrina Colonienſium, Burdegalenſium, Tongrenſium, vicinorumque eccleſiæ ab infeſtatione Arrianæ hæreſis ſunt defenſæ: qui & in tranſitu beati Martini audire meruit voces pſallentium angelorum.* In fine: *In territorio Ambianenſium, ſancti Domitii epiſcopi & confeſſoris.* *De Severin.* *Domitii.*
Ipſo die, ſancti Romani epiſcopi & confeſſoris, in civitate Rothomagenſi, cujus vita miraculis claruit, & mors preciosa in domo Domini quotidie demonſtratur. *Romani.*
Apud Mantuam, depoſitio ſancti Joannis Boni, confeſſoris, Ordinis fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, cujus vita ſanctitatis & miraculorum gloria illuſtris fuit. *Joan. Boni.*
In territorio Ambianenſium, ſancti Gratiani glorioſi martyris. *Gratiani.*
Eodem die, Odæ viduæ, amitæ ſancti Huberti, in villa Anania ſuper fluvium Moſæ. *Odæ.*
Editiones aliæ, de Severino, Domitio, Gratiano, Romano, & Oda, cum prima ſenſu conveniunt. Tum: *Helnone, reſtitutio corporis ſancti Amandi epiſcopi & confeſſoris.* *Reſtitut. corp. Amand.*
De Amandi tranſlatione, elevatione &c. Vide diem VI Febr. p. 842 & à p. 889. Demum typis minoribus de Joanne Bono eadem habet quæ ſupra.

XI *Kal.* *Die* 24.

IN Venuſia civitate Apuliæ, natalis ſanctorum Felicis epiſcopi Audacti & Januarii presbiterorum, Fortunati & Septimi lectorum, qui temporibus Diocletiani, multis diu vinculis & carceribus macerati in Africa & in Sicilia, tandem in occiſione gladii conſummati ſunt. Felix quinquageſimo ſexto annorum virgo obiit. Vertavo monaſterio, ſancti Martini abbatis. *Felicis & ſociorum.* *Martini.*

Ex *Herinien. Antverp-majore, Roſweyd. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Molan. more ſuo ſcribit *Felicis*; Roſweyd. *Appuliæ*, omitto alias hujuſmodi minutias. Antverp-maj. legit, *ſanctorum martyrum Felicis* &c. & ante *occiſione*, deeſt particula *in*. Maxima varietas eſt in ultimo elogii membro. Roſweyd. Greven. & Molan. legunt: *Felix quinquageſimo ſexto anno virgo obiit*, atque ea nitidior videtur ſcribendi ratio. Nihilominus aliam, tametſi magis impropriam prætulimus, *quinquageſimo ſexto annorum*, cum Herinien. Antverp-maj. & Pratenſi codice, quod ea ad Adonem magis accedat, in quo melius & rectius legitur: *quinquaginta ſex annorum.* Solus Antverp-maj. bene legit *Vertavo*, Herinien. & Roſweyd. *Vertao*; Greven. & Molan. *Vercano*, alii *Vertano* &c. In apographo noſtro Pratenſi tertio loco adjungitur: *In Britannia, ſancti Maglorii epiſcopi & confeſſoris.* Tornacen. habet: *Eodem die; ſancti Maglorii epiſcopi & confeſſoris.* Alia phraſi eumdem ponit Muneratus, ut infra dicam. At ex reliquis fere omnibus codicibus ſatis evincitur, Maglorium ab Uſuardo conſignatum non eſſe.

OBSERVATIO. De variis ſanctis Felicibus jam non ſemel egimus, non ſemel quæ circa eos dubia occurrebant, diſſolvere conati ſumus. Hic, quo de nunc ſermo eſt, jam ad XXX Auguſti in Obſervationibus noſtris recurrit, eo die à Beda diſerte conſignatus; melius ſane quam a Rabano XXIX Auguſti, & melius etiam quam à Romano parvo, Adone, & horum ſequacibus huc tranſlatus fuerit. Hæc ſunt hodie Romani *Felicis & ſociorum.*

parvi

parvi verba: *Venuſiæ, Felicis epiſcopi Tubzocenſis, & Audactis & Januarii presbyterorum, & Fortunatiani & Septimi lectorum.* Eadem prorſus ſociorum nomina, eamdem ſedis epiſcopalis appellationem ſervat Ado, quamvis elogium plane deſcribat ex Beda, qui tamen pro *Audactis*, legit *Audacti*, & *Septimini* pro *Septimi*: quodque notandum eſt maxime, ubi Beda ſolam diſtantiam Tubzocam inter & Carthaginem in elogio ſubnectit, Viennenſis ea prætermittens, de ſuo inſerit: *Sunt autem honorifice ſepulti inter Carthaginem & Uticam*, quæ Actis ſancti Felicis conformia omnino non ſunt. Ad Uſuardum quod attinet, is brevius ſuum encomium, præteritâ illâ circumſtantiâ, totum ex præfato Adone contraxit, quemadmodum & Notkerus, hîc denuo ſignatas Kalendas uno die prævertens. Porro circa horum pugilum martyrii diem, ſociorum vera nomina, eorum palæſtram, circa tempus, circa Felicis epiſcopatum & id genus alia, plurima occurrunt intricata & controverſa, fuſe ſuo loco expendenda, de quibus videri interim poſſunt Baronius, tum in hodierna Notatione modice emendanda, tum in Annalibus tomo 2 anno CCCII à num. 118, unde Janningus noſter, Romæ exiſtens MDCXCVIII, rogatu Card. Coloredi lectiones accepit formandas & diſpoſuit ad uſum eccleſiæ Venuſinæ, anno proxime ſequenti approbatas ibidem & editas. Item Ruinartius in Actis ſinceris & ſelectis à pag. 374, & Tillemontius tomo 5 à pag. 202. Acta ipſa ſane præclara uſque adeo eruditis placuere, ut poſt Surium & Baronium ea rurſum evulgaverint, & emendatiora reddere conati ſint Lucas Acherius Spicilegii ſui tomo 12 pag. 634, & Stephanus Baluzius tomo 2 Miſcellaneorum pag. 77. Quin & Oxoniæ recuſa dicuntur anno MDCLXXX. Adde brevem Caſtellani notulam. Quæ omnia conferenda erunt cum pluribus aliis Mss. ex variis bibliothecis apud nos collectis, ut ſuo loco copioſe præſtabimus. Satis hîc ſit, ſumma rerum capita ex inſtituto noſtro curſim delibaſſe.

Martini. *Martinus Vertavenſis* nullum Uſuardo antiquiorem auctorem habet, ſed ab eo vere conſignatum, ex codicibus noſtris plane liquet. Baronii Notatio Martinum hunc confundit cum altero Martino Sanctonenſi, relato ab Adone, non v Idus, ſed VII Idus Decembris, quo die videnda Caſtellani obſervatio, uti & hodierna; utraque Martinos plures accurate diſtinguens. Hujus Vertavenſis vitam editam invenio tomo I Actorum Ordinis ſancti Benedicti à pag. 371, quam ſequitur miraculorum liber, ejuſdem veroſimiliter auctoris, ubi & in appendice, altera vita & miraculorum relatio ſuperadditur. Utrobique refertur ad annum circiter ſexcenteſimum: unde mirum, Acta ejus iis annumerari, quæ ſubdititia cenſentur, tamquam eorum Sanctorum, qui ante ſanctum Benedictum deceſſerint. Porro laudatus Caſtellanus in Martyrologii ſui univerſalis interiori margine litteris Romanis notat annum obitus circiter DCCLXXXIX, in quo à Mabilionis ſententia longe recedit, vocatque in ora extima Gallicè *Saint Martin-le-ſeul*, veluti per characteriſticam ab aliis Martinis diſcretivam. Acta penes nos Mss. ſunt & varia, quæ cum præcitatis ſuo tempore recenſeri poterunt & illuſtrari. *Maglorium* ad Uſuardi textum nequaquam ſpectare, ſupra in Variantibus abunde oſtendimus. Wandelbertus hodie memorat *quadragenos ſexque triumpho, Romæ militia & ſancto certamine claros*, qui ad diem ſequentem pertinent.

AUCTARIA.

PRATEN. & TORNACEN. Utriuſque exceſſum ſuperius abunde recitavimus.

PULSANEN. In prima annuntiatione utcumque purus, ſecunda omnino caret; quod huic codici inſolitum non eſt.

ANTVERP MAX-LUBEC. UGHELLIAN. ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Omnes deficiunt in ultima parte elogii ſancti Felicis & ſociorum, qua primi ætas indicatur; omnes in fine adjiciunt: *Item ſancti Vitalis*; vel ut habet ULTRAJECT. *Item natale ſancti Vitalis.* Puto ex Hieronymianis acceptum eſſe; non enim veroſimile eſt, hîc indicari Vitalem Felicis ſocium, qui in Actis memoratur. *Vitalis.*

MUNERAT. In textu non omnino purus, addit in fine: *Ipſo die in Britannia, tranſitus beati Maglorii epiſcopi & confeſſoris.* Ita editio prima; aſt in altera ſubjungitur: *Cujus corpus honoratur & colitur in cœnobio divi Maglorii, civitate Pariſius.* *Maglorii.*

CENTULEN. *Apud Apuliam, civitate Venuſia, ſancti Felicis epiſcopi Tubozenſis, & Audacis & Januarii diaconorum, & Fortunati & Septimi lectorum, qui in occiſione gladii conſummati ſunt. Pariſiis, ſancti Maglorii epiſcopi & confeſſoris.* *Maglorii.*

BRUXELLEN. Huc refert Africanos martyres, de quibus egimus XVI Octobris. Ita habet: *Apud Africam, natale ſanctorum martyrum Marciani & Saturiani cum duobus fratribus eorum. Qui tempore Wandalicæ perſecutionis ſub Geſerico rege Arriano, pro conſtantia fidei Catholicæ, primum nodoſis fuſtibus cæſi, & uſque ad oſſa laniati ſunt, & cum multo tempore talia paterentur, ſequenti die ſemper incolumes reddebantur: noviſſime autem in exilii relegatione, vinctis pedibus poſt terga currentium quadrigarum, inter ſpinoſa loca ſilvarum, pariter juſſi ſunt interire, & currentibus indomitis equis, orando & pſallendo pias animas emiſerunt. Paſſa eſt etiam cum eis egregia Chriſti ancilla Maxima virgo, quæ tandem ſuæ libertati dimiſſa, poſtmodum mater multarum virginum Dei effecta, in confeſſione veritatis glorioſa conſenuit. Apud Andronopolim, natale ſanctorum Severi & Dorothei martyrum.* Vide Hieronymiana, die præcedenti. *Item in Nemeſia*, pro *Venuſia, civitate Apuliæ* &c. ſatis pure, *Marciani & ſocior.* *Severi & Dorothei.*

pure uſque ad: *Quorum Felix quinquaginta ſex annorum, virgo & martyr, duplicem coronam adeptus eſt. Apud Nicomediam, paſſio ſanctorum Felicis, Paperiæ & Flaviani.* Vide hîc rurſus Hieronymiana. *Vertano monaſterio, depoſitio ſancti Martini abbatis. Eodem die, depoſitio ſancti Maglorii epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Vitalis.* Vide dicta ſuperius.

Felicis, Paperiæ &c. *Maglorii. Vitalis.*

HAGENOYEN. In prima non omnino purus, ſecundo loco memorat: *Apud Paleſtinam, natale ſancti Hilarionis monachi & heremitæ, diſcipuli ſancti Antonii magni, qui ſpiritu prophetiæ claruit & multas ab infidelibus perſecutiones paſſus eſt, & tandem plenus bonis operibus migravit ad Dominum in pace. Cujus vitam beatus Jeronymus in Vita Patrum deſcribit.* Vide ſupra XXI Octobris. Hujus codicis auctor ſatis pro arbitrio Sanctos huc illuc tranſponit. En exemplum aliud ex XXIII Octobris: *In pago Pictavienſi, ſancti Benedicti confeſſoris.* Rurſus: *In territorio Ambianenſi, ſancti Domicii, epiſcopi & confeſſoris. Vertago monaſterio, ſancti Martini abbatis. Item, ſancti Vitalis martyris.*

De Hilarion *Benedicti. Domicii.* *Vitalis.*

AQUICINCT. In fine addit: *Item ſancti Vitalis. In pago Turonico, Lucas caſtro, ſancti Senoch confeſſoris atque abbatis.*

Vitalis. Senoch.

DAVERONEN. Poſt *Martini*, ſubdit: *Item, ſancti Vitalis. Lucas caſtro, ſancti Senoch confeſſoris.*

De iiſdem.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECTIN. *Euergiſli, epiſcopi & martyris. Maglorii epiſcopi & confeſſoris. Martini abbatis & confeſſoris. Felicis epiſcopi & martyris cum ſociis.*

Euergiſli. Maglorii.

BIGOTIAN. ſignatus D 9. *ſancti Frotmundi martyris.* Caſtellanus vocat *Fromundum.*

Fromundi.

CODEX D. DU CHEVAL. ſign. C. *Ipſo die, ſancti Amandi confeſſoris. Luciani, Marciani & Flori.* De his XXVI Octobris.

Amandi. Lucian. & c.

In VATICAN. ſub num. 5949 Deeſt *Martini.*

ALTEMPS. *In pago Bituricenſi, ſancti Dulcardi confeſſoris. Item ſancti Fremundi martyris.*

Dulcardi. Fromundi.

FLORENTIN. Primo loco: *In Florentino territorio, in Thuſcia, paſſio ſancti Creſcii martyris & ſociorum ejus. Qui anno Domini* CCXLVIII [potius ſequenti] *ſub perſecutione Decii tyranni paſſi ſunt in loco, qui dicitur Vallis cavæ, ubi in eccleſia ſub titulo ſancti Creſcii requieſcunt. Item ſancti Vitalis. Sancti Macrenii* [nomen non recte exprimitur] *epiſcopi & confeſſoris. Item apud ſanctum Marcum, tranſlatio ſanctorum martyrum Senatoris & Viatoris, Caſſiodori & Lucæ abb.*

Creſcii & ſociorum. *Vitalis. Macrenii.* *Tranſlat. Senator. &c.*

EDITIO LUBECO COL. Incipit: *Apud Coloniam Agrippinam, natale ſancti Energiſti, ejuſdem civitatis archiepiſcopi & martyris, apud Tongerim civitatem ſagittis interfecti. Hic precibus beati Severini archiepiſcopi, cujus primus archidiaconus fuit, meruit audire in ſublimi voces pſallentium angelorum. Item Colonia, paſſio beati Jacobi epiſcopi Antiocheni & martyris, de conventu ſanctarum undecim millium Virginum.* In Felice & ſociis Adonem ferme deſcribit. Tum: *Treveris, ſancti Severini primi epiſcopi & martyris. Item Treveris, ſancti Felicis primi epiſcopi.* In Martino, ſatis pura eſt. Dein: *Nicomediæ, paſſio ſanctorum martyrum Vitalis, Papirii & Flaviani. Pariſius, beati Maglorii epiſcopi & confeſſoris. In territorio Turonico, caſtro, quod Lucas dicitur, beati Enoch, abbatis.* Apud alios *Senoch. Eodem die, beatæ Odæ viduæ.*

Energiſti. *Jacobi.* *Severini.* *Felicis.* *Maglorii.* *Vitalis. &c.* *Senoch.* *Odæ.*

BELIN In prima editione ſimilis eſt ANTVERP. & aliis codicibus ſupra. In ſecunda textum purum habet, addit etiam *Vitalis*, & præterea: *In territorio Turonico, ſancti Senec confeſſoris. Eodem die, ſancti Maglorii epiſcopi & confeſſoris.*

Vitalis. Senec. Maglorii.

GREVEN. *Apud Coloniam Agrippinam, ſancti Energiſti epiſcopi & martyris, qui licet* XVIII *Kal. Octobris paſſus ſit, ejus tamen martyrium hîc feſtivius recolitur. Apud eamdem urbem, paſſio beati Jacobi Antiocheni epiſcopi & martyris, ex ſocietate undecim millium Virginum. Treveris, beati Severini primi, epiſcopi & martyris. Nichomediæ, Severi martyris. In Nicea, natale ſanctorum Vitulis, Filicis, Rogati, Flaviani, Papiri, Victoriæ. Hierapoli Frigiæ, ſanctorum Claudiani, Eucherii, Iuſti, Victoris & Flavini. Ipſo die, vel, ſecundum alios, ſequenti, Bonefacii Papæ primi, qui ſedit Romæ annis tribus, ſepultuſque eſt via Salaria juxta corpus beatæ Felicitatis. Hic conſtituit, ſervum Clericum non fieri, nec obnoxium curiæ, vel alicui rei.* Hæc in Moſandri editione Adoni adſcripta ſunt. Sequitur: *Eracliani epiſcopi. Treveris, ſancti Felicis primi epiſcopi & confeſſoris. In Britannia, tranſitus ſancti Maglorii epiſcopi Dolenſis & confeſſoris. Qui beato Samſoni ſuccedens, cum vita & ſignis clarus haberetur, monetur per angelum, ſolitariam vitam expetere, cumque ſuperno parens nutui, in hoc propoſito multos annos miraculis inclytus exegiſſet, in vigilia Paſchæ obitum ſuum imminere angelo nuntiante didicit, atque ab eodem viaticum viſibiliter accepit. Ab illo itaque die uſque in diem vocationis ſuæ, niſi cauſa inevitabilis interpolaſſet, hunc ſemper in ore verſum repetiit: Unam petii a Domino, hanc requiram* &c. *In Hibernia, Daluath epiſcopi & confeſſoris. In territorio Turonico, caſtro Lucas, ſancti Enoch abbatis. Columbani monachi. Eodem die, feſtum beatæ Odæ viduæ.*

Euergiſti. *Aretha & ſociorum.* *Eracliani. Felicis.* *Maglorii.* *Daluath. Senoch Columbani. Odæ.*

MOLAN. In Maglorio deſcribit MUNERAT. Tum: *Item ſancti Vitalis. In territorio Turonico, ſancti Senoch confeſſoris; in caſtro quod Luchas dicitur. Item, ſancti Euergiſti epiſcopi Colonienſis & martyris, archidiaconi & ſucceſſoris ſancti Severini epiſcopi. Hic Tungris natus, martyr fuit & tumulatus.* Editiones aliæ ſuperaddunt: *Die vigeſima quarta, ſanctorum martyrum Arethæ & ſociorum.*

Maglorii. Vitalis. Senoch. Euergiſti. Arethæ & ſociorum.

VIII *Kal.* *Die* 25.

ROmæ, natalis quadraginta ſex militum, qui ſimul baptizati à Dioniſio Papa, mox jubente Claudio imperatore decollati, ac via Salaria ſepulti, ubi & alii martyres centum viginti unus poſiti ſunt: inter quos fuerunr quatuor milites Chriſti, Theodoſius, Lucius, Marcus & Petrus. Eodem die Petragoricas civitate, ſancti Frontonis, qui Romæ à beato Petro epiſcopus ordinatus, cum Georgio presbi-

Milit. 46. *Theodoſii & ſocior.* *Frontonis.*

presbitero, quem per Apoſtoli baculum in itinere ſocium de morte recepit, ad prædictam civitatem veniens, magnam gentis illius multitudinem ad Chriſtum convertit, & multis miraculis clarus, in pace quievit. Apud urbem Sueſſionem, ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, qui perſecutione Diocletiani, poſt immania tormenta ſibi illata, gladio trucidati, coronam martyrii conſecuti ſunt. Civitate Florentia, paſſio beati Miniatis, ſub Decio principe. Item civitate Gavalis, ſancti Hilarii epiſcopi & confeſſoris.

Criſpini & Criſpiniani.

Miniatis.

Hilarii.

Puri ſunt *Praten. Antverp.* & *Max-Lubec.* & *Antverpien-maximus.*

VARIA LECTIO. In Antverp. & Max-Lubec. deeſt in principio *natalis.* Item pro *centum viginti unus*, ſolum legunt *centum viginti*, in quo ipſis conſonat Antverp-max. Atque hic pro *Petragoricas*, ſcribit *Petragoritas.* Rurſus idem *Georgio* mutat in *Gregorio*: & cum duobus aliis non *Sueſſionem* ſcribit, ſed *Sueſſionis.* Antverp. & Max-Lubec. legunt, *coronam conſecuti ſunt*, omittentes *martyrii*; & Antverp-max. ſimplicius habet, *gladio trucidati, coronati ſunt.* Demum in Antverp. & Max-Lubec. in ultimæ annuntiationis principio deeſt *Item.* Minutiora neglecta ſunt, ut *Dioniſio, presbitero, Mineatis, Hilari, Hylarii* &c.

OBERVATIO. Prima annuntiatio duplex ſeu compoſita eſt, à Beda ex Actis ſancti Xyſti, ut teſtatur, primitus excepta. Alii S. Laurentii, alii S. Hyppolyti Acta adducunt, ſed de iiſdem loquuntur omnes. Ad primam partem quod attinet, ea etiam & quidem ſola, omiſſis omnibus aliis, memoratur à Romano parvo: *Romæ via Salaria,* XLVI *militum, qui baptizati à Dionyſio Papa, jubente Claudio decollati ſunt.* Plura ex laudato Beda & ex ipſis Actis deſumpſit Ado, tum in hac, tum in altera parte, quas Noſter ad ſolitam ſuam brevitatem reduxit. Hieronymiana nihil habent de XLVI, ſed *Maximum* nominant *& milites alios* CXX anonymos, *quorum nomina Deus ſcit.* Rabanus, Ado, Uſuardus & Notkerus numerum ſervant à Beda determinatum CXXI, veroſimiliter quod his adnummeretur *Maximus*, verum quatuor alios ex eadem turma nominatim exprimunt cum hac diverſitate, quod qui à Beda *Theodotius*, is ab omnibus aliis appelletur *Theodoſius.* Quæ præter hæc dubia ſunt, non indiligenter diſcutit ac ſolvere conatur Florentinius, & nos alibi operoſius examinabimus. *Frontonis* memoria ab Adone primum in ſacras Tabulas relata eſt, totuſque elogii contextus ex iis, ni fallor, Actis deſumptus eſt, quæ Bollandus in Appendice ad tomum primum Januarii, pag. 1085 ex Boſqueto pronuntiat, *à nupero quodam & ridiculo ſcriptore, non ante* 40 *aut circiter annos, compoſita fuiſſe.* De Petri Catalogo haud dubium videtur, quin ibi lib. 9 cap. 109, neſcio quis alius *Fronto abbas* cum hoc noſtro confundatur. Multa alia apud Petrum ac apud alios & obſcura & incerta ſunt, ut videſis in Tillemontii commentariis tomo 4 à pag. 501. Ceterum Uſuardi noſtri elogium, merum eſt Adoniani compendium.

Militi. 46.

Theodoſii & ſocior.

Frontonis.

Illuſtres illi gemini Sueſſionenſes Martyres ſic à Beda conſignantur: *Sueſſiones, natale ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani.* Florus elogium addidit, Rabanus longiorem hiſtoriam ex eodem, opinor, fonte, ex quo etiam ſua ſed diverſa & breviori phraſi accepit Ado; eam ex hoc magis contraxit Noſter; Notkerus veroſimilius ex Rabano. Celeberrimorum pugilum memoria antiquior eſt in codicibus Hieronymianis: *Galliis, Seſſionis* vel *Seſſonis, Criſpini* & *Criſpiniani*, additis ſociis, qui aliunde divulſi videntur. Quam ætatem Acta redoleant, alibi diſcutiemus. Ea apud Mombritium edita ſunt, à Surio nonnihil contracta, à nobis primigeniæ phraſi reſtituenda, illuſtranda, &, ſi fieri poteſt, contra recentiores criticos vindicanda. De *Miniate* nihil apud vetuſtiores uſquam reperio, nec ſatis conjicere poſſum, unde eum Uſuardus acceperit: neque enim Acta à Surio vulgata vidiſſe exiſtimandus eſt, qui tam jejune de eo loquitur. Non magis notus apud antiquiores *Hilarius.* Suſpicor tamen Uſuardum codicem aliquem Hieronymianum auctiorem habuiſſe, qualis eſt hodie Corbeienſis, in quo ſolo legitur: *In Gavalis, depoſitio beati Hilarii epiſcopi & confeſſoris.* Et ſic melius pro pago aut territorio quam pro civitate accipitur. Ceterum inde Noſter haud dubie mutuatus eſt. Videquæ ad Miniatem notarunt Baronius & Caſtellanus; de Hilario nihil præterea, quod ſciam, memoriæ proditum eſt. Vide notulam Motherii. Wandelbertus, qui pridie de XLVI militibus egerat, hoc die Hilarium ultimo loco celebrat, præmiſſis Criſpino & Criſpiniano; Chryſanto & Daria. Poſtremos duos etiam hodie referunt Rabanus primo

Criſpini & Criſpinian.

Miniatis.

Hilarii.

mo loco & ex eo Notkerus, quemadmodum & in Allatii ac Frontonis antiquis Kalendariis collocantur; at Noſter Adonem ſecutus, diſtulit ad 1 Decembris, ut ibi dicemus. Hîc Wandelberti verſus ſubjicio:

Octavum Criſpinus habet cum Criſpiniano,
Flammas qui paſſi, ſævum vicere tyrannum.
Gemmas martyrii geminas feſto veneramur eodem*
Chryſantum Dariamque, novo quos munere Chriſti,
Româ nunc vectos tumulis nova Cella venuſtat,
Quam Rheni celſis ſuccedunt æquora ſilvis.*
Hilarius hîc etiam nitet amplo præſul honore.

* Poſſet deleri *feſto*

* Lege *Quà*

AUCTARIA.

Celſini. HERINIENS. Toto textu puriſſimus, ſubjicit proprium Remenſe: *Ipſo die, depoſitio ſancti Celſini presbyteri & confeſſoris.* Vide Caſtellanum.

TORNACEN. In prima, tertia & quinta purus, omittit ſecundam & quartam.

ANTVERP-MAJ. Deficit in ſola annuntiatione quarta, in reliquo textu ſatis purus.

ROSWEYD. Quarto loco inſerit *Item Romæ, Maximi & aliorum* CXX *militum.* Sequitur ſimpliciter: *Miniatis martyris.* Tum: *Romæ, natale ſanctorum martyrum Criſanti & Dariæ virginis. Qui poſt multas, quas pro Chriſto lucrati fuerant paſſiones, juſſi ſunt a Numeriano imperatore via Salaria in arenario deponi & viventes terra & lapidibus obrui.* Jam diximus, hos ab Adone ad 1 Decembris tranſlatos.

Maxim. &c. *Chryſanti & Dariæ.*

PULSANEN. Hæc ſolum habet: *Natalis ſanctorum martyrum Chriſanti & Dariæ virginis. Qui tempore Numeriani à judice Celerino Romæ paſſi ſunt. Romæ, natalis quinquaginta & ſex militum. Item civitate Cavalis, ſancti Ylarii epiſcopi & confeſſoris* Scribit & abbreviat modo ſuo.

Chryſanti & Dariæ.

MUNERAT. Pro XLVI *militum*, ſcribit, *natalis ſex milium.* Alia in textu ſunt non ſatis exacta. In fine: *Corboilo, ſancti Lupi epiſcopi & confeſſoris.* Vide Caſtellanum.

Lupi.

GREVEN. Textui adſcribit: *Apud Carnotum, dedicatio eccleſiæ ſancti Joannis Baptiſtæ: & ſancti Vincentii levitæ & martyris.*

Dedicat Carnoten.

ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERGEN. & DANIC. Incipiunt: *Romæ, ſanctorum Criſanti & Dariæ virginis. Qui poſt multas paſſiones juſſi a Numeriano imperatore via Salaria in arenario deponi, atque illic viventes, terra & lapidibus obrui. Romæ, via Salaria, natale beati Bonifacii* I *Papæ. Hic conſtituit, ſervum clericum non fieri, nec obnoxium curiæ vel cujuſlibet rei.* Dubitari fere poſſet an hæc poſtrema Adoniana non ſint. Certe Notkerus de Bonifacio agit, Moſander eum etiam poſuit: Roſweydus autem ad XXIV Octobris in appendicem rejecit. Sequitur in citatis codicibus textus fere purus.

Chryſ. &c. *Bonifacii.*

LOVANIEN. Puritati proximus eſt, ſolum enim deficit in Frontonis elogio.

CENTULEN. *In Gallus civitate Sueſſionis, paſſio ſanctorum Criſpini & Criſpiniani martyrum, qui ſub Maximiano crudeli examinatione decertarunt. Petragoricas ſancti Frontonis epiſcopi, ab urbe Roma illuc directi. Ipſo die Romæ, militum quadraginta ſex, quos Papa Dionyſius baptizavit & mox jubente Claudio decollati ſunt. Civitate Gavalis, ſancti Hilarii epiſcopi & confeſſoris.*

Textus mutilus. *DeCriſp &c*

BRUXELLEN. *Apud urbem Sueſſionis, natale ſanctorum Criſpini & Criſpiniani. Qui ſub perſecutione Dyocleſiani, beatum Quintinum ſecuti poſt immania tormenta à Rixiovaro præſide ſibi illata, caſi gladio coronantur.* In Frontone nonnihil etiam ex Adone interpolatus eſt. *Apud Florentiam civitatem, paſſio beati Nimetis* [Miniatis] *ſub Decio Cæſare. Romæ via Salaria, natalis ſanctorum martyrum Criſanti & Dariæ virginis. Qui cum nullo genere tormentorum vinci poſſent, tandem Numeriano imperatore jubente, pro Chriſto terra & lapidibus obruti ſunt. Romæ via Salaria, natale ſancti Bonifacii Papæ, qui conſtituit, ne ſervus aut curiæ obnoxius clericus fieret.* In Hilario ſatis purus eſt. In fine: *Apud Bituricas civitatem, Ambiliaco monaſterio, beati Dulcardi confeſſoris.* Cattellanus ſcribit *Amiliaci.* Gall. *Amblis.*

De iiſdem. *Bonifacii.* *Dulcardi.*

HAGENOYEN. Pro XLVI, habet, XLVII *militum*, in reliqua annuntiatione ſatis purus. Sequitur: *Apud urbem Sueſſionem in Gallia, paſſio ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani. Qui fuerunt nobiles genere, de Perſide fugientes perſecutionem Maximiani, quam fecit Chriſtianis in Oriente, ad eamdem civitatem devenerunt. Et tunc cum victum & veſtitum non haberent, ad artem ſutoriam animum ſuum poſuerunt & pauperibus gratis laboraverunt, & mercede carentibus & omnibus; & omnibus ſutoribus prævaluerunt. Et ob invidiam accuſati quod Chriſtiani eſſent, & non negaverunt, & ideo ſub Dyocletiano per Rictiovarum præſidem immania tormenta paſſi ſunt, & ad ultimum gladio jugulari jubentur.* De Bonifacio habet ferme ut ſupra. Pro *Miniate*, ſcribit *Mymate* De Frontone & Hilario, die ſequenti.

DeCriſp &c. *Bonifacii.*

AQUICINCT. In fine addit: *In pago Turonico, ſancti Spani martyris.* Ita & alii ſcribunt, vel *Sperani* &c. Caſtellan. *Hiſpadii*, Gallicè *Epain.* *Eodem die, ſanctorum Benigni & Beati cum ſociis eorum.* Vide nomina etiam vernacula apud Caſtellanum. Deinde recentiore manu: *Romæ, ſancti Bonifacii Papæ. Hic conſtituit, clericum non fieri..... obnoxium cuilibet rei* Hiulcus ſenſus eſt, quem ſupra integrum habes.

Spani. *Benigni & ſocior.* *Bonifacii.*

VICTORIN. Secundo loco inſerit: *Item Romæ, ſancti Bonifacii Papæ. Hic conſtituit, ut ſervus nullo modo clericus fieret.* Et in fine: *Item Chryſanti & Dariæ martyrum.*

Bonifacii. *Chryſ. &c.*

DAVERONEN. *Baiocas, ſancti Lupi epiſcopi & confeſſoris. In pago Turonico, ſancti Sperani martyris.* Vide in AQUICINCT.

Lupi. *Sperani.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Criſpini & Criſpiniani martyrum. Bonifacii Papæ & confeſſoris. Romæ,* XLVI *militum martyrum. Frontonis, epiſcopi Petragoricenſis.*

Bonifacii.

CLUNIACEN. & ALTEMPS. Scribunt ut codex AQUICINCT ſupra citatus: *In pago Turonico, ſancti Spani martyris.*

Spani.

REG. SUEC. ſignatus num. 428. *Corboilo, ſancti Lupi epiſcopi & confeſſoris.* Vide DAVERON &c.

Lupi.

Bonifacii. Chryſ. &c. Tranſlat. Barthol.

REG. SUEC. ſub num. 130. *Item Romæ, Bonifacii Papæ. Item Chryſanti & Dariæ martyrum.*

VATICAN. num. 5949. Deeſt *Miniatis & Hilarii.* Adjicitur: *Tranſlatio ſancti Bartholomæi de inſula Lipari in Beneventum.*

FLORENTIN. Primo loco: *Apud Florentiam, paſſio ſancti Miniatis martyris, cum ſociis ſuis, qui ſub Decio tyranno paſſi ſunt anno Domini* CCXLVIII. Haud dubie paulo ſerius. *Apud Sardiniam in civitate Turritana, ſancti Gravini militis & martyris, qui paſſus eſt ſub præſide Barbaro, ſub perſecutione Diocletiani & Maximiani imperatorum.* In Romano habentur *Protus* & *Januarius.* Vide Obſervationem noſtram xxx Maii. *Romæ, ſancti Bonifacii Papæ* V, *qui* &c. Vide hæc ſupra Bonifacio I adſcripta.

Gavini.

Bonifacii.

Tranſlat. Alb.

BURDEGALEN. *Andegavis, tranſlatio ſancti Albini.* Natalis eſt 1 Martii.

Tranſlat Sim

LUXOVIEN. *Tranſlatio ſancti Simeonis, epiſcopi & confeſſoris, Metenſis eccleſiæ paſtoris piiſſimi.*

Celſini.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Remis, ſancti Celſini, diſcipuli ſancti Remigii.*

De Bonifac.

EDITIO LUBECO-COL. De Bonifacio, jam ſupra dictis adjungit: *Qui rexit eccleſiam annis tribus.* Et præterea: *Etiam decrevit, ut nulla mulier aut monacha pallam ſacratam altaris tangeret aut lavaret. Qui ſepultus eſt juxta corpus ſanctæ Felicitatis.* Sequitur prima & ſecunda annuntiatio ſatis pura. Tum. *In Galliis, civitate Sueſſionis, paſſio ſanctorum fratrum Criſpini & Criſpiniani. Qui cum eſſent nobiliſſimi Romani propter fidem Chriſti dilatandam à Roma egreſſi* [ſunt,] *ut eamdem fidem ibi prædicarent. Et quocumque pervenerunt, nullus eos hoſpitio recipere dignabatur, & ob hoc ergo artem ſutoriam didicerunt, ut pauperibus ſubvenirent, qui quidquid ex officio lucrati ſunt, præter victum, totum pauperibus elargiti ſunt. Hi inventi quod Chriſtiani eſſent, fuſtibus ſunt cæſi atque ad trocleas extenſi, digiti eorum ſubulis transfixi, & de dorſis eorum ora præciſa, & ſic diverſis tormentis vexati, ſub perſecutione Diocleciani & Maximiani, præſide Rictiovaro agente, gladio trucidati, glorioſo martyrio coronati ſunt.* In Miniate & Hilario ſatis pura eſt. De Beato & Benigno, ut ſupra codex AQUICINCT. Demum: *Biturigas, ſancti Dulcardi confeſſoris.*

De Criſp. &c

Benigni & ſocior. Dulcardi. Chryſ. &c.

BELIN. Incipit à Criſanto & Daria ferme ut ROSWEYD. ſupra. Tum: *Item Romæ, natale ſanctorum Mari & XLVI militum* &c. Frontonem ponit ultimo loco. Et in altera editione ſuperaddit: *Eodem die, Beati & Benigni cum ſociis eorum.* Deinde: *In territorio Turonico, Spani.* Denique *Remis, Celſini,* ut ſupra.

Beati &c. Spani. Celſini.

GREVEN. In fine: *Ipſo die ſecundum Vincentium lib. 26, tranſlatio ſancti Bartholomæi Apoſtoli, de inſula Liparitana Beneventum facta anno Domini* DCCCVIII. *Romæ, ſanctorum martyrum Maximini & aliorum* CXX. *Eodem die, vel ſecundum alios ſequenti, Nichomediæ, ſanctorum Luciani, Martiani, Flori, Heracli, Tuti, Florini. Beati & Benigni martyrum, aliorumque cum ipſis. In Anglia, tranſlatio ſancti Johannis Eboracenſis epiſcopi & confeſſoris. In Normannia, ſancti Lupi epiſcopi Baiocenſis & confeſſoris. Marnoci epiſcopi & confeſſoris. Bituricas, ſancti Dulcardi confeſſoris. Item, tranſlatio ſanctorum martyrum, Criſanti & Dariæ, ab urbe Roma ad monaſterium Eyſtia.*

De Barthol. Luciani &c. Beati &c. Lupi. Marnoci. Dulcardi. Tranſlat. Chryſ.

MOLAN. Poſt *Petrus*, ex Adone aliis litteris adjicit: *Hi videntes ad ſe venire armatos, rogabant, ut primi decollarentur. Scriptum eſt in paſſione ſanctorum Sixti, Laurentii & Hippolyti.* In fine de Chryſantho & Daria, fere ut ROSWEYD. *Eodem die, Benigni & Beati cum ſociis eorum. In territorio Turonico, ſancti Spati martyris.* Vide AQUICINCT. *Remis, ſancti Celſini confeſſoris & presbyteri, diſcipuli beati Remigii.* De Lupo ut MUNERAT. *Bonifacii Papæ, qui ſedit Romæ annos tres. Hic ſepultus eſt via Salaria, juxta corpus ſanctæ Felicitatis. Hic conſtituit, ſervum* &c. Editiones aliæ in ipſo textu præfigunt, *Chryſanti, Dariæ, & Diodori presbyteri* &c. Poſt *Petrus*, idem quod ſupra. In fine: Benigni & Beati, Spati & Celſini, ut ſupra. De Lupo, additur *Baiocenſis epiſcopi* &c. *Biturigæ, Ambiliaco monaſterio, beati Dulcardi confeſſoris. Die vigeſima quinta, ſanctorum martyrum & notariorum Martiani & Martyrii. Romæ via Salaria, Bonifacii Papæ.* Vide ſuperius.

De Theod. &c. Chryſ. &c. Benigni &c. Spati. Celſini. Lupi Bonifacii. Dulcardi. Martiani & Martyrii.

VII *Kal.* *Die* 26.

Rogatiani & Feliciſſ.

APud Africam, natalis ſanctorum martyrum Rogatiani presbiteri & Feliciſſimi, qui perſecutione Decii & Valeriani, illuſtri ſunt martyrio coronati, de quibus etiam ſcribit beatus Cyprianus in epiſtola ad Confeſſores. Civitate Narbona, ſancti Ruſtici

Ruſtici.

epiſcopi & confeſſoris.

Ita *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-major, Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. In nævis hæret, ut *Aphricam, Affricam, Rogaciani, Ciprianus.* Poterat Antverp-major è purorum numero excludi, quia tota hodierna annuntiatio, prima manu omiſſa eſt; at cum ad oram codicis tota ſubinde adſcripta & pura ſit, locum hîc ei dedimus.

Rogatiani & Feliciſſ.

OBSERVATIO. Rogatianus & *Feliciſſimus* apographis Hieronymianis, Bedæ, Floro, Rabano, Wandelberto præteriti, ab auctore Romani parvi primum conſignantur, his verbis: *In Africa, Rogatiani presbyteri & Feliciſſimi martyris.* Quæ præterea paulo fuſius & elegantius exponit textus noſter, ea ex Adone ad verbum deſumpta ſunt, excluſa dumtaxat magni Cypriani commendatione, ex epiſtola ejus 81 apud Viennenſem recitata; nimirum, inquit, *ut ſequamini in omnibus Rogatianum presbyterum ..... qui cum Feliciſſi-*

ciſſimo fratre noſtro, quieto ſemper & ſobrio, excipiens ferocientis populi impetum &c. Plures alias ejusdem Cypriani epiſtolas appellat Baronius in Notatione, & de præfatis Sanctis fuſius tractat tomo 2 Annalium ad annum CCLIII num 42; item CCLIV, num 35; ſed expreſſius ad CCLX, num. 59 & 60; ubi receptæ Chronologiæ rationem videtur excedere, Sanctorum obitum, contra textus noſtri auctoritatem nimium differens, qua forte cauſa, in hodierno Romano mutata Imperatorum nomina animadvertimus. Interim ex prædicta Cypriani epiſtola 81 potiſſimum eruiſſe videntur Martyrologi noſtri, quod de *illuſtri martyrii corona* prædicant; an ſatis certo, non auſim aſſerere: nam ſi vera ſunt, quæ accurate obſervat Tillemontius tomo 3 pag. 389, paſſos quidem conſtat Rogatianum & Feliciſſimum primo ipſo *ferocientis populi impetu*, at in tormentis vitam poſuiſſe, non item. Notkerus diverſa ab Adone phraſi utitur, ſed martyres etiam pronuntiare non dubitat. Caſtellanus contra, nullum ejus rei fundamentum ſe reperiſſe rotunde teſtatur. Quæ inſuper de pluribus ſanctis Rogatianis, quid ni & Feliciſſimis, controvertuntur; utrum hic Rogatianus idem ſit, de quo loquitur Cyprianus; deinde de mortis tempore, de utriuſque gradu & officio, aliiſque hujuſcemodi, hæc, inquam, ad proprium locum rejicimus. *Ruſticus* Narbonenſis mere Uſuardinus eſt, à nullo anti- *Ruſtici.*
quiori aut æquali hodie poſitus. Notatio Baronii paucis indicat, quæcumque circa vitam ejus aut geſta obſervari debent ex Hieronymi & Leonis epiſtolis, nec quidquam ultra memorat Catellus, inſcriptionem adducens, quæ multorum eruditorum ingenia exercuit, alibi a nobis de integro examinandam. In Adone, ſecundo loco habetur: *Commemoratio ſanctorum epiſcoporum Vedaſti & Amandi, quorum vita & mors plurimis extitit miraculis glorioſa.* De iiſdem hoc etiam die canit Wandelbertus:

Pontifices fama, ſignis tumuliſque coruſcos
Septimus oſtendit, vero de nomine Amandum,
Vedaſtumque ſimul, meritis & tempore junctos.

Alibi oſtendimus, quam recte bini illi Præſules uno die conjungantur. Plura adjicit Notkerus de Vedaſto, prius Tullenſi presbytero &c. Atque hîc ſiſtit Caniſiana Notkeri editio, cum ex hoc die uſque ad anni finem reliqua deſiderentur. Porro Uſuardus citata Adonis verba retulit VI Februarii, ut ibi diximus, hic utrumque tacitus prætermittens. Et de Vedaſto quidem tacent etiam plerique codices recentiores, at de Amando aut ejus ordinatione, tranſlatione, vel elevatione & eccleſiæ dedicatione, non pauci meminere, quos jam ſubjiciam. Vide quæ diximus VI Februarii.

AUCTARIA.

Amandi. ROSWEYD. Subdit in fine: *Natale ſancti Amandi epiſcopi & confeſſoris.*

Demetrii. PULSANEN. Sic primam annuntiat: *Apud Africam, natalis ſanctorum martyrum Rogatini presbyteri & Feliciſſimi. Item apud Theſalonicam, ſancti Demetrii martyris.* Is eſt, opinor, qui colitur VIII Octob. Sequitur de Ruſtico, pure.

Amandi. Luciani & Flori. ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Nihil de Ruſtico, ſed ejus loco: *Ipſo die, Amandi confeſſoris.* Et adjungunt eodem textu, *Luciani & Flori*, ut etiam invenies die præcedenti.

Luciani & Flori. ANTVERP MAX & LOVANIEN. In prima ſatis puri, ſecundo loco: *In Nicomedia, ſanctorum Luciani & Flori.* Horum ſocios vide in codicibus Hieronymianis. Ipſorum Acta inter Selecta recenſuit Ruinartius à pag. 151, ubi conſulenda prævia ejus admonitio. Tum: *Ipſo die, elevatio ſancti Amandi confeſſoris.* In Ruſtico puri ſunt.

Amandi. Euariſti. Demum: *Item ſancti Euariſti Papæ & martyris.*

De Euariſt. ULTRAJECT. Omnia eadem habet, niſi quod de Euariſto ſic primo loco loquatur: *Romæ, natale ſancti Euariſti Papæ. Qui quartus poſt beatum Petrum, Romanam Eccleſiam gubernavit ſub Traino* [Traiano] *Principe martyrio coronatus, ſepultus eſt juxta corpus beati Petri in Vaticano.*

Euariſti. LEYDEN. & ULTRAJECT. Conveniunt, ſed in fine repetunt: *Item, ſancti Euariſti Papæ & martyris.*

ALBERG. & DANIC. In hoc à proxime ſuperioribus differunt, quod Ruſticum omittant, & pro, *elevatio ſancti Amandi*, ſimpliciter ſcribant: *Ipſo die, ſancti Amandi confeſſoris.* Quaſi *Amandi.*
alium indicarent à Trajectenſi epiſcopo.

Miniatis. CENTULEN. *Apud Africam, ſanctorum Rogaciani presbyteri & Feliciſſimi, ſub Decio & Valeriano. Civitate Florentia, beati Mineatis, ſub Decio,* Vide textum die præcedenti. Sequitur: *Apud Epheſum, ſancti Policratis, epiſcopi egregii & nobiliſſimi viri.* Quis hic ſit ſanctus Polycrates, divinet qui poteſt, ego alium *Polycratem epiſcopum* *Polycratis.*
Epheſinum non novi, præter eum qui in controverſia de celebratione Paſchæ Victori Papæ reſtitit, & excommunicatus eſt. *Civitate Narbona, ſancti Ruſtici epiſcopi & confeſſoris. Cœnobio Helnone, tranſlatio beati Amandi epiſcopi & confeſſoris.*

Tranſlat. Amandi. BRUXELLEN. Sic incipit: *Tranſlatio corporis beati Amandi epiſcopi & confeſſoris. Qui eccleſiam Trajectenſem ſupra Moſam tribus annis rexit; & poſt heremiticam vitam eligens, in quadam cella quindecim annis cilicio ſemper tectus & aqua &.* Deſunt reliqua. Deficit uſque ad XXXI Octob.

Multa de Frontone. HAGENOYEN. *Apud Petragoricam civitatem, depoſitio ſancti Frontonis epiſcopi. Qui Romæ à beato Petro Apoſtolo epiſcopus ordinatus eſt, cum Gregorio presbytero, quem per Apoſtoli Petri baculum in itinere ſocium de morte recepit vivum, & ad prædictam veniens civitatem, magnam illius gentis multitudinem convertit ad Chriſtum Iſte cum Domino Jeſu Chriſto beatam Martham ſepelivit in ſpecu, cujus cyrotheca & annulus ejus ibi remanſerunt, cum poſtea unam cyrothecam remiſerunt cum annulo epiſcopali, aliam ibi ſervantes. Tandem*

De Euarist. *post multa miracula & doctrinas salutares, obiit in pace. Romæ, natale sancti Euaristi Papæ & martyris. Qui quartus post beatum Petrum, Romanam rexit Ecclesiam annis decem, mensibus septem. Hic natione erat Græcus ex patre Judæo, nomine Juda, de civitate Bethlehem. Hic titulos in urbe Roma divisit Cardinalibus presbyteris & dyaconibus. Hic constituit, ut conjugium publice à præsentibus sponderetur & à sacerdote postmodum benediceretur. Hic martyrio coronatur sub persecutione Trayani imperatoris, & sepelitur juxta sanctum Petrum. In civitate Gavalis, natale beati Hylarii episcopi & confessoris.* De hoc & Frontone agitur die præcedenti. In fine habet: *Civitate Narbona, depositio sancti Rustici episcopi & confessoriss.*

Hilarii.

De Amand. AQUICINCT. Post, *ad confessores*, inserit: *Translatio corporis sancti Amandi episcopi, & ordinatio episcopatus ejus, & dedicatio ecclesiæ ipsius.*

Amandi. VICTORIN. & REG. SUEC. signatus num. 130. *Item, sancti Amandi episcopi* &c.

Euaristi. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Rogatiani & Felicissimi. Euaristi Papæ & martyris. Rustici, episcopi & confessoris.*

Luciani &c. CLUNIACEN. & ALTEMPS. *Luciani, Martiani & Flori.* De his Florus cum brevi elogio.

Florentii. REG. SUEC. sub num. 428. *Eodem die, Florentii confessoris.* An is de quo agitur die sequenti?

Trojecii. CODEX D. LE MARE, sign. A. *Nivernis civitate, depositio sancti Trogeni confessoris.* Vult dicere *Trojecii* Gall. *Troé*, qui colitur XVII Octob.

Demetrii. VATICAN. Addit: *Thessalonicæ, sancti Demetrii martyris.* Vide PULSANEN. Forte apud Beneventanos & in aliis Italiæ partibus colitur hac die.

Demetrii. Euaristi. De Amando. FLORENTIN. *Sancti Demetrii martyris. Romæ, sancti Euaristi Papæ.....Ordinatio episcopatus sancti Amandi, translatio corporis & dedicatio ecclesiæ.*

Amandi. Luciani &c BURDEGALEN. *Sancti Amandi confessoris. Luciani, Marciani & Flori.* Vide supra.

De Euarist. EDITIO LUBECO-COL. *Colonia Agrippina, in ecclesia sanctæ Mariæ ad gradus, festum adventus sanctæ Crucis Christi. Romæ, natale sancti Euaristi Papæ & martyris. Qui quartus post beatum Petrum Apostolum, Romanam gubernans Ecclesium annis novem, sub Traiano principe martyrio coronatus, sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano. Hic constituit, ut conjugium à parentibus publice responderetur & deinde à sacerdote solemniter benediceretur.* Vide melius in HAGENOYEN. Sequitur de

Pelagiæ. Africanis, satis pure. Tum: *Eodem die, sanctæ Pelagiæ virginis. Quæ cum peteretur à quodam nobili adolescente in conjugem, ipsa tonsis crinibus & habitu virili, clam aufugit & monasterium probatissimorum monachorum intravit, & in eo omnibus incognita usque ad mortem Deo devota servivit & tandem feliciter obiit.* Vide GREVEN. De Rustico, bene. Dein: *In Nicomedia, natale sanctorum Luciani & Flori martyrum. Item in Nicomedia, sanctæ Ursæ virginis. Eodem die, translatio sancti Amandi episcopi Trajectensis superioris & confessoris.*

Luciani &c. Ursæ. De Amando. Amandi

BELIN. Secundo loco: *Ipso die, Amandi confessoris. Luciani & Florii.* Et in fine: *Romæ, sancti Euaristi Papæ & martyris.*

Luciani &c. Euaristi.

GREVEN. *Jacob Patriarchæ. Item secundum aliquos hic, Euaristi Papæ, secundum Adonem vero & alios die sequenti. Qui sedit annos novem & sub Traiano, martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano. Ipse titulos in urbe presbyteris divisit, septemque diacones, qui episcopum prædicantem custodirent, ordinavit. Demetrii martyris. Romæ, natale sanctorum Mariandri, Luci, Vieti. Ipso die, secundum alios autem* V. *Kal. in Phrygia, sanctorum Tharsi, Policarpi, Gaii, Metrobi, Eumeniæ, Januarii, Terrei, Corminii. Apud Ephesum, Policarpi episcopi & confessoris.* Si quis istius nominis episcopus Ephesinus fuit, non magis in Ecclesia cultum habet, quam Polycrates, de quo supra. Sequitur: *Beani episcopi. Translatio sancti Amandi episcopi Trajecti superioris, confessoris. Colonia Agrippina ad gradus Mariæ, adventus magnæ portionis sanctæ Crucis. Apud Augustam Retiæ oppidum, conversio beatæ Aphræ, quæ cum esset meretrix & beatum Narcissum recepisset hospitio, ab eodem conversa est.* Colitur V Augusti. *Nicomediæ, sanctæ Ursæ virginis. Item secundum aliquos hîc, Margaritæ virginis, quæ & Pelagia. Alii habent eam Idibus Octobris.* Implexum negotium. Eadem est, opinor, quæ in EDITIONE LUBECO-COL. vocatur *Pelagia.*

Jacob. Euaristi. Bemetrii. Marian &c. Tharsi &c. Polycarpi. Beani. De Amando. Converf. S. Afræ. Ursæ. Margaritæ seu Pelagiæ

MOLAN. *Ipso die, Luciani & Florii. Romæ, sancti Euaristi Papæ & martyris. Commemoratio sancti Vedasti & Amandi, quorum vita & mors plurimis virtutibus extitit glorioſa.* Typis minoribus: *In Glasconia, depositio Ceolfridi abbatis & confessoris.* Edit. aliæ, de Luciano &c. Item de Euaristo, ut in prima. Tum: *Trajecti ordinatio episcopatus sancti Amandi: & Elnone cœnobio, translatio corporis ipsius ab ecclesia sancti Petri & Pauli in basilicam sancti Stephani Protomartyris, agente beato Eligio pontifice; atque dedicatio ejusdem basilicæ. Laubiis, elevatio sancti Ermini episcopi. Die vigesima sexta, commemoratio magni terræ motus.*

Luciani &c. Euaristi. De Vedast. & Amand. Ceolfridi. De Amand. Elevat. Ermini

VI *Kal.* *Die* 27.

Vincentii & socior. IN Hispaniis civitate Abula, passio sanctorum Vincentii, Sabinæ & Cristetæ, qui primo adeo in equuleo sunt extensi, ut omnes compages eorum membrorum laxarentur, deinde capita eorum lapidibus superposita, usque ad excussionem cerebri, validis vectibus sunt contusa, atque ita martyrium compleverunt,

Florentii. agente præside Daciano. Eodem die apud Tile castrum, sancti Florentii martyris.

Sumitur ex *Praten. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Præcipua diversitas in eo occurrit, quod multi codices, etiam probatissimi, ut Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Rosweyd. & reliqui, textui aut præfigant aut subjiciant: *Vigilia Apostolorum Simonis*, vel *Symonis & Judæ.* Dubites utrum

utrum ea annuntiatio Uſuardina non ſit, præſertim cum in Adone diſertiſſime ponatur. Ego certe Uſuardo adſcribendam perſuaſiſſimum haberem, ſi in citatis codicibus uniformitas ſervaretur, qua deficiente, alios præferendos judicavi, ut iterum dicam XXXI Octobris. In Munerato male eſt *Abulla*, ceteri paſſim *Abula*, tametſi Romanum parvum & Ado ſcripſerint *Abela*. Forte melius ſcriberetur *Chriſteta*, ſed codices noſtros ſecuti ſumus. Molan. tranſpoſuit voces *membrorum eorum*. Praten. legit *Datiano*, melius cum communi Munerat. *Daciano*; male Greven. & Molan. *Deciano*. In apographo noſtro Pratenſi ſub finem additur: *Ipſo die, inventio ſeu tranſlatio ſancti Vincentii levitæ & martyris*. Verum cum ea verba lineolis ſubducta ſint, ex Sirmondi præmonitione patet, ea ad marginem recentius eſſe adjecta.

Vincentii & ſocior.

OBSERVATIO. Martyres plures *Vincentii* nomine illuſtres paſſim commemorantur, at forte vix ullus, de quo pauciora & minus genuina exſtent monumenta antiqua, quam de hoc Abulenſi duabuſque ejus ſororibus *Sabina* vel *Savina* & *Chriſteta*; ſic enim & ipſas vocat Ruinartius inter ſincera & ſelecta pag. 389, qui forte Acta vidit, qualia penes nos ſunt à Papebrochio deſcripta ex pervetuſto codice D. Canonici Joly Pariſiis, in quibus paſſi dicuntur V Kal. Novembr. ſeu XXVIII Octobris: quæ ſi ſincera exiſtimaſſet, edere procul dubio non prætermiſiſſet. Ceterum hæc aut ſimilia habuit Martyrologus Viennenſis, cum elogium ejus inde acceptum videatur, quod Petrus in Catalogo retulit, lib. 9 cap. 114, ubi pro *Chriſteta* ſcribit *Chriſtina*, quodque totum Noſter etiam tranſumpſit, mutatis ſolum vocibus *Abela* in *Abula*, *Chriſtetes* in *Chriſtetæ*, & *ſuppoſita* in *ſuperpoſita*. De Actis ipſis quid cenſeam ſi me roges, malo judicium tantiſpere ſuſpendere, quam quidquam temere definire, tametſi ſufficientia occurrant veſtigia, quæ ſatis oſtendant, ad aliorum Actorum imitationem, aliquot poſt eorum paſſionem ſeculis, fabricata aut ſaltem exornata; adeo ut Tamayus de Salazar, cetera in corradendis omnibus ſatis facilis, non exiguam eorum partem reſcindendam putaverit. At inde nec hilum detraxeris vetuſtiſſimo juxta ac celebratiſſimo tota Hiſpania inclytorum martyrum cultui, quorum prima, ni fallor, memoria ex Romano parvo profluit: *Abela civitate*, *Vincentii*, *Sabinæ & Chriſtetes martyrum*. Florus etiam eos diſerte conſignat die ſequenti his verbis: *Ipſo die, paſſio ſanctorum Vincentii, Sabinæ & Chriſtetæ, qui paſſi ſunt in urbe Avila*. Elogii reliqua ex ſolito Adoniano fonte, ſed alia phraſi exprimuntur. Adde Wandelbertum, cujus metricum elogium legi meretur:

Hinc ſextum martyr pugnans Vincentius ornat,
Chryſtete hoc pariter Sabinaque virgo triumphat.

Florentii.

Sequitur in Adone: *Eodem die apud Tyle caſtrum, natale ſancti Florentii martyris*; & hæc totidem verbis in laterculum noſtrum tranſlata ſunt, mutato *Tyle* in *Tile*. Eſt apud Adonem Moſandri, *Florentius* alius confeſſor, de quo in Auctariis plura recurrent. Dum autem & Hieronymiana *Florentis* alicujus vel *Florenti* meminere, quid velint non ſatis explicant. Quæro qui in his tenebris lucis aliquid affundant, ſed hactenus non invenio, niſi Sauſſayum audire velimus, locum, tempus, martyrii genus &c. memoriter recitantem. Nec quidquam ſolidæ explicationis afferunt, quæ apud nos per conjecturam à Roſweydo, ni fallor, notata ſunt, de hoc Florentio Thebæis adſcribendo, ejuſque martyrii palæſtra collocanda in *Tiel*, oppido Geldriæ Vahali fluvio adſito, in quam opinionem facile Belgæ inclinant. Sufficere poteſt, mea quidem ſententia, Florentius unus Thebæus ad tractum Rheni, de quo egimus X Octobris. Nec vero ad Euphratem aut in Ponto, nec in Africa aut Hiſpania quærendum puto *Tile* vel *Tyle* caſtrum, ſed veroſimiliter in Burgundia, ubi Gallice vocatur *Trichateau*, Lingones inter & Divionem, ut accuratius expendit noſter Motherius in obſervatiuncula ad hunc diem, à curioſo lectore omnino conſulenda. De Actis noſtris & Sanctis ipſis plurimum promerebitur, qui tum de Vincentio & ſororibus, tum de Florentio certiora documenta ſubminiſtrabit: certiora, inquam, quam ſint Higueriana, Dextrina & id genus commenta à Tamayo congeſta, quæ nec nominata hîc vellem, niſi vel eò recurrere me coëgiſſet puriorum fontium penuria. Tertio loco in Adone ponitur *Euariſtus Papa*, ſub Trajano martyrio coronatus, de quo die præcedenti abunde egimus. Ejus etiam meminit Florus; at ab Uſuardo plane prætermiſſus eſt.

AUCTARIA.

Vigiliæ Sim. & Jud.

HERINIEN. Incipit: *Vigilia Apoſtolorum Simonis & Judæ.* Cetera puriſſimus.

TORNACEN. Purus, ſubdit: *Ipſo die, vigilia Apoſtolorum Symonis & Judæ.*

Ejuſdem. Deſiderii.

ANTVERP-MAJ. Textui etiam puro ſubnectit: *Anticiodoro,* [Autiſſiodoro] *S. Deſiderii epiſcopi & confeſſoris. Et vigilia Apoſtolorum Symonis & Judæ.*

ROSWEYD. Secundo loco inſerit: *In Nicomedia, Luciani martyris.* Vide die præcedenti. In Florentio, purus eſt. Tum: *Rumoldi martyris.* Vide infra. *Rictrudis virginis.* Vult dicere *ſanctimonialis* & *abbatiſſæ*, quæ tamen vidua & beatæ Euſebiæ mater fuit, coliturque XII Maii. *Vigilia Apoſtolorum Simonis & Judæ.*

Luciani. Rumoldi. Rictrudis.

PUL-

PULSANEN. *Vigilia Apoſtolorum Symonis & Judæ.* In 2a deeſt elogium. In ultima purus eſt.

De eadem. ANTVERP. & MAX-LUBEC. Puri in textu, addunt etiam: *Ipſo die, Vigilia Simonis & Judæ.*

De eadem. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. & DANIC. Omnes incipiunt: *Vigilia Apoſtolorum Symonis & Judæ.* In textu puri.

Ivonis. ALBERGEN. In fine adjicit: *Item, ſancti Yvonis confeſſoris.* Infra, expreſſius eſt *tranſlatio.*

Vigiliæ. CENTULEN. *Vigilia Apoſtolorum Symonis & Judæ. In Hiſpaniis, civitate Helbora, ſanctorum Vincentii, Sabinæ, & Chriſtetæ martyrum. In pago Pictavienſi, ſancti Florentii presbyteri & monachi.* Is eſt qui in Martyrologiis noſtris ponitur XXII Septembris, quemque ſuperius in Adone Moſandri repeti hoc die diximus, quod etiam fit in aliis codicibus Uſuardinis. Variæ hujus Sancti tranſlationes, variæ de ſacro corpore concertationes, diverſis hiſce feſtivitatibus facile occaſionem dederint, cum & aliis etiam menſibus recolatur. Quid ſi hæc fortaſſe fuerit prima corporis Rodium in Picardiam advectio. Sequitur in citato codice: *Autiſiodoro, ſancti Deſiderii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die apud Tile Caſtrum, ſancti Florentii martyris. Cœnobio Blandinio, adventus ſanctæ Amelbergæ virginis.*

Florentii Monachi. *Deſiderii.* *Adventus Amelbergæ.*

BRUXELLEN. Jam dixi codicem hunc deficere uſque ad diem XXXI Octobris.

HAGENOYEN. Scriptoris oſcitantia omiſſus eſt dies VI Kalend. Novembris, & diei ſequenti præfigitur VI Kal. ubi ſcribi deberet V Kal.

Euariſti. AQUICINCT. Incipit: *Romæ, Euariſti Papæ & martyris. Hic titulos in urbe diviſit presbyteris, & ſeptem diaconos ordinavit, qui cuſtodirent epiſcopum prædicantem.* Ibidem pro *Florentii*, habetur *Florentiani.*

Euariſti. Vigiliæ. VICTORIN. *Romæ, ſancti Euariſti Papæ. Hic titulos diviſit in Urbe presbyteris, & ſeptem diaconos conſtituit qui cuſtodirent epiſcopum. Vigilia Apoſtolorum Simonis & Judæ.*

Florent. mon. AMBIANEN. *In pago Pictavo, natalis ſancti Florentini presbyteri & monachi, maximæ ſanctitatis & innocentiæ viri.* De eodem, opinor, *Florentio* agitur, de quo dixi ad CENTULEN.

Pharonis. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Vigilia. Pharonis epiſcopi & confeſſoris.* Vide de eo die ſequenti. *Vincentii, Sabulæ* [Sabinæ] *& Chriſtetæ martyrum. Florentii martyris.*

Euariſti. REGINÆ-SUEC. ſignatus num. 130. Adjicit: *Romæ, ſancti Euariſti Papæ* &c.

De eodem. VATICAN. Adjicit: *Romæ, natalis ſancti Euariſti Papæ, qui præfuit Eccleſiæ annis tredecim, & martyrio coronatus eſt ſub Traiano.*

Geltrudis. Tranſlat. Ivonis. Proti & Januarii. FLORENTIN. *Item, ſanctæ Geltrudis* [MEDIC. *Gertrudis*, an non melius *Rictrudis?*] *virginis. Apud Britanniam, tranſlatio* [MEDIC. *ordinatio*] *ſancti Ivonis confeſſoris, magnæ ſanctitatis viri. Apud Sardiniam civitate Turritana, ſanctorum martyrum & fratrum Proti presbyteri & Januarii diaconi, ſub præſide Barbaro; tempore Diocletiani & Maximiani.*

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *In pago Pictavenſi, ſancti Florentii presbyteri & monachi.* *Flor. monac.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Vigilia ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ.* Sequitur de Vincentio, Sabina & Chriſteta, pure. Deinde: *Apud Tyle caſtrum, ſanctorum Florentii, Eraclii, Flori & Tuti martyrum.* Hæc eſt diſparatorum confuſio. *Ipſo die, commemoratio beati Yvonis presbyteri & confeſſoris. Antiſiodoro, depoſitio ſancti Deſiderii epiſcopi & confeſſoris.* *Vigiliæ.* *Florentii & alior.* *Ivonis.* *Deſiderii.*

BELIN. In textu variis nævis deformis, in fine ſuperaddit: *Item eodem die, Vigilia Apoſtolorum Simonis & Judæ. Eodem die, ſancti Ivonis confeſſoris, de tertio Ordine Fratrum Minorum.* *Vigiliæ.* *Ivonis.*

GREVEN. *Vigilia Apoſtolorum Symonis & Judæ. Apud Carthaginem, natalis ſancti Suffraſiani* [prima editio melius ordinata eſt.] *Ipſo die, ſancti Eucharii epiſcopi & martyris. In Sardinia, ſanctorum Mariani, Prothi & Januarii. In Phrigia, Eumeni & Canonis. Rumoldi epiſcopi & martyris relatio. In pago Pictavenſi, ſancti Florentii epiſcopi.* Vult dicere, ni fallor, *presbyteri*; aliàs Florentii Pictavienſes geminarentur. *Deſiderii epiſcopi Autiſiodorenſis & confeſſoris. Apud Indiam, ſancti Frumentii epiſcopi, qui ab Athanaſio Alexandrino illuc epiſcopus directus, cum pene totam Indiam ſuperiorem Chriſti fidei ſubjugaſſet, vita & ſignis inclytus quievit in pace. In Hibernia, Orani epiſcopi & confeſſoris. In Britannia minori, tranſlatio ſancti Yvonis confeſſoris, jurisperiti, advocati pauperum. Rictrudis virginis. Ipſo die, inventio corporis Vincentii levitæ & martyris.* *Vigiliæ.* *Eucharii.* *Marian. &c* *Eumeni &c.* *Rumoldi.* *Florentii.* *Deſiderii.* *Frumentii.* *Orani.* *Tranſl. Ivon.* *Rictrudis.* *Invent.* *Vincentii.*

MOLAN. *In Mechlinia, relatio beati Rumoldi epiſcopi & martyris. Eodem die in Britannia, tranſlatio ſancti Ivonis confeſſoris; in utroque jure doctoris, de Ordine pœnitentium beati Franciſci. Romæ, Euariſti Papæ; qui ſedit annos novem. Sub Traiano martyrio coronatur, ſepultus in Vaticano. Hic conſtituit duos in Urbe presbyteros & ſeptem ordinavit diaconos, qui cuſtodirent epiſcopum prædicantem. In loco qui dicitur Marcinas, ſanctæ Rictrudis cum filia Euſebia. In Blandinio, adventus corporis ſanctiſſimæ virginis Chriſti Amelbergæ. Item eodem die, vigilia Apoſtolorum Simonis & Judæ.* Dein typis minoribus: *Quæ obſervatione jejunii celebratur.* Tum: *Apud Indiam, ſancti Frumentii epiſcopi, qui ab Athanaſio* &c. ut GREVEN. Editiones aliæ: *Item eodem die, Vigilia* &c. De tranſlatione Ivonis, ut ſupra. Sequitur: *Elnone, commemoratio ordinationis beati Amandi. Quæ licet die præcedenti, ſicut & tranſlatio corporis, & eccleſiæ dedicatio facta fuiſſe credatur, tamen hac die ſpecialius recolitur.* De Rumoldo, ut ſupra. Tum: *Eodem die elavatio corporum ſanctarum Euſebiæ atque Gertrudis.* De adventu Amelbergæ, ut ſupra. Demum minoribus typis: *Ipſo die, inventio corporis ſancti Vincentii levitæ & martyris.* *Relat. Rumold.* *Tranſl. Ivon.* *Euariſti.* *Rictrudis cum filia.* *Advent. Amelbergæ.* *Vigiliæ.* *Frumentii.* *De Amando.* *De Euſ. &c.* *Invent.* *Vincentii.*

V *Kal.* *Die* 28.

Simonis & Judæ. NAtalis beatorum Apoſtolorum Simonis Chananei & Thadei, qui & Judas dicitur; è quibus Thadeus apud Meſopotamiam, Simon vero apud Ægyptum traditur prædicaſſe. Inde ſimul Perſidam ingreſſi, cum innumeram gentis ipſius multitudinem Chriſto ſubdidiſſent, martyrium conſummaverunt. Romæ, ſanctæ Cirillæ

Cyrillæ. filiæ

filiæ Decii Cæſaris, quæ ſub Claudio principe pro Chriſto jugulata & necata eſt gladio. Civitate Meldis, ſancti Faronis epiſcopi & confeſſoris. Pariſius, tranſlatio ſanctæ Genovefæ virginis. *Faronis. Tranſlat. Genovefæ*

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp. Max-Lubec.* & *Greven.* Cum *Antverp.* & *Max-Lubec.* conveniunt *Antverp-max. Ultrajectin. Leyden..* & *Lovanien.*

VARIA LECTIO. Symonis ſcribunt aliqui, ſed in hoc nomine uti & *Chananeo* & *Thadeo* potiorem codicum partem ſecutus ſum. Antverp. Max-Lubec. &c. de Thadeo habent, *qui & Judas Jacobi legitur*, ut ferme eſt in Adone. Major in explicanda prædicatione varietas. Antverp-maj. poſt, *Simon vero*, omittit particulam *apud*. Antverp. Max-Lubec. &c. ſic legunt: *Quorum Simon apud Ægyptum, Thadeus apud Meſopotamiam prædicavit.* Omnes paſſim ſcribunt *Cirillæ*, ut in textu eſt. Greven. poſuit *jugulata atque necata eſt.* Herinien. omiſit *& necata.* Antverp-maj. pro *tranſlatione*, habet, *Pariſius, ſanctæ Genovefæ virginis.* De *Perſidam* vel *Perſidem*, *Faronis* vel *Pharonis* &c. nihil opus eſt plura ſubjicere.

OBSERVATIO. Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ* celebritas in Martyrologiis noſtris Latinis (nam quid Græci ſtatuant, toto hoc opere non curavimus) in noſtris, inquam, Martyrologiis hoc die paſſim conjungitur. Sic imprimis apographa Hieronymiana: *Et natalis ſanctorum Apoſtolorum, Symonis Chananei & Judæ Zelotis.* In Indiculo Apoſtolorum plura legenda cenſet Florentinius pag. 160, ubi alios dies colligit, quibus in iiſdem apographis ambo Apoſtoli, ob diverſas forte cauſas, ſimul recoluntur. Subjungit porro binas exercitationes ſatis longas ad explicanda dubia, confuſa & implexa, quæ circa horum Apoſtolorum nomina, agnomina, conſanguinitatem cum aliis, prædicationem, martyrium &c. non pauca nec levia occurrunt, quæque talia ſunt, ut hîc breviter expediri omnino non poſſint. Tu Florentinium ipſum & Baronii Notationes conſule, uti & Tillemontium tomo 1 à pag. 399. Quod iuſtituti hujus noſtri proprium eſt, reliquos Martyrologos atque unà textus noſtri ſcaturiginem indicabimus. Apud Bedam hæc ſtrictim leguntur: *Natale ſanctorum Apoſtolorum, Simonis & Thadei.* Quæ ferme à Rabano deſcripta ſunt. Romanum parvum brevius: *Simonis & Thadei Apoſtolorum.* Ado in Martyrologio: *Natalis ſanctorum Simonis & Judæ.* At in Feſtivitatibus Apoſtolorum rem fuſius proſequitur, unde nimirum Uſuardus totum ſuum elogium contraxit. Inter alia eos ibi Viennenſis redarguit, *qui putant, Simonem Apoſtolum unum de duodecim, ipſum eſſe, qui ſub Trajano crucem paſſus ſit.* Non deſunt tamen, qui hæc & alia etiamnum tueantur. Verum, ut jam dixi, controverſiæ illæ alterius & operoſioris indagationis ſunt, quam ut hîc jejune delibentur. Audiatur poſtremo Wandelberti encomium: *Simonis & Judæ*

præcellit quintus honore,
Quos opulenta Deo Perſis mittente receptos
Fidos martyrio, & ſignis tumulare patronos
Promeruit; fidei cultrix ſi deinde fuiſſet.

Simonis & Judæ.

Habet Romanum parvum ſecundo loco: *Romæ, Cyrillæ filiæ Decii Cæſaris.* Venerabilis Beda ex ſæpe citatis ſancti Laurentii Actis pauca adjecit, quæ à Rabano & Adone tranſumpta ſunt, nullâ uſquam Deciorum facta diſtinctione. Noſter primam partem veroſimiliter ex Adone accepit, quæ martyrium explicat, alteram de ſepultura, à Juſtino presbytero procurata, intactam reliquit. Audi hîc etiam Wandelbertum: *Cyrillæ.*

Cæſare nata micat Decio hîc Cyrilla, beatis
Virgo animis, & cui Decius haud editor eſſet.

Ex his patet invaluiſſe pridem hiſtoriam illam, de qua in Triphonia locuti ſumus XVIII Octobris, quamque alibi diligentius diſcutiemus. De *Farone*, aliàs *Burgundofaro* Meldenſi, nemo præter Uſuardum meminit. Habuit inſignis ille antiſtes è conſanguineis ſuis Sanctum non unum. Porro Acta ſub Hildegarii nomine à Mabilione edita ſunt ſeculo 2 Benedict. à pag. 606; brevius à Surio. Exſtant apud nos plura, & diffuſiora & contractiora, quæ tamen cum editis non omnino conveniunt. Omnium inter ſe collatio materia erit diſquiſitionum, in Actis noſtris ſecuturarum. Vitam à Fulcuino, ut aiunt, carmine ſcriptam necdum vidi. Habe unicum Wandelberti verſiculum: *Faronis.*

Hic etiam Matronæ colitur per littora Pharo.

Ad III Januarii illuſtrem virginem *Genovefam* cum Uſuardo retulimus, proprio ipſius die natali. Ibi Bollandus plures alias in ejus honorem feſtivitates enumerat, inter quas & hæc tranſlatio, à ſancto Eligio, anno DCXXX veroſimiliter facta, recenſetur; ab Uſuardo certiſſime poſita, quidquid à Molano, neſcio ob quem ſcrupulum, inter acceſſiones rejiciatur. Hæc pro re noſtra abunde dicta ſunto: cetera vide apud Bollandum, & ſcriptores ab eo citatos. Nec deſunt recentiores, ex quibus nonnulla fortaſſe notari poterunt in Supplemento Januarii. *De tranſl. Genovefæ.*

AUCTARIA.

TORNACEN. Textum habet totum & purum, excepta annuntiatione tertia de ſancto Farone.

ROSWEYD. Rubricis majuſculis incipit: *Natale beatorum Apoſtolorum Symonis & Judæ.* Deinde pergit: *E quibus Thadeus apud Meſopotamiam, Simon vero* &c Hinc poſt *ſubdidiſſent*, inſerit; *à pontificibus templorum occiſi, martyrium* &c. *De Sim. &c.*

PULSANEN. In prima utcumque purus, caret ceteris omnibus.

MUNERAT. In omnibus ſatis purus, in fine de Genovefa ſuperadjicit: *Cujus corpus honoratur & colitur in cœnobio Apoſtolorum Petri & Pauli, in monte Pariſius.* *De Genov.*

MOLAN. In ceteris purus, omittit, ut dixi, annuntiationem ultimam.

ALBERG. & DANIC. In textu etiam ſatis puri, adjiciunt: *Eodem die* [ALBERG. *natale*] *ſancti Ferrucii martyris.* Vide MOLAN. infra. *Methis civitate, ſancti Terentii epiſcopi & confeſſoris.* *Ferrutii. Terentii.*

CENTULEN. *Natale beatorum Apoſtolorum Symonis Zelotis & Judæ, qui Taddeus dicitur, & Judas Jacobi ſcribitur. Romæ, beatæ Cyrillæ virginis. Quæ fuit filia Decii Cæſaris, quam Claudius imperator decollari juſſit. Meldis, ſancti Pharonis epiſcopi & confeſſoris. Pariſius, tranſlatio gloriosæ virginis Genovefæ, quæ mirabili virtute & ſanctitate claruit.* *Textus contractus.*

HAGENOYEN. Mutatis Kalendis, hodie ſcribit hoc modo: VI Kalend. Novemb. *In Perſide, natale beatorum Apoſtolorum Symonis & Judæ. Iſti duo Apoſtoli aliis nominibus nominantur. Symon vocatur Cananeus vel Zelotes* [in quo recte ſane obſervat] *Judas vero dictus eſt Tatheus* [Thadæus] *& in Eccleſiaſtica hyſtoria ipſe vocatur Lybeus* [*Lebbeus* vel *Lebbæus.*] *Hi duo Apoſtoli fuerunt fratres* [ſaltem unus] *Jacobi minoris & filii Alphei & Mariæ Cleophæ. Quorum primus, id eſt Symon in Ægypto prædicavit & multos ad fidem convertit, miracula plura fecit, eccleſias fundavit, & ſacerdotes ac epiſcopos illic conſtituit. Judas vero beato Thomæ Apoſtolo fuerat aſſociatus, & cum eo tres Reges, qui Domino in cunabulis munera obtulerant, convertit. Abagarum regem à lepra curavit & convertit, & plura ibidem miracula fecit, & eccleſias ibidem ædificavit. Deinde in Meſopotamia & in Ponto prædicans* [prædicavit,] *& gentes illas indomitas & belluinas ſuo dogmate inſtruxit. Demum Judas in Ægyptum venit ad fratrem ſuum Symonem, cum quo perrexit in Perſydem, ubi duos magos & Aroen & Arfaxat confundebant. Xertem regem Babylonis cum ſexaginta milibus virorum, exceptis mulieribus & parvulis baptizaverunt; ubi per annum & tres menſes manſerunt, & eccleſias ædificaverunt, pontifices & ſacerdotes ſtatuerunt & multum populum ab errore converterunt, & poſtmodum in Swanyr civitate tenti ſunt, ubi preceperunt à demonibus exire de ydolis & illa confringere, quod & fecerunt. Tunc pontifices in Apoſtolos irruerunt & ſubito occiderunt.* Habes hîc vulgatorum Actorum compendium. *De Simone & Juda.*

Romæ, beatæ Cyrillæ virginis, filiæ Decii junioris, Cæſaris, quæ cum matre ſua Typhonia, poſt mortem patris ſui, Chriſtiana effecta eſt: & ſub Claudio imperatore pro fide Chriſti decollata eſt. Item, ſancti Fidelis martyris. Item, ſancti Joſeph filii Jacob, tranſlati in Britanniam. In Methis civitate, depoſitio ſancti Terencii epiſcopi & confeſſoris. *De Cyrilla. Fidelis. Joſeph. Terentii.*

AQUICINCT. *Pariſius, tranſlatio ſanctæ Genovefæ.* An in ceteris purus ſit, non liquet.

CODEX URSINI à Roſemberg. *Metis civitate, ſancti Terencii epiſcopi & confeſſoris.* *Terentii.*

AMBIANEN. *Ambianis civitate, depoſitio ſancti Salvii epiſcopi & confeſſoris. Qui Teuderico rege Gallis imperante, ſanctitate & gratia plenus, pontificatum ejuſdem loci obtinuit. Cujus corpus Moſtoriolo vico tranſlatum & digno cum honore decenter eſt adornatum.* Vide Caſtellanum. *Salvii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Simonis & Judæ Apoſtolorum. Cyrillæ, filiæ Decii Cæſaris, virginis & martyris.* De Farone, pridie.

In VATICAN ſub num. 5949. Deeſt Faronis & Genovefæ; ut habetur in extracto.

ALTEMPS. *Monſtroilo monaſterio, ſancti Silvii epiſcopi & confeſſoris.* Vide AMBIANEN.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Sueſſionis, depoſitio ſancti Divitiani epiſcopi & confeſſoris.* *Divitiani.*

EDITIO LUBECO-COL. In prima ſatis pura, in ſecunda adjicit ex Adone; *& ſepulta à Juſtino presbytero, cum matre ſua juxta ſanctum Hypolitum.* In Pharone, pura eſt. *In Phrygia, ſanctorum Tharſi, Policarpi, Gaii, Eminii, Januarii, Terrei, Corminii & Florentii martyrum.* Nomina confuſa ſunt ex Hieronymianis die præcedenti *Eodem die, natale ſancti Ferrucii martyris. Octava beatæ Urſulæ & ſodalium ejus undecim millium Virginum.* In tranſlatione Genovefæ, pura. *De Cyrilla. Tharſi &c. Ferrutii. Oct. Urſul.*

BELIN. In textu non omnino purus, in fine adjicit: *Civitate Cumis, ſancti Fidelis martyris.* Vide Martyrologium Romanum. *Fidelis.*

GREVEN. *Octavæ ſanctarum undecim milium Virginum. Beatus Pharo per ſanctam Pharam ſororem ſuam ad contemptum ſeculi adductus, uxore ſua Blidechilde, ſacro velamine conſecrata, ipſe ex Comite palatino, fratri ſuo beato Walberto, in pontificatu Meldenſis eccleſiæ ſucceſſit. Cum autem tempore quodam ante carcerem tranſiens, vinctorum clamores audiſſet, Exite, inquit, liberi, eo quod pœnitearnini, ſtatimque vincula eorum ſoluta ſunt. Tandem cum* LXVI *annis in multa ſanctitate præfatam eccleſiam rexiſſet, quievit in pace. In Lucania, Quinti, Feliciani, Sancincti.* Vide hæc melius die ſequenti. *Ferrutii martyris. Felicis martyris. Methis, depoſitio ſancti Therentii epiſcopi & confeſſoris. Bodonis confeſſoris. Item beati Chilleni, qui de Scotia à ſancto Pharone in provinciam Atrebatenſem miſſus, ipſam ſana ſua doctrina & miraculorum ſignis Chriſto acquiſivit. Inter quæ, cum præfato Pharone corpus reficiens, vas vitreum caſu confractum oratione redintegravit. Tranſlatio ſanctæ Cuneræ virginis & martyris, ex ſocietate undecim millium Virginum.* Vide quæ dicta ſunt XII Junii. *Oct. Urſul. De Farone. Quinti &c. Ferrutii. Felicis. Terentii. Bodonis. Chilleni. Tranſlat. Cuneræ.*

MOLAN. Poſt *Chananæi* aliis litteris textui inſerit, *qui & Zelotes ſcribitur.* In fine: *Pariſius, tranſlatio ſanctæ Genovefæ* &c. ut habet ſuperius MUNERAT. *Civitate Cumis, ſancti Fidelis martyris. Eodem die, dedicatio baſilicæ ſancti Lamberti martyris. Facta eſt autem hæc dedicatio ſexto anno epiſcopatus Baldrici noſtri epiſcopi, à ſanctiſſimo viro Dei Hereberto Colonienſi archiepiſcopo. Item, ſanctæ Cuneræ virginis, quæ martyrium conſummavit in oppido Reenſi.* De Terentio, ut ſupra. *Eodem die, depoſitio beati Dodonis monachi, diſcipuli ſancti Urſmari epiſcopi.* Editiones aliæ, de Fideli & Cunera, ut prima. *Eodem die, commemoratio ſancti Ferrutii mar-* *Fidelis. Dedicat. Lamberti. Lamberti. Cuneræ. Terentii. Dodonis. Ferrutii.*

martyris, quam Lullus archiepiſcopus Moguntinus, motus celeberrimis miraculis, in Lætantium cœnobium, quod Bleidenſtadt vocant, magno cum honore tranſtulit. Fama, depoſitio beati Dodonis &c. De Terentio, ut ſupra. *Die vigeſima octava, ſanctorum martyrum Terentii & Neonilis, & ſancti patris Stephani, Sabæ & poëtæ.* De Genoveſa hîc habet, ut eſt in puro textu. Demum: *Leodii, dedicatio baſilicæ ſancti Lamberti* &c. ut in priori, excepta voce *noſtri*, quæ hîc excluditur. *Terentii & aliorum.*

IV *Kal.* *Die* 29.

HIeroſolimis, natalis beati Narciſſi epiſcopi, quem ſanctitate, patientia ac fide laudabilem fuiſſe, hiſtoria narrat Eccleſiaſtica. *Narciſſi.* Ipſo die apud Sidonem urbem, beati Zenobii presbiteri, qui ſub noviſſimæ perſecutionis acerbitate martyrio coronatus eſt. *Zenobii.* In Lucania provincia, ſanctorum martyrum Jacincti, Quinti, Felicia- *Jacinctii & ſociorum.* ni & Lucii.

Ex *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Hieroſolimis*, dicta ſufficiant. Ejuſdem ferme generis ſunt *Narciſſi, paciencia, hyſtoria, Sydonem, Synodem, Senobii, Ffeliciani* &c. Roſweyd. verba nonnihil tranſpoſuit, in *Eccleſiaſtica narrat hiſtoria.* Difficultas eſt, quomodo de Zenobio ſcripſerit Uſuardus, qui Adonem certiſſime præ oculis habens, in eo legit: *Qui perſecutione Diocletiani martyrio coronatur*; quam phraſim ex codicibus noſtris ſecuti ſunt Antverp. Max-Lubec. Belin. & recentiores plerique. Contra alii: *Qui ſub noviſſimæ perſecutionis* &c. Dicendum omnino, mutationem ab Uſuardo factam, qualem in textu ſervavimus. Munerat. ante *Zenobii*, omiſit *beati*, & ante *noviſſimæ*, particulam *ſub*. In altera Belini editione eſt *Lucana* pro *Lucania*, in utraque deeſt *provincia*. Solus idem ſcribit *Hiacinthi*, ſed ceteri omnes *Jacincti*, exceptis Herinien. & Munerat. qui *Jacinti*, & Antverp-majore, qui *Jacingti* poſuit. Max-Lubec. hoc nomen præteriit. In Hieronymianis invenies, *Sanecinti* & *Sacinti*. An ex his ſatis commode efformetur *Hiacynthus* vel *Hyacinthus*, non definio; probatiſſimorum codicum lectioni hîc uti & alibi inhæſimus.

OBSERVATIO. *Narciſſus* Hieroſolymitanus, ab aliquibus *Magnus* cognominatus, à Gerundenſi, qui ſanctam Aſram Auguſtanam convertit, diſtinctiſſimus eſt, ab Euſebio variis locis celebratus, ut in Notatione Baronii legere eſt. At ne multa ſparſim requiras, pleraque omnia ab Adone in ejus laudem inde congeſta invenies. Hic vero ex Romano parvo eum accepit, ut in Alexandro factitaſſe notavimus ad XVIII Martii, cum utriuſque memoria in ſacris Faſtis ibi primùm conſignata ſit. Sic igitur in ipſo fonte habes: *Narciſſi Jeroſolymorum epiſcopi, viri ſanctitate & patientia ac fide laudabilis.* Quæ fere textus noſtri verba ſunt ex præfato Adone tranſumpta. Seceſſum ejus ab epiſcopatu in ſolitudinem, propter enormem impiorum hominum calumniam, ejuſdem ſubinde reditum, & Alexandro ſucceſſori divinitus deſignato, ob grandævam CXVI annorum ætatem, factam veroſimiliter ceſſionem, curſim explicat Papebrochius in Chronologia Epiſcoporum Hieroſolymitanorum ante tomum 3 Maii; at vitæ totius ſeriem paulo accuratius ex Euſebio & aliis deducit Tillemontius tomo 3 à pag. 177. Videri etiam poteſt Motherii ad hunc diem Notula. *Narciſſi.* *Zenobius* in hiſtoria Euſebii lib. 8 cap. 13 *presbyter apud Sidonem*, & *medicorum omnium præſtantiſſimus* cum Tyrannione Tyriorum epiſcopo Antiochiam ductus, & hoc, *in profundum mare demerſo, cruciatibus forti animo immortuus* dicitur. Inde ipſum aut ex Rufino tranſtulit auctor Romani parvi, his verbis: *Sidonæ, Zenobii presbyteri & martyris.* Hinc in Adonem, ex hoc in Noſtrum tranſiit, ſub ea phraſis diverſitate, quam in Variantibus notavimus. Quod autem in Romano moderno additur, *alios*, nempe, *ad martyrium exhortatum* fuiſſe, id certe ex Euſebio à nobis citato educi non potuit. Sumpta fortaſſe eſt præfata adhortatio ex Adonis textu, de quo egimus XX Februarii ubi & Tyrannionem & Zenobium male cum martyribus Tyriis confuſos oſtendimus. Ex antiquioribus Martyrologis nec de Narciſſo, nec de Zenobio quiſquam meminit, excepto Wandelberto, qui poſtremo ita cecinit: *Zenobii.*

Presbyter hinc retinens quartum Zenobius ornat.

Ultima claſſis, Adoniana non eſt, ſed ex Hieronymianis & à Rabano & ab Uſuardo plane tranſumpta, non ſervata tamen omnino nominum conformitate; quod mirari nemo *Jacinctii & ſociorum.*

nemo debet, cum in codicibus illis ipſis diverſitas ſit, de qua in Variantibus locuti ſumus. Porro *Lucaniæ* provinciæ, non *Lucanæ* aut *Lucenſi urbi* adſcribendos Martyres, meriro fatetur Florentinius, quidquid alii ſomnient. Cetera huc ſpectantia apud ipſum legere poteris, atque inter alia, ſanctum Gregorium Papam, dum de Hiacyntho aliquo meminit, non hunc, ſed alium indicare, qui in Sabinis celebris ſit, colaturque IX Septembris, quo die de eo & ſociis cum Uſuardo dictum eſt. Errat autem laudatus Florentinius, dum aſſerit, Uſuardum *Julii* ſcripſiſſe pro *Lucii*. Ultimo loco in Adone refertur: *Depoſitio ſancti ac beatiſſimi Theodarii, abbatis* &c. ſed eum in genuino Uſuardo non invenies, utpote qui hunc & plures alios Viennenſes Sanctos & hîc & alibi prætermiſit. In auctario Molani reliquam annuntiationem Adonianam dabimus, ex qua colliges, tranſlationem potius hoc die, quam depoſitionem ab Adone recoli, licet in codicibus noſtris aliis, paſſim natalis memorari videatur.

AUCTARIA.

PULSANEN. In prima & tertia annuntiatione ſatis purus, caret ſecunda de Zenobio.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECTIN. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERGEN. & DANIC. *De Narciſſo.* De Narciſſo, textui ex Adone ſuperaddunt: *Qui cum vidiſſet in vigilia Paſchæ oleum luminaribus deeſſe, juſſit miniſtris aquam ferre, & omnibus videntibus aqua benedicta in oleum converſa eſt.* De Zenobio ſcribunt cum aliis, *ſub Diocletiani perſecutione* &c.

CENTULEN. *Natale ſancti Narciſſi Jeroſolymorum epiſcopi, viri ſanctitate & patientia ac fide laudabilis. Apud Sidonem urbem, ſancti Zenobii presbiteri & martyris.* *Textus mutilus.*

HAGENOYEN. De Narciſſo cum ANTVERP-MAX. ferme convenit, adjungens præterea: *Et naturam elementorum in eodem facto mutavit.* In Zenobio, ſatis purus eſt. Tum ex die præcedenti: *In civitate Meldis, ſancti Faronis epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, ſancti Ferrucii martyris. Pariſius, tranſlatio ſanctæ Genovefæ virginis. Quæ tranſlatio facta eſt die præcedenti, ſed hic recolitur. In provincia, civitate Lucania, ſanctorum martyrum* &c. *Item in Gundahyzaviæ* [an forte vult dicere, *in Auguſta Suevia*] *ſancti Narciſci epiſcopi & martyris, qui convertit ſanctam Afram.* Videantur Acta XVIII Martii. *Faronis. Ferrutii. Tranſlat. Genovefæ. Narciſſi.*

AQUICINCT. Subdit in fine: *In territorio Viennenſi, natalis ſancti Teuderii confeſſoris.* Ado legit *Theodarii*; alii codices aliter. *Teuderii.*

VICTORIN. & REGINÆ SUEC. ſign. num. 130: *In pago Viennenſi, ſancti Theuderici confeſſoris.* In codice REG. SUEC., eſt *Teuderii.* *Theuderici.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Narciſſi epiſcopi & confeſſoris. Ermelindis virginis, quæ pro caſtitate patriam reliquit.* Vide Caſtellanum. *Ermelindis.*

VATICAN. ſign. num. 5949 adjicit: *Capuæ, natale ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris, cujus animam in ſphæra ignea ab angelis ferri in cælum beatus pater Benedictus vidit.* Vide die ſequenti. *Germani.*

ALTEMPS. *In pago Vionenſi, ſancti Cauderii confeſſoris.* Ex ſcriptoris oſcitantia, & poſitio & Sanctus ipſe duplicari videntur, cum procul dubio ſit idem *Theuderius*, vel *Theodarius.* *Theuderii.*

LUGDUNEN. *In territorio Viennenſi, ſancti Theuderii confeſſoris.* *Ejuſdem.*

BURDEGALEN. *Sancti Terentii epiſcopi & confeſſoris.* Vide die præcedenti. *Terentii.*

LUXOVIEN. *In Gallia, civitate Vienna, depoſitio ſancti, ac beatiſſimi Theodorii abbatis.* *Theodarii.*

EDITIO LUBECO-COL. In textu ſimilis eſt ANTVERP-MAX. &c. Tum: *Apud Auguſtam Suevia, natale ſancti Narciſci epiſcopi & martyris. Hic illi civitati à Deo miſſus, & ibidem beatam Afram cum ſuis puellis convertit.* Hic forte ponitur occaſione Narciſſi Jeroſolymitani, cum quo à Petro in Catalogo & ab aliis perperam confuſus eſt. Jam diximus de eo actum eſſe XVIII Martii. *Narciſſi Auguſtan.*

In Gallia Methis civitate, ſancti Therentii epiſcopi & confeſſoris, ammirandæ bonitatis viri, decimi ſeptimi ejuſdem urbis pontificis. Vide die præcedenti. *Terentii.*

Vienna civitate in Gallia, depoſitio ſancti Theodori [pro *Theodarii*] *abbatis. Eodem die, adventus capitum ſanctorum duorum Ewaldorum presbyterorum & martyrum.* *Theuderii. Advent. Ewaldor.*

GREVEN. *Apud Auguſtam Retiæ civitatem, natalis beati Narciſſi epiſcopi & martyris. Qui tempore Diocletiani, prædatæ civitati à Deo miſſus, beatâ Aphrâ cum ſuis puellis converſâ, totam provinciam Chriſti Evangelio complevit, ipſeque poſtmodum illuſtre martyrium duxit.* Vide quæ nuperrime notavimus. *De Narciſſ. Auguſtan.*

Quinti martyris. Item Sociorum. Apud Xanctis, tranſlatio ſancti Victoris, ducis ex legione Thebeorum. Apiani epiſcopi & confeſſoris. Honorati epiſcopi & confeſſoris. Abdiæ epiſcopi & confeſſoris, qui à ſanctis Apoſtolis Symone & Juda ad fidem converſus, eorumdem paſſionem Hebraice conſcripſit ac in pace quievit. Vienna, depoſitio beatiſſimi Theodarii abbatis. In Monaſterio, adventus capitum ſanctorum duorum Ewaldorum, presbyterorum & martyrum. Aquilinæ virginis & martyris. Ermelindis virginis. Eldetrudis virginis. Kenneriæ virginis. *Quinti. Sociorum. De Victore. Apiani. Honorati. Abdiæ. Theodarii. De Ewaldis. Aquilinæ. Ermelindis. Eldetrudis. Kenneriæ.*

MOLAN. *Villa Meldricis, ſanctæ Ermelindis virginis. Eodem die, ſancti Apiani epiſcopi & confeſſoris. Item, ſancti Honorati epiſcopi & confeſſoris. Et in caſtro, quod Lenſis appellatur, ſancti Vulgani epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die, ſanctæ Rictrudis. Eodem die, tranſlatio ſecunda beati Vincentii confeſſoris. In Gallia, Vienna civitate, ſancti Theodarii epiſcopi & confeſſoris; & tranſlatio ipſius in loco, qui dicitur vallis Rubiana. Dodonis confeſſoris, cujus corpus quieſcit apud monaſterium in Fama.* De quo iterum die præcedenti. Deinde minoribus typis: *Ermelindis. Apiani. Honorati. Vulgani. Rictrudis. Tranſlat 2. Vincent. C. Theodarii. Dodonis.*

In civitate Patavienſi, triumphus ſancti epiſcopi Maximiliani martyris & Valentini confeſſoris. Editiones aliæ de Ermelinde & Vulgano idem habent. De Theodario ponitur ſola depoſitio, omiſſa tranſlatione, & rectius ſcribitur *abbatis*, non *epiſcopi*. *Maximil. & Valent.*

Die vigeſima nona, ſancti patris Abramii. In cœnobio Sonegiacas, eodem die, tranſlatio ſecunda beati Vincentii confeſſoris. Vide quæ de ipſo diximus XIV Julii. *Abramii.*

Rurſus minoribus typis, ſed alio nonnihil modo: *In civitate Patavienſi, triumphus ſanctorum epiſcoporum, Maximiliani martyris, & Valentini confeſſ.*

III *Kal.*

III *Kal.* *Die* 30.

APud Africam, natalis ſanctorum martyrum, numero ducentorum viginti. Civitate Tingitina, paſſio ſancti Marcelli centurionis, qui capitis abſciſione martyrium conſummavit ſub Agricolano, agente vices præfectorum prætorio. Antiochiæ, ſancti Serapionis epiſcopi, eruditione clariſſimi. *Martyrum* 220. *Marcelli.* *Serapionis.*

Soli omnino puri inveniuntur *Herinien. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *abſciſione* & hujusmodi variationibus non loquor, duæ ſunt notabiliores, in quibus à fonte differt rivus, ab Adone Uſuardus, cum nempe primarii quique & probatiſſimi codices ſcribant *Tingitina* & *Agricolano*, pro *Tingitana* & *Agricolao*, ut diſerte alter legerat. Ex purorum ab omni parte codicum numero excluſi ſunt multi, & imprimis Pratenſis, in quo in fine adjungitut: *Ipſo die, ſancti Germani, Capuani epiſcopi:* atque ad marginem, quod in apographo noſtro ſubductum eſt: *Item, ſancti Lucani martyris*: quæ in codice B textus partem faciunt. Ducem ſequuntur ſoliti codices Antverp-maj. Roſweyd. & Aquicinct. ſed alia & auctiori phraſi, ut de additamento non dubites.

OBSERVATIO. *Anonymorum phalangem ducentorum viginti ſacrorum militum omnia Latinorum fere Martyrologia hoc die venerantur*, inquit Florentinius. At omnia illa Martyrologia reducuntur ad Hieronymiana aliqua apographa; item Romanum parvum, his verbis: *In Africa, martyrum* CCXX. Hinc ad Adonem, deinde ad Noſtrum, qui ſolitum ductorem deſcripſit. Apud antiquos alios hi Martyres noti non ſunt; ſolus Wandelbertus, neſcio quo veroſimili fundamento, centurioni Marcello, tamquam eorum antefignano, pugilum turmam ſubjunxit, his verſibus: *Martyrum* 220.

Terno Marcellus, Chriſti galeatus amore,
Centuriam cælo dignam geminamque ſacravit,
Martyribus bis centum & bis denis comitatus.

Hæc plane gratis à Wandelberto connexa, evidenter oſtendunt ſincera & genuina ſancti *Marcelli* Tingitani martyris Acta à Surio hodie, à Baronio ad annum CCXCVIII in principio, & recentius inter Selecta à Theodorico Ruinartio edita & notis illuſtrata à pag. 311, Gallicè vero deducta à Tillemontio tomo 4 à pag. 575. Multa de illuſtri hoc Martyre tradunt ſcriptores Hiſpani, quo autem jure eum ſibi ut popularem vindicent, aut quo filios duodecim itidem martyres eidem tribuant, ſuo loco diſputabitur; quemadmodum & de aliis, à Baronio hîc obiter notatis. Primus inter Martyrologos *Marcellum* ſic memorat Romani parvi auctor: *Tingitana, Marcelli centurionis & martyris.* Mirum eſt, tam jejunum encomium ab Adone concinnari, cum tamen Acta ipſa non ignoraſſe videatur; aptiſſimum certe putavit Uſuardus, quod in textum ſuum integrum transferret, iis dumtaxat mutatis, quæ in Variantibus obſervata ſunt. Porro qui ab Adone *Agricolaus*, à Noſtro *Agricolanus*, ab aliis *Auriculanus* appellatur. De *Caſſiano*, glorioſi hujus martyris occaſione, ad fidem Chriſti converſo & ſubinde pari laurea coronato, cujus Acta primus in lucem protulit laudatus Ruinartius, atque Marcellianis attexuit, agetur die III Decembris. *Serapionem* Antiochenum nullus in Faſtos Chriſtianos retulit ante Adonem, cujus verba Uſuardus modice contraxit. Vita, geſta & ſcripta ex variis antiquorum, potiſſimum Euſebii locis colligenda ſunt, ut jam non incurioſe præſtitit Tillemontius tomo 3 à pag. 168. Videndus etiam Hieronymus de Script. Eccl. cap. 41 & ibi Auberti Miræi ſcholia, quibus præluxit Baronius, tum in Notatione hîc, tum in Annalibus, præſertim ad annum CXCI. *Felicianus*, neſcio quis, cum ſociis, & *Germanus Capuanus*, Moſandri & Roſweydi judicio, Adoni abjudicantur. Utrum poſtremus Uſuardinus ſit, ſupra abunde declaravimus. Eſt in Rabano ſolus *Pontianus* Papa, de quo Florus pridie meminit. Vide XX Novembris. *Marcelli.* *Serapionis.*

AUCTARIA.

PRATEN. De eo & altero item Pratenſi codice ſignato B, dixi in Variantibus.

TORNACEN. In fine textus puri: *Eodem die, ſancti Lucani martyris.* *Lucani.*

ANTVERP-MAJ. In textu cum ceteris purus, ſic ſubjungit: *Ipſo die, ſancti Germani Capuani epiſcopi, cujus animam pater Benedictus vidit*, & tum eraſis aliquibus, infra lineam ponitur, *in cælum deferri.* Plures de eodem agunt, hac vel nonnihil diverſa phraſi. *Germani.*

ROSWEYD. Paulo ampliori phraſi, ita adjicit: *Ipſo die, ſancti Germani Capuani epiſcopi, De eodem, cujus*

cujus animam pater Benedictus vidit ab angelis in cælum deferri.

PULSANEN. Incipit : *Natalis beati Germani Capuani episcopi.* Tum in prima & ultima purus, omittit secundam. *De eodem.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Puri in textu, adjiciunt: *Tolosa, sancti Saturnini.* Aliis est *translatio*; & recte, nam in Usuardo ponitur natalis XXIX Novembris. *Saturnini.*

MUNERAT. In fine: *Eodem die, festivitas sancti Lucani martyris.* *Lucani.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. In textu etiam puri, addunt: *Eodem die, sancti Germani Capuani episcopi, cujus animam pater Benedictus vidit in cælum deferri.* Ferme ut supra. *Germani.*

CENTULEN. *Apud Capuam, sancti Germani, cujus animam vidit sanctus pater Benedictus in sphera ignea ab angelis in cælum deferri. In Lucania provincia, sanctorum Jacincti, Quinti, Feliciani & Lucii martyrum.* Ex die præcedenti. *Eodem die, sancti Lucani martyris. Civitate Thingitana, sancti Marcelli centurionis, qui decollatus est pro Christo.* *Germani.* *Jacincti &c.* *Lucani.*

HAGENOYEN. *Apud Africam, natale sanctorum martyrum Rogaciani presbyteri & Felicissimæ,* [pro *Felicissimi,*] *qui sub persecutione Decii & Valeriani imperatorum, illustri sunt martyrio coronati. De quibus etiam scribit beatus Cyprianus in epistola ad confessores.* Multa sæpe turbat hîc codex in ordine Kalendarum; Sanctos, ut alibi etiam diximus, pro mero suo libitu variis diebus consignans, quos alibi sic notatos nusquam reperit. De his Martyribus vide supra XXVI Octobris. Sequitur: *Item Theodegarii confessoris.* Crederes esse *Theodarii*, de quo die proxime præcedenti; sed postea ponit: *In Vienna, Theodori abbatis?* Tres textus annuntiationes satis puras refert. Tum: *Apud Ratisponam civitatem Bauriæ, depositio sancti Wilffangi episcopi & confessoris. Eodem die, sancti Germani Capuani episcopi, viri per omnia laudabilis, cujus animam sanctus Benedictus abbas, pater nigrorum monachorum, ab angelis vidit in cælum deferri, ut dicit beatus Gregorius in secundo Dialogorum libro.* Adde cap. 35. *Rogatiani & Feliciss.* *Theodegarii.* *Theodori.* Utrumque pro *Theuder.* *Wolfgangi.* *Germani.*

AQUICINCT. Post textum, subdit: *Ipso die, sancti Germani Capuani episcopi, cujus animam pater Benedictus vidit in cælum ferri. Eodem die, sancti Gervasii martyris.* Alii *translationem* signant. Et recte, cum verus natalis dies sit XIX Junii. *Germani.* *Gervasii.*

VICTORIN. & REG. SUEC. sign. num. 130. In fine: *Tolosa, sancti Saturnini. Capuæ, sancti Germani episcopi. Et Maximi martyris.* *Saturnini.* *Germani* *Maximi.*

DAVERONEN. *Tolosa, sancti Saturnini martyris.* Vide supra ANTVERP. &c.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Germani Capuani episcopi. Serapionis episcopi & confessoris. Jeronis martyris in Egmonda.* Vide XVII Augusti in Auctariis. Tum: *Sanctorum martyrum ducentorum viginti.* *Germani.* *Geronis.*

BIGOTIAN. sign. P. 5. *Tolosa, sancti Saturnini martyris.* De quo jam sæpius. *Saturnini.*

CLUNIACEN. *Eodem die, sancti Gervasii martyris.* Vide codicem AQUICINCT. *Gervasii.*

REG. SUEC. sub num. 428. *Eodem die, festivitas sancti Lucani martyris. Civitate Capua, sancti Germani episcopi & confessoris* &c. Ut jam sæpe ex aliis codicibus retulimus. *Lucani. Germani.*

CODEX D. DU CHEVAL. signatus C. *Tholosa, sancti Saturnini martyris. Eodem die, sancti Geneſii martyris.* *Saturnini.* *Geneſii.*

ALTEMPS. *Ipso die, ordinatio sanctissimi antistitis atque patroni nostri Swithini.* Vide 11 Julii. Hinc recte, ni fallor, colligitur, codicem hunc Usuardinum in Anglia auctum, fuisse ecclesiæ Wintonienſis. *De Swithin.*

FLORENTIN. *Tolosæ, natale sancti Saturnini, viri virtute clarissimi.* *Saturnini.*

CAUDIACEN. *Translatio sancti Gervasii martyris.* Melius quam ceteri supra. *Transl. Gerv*

REMENS. SS. Tim. Apoll. *Tolosa civitate, translatio corporis sancti Saturnini episcopi & mart.* *Translat. Saturnini.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Octava depositionis sanctissimi patris Severini archiepiscopi & confessoris.* Sequitur textus satis purus. Tum: *Eodem die, sancti Germani Capuani episcopi & confessoris; hujus animam sanctus pater Benedictus vidit in cælum deferri. Hic scilicet Paschasium, archidiaconum Romanæ Ecclesiæ, hostia salutari de purgatorio liberavit. Item ipso die, sancti Theonesti episcopi & martyris. Troia civitate, quæ Xanctis dicitur, translatio sancti Victoris martyris.* Is est haud dubie Victor, de cujus natali cum sociis decem & septem supra egimus x Octob. *De Severin.* *Germani.* *Thonesti.* *Translat. Victoris.*

BELIN. In fine: *Tolosæ, sancti Saturnini. Eodem die, Germani episcopi Capuani, magnæ sanctitatis viri.* *Saturnini.* *Germani.*

GREVEN. *Nichomediæ, sanctorum Kalendionis, Marcialis, Theophili, Januarii, Petri & Marci.* Vide Hieronymiana. *Item Feliciani & socioram ejus martyrum. Eusebii martyris. Ipso die, commemoratio sancti Theonesti episcopi & martyris ac sociorum ejus. Jeronis martyris. Luciani martyris. Translatio beati Saturnini episcopi Tholosani & martyris. Germani Capuani episcopi & confessoris, cujus animam sanctus pater Benedictus in cælum deferri conspexit. Hic Paschasium, Romanæ Ecclesiæ archidiaconum, salutari hostia de purgatorio liberavit. Talaricani episcopi. In Dacia, Theotgaris confessoris. Apud Terracinam Campaniæ civitatem, sancti Leoncii consularis & confessoris. De quo in gestis beati Cæsarii legitur, quod in ejus confessione credens, sanctum martyrem nudum clamide sua operuerit. Baptizatus deinde, cum divinam communionem accepisset, emisit spiritum. Item, beatæ memoriæ Dorotheæ de Prussia, inclusæ.* *Kalendionis & sociorum.* *Felician. &c* *Eusebii.* *Theonesti.* *Translat. Saturnini. Germani.* *Talaricani.* *Theotgaris.* *Leoncii.* *Dorotheæ.*

MOLAN. Post *clarissimi*, addit minoribus typis: *Cujus Eusebius meminit historiæ Ecclesiasticæ lib. 5 cap. 19, 22 & lib. 6 cap. 1.* Tum Italicis: *Apud Calarim, Sardiniæ provinciæ oppidum, natale beati Saturnini martyris, qui sub persecutione Diocletiani gladio est truncatus. Eodem die, sancti Germani episcopi Capuani, magnæ sanctitatis viri. Eodem die, festivitas sancti Lucani martyris. Translatio sancti Victoris, patroni nostri,* rursus typis minoribus, *in civitate quæ Xanctis dicitur. Apud Terracinam Campaniæ* &c. ut GREVEN. Editiones aliæ: *Parisiis, festivitas sancti Lucani martyris.* De Saturnino Calaritano & Germano Capuano similes sunt priori. Tum: *Apud Altinum, natalis Theonesti martyris & pontificis, qui Moguntiæ, fidei rectæ prædicationem exorsus est, & Albanum ab Arianis trucidatum vidit. In Dania, sancti Theodgari confessoris, qui verbum vitæ prædicando, Horas, Missas, ceteraque officia devote celebrando, pro Olavo rege terreno, cælesti regi serviebat. Die trigesima, sanctorum martyrum Zenobii & Zenobiæ. Xanthis, translatio S. Victoris.* *Saturnini Germani Maximi.* *Germani.* *Lucani.* *Translat. Victoris.* *Leoncii.* *Theonesti.* *Theodgari.* *Zenobii & Zenobiæ.*

Pridie

Pridie Kal. *Die* 31.

VIgilia omnium Sanctorum. Romæ, natalis beati Nemesii diaconi, & Lucillæ filiæ ejus, qui cum à fide Christi flecti nequaquam possent, jubente Valeriano & Galieno, decollati sunt sub octavo Kalendarum Septembrium die. Hîc tamen venerabilior habetur solemnitas ipsorum, quando à beato Sixto corpora eorum via Appia honestius sunt tumulata. In Galliis oppido Virmandensi, sancti Quintini, qui sub Maximiano imperatore martyrium passus est, cuius corpus post annos quinquaginta quinque, revelante angelo, inventum est. *Vig.OO.SS. Nemesii & Lucillæ.* *Quintini.*

Ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp. Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan*

VARIA LECTIO. De *Sollempnitas*, *Syxto*, & similibus, alibi satis dictum est. Munerat. pro *natalis*, ponit *nativitas*: item *diaconi & martyris*. Belin. pro *Lucillæ*, substituit *Lucinæ*. Legendum est ut habet textus, *qui cum à fide Christi flecti nequaquam possent*, sed in Munerato corrupte impressum, *qui cum fide Christi flectit* &c, in Antverp majore mutatum verbum, *qui cum à fide Christi separari non possent*. Idem scribit *sub Augustarum Kalend.* VIII *die*. Greven. & Molan. pro *Hîc tamen*, habent, *Hîc autem*: pejus Belin. *Horum tamen venerabilior habetur solemnitas ipsorum*. Omnes passim legunt, *Virmandensi* cum Adone: Antverp. & Max-Lubec. *Viromandensi*, Belin. *Viromadensi*. Herinien. Tornacen. Antverp. Max-Lubec. & Belin. non male, mea quidem sententia, scribunt: *Hujus corpus* &c. prætuli tamen aliorum lectionem. Belin. pro *revelante angelo*, habet *revelante Domino*.

OBSERVATIO. *Vigilia omnium Sanctorum* vere & pure Usuardina est, neque enim Adoni tribuendam censent aut Mosander aut Rosweydus. Hîc merito dubitare quis possit, ut superius etiam monui, an Usuardus *Vigiliam sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ*, diligentissime ab Adone positam, prætermiserit, hanc vero, nusquam apud antiquiores repertam, hodie textui suo præfixerit. Nihilominus sic rem habere codices nostri, & XXVII & hoc die satis manifeste ostendunt. Non semel alibi, & præsertim II Augusti observavimus Acta sancti Stephani Papæ & martyris uberem fodinam esse, ex qua Sancti varii & variis diebus notati extrahantur. Ex eorum numero sunt, qui hodie recoluntur, *Nemesius* diaconus, & filia ejus *Lucilla*, de quibus in sacris Tabulis agere primum cœpit auctor Romani parvi, cujus hæc hodie unica est annuntiatio: *Nemesii diaconi, & Lucillæ filiæ ejus*, VIII *Kalend. Septembrium passi* (ita habetur) *sed pridie Kalend. Novembrium à Sixto Papa sepulti*. Hæc ex præcitatis sancti Stephani Actis desumpta sunt, quorum diffusius compendium contexuit Ado, Noster vero inde sua omnia, solitæ brevitati aptata deprompsit. Videsis laudata Acta apud Baronium in Annalibus ad annum CCLIX à num. 8, qua vero parte hos Martyres spectant, à num 22, & apud Surium II Augusti. Nec authentica illa esse, nec omnino incorrupta censent recentiores passim: ego certe non video, cur Tillemontius, dum de Stephano Papa loquitur tomo 4 à pag. 28, non video, inquam, cur Nemesium hunc nostrum, & Lucillam filiam à sancto Pontifice baptizatos, præ ceteris silentio involvendos putaverit. Longiori meditatione res ea digna est, quamque proinde in majori opere ad II Augusti copiosius discutiemus. Celeberrimus martyr *Quintinus* signatur in Hieronymianis Epternacensi & Corbeiensi, *Augustæ Viromandorum*; qua autem ratione codicis Florentiniani descriptor inde *Quirinum in Italia* apte efformare potuerit, haud equidem divinare queo. Beda & ex eo Rabanus, positionem distincte non exprimunt; ipsam notat Ado, reliqua Bedæ verba, sua faciens, Usuardo de utriusque spoliis gaudente. Nescio cur Rabanus pro annis LV, post quos inventum corpus dicitur, solum posuerit LII. Qui encomium longius voluerit, adeat Florum ex Actis multa contrahentem. Sed fontem potius consulat apud Surium hoc die, quem licet recentiores critici, non omnino limpidum & fœcium expertem existiment, negare saltem non audent, multam spirare antiquitatem, atque ad puritatem primigeniam proxime accedere. Inter hos Tillemontius ipsorum, nempe Actorum, medullam satis nitide expressit tomo 4 à pag. 433, apud quem enumerantur scriptores alii à nobis suo tempore diligentius expendendi. Hoc metrico elogio *Quintinum* prosequitur Wandelbertus: *Vig.OO.SS* *Nemesii & Lucillæ.* *Quintini.*

Quintinum pridie celebrant sua festa beatum,
Qui insigni & vario ob Christum certamine victor
Octimbrem clauso componit in orbe ruentem.

AUCTA-

AUCTARIA.

TORNACEN. Caret elogio Nemesii & Lucillæ, cetera omnino purus.

ROSWEYD. In fine subdit: *Eodem die, sancti Foilani martyris.* Alii passim scribunt *Foillani.* Castellanus mavult *Fullani*, Gall. *Foignan*, cujus reliquias ait Peronæ honorari. *Item sancti Wolfgangi, confessoris.*

Foillani.

Wolfgangi.

PULSAN. In secunda annuntiatione totum elogium etiam omisit. In Quintino mutilus est, desunt enim quæ in textu ponuntur post, *passus est.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Textui satis puro in fine addunt: *Fossis, natale sancti Foillani martyris. Qui de Hibernia veniens, germanum suum Ulcanum, qui Fossonem* [alii *Fossensem*] *regebat ecclesiam, visitaturus, in saltu qui carbonarias nuncupatur, martyrisatus est.*

De Foillano.

LOVANIEN. Idem habet de Foillano, sed totum Nemesii & Lucillæ elogium expunxit.

ALBERGEN. & DANIC. Similes sunt ANTVERP-MAX. &c. nisi quod inter Quintinum & Foillanum inserunt: *Apud Ratisponam, sancti Wolfgangi* [DANIC. *Wolfgandi*] *episcopi & confess.*

Wolfgangi.

CENTULEN. Recentiori manu in margine apponitur: *Vigilia omnium Sanctorum.* In textu: *Romæ, beati Nemesii dyaconi & filiæ ejus Lucillæ virginis. Quos sanctus Pontifex Stephanus baptizavit. In Galliis oppido Vermandensi, passio sancti Quintini, viri genere, fide & martyrio gloriosi. In territorio Leodiensi, S. Foillani monachi & mart.*

Textus contractus.

Foillani.

BRUXELLEN. Post lacunam, de qua supra diximus, adhuc hodie imperfectus est: puto tamen, textum satis integrum fuisse. Subjicio quod ei superadditur: *In Macedonia, natale sanctorum Vitalis, Petri, Crescentii & Alterni. Et natale sancti Eusebii martyris, cujus passio habetur. Apud Ratisponam, sancti Wolfgangi episcopi & confessoris. Item, sanctæ Rictrudis virginis.* De hac in Auctariis XXIX Octobris.

Vitalis & sociorum. Eusebii. Wolfgangi. Rictrudis.

HAGENOYEN. De Vigilia, nihil habet. In Nemesio & Lucilla, satis purus est. De Foillano fere idem refert quod supra ANTVERP-MAX. &c. De Quintino paulo prolixior, in hunc modum: *In Galliis civitate Viromandensi, sancti Quintini martyris passio, qui sub Maximiano imperatore* [coronatus est.] *Hic Quintinus civis Romanus erat & nobilis genere: in urbe Abianensi* [pro *Ambianensi*] *prædicavit, & miracula plura fecit. Unde jussu Maximiani dire cæditur & carceri mancipatur; per angelum autem solvitur & iterum prædicat, & iterum capitur & eculeo usque ad ruptionem nervorum torquetur, & nervis crudis verberatur: oleum, picem & adipem ferventem tolleravit, & præsidem derisit. Propter quod calcem, accetum & synapem in os ejus projecit. Et ad Viromandensem civitatem ducitur martyr Dei captivus, ubi duos clavos a capite usque ad crura, & decem inter ungulas carnem ejus dividentes, percussit, & tandem decollatus est.*

Plura de Quintino.

AQUICINCT. Post *inventum est*, ex Adone subdit; VIII *Kalend. Julii.*

CODEX URSINI à Rosemberg. *Apud Ratisponam, sancti Volfangi episcopi & confessoris.* Nomen recte efformandum, ut supra *Wolfgangi.*

Wolfgangi.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Vigilia. Quinctini & Foilani martyrum.* Inepta conjunctio; sed de solo primo pergit: *Qui Quinctinus post multa tormenta tandem decollatus, post* LV *annos incorruptus corpore & redolens inventus est.*

ALTEMPS. *Monasterio Glascoviensi, sancti Benigni confessoris. Qui in optima conversatione fideliter migravit ad Dominum.*

Benigni.

EDITIO LUBECO-COL. In Vigilia & Nemesio satis pura, de Quintino, sic habet: *In Galliis opido Viromandensi, sancti Quintini martyris. Qui sub Maximiano imperatore, agente Rictiovaro præside, post diversa supplicia decollatus est & corpus in fluvium Somene submersum. Quod tamen post annos quinquaginta quinque, revelante angelo, inventum est & sepultum octavo Kalendas Julii. Fossis, natale sancti Foillani martyris. Qui de Hibernia* &c. ut supra in ANTVERP-MAX. & aliis. Sequitur: *Colonia Agrippina, depositio beatæ Noitburg virginis. Quæ nunc in monte sancti Beati, juxta Confluentiam, per translationem requiescit. Apud Ratisponam civitatem, sancti Wolfgangi, ejusdem civitatis episcopi & confessoris, multorum miraculorum clarissimi.*

De Quintino.

Foillani.

Noitburg.

Wolfgangi.

GREVEN. *Foilani episcopi & martyris. In Macedonia, Vitalis, Petri, Crescentii, Alterni.* Vide Hieronymiana. *Eusebii martyris, cujus gesta habentur. Et passio sancti Philippi. Romani presbyteri. Vincentii diaconi. Apud Ratisponam, sancti Wolfgangi episcopi & confessoris. Qui Suevorum claro sanguine ortus, Treveris Clericus ordinatus, pompis mundi relictis, monachi habitum induit. Post hoc à sancto Udalrico Augustensi, presbyter factus, annuente Ottone secundo, Ratisponensi ecclesiæ undecimus episcopus præfectus, vitâ, doctrina & miraculis inclytus, quievit anno Domini* DCCCCXCIV. *Apud Coloniam Agrippinam, depositio beatæ Noitburgæ virginis. Quæ claro Francorum sanguine progenita, tempore Pipini sanctitate emicuit. Ad cujus merita commendanda visa sunt duo luminaria cælitus missa ejus funeri astare. Quiescit autem nunc in monte sancti Beati, in monasterio Carthusiensis Ordinis prope Confluentiam. Beghæ virginis.* Vide Castellanum.

Foillani. Vitalis & Eusebii. Philippi. Romani. Vincentii. Wolfgangi. DeNoitbur. Beghæ.

MOLAN. *Fossis, natalis sancti Foillani episcopi, qui de Hybernia veniens germanum suum, qui Fossensem regebat ecclesiam, visitaturus, in saltu qui Carbonarias nuncupatur, martyrizatus est. Cujus vita virtutibus gloriosis & miraculis copiosissimis illustratur. Eodem die, sancti Wolfgangi episcopi & confessoris apud Ratisponam. Item, sancti Eusebii martyris.* Deinde minoribus typis, *cujus gesta habentur. Apud Coloniam Agrippinam, depositio beatæ Noitburgæ virginis, quæ claro Francorum* &c. ex GREVENO. Editiones aliæ priori non omnino conformes, sic habent: *Fossis, natalis sancti Foillani episcopi: qui de Hibernia venit ad Ultanum germanum suum, qui Fossensem regebat ecclesiam; et in saltu, qui rustica lingua Carbonarias nuncupatur, martyrizatus est. Cujus vita virtutibus* &c. ut supra. *Apud Ratisponam, sancti Vuolfgangi episcopi & confessoris. Colonia, sanctæ Noitburgis virginis, quæ translata quiescit prope Confluentiam, in monte sancti Beati. Item, sancti Eusebii martyris. Die trigesima prima, sanctorum Apostolorum, Stachys, Amplii & sociorum. Et sancti martyris Epimachi.* Hunc puto esse socium Alexandri de quo agemus XII Decembris. Acta ejus apud Surium à Metaphraste exornata sunt.

Foillani. Wolfgangi. Eusebii. Noitburg. Stachys & sociorum. Epimachi.

MENSIS

MENSIS NOVEMBER

Habet Dies xxx.

Kalendis. *Die* 1.

EStivitas beatæ Dei Genitricis, & omnium martyrum, quam Bonifacius Papa celebrem & generalem instituit agi omnibus annis in urbe Roma. Sed & Gregorius Pontifex postmodum decrevit, eamdem in honore omnium Sanctorum solemniter observari perpetuò ab omni Ecclesia. Apud castrum Divionem, sancti Benigni presbiteri, qui missus à beato Policarpo ad prædicandum in Galliam, postquam est à Terentio comite gravissimis tormentis multipliciter afflictus, tandem collum ejus vecte ferreo tundi, & corpus lancea forari jubetur. In Campania civitate Terracina, sanctorum Cæsarii diaconi & Juliani presbiteri: qui Cæsarius tempore Claudii, diebus multis in custodia est maceratus, & postea cum eodem Juliano in saccum missus, sicque in mare præcipitatus. Civitate Parisius, depositio beati Marcelli confessoris, qui ut dignus monstraretur futurus antistes, ejus meritis nunc aqua in vinum, nunc vero mutatur in balsamum. Item sancti Severini monachi, de Tiburtina civitate. Et natale sanctæ Mariæ virginis, quæ diris verberibus afflicta, equulei extensione, & ungularum laceratione vexata, martyrium consummavit. Item civitate Bajocas, sancti Vigoris episcopi. In pago Vuastinensi, sancti Maturini confessoris.

Omnium Sanctorũ. *Benigni.* *Cæsarii & Juliani.* *Marcelli.* *Severini.* *Vigoris.* *Maturini.*

Ita habent *Munerati prima editio*, *Grevenus* & *Molanus*. Multi alii codices proxime accedunt, ut infra patebit.

VARIA LECTIO. Munerat. plerumque mendis abundat. Hîc in principio addit *Virginis Mariæ*. Greven. pro *gravissimis tormentis*, habet *gravissime*. In tribus citatis est *perforari*, ex aliis tamen post Bedam & Adonem servavi *forari*. Molan. semper corrigit *Parisis* pro *Parisius*. Reliqui Munerati errores sunt, quod pro *à Terentio*, legat *ea*; pro *custodia*, habeat *custodi*. Marcello addit titulum *episcopi*. Tum, *monachi de Bithinia*. Item, *Mariæ virginis & martyris*. Demum *Vuastensi*, pro *Vuastinensi*.

Optimos noſtros codices è purorum numero excludere coacti ſumus; Pratenſem imprimis, quia ex ejus textu eraſa eſt, quæ hîc ſexto loco ponitur *Maria Neocorenſis*, relicto ſpatio vacuo: ut teſtatur Clar. Caſtellanus, qui & obſervavit, rejectam eam eſſe ad XXI Novembris, alteri inductioni illic inſcripta. Sequuntur Pratenſem ſoliti ſocii Antverp-maj. & Roſweyd. qui ambo præfata annuntiatione etiam carent. Imo in Antverp-maj. deeſt præterea *Severinus monachus*. Hoc quoque peculiare habent præfati codices, quod annuntiationis primæ membrum ſecundum ſic incipiant: *Tercius vero Gregorius*, ubi reliqui omnes indeterminate legunt: *Sed & Gregorius*; codices vero mediæ notæ melius deſignant *Gregorium quartum*. In Herimenli, cetera puriſſimo, mutatum eſt Marcelli elogium, ut infra patebit.

De Praten. & aliis.

Omnium Sanctorum.

OBSERVATIO. In antiquioribus Kalendariis aut Hieronymiano Martyrologio quærenda non eſt annuntiatio noſtra prima de feſtivitate B. M. V. & omnium Sanctorum, de cujus prima inchoatione, ſeu Panthei in eccleſiam Chriſtianam mutatione, cum Romano parvo agere cœpimus XIII Maii. Hîc ex eodem Martyrologio ſumenda ſunt hodiernæ ſolennitatis paulo expreſſiora lineamenta: *Feſtivitas Sanctorum, quæ celebris & generalis agitur Romæ.* Non dicit, *generalem* agi totâ Eccleſiâ, ſed dumtaxat *Romæ*; oſtenditque adeo Martyrologii iſtius auctor, ſe illa tum ſcribere, cum prædictum feſtum inſtitutum in ipſâ Urbe à Gregorio III, qui ſedit ab anno DCCXXXI ultra DCCXL, feſtivius ageretur: unde Romani illius parvi epocham in præfationis cap. 2 deduximus. De eodem feſto videndæ ſunt Baronii Notationes XIII Maii & I Novembris, ſed maxime Frontonis ad Kalendarium obſervationes à pag. 142. Beda noſter hodie legit: *Feſtivitas omnium Sanctorum* primo loco, ſed cum hæc longe aliter, & alio ordine à Rabano poſita ſint, dubium reddunt; utrum ea verba à Beda vel Floro vere ſignata fuerint. Clarior eſt Adonis narratio, a Noſtro contracta, non expreſſa determinatione Gregorii III, quæ in Pratenſi & ſociis codicibus male ponitur; nam extenſio feſtivitatis ad univerſam Eccleſiam, non à Gregorio III, ſed a Gregorio IV, ſeculo integro poſteriori, procurata cenſetur; ut proinde recte in Variantibus dixerimus, nomen *Gregorii IV* codicibus mediæ notæ melius inſertum fuiſſe, etſi non Uſuardinè.

Benigni.

De *Benigno* Divionenſi, vel ut alii vocant, *primo Burgundiæ Apoſtolo*, agunt Hieronymiana apud Florentinium, Beda, ex hoc Rabanus & Ado, eodem omnes elogio, quod poſtremus nonnihil contraxit, atque in multo pauciora reduxit Uſuardus. De Benigno tacet Romanum parvum, & ubi in Adone quinque exſtant commemorationes, tres dumtaxat in altero inveniuntur, ut vel ex eo capite conjicias Romani parvi auctorem, egregium Adonis compendiatorem eſſe. Agit de Benigno Greg. Turon. de gloria Martyrum cap. 51. Quid de Actis vulgatis, & poſtea à nobis vulgandis, ſenſerit Henſchenius, habes I Maii in Andeolo pag. 35. Vide etiam ſupra, illo die Obſervationem noſtram. Eſt in Hieronymianis plurium martyrum & virginum Terracinenſium turma,

Ceſarii & Juliani.

de qua diſputat Florentinius: reliqua omnia Martyrologia ſolos *Ceſarium* & *Julianum* ſignant, ut Rabanus ex Beda, & in ſerie noſtra Romanum parvum, Ado, Uſuardus. Conveniunt elogia deſumpta ex iiſdem ipſis Actis, quæ ex Baronio corrigenda notavit Ferrarius apud Florentinium; non deſunt qui pluſculum exigi poſſe exiſtimant. De ſolo Cæſario ſeorſim meminere Kalendaria Allatii & Frontonis, atque item Sacramentarium Menardi. Utrum vero Cæſarius hic geminandus ſit, aut ſaltem ab eo, quem Baronius poſuit, diſtinguendus, illius erit diſquirere, cujus erit Acta noſtra Mss. examinare.

Marcelli.

Sequitur in textu *Marcellus*, hoc die ab Uſuardo primùm relatus; ab Uſuardo, inquam, ita volentibus codicibus noſtris, nam apud antiquiores aut ſynchronos Martyrologos notus non eſt. Cur in altera Munerati editione & ab aliis referatur III Novembris, hîc non diſcutio, uti nec eam quæſtionem, quæ circa Fortunatum auctorem vitæ aut miraculorum ſancti Marcelli verſatur, in qua *hærere* hactenus *malo* cum Gerardo du Bois, hiſtoriæ eccl. Pariſien. parte I, pag. 46, *quam conjecturas haud certas prodere.* Vita ipſa qualiſcumque ex hoc ſcriptore & aliis, ſed potiſſimum ex Mss. noſtris ſuo tempore

Severini.

diligenter illuſtrabitur. *Severinus monachus* ex Romano parvo vel ex Beda ab Adone acceptus, iiſdem prope verbis ab Uſuardo tranſlatus eſt. Quid ſint monumenta eccleſiæ ejus à Baronio citata, necdum ſcio, ſiquid de eo exſtet, proprio loco dabitur.

Maria.

Maria Neocorenſis à Pratenſi & ſociis codicibus hîc excluſa & aliò tranſlata, ex aliis certo Uſuardina eſt, ex ſolito Viennenſi fonte deducta, cum elogio Adonianis verbis concepto, ſumptoque ex antiquis Actis, quæ apud Vincentium, Mombritium alioſque manca & mutila, à Baluzio recentius integre edita ſunt, tomo 2 Miſcel. à pag. 115, & obſervationibus nonnullis illuſtrata à pag. 491. Nos de iis plura alibi. Videtur eadem ipſa Maria in Hieronymianis ſignata, ut colligit Florentinius; in loco martyrii, ni

Vigoris.

fallor, hallucinatus. *Vigor Bajocenſis* & *Maturinus* pure quoque Uſuardini ſunt, niſi erraverit Roſweydus, dum illum in Adonis appendicem rejecit. Prioris iſtius vita, apud

Surium

Surium eſt conferenda cum Mss. noſtris, iiſque quæ refert Cointius, ad annum DXXX pag. 365. *Maturini* non una apud nos exſtat, tunc etiam illuſtranda. Quos ex tot Sanctis, uno hîc die conſignatis omiſerit, quantum metrice cecinerit Wandelbertus, ex ſequentibus verſiculis intelliges. *Maturini.*

Cæſarius prima deſignat fronte Novembrem,
Eximio cujus lætatur Roma triumpho.
Menſis & hic reliquos ſtellato vertice vincens
Uno omnes Sanctos celebrans conjungit honore,
Regia quos cæli pariter retinetque fovetque.

AUCTARIA.

PRATEN. Caret, ut jam diximus, tota annuntiatione Mariæ, in quo ſimiles habet ſolitos ſocios ANTVERP-MAJ. & ROSWEYD. quorum primus in Severino etiam deficit, alter minutis pluribus nævis non vacat.

HERINIEN. Toto textu integerrimus eſſet, niſi Marcello aliud aptaſſet elogium: *Cujus vitam illuſtrem virtutibus ac miraculis Fortunatus epiſcopus egregiè deſcribit.*

TORNACEN. In prima purus, in ſecunda deeſt elogium: caret tertia, quinta, ſexta & ſeptima. In Marcello convenit cum HERINIEN.

PULSANEN. In prima utcumque purus, ſic pergit: *In Campania civitate Terracina, ſanctorum martyrum Cæſarii diaconi & Juliani presbyteri.* Deſunt reliqua omnia.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Toto textu puri ſunt, ſed in fine adjiciunt: *Pictavis civitate, ſancti Hilarii confeſſoris.* *Hilarii.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERG. & DANIC. Puris adſcribi merentur; ſed in textu mutata ſunt aliqua, ut *Gregorius quartus*, & annuntiationis finis tranſpoſitus; item annuntiatio tertia, ſecundæ præmiſſa, & nonnulla alia non ſatis exacta.

LOVANIEN. Cum prioribus omnino convenit ſed elogium ſancti Benigni deſideratur.

CENTULEN. *Feſtivitas omnium Sanctorum. In Burgondia caſtro Divion. paſſio ſancti Benigni presbyteri & martyris. Apud Terracinam, ſancti Cæſarii diaconi & martyris. Civitate Bajocas, depoſitio ſancti Vigoris epiſcopi & confeſſoris, cujus* *De Vigore.* *corpus divino nutu tranſlatum in Pontivum & in eccleſia ſancti Richarii, multo eſt amore & honore celebratum. Ipſo die, paſſio ſanctæ Mariæ virginis, quæ cum eſſet ancilla, nec flecti poſſet ut manducaret ydolatica, multis afflictionibus martyrium conſummavit. Pariſius, depoſitio ſancti Marcelli epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Severini monachi, de Tiburtina civitate. In pago Vaſtinenſi, ſancti Maturini confeſſoris.*

BRUXELLEN. In prima nonnihil interpolatus, ſecundo loco agit de Cæſario & Juliano, *De Cæſ. &c.* ubi poſt *maceratus*, inſerit ex Adone: *Eo quod cum perveniſſet ad templum Apollinis, ad orationem ejus cecidit ipſum templum, & occidit pontificem nomine Freminum* [Firminum] *& poſtea* *De Benigno.* *cum eodem Juliano* &c. De Benigno etiam aliquid adjicit, nempe: *Qui cum Andochio compresbytero & Tyrſo diacono miſſus eſt* &c. Reliqua omnia diſtulit ad diem ſequentem.

HAGENOYEN. *Feſtivitas ſancta Dei genitricis* *De feſto Om. SS.* *& omnium Sanctorum, quam inſtituit beatus Bonifacius Papa quartus, a beato Gregorio magno, concedente ei Foca imperatore Pantheon, id eſt templum omnium dæmoniorum. Quam ſollempnitatem ille tantum ſtatuit in urbe Roma & non alibi fieri: & nondum tunc temporis fiebant feſta Confeſſorum; ſed Gregorius quartus poſtmodum eam decrevit fieri per totum orbem, in honore omnium Sanctorum, in capite Kalendarum Novembrium, mutans illam diem, quæ erat feſtiva* IIII *Idus Maii. Statuta autem hæc feſtivitas eſt quatuor de cauſis; primo propter omiſſorum completionem; ſecundo, propter negligentiarum expiationem; tertio, propter faciliorem orationum noſtrarum impetrationem; quarto propter cujuſdam templi conſecrationem.* Hæc ſufficiant; nam quæ deinde de Benigno, Cæſario & Juliano commiſcet, minus deſcribi merentur. In fine ita habet: *In civitate Pariſius, depoſitio ſancti Severini monachi, qui erat ortus de civitate Tyburtina.* Cetera omnia prætermiſſa ſunt.

AMBIANEN. *Cœnobio Centula, ſancti Vigoris epiſcopi & confeſſ.* Vide ſupra in codice CENTULEN.

AQUICINCT. In fine: *Ipſo die, ſancti Laweni abbatis. Arvernis, ſancti Auſtremonii epiſcopi.* *Lauteni.* *Auſtremon.*

VICTORIN. & REG. SUEC. ſignatus num. 130. Adjiciunt: *Civitate Arvernis, ſancti Auſtremonii epiſcopi & martyris.* Vide notulam Caſtellani. *Item in eodem pago, ſancti Flori epiſcopi &* *Auſtremon.* *confeſſoris, qui unus ex* LXX *Chriſti diſcipulis fuit.* *Flori.*

DAVERONEN. *Civitate Bajocarum, ſancti Vigoris epiſcopi & confeſſoris. Pictavis, ſancti Hilarii epiſcopi & confeſſoris.* *Hilarii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Omnium Sanctorum. Cæſarii martyris. Juliani presbyteri & martyris. Mariæ virginis & martyris. Marcelli Pariſienſis epiſcopi. Vigoris epiſcopi, qui parvulum ſuſcitavit.*

DIVIONEN. S. Benigni. Poſt elogium in textu relatum, addit: *Cujus beati martyris ſolemnitas,* *De Benigno.* *licet ipſa die cum ceteris celebretur, tamen pro devotione martyrii & veneratione corporis, quod in præſenti continetur monaſterio, ſequenti reiteratur die, maxima & præclara feſtivitate.*

CLUNIACEN. *Pictavis, ſancti Hilarii epiſcopi* *Hilarii.* *& confeſſoris. Ipſo die, ſancti Lauteni confeſſoris.* *Lauteni.* De quo etiam CODEX D. DU CHEVAL. ſignat. C.

CODEX D. LE MARE ſignatus A. *Auguſtoduno,* *ſancti Pigmenii epiſcopi & confeſſoris.* Ponitur à *Pigmenii.* Caſtellano die præcedenti.

VATICAN. Sub num. 5949. Deficit in Marcello, Severino, Vigore & Maturino.

ALTEMPS. *Pictavis civitate, ſancti Hilarii* *Hilarii.* *confeſſoris. Arvernis, natale B. Auſtremonii mar-* *Auſtremon.* *tyris, primi paſtoris civitatis ipſius. Ipſo die, ſan-* *Lauteni.* *cti Lautheni abbatis.*

FLORENTIN. De Hilario, ut ſupra. Tum: *civitate Regii, tranſlatio corporis beati Venerii* *Tranſl.* *confeſſoris, de partibus Lucenſium ad Regium pre-* *Venerii.* *dictum.* Vide XIII Septembris.

LUXOVIEN. *Apud Median. cœnobium, ſancti* *Spinuli.* *Spinuli confeſſoris, qui præcipuus diſcipulorum ſancti Hidulphi, poſt anachoriticam vitam, quam laudabiliter conſummavit, clarus mundo miraculis,*

ad Dominum migravit. Vide Caſtellanum 1 Aug.

EDITIO LUBECO-COL. In prima annuntiatione nonnihil, in duabus aliis multum ex Adone interpolata eſt. In Marcello recte. De Severino, ſolum ſuperaddit, *confeſſoris.* Ad, *Maturini*, in fine ſubjicit: *Qui poſt miraculorum inſignia, inter quæ filiam Maximiani à dæmonio liberavit, lætus Domino ſpiritum ſuum reddidit.* In Maria præfigit palæſtram ſed non recte: *Apud Neothorenſem civitatem.* Item conditionem: *Ancillæ cujuſdam divitis.* Demum & tempus: *Sub Adriano & Anthonino imperatoribus.* Sequitur de Vigore. In fine adjicitur: *In territorio Nivernenſi, ſancti Patricii martyris.*

Antior textus.

Patricii.

BELIN. In prima ferme convenit cum textu: Secunda & tertia parum abeſt. Deficit in elogio Marcelli. De Severino, Maria, Vigore, Maturino, ſatis bene. Sed quid ſibi vult hæc in fine repetitio? *Eadem die, ſancti Cæſarii martyris?* Et rurſus: *Item Severini monachi, de Tyburtina civitate?* Cum hæc prius ſignata fuerint. In altera editione, omiſſa repetitio Severini, ſed adjectum: *Pictavis, ſancti Hilarii confeſſoris. Arvernis, S. Auſtremonii, primi Arvernorum epiſcopi & martyris.*

Hilarii. Auſtremon.

GREVEN. *In territorio Nivernenſi, ſancti Patricii martyris. In Africa, ſanctorum Popliani, Victoris, Hermetis, Juſti, Vitalis & Papiæ. Item paſſio ſancti Agricolæ. Amancii epiſcopi. Apud Tarſum Ciliciæ, ſanctæ Euſtochiæ virginis & martyris; quæ cum ſacrificare renueret, juſſu Juliani imperatoris, nervis bubalinis caditur, capreolarum cornibus exungulatur; capiti, extractis capillis, clavi infiguntur: deinde data ſententia, ut membratim conciſa in ſartagine torreretur, orans ad Dominum emiſit ſpiritum.*

Patricii. Poplian. & c Agricolæ. Amancii. Euſtochiæ.

MOLAN. Haud dubie ex BELIN. textui ſubdit: *Eodem die, ſancti Cæſarii martyris. Pictavis, ſancti Hilarii confeſſoris. Arvernis, ſancti Auſtremonii, primi Avernorum epiſcopi & martyris.* Tum: *In Blandinio, depoſitio ſanctiſſimi patris noſtri Florberti, primi abbatis cœnobii Blandinienſis.* Dein minoribus typis: *In Hiſpaniis, ſancti Ermengaudi epiſcopi Urgellenſis.* Editiones aliæ, de Marcello textui litteris Italicis inſerunt: *Cujus corpus requieſcit in alma eccleſia beatæ Mariæ Virginis. Hujus vitam illuſtrem* &c. De Maria ex Adone ſupplet. In fine: *Cujus corpus honoratur & colitur in territorio Senonenſis diœceſis.* Reliqua nihil novi afferunt, ſolum tranſponunt annuntiationes de Florberto, Auſtremonio, Hilario, Cæſario & Ermengaudo.

Cæſarii. Hilarii. Auſtremon. Florberti. Ermengaud. De Marcell. De Maria. De Maturin.

IV *Non.* *Die* 2.

Victorini. NAtalis beati Victorini Pitabionenſis epiſcopi, qui poſt multa documenta, ut ſanctus Hieronimus teſtatur, perſecutione Diocletiani martyrio coronatus eſt. Romæ, temporibus Adriani imperatoris, paſſio beatorum Euſtachii, cognomento Placidi, & uxoris ejus Theoſpis, cum filiis Agapio & Theoſpite, quorum miti actus leguntur. Horum feſtivitas, cum in Kalendis habeatur, hîc tamen plenius recolitur. Apud Laodiciam, ſancti Theodoti epiſcopi, qui non ſolum verbis, ſed & rebus & virtutibus extitit ornatus. Eodem die, ſancti Ambroſii abbatis monaſterii Agaunenſis, qui magnis vitæ atque ſanctitatis virtutibus clarus, beato fine in Domino quievit.

Euſtachii & ſocior.

Theodoti.

Ambroſii.

Puriores ſunt *Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Lego *Pitabionenſis* cum pleriſque vetuſtioribus codicibus, inter quos aliqui habent *Pythabionenſis* vel *Pictavionenſis*, nullus *Pictavienſis*, quæ poſitio in ſolos recentiores irrepſit, ſollicite notata à Molano & aliis, haud dubie ex ſancto Hieronymo de Script. cap. 74. Sunt qui præferant *Petavionenſis.* Utcumque ſcripſeris, non eſt veroſimile, *Pictavium* Galliæ hîc indicari, ſed *Pœtabium* vel *Pœtavium* antiquæ Pannoniæ, ſeu Norici, hodie in Styria, vulgo *Pettau*, olim cathedralis, nunc Saliſburgenſis diœceſis. *Euſtachii* legunt omnes, non *Euſtathii*, quamvis ſic forte appellandus ſit. Antiquiores codices efferunt *Placidæ*, à *Placidas*, nos cum majori numero, ut eſt in textu, in quo & *Theoſpite* ſervavimus cum Mss.; Greveno, Molano aliiſque, ſcribentibus *Theoſpito.* Roſweyd. ab omnibus differt, inſerendo Euſtachii elogio, *primo magiſtri militum.* In Greven. per errorem eſt *Theodoci.* Sic in Antverp. & Max. Lubec. *coronatus* pro *ornatus.* In paucis invenitur *Acaunenſis*, receptior eſt noſtra formatio, *Agaunenſis.* Certum eſt Adonem ſcribere *requievit*, ut eſt in nonnullis codicibus, ſed majori numero cedendum putavimus.

Victorini. OBSERVATIO. Inter priſcos Eccleſiæ Scriptores, non infimum locum tenet *Victorinus*, abunde laudatus à ſancto Hieronymo, loco ſupra citato; ubi Miræi animadverſiones conſulere poſſunt, qui de ſcriptis judicia quærunt, qualia ſuggerunt Bibliographi hodie paſſim noti. De ſede epiſcopali, nihil hîc dicendum ſupereſt; plura alibi cum Launoyo, cui recentiores paſſim ſubſcribunt, diſputari poterunt. Alia require in

in Notationibus Baronii, & apud Tillemontium tomo 5 à pag. 311, ubi de ſcriptis agitur plurimum, cum de Victorini rebus geſtis, aut ejus martyrii Actis vix quidquam reperiatur. Nihil hoc die ex Hieronymianis aut ex Beda acceptum. Annuntiatio tota Adoniana eſt, ſolâ ferme Hieronymi citatione ab Uſuardo aucta. Wandelbertus ipſum etiam memorat, cum Benigno & Juliano, quos ob nimiam die præcedenti Sanctorum copiam, huc tranſtuliſſe videtur. Sic Victorinum primo loco canit:

Quartis Victorine ſacer martyrque bearis.

Secundum locum in Uſuardinis codicibus conſtanter hoc die occupat celebratiſſimus *Euſtachius*, aliis *Euſtathius*, cum uxore & duobus filiis, tametſi modo, forte ex Græcis, xx Septembris referri ſoleat, ut eſt in Kalendario Allatii; Frontoniano xi Septembris perperam notante. Et quidem à noſtris i Novembris paſſi dicuntur, ſaltem apud majorem codicum numerum. Euſtachius Adoni recte, niſi multum fallor, abjudicatur; certe quæ à Roſweydo in appendicem rejecta ſunt, cum Uſuardinis non ſatis conſonant, nec magis cum iis, quæ in noſtra Bedæ editione Floro tribuuntur. Eſt igitur propria Uſuardi annuntiatio, ſic ſtudioſe poſita, ut nihil contineat reprehenſione dignum. *Miros* eſſe Euſtachii & ſociorum *Actus* recte teſtatur, utrum tam veri ſint, ſive qui à Metaphraſte, ſive à Combefiſio, ſive ab aliis editi (in re enim omnes conveniunt) intelliges ex Baronio ad annum cxx num. 4. Eruditi recentiores eos plane rejiciunt, nec dignos cenſuit Tillemontius ex quibus hiſtoriam ſuam componeret. Vide ipſum tomo 2 pag. 226 & à pag. 585. Non ignoro quanta Kircherus ad tuenda ea Acta molitus ſit, exſtant hîc etiamnum litteræ ejus de eo argumento ad Majores noſtros datæ; attamen, licet à Nicephoro & Damaſceno citentur, nemo, opinor, contra Baronium facile evicerit, non multa prædictis Actis, ut minimum *ſuperaddita fuiſſe*, quibus, ſi fieri poteſt, expurgandis, ſuo loco operam dabimus. Vide interim quæ de vetuſto Euſtachii cultu in Notatione obſervat laudatus Baronius, quem mirum eſſet *Euſtochium* virginem Tarſenſem, cujus aliqua Acta habemus, hoc die ex Petri Catalogo, pro Euſtachio ſuppoſuiſſe, ut vult Caſtellani notula. Non puto ad alium, quam ad Euſtachium noſtrum referri poſſe, quæ xix Septembris in hunc modum cecinit Wandelbertus: *Euſtachii & ſociorum*

Virtutis ſpecimen, patiendi & forma decuſque
Martyrii Euſtathius terno denoque triumphat.

Qui ſequitur *Theodotus, Laodicenus* epiſcopus, unicus eſt, quem hoc die ſignavit auctor Romani parvi: *Laodiceæ, Theodoti epiſcopi, qui arte medicus fuit.* Dubium non eſt, quin hîc iterum auctor ille Rufinum ſuum conſuluerit lib. 7 cap. 29, unde acceptum quoque eſt longius Adonis elogium En lapidem offenſionis, quem primus projecit Theodoti amicus, Euſebius Cæſarienſis lib. 7 cap. 32 edit. Valeſianæ; noſtri inde deſumpſere, ſed illum acrius impetiit Valeſius, ut cap. 2 præfationis noſtræ oſtendimus. Hîc fontem habes, ex quo *Theodotus* ille Hieronymianis, Bedæ, Floro, Wandelberto, Rabano incognitus, in Martyrologiis ſeriei noſtræ locum obtinuit. Eſt penes me epiſtola eruditiſſimi viri Petri Poſſini noſtri, data Romæ xxx Decembris MDCLXXVII, quâ inter alia agens de R.P. Leandro Cong. Oratorii, poſt S. R. E. Cardinale Coloredo, ita ſcribit: *Rogavit obiter, ut vos ſuo nomine conſulerem, circa litem hîc modo ventilatam de Theodoto ep. Laodiceno, quem Ill. Michael Angelus Riccius, & alii viri docti putant, aut valde ſuſpicantur, immerito irrepſiſſe in Martyrologium Romanum, ubi* ii *Novembris perhonorifica ejus exſtat mentio, cum tamen in omni memoria rerum Arianarum, illa pice is infectus appareat, nec idoneum ejus reſipiſcentiæ uſpiam indicium cernatur. Quamobrem Henricus Valeſius in opuſc. de Martyrolog. Rom. ad calcem Annotationum ad Euſebium edito, non dubitat pronunciare, perperam id nomen iſtuc intruſum, & Baronii, quod non expunxerit, diligentiam requirit.* Quid repoſitum fuerit, colligo ex ſuperſtite ſchedula, qua eruditorum Romanorum ſententia confirmatur. Theodoti laudator Euſebius in Uſuardum xxi Junii irrepſerat, ſed in Romano prætermiſſus eſt; idem fortaſſe & Theodoto accidet ſuo tempore. Ego quidem non parum poſt alios laboraſſe me fateor, ut vel tenuia alicunde reſipiſcentiæ ejus veſtigia eruerem, at fructus labori hactenus non reſpondit: video Baronium ad annum cctxxv num. 40, & doctos quoſque paſſim inter *prævaricatores Arianos* Theodotum connumerare, de qua re vide Tillemontium tomo 6 pag. 740 & aliis locis. Ceterum de ortu & propagine cultus ejus, apud Orientales omnes ignoti, ſatis dictum eſt. *Theodoti.*

Ambroſius, prius apud Lugdunum monaſterii Inſulæ Barbaræ Pater, deinde, *monaſterii Agaunenſis abbas*, ab Adone primum ſignatus, cum brevi ſed diſtinctiori elogio, à Noſtro compendioſius notatur. Citat Baronius Petrum in Catalogo & Trithemium; ſed ii ſatis jejune de Ambroſio loquuntur; quam forte ob cauſam à Mabilione inter prætermiſſos refertur. Nec multa ſuggerunt vitæ noſtræ abbatum Agaunenſium manuſcriptæ: forte aliunde pluſculum ſuppeditabitur. Eſt hic, ni fallor, verus & integer Uſuardi textus. *Ambroſii.*

AUCTARIA.

PRATEN. Inter puros locum denuo non habet, quia hîc caret poſtremo ſecundæ annuntiationis membro, nempe: *Horum feſtivitas cum in Kalendis habeatur, hîc tamen plenius recolitur.*

HERINIEN. Eodem plane defectu laborat, quem in aliorum conſenſu, vere defectum appellare neceſſe eſt. Deinde manifeſtam lituram, præter morem, exhibet, cui longioribus lineis inſcriptæ ſunt, præpoſtero ordine, binæ primæ annuntiationes, cum tamen de Euſtachio egerit XX Septembris, ex quo patet correctoris, vel ipſiusmet primi ſcriptoris imperitia; nam character vix quidquam differt.

Benigni. Præterea in fine adjicit: *Eodem die, commemoratio ſancti Benigni martyris.* Haud dubie proprium loci eſt, propter impeditum diem heſternum huc tranſlatum, ut eſt heri in DIVION.

TORNACEN. In prima purus, ſecundo loco refert Ambroſium, tertio Euſtachium, ſed cum defectu, de quo in prioribus codicibus diximus. Theodotum plane expunxit. In fine autem ſuperaddit: *Ipſo die, commemoratio omnium*

Fid. defunct. *fidelium defunctorum.*

PULSANEN. In ſola prima, ſatis purus eſt. Tum de Ambroſio, cujus elogium plane expunxit. Deſunt reliqua.

MUNERAT. Pro *Victorini*, ſcribit *Victoris.* Caret periocha, *horum feſtivitas* &c. In fine: *Ipſo*

Fid. def. *die, commemoratio omnium fidelium defunctorum.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Incipiunt: *Commemoratio omnium fidelium defunctorum.* Sequitur totus textus, ſed nonnihil tranſpoſitus; cui in fine ſubjungitur: *Apud*

Idem. Georgii. *Viennam, ſancti Georgii, ejuſdem urbis egregii epiſcopi.* Eſt in Romano.

LOVANIEN. In omnibus convenit, cum proxime citatis codicibus, ſed in eo ab ipſis differt, quod omittat elogium Theodoti.

ALBERG. & DANIC. Carent Euſtachio, de quo egerunt XX Septembris. De cetero ſimiles ſunt ANTVERP-MAX. &c.

CENTULEN. *Romæ, paſſio ſancti Euſtachii, qui antea Placidus dictus eſt, qui cum uxore Theoſpide, & duobus filiis Agapio & Teopiſto, ſub*

Textus mutilus. *Adriano per ignem paſſus eſt. Apud Laodiciam, ſancti Theodori epiſcopi, viri non ſolum verbis, ſed & rebus & virtutibus adornati. Eodem die, ſancti Ambroſii Agaunenſium abbatis, ſanctitate mirandi.* Deeſt prima annuntiatio.

BRUXELLEN Incipit: *Commemoratio animarum omnium fidelium defunctorum.* In Euſtachio

Fid def. mutilus eſt, & præterito Victorino, de quo die ſequenti, hic eos refert, quos heri omiſerat.

Mariæ Imprimis: *Et natale beatæ Mariæ virginis & martyris, quæ cum eſſet ancilla, & in die natalis filii Domini ſui jejunaret, nec ullo modo flecti potuiſſet, ut cum ydolotis manducaret, diris vulneribus* &c. Sequitur: *Apud Coloniam Agrippinam, ſancti*

Euergiſili. Severini. Georgii. *Euergiſili, tertii ejuſdem urbis archiepiſcopi.* Tum de Severino Tiburtino, ex die heſterna. Deinde, de Theodoto, ſatis pure. De Georgio Viennenſi, cum codicibus ſupra. Rurſus de Marcello, Vigore & Maturino, ut nos die præ-

Marcelli. Vigoris. Maturini. cedenti. Demum: *Apud Montes Hannoniæ, ca-*

De Valdetr *nonizatio* (MOLAN. habet *tranſlatio*) *ſanctæ Vaudetrudis electæ, & neptis beatæ Gudulæ virginis.*

HAGENOYEN. Orditur ab Euſtachio, cujus Actorum ſatis vulgatorum compendium profert, ſed ei deſcribendo inhærere hic nolim. Sequitur de Victorino, ſatis bene. Tum: *Item* *Naamatii.* *ſancti Naamacii epiſcopi & confeſſoris.* De Theodoto, nihil. Ambroſium differt in diem ſequentem. In fine legit: *Eodem die, omnium fi-* *De fidel.* *delium defunctorum commemoratio, quæ ſtatuta* *defunctis.* *eſt propter defunctos illos, quorum memoriam nemo agit; & quia tales, ſubventiones non habeant ſpeciales, habeant in iſto die generales.* Hæc quidem ratio tolerabilis eſt, ſed alia, quæ ſubjungitur, inſtitutionis cauſa de *raptu cuſtodis S. Petri*, deſcribi non meretur.

AQUICINCT. In principio: *Generalis & feſtiva* *Fid. def.* *commemoratio omnium fidelium defunctorum.*

VICTORIN. & REG. SUEC. ſignatus num. *Lauteni.* 130. In fine adjiciunt: *Eodem die, ſancti Lauteni abbatis.* In Caſtellano eſt 1 Novembris.

DAVERONEN. In prima & ſecunda annuntia- *Juſti.* tione purus, ſubdit: *Dolenſis cœnobii, ſancti Juſti monachi & martyris.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Euſtachii cum ſociis mart. Commemoratio animarum. Victo-* *Textus contractus.* *rini epiſcopi & martyris. Theodori epiſcopi & confeſſoris. Ambroſii abbatis monaſterii Agaunenſis.*

VATICAN. ſignatus num. 5949. Deeſt Euſtachii & Ambroſii. Adjicitur: *In Savinis, ſanctorum martyrum Valentini & Hilarii. Beneventi,* *Valent. &c.* *ſancti Marciani epiſcopi & martyris, diſcipuli beati Petri. Et tranſitus Domni Amici ſacerdotis.* *Marciani. Amici.* Vide Martyrologium Caſtellani.

FLORENTIN. *Tergeſte, ſancti Juſti martyris,* *Juſti.* *ſub præſide Monatio.*

EDITIO LUBECO-COL. *Commemoratio omnium* *Fid. def.* *fidelium defunctorum, quam ſanctus Bonifacius Papa* IV *generalem in eccleſiis Dei, omnibus annis inſtituit agi. Romæ, venerabilis memoria ſanctorum Euſtachii, cognomenti Placidi, cum uxore & filiis, martyrum.* Sequitur de Victorino, ſatis pure; item de Theodoto. Tum: *Apud Vien-* *Georgii.* *nam, ſancti Georgii, ejuſdem urbis egregii epi-* *Juſti.* *ſcopi & confeſſoris, Cœnobio Dolenſi, ſancti Juſti* *Tranſlat.* *monachi & martyris. Ipſo die in Monaſterio, tranſ-* *Victorin. &c.* *latio ſanctorum Victorini & Floriani martyrum.* In Ambroſio, ſatis pura eſt.

BELIN. Incipit: *Commemoratio omnium fide-* *Fid. def.* *lium defunctorum.* Secundo loco ſcribit *Theodori*, pro *Theodoti*. In Victorino, ſatis purus, in Euſtachio mutilus eſt. Tum: *Ipſo die paſſio beati*

Juſti. *Juſti martyris, qui apud Trigeſinam* [alia editio minus male habet *Trigeſtinam*] *civitatem coronatus eſt.* Denique Ambroſium habet, ſed reſecto toto ejus elogio.

GREVEN. *Commemoratio omnium fidelium de-* *Fid. def.* *functorum, quam ſanctus Bonifacius* IV *generalem in eccleſiis agi inſtituit. Apud Tergeſtinam civi-*

Juſti. *tatem Hyſtriæ, natalis ſancti Juſti, pretioſi martyris, qui ſub Diocletiano & Maximiano, pro fide Chriſti in carcerem miſſus, indeque eductus, nervis crudis cæſus, ad ultimum alligatis multis plumbi ponderibus, in mare præcipitatus eſt. In Perſide,*

Alcnidini, & ſocior. *ſanctorum Alcnidini, Pigaſii, Anepothiſti; qui ſub rege Sapore vectibus duriſſime cæſi, ignem, lectos ferreos ſuperantes, tandem cum aliis* XXVIII, *qui in eorum confeſſione crediderunt, in ignem miſſi, animas Chriſto reddentes, ab angelis in nubibus aſſumpti*

assumpti sunt. Credidit etiam, in eorum confessione, miles quidam nomine Antoninus, qui tentus atque decollatus est. Cœnobio Dolensi, sancti Justi monachi & martyris. Viennæ, sancti Georgii, ejusdem urbis episcopi & confessoris. Malachiæ episcopi, totius Hiberniæ Primatis & confessoris, cujus vitam à puero virtutibus & signis clarissimam, sanctus Bernardus abbas, mellifluoso dicendi charactere diligenter descripsit. Erat autem natione Hibernus, & primum monachus, deinde episcopus factus, cum pro causis ecclesiasticis Romam secundo tenderet, apud Claram-vallem, sicut optaverat, vita functus, ab eodem sancto abbate sepultus est.

Justi. *Georgii.* *Malachiæ.*

Volgani episcopi & confessoris, fratris sancti Foillani martyris. In Hibernia, Dorani episcopi. Odilonis confessoris. Vitalis. In Monasterio, translatio Victorini & Floriani martyrum. Florberti abbatis Blandinienſis & confessoris.

Volgani. *Dorani.* *Odilonis.* *Vitalis.* *Transl. Vict.* *Florberti.*

MOLAN. Initio litteris Italicis: *Commemoratio* &c. In fine: *Ipso die, passio beati Justi*, &c. ut BELIN Editiones aliæ conveniunt, sed carent Eustachio. Habent de Georgio, ut GREVENUS. Tum: *Die secunda, sanctorum martyrum Acindyni, Pegasii, Aphtonii, Elpidephori & Anempodisti.* GREVEN. heri aliâ notavit nomina. *Montibus Hannoniæ, translatio sanctæ Vualdedrudis.*

Fid. def. *Justi.* *Acind. &c.* *DeWaldetr.*

III *Non.* *Die* 3.

NAtalis sancti Quarti, Apostolorum discipuli. Apud Cæsaream Cappadociæ, sanctorum martyrum Germani, Theophili, Cæsarii & Vitalis, qui sub persecutione Deciana, optime duxerunt martyrium. Cæsarauguſtæ, sanctorum innumerabilium martyrum, qui sub Daciano Hispaniarum præside mirabiliter occubuerunt pro Christo.

Quarti. *Germani & socior.* *Martyrum* *Cæsaraug.*

Ex *Praten. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Hæc una ferme inter codices pro textu citatos discrepantia, quod Antverp. & Max Lubec. tres tantummodo martyres Cappadoces signent, omisso nomine *Cæsarii*. Inter typographicos errores in Max-Lubec. numeretur *Cesarauguſto*. De cetero *Cappadocie, Datiano* &c. etiam alibi recurrunt. In Adone Mosandri binæ aliæ annuntiationes hoc die adjiciuntur de *Domnino* & *Huberto*, quarum Rosweydus, primâ excluſâ, alteram servavit, hoc modo expressam, *Eodem die, depositio sancti Huberti episcopi.* Acceptionis hujus rationem non video: nam cum utraque ab Usuardo absit, facile credidero, neutram Adonianam esse. De solo Huberto, an Usuardinus sit, dubium ingerere possunt Herinienſis, Rosweyd. & mediæ notæ codices; verum cum à pluribus excludatur, atque alii isti in eo commemorando diversa phrasi utantur, hinc plane conficio, ad textum nostrum nequaquam pertinere. Cetera omnia Usuardina esse manifestissimum arbitror.

OBSERVATIO. Diximus alibi non semel, inter peculiares Romani parvi characteres, hunc non postremum computari, quod ex novo Testamento collegerit, tum primorum Diaconorum, tum aliorum multorum nomina, quorum vel in Actibus Apostolicis, vel in Apostoli Pauli epistolis memoria aliqua celebratur. Talis hoc die est *Quartus* ad Romanos cap. 16 *V.* 23, inter familiares, illustriori quodam titulo, ab Apostolo cohonestatus, dum de eo scribit: *Salutat vos.... Quartus frater*: de quo nullus alius antiquior Martyrologus uspiam meminit. Sic itaque à Romani parvi compilatore primum notatus est: *Quarti, discipuli Apostolorum.* Præmitte, *natalis sancti*, & habebis annuntiationem Adonis, ex quo nostra ad verbum descripta est. Nec alio titulo Sanctum nostrum decorandum censemus. Nam Dorothei Synopsis, à Baronio citata, toties alibi à Majoribus nostris convulsa, non est nobis idoneus auctor, ut cum Græcis, apud quos x Novembris colitur, aut ex LXXI Christi discipulis unum, aut Berythensem episcopum fuisse asseramus, quod pluribus alibi erit ostendendum.

Quarti.

Martyres Cappadoces sic ab eodem Romani parvi auctore signantur: *In Cappadocia, martyrum Germani, Theophili, Cæsarii, Vitalis, sub Deciana persecutione.* Paululo longior Adonis phrasis, tota, licet nonnihil transposita, in textum nostrum ab Usuardo translata est. Dubitari potest, an ex Hieronymianis hos Sanctos non acceperit laudatus Romani parvi auctor; certe & ibi leguntur producta à nobis Martyrum nomina, quibus *Egrilius* vel *Egritius* admiscetur, ut saltem de antiquissimo eorum cultu omnimode constet. In Rabano deest *Cæsarius*, quemadmodum & in duobus codicibus supra pro textu citatis, sed substituuntur tres alii, nempe *Domninus*, *Justus* & *Eremitis*, quos cum Cappadocibus male confusos credimus. Ceterum notat hîc Baronius, *Petrum in Catalogo lib.* 10 *cap.* 18, *ex priscis tabulis, eorum Acta paucis describere.* Addere poterat, citari illa tamquam ex Martyrologio sancti Hieronymi desumpta. Verum si attente omnia Equilini antistitis

Germani & socior.

ſtitis verba expendantur, nihil hiſce Sanctis proprium refert, quod ex Uſuardo non acceperit; nam hujus Martyrologium plane eſt, quod Petri ævo Hieronymianum appellari ſolebat, ut cum Molano alibi obſervavimus. Sic quatuor martyres noſtros Cappadoces diſticho uno canit Wandelbertus:

Ternis Germanus, Vitalis, Caſariuſque
Theophiluſque pari collucent lumine feſti.

Jam ſupra ad XXII Januarii, ad XV & XVI Aprilis de *Martyribus Caſarauguſtanis* agendum nobis fuit, ſed de Vincentio potiſſimum, atque de XVIII aliorum determinato numero. Hîc ſolus Uſuardus (nam apud nullos alios antiquos Martyrologos inveniuntur) *innumerabilem* aciem colligit, quam Papebrochius ex Actis, accurate ab ipſo XVI Aprilis illuſtratis, recte deſumptam exiſtimat; niſi Prudentii Hymnum IV præluxiſſe putemus, dum Martyrum Cæſarauguſtanorum multitudinem cum Carthaginenſibus & Romanis componere non dubitat, his verbis: *Vix parens orbis populoſa Pœni, Ipſa vix Roma in ſolio locata, Te decus noſtrum ſuperare in iſto Munere digna eſt. Omnibus portis ſacer immolatus Sanguis* &c. Tu vide hymnum ipſum citata die XVI Aprilis, vel quæ hîc a Baronio in Notatione excerpta ſunt. Curſim Martyres noſtros memorat, Acta hinc inde vellicans, Tillemontius tomo 5 pag. 230, nos, ſiquid commentario Papebrochiano aut Actorum ipſorum elucidationi ſuperaddi poſſit vel debeat, id ſuo loco præſtabimus.

Martyrum Caſaraug.

AUCTARIA.

Huberti. HERINIEN. Toto textu puriſſimus, in fine proprium, ni fallor, adjicit: *Andagino monaſterio, depoſitio ſancti Uceberti epiſcopi & confeſſoris.*

Juvenal. TORNACEN. Hîc etiam puriſſimus, addit: *Ipſo die, ſancti Juvenalis confeſſoris.* Si de Narnienſi agitur, ſpectat ad III. Maii. Magis crederem *Guinailum* indicari, de quo infra.

Pauli. ANTVERP-MAJ. Et hic purus eſt, ſed in fine: *Ipſo die, ſancti Pauli epiſcopi & martyris, diſcipuli Petri Apoſtoli.* Quis hic ſit, neſcio.

Huberti. Pirminii. Valentini. ROSWEYD. Etiam purus, ſic habet: *Item natale ſancti Hugberti epiſcopi & confeſſoris. Item Pirminii epiſcopi. Valentini preſbyteri.*

PULSANEN. In duabus primis ſatis purus, annuntiatione tertia caret.

Guinaili. MUNERAT. Poſt textum, ſequitur: *Caſtro Corboilo, depoſitio beati Guinaili abbatis & monachi, cujus vita & miracula habentur.*

Marcelli. *Eodem die civitate Pariſius, beati Marcelli* &c. ut 1 Novembris, ſed in fine: *Cujus corpus requieſcit in alma eccleſia beatæ Mariæ Virginis.*

Huberti. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN & LOVANIEN. Textui itidem puro, ſubdunt: *Audagino* [ANTVERP-MAX *Augadsno*] *monaſterio, depoſitio ſancti Huberti epiſcopi & confeſſoris.*

Huberti. ALBERG. Textum æque purum refert, cui ſimplicius & Adoniana phraſi ſuperaddit: *Eodem die, ſancti Huberti epiſcopi & confeſſoris.*

Huberti. DANIC. Textui item puro ſubjungit: *Caſtro Viterbienſi, ſanctorum Valentini presbyteri & Hilarii diaconi, qui ſub Maximiano diu laniati, in Tiberim merſi, ſed ab angelo erepti, capitis abciſione martyrium compleverunt.* Vide Romanum.

Valentini & Hilarii. CENTULEN. In prima purus, in ſecunda mutilus eſt, ſola referens nomina: deeſt tertia, cui ſubſtituitur: *In pago Vilcaſſino, ſancti Clari preſbyteri & martyris.* Vide Uſuardum ipſum die ſequenti.

Clari. BRUXELLEN. Incipit. *Apud Leodium, elevatio ſancti Huberti epiſcopi & confeſſoris, facta anno XVI poſt ejus deceſſum. Et corpus ipſius integrum, quodque ceſaries creverit, corona illæſa manente, & quod vultus ſudore perfuſus ſit, clare inventum eſt. Et huic elevationi Karolomannus Auſtraſiorum princeps, frater Pippini, poſtea Francorum regis, interfuit.* Sequitur de Quarto, pure. Tum de Victorino Pitabionenſi, ex die heſterna Martyribus Cappadocibus interſerit nomen *Victori.* Deinde textum craſtinum ſic anticipat: *Apud Bononienſem civitatem, natale ſanctorum martyrum Agricolæ & Vitalis, quorum poſterior prioris ſervus antea fuit, nunc conſors & collega martyrii. In quos miniſtri omnium tormentorum genera exercuerunt, & tandem beatum Agricolam cruci affigentes, interemerunt. Caſtro Viterbienſium, natale ſanctorum Valentini presbyteri & Hilarii diaconi, qui ſub Maximiano diu laniati ſunt.* Sequuntur Martyres Cæſarauguſtani, ſatis pure. Denique de Ambroſio Agaunenſi ex die præcedenti.

Elevat. Huberti. *Agricolæ & Vitalis.* *Valentini & Hilarii.*

HAGENOYEN. Incipit: *Civitate Pariſius, depoſitio ſancti Marcelli epiſcopi & confeſſoris, qui ut dignus* &c. ex 1 Novembris, adjecto etiam altero elogio: *Cujus vitam illuſtrem & virtutibus plenam ac miraculis, Fortunatus* &c. Sequitur de Maria, ex eodem die. De Quarto, nihil. De Cappadocibus, ſatis pure. Cæſarauguſtani ad diem ſequentem dilati ſunt. Tum de Ambroſio Agaunenſi, ex die heſterna. Dein: *Ipſo die, ſancti Pirminii epiſcopi & confeſſoris, totius ſanctitatis viri. Item in Anglia, Wenenfridæ virginis, ſanctiſſimæ religionis. Item, ſancti Hugberti epiſcopi & confeſſoris.*

Marcelli. *Mariæ.* *Ambroſii.* *Pirminii.* *Wenenfridæ* *Huberti.*

AQUICINCT. Caret nomine *Cæſarii.* In fine: *Depoſitio Parmenii epiſcopi.* Rabanus ſcribit *Permenii*, ſed legendum cum aliis *Pirminii.* Sequitur: *Ardennæ, ſancti Huberti epiſcopi Leodienſis. Ipſo die caſtro Viterbienſium, paſſio ſanctorum Valentini presbyteri & Hilarii diaconi, qui ſub Maximiano, ac Demetio conſule diu laniati, inſigne templum Herculis orando favillam fecerunt, ac in Tiberim* &c. ut ſupra in codice DANIC.

Pirminii. *Huberti.* *Valentini & Hilarii.*

VICTORIN. In fine: *Caſtro Interbentium, paſſio ſanctorum Valentini* &c. ut præcedens; niſi quod pro *Demetio*, hîc legatur, *Demetrio.* Cum hoc de more convenit REG. SUEC. ſignatus num. 130; ſed videtur legere, *Caſtro Viterlencium*, vel *Viterbencium.* Cur non *Viterbienſium?*

Valent &c.

DAVERONEN. *Depoſitio ſancti Pirminii epiſcopi. In pago Turonico, natalis ſancti Adventii confeſſoris.*

Pirminii. Adventii.

MATRIC-CARTUS ULTRAJECT. *Quarti Apo-*

Huberti. *Apoſtolorum diſcipuli. Huberti primi Leodienſis epiſcopi. Cæſarauguſtæ, ſanctorum innumerabilium martyrum, ſub Daciano præſide.*

CAMBERIEN. *Caſtro Corboilo, beati Guinardi abbatis & monachi.* Puto eumdem eſſe, qui à MUNERAT. vocatur *Guinaulus*, à Caſtellano vero *Vinaïlus*, Gallicè *Guenau*. Vide etiam ſequentem. *Guinardi.*

REG. SUEC. ſignatus num. 428. *Corboilo, depoſitio Guinaili abbatis & monachi, cujus vita & miracula habentur. Eodem die Magubio civitate Mauritaniæ, paſſio ſanctorum Mariani, Pelagiæ & Mauri.* Sic junctos non novi. *Guinaili. Marian. &c.*

CODEX D. LE MARE ſign. A. *Tranſlatio ſancti Andochii preſbyteri.* *Tranſlat. Andochii.*

In VATICAN. ſub. num. 5949. Deſunt martyres Cæſarauguſtani, neſcio an reliqua pura ſint.

ALTEMPS. *In Britannia, ſancti Rumwoldi confeſſoris, apud Bokyngium quieſcentis. Apud Corboilum, depoſitio ſancti Guinaldi abbatis & confeſſoris. Item Pirminii epiſcopi.* *Rumwoldi. Guinaldi. Pirminii.*

FLORENTIN. Primo loco: *In territorio Florentino, apud caſtrum Pauzeni, ſancti Euphroſyni Pamphiliæ epiſcopi & confeſſoris, qui magnis virtutibus & miraculis clarus quievit in Domino, tempore Silveſtri Papæ, & ibi ſepultus eſt in baſilica, ad honorem ſui nominis dedicata. Sancti Hilarii epiſcopi & confeſſoris.* *Euphroſyni. Hilarii.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Natale ſancti Huberti epiſcopi Leodienſis & confeſſoris, virtutibus clariſſimi, cui Chriſtus, cum eſſet miles gentibus* [gentilis] *in ſancta ſexta feria occupatus circa venationem cervorum, in forma crucifixi, inter cornua unius cervi apparuit, & eum ad fidem Chriſtianæ religionis reduxit. Hic à Sergio Papa, angelo ammonente, Romæ epiſcopus ordinatus, & ad regendam eccleſiam Tongerenſem deſtinatur. Qui tertio decimo anno præſulatus ſui, pignus ſancti Lamberti prædeceſſoris ſui, Domino revelante, de Trajecto tranſtulit Leodium, & cum jam fere triginta annos eccleſias Tongerenſium & Leodienſium laudabiliter rexiſſet, ſancto fine requievit in pace: ſed tranſlatum* [corpus] *per Lodovicum regem Francorum, filium Karoli magni & Chriſtianiſſimi imperatoris de Leodio ad monaſterium Andeginenſe.* Sequitur textus ſatis purus. Tum: *Ipſo die, ſancti Pirminii anachoritæ. Qui locum deſertum inhabitare cupiens, plenum beſtiis & ſerpentibus, ac muſcis diverſi generis & animalibus venenatis atque ſcrabonibus aculeatis reperiens, fecit ligneam crucem & nomine Domini Jeſu invocato, omnia illa venenata expulit, locum illum occupantia. Tandem in epiſcopum eligitur, & poſt multa virtutum inſignia in pace quievit. Apud Viennam, ſancti Domniani, glorioſi epiſcopi & confeſſoris. In pago Vilcaſſino, paſſio beati Clari presbyteri & martyris. In pago Turonico, ſancti Adventii confeſſoris. Eodem die, beatæ Bayæ virginis. In Bardewic, ſancti Mariani diaconi & martyris. Et ipſo die, ſanctæ Wenefredæ virginis & martyris.* *De Huberto.* *De Pirminio* *Domnini.* *Clari.* *Adventii.* *Bayæ* *Mariani.* *Wenefredæ.*

BELIN. In textu ſatis purus, in fine apponit: *Eodem die, ſancti Malachiæ epiſcopi, qui multis virtutibus tempore ſuo claruit.* *Malachiæ.*

GREVEN. *Valentini presbyteri & Hilarii diaconi martyrum. In Brabantia, pago Bardewic, ſancti Mariani diaconi & martyris. Huberti epiſcopi Leodienſis & confeſſoris. Qui tempore Theoderici Francorum regis, cum eſſet miles idolorum cultui deditus, in venatione, Chriſto inter cervi cornua in forma crucifixi ſibi apparente, converſus eſt. Deinde à ſancto Lamberto Leodienſi epiſcopo, in fide & moribus diligentius inſtructus, heremum petens, auſteram aliquamdiu vitam duxit. Poſtmodum vero ab angelo monitus, Romam profectus, a Sergio Papa, divina revelatione, præfato Lamberto jàm martyrio coronato, ſubſtitutus, cum epiſcopale munus* XXX *ferme annis ſtrenue adminiſtraſſet, quievit in pace anno Domini* DCCXXXI, III *Kal. Junii; ejus tamen feſtivitas hic ſolennius agitur, quando ſacrum corpus ejus de terra elevatum eſt. Vienna, ſancti Domnini epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die, ſancti Pirminii anachoritæ.* De quo vide EDIT. LUBECO-COL. *In Britannia, Romuldi confeſſoris. Guillermi confeſſoris. In pago Turonico, ſancti Adventii confeſſoris. Item Wenefredæ virginis & martyris. In Scotia, Hayæ virginis. Item ſanctæ Alpaidis, quæ, ut refert Vincentius lib. 30, multis annis infirmitatibus preſſa, ſine corporeo cibo vixit; cumque eſſet genere infima, officio bubulca, admirabili tamen ſapientiæ dono prædita, prudens valde in conſiliis, circumſpecta in verbis, efficax erat in exhortando, multis inſuper revelationibus à Deo viſitata, tandem quievit.* *Domnini. Pirminii. Romuldi. Guillermi. Adventii. Wenefredæ. Hayæ. Alpaidis.*

MOLAN. De Malachia, Guinalo, Marcello, Adventio, ut ſupra. *In Ardenna clauſtro, quod S. Huberti dicitur, depoſitio ſancti Huberti epiſcopi & confeſſoris. Eod. die, depoſitio ſancti Pirminii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, ſanctæ Odradæ virginis.* Et minoribus typis: *apud Alem in Brabantia. In Barduyc cathedrali civitate, ſancti Mariani* &c. *Item Wenefredæ virginis & martyris.* Aliæ editiones ſic habent: *Andaino monaſterio, natale beatiſſimi Huberti, Tungrenſis eccleſiæ pontificis & confeſſoris. Qui beato Lamberto martyri in epiſcopatu ſuccedens, anno* XII *ſuæ ordinationis, oraculo divino admonitus, ſacra oſſa ejuſdem martyris, ſedemque epiſcopatus a Trajecto Leodium, ubi paſſus fuerat, tranſtulit. Deinde multis accreſcens virtutibus, multos de idololatria ad Chriſti fidem convertit, plures dæmoniacos vivens, plurimos poſt deceſſum ſuum liberavit. Tranſiit autem idem pretioſus Domini pontifex & egregius athleta* III *Non. Novembris, ſepultus in eccleſia beati Petri Apoſtolorum Principis. Nonageſimo vero anno tranſlatus eſt ad Andainum, à Vulcando beatæ memoriæ Leodienſi epiſcopo, annuente Ludovico imperatore piiſſimo. Ubi quid vivens ejus ſpiritus geſſerit, virtutibus innumeris & glorioſis prodigiis, nec non miraculis aſſiduis, uſque hodie ad laudem & gloriam Domini mirabiliter atteſtatur.* De Pirminio, Adventio & Guinalo, ut ſupra. Tum: *In diſtrictu Maeſtandiæ, villa Alem, ſanctæ Odradæ virginis.* *Malachiæ. Guinali. Adventii. Huberti. Pirminii. Odradæ. Mariani. De Huberto,*

De Valentino & Hilario, ut ſupra. *In Anglia, ſanctæ Vuenefridæ, virginis & martyris, quam Cadocus, filius Alani regis, occidit pro caſtitate.* Hoc obſervat Caſtellanus in notula ad Martyrol. Romanum. *Glaſconiæ, ſancti Benigni epiſcopi & confeſſoris. Die tertia, ſanctorum martyrum Acepſimæ, Aithalæ, & Joſeph. Et encænia divini templi, ſancti magni martyris Georgii in Lydia, & depoſitio ſancti corporis ipſius. In vico Florinenſi, exceptio corporis ſancti Mauri, egregii martyris. Leodii in monte publico, dedicatio cœnobii ſancti Laurentii.* *Valent. &c. Wenefridæ. Benigni. Acceſimæ & ſociorum. Enc. Georg. Except. Mauri. Dedicat. S. Laurent.*

Pridie Non. *Die 4.*

Hierii, al. *Pierii.* APud Alexandriam, beati Hierii presbiteri, qui in divinis ſcripturis nobiliter eruditus, vita puriſſima, atque ad Chriſtianam philoſophiam nudus & penitus expeditus, doctor Eccleſiæ incomparabilis fuit, quievit autem Philippi imperatoris tempore. *Amantii.* In Galliis civitate Rotenus, ſancti Amantii epiſcopi, cujus vita ſanctitate & miraculis extitit glorioſa. *Clari.* In pago Vilcaſino, ſancti Clari presbiteri & martyris. *Proculi.* Auguſtuduni, ſancti Proculi epiſcopi.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Prima & fere maxima diverſitas recurrit in primi Sancti nomine, quod ſolus Molanus receptiori modo extulit per *Pierii*, ut eſt in Euſebio Valeſii, & paſſim vocari ſolet. At cum ex Rufino acceptum ſit, iſque ſcribat *Hierii*, ſic in Romano parvo, Adone & Uſuardo ſervatum eſt; à nonnullis codicibus deformatum per *Herii*, *Jerii*, *Hierei*, *Hyerii*, *Hyrei*, *Hyerei* &c. Praten. Herinien. Tornacen. & alii habent ut eſt in textu. Alia variatio eſt in expreſſione urbis Rutenenſis, cujus nomen cum Adone ex Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Roſweyd. &c. formavimus more ejus ætatis *Rotenus*, non *Rotemis*, ut Praten. neque *Rotenis* aut *Rotenius*, ut alii; multo minus *Redonis*, ut peſſime correxit Molanus. Ruteni ad Aquitaniam pertinent, Redonenſes ad Aremoricos, ſeu Britanniam minorem. Scripſi *Vilcaſino* cum pleriſque codicibus, editi paſſim habent *Vilcaſſino*, ſunt qui præferant *Vulcaſino*. Inter puros Greven. & Molan. Proculo adſcribunt titulum *martyris*, & ſic etiam legunt Antverp-maj. Antverp.Max-Lubec. & Belin. unde & in Romanum tranſiit, ſed pro noſtra & veriori lectione ſtant codices præcipui. De *Auguſtuduni* & ſimilibus, alibi ſatis dictum eſt.

Hierii, al. *Pierii.* *OBSERVATIO.* Ex eodem fonte, imo ex eodem libro & capite procedit *Hierius* vel *Pierius*, ex quo nudius tertius acceptus fuit Theodotus Laodicenus, nempe ex Rufini lib. 7 cap. 29, unde rurſus conflatum eſt totum Adonianum elogium, cujus elegantior medulla in textu noſtro repræſentatur. Sic primus ſcripſerat, qui primus hunc Sanctum in Faſtos ſuos retulit auctor Romani parvi: *Alexandriæ, Hierii presbyteri, vita puriſſimi, in Scripturis nobiliter eruditi.* Atque hic denuo ex illorum Sanctorum numero eſt, quos Romani parvi proprios dicimus, utpote quos apud alios Martyrologos, aut extra ſeriem noſtram fruſtra requiſiveris. Quæ De Pierii rebus geſtis aut ſcriptis dici poſſunt, ex citato Euſebio vel ex Hieronymo de Script. cap. 76 deſumenda ſunt: pleraque ex ipſis & Photio collegit & Gallice digeſſit Tillemontius tomo 4 pag. 582 & 583: nos paucula dedimus in Tract. de Patriarchis Alexandrinis pag. 36 à num. 191.

Sequens commemoratio tota Adoniana eſt, ſub iſtis ſaltem terminis primùm ſignata. *Amantii.* Hieronymianis adjectam cenſet Florentinius, ſed quales plurimæ aliæ in illis codicibus reperiuntur; certe vix dubito, quin Rabanus annuntiationem ſuam inde eduxerit, Hieronymianis ferme verbis conceptam: an etiam Ado fontem eumdem conſuluerit, parum intereſt pluribus quærere. Alia vide in Baronii & Florentinii Notationibus. Non tam rerum geſtarum, quam miraculorum aliquot ſeriem nobis reliquit ſeu Fortunatus, ſeu quiſquis alius compilator ſynopſis illius, quæ apud Surium exſtat, nec ſatis integra nec ſatis ſincera, atque adeo ex aliis, præſertim ex manuſcripta noſtra & Labbeana tomo 2 Biblioth. Ms. pag. 474, corrigenda in Actis & reſtituenda. Bene & vere ſcripſit Wandelbertus *Rutenos* per ſanctum Amantium ornari, non *Redones*, ut perperam tam ſtudioſe inculcat Molanus, affinitate nominum deceptus ipſe, atque alios, forte etiam Ferrarium in errorem inducens. Vide quæ ſupra de horum locorum diverſitate in Variantibus obſervata ſunt. Hic unicus eſt metrici Martyrologi verſiculus:

Hinc pridie Rutenos confeſſor Amantius ornat.

Clari. *Clarus Vilcaſinus* apud nullos antiquos Martyrologos, præterquam apud Noſtrum notus eſt, nullo ornatus elogio, haud dubie quod nulla Acta viderit Uſuardus, ex quibus diſtinctiores aliquas notas ſeu miſſionis, ſeu prædicationis, vitæ, martyrii aut temporis depromeret. De alio Claro epiſcopo & martyre, apud Aquitanos percelebri multa curioſe & erudite ab Henſchenio & Papebrochio diſquiſita ſunt; alia cum Baluzio conjectata circa variorum ſynonymorum ſatis veroſimilem confuſionem, quæ omnia facem fortaſſe præferre poterunt ad excutienda ea, quæ de hoc Vulcaſinenſi Denyaldus & alii, ſi non

si non temere, saltem valde liberaliter congessisse videntur. Quosnam *alios*, Usuardo adstipulantes, quæ vetera manuscripta alleget Baronius, plane ignoramus. Sed hîc statutos limites transgredi necesse non est.

De *Proculo* certò meminere codices Hieronymiani, sive ad primam, sive ad posteriorem manum pertineat. Hinc à Rabano & Nostro acceptum credimus, nisi forte contra Mosandri & Rosweydi mentem, etiam Adoni adscribendus sit. Certe ubique *episcopum*, nusquam *martyrem* deprehendo, ut proinde cum purioribus Usuardinis codicibus, recte supra in textu legendum statuerimus. Quod autem lib. II num. 309, quo à Baronio remittimur, habet Petri Catalogus, *Proculus martyr ipso die Augustoduni passus est*, ab Hieronymianis, Rabano & Usuardo satis eliditur. Vellemus tam certa superesse vitæ monumenta, quam certum putemus, assertum titulum Proculo deberi: quemadmodum & de cetero Usuardinam lectionem veram censemus & simplicem. *Proculi.*

AUCTARIA.

TORNACEN. Inter purissimos codices computandus esset, nisi totum Hierii elogium refecuisset.

ANTVERP-MAJ. In duabus primis purus, duas postremas sic in unam male compingit: *In pago Vilcasino, sancti Proculi martyris.*

Birnstani. ROSWEYD. Auctior est, nam post textum, hæc adjicit: *Civitate Vuenta, depositio sancti Birnstani, ejusdem diœcesis episcopi, qui sacris meritorum coruscans virtutibus, beato fine quievit. In Italia, Domnini martyris. In Africa, Primi, Cæsarii cum aliis* X. Duæ postremæ ex Hieronymianis acceptæ sunt, ubi Domninus, non Italiæ, sed *Nicææ* tribuitur. *Domnini. Primi &c.*

PULSANEN. In prima, deest elogium. Secunda & tertia puræ sunt. Deficit in quarta.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Hierii elogium nonnihil augent & construunt more Adoniano, omnia ponentes in genitivo. Carent annuntiatione tertia. In quarta legunt *Proculi martyris.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. In prima Adonem quoque imitantur. Secundo loco, sic habent: *Eodem die, natale sanctæ Perpetuæ, conjugis beati Petri Apostoli.* Quisnam hoc primus posuerit, nescio. Est in Romano *Perpetua* aliqua, sed Petri discipula IV Augusti. In Amantio satis puri sunt codices De Claro, nihil. Proculo addunt titulum *martyris.* Demum: *In Gallus, oppido Dinatensi,* [Dinacensi, Clinatensi, melius LOVAN. Dinantensi,] *sancti Perpetui Tungrensis episcopi.* Manet in aliis codd. loci diversitas. *Perpetuæ. Perpetui.*

ALBERG. & DANIC. In jam dictis conveniunt, sed toti textui præfigunt: *Apud Bononiensem civitatem, natale sanctorum martyrum Agricolæ & Vitalis. Quorum posterior, prioris servus fuit antea, nunc consors & collega martyrii. Denique cum cogeretur idem à persequentibus, ut Christum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Jesum Christum, omnium tormentorum genera exercuerunt in eum. Novissime beatum Agricolam interemerunt, cruci affigentes.* Ita etiam hoc die posuit Belinus, & ex eo Romanum modernum; verum in serie nostra spectant ad XXVII Novembris. *Perpetuæ. Perpetui. Agricolæ & Vitalis.*

CENTULEN. In prima Adonianus, sed mutilus est. In secunda, caret elogio. Tertia, deest. Quarta pura est. In fine: *Cœnobio Centula, translatio sancti Angilberti abbatis, qui post viginti octo obitus sui annos, incorruptus repertus est.* Colitur Angilbertus XVIII Februarii. *Translat. Angilberti.*

BRUXELLEN. Incipit: *Natale sanctæ Perpetuæ, conjugis beati Petri Apostoli.* In Hierio, satis purus est. Tum de Proculo, ut supra. In Amantio, satis rectè. Deest Clarus. Sequuntur varia; imprimis: *Remis, depositio sancti Gamatis episcopi. In Gallus apud opidum Dyonantum, natale sancti Perpetui Tungrensis episcopi; qui fecit miracula multa. In Africa, natale sanctorum Primi, Cæsarii, Gregorii & Porphirii.* Vide socios in Hieronymianis. *Item Brunstani episcopi & confessoris.* Castellanus scribit *Biristani.* *Perpetuæ. Primi &c. Birnstani.*

HAGENOYEN. Incipit: *In monasterio Epta, sancti Clari presbyteri & martyris.* Secundo loco refert martyres Cæsarauguslanos, de quibus Usuardus, die præcedenti. Tum de Valentino & Hilario, ut ibidem inter Auctaria. Sequitur de Theodoto, ex textu II Novembris. In Hierio, satis purus est. Amantio titulum apposuit *Rothomagensis episcopi.* Ut hic codex plerumque multa turbat, sic Clarum Vilcasinensem & Proculum Augustodunensem distulit ad VI Novembris. Hîc autem in fine adjicit. *In Gallis, opido Dynatensi Brabantiæ, depositio sancti Perpetui Tungrensis vel Leodiensis episcopi & confessoris.* Vide Castellanum. *Clari Ept. Martyrum Cæsaraug. Valent &c. Theodoti. Perpetui.*

AQUICINCT. Proculum vocat *episcopum & martyrem.* In fine vero: *Bituricas civitate, sancti Lusoris episcopi.* Florus noster *Lusorem* hodie celebrat Bituricis, non *episcopum*, sed *puerum*, qui Gallicè vocatur *Ludre*, positum in Martyrologio Castellani I Novembris. *Lusoris.*

DAVERON. In textu non plenus, addit: *Sancti Luxoris episcopi, in pago Bituricensi* *Luxoris.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Amantii episcopi in Gallis. Perpetui episcopi Leodiensis. Hierii presbyteri Alexandriæ, de quo beatus Hieronymus scribit.* Vide Observationem. *Perpetui.*

CAMBERIEN. *Civitate Aquis, sancti Nutricii martyris.* De hoc nihil in aliis codicibus. *Nutricii.*

In VATICAN. signato num. 5949. deest tota annuntiatio ultima.

ALTEMPS. *Item civitate Wentano, sancti Brinstani episcopi & confessoris.* *Birnstani.*

LUGDUNEN. Pro *Amantii*, scribit *Amonii.*

BURDEGALEN. *Bituricas civitate, sancti Lusoris episcopi.* Vide quæ diximus ad AQUICINCT. *Lusoris.*

EDITIO LUBECO-COL. In prima Adonem redolet. In secunda, satis pura est, servato, ut alii, *Redonis.* Tum: *In Galliis, opido Dinacensi, natale sancti Perpetui Tongerensis episcopi & confessoris.* Clarum omittit. De Proculo, ut alii supra. Tum hanc historiam subjungit: *Eodem die, sanctæ Perpetuæ martyris, uxoris sancti Petri Apostoli, quam ad martyrium, cum à tortoribus urgeretur, sanctus Petrus his verbis audacter eam in Domino exhortatus est: Uxor mea, memor esto Dominum Jesum Christum pro te passum, nec timeas eos, qui corpus occidunt, sed animam* *Perpetui.* *Perpetuæ cum elogio.*

tuam perderè non poſſunt. Et his verbis confortata in Domino, latanter, patienter & fortiter mortem pro Chriſto ſuſtinuit. Treveris, ſanctæ Modeſtæ virginis. In territorio Nevernis, ſancti confeſſoris Honorati. Ipſo die, ſancti Quiliani confeſſoris.

Modeſtæ. *Honorati.* *Quiliani.*

Belin. In prima omnino purus non eſt. De Amantio & Proculo, ut ſupra. Tum: *In Ungaria, apud Albam regalem, depoſitio beati Emerici confeſſoris, filii ſancti regis Stephani. Item eodem die apud civitatem Bononienſem, ſanctorum martyrum Vitalis & Agricolæ, quorum poſterior prioris ſervus* &c. ut Alberg. Sed tranſponendo nomina, ut *Vitalis ſervus ſit*, & addendo in fine, *ſicque compleverunt eorum martyrium.* Tum: *In pago Vilcaſſino, ſancti Clari martyris.* Editio altera adjicit: *Item Bituriges, ſancti Luſoris epiſcopi.*

Emerici. *Vitalis. &c.* *Luſoris.*

Greven. *Secundum Cathalogum & alios hic, natale ſanctorum Agricolæ & Vitalis, quos Uſuardus habet infra* v *Kalendas Decembris. In Africa, ſanctorum Primi, Cæſarii, Gregorii, Porphirii & aliorum.* Ex Hieronymianis. *In Galliis oppido Dinacenſi, depoſitio ſancti Perpetui epiſcopi Leodienſis & confeſſoris. Briſcani epiſcopi & confeſſoris. Anniani epiſcopi. In territorio Nevernenſi, Honorati confeſſoris. Quiliani confeſſoris. Luſorii confeſſoris. Item, ſancti Gregorii abbatis, filii regis Græciæ, fundatoris primi & rectoris monaſterii de Porceto juxta Aquisgranum. Treveris, ſanctæ Modeſtæ virginis. Odradis virginis. Eodem die, ſanctæ Perpetuæ martyris, uxoris beati Petri Apoſtoli. Quæ cum ob Chriſti fidem duceretur ad ſupplicium, S. Petrus ad eam clamavit: O conjunx* &c. fere ut ſupra.

Agricol. &c. *Primi &c.* *Perpetui.* *Briſcani.* *Anniani.* *Honorati.* *Quiliani.* *Luſorii.* *Gregorii.* *Modeſtæ.* *Odradis.* *Perpetuæ.*

Molan. *Item Bituriges, depoſitio ſancti Luſoris pueri & confeſſoris, qui filius cujuſdam ſenatoris fertur in albis migraſſe. Scriptum in libro miraculorum Gregorii Turonenſis epiſcopi.* De Modeſta & Emerico, ut Greven. De Agricola & Vitale ut Belin. Sed rectè. De Perpetuo & Perpetua, ferme ut codices ſupra. Tum typis minoribus de Gregorio, ut Greven. Dein: *Depoſitio beati Flori epiſcopi & confeſſoris, cujus epiſcopatus de ſuo nomine nunc appellatur. Item Turonis, ſanctorum ſeptem Dormientium, Clementis, Primi, Cleti, Theodori, Gaudentis, Quiriaci & Innocentii, ex duobus fratribus beati Martini nepotum, quorum vitam & converſationem celebrem Gregorius Turon. archiepiſcopus deſcripſit.* Editiones aliæ Agricolam & Vitalem textui primo loco inſerunt. In fine de Emerico, ut diximus ex Greven. Sequitur: *In Dionanto, ſancti Perpetui, epiſcopi & confeſſoris eccleſiæ Leodienſis.* De Perpetua, ut codices. *Juxta Aquiſgranum, in Porceto, tranſitus ſancti Gregorii abbatis. Item Biturigis, depoſitio ſancti Luſoris pueri* &c. ut in priori. Tum, de Modeſta. Hinc: *Velaunii, depoſitio ſancti Flori epiſcopi & confeſſoris. Cujus epiſcopatus de ipſius nomine nunc appellatur. Die quarta, ſancti martyris Nicandri epiſcopi Mireorum. Et ſancti patris Joannicii magni.* Hujus celeberrimi ſancti egregia Acta Græce & Latine ſuo tempore, ut pridem polliciti ſumus, dabuntur.

Luſoris. *Modeſtæ.* *Emerici.* *Agricol &c.* *7. Dormient. Greg. Turon.* *Perpetui.* *Perpetuæ.* *Gregorii.* *Flori.* *Nicandri.* *Joannicii.*

Nonis. *Die 5.*

Zachariæ. *Felicis & Euſebii.* Zachariæ prophetæ, patris Joannis baptiſtæ. In Terracina civitate Campaniæ, natalis ſanctorum Felicis presbiteri & Euſebii monachi, tempore Claudii imperatoris, qui Euſebius cum ſepeliſſet ſanctos martyres, Julianum & Cæſarium, & converteret multos ad fidem, quos Felix presbiter baptizabat, tenti ſunt ambo & ad forum judicis ducti, nec ſuperati; inde carcere recluſi, & nocte eadem cum ſacrificare nollent, decollati ſunt. In territorio Aurelianenſi, *Læti.* ſancti Læti presbiteri.

Plures hoc die puri ſunt, *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Roſweyd. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

Varia lectio. Aliqui codices inter *patris* & *Joannis* ponunt debitum *ſancti* vel *beati* titulum, ego illos prætuli qui proximè ad Romanum parvum & Adonem accedunt. *Tracina* & *Cæſareum* errores ſunt in Antverp-maj. uti & *Ceſarem* in Munerato. Belin. habet *converterent*, pro *converteret*; Roſweyd. *baptizavit*, pro *baptizabat*. Rurſus Belin. *inde*, mutavit in *deinde*, & nomen *Læti* in *Leviti*. Solus Munerat. poſt *presbyteri* adjecit *confeſſoris*.

Zachariæ. Observatio. Hæc prima hoc die Romani parvi annuntiatio eſt, & primùm ab ipſo ſignata: *Zachariæ prophetæ, patris Joannis Baptiſtæ.* Eadem Adonis verba ſunt, eadem Uſuardi, ut ex textu noſtro patet; nec in vetuſtioribus Kalendariis aut Martyrologiis Hieronymi, Bedæ, Flori, Rabani ulla hujus Zachariæ memoria reperitur: unde hîc rurſus facile conjicias, diem pro arbitrio ſelectum eſſe. An ab auctore Romani parvi? Ita equidem exiſtimo, cum id paſſim ipſum factitare ſolitum, jam toties monuerimus. Sed unde Wandelberto dies iſte præ aljis innotuit, quandoquidem alibi dixerim, veroſimile non eſſe, quod Wandelbertus Romanum parvum viderit? Sic certe Ado loquitur, acſi theſaurum in Italia refoſſum, primus in Gallias deportaſſet; fatendum tamen, notitiam ſaltem aliquam, forte ex ipſa urbe Roma, ad Wandelbertum prægreſſam fuiſſe, nam

nam adeo aperta in non unis prophetis conſenſio, fortuita eſſe non potuit. Ceterum undecumque hoc potiſſimum die Zachariam celebrandum invenerit Martyrologus metricus, ſic ipſum canit:

Nonis Zacharias vates templique ſacerdos
Eminet, oblitam nati qui munere vocem
Vatis & officium priſco de more recepit.

Certiora de hoc ſancto Propheta monumenta ex Euangelio deſumenda ſunt; controverſa nonnulla expendit Baronius in Annalibus ac in Notatione hodierna; atque item Tillemontius tomo 1 à pag. 482, de quibus uti & de conjunctione Eliſabeth in Romano facta, alibi fuſius diſſeremus. *Felix* & *Euſebius* ex Actis ſancti Cæſarii, de quo 1 Novembris egimus, à Beda primum accepti & in ſacras tabulas relati ſunt, unde totum elogium ſuum Adonem tranſumpſiſſe manifeſtum eſt: Noſter textum ex alterutro non ineleganter contraxit. Rabanus Bedam de more ſecutus eſt. In Romano parvo ſimpliciter legitur: *Terracinæ, Felicis presbyteri & Euſebii monachi.* De Cæſarii Actis dictum eſt citata prima die Novembris, nec eſt quod hîc ſuperaddam, donec ipſa accuratius poſſint recenſeri, & forte propugnari adverſus notam Tillemontii tomo 2 pag. 574. Atque hîc ſiſtit Viennenſis Martyrographus, niſi quis annuntiationem a Roſweydo in appendicem rejectam, *Capua civitate, ſanctorum Euras & Quarti & Pardi martyrum*, illi tribuendam contendat, de qua videri poteſt Florentinii notatio ultima ad hanc diem. Hîc interim poſtremum Wandelberti verſiculum ſubjicio: *Felicis & Euſebii.*

Haſque ſacer Felix monachuſque Euſebius augent.

Lætus vere & proprie Uſuardinus eſt, *presbyter* dictus, tametſi vita ex Bibliotheca Floriacenſi à Surio & Gonono edita *levitam* dumtaxat appellet. Sunt qui in prædicta vita non pauca carpenda offendant. Exſtat in Muſeo noſtro ſeorſim impreſſa & manuſcripta, ac præterea viri eruditi obſervatio ad eam, quæ Carolopoli vulgata eſt MDCLXXV, quam ait *puram verboſitatem* oſtentare, iis exceptis, quæ de reliquiis ſatis authentice referuntur. Noſtrum non eſt temere quidquam aut præmature in hiſce definire, Uſuardum damus, quod hîc ſatis. *Læti.*

AUCTARIA.

PULSANEN. In prima ſatis purus, ſecundam producit uſque ad *imperatoris*, deſunt reliqua.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. Textui puro in fine ſuperaddunt: *In territorio Lingonenſi, monaſterio Clarevallis, feſtivitas ſancti Malachiæ epiſcopi & confeſſoris.* *Malachiæ.*

ANTVERP-MAX ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Idem habent, quod duo præcedentes, niſi quod ANTVERP-MAX. male ſcribat, *in territorio Lingenſi*, ſed omnes adjiciunt: *Cujus vita virtutibus plena refulſit.*

ALBERG. & DANIC. Præter Malachiam, adjungunt: *Treveris, ſancti Abrunculi epiſcopi & confeſſoris.* Ita quidem ſcribit ALBERG. ſed alter melius habet, *Fibitii.* *Fibitii.*

CENTULEN. In prima purus eſt. Sequuntur hæc verba: *Cœnobio ut ſupra*; nec quidquam additur, unde ſcias utrum de Centulenſi, an de alio, forte Claravallenſi & Malachia agere velit. Tum: *In Campania, civitate Terracina, ſanctorum Felicis presbyteri & Euſebii monachi martyris.* Deeſt annuntiatio ultima. *Textus mutilus.*

BRUXELLEN. In prima etiam ſatis purus, poſt *Claudii imperatoris*, inſerit, *tenti ſunt à Leoncio, filio Leoncii conſularis, ob eam maxime cauſam, quia Cæſarium, qui patrem ſuum Chriſtianum fecerat, necnon & Julianum & alios ſanctos Dei martyres ſepeliſſent, & quia Euſebius multos convertit* &c. Dein: *Et ſanctorum Domnini, Epiphanii, Antonini, Marciæ, Secundæ & Quartæ. Treveris, depoſitio ſancti Fibicii epiſcopi & confeſſoris.* Tum de Malachia, ut habet ſuperius ANTVERP-MAX. &c In fine de Læto, pure. *De Felice &c* *Domnini & ſocior.* *Fibitii.* *Malachiæ.*

HAGENOYEN. *Jheroſolimis, natale Zachariæ prophetæ, patris ſancti Johannis Baptiſtæ; qui fuit propheta novi Teſtamenti, cujus os clauſit angelus in templo, cum de nativitate filii, quem angelus prædicavit naſciturum, non credidit, & ſic poſt nativitatem Johannis Baptiſtæ loquelam & prophetiam divinitus recepit, & prophetavit de Chriſto, in utero matris ſuæ adhuc clauſo, & de ſuo filio nato. Hic Zacharias à quibuſdam dicitur fuiſſe lapidatus ab Herode Aſchalonita. Eodem die Romæ, paſſio ſanctæ Perpetuæ conjugis ſancti Petri Apoſtoli, quæ ſub perſecutione Neronis Cæſaris paſſa eſt; cui eunti ad paſſionem, beatus Petrus poſt tergum clamavit: O conjux, memento Domini.* Vide die præcedenti. In Felice & Euſebio purus non eſt, notatque tempora *Commodi imperatoris.* Sequitur: *Civitate Bayogas, depoſitio ſancti Vigoris epiſcopi.* Spectat ad 1 Novembris. *In Ungaria, ſancti Heinrici* [opinor, pro *Emerici*] *ducis & confeſſoris.* Ex IV. Demum: *In pago Vaſtinenſi, ſancti Maturini.* Vides turbationem magnam, nam Maturinus ad 1 Novemb. pertinet. *De Zachariæ* *Perpetuæ.* *Vigoris.* *Emerici.* *Maturini.*

CODEX Principis Urſini à Roſemberg. *Treveris, ſancti Feberii epiſcopi.* Pro *Fibitii.* *Fibitii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Malachiæ epiſcopi, qui quieſcit apud Ciſtertium; de cujus tranſitu beatus Bernardus fecit ſermonem.* *Malachiæ.*

CAMBERIEN. *Eodem die, ſanctæ Modeſtæ virg.* *Modeſtæ.*

VATICAN. ſignatus num. 5949. Caret annuntiationibus Zachariæ & Læti. Adjicit: *Beneventi, natalis ſancti Pardi, martyris in ſanctæ Sophiæ. Et ſanctæ Trophimæ virginis & martyris.* *Pardi.* *Trophimæ.*

UGHELLIAN. In fine: *Apud Clarevallem, depoſitio ſancti Malachiæ archiepiſcopi & confeſſoris.* *Malachiæ.*

DIVIONEN. eccleſiæ ſancti Stephani. *Lingonis civitate, tranſlatio ſancti Gregoris epiſcopi.*

EDITIO LUBECO-COL. Primam ſatis puram habet, in ſecunda modice interpolata eſt; in tertia addit *& confeſſoris.* Tum: *Treveris, ſancti Fibicii epiſcopi & confeſſoris. In territorio Lingonenſi, monaſterio Clarevallis, ſancti Malachiæ epiſcopi confeſſoris, qui fuit patriarcha totius Hiberniæ & legitur fundaſſe quinquaginta quatuor eccleſias collegiatas: cujus & vita virtutibus plena refulſit.* In Caſtellan. II Novembr. ponitur, in Romano III.

Fibitii. *Malachiæ.*

GREVEN. *In Cæſarea Cappadociæ, ſanctorum Domnini, Epiphanii, Antonini. Marci epiſcopi & aliorum decem. In Capua civitate Campaniæ, natalis ſanctorum Marciæ, Secundæ, Sechtruda & Quarti. Treveris, ſancti Fibicii epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Cæſarii. Apud Ciſtercienſes, hoc die feſtiva agitur memoria ſancti Malachiæ, Hiberniæ patriarchæ. Elevatio ſancti Emerici, ducis Slavoniæ & confeſſoris. Ideburgæ matronæ, matris ſanctæ Gertrudis virginis.* Ab aliis *Yduberga* vel *Itta* vocatur; vide quæ diximus in Auctariis ad MOLAN. VIII Maii.

Domnini & Marci &c. *Marciæ &c.* *Fibitii.* *Cæſarii.* *Malachiæ.* *Emerici* *Ideburgæ.*

MOLAN. *In territorio Lingonenſi, monaſterio Claravallis, ſancti Malachiæ epiſcopi & confeſſoris, cujus vitam beatus Bernardus deſcripſit miraculis glorioſam. Eodem die, ſancti Febitii epiſcopi Treverenſis.* Poſteriores editiones de Malachia interſerunt, *qui magnis virtutibus tempore ſuo claruit.* De Fibitio, ut in priori. In fine adjiciunt: *Die quinta, ſanctorum martyrum Galactionis & Epiſtemes.* Vide horum geſta apud Surium.

Malachiæ. *Fibitii.* *Galactionis & Epiſtem.*

VIII *Idus.* *Die* 6.

Felicis. TOniza Africæ, natalis ſancti Felicis. In hujus ſolemnitate quendam pſalmum beatus Auguſtinus videtur exponere ad populum. In Oriente civitate Theopoli, ſanctorum decem *Martt.* 10. Martyrum, qui ſub Sarracenis paſſi leguntur in geſtis Sanctorum qua- *Attici.* draginta. In Frigia, ſancti Attici.

Ex *Praten. Tornacen. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Toniza*, eſt codicum omnium, præterquam Greveni, qui male *Tonza Aphrice* more ſuo. *Thimiſſa* ſcribunt alii: ſed pro Toniza ſtat etiam Baronius ex Itinerario Antonini; ubi ejuſdem Notatio aliam, fere ſynonymam Africæ civitatem componit, *Tyniſſa*, vel *Tuniſſa*, vulgo *Tunetum.* Hinc dubium redditur, an recte Tonizam noſtram vertant interpretes per *Tunis.* Servandus fuit modus ſcribendi codicum, ni fallor, antiquorum omnium in *quendam*, quamvis ab ea mutatione *m* in *n*, quæ neſcio quid dialecti Hiſpanicæ redolet, omnino abhorream. *Theophili* pro *Theopoli* error eſt in Munerat. & Greven. En rurſus *Frigia*, ex codicibus prope omnibus: ſoli Praten. & Greven. habent *Phrigia*, Molan. recte, *Phrygia.* Tornacen. & Munerat. legunt *Atici.* Cetera de *Affricæ, ſolempnitate*, & ſiquæ ſunt hujuſmodi, inter minutias reputamus. Patebit in Auctariis, codices nonnullos, ut Belin. Antverp. Max-Lubec. &c. pro *In Phrygia*, male ſuppoſuiſſe; *In Africa.* In apographo noſtro Pratenſi, virgula ſubductum, adeoque tamquam adjectum legitur: *In Pago Lenovicenſi, vico Nobiliaco, natalis ſancti Bernardi confeſſoris.* Non recte *Bernardi*, ſed quid velit, nemo non intelligit. Vide Auctaria.

Felicis. OBSERVATIO. Apographa Hieronymiana apud Florentinium ſic hodie unanimiter legunt: *Et in Toniza*, vel *Tonize, Africæ, Felicis*; vel *natalis Felicis*, vel *natalis S. Felicis.* Ad quæ obſervat commentator, *penes* Auguſtinum *exſtare ſancti Felicis memoriam, Tract. in Ps.* 127. Nempe quæ per conjecturam Ado propoſuit, tamquam certa aſſerit, Romanum hodiernum, ni fallor, ſecutus. Auctor Romani parvi ſimpliciter ſcripſerat: *Toniza Africæ, ſancti Felicis martyris.* Adde verba textus noſtri, ipſa Adonianam phraſim integre conſtituunt, ubi Martyrologus ille ſubdubitans diſerte exprimit, *videtur exponere*, ex citato tractatu omnia ſancti Doctoris verba ſubjungens, quæ an huic potius, quam alteri Felici, ut ſunt plures hujus nominis, vere conveniant, hactenus omnino certum non eſt, ut bene obſervavit Caſtellanus: quamvis de cetero facile Baronio aſſentiar, quo uſque rem omnem accuratius examinare poſſimus. Socios quadraginta Felici tribuunt Auctaria Bedæ, ſed horum auctoritas ad citata Martyrologia comparata plane evaneſcit. Non verebor conjicere, imperitum aliquem Martyrologii Bedæ ampliatorem, ex duabus Romani parvi annuntiationibus unam conflaſſe. Ceterum ſi vere de hodierno Felice dicta ſunt, quæ ex Auguſtino referuntur, poterunt ea pluribus ſuo loco illuſtrari. Wandelbertus de ſolo Felice ſic cecinit:

Idibus Octavis martyr Felix celebratur.

Non recte aſſequor, quid altera ſua annuntiatione velit auctor Romani parvi: *Civi-* *Martt.* 10. *tate Theopoli* XL *martyrum.* Theopolim intelligo *Antiochiam*, de qua alibi egimus, & videri poteſt hodierna Baronii Notatio. At quinam ſunt *quadraginti* illi *Martyres?*

Qui

Qui lucem afferre debebat Ado, rem magis implexam reddidit per textum, quem ex ipſo hîc rurſus integrum deſcripſit Noſter, ubi *decem* dumtaxat adducuntur, *qui ſub Sarracenis paſſi leguntur in geſtis ſanctorum Quadraginta*, quaſi de re aliqua notiſſima ſermonem injiceret. Sed hoc ipſum præcipue inquiro, qui ſint *Quadraginta* illi, in quorum geſtis legantur *decem paſſi ſub Sarracenis*? Cur excluduntur hîc triginta alii, à Romano parvo conjunctim poſiti? Quæ ſunt geſta illa ab Adone citata, ſed veroſimiliter numquam viſa? Quo tempore paſſos credemus, ſeu ſolos X, ſeu univerſos XL? Reſpicit Baronius ad tempus, *cum ſub Coſrhoe rege Perſarum* Antiochia *à Saracenis direpta eſt.* Aſt fortaſſe æquè probabiliter remitti poſſent ad annum DCXXXVII vel potius DCXXXVIII, quo ab eiſdem Arabibus ea civitas capta eſt. Fateor me hîc non videre ubi pedem tuto figam, niſi quis certiora ſubminiſtraverit; atque utinam per dubitationes meas id effici queat, ut ea alicunde eruantur.

Phryges ſex martyres ſunt nominatim indicati in allatis omnibus codicibus: ex his unicum tantum Atticum refert Martyrologium Romanum ex Uſuardo. Hæc vera eſt Florentinii ad Hieronymiana obſervatio, etiam a Caſtellano adhibita, cui noſtram jungimus, alibi non ſemel repetitam; quod nempe Martyrologis noſtris, ſed Uſuardo imprimis familiare ſit, ex majoribus Hieronymianorum martyrum manipulis, unum aliquem aut alterum ſeligere, nulla prorſus ſociorum facta mentione, ut ſupra pluribus locis patuit: quemadmodum & hîc liquet, totum laterculum ſincere ac ſimpliciter Uſuardinum eſſe. *Attici.*

AUCTARIA.

PRATEN. De auctario, huic codici forte ad marginem adjecto, dixi in Variantibus: notat Sirmondus idem & prima manu haberi in codice B.

HERINIEN. Toto textu puriſſimus, in fine, forte ut proprium loci, adjectum habet: *Bergas, depoſitio ſancti Vuinnoci.* *Winoci.*

ANTVERP-MAJ Sic in fine habet: *In pago Lemovicenſi, natale ſancti Leonardi confeſſoris. Eodem die, depoſitio ſancti Winnoci confeſſoris.* *Leonardi. Winoci.*

ROSWEYD. Alia omnia: *In Africa, Pauli cum aliis* VII *mart. Willebaldi epiſcopi & confeſſoris. Herculiani confeſſoris.* *Pauli &c. Willebaldi. Herculiani.*

PULSANEN. Incipit: *In territorio Dunenſi, depoſitio beatiſſimi Leonardi, eximii confeſſoris.* Deeſt Felix. Legit *ſanctorum quinquaginta.* De Attico, nihil. *Leonardi.*

ANTVERP. & MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. In prima & ſecunda ſatis puri, ſic pergunt: *In Affrica, S. Attici.* In fine: *Redonis, ſancti Melani confeſſoris.* Vide GREVEN infra. *Melanii.*

ANTVERP-MAX. LOVANIEN. & LEYDEN-BELG. In textu ferme conveniunt cum duobus præcedentibus, ſed in fine: *Item natale ſancti Leonardi confeſſoris.* Quod vero hi habent in fine, DANIC. ponit in principio: *Natale ſancti Leonardi confeſſoris.* *Leonardi.*

LEYDEN. In textu par ceteris, paulo ampliori phraſi in fine ſubjicit: *Item natale ſancti Leonardi confeſſoris, ob cujus meritum omnibus demonſtrandum, cum fratres corpus illius ad ſepeliendum transferrent, nix contra temporis naturam cadens, obtexit locum, ubi Sancto placuit ſepeliri, ubi ſepultus mira operatur, maxime in captivis.* Hoc idem de ſancto Leonardo elogium ULTRAJECT. & ALBERG. habent in principio. *DeLeonard.*

CENTULEN. *Tonica Africæ, ſancti Felicis martyris. In territorio Aurelianenſi, ſancti Læti presbyteri.* Sequitur de Attico, pure. *In pago Lemovicenſi, ſancti Leonardi, eximii confeſſoris. Eodem die, depoſitio ſancti Winnoci abbatis, qui fuit monachus ſancti Bertini. In Oriente civitate Teopoli, ſanctorum decem martyrum, ſub Sarracenis paſſorum.* Vide Obſervationem. *Læti. Leonardi. Winnoci.*

BRUXELLEN. Incipit: *In Nobiliaco, juxta Lemovicum, depoſitio ſancti Leonardi abbatis & confeſſoris, diſcipuli beati Remigii. Qui cum fratre Lifardo miraculis & ſanctitate claruit.* In annuntiatione de Felice turbatus, & ex Adone interpolatus eſt, purior in ſecunda. Atticum in Africa etiam collocat. Tum: *Redonis, depoſitio ſancti Melani epiſcopi & confeſſoris. Et ſancti Winnoci abbatis & confeſſoris. Qui veniens de Britannia, in Gallia ſanctitate vitæ præclaruit.* *Leonardi.* *Melanii. Winoci.*

HAGENOYEN. Prima ſatis pura eſt. Secunda eſt de Claro Vilcaſino, tertia de Proculo Auguſtodunenſi. Tum de X Theopolitanis, ſatis recte. Sequitur de Malachia Dein: *Ipſo die, depoſitio ſancti Leonardi abbatis. Hic à ſancto Remigio archiepiſcopo de ſacro fonte eſt elevatus, & ab eodem diſciplinis eſt inſtructus. Cujus etiam parentes primum in palacio regis Franciæ habebantur. Hic tantam graciam à rege obtinuit, ut omnes incarcerati, quos ipſe viſitavit, protinus abſolverentur* &c. quæ malim legi in vita apud Surium. Pro *Attici*, legit *Amri.* *Leonardi cum elogio.*

AQUICINCT. Textui in fine ſuperaddit: *Redonis, ſancti Melanii confeſſoris. In Pago Lemovicino, ſancti Leonardi confeſſoris, qui extitit diſcipulus ſancti Remigii Remenſium epiſcopi. Depoſitio ſancti Winoci abbatis.* *Melanii. Leonardi. Winoci.*

VICTORIN. & REG. SUEC. num. 130. Atticum ponunt in Africa. In fine: *Redonis, ſancti Melani confeſſoris.* *Milanii.*

DAVERONEN. *In pago Turonico, ſancti Lupantii confeſſoris. In pago Lemovicenſi, ſancti Leonardi confeſſoris. Qui tempore Clodovæi regis, clara Francorum ſtirpe creatus, & à beato Remigio Rhemenſium archiepiſcopo baptizatus & edoctus, patriam deſerens, heremiticam vitam elegit, & apud Nobiliacum obiens, clarus miraculis, & maxime in compeditorum diſſolutionibus vivit in Chriſto.* *Lupantii. DeLeonard.*

AMBIANEN. *Ipſo die, ſancti Leonardi confeſſoris.* *Leonardi.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Leonardi abbatis. Vuillehadi epiſcopi & confeſſoris.* de hoc vide Romanum VIII Novembris. *Sanctorum* X *martyrum. Felicis confeſſoris.* An qui in Romano ponitur *Fundis in Latio*? *Leonardi. Willehadi. Felic. conf.*

REG. SUEC. ſignatus num. 428. *In pago Lemovico, depoſitio ſancti Leonardi confeſſoris.* *Leonardi.*

CODEX D. LE MARE ſignatus A. *Eodem die, adventus reliquiarum ſanctorum Nazarii & Celſi ab Italicis partibus.* *De reliquiis. Naz. & Celſ.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt annuntiatio ultima

Casti. ultima. Adjicitur: *Beneventi, sancti Casti episcopi & martyris.*

ALTEMPS. *In Britannia, sanctorum Winnehaddi & Winoci abbatis & confessoris. In Britannia minori, sancti Thenteoniei abbatis.* Nomen non recte exprimitur, legi etiam potest *Thenteonici.* Forte nonnihil ex majori aliqua notitia limatum melius intelligetur.

Winnehad. & Winoci.

FLORENTIN. *S. Leonardi..... S. Appiani confessoris, qui natione Ligur, in Cælo aureo monachus fuit. Rodonis, S. Meliani confessoris.*

Leonardi. Appiani.

BIZUNTICEN. *Translatio sancti Gregorii Lingonensis episcopi.* Die proxime præcedenti posita est ex codice DIVIONEN.

Transl. Greg.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *In pago Lemonicensi, loco Nobiliaco, depositio sancti Leonardi abbatis & confessoris. Hic à beato Remigio, Remensis ecclesia episcopo, de sacro fonte levatus, & ab eodem salutaribus disciplinis instructus. Hic quamdam silvam intravit, & constructo in illa monasterio, strictissime cum aliquibus monachis in eodem degens, tandem vitam ibidem in pace finivit. Ob cujus meritum omnibus demonstrandum, cum fratres corpus illius ad sepeliendum transferrent, respicientesque viderent totam provinciam, contra temporis naturam, nive coopertam, locum autem illum, in quo sancto viro placuit quiescere, omnino nive vacuo* [vacuum] *invenerunt, ubi sepultus mira operatur, maxime in captivis.* Sequitur textus satis purus. In fine: *In territorio Turonico, sancti Lupancii confessoris.*

Leonardi elogium.

Lupancii.

BELIN. In prima & secunda utcumque purus, sic habet tertiam: *In Africa, sancti Atricii.* In fine: *Redonis, sancti Meliani. Eodem die, sancti Leonardi confessoris.* Altera editio legit, *Melanii.* Loco autem secundo interserit: *In Nicomedia, sancti Adriani martyris.*

Melanii. Leonardi. Adriani.

GREVEN. *In Nicea, natalis sanctorum Adriani Juliæ, Eusebiii. In Africa, sanctorum Donati, Pauli, Balsami. Item Eustasii, Julii.* Vide Hieronymiana. *Secundum aliquos hîc, Melani episcopi Redonensis, quem Usuardus habet supra* VIII *Idus Januarii, Ado* II *Idus Novembris.* Recte igitur à Rosweydo in appendicem rejecta est nescio quæ hodierna annuntiatio. Sequitur: *In Bergas, depositio sanctorum quatuor fratrum Winnoti, Quadenoti, Ingenoti & Madenoti. In territorio Turonico, sancti Lupantii confessoris. In pago Lemovicensi, depositio sancti Leonardi abbatis & confessoris. Qui à sancto Remigio de sacro fonte levatus ac salutaribus disciplinis instructus, silvam quamdam ingrediens, vitam austeram cum suis duxit, miraculis multis præcipueque in captivorum liberatione etiam in vita coruscans; tandem quievit in pace. Cum autem discipuli ejus corpus sacrum in alium locum transferre vellent, viderunt totam provinciam nive opertam, excepto loco, in quo viro Dei quiescere placuerat. Item sanctæ memoriæ Christinæ de Stummel in Nybeck* [aliàs *Nydeck*] *ducatus Juliacensis quiescentis.* Nunc Juliacum translata est, ubi ejus reliquiæ venerationi expositæ sunt. Vide Acta XXII Junii.

Adriani &c. Donati &c. Eustasii & Julii. Melanii.

Winnoti & fratrum. *Leonardi* *Christina Stumbelens.*

MOLAN. *Ipso die, restitutio sancti patris nostri Gisleni. In territorio Turonico B. Lupantii confessoris. Redonis, sancti Melanii confessoris. Eodem die, sancti Leonardi confessoris, discipuli sancti Remigii episcopi, in civitate Lemovicensi, in provincia Aquitaniæ. Apud Bergas, in territorio quod vocatur cella Voromholt, depositio sancti Vuinoci abbatis, egregii Christi confessoris; cujus vita virtutibus & miraculis plena refulsit: qui in prædicto loco, multo tempore in Dei opere perseverans, & plurimos in Dei servitio aggregans, magnisque virtutibus & gloriosis miraculis, valde clarus, collectus est ad patres suos in senectute bona.* Tum typis minoribus: *De quo in ejus vita legitur, quod egregium duxerit, subjectis suis fratribus administrare, quia noverat Christum non venisse ministrari, sed ministrare: & quod quidquid operis aliorum manus velut arduum & grave, refugiebant, impigre & incunctanter accipere non timebat, cum tamen esset praditus titulo regiæ nobilitatis. Hic molam, edificatam in fratrum pauperum usum, multo tempore propriis manibus rotavit. Eodem die, Severi episcopi Barcinonensis, qui unus fuit* LXX *episcoporum, qui leges Gothicas in Hispania condiderunt. Hic à Barbaris Gothicis, qui Cathaloniam incolebant, clavo capite confosso, martyrio coronatur anno Redemptoris Jesu Christi* DCXXXVIII. Quæritur, ex quo Martyrologio MOLANUS postrema hæc acceperit. Editiones aliæ eadem habent, sed pleraque multo brevius contracta sunt.

De Winoco. *Severi Barcinon.*

VII *Idus.* *Die 7.*

Achillæ. IN Alexandria, beati Achillæ episcopi, qui eruditione, fide, conversatione & moribus insignis fuit. Apud Perusinam Italiæ urbem, natalis sancti Herculani episcopi, cujus corpus, post abscisionem capitis, ita unitum & sanum die quadragesimo, ut scribit beatus Gregorius Papa, repertum est, acsi nulla hoc incisio ferri tetigisset. Eodem die, beati Amaranti martyris, qui apud Albigensem urbem exacto agonis fidelis cursu sepultus, vivit in gloria. In Frisia, depositio sancti Willibrordi episcopi.

Herculani.

Amaranti.

Willibrordi.

Puri sunt *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Achillei*, legit solus Antverp-maj.; & sic est in Romano parvo, melius ab Adone & Usuardo restitutum, ut est in textu. Greven. & qui eum hîc describit Molan. legunt, *qui in eruditione*; ex omnibus aliis redundat particula *in.* Solus Munerat. post *Herculani episcopi*, addit *& martyris.* Multa alia scriptoria sphalmata sunt, ut *Achilli*, *Prusinam*, *Albiensem* &c. atque in Antverp-maj. & Molano in fine post *episcopi*, adjectum

adjectum est, *& confessoris:* sed maxima variatio in efformando nomine *Willibrordi*, quod ex Greveno accepimus, aliis omnibus discrepantibus, scribentibusque *Vuilleboldi*, *Vullebrodi*, *Willebrordi*, *Villebrordi*, *Wllebrordi*, *Vuellebrodi* &c.

Huc rejeci difficultates circa Herculani elogium. Ac 1 quidem ipsius Usuardi esse, dubitare non sinunt probatissimi quique, imo codices omnes, exceptis dumtaxat Tornacensi & Pulsanensi, quos toties alias in elogiis mutilos agnovimus. 2 Ex Gregorii Dialog. lib. 3 cap. 13, acceptum esse plane constat: at unde ita formatum dicemus, ut Gregorii sensum non reddat? Praten. legit: *Cujus corpus post abscisionem capitis ita intactum*, alii omnes, *ita unitum* &c. Munerat. *Cujus corpus abscisioni capitis ita unitum*, rectius ad Gregorii mentem dixisset, *abscisso capiti ita unitum.* Hæc Gregorii lectio est: *Ita caput ejus unitum fuerat corpori, acsi nequaquam fuisset abscissum, sic videlicet, ut nulla vestigia sectionis apparerent Cumque hoc & in terga verterent, exquirentes siquod signum vel de alia monstrari incisione potuisset, ita sanum atque intemeratum omne corpus inventum est, acsi nulla hoc incisio ferri tetigisset.* Quid si Usuardus sincerum exemplar Gregorianum non habuerit? De cetero elogium Usuardinum esse, tam est certum, quam certa est unanimis codicum omnium tum manuscriptorum tum excusorum consensio. At vero in antigrapho nostro Pratensi, totum, tamquam adjectitium subducitur, testaturque Castellanus, in ora prætensi autographi recentiori manu adscriptum, *à la marge, & en lettres moins anciennes que le texte.* Quæro utra manus autographa sit? Si hæc & id genus alia in eo codice recurrentia indifferenter expendas, fallor, si non judices, nec priorem, nec posteriorem manum Usuardinam esse. Sed de his plura in Præfatione. *De elogio Herculani.* *De codice Pratensi.*

OBSERVATIO. Jam tertiùm sub hoc mensis principio citandum recurrit cap. 29 lib. 7 Eusebio-Rufiniani, ex quo *Achillas* hîc, æque ac Theodotus 11, & Pierius seu Hierius 1v, acceptus est, & ab auctore Romani parvi, qui omnes inde extraxit, sic notatus: *Alexandriæ, Achillei episcopi* Melius Ado *Achillæ*, qui & ex citato loco accepit materiam elogii, mutata tantillum phrasi, à Nostro ad verbum transcripti. Atque hic denuo Sanctus est, apud alios Martyrologos, extra seriem nostram minime quærendus; uti & frustra indagabitur causa, cur hoc potius die quam altero quolibet recolatur; cum id pro mero Romani parvi auctoris arbitratu, & hîc & plurimis aliis locis factum plane existimem. Vide quæ pro vero obitûs die, verosimilius definivi in Tract. de Patriarchis Alexandrinis cap. 3 pag. 36 à num. 188, ubi & paucis collegi, quæ ad vitam ejus pertinent, conferenda cum articulo Tillemontii tomo 6 pag. 213 & 214. *Achillæ.*

In laudato Romano parvo secundum & ultimum locum tenet: *Apud Perusinam, Herculani episcopi & martyris*; claritatis gratia interjecit Ado, *Italiæ urbem*, tertio loco Herculanum signans, sed absque ulteriori elogio, quod totum Usuardi verbis conceptum, & ex Gregorii Dialogis, licet non satis recte, desumptum esse oportet, ut supra ex probatissimis codicibus abunde demonstravimus. Et hæc quidem ex Gregorii, vadem citantis, auctoritate satis certa sunt; Quid de duobus Herculanis Perusiæ episcopis censendum sit, conatur explicare Baronius in Notatione, sed ipse Gregorii elogium ei Herculano aptavit, cujus aut natalis aut translatio recolitur 1 Martii, ut facile intelligas dubium hîc & incertum hæsisse, quemadmodum hærent omnes, qui se patriis præjudiciis abduci non sinunt. Verum de his Herculanis geminis vel forte pluribus, uti & de aliis Umbriæ multiplicatis Sanctis, accuratissimam disquisitionem suo tempore dabit Janningus noster, qua densæ illæ, quibus pridem, teste Bollando, obvoluta fuit Umbria, tenebræ, pro majori parte poterunt dissipari. *Herculani.*

Amarantus à Viennensi Martyrologo primum positus est secundo loco, ex cujus brevi elogio verba sua omnia desumpsit Usuardus. Fons est Gregorius Turonensis, de gloria Martyrum cap. 57, à quo *Amarandus* appellatur: nec scio quidquam aliud de Sancti hujus rebus gestis memoriæ proditum esse. Sic ipsum cum Willibrordo honoravit Wandelbertus: *Amaranti.*

Septenas, Amarante, pia de morte sacrasti.
Has quoque Willibrordus habet, quo principe plebis
Fresonum multi Christum sensere vocantem.

Porro *Willibrordum* ab Adone recte semovit Rosweydus, quidquid Mosander Martyrologii ejus textui absque asteriseo ipsum inserat. In Rabano die præcedenti, ex vitæ auctore Alcuino collocatur. Sed hîc solius & vere Usuardi esse, vel hinc conficio, quod plane alia sit phrasis nostra, ab ea quæ Adoni tribuitur. Ceterum illustrissimi Sancti memoria non Frisiis solum aut Batavis, sed & Brabantis ac præcipue Antverpiensibus summa in veneratione est, ut pluribus egregiis monumentis ostendunt Annales Antverpienses, postremis lucubrationibus à Magistro nostro Daniele Papebrochio elaborati, sed hactenus manuscripti. Est & cara ejus recordatio in Museo nostro, ob celebrem illum & vetustissimum codicem Martyrologii Hieronymiani, vulgo *Antverpiensem & Epternacensem*, quo virum sanctissimum usum fuisse, eumque à Laurentio scri- *Willibrordi.*

ptum, oſtenditur Præfat. Bollandianæ pag. XLVI. Vita ab Alcuino ſoluta & ligata oratione compoſita exſtat apud Surium, à Mabilione reproducta & obſervationibus illuſtrata ſeculi 3 Benedict. parte 1 à pag. 601, cui jungi poterunt elogia Bedæ & aliorum.

AUCTARIA.

TORNACEN. De Herculano ſcribit ſicut Ado. Cetera pura ſunt.

ROSWEYD. In primis purus: ſic pergit: *In Aſternaco, ſancti Willibrordi primi Trajectenſium archiepiſcopi. Eodem die, ſancti Florentii Strazburgenſis epiſcopi & confeſſoris.* *Florentii.*

PULSANEN. Prima pura eſt. Secunda & tertia caret elogio. De Willibrordo, nihil.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. In prima puri, ſecundæ, poſt *epiſcopi*, interſerunt: *Sub Totila rege interfecti.* In tertia rurſus puri, ſic quartam formant: *In territorio Treverenſi, Epternaco monaſterio, depoſitio ſancti Willebrordi, Trajecti inferioris epiſcopi & confeſſ.* *De Willibr.*

ALBERG. & DANIC. Cum prioribus conveniunt, ſed in fine: *Civitate Methis, depoſitio ſancti Ruſi epiſcopi & confeſſoris.* Vide Rabanum. *Ruſi.*

CENTULEN. In prima Adonianus, ſic pergit: *Apud Albiginenſem urbem, ſancti Amaranti martyris. Apud Peruſinam urbem Italiæ, ſancti Hercolani epiſcopi & martyris, cujus beatus Papa Gregorius in libro Dialogorum tertio venerabilem mentionem facit. Cœnobio Aſternaco, ſancti Willebrordi epiſcopi & confeſſoris, quem rogante Pippino duce Francorum ordinavit epiſcopum Sergius PP., & ad prædicandum Freſonibus deſtinavit.* *De Willibr.*

BRUXELLEN. Incipit: *Apud Aſternacum, monaſterio Epthoniaco, Treverenſis dyoceſis, depoſitio ſancti Willebrordi epiſcopi & confeſſoris. Qui cum ſociis duodecim veniens ab Anglia, à Sergio Papa Freſonum epiſcopus conſecratus, ſedem epiſcopalem ex dono Pippini Groſſi, ſtatuit apud Ultenburch, quod nunc Ultrajectum vocatur. Apud Albigenſem urbem, natale ſancti Amaranti martyris, qui exacto fidelis agonis curſu, ſepultus vivit in gloria.* Sequitur de Herculano, ut habent codices mediæ notæ ſupra. Tum de Achilla, pure. Denique: *Metis civitate, depoſitio ſancti Ruphi epiſcopi & confeſſoris.* *De eodem.* *Ruſi.*

HAGENOYEN. In prima ſatis purus, ſic pergit: *Apud Peruſinam urbem Italiæ, paſſio ſancti Herculani epiſcopi & martyris, qui vir totus erat catholicus, & ſuis ſuaſit reſiſtere Longobardis hæreticis, ob quod, dum civitas ipſa capta eſſet, à Thotilo rege hæretico juſſus eſt interfici, & primo corrigiam de dorſo ejus incidi, & poſtea decollari, & factum eſt ita; & corpus ejus inſepultum permanſit, ut ſcribit beatus Gregorius in Dyalogo, & die quadrageſima corpus ejus ſanum inventum eſt. In Fryſia, depoſitio ſancti Willibordi epiſcopi, qui erat unus de Capellanis Karuli imperatoris, ad cujus præceptum ille in civitatem Trajectenſem ſe tranſtulit* [patet anachroniſmus] *& illam convertit ad fidem, & poſtea in Fryſiam, ubi magnam partem illius terræ convertit ad Dominum, & ibi in pace obiit, & ipſe eſt ſepultus in Ekternaco, ubi prius ipſe fuerat monachus, Treverenſis dyoceſis. In civitate Methis, depoſitio ſancti Ruſi epiſcopi & confeſſoris.* Sequitur de Fibitio Trevirenſi ex v Novembris. Demum: *In monaſterio Habetenſi, in Burgundia, ſanctæ Gebedrudis, virginis & abbatiſſæ.* Vide Caſtell. in indice. *De Willibr.* *Ruſi.* *Fibitii.* *Gebedrudis.*

DAVERONEN. *In Turonico, ſancti Baldi confeſſoris.* Notat Caſtellanus ſcribendum *Baudini.* *Baldi.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Willebrordi epiſcopi primi Trajectenſis.* In margine habetur, *feſtum in civitate. Herculani epiſcopi & martyris. Amaranthi martyris. Achillæ epiſcopi Alexandriæ.*

In VATICAN. n. 5949. Nihil de Willibrordo.

FLORENTIN. *Apud civitatem Paduanam, ſancti Proſdocimi*, ut in Romano. *Proſdocimi.*

CODEX MONTIS SANCTI. *Venerabilis tranſitus nobiliſſimæ virginis Gebetrudis abbatiſſæ ſanctiſſimæ, ſororis beati Adelphii, quæ ſuis meritis multa beneficia, ſe ſumma devotione quærentibus præſtat.* *Gebetrudis.*

EDITIO LUBECO-COL. Prima pura eſt; in ſecunda inſeritur Totila, ut ſupra. Tum: *Apud Albigenſem urbem, ſancti Amarantii martyris. Qui apud eamdem urbem exacto fidelis certaminis curſu, ibidem ſepultus vivit in gloria; cujus ſacrum ſepulcrum virtute Chriſti miraculis frequentibus illuſtratur. In territorio Treverenſi Epthernaco monaſterio, depoſitio ſancti Willebrordi Trajectenſis inferioris epiſcopi & confeſſoris. Cujus matri, dum adhuc eum in utero ſuo geſtaret, viſum eſt, lunam per os ejus ad interiora deſcendere, & longe lateque mundum illuſtrare: quæ viſio futurum eum ſignificavit prædicatorem, qui mundana corda illuſtrare ſua doctrina debebat. Hic Friſones ad fidem Chriſti convertit, & ædificato in prædicto opido ſolemni monaſterio honorabilium monachorum, ibidem ſepultus requieſcit. Civitate Methis, depoſitio ſancti Ruſi epiſcopi & confeſſoris. In territorio Turonico, ſancti Baldi confeſſoris.* *De Amarant* *De Willibr.* *Ruſi.* *Baldi.*

BELIN. Incipit: *Apud Paduam civitatem, depoſitio ſancti Proſdocimi, primi epiſcopi civitatis ipſius, qui à beato Petro Apoſtolo epiſcopus ordinatus, ad prædictam civitatem Paduam, ad prædicandum Dei verbum miſſus eſt, ubi multis virtutibus & prodigiis coruſcando, beato fine quievit.* Sequitur textus non ſatis correctus. *Proſdocimi.*

GREVEN. *Iſte beatus vir ardore fidei ad euangelizandum gentibus Friſonum, de Britannia egreſſus, ut Beda libro 5 refert, ad Pepinum Francorum ducem declinans, ab eo Romam miſſus, à Sergio Papa epiſcopus ordinatus eſt anno Domini* DCXCIII. *Unde rediens, à præfato duce in caſtello Trajecto locum ſedis epiſcopalis accepit, ac longe lateque verbum fidei ſeminans, infinitum populum Chriſto acquirens, tandem in Epthernaco monaſterio, in territorio Treverenſi, quod ipſemet conſtruxerat, quievit in pace. In Nichomedia, ſanctorum Poliſii, Euſtaſii, Primi, Rogatiani. In Aphrica, natale ſanctorum Rogati, Donati, Juliæ.* Vide Hieronymiana. *Ipſo die, ſanctæ memoriæ Engelberti archiepiſcopi Agrippinenſis Coloniæ & martyris: qui ob defenſionem oppreſſorum, ab impiis innocenter occiſus, feliciter occubuit anno gratiæ* MCCXXX [in prima editione habetur MCCXXV.] *Reſtituti epiſcopi & confeſſoris. Methis, beati Ruſi epiſcopi & confeſſoris. Tricaſtini epiſcopi & confeſſoris. Proſdocimi epiſcopi & confeſſoris. Qui cum beato Marco Euangeliſta & Appollinare Rhomam veniens, à beato Petro civitati Patavinæ ordinatus epiſcopus, cum populum innumerum fidei Chriſti acquiſiviſſet, tandem plenus dierum, meritorum ac miraculorum gloria, quievit anno epiſcopatus ſui* XCIII. *Poliſii &c.* *Rogati &c.* *Engelberti.* *Reſtituti.* *Ruſi.* *Tricaſtini.* *Proſdocimi.*

Argen-

Florent. *Argentinæ, ſancti Florentini epiſcopi & confeſſoris.*
Baldi. *In territorio Turonico, ſancti Baldi confeſſoris.*

MOLAN. De Willibrordo litteris Italicis in
De Willibr. textu, *Trajecti inferioris.* Tunc typis minutis: *Qui quieſcit inter Treverim & Lutzenburgum, in oppido &*, rurſus Italicis, *in monaſterio Echternaco, Treverenſis diœceſis: cujus actus Beda presbyter in geſtis Anglorum deſcribit. Hic à Sergio Papa Roma ordinatus eſt, & in Germaniam ad prædicandum deſtinatus, ibidemque requievit.*
De Rufo. Tum ex Rabano: *Item ſancti Rufi Metenſis urbis epiſcopi & confeſſoris, qui tranſlatus eſt à prædicta urbe, conſentiente Drogone præſule, in Vormatienſem pagum, in villam quæ vocatur Oternheim, temporibus Lotharii imperatoris & Ludovici regis, ubi etiam ſanctitas ejus multis virtutibus claruit.* In Proſdocimo, deſcribit BELIN.
De Proſdoc. *De Florent.* Tum: *Apud Argentinam, ſancti Florentii epiſcopi & confeſſoris, qui Sectorum indigena, in flore adoleſcentiæ patriam parenteſque deſeruit, & accitis ſibi ejuſdem propoſiti ſociis Arbogaſto, Theodato, ac Hildulpho, Domino duce, fines attigit Alſatiæ, temporibus regis Dagoberti, & Arbogaſto in cathedra ſuccedens, multis virtutum floribus glorioſe refulſit.* Sequitur minoribus typis de Engelberto, ut GREVEN. Demum: *In territorio Turonico, ſancti Baldi confeſſoris & archiepiſcopi Turonici.* Editiones poſteriores de Willibrordo, Rufo, Proſdocimo, Florentio & Baldo, terme ut in prima. Tum: *Arvernis, ſancti Amandini confeſſoris. Die ſeptima, ſanctorum triginta & trium martyrum in Melitene. Et ſancti patris ac thaumaturgi Lazari, qui exercuit ſe in monte lacteo.* Dein typis minoribus: *Item depoſitio ſancti Reſtituti, primi epiſcopi Tricaſtrenſis, cujus corpus Aurelianus, in monaſterio ſancti Euurtii, præcipuo colitur honore.* De Engelberto, ut ſupra; ſed inter primam & poſteriores editiones ea eſt diverſitas, quod prior ſignet annum obitus MCCXX, hæ vero annum MCCXXV.

De Engelb. Baldi. *Martt. 33. Lazari. Reſtituti.*

VI *Idus.* *Die* 8.

ROmæ via Lavicana, paſſio ſanctorum Claudii, Nicoſtrati, Simproniani Caſtorii & Simplicii, qui primò in carcerem truſi, deinde ſcorpionibus graviſſime ſunt cæſi, ſed cum à fide Chriſti mutari non poſſent, juſſi ſunt à Diocletiano in medio mari præcipites dari. Item via Lavicana, natalis quatuor Coronatorum Severi, Severiani, Carpofori & Victorini, qui jubente Diocletiano ictibus plumbatarum uſque ad mortem cæſi ſunt. Horum nomina cum minime potuiſſent repperiri, quæ Domino revelante interjectis annis poſtea oſtenſa ſunt, ſtatutum eſt, ut anniverſaria dies ipſorum ſub nominibus ſupradictorum quinque martyrum recoleretur.

Claudii & ſociorum. *Severi &c.* *Coronatorum.*

Conveniunt *Praten. Herinien. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max Ultrajectin. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. Legendum eſſet ex Romano parvo & Adone *Symphroniani*, non *Simphoriani*, ut male habent Roſweyd. Max-Lubec. Greven. & Molan.; at ex melioris notæ codicibus ſervandum fuit *Simproniani.* In apographo noſtro Pratenſi deeſt *Caſtorii.* Nonnulli codices ſcribunt *carcerem miſſi*, ſed puriores, ut eſt in textu. Hæſitaſſe potiſſimum videntur codicum ſcriptores circa ultimam textus formulam, nimirum, ſcribendumne eſſet *ſub nominibus ſupradictorum quinque martyrum*, an potius *quatuor martyrum.* Praten. & Munerat. male legunt *quatuor*; Greven. & Molan. numerum ſupprimunt; ceteri ex Romani parvi, Adonis, ac proinde & Uſuardi mente recte legunt, ut ſenſus exigit, *ſupradictorum quinque martyrum.* Reliqui in textu *Carpofori* & *repperiri.* De *Nichoſtrati*, *Severini* pro *Severi*, *coleretur* pro *recoleretur*, nihil magnopere notandum. At in Praten. videtur defuiſſe particula *quæ*, ante *Domino*, unde formanda eſſet conſtructio ſicut habet Munerat. *ſtatutum eſt autem.*

OBSERVATIO. Binas textus noſtri martyrum claſſes ſic primus in Martyrologio conjunxit auctor Romani parvi, non primus tamen ipſe combinationis auctor, utpote quam reperire potuerit in Sacramentariis Romanis, & notanter in Gregoriano, ubi & quinque priores nominatim, & quatuor Coronati anonymi in eadem Miſſa conjuncti habentur; ſic quidem, ut in prima oratione *Claudius, Nicoſtratus* &c. expreſſi ſint, in Præfatione autem de quatuor Coronatis anonymis agatur: cujus rei hæc ratio Miſſæ ipſi præfigitur: *Quatuor Coronatorum nomina hæc ſunt, Severus, Severianus, Victorinus & Carpophorus, quorum dies natalis per incuriam neglectus, minime reperiri poterat; ideo ſtatutum eſt, ut in eorum eccleſia, horum quinque Sanctorum, qui in Miſſa recitantur, natalis celebretur, ut cum iſtis, eorum quoque memoria pariter fiat.* Ad quæ vide variantes manuſcriptorum lectiones in Menardi notis pag. 185, ubi & de quatuor Coronatorum

Claudii &c. *Severi &c.*

eccleſia, titulo &c. Cum his modo conferamus Romani parvi verba ſequentia: *Romæ, martyrum Claudii, Nicoſtrati, Symphroniani, Caſtorii, Simplicii artificum inſigniſſimorum. Et ipſo die,* IV *Coronatorum Severi, Severiani, Carpophori, Victorini; quorum feſtivitatem ſtatuit Melchiades Papa ſub nominibus quinque martyrum celebrari, quia nomina eorum non reperiebantur, ſed intercurrentibus annis cuidam ſancto viro revelata ſunt.* In quibus vides eamdem ferme Sacramentarii ſententiam referri. Quærit Menardus & cum eo recentiores aliqui, quomodo Melchiadis tempore ignorata fuerint ſanctorum Coronatorum nomina, præſertim cum ſub Diocletiani perſecutione paſſi dicantur? Sed ego hîc nihil video quod tantopere mirentur; quaſi non plures, imo plurimi, graſſante immani carnificina, coronati ſint vivo & forte ſpectante Melchiade, quorum nihilominus diſtincta nomina in ejus notitiam non pervènerint. Huc refer Sauſſayi criticam, qui Romani parvi, inviſi ſibi opuſculi, angulos omnes ſcrutatus, ridiculi hîc aliquid ſe offendiſſe clamitat, quod Coronati quatuor ſub nominibus quinque martyrum celebrentur. Sed hæc ſatis ſolide refutata ſunt a Florentinio Admon. prævia 4, pag. 19, ut in Præfationis noſtræ cap. 2 etiam indicavimus. Bedam potius, ſi verum Bedam noviſſet, vellicare poterat Sauſſayus: ille etenim cavillis iſtis anſam præbuit, dum ita indiſtincte ſignavit: *Romæ, quatuor Coronatorum Claudii, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorii & Simplicii,* ubi aliorum nomina aliis ſupponi videntur, ad eamdem interim explicationem revocanda. Quod ſi ea non placeat, cum Ordine Romano prius luctetur Sauſſayus, quam Martyrologia convellere nitatur. In Kalendariis Allatii & Frontonis ſimpliciter ponitur hoc die: *Natale SS. quatuor Coronatorum.* At Sacramentarium Thomaſii rem totam denuo confundere videtur: *Sanctorum quatuor Coronatorum Caſſiani, Claudi, Caſtori, Simproniani.* Quomodocumque hæc vertas, aut verſes, ad ſuperiorem ſententiam intelligenda ſunt. Alia de Coronatis quæſtio moveri poteſt ex Kalendario Bucherii ſic legente: VII *Id. Auguſti. Secundi, Carpophori, Victorini, & Severiani, Albano & Oſtienſe.* Quadrant nomina, excepto primo: ſed quid ſibi volunt *Albano* & *Oſtienſe?* An hic vere de Coronatis noſtris agitur? Fateor hæc mihi necdum ſatis eſſe explorata.

Nodus haud minus difficilis eſt, quem VII Julii attigimus, ubi cum Romano parvo, Adone, Uſuardo & Notkero putavimus, hodiernos quinque artifices diſtinguendos à quinque fere ſynonymis ſancti Sebaſtiani Catechumenis, de quibus ibi ſermo erat, ut plane diverſa ſunt Acta ambabus turmis ab Adone aptata. Scio hodiernum ſub nomine Flori auctarium, quinque noſtros ex S. Sebaſtiani Actis exornare, ſcio alios ita quoque ſentire; verum confundendos hactenus non video, ſi recte diſcerni poſſint. Plura hoc die in notatione diſputat Florentinius, nec ita rem expedit, quin multa ſuperſint proximo menſe Julio in Actis accuratius diſſolvenda. De Coronatis non meminit Wandelbertus, niſi velimus Bedam ſecutum, eoque in ſecundo verſu induxiſſe nomen *Coronæ*; interim priores quinque ita canit, ut tota laudatio ſynonymis quibuſque martyribus aptari queat:

Claudi, Caſtori, Simplici, Simphoriane
Nicoſtrate pari fulgetis luce Coronæ,
Senas ornantes Idus merito atque cruore.

AUCTARIA.

TORNACEN. In prima purus; in ſecunda refert nomina Coronatorum uſque ad *Victorini* incluſive; deſunt reliqua.

ANTVERP-MAJ. Etiam purus in prima, producit ſecundam ad *caſi ſunt*, ſed in reliquis mutilus eſt.

PULSANEN. Primam habet uſque ad *Simplicii*; ſecundam ad *caſi ſunt*, utrumque incluſive; cetera nihil.

In DANIC. recentiori manu in inferiori ora codicis adjectum eſt: *Item octava omnium Sanctorum. Item tranſlatio ſancti Ludovici confeſſoris.* De quo vide BELIN. & alios. *Oct OO SS. Tranſl. Lud.*

CENTULEN. *Romæ, ſanctorum martyrum Claudii, Nicoſtrati, Simproniani, Caſtorii atque Simplicii, tempore Dyocletiani. Eodem die, ſanctorum quatuor Coronatorum Severi, Severiani, Carpofori, Victorini. Et octava ſancti Vigoris.* *Oct. Vigoris.*

BRUXELLEN. Incipit: *Octava feſtivitatis omnium Sanctorum.* Tum de IV Coronatis, ſic tamen ut textus male compoſitus, pejus correctus ſit. Tum de quinque aliis, poſt *Simplicii*, interjicit: *Qui lathomi exiſtentes, & nomine Chriſti artificioſiſſime operantes, primo in carcerem miſſi, & deinde ſcorpionibus graviſſime caſi ſunt; ſed cum à fide Chriſti flecti non poſſent, juſſu Dyocleſiani in medio mari præcipitati ſunt. In Affrica, paſſio ſanctorum martyrum Rogati, Primæ, Donati, Julia, Gaudii & Balſami.* Vide Hieronymiana, die præcedenti. Tum: *Ipſo die, tranſlatio ſanctorum martyrum Senatoris, Viatoris, atque Caſſiodori. Item tranſlatio ſancti Ludovici epiſcopi & confeſſoris.* *de Claud. & c Rogati. &c. Tranſlat. Senator. &c. Tranſlat. Ludovici.*

HAGENOYEN. *Romæ via Lavicana, paſſio ſanctorum martyrum Claudii, Nycoſtrati, Sympronianí, Caſtorii & Symplicii, qui primo in carcerem ſunt miſſi. Qui cum edocti forent omni arte ſculpturæ, Dyocleciano ydolum facere noluerunt, & poſtea ſcorpionibus ſunt duriſſimè caſi, & tunc cum a fide Chriſti mutari non poſſent, juſſi ſunt à Dyocleciano in plumbea capſa in mare precipitari.* In altera ferme purus *de Claud. &c*

purus est, tum de Florentio, quem die præcedenti in Auctariis non semel posuimus, sic
De Florent. habet: *In Argentina, depositio sancti Florencii, ejusdem civitatis episcopi, qui prius in Hasela vitam heremiticam duxit, in multa patientia & abstinentia. Qui postquam filiam Dagoberti regis Franciæ, filiam unicam cæcam & surdam sanaverat, terram ad ædificandum monasterium accepit, & post mortem Arbogasti episcopi, sedem episcopalem ab eodem recepit, & multis clarus virtutibus obiit in pace.* Deinde ex textu diei præcedentis, agit de Amaranto. Demum: *Item*
Austremon. *sancti Austremonii episcopi & martyris.* Vide natalem, die 1 Novembris.

AQUICINCT. Pro *Lavicana* initio, habet *Latina*, & cum codicibus pro textu citatis legit *Simproniani.*

Fest. reliq. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Festum reliquiarum*; nempe, ut in margine explicat, in Ordine Cartusiano. Verum de quibus, aut quorum Sanctorum reliquiis agat, necdum intelligo. Pergit: *Quatuor Coronatorum, scilicet Severi, Severiani, Carpophori & Victorini. Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii & Simplicii.*

FLORENTIN. *Translatio sancti Ludovici epi-*
Transl. Lud. *scopi & confessoris, Ordinis Minorum.*

CODEX CASTRI-CAR. *Dedicatio ecclesiæ B. Mariæ Castri-Karoli, per manus Domni Leodegarii.*

LUXOVIEN. *Mediano monasterio, translatio*
Transl. Hid. *sancti Hidulfi archiepiscopi & confessoris.* Vide auctarium GREVEN. infra.

EDITIO-LUBECO-COL. *Octava omnium San-*
Oct. OO. SS. *ctorum Dei. Item festivitas reliquiarum.* Vide supra MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. Sequitur textus satis purus. Tum: *Treveris in mo-*
VVeomadi. *nasterio beati Maximini, natale sancti Weomadi episcopi & confessoris. Eodem die civitate Mar-*
Transl. Lud *silia, translatio sancti Ludovici, episcopi & con-*
Austremonii *fessoris, Ordinis Minorum. Ipso die, beati Au-*
VViliehadi. *stremonii episcopi & confessoris. Item sancti Willehadi episcopi & confessoris.* Vide infra GREVEN.

BELIN. In textu satis purus, superaddit in fine: *Eodem die, translatio sancti Ludovici epi-* *Transl. Lud.*
scopi & confessoris, Ordinis Minorum. Item octa- *Oct. OO. SS.*
va omnium Sanctorum.

GREVEN. *Octavæ festivitatis omnium Sanc-* *Oct. OO. SS.*
torum. Festivitas reliquiarum eorumdem. Remisi supra ad MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. An de alia festivitate hîc agatur, post videbitur. Reliqua Auctaria recenseo: *In Africa, sanctorum Primi, Macharii, Justi & aliorum octode-* *Primi &c.*
cim. Vide Hieronymiana. *Item hîc, depositio*
sancti Hildulphi episcopi Treverensis, qui etiam *Hildulfi.*
supra habetur VII *Idus Julii.* Errat; nam habetur V Idus seu XI Julii: forte hîc translationem indicare voluit, ut est supra in LUXOVIEN. Pergit GREVEN: *Eodem die, depositio sancti Wil-* *Willehadi.*
lehadi, primi episcopi ecclesiæ Bremensis & con-
fessoris. Treveris, sancti Weomadi episcopi & con- *Weomadi.*
fessoris. Ambianis, sancti Godefridi episcopi & *Godefridi.*
confessoris. Austremonii episcopi & confessoris. Mo- *Austremon.*
roci episcopi. Apud Marsiliam, translatio beati Lu- *Moroci.*
dovici, episcopi & confessoris, Ordinis Minorum. *Transl. Lud.*

MOLAN. *Eodem die, translatio sancti Ludovi-* *Transl. Lud.*
ci, episcopi & confessoris, Minoritæ. Item octava *Oct. OO. SS.*
omnium Sanctorum. Ipso die, sancti Hildulfi episco- *Hildulfi.*
pi Treverensis. Dein typis minoribus: *Eodem die, depositio sancti Willehadi* &c. ut GREVEN. *Ambia-* *Willehadi.*
nis, sancti Godefridi episcopi & confessoris, cujus *Godefridi.*
vita tribus libris conscripta habetur ad Rohardum decanum Suessionensem. Editiones aliæ litteris Italicis textui de Claudio &c. immiscent: *Qui cum essent insignes artifices, & in lapidibus marmoreis imagines sculpere super omnes artifices nossent, eo quod falsos Deos adorare renuerant, primo* &c. In fine: *Item octava omnium Sanctorum. Bremæ, depositio sancti Vuillehadi* &c. *Virduni, sancti Mauri, episcopi ejusdem civitatis &* *Mauri.*
confessoris. Die octava, commemoratio archistrategi Michaëlis, & reliquarum incorporearum vir- *Michaëlis*
tutum. Demum typis minoribus: *Ambianis,* *& OO. AA.*
sancti Godefridi episcopi & confessoris. Ut supra.

V *Idus.*

Die 9.

APud Amasiam civitatem Marmaritanorum, natalis sancti *Theodori.*
Theodori martyris, qui temporibus Maximiani & Maximini imperatorum, pro confessione Christianæ fidei fortiter cæsus ac in carcerem missus, dein Domino Salvatore sibi apparente & monente ut constanter & viriliter ageret, relevatus est. Novissimè postquam equuleo suspensus & ungulis est corrosus, ita ut ejus interiora nuda apparerent, ardentibus traditur ignibus. Eodem die civitate Bituricas, sancti Ursicini confessoris, qui Romæ ordinatus à successoribus *Ursicini,* al. *Ursini.*
Apostolorum, primus eidem urbi destinatur episcopus.

Puri sunt *Praten. Rosweyd. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Amasiam* scribunt omnes cum appellativo *Marmaritanorum*, quasi peculiaris regio aut gens aliqua designaretur, cum sermo sit de legione militum Amaseæ in Ponto hiberna traducentium. Solus Rosweyd. scribit, *Theodori militis & martyris.* Idem cum Molano habet: *Maximiani & Maximi.* Rursus Rosweyd. elogii finem videtur voluisse expolire, dum ita legit; *ignibus traditus, reddidit spiritum. Civitate Bituricas*, solita est Martyrologorum locutio, eam forte emendare voluit Greven. per *civitate Biturica. Ursicini* certo scripsit Ado, atque ex eo Usuardus in omnibus prope codi-

codicibus, Greven. & Molan. verum nomen *Urſini*, quamvis non vere Uſuardine, ſubſtituunt, ut eſt etiam in codice Pratenſi B.

Theodori. OBSERVATIO. Vere Megalo-martyr nuncupari poteſt, præcipuo cultu præ Theodoris aliis militibus, ſi plures ſunt, venerandus hic noſter cognomento *tiro*, Amaſeenſis ſeu Euchaita, in Allatii & Frontonis Kalendariis, in Sacramentario Gregorii & in Martyrologiis prope omnibus hoc die apud Latinos celebratus. Ad Hieronymianos codices pertinere non videtur, ut facile admittit Florentinius; at Beda, Florus, Wandelbertus, & qui in ſerie noſtra ſunt, eum conſtantiſſime prædicant. Beda cum laudatis Kalendariis & Sacramentario, ſimpliciter habet: *Natale ſancti Theodori martyris.* Paulo expreſſius Romanum parvum: *Euchaitæ, ſancti Theodori martyris*, locum non natalis, nec martyrii, ſed glorioſiſſimæ ſepulturæ deſignans. Neque in Adone notatur palæſtra certaminis, neque ejus elogium, ſaltem in hac commemoratione contraxiſſe videtur Uſuardus, quem plane exiſtimo Acta ipſa conſuluiſſe, unde à legione militum, ſic ibi denominata, civitatem illam ſuam *Marmaritanorum* non ſatis apte formaverit, quod vocabulum in elogio, ſub nomine Flori edito, multo melius expunctum eſt. Porro ex præfatis Actis, cum egregio in Theodorum Gregorii Nyſſeni encomio à Surio vulgatis, ſeriem ſuam hiſtoricam Gallicè compilavit Tillemontius tomo 5 à pag. 369, in notis eò ſpectantibus plurima obſervans, tum circa Acta ipſa, tum circa hunc & Heracleenſem Theodorum, de quo in Actis noſtris VII Februarii: quæ omnia in majori opere ſcrupuloſius erunt expendenda. Videri interim poſſunt Notatio Baronii & Acta ſincera Ruinartii à pag. 531. Sunt penes nos varia Græca monumenta de paſſione Theodori tironis ejuſque miraculis, ſuo tempore cum jam pridem vulgatis illuſtranda. Solus in Wandelberti metrico, hoc verſiculo honoratur:

Quinæ mox Idus Theudoro martyre vernant.

Urſicini vel Urſini. Floro ſupra citato etiam adſcribitur tota noſtra de *Urſicino*, ſeu melius *Urſino* Bituricenſi annuntiatio, ſed quæ certo ab Adone primum conſignata & ex hoc ab Uſuardo; hinc, niſi vehementiſſime fallor, à noſtro illo Floro deſumpta eſt, idque vel inde conjici datur, quod ipſum nomen, nempe *Urſicini* ſervatum ſit, male ab Adone efformatum. Sed de Floro iſto qualicumque, à Majoribus noſtris edito, alibi diſputavimus; hic ſatis ſit, vere Uſuardina eſſe, quæ in utraque commemoratione exhibentur. De Urſini vita & geſtis ea probantur admittunturque, quæ à Gregorio Turonenſi, de Gloria confeſſorum cap. 8 tradita ſunt, à Tillemontio Gallicè reddita, tomo 4 à pag. 477 atque explicata pag. 726. Vitam longiorem edidit Labbe tomo 2 Bibliothecæ MS. à pag. 5, *incerti auctoris*, inquit in ſcriptorum Syllabo, *ſed recentioris, qui multa parum probabilia ex popularibus rumuſculis collegit, quod plurium aliorum vitium*; forte etiam eorum, à quibus ſunt manuſcripta noſtra de Urſini vita, revelatione & tranſlatione, de quorum fide & auctoritate nolim præmature quidquam decernere. Solum noto, diem hunc à nonnullis *elevationis* cenſeri, natalem vero XXIX Decembris, quam certò, necdum mihi licuit tutò explorare.

AUCTARIA.

Vitoni. HERINIEN. Puriſſimus eſt, ſed ex proprio loci vel provinciæ cultu, in fine ſuperaddit: *Virduni, depoſitio beati Vitoni, epiſcopi & confeſſ. ejuſdem civitatis*

TORNACEN. In Theodori elogio, pro magna parte mutilus, in ſecunda, purus eſt.

ANTVERP-MAJ. In prima purus & integer, ſic format ſecundam: *Eodem die civitate Bituricas, ſancti Urſini confeſſoris.*

PULSANEN. In prima habet uſque ad *martyris*; in ſecunda uſque ad *confeſſoris*, expunctis elogiis. Addit autem in fine: *Ipſo die apud Virdunum, depoſitio ſancti Guitoni ejuſdem civitatis epiſcopi.* Nomen ſatis notum eſt.

Vitoni.

Ejuſdem. ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Poſt textum: *Virduni, ſancti Vidoni epiſcopi & confeſſoris.* MAX-LUBEC. ſcribit *Virdini* & *Widoni*; rectius UGHELLIAN. *Vitoni.*

Maturini. MUNERAT. In textu utcumque purus, adjicit: *Eodem die, Maturini confeſſoris, cujus corpus honoratur & colitur in territorio Senonenſis dioceſis* Scio ab Uſuardo 1 Nov., ab aliis hoc die coli, ſed neſcio cur hic utroque die ſignaverit.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Textui puro ſubjungunt: *Virduno, depoſitio ſancti Vitoni, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris.* Hæc vel ſimilis phraſis ſæpe hodie à codicibus repetitur. *Vitoni.*

ALBERGEN. & DANIC. Præterea ſuperaddunt: *Dedicat. Dedicatio baſilicæ Salvatoris.* Vide infra BELIN. *S. Salvator.*

CENTULEN. *Apud Amaſiam civitatem Marmaritanorum, paſſio ſancti Theodori martyris, ſub Diocletiano. Eodem die, ſancti Urſini Bituricenſium primi epiſcopi & confeſſoris. Virdunis, ſancti Vitoni epiſcopi & confeſſoris.* *Vitoni.*

BRUXELLEN. Novum Theodorum producit: *Romæ, ſancti Theodori martyris.* Sequitur prima noſtra annuntiatio, fere pura. Tum: *Atrebatis, ſancti Ragnulfi martyris.* De Urſicino, ſatis Uſuardine. In fine cum codicibus reliquis: *In ſuburbio Virdunenſi, ſancti Vitoni, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris.* *Theod. Rom.* *Ragnulfi.* *Vitoni.*

HAGENOYEN. Incipit, dies tranſponens: *In Treveris, ſancti Hildulfi epiſcopi. In civitate* [forte *Berito*] *paſſio ymaginis Crucifixi.* De Theodoro, poſt *revelatus eſt*, hæc inſerit: *Et turba albato-* *Hildulfi.* *Imag. Cru.*

albatorum virorum cum illo pſallere cœperunt. Quæ ut viderent & audirent pro videruni & audierunt
De Theodoro. cuſtodes carceris, fugierunt. Tunc ſanctus Theodorus in ligno ſuſpenditur, & ungulis ferreis laceratur, & latera ejus raduntur; & ait præſes: Vis nobiſcum eſſe Theodore, aut cum Chriſto? Et reſpondit, Chriſto meo fui, ſum & ero. Et ſtatim juſſus eſt igne conſumi. Qui in igne poſitus, ad vocem Domini emiſit ſpiritum, & corpus ejus non eſt combuſtum, cælumque apertum ſuper eum multi viderunt. Sequitur nova eruditio: *Eodem die civitate Biturica, ſancti Urciſcini confeſſoris & epiſcopi. Hic prius vocabatur Nathanahel, de quo in Euangelio Johannis. Qui Romæ à ſucceſſoribus Apoſtolorum ordinatus eſt epiſcopus, & primus eidem urbi deſtinatur pontifex, multis ad fidem converſis, & miraculis pluribus perpetratis, & ædificatis eccleſiis*
De Urſino. Vitoni. Attici. Melani. *obiit in pace. Virduno, depoſitio beati Wydonis epiſcopi & confeſſoris. In Africa, ſancti Attici martyris. Redonis, depoſitio ſancti Melani confeſſoris.* Spectant ad VI Novembris.

AQUICINCT. In fine: *In territorio Adartenſi, ſancti Ragnulfi martyris. Verduni, ſancti Vitonii epiſcopi.* Lege ut ſupra *Vitoni.*
Ragnulfi. Vitoni.

VICTORIN. & REG. SUEC. num. 130. *Eodem die in territorio Nevernenſi, ſancti Maturini levitæ & confeſſoris.* Secundus codex, nempe REG. SUEC. melius legit *Maurini.*
Maturini

AMBIANEN. *In ſuburbio Verdunenſi, depoſitio ſancti Vitoni, patris noſtri, epiſcopi & confeſſoris.*
Vitoni.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Theodori martyris. Nathanaël epiſcopi, fratris ſancti Philippi Apoſtoli Domini. Vitonis epiſcopi Verdunenſis. Urſini epiſcopi & confeſſoris.* Si ſcriptor hujus codicis HAGENOYENSEM vidiſſet, Urſinum & Nathanaël in unum conflaſſet.
Nathanaël. Vitoni.

REG. SUEC. ſignatus num. 428. *Caſtro Virduno, ſancti Vitoni epiſcopi.* Sic etiam ferme legit codex LUXOVIEN.
Ejuſdem.

FLORENTIN. *Apud Virdunum, ſancti Victorini, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris.* Lege *Vitoni.*

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *In ſuburbio Virdunenſi, natale ſanctiſſimi Vitoni epiſcopi & confeſſoris.*

BELNEN. *Tranſlatio corporis B. Floſcelli martyris, in hac eccleſia Belnenſi quieſcentis, quod corpus per venerabiles patres Dominum Simonem tit. S. Cæciliæ preſb. Card. Apoſtolicæ ſedis legatum in Francia, & Gerardum Dei gratia Æduenſem epiſcopum, de loco ad locum magis venerabilem, die prædicta eſt tranſlatum, anno Domini* MCCLXV.
Tranſlat. Floſcelli.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Apud Ediſſam civitatem, commemoratio ſancti Sanguinis Chriſti ex imagine Crucifixi Domini.* In prima annuntiatione modice interpolata eſt. In ſecunda ſuperaddit: *Iſte Urſicinus prius dictus eſt Nathanaël Apoſtolus Chriſti, cui Dominus dixit: Ecce verus Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Quievit autem in pace, apud præfatam urbem ſepultus & poſtmodum divina revelatione reinventus. In Hiſpaniis, ſanctorum Fauſti & Marcialis martyrum. Virduno, ſancti Widonis ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris. Item Virduno, ſancti Nicani epiſcopi & confeſſoris. In territorio Nivernenſi, ſancti Mauri* [melius ſupra *Maurini*] *levitæ & confeſſoris. Nicomediæ, ſancti Damiani confeſſoris.* Vide Hieronymiana.
De ſanguine Crucifixi. De Urſino. Fauſti &c. Vitoni. Nicani. Maurini. Damiani.

BELIN. Incipit: *Dedicatio baſilicæ Salvatoris.* Tum ſequitur textus ſatis purus.

GREVEN. *Commemoratio Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui apud Ediſſam civitatem, de imagine Crucifixi à Judæo percuſſa, miraculoſe profluxit. In Hiſpaniis, ſanctorum Fauſti & Marcialis. Romæ, natalis ſanctorum Clementis, Simphroniani. Item Nichomediæ, ſancti Gamaſi, aliàs Damiani.* Vide Hieronymiana. *Romæ, dedicatio baſilicæ ſancti Salvatoris, hoc eſt ſanctæ eccleſiæ Lateranenſis, à beato Sylveſtro facta. Ragnulfi martyris. Apud Heracleam civitatem Macedoniæ, ſancti Theodori martyris. Qui ſub Licinio rege, pro fide Chriſti virgis & plumbatis diutiſſimè cæſus, ungulis corroſus, faculis, vulneribus admotis, exuſtus, teſtis etiam acutiſſimis confricatus, deinde crucifigi ſagittarique juſſus, ad ultimum decollatione, martyrii gloriam adeptus eſt.* Jam diximus ſpectare ad VII Februarii, niſi idem ſit cum Amaſeenſi. En ſynonymum alterum: *Theodori epiſcopi Londonienſis & confeſſoris. Vitoni epiſcopi Virdunenſis & confeſſoris. Dethmari confeſſoris. Item ſancti Donati. In territorio Nivernenſi, ſancti Mauri levitæ & martyris. Paurilia virginis ſacræ, quam Paulus Apoſtolus legitur baptizaſſe. In Helleſponto, ſanctæ Euſebiæ virginis. Apud Carthuſienſes monachos, commemoratio defunctorum fratrum & ſororum ejuſdem Ordinis.*
Sang. Cruc. Fauſti &c. Clement. &c Gamaſi. Dedic. Salv. DeTheodoro Heracleenſi. Theod. ep. Vitoni. Dethmari. Donati. Mauri. Pauriliæ.

MOLAN. *Dedicatio baſilicæ Salvatoris, prima baſilica in palatio Conſtantini apud Lateranum, à beato Papa Sylveſtro facta. In pago Attrebatenſi, paſſio ſancti Ragnulfi martyris, qui poſitus eſt in baſilica ſancti Vedaſti. Eodem die, Maturini confeſſoris, cujus corpus honoratur & colitur in territorio Senonenſis diœceſis.* EX MUNERATO. *Eodem die, crucifixio imaginis Domini noſtri Jeſu Chriſti in Syria, civitate Beritho. Virduni, depoſitio beati Vitoni, epiſcopi & confeſſoris ejuſdem urbis.* Poſteriores editiones incipiunt: *Romæ, dedicatio baſilicæ Salvatoris, Conſtantini* &c. De crucifixione imaginis, de Ragnulfo & Vitono, ut in priori. Adjicitur: *Die nona, ſanctorum martyrum Oneſiphori, & Porphyrii. Et ſanctæ matris Matronæ.* Vide Martyrolog. Caſtellani.
Dedic. Salv. Ragnulfi. Maturini. Imag. Crucif Vitoni. Oneſiphori. & Porphyr. Matronæ.

IV *Idus.*

Die 10.

NAtalis beati Martini Papæ, qui ob fidem Catholicam ab imperatore Conſtantino hæretico de eccleſia raptus, ac perductus Conſtantinopolim, relegatus apud Cerſonam Liciæ provinciæ, ibidem vitam finivit, multis in eodem loco virtutum ſignis uſque hodie refulgens. In territorio Agatenſi, ſanctorum martyrum Tiberii, Modeſti & Florentiæ, qui tempore Diocletiani variis tormentis cruciati, martyrium compleverunt. Antiochiæ, ſanctorum Demetrii epiſcopi, Aniani diaconi, Euſtoſii & aliorum viginti.
Martini PP. Tiberii & ſociorum. Demetrii & ſocior.

Ita *Praten. Herinien. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Munerat. ſcribit *ob fidem Chriſti Catholicam*, & de reliquo conſtructionem torquet, vitioſa interpunctione. Plerique codices legunt *Conſtantino*, pauci *Conſtantio*; neutra lectio valet: primam in Adone repertam certo ſecutus eſt Uſuardus; aſt in Romano moderno emendatius legitur nomen *Conſtantis*, qui ab anno DCXLI ad DCLXVI imperium tenuit, ſub quo indigniſſimam illam perſecutionem, atque ex plagis & ærumnis martyrium paſſus eſt Martinus Papa. Rurſus exilii locum notant codices omnes *Cerſonam*, excepto Molano, qui *Cherſonam*, ut eſt in Romano parvo & Adone. Sed quæ eſt iſta *Cherſona Lyciæ?* Crediderim, locum eumdem indicari, quem olim exilio & martyrio nobilitavit Clemens Papa, de quo erudite diſputat Roſweydus Notatione 1 in libellum de Feſtivitatibus pag. 221 & 222. Hæc paucis hîc indicaſſe ſit ſatis. Relîqui in textu & *Cerſonam* & *Liciæ* ex codicum formatione. Sic etiam *Agatenſi*, licet Greven. & Molan. melius legant *Agathenſi*. Videtur ſcribendum *Tyberii*, ex quo Gallicè *Tubery*, ut habent iterum Greven.; & Molan. ſed manuſcripta præfero. Sic *Aniani*, pro quo aliqui *Aviani*: quid præſtet, neſcio.

Martini PP.

OBSERVATIO. Martini Pontificis, fortiſſimi puritatis Catholicæ adverſus Monothelitas defenſoris & martyris feſtivitas, forte ex recentiorum codicum Uſuardinorum placito, hoc tempore agitur XII Novembris; à Wandelberto, ipſo veroſimiliori obitûs die ſignata eſt, nempe XVI Septembris. Inter antiquos alios Martyrologos, in ſola ſerie noſtra celebratur, à Romano parvo in ſacras Tabulas primum relata, unica hac annuntiatione: *Cherſona Lyciæ, Martini Papæ, qui ob Catholicam fidem ibi relegatus, vitam finivit.* Hinc in Adonem tranſiit, ex quo decerpta eſt tota annuntiatio noſtra, ab ipſiſſimo Uſuardo, duces ſequente, non alio quam hoc die ſignata, ut probat codicum omnium antiquiorum ſententia. Allatii & Frontonis Kalendaria, dum Martinum aliquem, abſque diſtinctionis nota memorant XII Novembris, non hunc Papam martyrem, qui nec ſeculo nono tali die colebatur, ſed celebratiſſimum illum Turonenſem, ut mihi quidem videtur, reſpiciunt, ob Mennæ natalem, in diem ſequentem ibi tranſlatum. Sicui fortaſſe magis arrideat Frontonis ad Kalendarium eo die obſervatio, haud multum equidem reluctabor. Præclara ſunt Martini Papæ Acta à Surio vulgata, quæ à nobis ſuo loco cum Anaſtaſii aliorumque ſcriptis illuſtrabuntur; quo remittendæ quoque ſunt plures intricatæ controverſiæ circa pontificatus ingreſſum & egreſſum, circa tempus exilii omniumque geſtorum ordinem chronologicum, quas ſatius eſt hîc omnino præterire, quam jejunius & præter inſtitutum noſtrum delibare; pleræque jam, poſt Baronium, à Cointio, Papebrochio, Pagio aliiſque eruderatæ, ſi non omnino explanatæ ſunt. Liceat hîc proprio loco repetere Wandelberti verſum, quem dedimus XVI Septembris: *Hinc ſexto deno Martinus Papa beatur.*

Tiberii & ſociorum.

Martyres Agathenſes Hieronymianis, Bedæ, Floro, Rabano, imo etiam Romano parvo ignoti, à Wandelberto canuntur; diſtinctius ſignati ab Adone: *In territorio Agathenſi, in Ceſſarione*, cetera ex ipſo Uſuardus in textu noſtro verbatim deſcripſit. Acta aliqua edidit Petrus in Catalogo: alia diffuſiora citat, non refert, Catellus in ſua Occitania pag. 279, ex quibus priora contracta exiſtimat. Multum fallor, ni Catelliana ipſa anno MDCLVI ad Bollandum miſerit Poſſinus, in XXVII lectiones diſtributa, quæ, ut candide fatear, mihi nequaquam placent; ſed de ipſis ſtatuere alterius loci eſt. Audi metricum Wandelberti encomium:

Quartis Modeſtus, Florentia Tyberiuſque
Trino martyrio, trino pro nomine fulgent.

Demetrii & ſociorum.

In Hieronymianis hoc die, primo loco legitur: *In Antiochia, natalis ſanctorum Demetrii epiſcopi, Anieſi diaconi, Euſtoſi & ſociorum ejus.* Hæret hîc merito Florentinius, ut *Demetrium* illum vel ſub *Demetriani*, vel ſub alio nomine ad certam ſedem reducat. Sociorum nomina in apographis uniformia non ſunt, nec uſpiam determinatus numerus. Rabanus Hieronymiana preſſe ſequi videtur, dum ſcribit: *In Antiochia, natale Demetrii epiſcopi, Amneſi, Euſtachii & ſociorum ejus.* Ad Adonis textum non pertinere, recte cenſuit Roſweydus: in appendice habetur, *Aniani diaconi, Euſtoſii & ſociorum eorumdem.* Diverſa Uſuardi phraſis oſtendit, ex ipſo fonte immediate hauſiſſe. Sed unde dicemus clauſulam illam acceſſiſſe, *& aliorum viginti?* Non eſt tam facile nodum illum ſolvere, niſi aperte fateamur, erraſſe Noſtrum, & Sanctos alios ad alias regiones ſpectantes, perperam in unum collegiſſe: nec vero viam explanat, imo potius involvere videtur notula Caſtellani, qua parte Euſtoſium tangit; forte melius divinans, dum *alios viginti* Africanos à tribus prioribus disjungit. Ceterum ita ſcripſiſſe Uſuardum, atque etiam in Martino & Agathenſibus textum noſtrum vere Uſuardinum eſſe, ex codicum arbitrio admittendum eſt.

AUC-

AUCTARIA.

TORNACEN. Non omnino purus, deficit in elogio martyrum Agathenſium.

ANTVERP-MAJ Prima annuntiatio turbata eſt; ſecunda non eſt integra; tertia prætermittitur.

ROSWEYD. In textu ſatis purus, in fine adjicit: *Eodem die in Brittannia Cantiæ, depoſitio ſancti Juſti archiepiſcopi & confeſſoris, qui quartus à beato Auguſtino fuit. Aurelianis, Monitoris epiſcopi confeſſoris. Vigilia beati Martini epiſcopi.* Memineris codicem hunc Ultrajectinum eſſe, ubi cathedralis, poſtea metropolitana eccleſia, Martino dicata eſt.

Juſti. Monitoris.

PULSANEN. In prima fere integer; in ſecunda reſecat elogium; tertia deeſt.

ANTVERP. & MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. In textu ſatis puri adjiciunt: *Aurelianis, Monitoris epiſcopi.* Eſt in codicibus plurimis.

Monitoris.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. In textu puri ſunt, ſed ſecundo loco novam hanc annuntiationem invehunt: *Natale ſanctorum Triphonis & Reſpicii.* In fine ſubnectunt: *Aurelianis, ſancti Monitoris epiſcopi.*

Triphonis & Reſpicii. Monitoris.

LOVANIEN. In textu præcedentibus purior eſt, nam caret annuntiatione interjecta de Triphone & Reſpicio.

ALBERG. & DANIC. Recentiorem formam induunt. Sic enim, Martino Papa ad XII tranſlato, hodiernum textum ordiuntur: *Natale ſanctorum Martyrum Triphonis & Reſpicii. Item ſanctæ Nimphæ virginis, quam filiam Aureliani Maximilianus epiſcopus baptizavit.* In Agathenſibus & Antiochenis puri ſunt. In fine, de Monitore, ut jam non ſemel ſupra.

Triphonis, Reſpicii, & Nimphæ. Monitoris.

CENTULEN. *Natale ſancti Martini Papæ & martyris, qui ob Catholicam fidem ab imperatore Conſtancio hæretico, in inſula Cerſona exilio relegatus, quievit in Domino. Corpus ejus Romam relatum multis miraculis fulget.* In ſecunda, pro *Tiberii*, ſcribit *Viti*, de cetero in hac & in tertia annuntiatione purus, in fine adjicit: *Aurelianis, ſancti Monitoris epiſcopi.*

Ejuſdem.

BRUXELLEN. *Natale beati Martini Papæ. Hic Romæ celebravit concilium, in quo dampnavit pravi dogmatis aſſertorem Paulum Conſtantinopolitanum, falſi nominis patriarcham. Propter quod Conſtancius imperator hæreticus ipſum ab eccleſia raptum, apud Cerſonam Liciæ in exilium miſit, & ibi ipſe migravit ad Chriſtum, multis in eodem loco,* &c. Agathenſium martyrum numerum auget, ſic ſcribens: *In territorio Agathenſi in Ceſareono, ſanctorum martyrum Liberii, Tiberii, Modeſti & Florenciæ. Qui tempore* &c. In Antiochenis purus eſt. Tum: *Eodem die, natale ſanctorum martyrum Triphonis & Reſpicii. Et ſanctæ Nymphæ virginis, filiæ Aureliani, quam ſanctus Mamilianus epiſcopus baptizavit. Ipſo die, depoſitio Bernardi, qui Latinorum primus fuit Antiochenæ eccleſiæ patriarcha. Aurelianis, depoſitio ſancti Monitoris epiſcopi. Romæ, ſancti Leonis Papæ.* Vide notulam Caſtellani. *Apud Verdunum, depoſitio ſancti Mauri ejuſdem civitatis epiſcopi.*

De Martino. De Agathen. Triphon.&c Nymphæ. Bernardi. Monitoris. Leonis. Mauri.

HAGENOYEN. Incipit ab Agathenſibus, ſed non ſatis pure. Tum de Nympha, ut in præcedenti. De Antiochenis, ſatis bene: deinde de Triphone & Reſpicio, ut ſupra. Sequitur: *Ipſo die, ſancti Martini Papæ & martyris, qui fuit vir totus Deo devotus, & in fide Catholicus, quia congregavit concilium contra Cyrum, Sergium & Paulum hæreticos & epiſcopos. Quia illos de ſuis dignitatibus ejecit, juſſus eſt à ſpatario Olympii interfici, qui non permiſſus eſt à Deo ſanctum Martinum videre, quia cæcus eſt effectus. Horum hæreſis erat, quod nec unam nec duas voluntates ſeu operationes in Chriſto eſſe confitebantur. Tandem vir beatus vi capitur & Conſtantinopolim ducitur, nec ſic acquievit, ut malos ſuſtinere vellet; unde hac de cauſa Cerſone in exilium mittitur, ubi quondam beatus Clemens Papa degebat, & ibidem Martinus feliciter migravit ad Dominum, martyr pariter & confeſſor. Aurelianis, depoſitio ſancti Monitoris epiſcopi & confeſſoris. In Boëmia, ſanctæ Leodemilæ, aviæ ſancti Wenzeſelai.* Vide infra GREVEN.

De Martino. Monitoris. Ludmillæ.

AQUICINCT. In fine: *Aurelianis, ſancti Monitoris epiſcopi. Ipſo die, ſancti Probi confeſſoris.* An epiſcopi Ravennatis?

Monitoris. Probi.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Tiberii martyris cum ſociis. Martini Papæ & confeſſoris. Georgii diſcipuli Chriſti.*

Georgii

REG. SUEC. ſignatus num. 428. *In territorio Aurelianenſi, ſancti Verani epiſcopi & confeſſoris.* Eſt *Cabellicenſis*, ex ſepultura notus, de quo vide Caſtellanum die ſequenti.

Verani.

In VATICAN. ſub num. 5949. Deeſt annuntiatio ultima. Adjicitur: *Beneventi, ſancti Mennæ confeſſoris.* De hoc nihil apud alios.

Mennæ.

STROZZIAN. *Civitate Agrippinenſi, depoſitio ſancti Cuniberti epiſcopi. Caſtello Milliduno, ſancti Leonis confeſſoris.* Vide de utroque XII Nov.

Cuniberti. Leonis.

BURDEGALEN. *Aurelianis, Minoris epiſcopi.* Lege *Monitoris. Ipſo die, ſancti Mauri epiſcopi & confeſſoris.* In Romano eſt VIII Novembr.

Monitoris. Mauri.

LUXOVIEN. Scribit cum aliis ſupra: *Virduni, ſancti Mauri epiſcopi & confeſſoris.*

Mauri.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Romæ, natale ſanctorum martyrum Triphonis & Reſpicii.* Sequitur de Nympha, ut ſupra. In Agathenſibus & Antiochenis ſatis pura eſt. Rurſus de Monitore, ut ſupra. Tum: *Apud Cerſonam Liciæ, depoſitio beati Martini Papæ & martyris, qui ob catholicam fidem* &c. *Eodem die, beati Juſti epiſcopi Cantuarienſis & confeſſoris, qui cum Mellito & aliis multis à beata Gregorio Papa in Britanniam beato Auguſtino in adjutorium prædicationis miſſus eſt, qui primo Boſenſis eccleſiæ factus antiſtes, poſtmodum quartus in regimine præſulatus Cantuarienſis eccleſiæ Auguſtino ſucceſſit.*

Triphon.&c Monitoris. Juſti.

BELIN. Incipit: *Natale ſanctorum martyrum Triphonis & Reſpicii & Nimphæ virginis.* Martinus tranſlatus eſt. In ſecunda & tertia, parum abeſt à puritate. Tum: *Aurelianis, ſancti Notarii epiſcopi.* Tunc hîc *Monitoris. Civitate Agrippinenſi, depoſitio ſancti Cumberti* [Cuniberti] *epiſcopi. Caſtello Milluduno, ſancti Leonis confeſſoris.* De hoc dixi videndum Caſtellan.

Triphon.&c Notarii. Cuniberti. Leonis.

GREVEN. *Secundum aliquos hîc, paſſio ſancti Felicis Papæ & martyris, cujus celebritas* IV *Kal. Auguſti potiſſimum agitur; ſepultus vero perhibetur* XV *Kal. Decemb. Romæ, ſanctorum martyrum Triphonis & Reſpicii. Monitoris epiſcopi Aurelianenſis & confeſſoris. Romæ, depoſitio beati Leonis epiſcopi. In Britannia, ſancti Juſti epiſcopi & confeſſoris. Qui cum Mellito & aliis à beato Gregorio Papa, in opus Euangelii Britanniam miſſus, primo quidem Brofenſis epiſcopus, deinde Cantuarienſis eccleſiæ, poſt ſanctum Auguſtinum quarto loco archi-*

Felicis. Triphon.&c Monitoris. Leonis. Juſti.

episcopus, sanctis fulgens operibus quievit in pace.
Theodori. *Theodori episcopi Siccensis & confessoris. Apud Ravennam, sancti Probi episcopi & confessoris. Mauri*
Probi. *episcopi. Apud Antiochiam, sancti Theodori ado-*
Mauri. *lescentis confessoris, de quo lib. 10 historiæ Eccle-*
Theodori. *siasticæ refertur, quod ob Christi fidem tempore Ju-*
liani, à prima luce usque ad horam decimam tanta
crudelitate & tot mutatis carnificibus tortus sit, ut
simile nulla ætas factum meminerit. Romæ, sancta
Nymphæ. *Nymphæ virginis, filiæ Aureliani imperatoris.*
Ludumillæ. *Ludumillæ, ducissæ Bohemiæ & martyris trans-*
Catullæ. *latio. Parisius, Catullæ matronæ nobilissimæ. Erme-*
Ermegardis. *gardis comitissæ Zutphaniæ.*

MOLAN. *Natale sanctorum martyrum Triphonis, Respicii & Nymphæ virginis. Aureliæ, S. Notarii*
Triphon. &c Notarii *episcopi.* EX BELIN. *In Colonia Agrippinensi,*
Cuniberti. *depositio sancti Cunsberti episcopi. Castello Milleduno, sancti Leonis confessoris.* Ex eodem. *Aure-* *Leonis.*
lianis, depositio Monitoris episcopi. Dein typis mi- *Monitoris.*
noribus: *In Britannia, sancti Justi* &c ut GREVEN. nisi quod scribat *Brocensis.* In Martyrologio Romano sedes episcopalis non apponitur Item ex eodem de Theodoro adolescente Antiocheno. Editiones posteriores Martinum differunt ad XII. Primo loco litteris Italicis agunt de Triphone, Respicio & Nympha. In fine: *In* *Justi.*
Brtannia, sancti Justi episcopi & confessoris, quem *Theodori.*
illuc Gregorius Papa direxit, cum aliis ad Euan- *Probi.*
gelii opus. Eodem die, sancti Probi, Rhavennatis pontificis, in ade ipsi dicata sepulti. Aurelianis,
depositio sancti Monitoris episcopi. Die decima,
sanctorum Apostolorum Erasti, Olympi & socio- *Erasti &c.*
rum. Ex Horologio. Demum, minoribus ty- *Theoctistes.*
pis adjectum est: *Item, sancta Theoctistes Lesbiæ.*

III *Idus.* *Die* 11.

Martini. IN Galliis Turonis civitate, natalis beati Martini episcopi & confessoris, cujus vita tantis extitit miraculis glorioſa, ut trium mortuorum meruerit esse suscitator. In Scithia metro-
Mennæ. poli Frigiæ Salutariæ, passio sancti Mennæ martyris, qui persecutione Diocletiani, postquam studuit cælesti regi secreta conversatione in heremo militare, procedens ad publicum, ac se Christianum libera voce declarans, primò diris cruciatibus examinatus, novissimè fixis in oratione genibus, & Domino Jesu Christo gratias agens, gladio cæ-
Verani. sus est. Item Lugduni, sancti Verani episcopi, cujus vita fidei & virtutum meritis illustris fuit.

Ex *Praten. Herinien. Rosweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin.* 1 *edit. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Molan. in ipso principio aliquid variat: *In Galliis civitate Turonis.* Rosweyd. urbis Trajectinæ patronum majusculis miniatis exornans, legit *beatissimi Martini.* Solus Munerat. posuit, *quod trium* &c. Sic item *meruerit*, pro quo Antverp. *mereretur*, pejus Max-Lubec. *meretur*; Belin. autem *mereretur esse suscitator magnificus.* Quot modis *Scythia* & *Phrygia* scribantur, non semel diximus; hîc rursus sequor majorem codicum numerum. Certum est *Scythiam* hîc ab Adone perperam invectam, pro qua Baronius substituit *Cotyæi.* Greven. & Molan. male pro *studuit*, legunt *meruit.* In omnibus est *heremo;* in Praten. *exanimatus;* in Herinien. *examinatus;* in pluribus ita utima syllaba abbreviata est, ut æque legi possit *examinatur* ac *examinatus*, utrumvis selige, nos postremum tenemus. Praten. legit *Veriani;* Rosweyd. *Valeriani;* major pars stat pro *Verani:* sed videtur dubitasse Molanus, de quo Verano ageretur, unde sic simpliciter scripsit: *Item sancti Verani* &c. Reliqua minutiæ sunt, ut *Thuronis, Salutaris, cælesti, Nerani* &c.

Martini. OBSERVATIO. Vere in hujus diei nota pronunciavit Florentinius: *Sancti ac Thaumaturgi Martini omnia ita nota sunt, ut hîc aliqua repetere non expediat.* Nobis tamen paucula depromenda sunt, quæ ad rem nostram pertinent. Itaque in Hieronymianis, Beda, Romano parvo & Adone, phrasi non multum dissimili eaque brevi commemoratur; hoc solo discrimine, quod Romani parvi auctor *miraculorum patratorem* prædicet. Noluit Usuardus illaudatum præterire Sanctum, diffusissimo cultu, omni memoria, & toto saltem Occidente longe celebratissimum. Floro etiam aliquid adscribitur, sed Rabanus longiori elogio Martinum ornavit. Wandelbertus infra recurret. Multa de Martino observavit Baronius in notatione, plura in Annalibus, forte hinc inde, præsertim in figendo obitus anno, emendanda. De nullo ferme Sancto tot illustria monumenta supersunt, nullus tot inclytos encomiastes nactus est. Notissimi sunt præcipui, Sulpitius Severus, Benedictus Paulinus Petrocorienſis, Fortunatus & Gregorius Turonenſis, quorum opera multorum eruditorum notis explicata & illustrata sunt. Pleraque collegit, discussit ac digessit Gervasius in vita, Gallicè Turonibus edita anno MDCXCIX, brevius Tillemontius tomo 10 à pag. 309, quorum lucubrationibus, ad eluci-

elucidanda vetuſtiora, ſuo tempore gratanter utemur. Poëta Martyrologus Mennam præponit, ac neſcio quam *Domicillam* Martino ſubjungit, quæ, licet in Hieronym. forte ponatur, cum in noſtris hodie nota non ſit, ſola priorum encomia deſcribemus. Sic cecinit, non ex Molano, ſed ex Spicilegio Acherii:

Menas ſanctus ovat ternis virtute fideque.
Confeſſor merito, officio & ſermone ſacerdos,
Atque fide martyr, lato famoſus in orbe
Martinus, votis feſtoque vocatur eodem.

Quam nota & plana ſunt circa Martinum ferme omnia, tam implexa videntur, quæ *Mennam*, cetera illuſtrem martyrem, concernunt. Imprimis non conſtat, in Hieronymianis ſignari ſub hac formula: *Alexandria metropoli, natalis ſancti Minatis*, tametſi id elicere velle videatur Florentinius. Beda legit: *Ipſo die, natale ſancti Mennæ martyris.* Idem nomen reperitur in Allatii (ſed IV Idus) & Frontonis Kalendariis, atque in Gregorii Sacramentario; ejuſdemque Sancti celebrem olim Romæ memoriam, præter alia oſtendit habita à S. Gregorio homilia 35, ad quæ vide Frontonis notam. At in hiſce poſtremis nullo peculiari ſigno aut loci aut temporis diſtinguitur. Romanum parvum ſcribit: *In Scythia, Mennæ martyris, Conſtantinopolim tranſlati.* Eſt in Rabano prolixius elogium, unde tamen nihil magnopere ſtatui poteſt, niſi ex Adoniano ad certas circumſtantias determinetur; in quo nihilominus ea indicatur poſitio, à Noſtro inde ad verbum deſumpta, quæ rem non ſatis explanat: *Eodem die, in Scythia, metropoli Phrygiæ Salutariæ* &c. Palæſtra in Romano emendatius poſita eſt, obſervatque Caſtellanus, diverſum hunc eſſe ab alio *Mena* ſeu *Menna Callicelado*, de quo cum Hermogene & Eugrapho agitur in Romano x Decembris. Quin imo diverſa Acta utroque die à Surio ex Metaphraſte vulgata ſunt, de quibus alibi judicium feremus. Jam vero dum & illa & Martyrologia accuratius excutiuntur, non adeo obvium eſt decernere, unuſne an plures Mennæ fuerint; an unius Acta ab alio Sancto tranſlata non ſint; verbo, obſcura & ambigua non pauca recurrunt, de quibus vide tantiſper Tillemontium tomo 5 à pag. 441 & 758 Interim textus noſter ex Adone plane contractus eſt, ſervata palæſtra, ut in Variantibus dictum eſt. *Menna.*

Verani, haud dubie Lugdunenſis epiſcopi, meminit, non in appendice, ut ait Florentinius, ſed in ipſo textu, Viennenſis Martyrologus, ex quo deſumpti ſunt omnes annuntiationis noſtræ apices. In Hieronymianis etiam legitur, ſed *non dubitaret* Florentinius, *quin ſit ex additis ad vetuſtius Martyrologium.* Quidquid ſit, notat ibi laudatus ſcriptor Veranos plures, nempe alterum *Gabalitanum*, ſeu *Cavallicenſium* epiſcopum, alterum *Vencienſium*, eoſque à Lugdunenſi & hodierno noſtro diverſos, ex Hagiologio Labbei, Sauſſayo & Raynaudo. Aliter ſentire videtur Caſtellanus; nam Veranum adjecta notula *Vencienſem* declarat, ex IX Septembris huc tranſlatum, qui Gallicè vocetur *Veran*: ſecundum vero Gallicè *Vrain*, *Cabellicenſium* epiſcopum ſtatuit, qua ratione *Veranus Lugdunenſis* omnino excludendus eſſet. Hæ ſunt controverſiæ, alibi operoſius diſcutiendæ: textus noſter Lugdunenſem haud obſcure deſignat, iſque & Uſuardinus eſt. Vide Tillemontium tomo 15 pag. 849. *Verani.*

AUCTARIA.

TORNACEN. In prima purus, in ſecunda, deſinit ad *Mennæ martyris*, expuncto elogio. In tertia denuo purus.

ANTVERP-MAJ. Deficit in hoc codice totus hujus diei laterculus.

PULSANEN. In prima purus eſt; ſecundam & tertiam truncat, poſt *martyris* & poſt *epiſcopi*.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Toto textu puri eſſent, niſi de Martino, poſt, *ut trium mortuorum meretur eſſe magnificus ſuſcitator*, adderent hæc: *Hic anno Domini quadringenteſimo felicem ſpiritum cælo reddidit.* *De Martin.*

CENTULEN. *In Galliis, civitate Turonis, tranſitus ſancti Martini archiepiſcopi & confeſſoris, cujus ſacrum ſepulchrum, virtute Chriſti, miraculis frequentibus illuſtratur. Eodem die apud Scithiam, ſancti Mennæ martyris, qui gladio vitam finivit. Lugduni, ſancti Neroni* [male ſcriptum eſt *Verani* nomen] *epiſcopi, vita & miraculis clari.*

BRUXELLEN. In prima ſatis purus, ſic pergit: *Et in Scithia, metropoli Frigiæ Salutariæ, paſſio ſancti Mennæ martyris, qui ſub perſecutione Dyocleſiani & Maximiani, cum eſſet miles ex Egiptiorum provincia ortus, abrenuncians terrenæ militiæ, cæleſti regi clam, & ſub ſecreta converſatione in eremo ſtuduit militare; deinde nataliciis præfectorum imperatorum procedens in publicum, libera voce ſe Chriſtianum profeſſus eſt; ac primum cæſus ita, ut plateæ ſanguine inundarent, & poſt eculeum & ignem ſuperans, per tribulos & ſudes ferreas, ligatis manibus & pedibus tractus, noviſſime fixis in oratione genibus, & Domino Jeſu Chriſto gratias agens, gladio cæſus eſt, & corpus igni traditum eſt. Apud Cyprum, civitatem quæ dicitur Amathunta, depoſitio ſanctiſſimæ memoriæ Johannis Eleymonis, Alexandrinæ civitatis archiepiſcopi.* Vide XXIII Januarii. *De Menna.* *Jo. Eleemoſ.*

HAGENOYEN. *In Galliis civitate Turonis, depoſitio ſancti Martini epiſcopi & confeſſoris, cujus vita* *De Martin.*

vita tota miraculoſa fuiſſe deſcribitur, ita ut trium mortuorum mereretur eſſe ſuſcitator. Hic in triplici ſtatu fuiſſe legitur, ſcilicet militari, monachali & pontificiali, in quibus omnibus ſtatibus ipſe placuit Deo. Ipſe namque in militia ſervivit imperatori irreprehenſibiliter, ita quod nec Deum in illa offenderet. In monachatu ſervivit Deo, & ſibi fideliter adhæſit, ita ut ipſe forma religionis ceteris eſſet. In epiſcopatu ipſe ſervivit Chriſto, & hoc ad Dei honorem, proximi utilitatem, & ad ſuam in bonis promotionem. Denique beatus Martinus, multis perpetratis miraculis, pluribus ædificatis eccleſiis, & ad fidem converſis; & multis inſidiis, tam à paganis, quam ab hæreticis tolleratis, & idolis diverſis deſtructis, plenus bonis operibus migravit ad Dominum in pace. In Menna, tantum modice interpolatus eſt. In Verano purus, adjungit: *Item*

Jo.Eleemoſ. *ſancti Johannis elemoſinarii epiſcopi & confeſſoris.*

AQUICINCT. In fine: *In villa, quæ dicitur*

Bertuini. *Malonia, natalis ſancti Bertuini epiſcopi. & conf.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Martini*

Ejuſdem. *epiſcopi & confeſſoris.. Mennæ martyris. Bertuini epiſcopi & confeſſoris. Veriani epiſcopi & confeſſoris.*

ALTEMPS. *Ipſo die, ſancti Livini archiepiſ-*

Livini. *copi Dorobernienſis.* Dubium eſt, quid velit.

FLORENTIN. *Apud Ravennas, ſancti Probi ar-*

Probi. *chiepiſcopi & confeſſoris.* Vide die præcedenti.

EDITIO LUBECO-COL. Poſt ea, quæ ex ANTVERP-MAX. &c. ſupra dedimus, adjungit: *Ejus tranſitus ſancto Ambroſio epiſcopo Mediolanenſi, & beato Severino archiepiſcopo Colonienſi manifeſtatus*

De Menna. *divinitus fuit.* De Menna: *Qui perſecutione Diocleciani imperatoris, cum eſſet nobiliſſimus miles Egyptiorum generis, abrenuncians ſeculo, ſtuduit ſecreta converſatione cæleſti regi in heremo militare. Deinde in nataliciis præfectorum imperatorum procedens ad publicum, ac ſe Chriſtianum libera voce coram eis declarans, traditus eſt Pirro judici puniendus, qui primo diris cruciatibus examinatur* &c. In ultima annuntiatione, pura eſt. In fine:

Theophilæ. *Eodem die, ſancta Theophila virginis & martyris.*

BELINI editio altera: *Ipſo die, tranſitus ſancti Joannis eleemoſynarii, epiſcopi Alexandrinæ urbis.* Vide, ut diximus, XXIII Januarii.

GREVEN. *Romæ, natalis ſanctorum Valentini,* *Valent. &c.*
Feliciani, Victorini. Ravennæ, Felicis, Valentinæ, *Felicis &c.*
Houellæ, Octavii, Januarii, Erundinis. Vide in
Hieronymianis. *Bertwini epiſcopi & confeſſoris.* *Bertwini.*
Ganfredi epiſcopi Sorienſis & confeſſoris, Ordinis *Ganfridi.*
Ciſtercienſis. Secundum aliquos hîc, Joannis eleemoſynarii, qui ſupra habetur X *Kalend. Februarii.* *Jo.Eleemoſ.*
Item ſancti Mennæ ſolitarii, magnæ ſanctitatis *Mennæ*
viri. De quo beatus Gregorius 3 Dialog. refert, *ſolitarii.*
quod ſtudium ei fuerit, nihil in hoc mundo poſſidere, nihil requirere, omnes qui ad ſe cauſa charitatis veniſſent, ad æternæ vitæ deſideria accendere. Inter oblationes ſibi miſſas, oblationem ſtupratoris cujuſdam per ſpiritum cognovit ac reſpuit. Theophilæ virginis & martyris. In Galliis, Rogæ matronæ. *Theophilæ.*
Rogæ.

MOLAN. Aliis litteris de Martino ſubnectit: *Hujus vita & doctrina per miracula, quæ Dominus per eum fecit, pene omnibus fidelibus claret: nec neceſſe eſt à nobis hîc aliquid exinde commemorari, quia ipſius vitam, virtutes & ſigna Sulpitius manifeſtè luculento ſermone deſcripſit; nec non & Gregorius, ejuſdem urbis epiſcopus, in miraculorum libris pleniſſime diſſeruit.* In fine: *In Malonia,* *DeMartino.*
ſancti Bertuini epiſcopi & confeſſoris. Deinde mi- *Bertuini.*
noribus typis de Menna ſolitario, ex GREVEN. *Menn. ſolit.*
ſupra. Denique: *Depoſitio Theophanii confeſſoris,* *Theophanii.*
comitis Centuncellenſis, de quo beatus Gregorius Dialogorum lib. 4, cap. 27. Editiones aliæ de Martino, paulo brevius: *Hujus vitam Sulpitius manifeſtè luculento* &c. In fine: *Apud Namurcum in Malonia, ſancti Bertuini epiſcopi, qui de* *DeBertwin.*
Hibernia inſula veniens in ſaltum, qui vulgo appellatur Marlignia, condidit oratorium in ſupradicta villa Malonia ſuper Sambram, in honorem ſemper Virginis Mariæ. Ubi diu Deo militans, *Stephanid.*
curſum ſuum feliciter implevit. Die undecima, ſanctæ martyris Stephanidis, & ſancti patris & confeſſo- *Theodori*
ris Theodori Studitæ. Ex Horologio Græcorum. *Studitæ.*

Pridie Idus. *Die* 12.

Æmiliani APud provinciam Tarraconenſem, civitate Tiraſſona, beati Emiliani presbiteri & confeſſoris, cujus admirabilem vitam Braulio Cæſarauguſtanus epiſcopus ſimplici ſermone deſcripſit. Civitate Agripinenſi, depoſitio ſancti Cuniberti epiſcopi. In territorio Senonico, ſancti Paterni martyris. Caſtello Miliduno, ſancti Leonii confeſſoris.

Cuniberti. *Paterni.* *Leonii.*

Sic habent *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Munerat. ſcribit *Terraconenſi*, ceteri cum textu. Major in civitatis nomine variatio, nam Praten. Antverp. & Max-Lubec. legunt *Tyraſſona* Tornacen. *Tarraſſona;* pejus Munerat. *Traſona*: prævalet aliorum auctoritas. In ſolo Molan. eſt *Æmiliani*, ceteri codices, etiam qui diphthongis utuntur, ſimpliciter. *Ammirabilem* Greveni eſt; turpius in Max-Lubec. *annumerabilem.* Soli Herinien. & Munerat. habent *Chuniberti.* In Greven. & Molan. emendatè legitur *Mileduno*, at cum reliquis omnibus ſcribendum fuit *Miliduno.* Antverp. Max-Lubec. & mediæ notæ codices, ultimum Sanctum vocant *Leonis*, Munerat. *Leoni*; legendum eſt *Leonii*, Gall. *Liêne.*

OBSERVATIO. Habet hoc ſingulare hodiernus Uſuardi textus, cum alio quem retulimus XXVIII Septembris, quod ex ſolitis fontibus Romano parvo & Adone non profluat, quodque adeo plane Uſuardinus, & certo ſenſu primigenie & integre Uſuar-

Usuardinus dici posse videatur & debeat: licet fateamur, *Cunibertum* & *Leonium*, aliis *Leonum* seu *Leonem* ex Wandelberto, si eum Usuardus novisset, procedere potuisse. Itaque ex quatuor Sanctis hîc consignatis, nullus apud Hieronymianos, Bedam, Florum, Rabanum, aut in serie nostra, apud auctorem Romani parvi atque Adonem commemoratur. Qui primo loco ponitur *Æmilianus*, cognomento *cucullatus*, quod nomen Gallicè vertunt *Milhan* vel *Milhar*, ab Usuardo ex Hispania verosimiliter accersitus est, saltem ex Ildefonso lib. de viris illustribus in Braulione acceptus, cujus verba citat Baronius hîc: *Vitam Æmiliani cujusdam monachi, & memoriam ejus & virtutum illius viri, suo tenore commendat pariter & illustrat.* Vide Ildefonsum ipsum in editione Miræi cap. 12 pag. 97, & alia monumenta, quæ in notatione adfert laudatus Baronius; nec inutilis est Castellani observatiuncula. Prædictam vitam edidit Mabilio sec. 1 Benedict. à pag. 205, ubi in observationibus præviis Adonem suum denuo producit, ab omnibus tum vulgatis tum Mss. nostris passim & ubique discrepantem. Bonâ ejus veniâ, erit apud nos Æmilianus pure Usuardinus; neque enim Martyrologum istum adeo egenum depingimus, ut nec tantillum proprii ei reliquum faciamus. *Æmiliani*

Tres alii Sancti procul quærendi non fuerunt; *Cunibertum*, sub prima Regum Francorum stirpe olim celebrem, jamque in præcedentibus non semel inter Auctaria relatum, suggessit Fredegarius vel Colonia ipsa; de quo etiam videnda Baronii Notatio. Acta à Surio edita, mihi quidem satis jejuna videntur, nec quadragenarium episcopatum, latissimamque rerum præclare, in Austrasia potissimum, gestarum seriem pro merito decurrunt; ut taceam, notasse olim Bollandum non modica correctione indigere; unde suo tempore ex vitis sancti Sigeberti regis & B. Pippini Majoris domûs operosius erunt colligenda, restituenda, & illustranda. *Cuniberti.*

Paternus, Senonensis monachus & martyr, fortasse ex Actis ab ignoto auctore conscriptis, Usuardo innotuit, non ex Adone, quem & hîc perperam obtrudit Mabilio pro XIII Novembris; nam neutro die ab eo Martyrologo vere consignatus est; nec in Mosandro, nec in Roswevdo aut ejus appendice; nec in Mss. nostris, si solum Lobiensem excipias, usquam notatus. Acta à præfato Mabilione sec. 3 Benedict. parte 1, pag. 463 referuntur, tamquam rudi minerva prius exarata, deinde nonnihil expolita, utroque auctore anonymo, de quorum fide & sinceritate post videbitur. *Paterni.*

Martyrologium Romanum ad x Novembris legit: *In oppido Milleduno, sancti Leonis confessoris*; pro quo in notis Baronianis citantur *vetera Mss.* & *vetus Martyrologium Romanum*; nempe, ut opinor, à Belino editum, quem in Auctariis ejus diei, cum Florentinis aliisque citavimus, ubi & a non nemine *Romæ Leo* aliquis ex Hieronymianis celebratur. Ad Romani textum apposita Castellani notula *Leonem Papam* I intelligit, *mortuum*, inquit, XXX *Octobris, eo autem die* X *Novembris depositum*, de qua re nos propriis locis egimus, nempe XI Aprilis & XXVIII Junii; ubi contra novam Pagii opinionem, contra Papebrochium & Castellanum, ex aperta Hieronymianorum determinatione, verosimilius censuimus, x Novembris verum esse *Magni Leonis* natalem. Hîc vero certum credimus, *Leonium Miledunensem*, Gallicè *Liêne*, ad hunc diem propriè pertinere, de cujus vita & rebus gestis doceri cupimus. En modo geminum de Cuniberto & Leonio Wandelberti versiculum: *Leonii.*

Agrippina, tuus pridie excellet Chunibertus.
Leonium Sequanæ recolunt quoque littora sanctum.

AUCTARIA.

ANTVERP-MAJ. In primo deest elogium, ad marginem eâdem fere manu adjectum. Cetera etiam hinc inde turbata sunt.

ROSWEYD In textu deest Paternus: nec reliqua omnino pura sunt. In fine adjicitur. *In Daventria, sancti Lebuini confessoris.* *Lebuini.*

PULSANEN. In prima caret elogio. In secunda scribit *Cuniberti abbatis.* Quarta scribit *Leonis* pro *Leonii.*

LOVAN. In textu satis purus, addit: *Item Romæ, sancti Bonifacii* IV *Papæ & confessoris. Eodem die, depositio sancti Lebuini.* Cum hoc ferme convenit LEYDEN-BELG. *Bonif. PP. Lebuini.*

ANTVERP-MAX. Eadem habet augmenta, sed textui inserit: *Apud Alexandriam, beati Johannis episcopi & confessoris, qui elemosinarius dicitur.* *Jo. Eleemos.*

LEYDEN. In prima purus, de Cuniberto addit: *Hic quodam tempore, dum in præfata urbe, in basilica sanctarum* XI *milium Missarum solempnia celebraret, cuncto populo cleroque, qui aderat, respiciente, columba candoris nivei volatu placido circumgyrans, insedit sancto capiti antistitis venerandi.* Sequitur de Paterno & Leonio (quem omnes codices mediæ notæ Leonem vocant) pure. Tum: *Item Romæ, sancti Bonifacii* IV *Papæ & confessoris. Hic phanum, quod Pantheon vocabatur, Romæ à Foca imperatore impetratum, vertit in ecclesiam sanctæ Mariæ & omnium Martyrum Christi; ut ubi quondam, non deorum sed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps memoria omnium fieret Sanctorum.* Denique de Lebuino, ut supra. Eadem omnia habet ULTRAJECT. Sed Bonifacii memoriam primo loco reponit. *De Cunibert.* *De Bonifac.* *Lebuini.*

ALBERG. & DANIC. Huc referunt annuntiationem de Martino Papa, quam cum Usuardo dedimus x Novembris. Sequitur de Bonifacio, Æmiliano, Cuniberto &c. ut duo præcedentes; sed nihil habent de Lebuino.

CENTULEN. *Apud Affricam, commemoratio sanctorum Archadii, Paschasii presbyteri, & Euthicii martyris. In pago Brabancia, sancti Levini episcopi & martyris. Redonis, Sancti Melanii episcopi & confessoris, qui post innumerabilia signa virtutum, jugiter intentus cælo, migravit à sæculo; cujus gesta habentur. In Hispaniis civitate Tyrassona, sancti Emmiliani presbyteri & confessoris.*

Arcadii &c. Livini. Melanii.

BRUXELLEN. Incipit: *In Gandavo, sancti Livini archiepiscopi & martyris. Qui de Scocia veniens, mare calcabile habuit, & à Florberto primo abbate monasterii beati Bavonis Gandensis benigne susceptus, ferocissimæ genti Brabantinorum prædicavit, & tandem apud Escham vicum Cameracensis dyocesis pro Christo martyrium duxit. Cujus corpus ad præfatum monasterium sancti Bavonis relatum est. Apud Coloniam Agrippinam, depositio sancti Cuniberti, septimi ejusdem urbis archiepiscopi. Qui filius Crallonis ducis existens, ecclesiam Colonienſem quadraginta annis optime rexit, & amplius Pippino duci, regiam domum administranti, præsidium fuit. Hic dum quodam tempore* &c. ferme ut supra. *Apud Affricam, natale sanctorum martyrum Archadii, Paschasii, Probi & Euthiciani. Qui cum in Arrianam perfidiam declinare nullatenus vellent, primo proscripti deinde in exilium acti, & atrocissimis supplicüs excruciati, & postremo diversis mortibus interempti, illustri martyrio mirabiliter occubuerunt.* Spectant ad diem sequentem. Sequitur pressiori charactere: *Item Turonis, sanctorum septem Dormientum Clementis, Primi, Cleti, Theodori, Gaudentii, Quirsaci, & Innocentii, ex duobus fratribus beati Martini nepotum. Quorum vitam & conversationem celebrem Gregorius Turonensis archiepiscopus descripsit.* Tum, de Paterno, bene. De Bonifacio, ut LEYDEN &c. Deinde de Verano Lugdunensi, quem *Serianum* vocat; ex die hesterna. De Æmiliano & Leonio, pure. Demum: *Ipso die, depositio sancti Walerici confessoris.* Vide Usuardum ad diem XII Decembris.

De Livino. DeCunibert. De Bonifac. De Lebuino. Walerici.

HAGENOYEN. In prima purus est. De Cuniberto, verbis LEYDEN. superaddit: *Et ubi esset Ursula regina Virginum cumulate demonstravit.* De Paterno & Leonio, recte. Tum: *Romæ sancti Bonifacii Papæ* IV. *Hic à Foca imperatore obtinuit, ut beati Petri Apostoli* [*cathedra*, opinor,] *caput omnium esset ecclesiarum, quia Constantinopolitana, se primam omnium ecclesiarum scribebat. Item ipse instituit festum omnium Sanctorum, & diem Animarum. Ipso die in territorio Trajectensis dyocesis, depositio sancti Lebuini confessoris. Hic archidyaconus sancti Wilibordi episcopi erat, & vir per omnia laudabilis, & multos gentiles convertit ad fidem.*

AQUICINCT. Addit: *Romæ, sancti Bonifacii Papæ. Hic obtinuit apud Phocatem principem, ut sedes Apostolica beati Petri Apostoli, caput esset omnium ecclesiarum, quia* &c. ut HAGENOYEN. In fine recentiori manu: *Gandavi, sancti Livini Hibernensis archiepiscopi & martyris.*

De Bonif. Livini.

VICTORIN. In fine: *In territorio Nivernensi, sancti Honorati confessoris.* Non notatur à Castellano. Tum: *Romæ, Martini Papæ.* Absque titulo martyris, quo modo etiam signatur, sed solus in codice REG. SUEC. sub num. 130.

Honorati. Martini.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Lebuini confessoris. Cuniberti episcopi Colonienſis. Paterni martyris. Leonii confessoris. Septem Dormientium. Brictii episcopi & confessoris.* Vide textum Usuardinum die sequenti.

Lebuini.

Dormient. Brictii.

VATICAN. num. 5949. Nihil habet Usuardini, sed textum aliunde accepit: *Natale sancti Melanii, Redonica civitatis episcopi.* Alii & hoc die & aliis diebus, eum referunt, sed spectat ad VI Januarii. *Apud Africam, sanctorum martyrum Arcadii, Probi, Paschasii, & Luticiani, qui ex Hispania oriundi, cum apud Genſericum Vandalorum regem clari carique haberentur, nec in Arianam perfidiam declinare paterentur, primum proscripti, deinde in exilium acti* &c. ex textu dici sequentis.

Melanii. Arcadii & sociorum.

In UGHELLIAN. Deest annuntiatio Paterni.

FLORENTIN. *Item sancti Melanii, Redonica civitatis episcopi & confessoris, qui post innumerabilium signa virtutum, jugiter intentus cælo, migravit a terra.* Sunt fere ipsissima verba textûs, quem retulimus VI Januarii.

Melanii.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Civitate Agrippinensi Colonia, natale Sancti Cuniberti archiepiscopi & confessoris. Hic quodam tempore* &c. ut LEYDEN. Deinde de Bonifacio, ut in eodem codice, nisi quod post, *ut ubi quondam*, interjiciat, *tempore Domiciani.* Sequuntur reliqua textus, satis pure. Tum: *Apud Viennam,* [sancti Eſichii episcopi] *qui post beatum Pantagatum præsedit ecclesiæ. Civitate Davantria, natale beati Lebuini episcopi & confessoris. Apud Confluentiam, translatio sancti Castoris presbyteri & confessoris. Eodem die, passio sancti Livini episcopi & martyris.*

De Cunib. De Bonifac. Hesychii. Lebuini. Transl. Cast. Livini.

BELIN. In prima satis purus est, secunda est de Paterno; duæ aliæ desunt, quarum loco totus fere textus ex x Novembris subnectitur. Secunda editio superaddit de Cuniberto, quem *Cumbertum* vocat. In fine: *In territorio Gandavensi, sancti Livini episcopi & confessoris.* Cur non *martyris*? Hîc de *Lebuino* non agitur.

Textus 10 Novembr. Livini.

GREVEN. *Ahiæ Silonitis, propheta, de quo 3 Reg. 11. Nota, beatus Cunibertus, quanti futurus esset meriti in ipsa statim adolescentia ejus præsignatum est, cum rex Dagobertus, in cujus curia puer manebat, nocte quadam vidit locum, in quo dormiebat, immenso cælitus lumine illustrari* [Non videtur de Dagoberto hoc posse intelligi.] *Cum autem factus esset episcopus, & mysterium nostræ redemptionis in basilica sanctarum Virginum immolaret, clerus adstans & populus columbam splendidissimam capiti ejus vidit insidere, vere dignum Christo sibi approbante sacerdotem. Ipso die, beati Lyvini episcopi & martyris. Qui Scotus natione, ab ineunte ætate, vita & miraculis inclytus, tantæ fidei extitit, ut etiam super aquas ambulasse legatur. Tandem de patria in opus Dei egressus, cum plurimos convertisset ad fidem, in Brabantia ab infidelibus occisus, martyrii coronam promeruit. Item secundum Adonem* [qualem edidit Mosander] *hic Bonifacii Papæ* IV, *qui sedit mensibus octo, diebus viginti duobus; quique templum Pantheon, à Foca cæsare impetratum in honorem Sanctorum omnium consecravit. In Aphrica, Marii, Publii. In Cæsarea Cappadociæ, sanctorum Germani, Theophili, Cæsarii, Eusebii.* Vide Hieronymiana. *Graphildis matronæ & martyris, quæ dum sanctum martyrem Livinum innocentem esse, injusteque pati acclamaret, ab impiis & ipsa cum puerulo suo nomine Brictio occisa, martyrii gloriam consecuta est. In Hibernia, sancti Laurentii archiepiscopi. Renati episcopi & confessoris. Vienna, S. Eusebii* [1 edit. *Eſichii*

Ahiæ proph. De Cunib. De Livino. Marii &c. Germani &c. Graphaildis. Laurentii. Renati. Eusebii.

Macarii. De Lebuin *chii*] *epiſcopi & confeſſoris. Macharii epiſcopi. Eodem die apud Daventriam, depoſitio ſancti Lebuini confeſſoris. Qui de Anglia, Salvatore noſtro per viſum ſibi apparente ac jubente, exiens, genti Saxonum circa Yſalam fluvium Euangelium Dei annunciavit, multaſque tribulationes perpeſſus propter* *Imarii.* *verbum, quievit in pace. Imarii confeſſoris, a quo ſanctus Malachias, primo formam vitæ ſanctæ ac converſationis accepit. In monte Nitriæ, ſancti Hor abbatis & confeſſoris.*

MOLAN. De Martino & Tiberio &c. ex x *Martini &c.* Novembris. *In portu Gandenſi, depoſitio ſancti* *Livini.* *Livini epiſcopi & martyris. Eodem die apud Iſalam fluvium, oppido Daventriæ, ſancti Lebuini presbyteri & confeſſoris.* Tum minoribus typis, de Renato & Imario ex GREVEN. Editiones aliæ de Livino & Lebuino, ut prior. *Item, ſancti Renati Andegavenſis epiſcopi & confeſſoris. Viennæ, ſancti Iſicii epiſcopi.* Tum typis minoribus: *Item beatæ Craphaildis & Brixii pueri, martyrum cum ſancto Livino, quorum corpora Gandavi habentur in tumbis portatilibus. Pragæ, natalis quinque eremitarum, qui martyrium pertulerunt in ſolitudine majoris Poloniæ, ubi nunc eſt Cazimiria oppidum.* Notabis in his editionibus non ſervari textum Uſuardinum, cum Martinus ſit primo loco.

Lebuini. *Renati.* *Imarii.* *Iſicii, Craphaildis, & Brictii.* *Eremit. Pragens.*

Idibus. *Die* 13.

RAvennæ, natalis ſanctorum martyrum Valentini, Solutoris, & Victoris. In Provincia apud civitatem Aquis, beati Mitrii, clariſſimi martyris. In Africa, ſanctorum martyrum Archadii, Paſchaſii, Probi & Euticiani, qui cum in Arrianam perfidiam nullatenus declinare paterentur, primum proſcripti, deinde in exilium acti, tum atrociſſimis ſuppliciis excruciati, ad poſtremum diverſis mortibus interempti ſunt. Turonis, depoſitio ſancti Briccii epiſcopi. Civitate Toleto, ſancti Eugenii epiſcopi & confeſſoris.

Valentini & ſocior. Mitrii. Arcadii & ſociorum. *Brictii. Eugenii.*

Inter omnes codices, ſolos puros exiſtimo *Herinien.* & *primam Munerati editionem.*

VARIA LECTIO. In Herinien. nihil notabile occurrit præter *Paſcaſſii.* Munerat. mendis typographicis, ſaltem in altera editione paſſim abundat. In hac eſt augmentum de *Gendulfo*, quo priorem carere aſſerit, utriuſque collator Roſweydus. Pro *Mutrii*, habetur *Nutrii clariſſimi*, omiſſo, forte de induſtria titulo *martyris.* Solus Molan. legit *Eutichiani*, Romanum parvum & Ado *Eutychiani*; alii *Eutychii*; nos cum codicibus *Euticiani*, male Munerat. *Uticiani.* Reliqui in textu *Briccii*, cum Mss. Greven. Molan. & alii legunt *Brictii* cum Adone; Beda habet *Bricii.* Reliquas minutias prætereo, ut variationes momenti paulo majoris expendam.

Qui primam Molani editionem cum codice Pratenſi non ſemel contulit Clariſſimus Caſtellanus, ſic de codicis illius hodiernis augmentis ſubmonuit: In fine: *Toleto, S. Eugenii epiſcopi & confeſſoris. Malbodio, ſanctæ Aldegundis virginis. Et in margine: Pariſius, S. Gendulfi epiſcopi.* De ultimo, nulla eſt controverſia, cum certò ad Uſuardum non pertineat. De Aldegunde, ſatis dictum ad xxx Januarii; ex quo die eraſam, ad hunc, à neſcio quo, tranſlatam conſtat; ubi ſcribendum, *Malbodio monaſterio*, veluti legit apographum noſtrum, leguntque item codices Antverp-maj. Roſweyd. & Aquicinct. conſueti Pratenſis ſocii. Hinc ſatis patet, præfatos codices inter puros hoc die recenſeri non poſſe. Quæritur, an ad Uſuardum ſpectet *Eugenius Toletanus*, in apographo Pratenſi & præfatis tribus ſociis ſignatus in hunc modum: *Civitate Toleto, ſancti Eugenii antiſtitis?* non, ut ſupra legit Caſtellanus, *epiſcopi & confeſſoris.* Dubium augent Greven. præcipuè & Molan. à quibus plane abeſt Eugenius. At, niſi fallor, ab his duobus confuſus eſt hodiernus Eugenius, cum alio, qui colitur xv Novembris; idque Greven. ſatis innuit, ipſum in Auctariis *martyrem* appellando; Molan. vero, tametſi hodiernum in Auctariis etiam ponat, in textu diei xv, litteris Italicis id tam clare expreſſit, ut certa videatur conjectura noſtra, quæ ad alios quoque codices, præſertim mediæ notæ, abſque ſcrupulo extendi poteſt. Nos itaque hîc Herinien. & Munerat. primæ editionis, ut puriſſimos ſequimur, ſub ea annuntiatione, quam in textu exhibuimus, quæque ex multis aliis codicibus, & quoad ſubſtantiam ex Pratenſi ipſo ſociiſque citatis abunde vindicari poteſt; credimuſque & hunc Hiſpanum ſanctum veroſimiliter ab Uſuardo, cum pluribus aliis allatum, ejuſque memoriam in ſacris Tabulis ab ipſo primum & vere conſignatam fuiſſe. Alia conjectura inferius proponenda eſt.

De Pratenſi aliiſque.

OBSERVATIO. Tres primi Martyres ſic in Hieronymianis fere omnibus hoc die ſignantur: *In Ravenna civitate, ſanctorum Valentini, Solutoris & Victoris:* ad quæ Florentinius ex Galeſinio notat, *tres fuiſſe ſub nomine Valentini martyres Ravennates*; atque hodiernum eſſe ait, *cujus meminerunt Acta Dalmatii.* Nonnulla alia ſuggerit Baronius; at nemo

Valentini & ſociorum.

at nemo hactenus Acta martyrii aut certam aliquam vitæ notitiam in lucem extulit. Quid Ravennates ſolidi producant, ſuo tempore videbitur. Romanum parvum ſolita brevitate: *Ravennæ, Valentini, Solutoris, Victoris, martyrum*; Adonis annuntiatio tota & integrè in textu noſtro reddita eſt.

Mitrii. Sic item quæ ordine ſecunda ponitur de *Mitrio*, *Mitria* ſeu *Metria*, à ſolo Adone primùm ipſiſſimis illis verbis ſignata, omnibus aliis Martyrologis ignota eſt. *Clariſſimi martyris* laurea, tam in Adone quam Uſuardo diſertiſſime legitur; at ex omnibus quæ Gregorius Turon. de Glor. Conf. cap. 71 refert, non aliud colligitur, quam *Confeſſorem* fuiſſe, ut vel ipſo in titulo exprimitur. Si *Martyrem* velis, ob certamina aliqua pro fide, vel forte tormenta tolerata, per me licet; violentam mortem non ſubiiſſe, ante me obſervarunt Surius & Caſtellanus. *Metrias* vocatur à Gregorio; *Mitrias* vero in manuſcripta vita, vel potius encomio aliquo, quod apud nos exſtat, quodque utinam priorum Actorum jacturam aliquouſque compenſaret.

Arcadii & ſociorum. Glorioſæ primitiæ perſecutionis Wandalicæ à Romano parvo celebrantur die præcedenti XII Novembris: *In Africa, Archadii, Paſchaſii, Probi & Eutychiani, Wandalorum perſecutione martyrum.* Ado hiſtoriam fuſius proſequitur ex Proſperi Chronico ad annum CCCCXXXVII, notatum *Coſſ. Ætio* II *& Sigevulto*, ſeu *Sigiſvulto*. Atque hæc tota cultûs & feſtivitatis origo, apud antiquiores Martyrologos, qui perperam citantur, nullatenus quærenda. Vide quæ de his martyribus cum ſocio Paulillo notavit Baronius, ac paulo accuratius diſcuſſit Ruinartius in Hiſtor. perſecutionis Wandalicæ à pag. 431 ad 441. Brevius rem delibat Tillemontius tomo 16 à pag. 500.

Brictii. *Turonis, natale ſancti Bricii epiſcopi*, ſcribit Beda, ubi elogium aliquod ſub Flori nomine ſubjungitur. Rabanus, Bedam cetera imitatus, ſolum indicat Martini ſucceſſorem fuiſſe. Bedam etiam ſequitur Ado, hunc Noſter, iiſdem prope terminis. Florentinius Brictium Hieronymianis acceſſorium putat. Videndæ ſunt Molani & Baronii Notationes. Vita ejus ſatis contracta apud Surium exſtat, ex Gregorio Turonenſi deſumpta, quam cum collectaneis noſtris Mss. alibi copioſius diſcutiemus. Sic Brictium native depingit Wandelbertus:

Idibus hinc hæres tuus, ô Martine, retentat
Brictius, exilio, lachrymis ſigniſque probatus.

Eugenii. Eugenium Toletanum, ejus nominis ſecundum, ab Uſuardo primùm & vere conſignatum fuiſſe ſupra oſtendimus, vel ex peculiaribus notitiis Hiſpanicis, vel, ſi magis placet, ex Ildefonſi libro de Scriptoribus, ut non ita pridem de Braulione meminimus, acceptum. In Miræi editione eſt pag. 98, ubi cap. 14 egregium elogium habes, cum inſigni editoris ſcholio; alibi uſui futuro, cui accedent plura documenta ex Nicolao Antonio, aliiſque ſcriptoribus Hiſpanicis colligenda.

AUCTARIA.

PRATEN. De hujus codicis Auctariis in Variantibus ſupra abunde dictum eſt.

TORNACEN. Caret Eugenio; in reliquo textu omnino purus non eſt: in fine adjicit: *Ipſo die, ſancti Gendulfi epiſcopi.* *Gendulfi.*

ANTVERP-MAJ. Pergit eſſe turbatio aliqua in textu; ſed de Eugenio & Aldegunde habet ſicut Pratenſis, & iiſdem verbis.

ROSWEYD. Incipit à Brictio; reliqua cum Pratenſi conveniunt, præſertim in Eugenio & Aldegunde, de quibus ſupra.

PULSANEN. Peculiari principio: *Natale beatiſſimi Johannis Conſtantinopolitani epiſcopi, cognomento Chryſoſtomi, qui verbo & exemplo plurimum profuit Chriſtianæ religioni.* Tum de Brictio & Ravennatibus. Deſunt reliqua. *Joannis Chryſoſt.*

ANTVERP. & MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Habent textum uſque ad Brictium incluſive. Tum ſubjungunt: *Ipſo die, ſancti Killiani confeſſoris.* Vocatur à Caſtellano *Killenus.* *Killiani.*

MUNERATI editio altera, in textu pura, adjungit; *Pariſius, tranſitus ſancti Gendulphi epiſcopi, à beato Sixto ordinati, cujus juſſu mortuum gentilis ſuſcitavit filium; de cujus caput requieſcit in magna eccleſia beatæ Mariæ virginis Pariſius.*

GREVEN. & MOLAN. Jam diximus in utroque abeſſe annuntiationem Eugenii Toletani.

ANTVERP - MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. Incipiunt: *Turonis, ſancti Brictii epiſcopi & confeſſoris, qui beato Martino, cujus fuerat diaconus, in epiſcopatu ſucceſſit.* Sequuntur tres primæ annuntiationes textûs Uſuardini, ſatis puræ. De Eugenio, nihil. Sed in fine ſuperaddunt: *Ipſo die, ſancti Kiliani* vel *Kyliani confeſſoris.* *De Brictio.* *Kiliani.*

CENTULEN. *Ravennæ, ſanctorum martyrum Valentini, Solutoris, Victoris. Toletò civitate, ſancti Eugenii antiſtitis, viri eruditiſſimi. Turonis, ſancti Briccii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, tranſlatio Aldegundis virginis. Ipſo die, ſancti Quillia* [haud dubie *Kiliani*] *confeſſoris. Cœnobio ſancti Bertini, ſancti Folquini confeſſoris.* *Tranſlat. Aldegund.* *Kiliani.* *Folquini.*

BRUXELLEN. Sic incipit: *Turonis, depoſitio ſancti Brictii epiſcopi & confeſſoris. Qui cum beatum Martinum, cujus erat archidyaconus, multum injuſte laceraret convitiis, ſe poſt ipſum futurum epiſcopum, ſed in epiſcopatu multa paſſurum audivit; quod & probavit eventus.* Tribus Ravennatibus, addit, *Maurilii & Publii.* In Mitrio, purus eſt. Sequitur: *In Italia, monaſterio Bobio, ſancti Columbani abbatis, Scotici generis.* Vide XXI Novembris. Hic inſeritur manu paulo recentiori: *Apud Alexandriam, natale quinquaginta doctorum gentilium, quos beata Katherina* *De Brictio.* *Maurilii & Publii.* *Columbani.* *Doctor. 50.*

therina disputando victos, ad fidem Christi convertit, & quos Maximinus imperator, igne coctos, dignos Deo martyres fecit: ex vulgatis Actis. Male repetitur Mitrius. Deinde: *Malbodio monasterio, beatæ Aldegundis virginis. Ipso die, sancti Kiliani confessoris.* De Aldegunde, satis dictum est.

Aldegundis. *Kiliani.*

HAGENOYEN. In prima, purus est. Sequitur: *Item sancti Kyliani confessoris, socii sancti Leobini episcopi & martyris. Item sancti Dalmatii episcopi & confessoris.* In Mitrio, recte. Dein: *Item sanctæ Maxellendis virginis & martyris.* Memoriam martyrum Afrorum, satis pure refert, sed de Brictio in hunc modum: *Turonis civitate, sancti Brictii episcopi & confessoris. Iste Brictius ab octo episcopis & pluribus clericis, quia vita sua illos scandalizavit, beato Martino datus est in filium, quem idem Brictius, trium dierum ætatis, negavit esse patrem suum, & Johannem quemdam patrem suum proclamavit. Hunc Brictium beatus Martinus fecit suum archidyaconum, & multa scandala & obloquia de eo sustinuit; cui pro mercede episcopatum Martinus obtinuit, & ei prædixit quod multa adversa sustinendus esset: nam tricesimo anno episcopatus, ejicitur, & facinus ei imponitur stupri, & septem annis proscribitur, donec ad cor rediit de injuria Martini. Et tunc restituitur, & septem annis laudabiliter sedit, & obiit in pace.*

Kiliani. *Dalmatii.* *Maxellend.* *De Brictio multa.*

AQUICINCT. Pro *Mitrii*, scribit *Demetrii*. In Eugenio & Aldegunde, convenit cum Pratensi & sociis ejus aliis, de quibus supra. Sed hoc præterea habet: *In territorio Cameracensi, natalis sanctæ Maxelindis virginis & martyris.* Vide Castellani Martyrologium universale.

Aldegundis. *Maxelendis.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Brictii episcopi & confessoris. Livini episcopi & martyris in Gandavo.* Vide Auctaria diei præcedentis. *Arcadii martyris, cum sociis. Valentini martyris, cum sociis.* Omnia solet corripere.

Livini.

REG. SUEC. signatus num. 428. *Parisius, translatio sancti Gendulfi episcopi, à beato Sixto ordinati, cujus jussu mortuum gentilis suscitavit filium.* Vide MUNERATI secundam editionem supra.

Gendulfi.

CODEX D. DU CHEVAL. sign. C. *Et Amandi episcopi.* Agit de Redonensi.

Amandi.

ALTEMPS. *Eodem die, sancti Albonis* [puto *Abbonis*] *abbatis & confessoris.* Locum & mortis modum explicat Castellanus in Martyrol. universali. *Sancti Adoratoris martyris.*

Albonis. *Adoratoris.*

FLORENTIN. *In Italia Cremonæ, sancti Homoboni confessoris. Item sancti Chiliani.* Tum codex ex tribus aliquis, verosimiliter STROZZIAN. *Eodem die, sancti Verani episcopi.* De quo XI Nov.

Homoboni. *Kiliani.* *Verani.*

MONTIS SANCTI. *Elevatio sanctorum Romarici, Amati & Adelphii, quorum meritis & intercessione expectamus adjuvari.*

Elevatio Romarici & c

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Turonis civitate in Galliis, natale sancti Brictii episcopi & confessoris, cui vir sanctus Martinus, cum esset diaconus suus, prædixit eum suum successorem in episcopatu fieri, & eum multa adversa in eodem passurum, quæ omnia ita evenerunt, sicut vir sanctus illi prædixerat. Alexandriæ, sanctorum quinquaginta oratorum, quos ipsa virgo Christi Katerina ad Deum convertit. Maxentius vero tyrannus fecit eos omnes igne comburi, tempore Constantini imperatoris.* In Ravennatibus & Mitrio, pura est. De Africanis, post *Probi*, interjicit: *Et Euticiani atque Paulilli.* Deinde in fine male notatur tyrannus, *sub rege Wandalorum Syrico.* Kilianum *episcopum* facit.

De Brictio. *50 Orator.* *De Afris.* *Kiliani ep.*

BELIN. Habet totum textum; sed Eugenio præmittit: *In Italia, civitate Cremona, sancti Homoboni, cujus sanctitas crebris claret miraculis.* Vide Surium. Secunda editio superaddit in fine: *Item Amandi episcopi.*

Homoboni. *Amandi.*

GREVEN. *Item cum sanctis Archadio &c. sanctus puer Paulissius* [Paulillus] *ad servitutem à Syrico Wandalorum rege damnatus est. Civitate Toleto, Eugenii episcopi & martyris. Anthonini martyris. Item quinquaginta martyrum oratorum, qui in confessione beatæ Katherinæ crediderunt. In Thracia, sanctorum Edicti, Euticis, Ermogenis. In Cæsarea Cappadociæ, natalis sanctorum Anthonii, Gehenæ & Adriani cum aliis. Item sanctorum Amantii, Antoniæ. Parisius, sancti Gundulfi episcopi & confessoris. Paterniani episcopi & confessoris. Divinici episcopi. Kiliani episcopi & confessoris. Cremonæ, sancti Homoboni confessoris. Qui primum negotiator, deinde cælesti inspiratione tactus, lucris cælestibus toto corde inhians, in oratione positus emisit spiritum. Item sancti Folquini. Maxellendis virginis. Aldegundis virginis.*

Antonini. *50 Orator.* *Edicti &c.* *Antonii &c.* *Amantii &c.* *Gendulfi.* *Paterniani.* *Divinici.* *Kiliani.* *Homoboni.* *Folquini.* *Maxellend.* *Aldegund.*

MOLAN. *In Italia, civitate Cremona, sancti Homoboni, cujus sanctitas crebris claret miraculis.* Sequitur de Eugenio. Tum de Gendulfo, ad verbum ex secunda editione MUNERATI. *Cameraci, natale sanctæ Maxellendis virginis & martyris.* Dein minoribus typis: *Kiliani episcopi & confessoris, Albiniaci in territorio Atrebatensi. Arvernis, depositio sancti Quintiani, ejusdem loci episcopi & confessoris.* Editiones aliæ textui admiscent: *Puer autem Paulillus fustibus cæsus, & ad infimam servitutem damnatus est; ideo, ut appareret, non occisus, ut de superata sævitia inimici, etiam illa ætas gloriaretur.* In fine, de Gendulfo, Quintiano, Kiliano, Maxellende, Homobono & Eugenio, ut in priori. Tum: *Placentiæ, revelatio sancti Antonini martyris. Malbodio monasterio, translatio sanctæ Aldegundis virginis. In monasterio dicto Sithiu, elevatio prima, & translatio corporis sancti Folquini, Morinorum episcopi anno* DCCCCXXVIII. denique typis minoribus: *In Palæstina, sanctorum martyrum Antonii presbyteri, Zebinæ & Germani, quos Firmilianus præses, ultro se offerentes, absque ullo alio supplicii genere, capite mulctandos tradidit. Eodem die, sanctæ Ennathæ virginis, quæ ad eumdem judicem tracta, post graves cruciatus, igne concrematur.* Vide Eusebium eorum triumphum describentem inter Martyres Palæstinæ apud Ruinartium in Selectis pag. 343 & Surium hoc die.

Homoboni. *Gendulfi.* *Maxellend.* *Kiliani.* *Quintiani.* *De Paulillo.* *Antonini.* *Transl. Aldeg* *De Folquino.* *Antonii & aliorum.*

XVIII *Kal.* *Die* 14.

APud Thraciam civitate Eraclea, natalis sanctorum martyrum, Clementini, Theodoti, & Philomini. Alexandriæ, sancti Serapionis, quem persecutores sub Decio principe crudelissimis affecerunt suppliciis, ita ut omnes ei junctúras membrorum prius sol-

Clementini & socior. *Serapionis.*

ventes, de ſuperioribus eum præcipitarent, ac ſic Chriſti martyr efficeretur.

Conveniunt codices prope omnes *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Roſweyd. Pulſanen. Antverp.* & *Max-Lubec. Belin. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Lovanien. Albergen. Danic.*

VARIA LECTIO. *Thraciam* ſcribimus cum purioribus, potius quam *Trhaciam*, *Trachiam*, *Traciam*, ut habent aliqui alii. *Eraclea* eſt in pleriſque, in Pulſanen. Antverp. & Molan. recte *Heraclea*; peſſime in Herinien. *Araclea*. Antverp-maj. omiſit *Clementini*; Leyden. *Theodoti*. Munerat. ſcribit *Clementii*: item *Theodotii*; Belin. *Theodocii*. Roſweyd. habet *Phylomini*, Pulſanen. *Philemonis*. Maxima in Roſweyd. ab aliis diverſitas, dum tribus illis adjungit, *& aliorum multorum martyrum*, ſed ea cauſa ex pulorum numero excluſus non eſt. In annuntiatione altera major conſenſus eſt, ſolus Munerat. pro *præcipitarent*; non recta conſtructione legit *præcipitaverunt*, ac deinde ſenſum abſolvit, *ac ſic ſanctus Chriſti martyr efficitur*; Roſweyd. Greven. & Molan. *ac ſic Chriſti martyr efficitur*; Antverp-maj. *ac ſic Chriſti efficitur martyr*. Bona ſyntaxis exigit, ut cum ceteris codicibus & Adone legamus, *ac ſic Chriſti martyr efficeretur*, prout habetur in textu.

Clementini & ſociorum. OBSERVATIO. Hieronymiana apographa apud Florentinium in referenda prima noſtra commemoratione non omnino concordant: codices, ex quibus textum formare ſolet editor, ſic ibi legunt: *In Eraclea, civitate Traciæ, natalis ſanctorum Clementini, Theodote, Filomini, & aliorum multorum, quorum nomina Deus ſcit.* Codex Corbeienſis, etiam ut ab Acherio editus eſt, paulo auctius habet: *Sanctorum, Clementis, Clementini, Theodotæ, Philomini & aliorum multorum.* Apud Rabanum, qui certe codicem aliquem Hieronymianum præ oculis habuit, creſcit oratio: *Natale ſancti Clentini* (ſatis patet legendum *Clementini*) *& Theodotæ, Filomini, Eracli, Martialis, Donati & aliorum multorum Sanctorum.* At quis de multis iſtis Sanctis diſtincte quid ſtatuat? cum præter Martyrologiorum notitiam, nulla alia documenta ſciantur ſupereſſe, ex quibus illorum numerus determinari queat. Codicibus iſtis omnibus anteferendus nobis videtur vetuſtiſſimus Epternacenſis, ſic ſtrictim & ſimpliciter memorans: *In Eracla, Clementini & Theodoti, Filomini.* Romanum parvum, Beda & Florus de ipſis non meminerunt, nec ſatis exacte legit pervetus Kalendarium membraneum inſignis eccleſiæ Brivatenſis, ante annos facile quingentos ſcriptum, atque ab Eminentiſſimo Cardinale Bullionio hîc Antverpiæ anno MDCCXI nobis exhibitum, dum hoc modo nomina efformat: *Natale Clementini, Theudote, Erdeli.* In eo tamen cum Epternacenſi conſentit, quod ſolos tres martyres nominatim, ſocios nullos anonymos conſignet. Plane mihi perſuadeo, Adonem habuiſſe antigraphum aliquod præfato Epternacenſi ſimile, ex quo annuntiationem ſuam ſic expreſſit, veluti ab Uſuardo in textu ex ipſo deſcripta eſt, cum hac ſola differentia, quod pro *Philumeni* Adonis, melius Noſter ex antiquioribus reſtituerit, *Philomini*. Cetera vide apud laudatum Florentinium. Theſaurum effodiet, quiſquis horum Sanctorum Acta alicunde eruerit. Apud Wandelbertum, tribus his verſiculis laudantur:

Clementinus habet, Theodotus, Philominuſque
Octavam decimam Decembris ante Calendas,
Hac pariter paſſi tortoris juſſa cruenti.

Serapionis. Serapion debetur auctori Romani parvi, qui præcipuum ſuum fontem conſulens, eum accepit ex eadem Dionyſii Alexandrini ad Fabium Antiochenum epiſtola, apud Rufinum lib. 6 cap. 31, ex qua ſuperius, XXXI Januarii, Metram; Cointam VIII, & Apolloniam IX Februarii dedimus. Sic paucis rem complectitur: *Alexandriæ, Serapionis, qui ſub. Decio præcipitatus, martyr efficitur.* Pluſculum deſumpſit Ado ex citata hiſtoria, in qua, editionis Mantuanæ MCCCCLXXIX, ita legitur: *Syrapionem quoque domui ſuæ repertum, crudeliſſimis affecere ſuppliciis, ita ut omnes ei juncturas membrorum prius ſolventes, de ſuperioribus eum præcipitarent.* Ex laudato Adone noſtra omnia plane derivata ſunt, ſervato Decii tyranni nomine, quod perperam à Romano parvo invectum eſt, cum ex prædicta Dionyſii epiſtola, ut etiam alibi obſervavimus, manifeſtiſſime conſtet, Metram, Cointam, Apolloniam & Serapionem ante horribilia & terrifica Decii edicta, furibunda populi ſeditione fuiſſe interemptos. Conſuli hîc denuo poteſt à curioſo lectore Tractatus noſter Hiſtorico-chronologicus de Patriarchis Alexandrinis pag. 31 num. 164, vel potius fons ipſe apud Euſebium editionis Valeſianæ lib. 6 cap. 41, ex quo accepit Ruinartius in Selectis pag. 104.

AUC.

AUCTARIA.

Anatholii. CENTULEN In prima ſatis purus, ſic pergit: *Alexandriæ, beati Serapionis martyris. In Laodicia, ſancti Anatholii epiſcopi.*

De Serapion. BRUXELLEN. *Apud Alexandriam, ſancti Serapionis, glorioſi martyris. Quem ſub Decio Cæſare perſecutores* &c. finiens, *& ſic Chriſti martyr effectus eſt.* Inter Heracleenſes tertium vocat *Philomonum.* Sequitur: *Adhuc in Tracia, natale ſanctorum martyrum Edicti, Euthicis, Ermogenis & Feliciani. Item Ruſi confeſſoris.*

Edicti & ſociorum.

Laurentii. Ruſi Euſtichii. HAGENOYEN. *In Anglia, ſancti Laurentii epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Ruſi, primi Avenionenſis eccleſiæ epiſcopi & confeſſoris.* Eſt in Romano XII Novembris. *Viennæ, ſancti Euſtichii epiſcopi.* Vide citato die Auctaria, ubi *Eſichius* al *Heſychius* appellatur. Sequitur longior hiſtoria de Iſaac patriarcha, cujus partem hîc ſubjicio: *Iſaac patriarchæ. Hic de ſenibus parentibus, per repromiſſionem Domini natus eſt, & ab angelo nomen ei impoſitum eſt; & illius meritum & dignitas prophetata eſt. Hic dolorem mortis matris temperavit, in conjunctione Rebeccæ uxoris ſuæ, de qua duos ipſe genuit filios, ſcilicet Eſau & Jacob* &c quæ in ſacris paginis melius deducta ſunt. Tum agit de Serapione, inde de Heracleenſibus, ſatis pure. Denique. *Apud Alexandriam, quinquaginta rhetorum martyrum, quos beata Katherina convertit, inter quos principales fuerunt Euſtorgius & Agro.* Plus aliquid audet, quam alii codices die præcedenti.

De Iſaac patriarc.

50 Rhetor.

Antigii. AQUICINCT. In fine: *Ipſo die, natalis ſancti Antigii confeſſoris.* Idem habet CODEX D. DU CHEVAL. ſignatus C. Vide Caſtellanum, à quo vocatur *Antidius.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJ. *Clementini martyris cum ſociis. Serapionis martyris inclyti.*

De Laurent Dublinen. AUGENSIS. Alia manu adjicitur: *Ipſo die, ſancti Laurentii epiſcopi Dublinenſis, legati totius Hiberniæ, qui vita temporalis ultimum diem tranſeundo, interminandam gloriam adeptus eſt, qui miraculis illuſtrat Eccleſiam.* Vita exſtat apud Surium; vide etiam notam P. Mothier. Plura dabunt varia, quæ penes nos ſunt, manuſcripta.

In VATICAN. num. 5949. Rubricis in codicis margine, ſed eadem manu adſcriptum eſt: *Sancti Joannis eremitæ & confeſſoris.* *Joannis.*

ALTEMPS. *Ipſo die, tranſlatio Erkenwaldi Londonienſis epiſcopi.* Colitur XXX Aprilis. *In Laodicia, ſancti Anatholii epiſcopi.* *Tranſlat. Erkenwald. Anatholii.*

FLORENTIN. *In territorio Rotomagenſi, in villa Augi, ſancti Laurentii archiepiſcopi & confeſſoris, qui tantum apud Deum vita & miraculis extitit glorioſus, ut inter alia multa miracula, ſeptem mortuos ſuſcitaſſe, veridica atteſtatione narretur.* *De Laurent.*

CAUDIACEN. *Natale ſancti Antigii confeſſoris.* *Antigii.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Alexandriæ, ſancti Serapionis, quem perſecutores, ſub Decio principe domui ſuæ repertum* &c. *Item Alexandriæ, paſſio ſanctorum martyrum Melei, Trophonii, Martialis, Alexandri & Silvani, ſociorumque eorum. Apud Thraceam, natale ſanctorum martyrum Clementini epiſcopi, Theodori & Philomini, qui in civitate Eraclea paſſi ſunt. Colonia Agrippina, in eccleſia ſancti Andreæ Apoſtoli, commemoratio ſancti Cuniberti archiepiſcopi & confeſſoris.* Quid hîc velit, neſcio; Cuniberti feſtivitas eſt ſupra XII Novembris. *Melei & ſociorum. De Clement. De Cunibert*

GREVEN. *Platonis martyris. Alexandriæ, ſanctorum Melei, Trophini, Marcialis, Alexandri & Silvani martyrum, cum aliis multis. Albrici epiſcopi Trajectenſis & confeſſoris. Heraclii epiſcopi. Fridolini epiſcopi. Modani epiſcopi. Pyamonis abbatis & confeſſoris. Ruſi confeſſoris. Attingi confeſſoris. In Galliis, Venerandæ virginis & martyris. Quæ tempore Antonini, profide Chriſti in ligno extenſa, nervis crudis cædtur, deinde lebetem aqua, oleo, pice ac ſulphure bullientem aliaque tormenta Chriſti virtute ſuperans, cum aliis pluribus, qui in ejus confeſſione crediderunt, capitis abſciſione martyrii gloriam conſecuta eſt. Item, beatæ memoriæ Placillæ, uxoris Theodoſii imperatoris.* *Platonis. Melei &c. Albrici. Heraclii. Fridolini. Modani. Pyamonis. Ruſi. Attingi. Venerandæ.*

MOLAN. *Eodem die, beati Laurentii epiſcopi & confeſſoris.* Additur minoribus typis: *Dublinenſis & primatis Hyberniæ, cujus vita ſanctiſſima habetur.* Editiones poſteriores, de Laurentio Dublinenſi ſic legunt: *Apud Rothomagum, beati Laurentii Dublinenſis epiſcopi & confeſſoris.* *Laurentii Dublinen.*

XVII *Kal.* *Die* 15.

APud Nolam Campaniæ urbem, natalis beati Felicis epiſcopi qui à quinto decimo ætatis ſuæ anno, miraculorum gloria inſignis fuit, & ſub Martiano præſide cum aliis triginta martyrium complevit. Ipſo die, ſancti Eugenii, qui apud pagum Pariſiacenſem, conſummato martyrii curſu, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino. *Felicis.* *Eugenii.*

Textum ſimpliciter & pure referunt *Praten. Tornacen. Antverp-maj.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Antverp-maj. male legit, *qui ex uno ætatis ſuæ anno*, pro *à quinto decimo* &c. & præterea ſenſum hiulcum reddit ſcribens *miraculorum inſignis* omiſſa voce *gloria.* Scripſi *Martiano* cum pleriſque; Molan. habet *Marciano*, pejus Tornacen. *Martiniano.* Rurſus Antverp-maj. *martyrium ſumpſit.* Molan. ferme ſemper emendate ſolet *Pariſienſem* pro *Pariſiacenſem*; ſed turpius rem involvit Tornacen. per *aput pagum Pariſiacenſem urbem.* In Antverp-maj. eſt *conſumpmata.*

De Macuto

Quæritur an ad Uſuardum pertineat *Macutus*, *Machutus*, *Magutus*, *Machutes*, *Maclovius*, *Machlonius* (ſic enim in codicibus effertur) quæritur, inquam, an is ab Uſuardo poſitus ſit? In codice Pratenſi ad marginem adjicitur: *Eodem die, natalis ſancti Macuti epiſcopi & confeſſoris.* Roſweyd. legit: *Eodem die, ſancti Machlonii* &c. Antverp. Max. Lubec. & Ughellian. *Ipſo die, natalis ſancti Macuti.* Greven. *In Britannia minori, depoſitio ſancti Machuti* &c. Codices mediæ notæ: *Eodem die, beati Maguti* &c. Ab omnibus diverſimode, & longiori phraſi à Munerato, correpto nomine à Belino. Cenſeo ego Uſuardinum non eſſe, ex Herinienſi, Pulſanenſi & codicibus pro textu citatis, cum in Pratenſi adjectitium exiſtimem. Adde variantes phraſes, quæ ſatis oſtendunt, hæc omnia ex eodem fonte non procedere. Cetera in Auctariis. Conſule notam Motherii ad Martyrologium Romanum, hoc die.

Felicis.

OBSERVATIO. Sanctorum, ſub *Felicis* nomine elogia memoriaſque in Martyrologiis confuſas & fæde perturbatas, recte olim obſervavit probavitque operis noſtri parens Bollandus, agens de celeberrimo illo Nolano ſeu Pauliniano XIV Januarii à pag. 937. Idem nobis ſuperius non ſemel fatendum fuit, ſed præcipue ad citatum diem XIV Januarii, XXIV Octobris & alibi. Hîc recurrit Felix ille, quem primum Nolanum epiſcopum & martyrem paſſim ſtatuunt Scriptores, nonnulla Acta recenſentes, quæ referuntur ab Ughello tomo 6 col. 286. Ipſis conformia ſunt, quæ ſentit laudatus Bollandus, nec video Felicis hujus à ceteris diſtinctionem, abſque temeritatis nota, negari aut refelli poſſe, contra expreſſiſſimam vetuſtiorum Martyrologiorum auctoritatem. Aſt eam prævertere aut quodammodo enervare voluiſſe videtur Caſtellanus, dum in notula ad Martyrologium univerſale ſubmonet; *ante auctorem Martyrologii Romani parvi, nullam uſquam Felicis alicujus Nolani factam mentionem, præterquam ſolius celebris confeſſoris* XIV *Januarii.* Id ita eſſe, non inficior; verum niſi auctorem illum ſomniaſſe, aut, quod nefas eſt, datâ operâ impoſuiſſe fingamus, admittenda ſunt monumenta antiquiora, ex quibus ipſe tam diſerte pronuntiare potuerit: *Felicis epiſcopi, qui à quintodecimo anno miraculorum gloria inſignis fuit, & ſub Martiano cum* XXX, *martyrium complevit, in Nolenſi eccleſia ſepultus.* Quod de Elpidio ſepulturæ curatore adjunxit Ado, Romani parvi non eſt, neque id adeo deſcribere voluit Uſuardus. Ceterum hîc Felicem epiſcopum habemus cum XXX ſociis martyrio coronatum, & Nolæ ſepultum, quem nobis non facile eripient neotericorum dubia, præſertim Tillemontii tomo 4 pag. 655 & 656. Acta ejus apud Ughellum & alios, hîc mihi nec examinanda nec propugnanda ſunt, ſed Romani parvi eorumque, qui Martyrologium illud ſecuti ſunt, fidem ob meras conjecturas elevari non patiar, quæcumque demum fuerit illius Felicis ætas, quiſcumque inter Nolanos aut alterius loci epiſcopos ei locus aſſignetur, de quibus alibi copioſius & accuratius diſputandum erit.

Eugenii.

Non minoribus tricis involvitur annuntiatio altera de *Eugenio* martyre agri Pariſienſis, ſaltem pro ut hoc tempore poſt Maurolycum, Molanum, & recentiores Martyrologos intelligi ſolet. Diximus ſupra, Molanum ad XIII Novembris excluſiſſe Eugenium Toletanum epiſcopum ab Uſuardi textu, ſuſpicati id ea cauſa factum, quod hodiernum martyrem, Toletanum epiſcopum fuiſſe exiſtimaverit. Et vero ea jam pervulgata opinio eſt, quam ego quidem non capio, quâ ſatis ratione veroſimilis reddi poſſit, non magis quam additamentum, aliud, nimirum *Dionyſii Areopagitæ diſcipulum* fuiſſe, aut à Dionyſio eodem *ordinatum.* Probe novi, plures in hanc rem operoſe deſudaſſe, quorum ſcripta apud nos ſunt; at enim quod mihi infundatum videtur, tueri non audeo; nec proinde aſſerere, Eugenium noſtrum in agro Pariſienſi martyrem, Toletanum epiſcopum fuiſſe; à Petro vel Clemente cum Areopagita trans Alpes miſſum. Si fontem exhibere vacaret, haud dubium, quin vel Hiſpani ipſi ultro ſubſcriberent, potiuſque ſententiam Miræi in Faſtis Belg. ad hunc diem adoptarent. Nolim tamen hîc arbiter eſſe, ſolum indico, Floharium apud Surium ſeculo XII ſcribentem, aut ſimiles alios, idoneos teſtes non eſſe, quorum ſuffragiis res tam antiqua & incerta tutò definiatur. Recte, meo judicio, & vere ſignaverat Uſuardus, à quo in ſacros Faſtos, ſive ex metrico Wandelberti, ſive aliunde relatus eſt, dum eum ſimpliciter dixit, conſummato martyrii curſu, beatæ paſſionis coronam percepiſſe à Domino, nihil prorſus de dignitate epiſcopali, quæ Uſuardi ævo in S. Dionyſii necdum nota erat, memorans. Plura vide apud Du Bois Hiſt. eccleſ. Paris. tomo 1, à pag. 33 & Tillemontium tomo 4 pag. 453 & 717, quæ à nobis ſuo loco opportunius diſcutientur, intactâ interim Baronii & aliorum auctoritate, quibus recentiori opinioni adhærere viſum fuerit. Uſuardo prælucere potuit Wandelbertus, vel potius ex communi fonte uterque hauſit; certe idem cum Noſtro ſentire, manifeſte oſtendit ſequens verſiculus:

Septena Eugenius martyr denaque niteſcit.

AUCTA-

AUCTARIA.

PRATEN. De marginali additamento ſatis dictum eſt. *Dedicatio eccleſiæ in honore ſancti Joannis Baptiſtæ* &c huc proprie non ſpectat.

Juniani. HERINIEN Textui puro addit: *Eodem die, beati Juniani confeſſoris, quem beatus Remigius baptiſmate lavit.* Patet proprium loci eſſe.

ROSWEYD. In prima purus, ſecundam ſic effert: *In pago Pariſiacenſi, ſancti Eugenii martyris. Eodem die, ſancti Machlonii epiſcopi & confeſſoris. Antiochiæ, Valeriani martyris, cum aliis* XV.

Machlonii. Valerian. &c

PULSANEN. Incipit: *Apud Coloniam Campaniæ urbem* &c bene: ſecundam: *Ipſo die, ſancti Eugenii.* Deſunt reliqua.

ANTVERP. MAX-LUBEC. UGHELLIAN. & GREVEN. Horum codicum auctarium, in Variantibus retulimus. Vide etiam notulam Caſtellani ad Martyrologium univerſale.

De Macuto. MUNERAT. Poſt textum: *Apud Britanniam Alecis urbem, natalis beati Macuii epiſcopi & confeſſoris, qui à primævo ætatis tirocinio innumerabilibus miraculis ſplendide emicuit, uno ſcilicet eodemque vitreum de lapide calicem valde choruſcum, præclarum, vinum de aqua, hominemque de morte mirabiliter reintegrans.*

Maguti. ANTVERP-MAX ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. *Eodem die, beati Maguti epiſcopi & confeſſoris.* Aliqui *Machuti.*

CENTULEN. *Natale ſancti Felicis epiſcopi & martyris. In territorio Pariſeorum, ſancti Eugenii martyris. In Britannia, quæ Cornugalliæ nuncupatur, ſancti Macuti epiſcopi & confeſſoris.*

Macuti.

Donati &c. BRUXELLEN. Incipit: *Apud Antiochiam, natale ſanctorum martyrum Donati, Reſtituti, Valeriani & Fructuoſæ, cum aliis* XII. Vide GREVEN. infra. In Felice ſatis purus eſt. Tum: *Apud civitatem Tholetanam, paſſio ſancti Eugenii, ejuſdem civitatis epiſcopi, qui apud Pariſium conſummato martyrii curſu* &c. Hæc prima in codicibus noſtris Toletanæ urbis veſtigia. *Eodem die, depoſitio ſancti Machuti epiſcopi & confeſſoris.*

Machuti.

HAGENOYEN. In prima ſatis purus eſt, niſi quod admiſceat, *& ſub Martiano præſide Hyſpaniarum, regnante Maximiano.* Secunda integrior eſt. Sequitur: *Eodem die in Britanea minori, natale ſancti Mathuri* [pro *Machuti*] *epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Kyliani confeſſoris. In civitate Theoleto, natale ſancti Eugenii epiſcopi & confeſſoris. In civitate Marſilia, paſſio ſancti Victoris martyris, qui fuit vir per omnia laudabilis in moribus & in vita. Qui paſſus eſt* &c. Vide textum & Auctaria XXI Julii, neſcio cur in hoc codice huc differatur. Demum: *In epiſcopatu Conſtancienſi, monaſterio Kniaugenſi, ſancti Findani confeſſoris, qui multum confert Eugenio.* Idem eſt, ni fallor, qui apud Caſtellanum pridie ponitur.

Machuti. Kilani. Eugen. ep. Victoris.

Findani.

AQUICINCT. In fine: *Eodem die, ſancti Macuti confeſſoris.* Jam ſatis ſæpe recurrit

Maclovii. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Maclovii, qui & Machutes, epiſcopi & confeſſoris, cujus miri actus leguntur. Apud Nolam Campaniæ, Felicis epiſcopi & martyris, cum cæteris.*

CAMBERIEN. S. Mariæ Conventualium. *Ipſo die, ſancti Maximi confeſſoris.*

Secundini & ſociorum. In VATICAN. num. 5949. Nihil de Eugenio. Adjectum: *In Africa, ſanctorum Secundini, Martialis, Kalendionis, Valerii, Fructuoſi cum aliis* XII. Vide hæc diſtinctius in Hieronymianis.

Ceſſatoris. Deſiderii. ALTEMPS. *Item ſancti Ceſſatoris epiſcopi & confeſſoris. Caturicis civitatis, ſancti Deſiderii epiſcopi & confeſſoris.* Vide Caſtellanum.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *In territorio Pariſiacenſi, ſancti Eugenii martyris.*

De Eugen. EDITIO LUBECO-COL. De Felice addit Adonis clauſulam: *Corpus ejus Elpidius presbyter in Nolenſi eccleſia ſepelivit. Eodem die, ſancti Eugenii epiſcopi, ſocii ſancti Dionyſii, qui apud Pariſiacenſem pagum nomine Diolio, conſummato martyrii curſu, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino; & prædio ſuo Toletano ſepultus. In Africa, ſanctorum Secundini, Marcialis, Saturnini, Valeriani & Fructuoſi martyrum, cum aliis duodecim.* *Secund. &c.* *In Britannia minori, ſancti Machuti epiſcopi & confeſſoris.* *De Machut.* *Qui, ut fertur, trium mortuorum meruit fieri ſuſcitator mirificus. Eodem die, ſancti Maurini confeſſoris.* *Maurini.* *Item ipſo die, ſancti Madonii confeſſoris.* *Madonii.* Debet aliunde lux accedere.

Macuti. BELIN. Textui non ſatis puro addit: *Item eodem die, natale ſancti Aracuti epiſcopi & confeſſoris.* Fallor vehementer, ſi hic alius ſit à Macuto, quod MOLAN. non advertiſſe, infra patebit.

Secund. &c. GREVEN. *In Aphrica, ſanctorum Secundi, Fidentiani, Varrici, Saturnini & Marcialis. Item ſecundum aliquos* [imo ſecundum Hieronymiana] *hîc, Donati, Reſtituti* &c. *qui ſupra* XVII *Kal. Septembris* [voluit dicere X *Kal.*] *habentur.* *Donati. &c.* *Madonii confeſſoris. Maurini confeſſoris.* *Madonii. Maurini.* *Apud Coloniam Agrippinam, depoſitio dignæ & ſanctæ memoriæ Alberti, cognomento magni, epiſcopi Ratiſponenſis, Ordinis Prædicatorum, viri tam vitæ ſynceritate, quam eruditione clariſſimi.* *De Alberto magno.* *Qui ſenio confectus Coloniæ reſidens, obitum beati Thomæ Aquinatis, lachrymis infuſus, ut per ſpiritum cognoverat, fratribus annuntiavit. Obiit autem anno ætatis ſuæ* LXXXVII, *cum jam in Ordine fuiſſet annis ferme* LXX: *cujus merita & gloriam Dominus per miracula multa declaravit.*

De Eugen. MOLAN. Poſt *Eugenii*, aliis litteris textui inſerit: *Archiepiſcopi & martyris Toletanæ ſedis, qui à beato Dionyſio ordinatus, & directus fuit ad prædicandum Trinitatem ſanctam gentibus.* In fine: *Cujus corpus modo quieſcit Bronias in pago Lomacenſi.* Vide Annotata in editionibus poſterioribus. Tum ex BELIN. *Item eodem die, natale ſancti Aracuti* &c. Tum de Machuto ex MUNERAT. uſque ad *ſplendide emicuit.* *Machuti.* De Juniano ex HERINIEN. *In Auſtria, ſancti Leopoldi, ejuſdem provinciæ Marchionis & confeſſoris eximii, quem Innocentius octavus Sanctorum numero aſſcripſit.* *Juniani. Leopoldi.* Denique minoribus typis de Alberto magno, nonnihil contrahit elogium GREVENI. Editiones poſteriores idem habent de Eugenio. Dein: *Alberti M.*

Ipſo die Santonas civitate, depoſitio ſancti Maclovi epiſcopi & confeſſoris, in Britannia, urbe Alethis; qui à primævo ætatis tirocinio innumerabilibus miraculis ſplendide emicuit. Argentinæ, ſancti Amandi epiſcopi & confeſſoris. *Maclovi.* *Amandi.* De Juniano & Leopoldo, ut in priori. *Die decima quinta, ſanctorum martyrum & confeſſorum Guriæ, Samonæ & Abibi.* *Guriæ &c.* Denique typis minoribus: *Coloniæ obiit Albertus magnus, epiſcopus Ratiſponenſis, vita & eruditione in Ordine Prædicatorum clariſſimus. Cujus merita & gloriam Dominus per multa miracula declaravit.* Vide ſupra longius elogium in GREVEN.

XVI *Kal.* *Die* 16.

Eucherii. LUgduni, natalis ſancti Eucherii confeſſoris, qui ex nobiliſſimo Senatorum ordine, ad religioſam vitam habitumque converſus, diu intra ſepta ſpeluncæ ſponte clauſus, Chriſto ſervivit, deinde apud præfatam urbem, revelante angelo, in pontificali cathedra ſolemniter collocatus eſt.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Tornacen. Pulſanen. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Errant in ipſo nomine Pulſanen. & Munerat. ille *Heucherii* ſcribens, hîc *Eleuterii*. Greven. & Molan. legunt, *epiſcopi & confeſſoris*, nos cum reliquis ſimplicius. Rurſus Munerat. phraſim mutat, dum pro verbis textûs ſubſtituit, *qui nobiliſſimorum ſenatorum ordine*. Cetera nævi ſunt, *aput*, *ſollemniter*, *ſollempniter* &c.

Eucherii. *OBSERVATIO.* Alterum poſt Irenæum urbis Lugdunenſis, imo totius Eccleſiæ lucidiſſimum ſidus *Eucherius*, à celeberrimis quibuſque V ſeculi PP. Hilario Arelatenſi, Caſſiano, Salviano, Claudiano Mamerto aliiſque pluribus, ſummis certatim laudibus extollitur, à multis ſeculi proxime præteriti ſcriptoribus, præſertim Raynaudo & Chiffletio illuſtratus. Notiſſimæ ſunt, de Eucherio uno aut binis Lugdunenſibus epiſcopis, de Eucherii uxore Galla, filiabus Conſortia & Tullia, aliiſque, ad filios Salonium & Veranum ſeu Veranium ſpectantibus controverſiæ. De filiis veroſimiliter XXVIII Septembris & XI Novembris egimus. Prædictæ difficultates, ſolita diligentia à Tillemontio expenſæ ſunt tomo 15 à pag. 120 & in notis eò reducendis. Ad rem noſtram quod proximè attinet, videtur Eucherius in Hieronymianis ſignatus, quidquid ibi nomen deformatum ſit, de quo videnda Florentinii notatio. Ex Hieronymiano aliquo codice annuntiationem ſuam expreſſit Rabanus, qui Eucherium nec in Beda, nec in Floro repererat. Vacat hoc die Romanum parvum, ſic ut inter Martyrologos nemo Adone uberius res Eucherianas, ſaltem ejus ad epiſcopatum vocationem, proſecutus ſit. An omnia ſatis accurate? Certant critici recentiores, quos inter narrationem ejus arrodunt aliqui, alii plane repudiant At certe mirandum eſſet, Viennenſem antiſtitem, virum nec imperitum nec ineptum, à novem ferme ſeculis tam turpiter impegiſſe; acſi Eucherianam hiſtoriam, ab ejus ævo non uſque adeò remotam, plane ignoraſſet. Nos hæc de more ad alium locum remittimus, ibi ex Baronio antiquioribuſque ſcriptoribus diſcutienda & illuſtranda. Certum eſt Uſuardi brevius elogium ex Adonianis verbis contractum eſſe. Wandelbertus, forte ſtudio & Eucherianæ laudis augendæ gratia, ipſum cum Thaumaturgo Gregorio ſic uno diſticho hoc die compoſuit:

Eucherius ſextam cum dena Gregoriuſque
Implent: Lugduni hic, Neocæſareæ ille ſacerdos.

AUCTARIA.

ANTVERP-MAJ. Veteri membranæ laceræ aſſuta eſt lacinia recentior textum ſupplens, in qua ſubobſcure adjectum legitur: *Eodem die, ſancti Edmundi archiepiſcopi & confeſſoris.* *Edmundi.* De hoc pluribus infra, tu vide annotationem Motherii in verſione ejus Martyrologii Romani, de qua non ſemel alibi locuti ſumus.

ROSWEYD. Textui ſatis puro ſuperaddit: *Eodem die, depoſitio ſancti Othmari abbatis & confeſſoris.* *Othmari.* Vide notulam Caſtellani.

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Poſt textum ex Hieronymianis decerpunt: *In Affrica, natale ſanctorum Ruſiani* [pro *Ruſiniani*] *Marci, Valerii, Honorati.* *Ruſin. &c.* Vide in fonte ſocios plures. Tum: *In territorio Autiſſiodorenſi, monaſterio Pontiniaci, depoſitio beati Edmundi archiepiſcopi & confeſſoris.* *Edmundi.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. LOVANIEN. ALBERG. & DANIC. In primo addimento cum præcedentibus conveniunt: *In Affrica, natale ſanctorum Ruſiani, Marci, Valerii & Honorati.* *Ruſin. &c.* Sequitur: *In Alemannia, natale ſancti Othmari abbatis. In territorio Antere, monaſterio Pontiniacenſi, depoſitio beati Ethmundi Cantuarienſis epiſcopi & confeſſoris.* *Othmari. Edmundi.*

CENTULEN. Textum noſtrum alia phraſi reddidit: *Apud Lugdunum, ſancti Eucherii epiſcopi & confeſſoris; qui de ſeculari nobilitate ad Domini ſe contulit ſervitium, & in epiſcopum divinitus præelectus, noluit adquieſcere, niſi fractis foribus abſtractus, ac demum ligatus traheretur; qui tandem & eccleſiæ ritè præfuit & optimo fine quievit.* *De Eucher.*

BRUXELLEN. Incipit: *Apud Capuam, natale ſanctorum martyrum Vitalis & Juſti. In Affrica, natale ſanctorum martyrum Rufiani, Marci, Valerii & Honorati.* *Vitalis &c. Rufin. &c.* Sequitur textus ſic interpolatus: *Deinde angelica revelatione de ſpelunca eductus, electione cleri, & conſenſu totius populi, apud præfatam urbem in pontificali* &c. *De Eucher.* Tum ſubdit: *Hujus uxor*

Gallæ & filiarum. *uxor Galla ſpeluncam ejus ingreſſa, in ſancto habitu omne illic vitæ ſuæ tempus exegit. Ipſorum duæ filiæ Conſorcia & Tullia virginitatis gracia & ſignorum gloria claruerunt.* Dein: *In territorio Anthere, monaſterio Pontiniacenſi, depoſitio Ethmundi Cantuarienſis archiepiſcopi & confeſſoris. In Almannia, depoſitio beati Othmari epiſcopi vel abbatis & confeſſoris. Item Felicitatis virginis.*

Edmundi. Othmari. Felicitatis.

HAGENOYEN. In textu modicè interpolatus, de Rufiniano & ſociis Afris habet, ut ſupra. Tum: *In Almannia, in monaſterio ſancti Galli, Conſtancienſis dyoceſis, natale ſancti Othmari abbatis & confeſſoris. Hic vir totus n n ẽ* [intelligo *bonis*] *operibus erat deditus & alta contemplatione ſuſpenſus. Pauperum multam curam* [habebat] *pedes & capita illorum abluendo, & neceſſaria corporis, prout habuit, eis miniſtrando: leproſos etiam balneando, & vulnera eorum immunda tergendo. Hic à quibuſdam tyrannis, quia illorum avaritiæ & diſſipationi rerum temporalium monaſterii ſui conſentire noluit, eos apud Pipynum principem accuſando, ab eiſdem de fornicatione accuſatus eſt, & quod cum meretricibus bona monaſterii conſumeret, in inſulam Reni quamdam relegatus eſt, ibique multis miſeriis maceratus, quievit in Domino. In territorio Antere, apud Pontyniacum monaſterium, depoſitio beati Emundi epiſcopi Cantuarienſis & confeſſoris. Hic beatæ Virgini valde erat devotus. Item apud Arethonam Avernenſium, ſanctæ Vitalinæ virginis.* Vide Caſtellanum XXI Februarii, & Acta noſtra eodem die.

De Othmar. *De Edmun.* *Vitalinæ.*

AQUICINCT. In fine: *Eodem die, beati Otmari abbatis. In Capua, natalis ſanctorum Vitalis & Juſti.*

Otmari. Vitalis &c.

DAVERONEN. *Aurelianis, Marcelli.*

Marcelli.

MATRIC-CARTUS ULTRAJECT. *Ethmundi archiepiſcopi Canthuarienſis & confeſſoris. Eucherii epiſcopi & confeſſoris. Othmari abbatis & confeſſ.*

Edmundi. Othmari.

In VATICAN. ſub num. 5949. Adjicitur: *Natale ſancti Auguſtini epiſcopi & ſanctæ Felicitatis matris ejus in S. Sophia.* Vide Hieronymiana die ſequenti, primo loco. *In Africa, ſanctorum Rufiniani, Marci, Valerii & Frontonis, cum ſociis ſuis.*

Auguſtini. Rufin. &c.

ALTEMPS. *Apud Pontiniacum, depoſitio ſancti Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi, apud Pontiniacum quieſcentis, cujus mors & vita glorioſis commendatur miraculis.*

De Edmund.

FLORENTIN. *In Africa, ſanctorum martyrum Rufini, Marci, Valerii & Honorati. In territorio Antiſſiodorenſi, monaſterio Pontiniacenſi, depoſitio ſancti Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi & confeſſoris.* Tum ſolus STROZZIAN. *Sancti Fidentii epiſcopi tertii Paduani & confeſſoris.*

Rufin. &c. Edmundi. Fidentii.

BURDEGALEN. *Æmyliani confeſſoris, qui magnæ ſanctitatis exiſtens, & multis coruſcans miraculis, in baſilica, quam prope Dordaniam miro ordine fabricavit, honorifice tumulatus eſt.*

Æmiliani.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Colonia Agrippina, in eccleſia B. Clementis, tranſlatio corporum beatorum duorum Ewaldorum presbyterorum & martyrum, à ſepulcro eorum ad ſcrinia, per B. Annonem Colonienſium archiepiſcopum. Item Colonia, tranſlatio brachii beati Georgii martyris in eccleſia ipſius. Romæ, ſancti Martini pueri & martyris, filii ſenatoris; qui puer, cum idolis immolare recuſaret, & minas Martiani imperatoris contemneret, juſſus eſt extendi & dorſum ejus ac ventrem conſcidi: deinde ligari, ſuſpendi, & ſecari atque diverſis pœnis affligi, atque ad ultimum decollari.* De Eucherio & Africanis, habet ut BRUXELLEN. ſupra. Tum: *In Almania, natale ſancti Othmari abbatis & confeſſoris, cœnobii ſancti Galli; qui in inſula Reni per duos iniquos principes Alemannorum Warinum & Ruthardum relegatus obiit, cujus corpus poſt ejus obitum, evolutis decem annis, in monaſterio S. Galli, à fratribus intactum repertum eſt ac tranſlatum.* De Edmundo, ut jam ſæpius. *Aurelianis, ſancti Marcelli confeſſoris. Eodem die, ſancti Secundani confeſſoris.*

De Ewaldis. De Georgio. De Martino uero mart. De Othmar. *Marcelli. Secundani.*

BELIN. In textu non ſatis caſtigatus, adjicit in fine: *In Affrica, ſanctorum martyrum Ruffini, Marci & Valerii. Eodem die, feſtum ſancti Fidentii epiſcopi & confeſſoris, tertii epiſcopi Paduani.*

Rufin. &c. Fidentii.

GREVEN. *In Aphrica, natalis ſanctorum Ruphiani &c. Item ſanctorum Secundiani, Aureliani, Marcelli. Nota, Galla uxor S. Eucherii, ut Ado inquit, ſpecum ejus ingreſſa, omne illic vitæ ſuæ tempus in ſtudio religionis exegit. Duæ etiam ipſorum filiæ, quarum una Conſortia, altera Tullia vocabatur, virginitatis gratia, & ſignorum gloria claruerunt. Roma, ſancti Martini pueri. Qui cum eſſet Romanæ urbis primarius ſenatoris cujuſdam filius, idolis immolare renuens, minaſque Marciani præſidis parvipendens, in equuleum levatus, ungulis dilaniari jubetur. Deinde cum variis tormentorum generibus ladi minimè potuiſſet, capitis abſciſione martyrium conſummavit. Hunc Uſuardus habet* VII *Kal. Januarii ſub nomine Marini. In monaſterio Pontigniaco, depoſitio ſancti Edmundi archiepiſcopi Cantuarienſis & confeſſoris. Qui à matre Mabilia ab ipſis pueritiæ primordiis religioſiſſime educatus, carnis caſtigationi & aſſiduis precibus intentus, in maxima ſanctitate accrevit. Tandem factus antiſtes, plenus operibus bonis quievit. Othmari abbatis & confeſſoris. Qui Alemannus natione, ſanctis actibus clarus, monaſterio ſancti Galli prælatus, ab impiis injuſte condemnatus eſt exilio in inſula Rheni fluminis: ubi poſt multas, quas ibi ſuſtinuit miſerias, in Domino quievit. In Hervordia, dioceſi Paderbornenſi, ſancti Waltgeri confeſſoris, eccleſiæ illius fundatoris primi.* Apud Caſtellanum formatum invenio *Valdogeri. Aurelianis, Marcelli confeſſoris. Eodem die, ſancti Secundani confeſſoris. In Sueſtris, Benedictæ & Ceciliæ abbatiſſarum. In Scotia, ſanctæ Margaretæ reginæ.* De tranſlatione Ewaldorum & brachii S. Georgii, ferme ut ſupra.

Rufin. &c. Secund. &c. De Galla & filiabus. De Martino. De Edmun. Waltgeri. Marcelli. Secundani. Bened. &c. Margaretæ. De Ewald.

MOLAN. De Eucherio, aliis litteris, poſt, *præfatam urbem*, textui inſerit; *cum univerſa eccleſia, defuncto pontifice Lugdunenſi, juxta morem antiquitus à ſe obſervatum, triduanis jejuniis & obſecrationibus, qui gubernationem ejuſdem eccleſiæ ſuſcipere deberet, ſibi poſceret à Domino revelari.* In fine: *In Aphrica, ſanctorum martyrum Rufini, Marci, & Valerii. Eodem die, ſancti Fidentii epiſcopi & confeſſoris, tertii epiſcopi Paduani. In territorio Antiſiodorenſi, monaſterio Pontiniacenſi, depoſitio ſancti Ethmundi Cantuarienſis epiſcopi & confeſſoris, & depoſitio beati Othmari abbatis.* Tum typis minoribus ex GREVEN. *In Hervordia, diœceſi Paderbornenſi, ſancti Walegheri confeſſoris, eccleſiæ illius fundatoris primi. In Scotia, ſanctæ Margaretæ reginæ, cujus vitam ſcripſit Turgotus epiſcopus.* In aliis idem eſt de Eucherio in textu, idem de Afris, Fidentio & Edmundo. Tum: *Apud Viennam, depoſitio ſancti Leoniani abbatis, qui fuit germanus Aniani epiſcopi. In Vueſtphalia, depoſitio beati Vualdgeri confeſſoris, fundatoris eccleſiæ noſtræ Dominæ in Hervordia. In Alemannia, depoſitio ſancti Othmari abbatis. In Capua, natalis ſancti Auguſtini.* Aliàs *Auguſtiani*, ejuſdem haud dubie, de quo ſupra in VATICAN. Minoribus typis: *In Scotia, ſanctæ Margaretæ reginæ.*

De Eucher. Rufin. &c. Fidentii. Edmundi. Othmari. Waleghers. Margaretæ. Leoniani Auguſtian.

XV *Kal.*

XV *Kal.* *Die* 17.

Dionysii. APud Alexandriam, beati Dionisii episcopi. Hic in multis sæpe confessionibus satis clarus, & pro passionum tormentorumque diversitate magnificus existens, quievit Valeriani & Galieni imperatorum temporibus. Civitate Corduba, passio sanctorum *Aciscli & Victoriæ.* martyrum Aciscli & Victoriæ, ubi ob commendationem pretiosæ mortis eorum, eodem die rosæ ortæ divinitùs colliguntur. Aurelianis, *Aniani.* sancti Aniani episcopi & confessoris, cujus mortem in conspectu Domini pretiosam miracula crebra testantur.

Sumitur textus ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Rosweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belini prima editione*, & *Molan.* Item ex *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Albergen.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. *Dionisii* scribitur in textu, ut solet. Solus Munerat. post ait, *Dyonisii episcopi & martyris.* Legendum est, *Hic in multis sæpe confessionibus satis clarus*, ut cum Adone habent probatiores codices. Praten. omisit *in*; Munerat. & Belin. *sæpe.* Molan; fortasse ex Greven. transposuit *sæpe* post confessionibus, ut sit, *sæpe satis*; in Rosweyd. vero est *clarus satis.* Antverp. & Max-Lubec. cum Belino & codicibus mediæ notæ habent, *pro passionibus*, & iterum Belin. *diversitatibus.* Molan. vero, opinor denuo ex Greven., pro *tormentorumque*, substituit *meritorumque.* Prætuli in textu *Aciscli*, ex Praten. & Rosweyd. imo ex Adone; variant ceteri, quorum aliqui *Asciscli*, alii *Auscli*, *Atisdi*, *Asciscli* &c. Deficit Praten. in epitheto *pretiosæ* ante *mortis*, sed nos illud ex aliis atque ex ipso Adone restituimus. Inter puros numeravi Antverp-maj. licet in assuta lacinia, de qua supra egimus, non satis legibiliter omnia exprimantur.

Dionysii. OBSERVATIO. Confusum aliquid in Martyrologio Romano, recte insinuat Castellanus appositâ notulâ III Octobris, quo die ex enumeratis sociis, colligit, ipsummet magnum illum *Alexandrinum Dionysium* illuc invectum esse, quod à Græcis sic recolatur. Fieri potuit, ut eruditissimi Reformatores memoriâ lapsi sint, dum hîc eumdem expressius referunt. Neuter proprius obitus dies est, nec secundùm nostrum, nec secundùm aliorum chronologicum calculum, ut vide in Tract. de Patriarch. Alexand. à pag. 29 & à num. 157. Ibi enim ex inita ratione nostra, Dionysius obiisse dicendus est IX Martii CCLXV, aliis pro X, aliis pro XIV Septembri CCLXIV, aliis pro alio die certantibus. Sed hîc recudenda non est ea controversia, plane ad rem nostram inutilis, cum certissimum existimem, auctorem Rom. parvi pro solo & mero suo libitu, ut in aliis toties advertimus, hunc præ ceteris diem Dionysii cultui consecrasse, his verbis: *Alexandriæ, Dionysii episcopi, in multis sæpe confessionibus clari, Valeriani & Gallieni temporibus.* Acceptus est ex consueto fonte Rufini Eusebio, unde & Ado longius elogium suum subinde compilavit, à Nostro sic contractum, ut textus exhibet. Paucula in citato Tractatu Patriarchali, de inclytissimo exule & fortissimo fidei confessore delibavimus, ut tunc ferebat operis ratio, sed ea operosius apud Ruinartium inter Selecta, explicata sunt à pag. 164, atque à Tillemontio historice deducta tomo 4 à pag. 242 per octodecim articulos. Baronii & horum operâ in Actis suo tempore uti licebit, quemadmodum & de ejus doctrina scriptisque ex Hieronymo de Script. eccles. cap. 69, aliisque Bibliographis uberius poterit disquiri.

Aurelius Prudentius περὶ στεφάνων Hymn. 4, sic canit: *Corduba Aciscium dabit & Zoëllum, tresque coronas.* En hîc primum secundæ nostræ annuntiationis martyrem, junctum, opinor, *Zoïlo*, de quo cum Usuardo egimus XXVII Junii, & operosius eo die *Aciscli & Victoriæ.* in Actis, ad quæ lectores ibi remisimus. Crediderunt Majores nostri, per ea verba *tresque coronas*, intelligi tertiam illam martyrem hodiernam *Victoriam*; at felicior mihi quidem videtur Ruinartii conjectura pag. 517, tres fratres Cordubenses martyres, Faustum, Januarium & Martialem substituentis; sic ut ibi Victoria excludatur. Nihilominus, utut à Prudentio omissa fuerit, dubitari non potest, quin Ado utriusque Acta inter se connexa viderit, ex quibus perenne miraculum narrat, iisdem verbis ex ipso in textu nostro expressum. An id suspectum habuerit Baronius, an forte Acta ipsa, annos Christi signantia, recentiora crediderit, nescio; in Hieronymianis, die sequenti signatur solus *Aciscius*, nec ibi rosæ, nisi in solis Lucensibus memorantur, de

de quibus vide diſſerentem Florentinium. Elogium Flori, die ſequenti relatum, utriuſque Sancti martyrium connectit, tormenta dumtaxat, & præſidem *Sidonem* commemorans; ſed nec de iis promptum eſt hoc loci ſententiam ferre. Plures ſcriptores recitat Baronii Notatio, ex quibus Aciſcli & Victoriæ Acta ſuo tempore illuſtrari poterunt. Junior eſt Tillemontius tomo 5, pag. 59.

Anianum Aurelianenſem quantumvis brevi, egregio ſane elogio ornavit Apollinaris Sidonius lib. 8, epiſt. 15, *maximum* ipſum *conſummatumque pontificem, Lupo parem, Germanoque non imparem prædicans*, qui utinam res ejus geſtas eodem ſtylo proſecutus fuiſſet! Partem aliquam ad poſteros tranſmiſit Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſt. Francorum cap. 7; Carolus Sauſſeyus apud Surium plura ex Aurelianenſis eccleſiæ monumentis collegit, alibi diſcutienda. Quod modo ad nos attinet, codices Hieronymiani, quacumque demum manu, ipſum conſignant: *In Gallia, civitate Aurelianis, depoſitio Aniani epiſcopi & confeſſoris.* Beda, ut alibi nonnumquam, epiſcopi titulum omittit, ita hîc: *Aurelianis, natale ſancti Aniani confeſſoris*, quæ diſtinctius à Rabano reddita ſunt. In Flori encomio miraculum additur de puerulo epiſcopum deſignante; at veroſimillimum eſt, nulla Acta Adoni innotuiſſe, cum ſimpliciſſime legat: *Aurelianis, ſancti Aniani epiſcopi*; unde conſequitur, textûs noſtri ſatis vulgare elogium ſoli Uſuardo adſcribendum eſſe. Apud Bedam Aniano ſubjungitur Gregorius Thaumaturgus, à Rabano præfixus; iſque hoc ipſo die in Romano conſtanter celebratur, tametſi à Romano parvo, Adone & Uſuardo poſitus ſit 111 Julii. Audiamus modo inſigne Aniani elogium à Wandelberto metricè concinnatum: *Aniani.*

Quindecima antiſtes Ligeris per littora, perque
Feſtivos populos Anianus laude coruſcat
Æternâ, merito, ſignis, prece, conſilioque:
Urbem qui propriam hoſtili de clade redemit.

AUCTARIA.

TORNACEN. Caret ſecunda annuntiatione de martyribus Cordubenſibus, cetera omnia pura ſunt.

PULSANEN. Incipit *Apud Gneocæſaream Ponti, beati Gregorii epiſcopi, qui ſignorum ac miraculorum gloria præditus, inter cetera, quodam tempore, ut eccleſiæ faciendæ locus ſufficeret, montem precibus movit.* Tum: *Apud Alexandriam, beati Dioniſii epiſcopi.* Deſunt reliqua. *Gregorii.*

GREVEN. Appoſito ſigno L, de quo alibi locuti ſumus, textui adſcribit: *In Britannia, civitate Lincolnienſi, beati Hugonis epiſcopi & confeſſoris.* Sed vel hac de cauſa, ut alibi, hîc etiam eum à puris excludimus. *Hugonis.*

LOVANIEN. Textui puro ſubdit: *In Britanniis, civitate Linconienſi* [Lincolnienſi] *ſancti Hugonis epiſcopi & confeſſoris.* *Ejuſdem.*

CENTULEN. In textu non quidem purus, ſed minus ſolito contractus eſt. Tertio loco interjicit: *Apud Ponthum, ſancti Gregorii epiſcopi Gneocæſariënſis & martyris, qui multa miraculorum gloria præditus fuit. Ipſo die, ſancti Odonis abbatis.* Vide Auctaria XVIII Dec. *Gregorii.* *Odonis.*

BRUXELL. In prima ſatis purus, pergit: *Apud Pontum, natale ſancti Gregorii Neocæſarienſis epiſcopi & martyris, qui magna ſignorum gloria præditus*, &c. Sequitur ſecunda annuntiatio ſatis pura, uti etiam eſt tertia, ſed inter utramque, ex aliquo Hieronymiano, legitur: *Romæ trans Tyberim, natale ſancti Cecilii.* *Gregorii.* *Cecilii.*

HAGENOYEN. Multa, pro ſuo arbitratu, plerumque non ſatis exacte coacervat. Sic orditur: *In Curia Curienſi, ſancti Florini confeſſoris.* Caſtellanus *Confluentiam* & *Schonaugiam* aſſignat. Vide Molani editiones poſteriores. *Item Hugonis epiſcopi Lycolienſis*, [Lincolnienſis] *de Ordine Carthuſienſium. In Brictanea, Auguſtini epiſcopi & confeſſoris.* Vide XXVI Maii. Sequitur textus utcumque tolerabilis. Deinde elogium aliquod Lupi Senonenſis, quem cum aliis poſuit die 1 Septembris, quo & hîc feſtum ejus eſſe fatetur; pauca deſcribo: *Apud Senones, natale ſancti Lupi epiſcopi, qui apud Aurelianum de regali ſanguine ortus* [eſt.] *Hic cum omni polleret virtute, Senonenſis eſt electus archiepiſcopus. Hic vir tantæ erat pietatis, ut ſibi nil retineret, & omnia ſua pauperibus largiretur &c.* *Florini.* *Hugonis.* *Lupi.*

VICTORIN. In fine addit: *Turonis, depoſitio ſancti Gregorii epiſcopi & confeſſoris, miraculorum factoris.* Hæc proxime ſequenti Gregorio potius aptanda ſunt, niſi ſenſus ſit, quem format MOLAN. in poſterioribus editionibus. *Item S. P. Gregorii Neocæſarienſis epiſcopi. Et ſanctæ Teclæ virginis.* Haud dubie ex Hieronymianis. Poſteriores duas annuntiationes habet codex REG. SUEC. ſign. n. 130, priorem codex alius ſub num. 428. *Greg. Turon.* *Greg. Thaum.* *Teclæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Hugonis epiſcopi & confeſſoris. Aniani epiſcopi & confeſſoris. Auſcli & Victoriæ martyrum, in quorum feſto miraculosè divinitùs oriuntur roſæ. Gregorii epiſcopi Turonenſis. Florini confeſſoris.* *Hugonis.* *Greg. Turon.* *Florini.*

CAMBERIEN. S. Mariæ. *Ipſo die, beatorum Abrahæ & Florini epiſcoporum.* *Abrahæ & Florini.*

VATICAN. ſub num. 5949. Adjicit: *Apud Neocæſaream Ponti, natale ſancti Gregorii epiſcopi, inſignium miraculorum factoris. Eodem die roſæ divinitùs ortæ colliguntur.* Ubi & qua cauſa? An hæc forte ab Aciſclo & Victoria, per ſcriptoris incuriam divulſa ſunt? Sic exiſtimo.

FLORENTIN. *Apud civitatem Florentinam, in partibus Tuſciæ, natale ſancti Eugenii diaconi, diſcipuli ſancti Zenobii Florentini epiſcopi, qui magnis virtutibus clarus quievit in Domino, anno ætatis ſuæ trigeſimo, anno Domini* CCCCXXIII. Hæ forte ſunt *tabulæ Florentinæ*, quæ à Baronio citantur. Sequitur in iiſdem codicibus: *Romæ, paſſio ſanctorum martyrum octo, qui paſſi ſunt ſub Alexandro imperatore, ut legitur in paſſione S. Marinæ virginis.* *Eugenii.* *Martii 8.*

EDITIO LUBECO-COL. De Dionysio post *exi-*
De Dionysio. *stens* superaddit: *Qui etiam* [cum] *beatis Gaio & Petro in squalidissimo deserto Libyæ catenis constrictus, & diversis cruciatibus afflictus Valeriani & Galieni imperatorum temporibus, postea vero ad ecclesiam suam rediens quievit in pace.* In Cordubensibus, satis pura est. Tum: *Aurelianis, sancti Aniani episcopi & confessoris, qui mira præditus sanctitate, dum quadam die ad Missam omnipotenti Deo sacrificium solenne offerret, idem sacrificium altari suppositum dextera Dei patris visa est benedixisse hostiam. Cujus & mortem in*
De Aniano. *conspectu* &c. *Ipso die, sancti Hugonis episcopi*
Hugonis. *Linconiensis, & confessoris, Ordinis Carthusiensium. In Anglia, translatio sancti Erkenwaldi*
Translat. Erkenwald. *episcopi Londoniensis & confessoris. Item eodem die,*
Abrahæ. *sancti Abrahæ confessoris. Turonis, sancti Gregorii*
Gregorii. *episcopi & confessoris. Vienna, sancti Mammati*
Mammati. *episcopi & confessoris.*

BELIN. In secunda editione hoc augmentum
Greg. Turon. superaddit: *Item Gregorii Turonensis.*

GREVEN. Prosequens augmentum, de quo
De Hugone. superius, sic habet: *Beatus iste Hugo vir sanctissimus, ex procuratore majoris Carthusiæ, prior domus sui Ordinis de Wittam in Anglia factus est; ubi eximiis pollens virtutibus, ad regimen ecclesiæ Lincolnensis electus, sicut prius probatissimum monachum, ita nunc pastorem vigilantissimum, ecclesiasticæque libertatis defensorem, ultra omnes sui temporis strenuissimum se exhibens, miraculis multis vivus & defunctus coruscans, quievit in pace, anno Domini* M CC *Sanctorum Cathalogo solenniter asscriptus. Romæ trans tyberim, natalis sancti Cecilii. In Nicomedia, sancti Ammonis. Carthagini, sanctorum Dubitati, Tusci, Valentini. Romæ, Octo Martyrum, quos sancta Martina convertit. Felicis Papæ & martyris hic sepultura. Vienna, sancti Mamati episcopi & confessoris. Turonis, sancti Gregorii episcopi & confessoris; qui anno post obitum beati Martini* CLXXII *ejus sedem sortitus, vita, eruditione & signis admodum effulsit. In Anglia, translatio sancti Erconwaldi episcopi Colonienses* [in priori editione melius *Londonienses*] *& confessoris. Apud provinciam Retiæ, sancti Florini presbyteri & confessoris. Eodem die, S. Abrahæ confessoris. Martinæ martyris. In Anglia, sanctæ Hildæ virginis, abbatissæ, quam omnes, qui noverant, ut Beda testatur libro* 4, *ob insigne pietatis & gratiæ, matrem vocare consueverant. Non solum autem in suo monasterio vitæ exemplo præsentibus extitit, sed etiam longius manentibus, ad quos felix industriæ, ac virtutis ejus rumor pervenit, occasionem salutis & correctionis ministravit. Post multa tandem, quæ fecit in terris, cælestia opera, ad percipienda præmia vitæ cælestis transivit anno Domini* DCXXX. Apud Castellanum in Martyrologio notatur annus DCLXXV. Vide quæ idem observat de ejus genere, reliquiis &c.

Florini. *Abrahæ.* *Martinæ.* *Hildæ, cum elogio.*

MOLAN. *In Nicomedia, sancti Ammonis. Item sancti Valentini & sanctæ Teclæ virginis. Ipso die, sancti Stueri* vel *Severi* [nomen non bene exprimitur] *confessoris. Item Gregorii Turonensis. In Britanniis civitate Lincolniensi, beati Hugonis episcopi & confessoris.* Dein typis minoribus; *cujus actus à diversis sunt conscripti & per Henricum Morensium carmine executi. In Anglia, sanctæ Hildæ virginis, abbatissæ, quam omnes qui noverant, ut Beda testatur lib.* 4, *matrem vocare consueverant, ob insigne pietatis & gratiæ.* Posteriores editiones primo loco referunt Gregorium Thaumaturgum, de quo supra, cum interpolationibus &c. In fine: *In Britanniis, civitate Lincolniensi, beati Hugonis episcopi & confessoris.* De Ammone, ut in priori. Tum: *Item Turonis, sancti Gregorii archiepiscopi & confessoris, miraculorum libri factoris. Ipso die, apud Cluniam, sancti Florini.* Denique typis aliis: *In Palæstina, natalis sanctorum Alphæi & Zachæi, qui post verbera & novaculas, post diversas in tormentis quæstiones, post pedes, dies noctesque compedibus ligneis quatuor foraminum intervallo interpositos, distentos distractosque, capitibus abscissis ex hac luce discedunt.* Vide Eusebium de Martyribus Palæstinæ cap. 1, vel apud Ruinartium à pag. 331.

Ammonis. *Valentini & Teclæ.* *Severi.* *Greg. Turon.* *Hugonis.* *Hildæ.* *Florini.* *Alphæi & Zachæi.*

XIV *Kal.* *Die* 18.

Romani, cum puero Barala. APud Antiochiam, natalis beati Romani, qui temporibus Diocletiani, cum quidam præfectus ecclesiam irrumpere, eamque funditus conaretur evertere, ceteros Christianos hortatus est, ut ei contradicerent; unde unà cum quodam parvulo, nomine Barala, celebri martyrio coronatus est. Item in eadem urbe, *Hesychii.* sancti Esichii, qui cum esset miles & præceptum audisset, ut quisquis non sacrificaret idolis, cingulum militiæ deponeret, repente cingulum solvit. Ob hanc causam ligato in dextram ejus saxo ingenti, in fluvium præcipitari jussus est.

EX *Praten. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Inter purissimos codices certo censendus Herinien. hodie integerrimus, sed propter additamentum proprium, de quo in Auctariis, exclusus. Contra vero Greven. & Molan. hîc inter puros computati sunt, licet in secunda annuntiatione constructionem varient hoc modo: *Ut, quisquis non sacrificaret idolis, mortis subiret sententiam, cingulum militiæ solvit.* Imo Molan. sensum prosequitur, *ob quam causam.* Ceteræ variationes in nominibus maxime versantur. Puerum, cum Adone & præcipuis codicibus *Baralam* vocamus, Greven. *Barulum*, Molan. *Barulam*, alii aliter. Non minor in alio

alio nomine diverſitas. Relîqui in textu *Eſichii*, proxime ad puritatem, quæ ex Adone eſt *Heſychii*. Sunt qui ſcribant *Eſicii*; Hieronymiana *Iſicii* &c. De *ydolis* &c. ſatis alibi.

OBSERVATIO. *Romani Cæſarienſis diaconi*, inſigniſſimi martyris, & cum Laurentio ac Vincentio comparandi, prima, nitidior ac ſimplicior memoria traditur in vetuſtiſſimo Hieronymiano Epternacenſi, in quo tum parvulus *Baralas*, tum *Heſichius*, ſub una eademque commemoratione ſatis apertè comprehenduntur his verbis: *In Antiochia, natalis Romani, Barili & Iſici martyris.* Tricas ingerit adjecta in aliis Hieronymianis codicibus appellatio *monachi*, quam certum eſt, non inveniſſe Rabanum, qui ſatis prolixum elogium ex Actis extraxit; unde vero Florus, à noſtris editus, ſua acceperit, non ſatis perſpicio. Romanus aliquis inter Cæſarienſes martyres, in citatis Hieronymianis ponitur die præcedenti. Ex his nata longior & operoſior Florentinii Notatio, qua adverſus Valeſium, in Baronii ſententiam inclinat, de *Romanis* martyribus Antiochiæ paſſis, omnino geminandis, ſic ut alter *monachus* ſit, alter *diaconus*, uterque tamen eodem ferme martyrii genere, eodem loco, eodem tempore, imo forte eodemmet die coronatus. His etiam anſam præbent diverſæ de *Romani* martyrio relationes, ut vel bina Euſebii narratio, altera de Martyribus Palæſtinæ, apud Ruinartium pag. 331; altera ex lib. 2. de Reſurrectione, apud eumdem pag. 379, vix ſatis apte inter ſe combinari videantur. Difficultatem auget paſſio cum puero, paſſio ſine puero; inde Prudentii Hymnus apud laudatum Ruinartium à pag. 382, nonnulla confundentis; demum alia SS. Patrum encomia à laudatis ſcriptoribus appellata. Studioſe elaborata eſt Tillemontii deductio hiſtorica à pag. 699. Baronii & Florentinii opinionem de binis *Romanis* cum Valeſio & Ruinartio improbabilem cenſet. Ego ingenue fateor, me necdum clare diſtinguere, cui potiſſimum parti accedendum ſit, præſertim cum Romanum parvum diſerte ſignet: *Antiochiæ, Romani monachi & martyris*, quemadmodum vocatur in Actis Mombritianis, Ado vero elogium ſuum ita formet; ut cum Rabano non magis de *monachi* quam *diaconi* appellatione meminerit, uti nec Noſter qui ex Viennenſi ſua omnia deprompſit. Unus igitur, an duo *Romani* Antiochiæ paſſi admittendi ſint, tunc declarabitur, cum utriuſque opinionis momenta ſingula, cum Actis ipſis & diverſis panegyricis accuratius expendere & diſcutere vacaverit. *Romani.*

In prælaudatis *Romani* Actis à Mombritio tomo 2 à pag. 244 editis ſub finem additur certamen alterius noſtri martyris *Heſychii* vel *Iſicii*, in Hieronymianis ſupra citatis priorum ſocii, quem non video intelligi poſſe ſub nomine *Zocii* cum aliis martyribus Antiochenis & *Romano* aliquo ac *Barale* conjuncti in ſæpe dictis codicibus die xv Februarii, quandoquidem *Zocius* ille ibi diſertiſſime *presbyter* nuncupetur. Utut fuerit, id certe patet, ibi Heſychium hoc die conſignari, veluti & apud Florum, atque in ſerie noſtra multo diſtinctius, Romano parvo legente: *Et ſancti Heſychii Palatini & martyris*; Adone vero pluſculum narrante, unde noſtra omnia in textu repræſentata, verbatim deſumpta ſunt. Per *Palatini* in Romano parvo alluditur ad officium aliquod in palatio cæſareo exerciti, idque cum Actis Mombritianis concordat, quæ ipſum in miniſterio, imo *Priorem palatii* fuiſſe aſſerunt. De ſolis Romano & Heſychio loquitur Wandelbertus dum ambos honorat: *Heſychii.*

Hiſichius martyr quartam denamque coronat,
Romanuſque; urbs Antiochi quîs læta recurrit.

AUCTARIA.

Oricoli & ſociorum. HERINIEN. Jam dixi puriſſimum eſſe: addit autem provinciæ Remenſis proprium: *Ipſo die, beati Oricoli martyris ſociorumque ejus, qui ſub Wandalica perſecutione paſſi ſunt.*

TORNACEN. Purus in prima annuntiatione, in ſecunda, ut ſæpe ſolet, mutilus eſt.

Oct. Martini ROSWEYD. Purus in textu, ſubdit majuſculis proprium Ultrajectenſe: *Octava S. Martini.*

Audæ. MUNERAT. Etiam textum refert, ſed in fine adjicit: *Eodem die, natalis ſanctæ Andæ.* Audæ.

PULSANEN. In prima ſic habet: *Apud Antiochiam, natalis beati Romani.* Altera pura eſt.

Florini. ANTVERP-MAX. & LEYDEN-BELG. Poſt textum: *Apud Confluentiam, natale ſancti Florini confeſſoris.* Vide die præcedenti. *Item Romæ, natale ſancti Gelaſii Papæ. Item, octava S. Martini.*

Gelaſii. Oct. Mart. LOVANIEN. codex eadem prorſus habet Auctaria, ſed totum Heſychii noſtri elogium reſcindit.

ULTRAJECT. Incipit: *Romæ, natale ſancti Gelaſii Papæ. Hic, ut narrat beatus Gregorius, Canonem compoſuit: libros etiam quinque contra Neſtorium & Euticen hæreticos, & contra Arrium duos. Fecit inſuper ymnos ad modum ſancti Ambroſii.* Sequitur textus. In fine de Florino & oct. Martini. Sic LEYD-LAT. Sed de Gelaſio, penultimo loco. *De Gelaſ.* *Florini.* *Oct. Mart.*

ALBERG. & DANIC. Loco octavæ Martini, ſubſtituunt in fine: *Dedicatio baſilicarum Apoſtolorum Petri & Pauli.* Cetera, ut ULTRAJECT.

CENTULEN. *Antiochiæ, ſancti Romani monachi, qui pro defenſione Eccleſiæ tormentis affectus, martyrium paſſus eſt. Eodem die in eodem loco, ſancti Hiſichii militis, qui pro Chriſti fide militiam reliquit, & martyrii coronam percepit. Ipſo die, octava beati Martini epiſcopi. Turonis, ſancti Gregorii epiſcopi, qui multas diverſorum ſanctorum paſſiones & vitas deſcripſit, & priora Francorum geſta memoriæ commendavit.* Vide die præcedenti. *Oct. Mart. Le Gregor. Turonen.*

BRUXELLEN. Incipit: *Octava ſancti Martini epiſcopi Turonenſis.* In Romano poſt *contradicerent*, ſic interpolatus eſt; *unde lingua ſibi abſcinditur, quâ abſciſâ ipſe locutus eſt, & poſtea unà cum quodam puerulo* &c. In ſecunda, mutat poſitionem, ſcribens: *Romæ, natalis ſancti Eſichii* &c. in fine adjicit, *& ſic martyrium complevit.* Tum: *Romæ, ſancti Gelaſii Papæ; qui ſedit annis quatuor. Hîc cotidianam præfationem Miſſæ, ac alias orationes & hymnos ad modum ſancti Ambroſii, & contra Neſtorium & Euthicen hæreticos, libros quinque, & contra Arrium duos, ut beatus Gregorius teſtatur, compoſuit. Apud Confluentiam, ſancti Florentii* [Florini] *confeſſoris. Et ſancti Odonis abbatis Cluniacenſis. Item ſancti Hugonis, Ordinis Carthuſienſis & epiſcopi Linconienſis.* Vide die præcedenti. *Ipſo die, ſanctæ Euſebiæ virginis.*

Oct. Mart. De Roman. *De Geloſ.* *Florini. Odonis. Hugonis. Euſebiæ.*

HAGENOYEN. In textu, ſolito purior, unicam dumtaxat annuntiationem adjungit: *Romæ, natale beati Gelaſii Papæ, Hic, ut dicitur, Canonem compoſuit ante papatum, & factus Papa, in Miſſa ipſum dici conſtituit, ſecundùm quod Gregorius Papa dicit. Alii autem dicunt, quod Canonem quidam ſcolaſticus Cuno nomine compoſuit, ſed Gelaſius Papa, ipſum dici inſtituit. Hic Gelaſius quinque libros* &c. *Inſuper ymnos ad modum ſancti Ambroſii compoſuit: Orationes etiam Miſſæ & horarum cum tractibus Septuageſimæ ipſe fecit. Item conſtituit ut ymnum trium puerorum, id eſt, Benedicite omnia opera Domini Domino, nullus ſacerdos poſt Miſſam dicere negligat.*

Multa de Gelaſio.

AQUICINCT. Adjicit in fine: *Eodem die, tranſitus ſancti Odonis abbatis.*

Odonis.

VICTORIN. In fine, *Ipſo die in pago Valagia, depoſitio ſancti Theofredi martyris. Item Turonis, ſancti Odonis Cluniacenſis abbatis. Item Antiochiæ, ſancti Eutychii martyris.* Puto repeti nomen *Heſychii. Eodem die, octava ſancti Martini.* Convenit de more, codex REG. SUEC. ſub. num. 130; ſed exceptâ octavâ; quæ in hoc codice deeſt.

Theofredi. Odonis. Eutychii.

DAVERON. Sic ſuam annuntiationem efformat. *Beati Odonis abbatis monaſteriorum Gallicarum.*

Odonis.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECTIN. *Dioniſii epiſcopi Alexandriæ.* Ex die præcedenti. *Romani martyris & Barulæ. Eſichii militis & martyris. Severi presbyteri & confeſſoris. Inclyti & magni martyris.* Hæc alibi non reperit auctor notæ marginalis, nec ego capio quid ſignificent.

Dionyſii. Severi &c.

DIVION. S. Benigni. *Eodem die, paſſio ſancti Theofredi martyris. Ipſo die, depoſitio beati Odonis abbatis, cujus vita ſanctis præclara extitit meritis.*

Theofredi. Odonis.

CLUNIACEN. *Eodem die, tranſitus beati Odilonis abbatis.* Voluit dicere *Odonis.*

Odonis.

CAMBERIEN. S. Mariæ. *Ipſo die, beatorum Momboli & Odonis confeſſorum.*

Momboli & Odonis.

REG. SUEC. num. 428. *Eodem die, ſanctæ Audæ virginis. Eodem die, depoſitio domni Odonis abbatis, piiſſimi patris monachorum.*

Audæ. Odonis.

CODEX D. DU CHEVAL. ſign. B. *Item Romæ, natalis ſancti Gelaſii Papæ.*

Gelaſii.

VATICAN. Addit. *Natale ſancti Flavii martyris.*

Flavii.

ALTEMPS. *Eodem die, beati Odonis abbatis. In Hibernia, depoſitio ſancti Romani epiſcopi. Anigus filius Amardarch regis furatus eſt brachium ejus ſiniſtrum, ipſumque integra cum carne in metropolitana eccleſiia habetur. Et ſanctæ Hildæ abbatiſſæ.* Vide die præcedenti.

Romani. ep. Hildæ.

FLORENTIN. *In Tuſcia apud civitatem Lucanam, ſancti Fridiani, ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris, cujus vita tanto Deo & hominibus extitit glorioſa, quanto miraculorum profunditate fuit eximia. Et non ſolum poſt obitum ejus, verum etiam in corpore, dum viveret, multa per eum Deus dignatus eſt operari miracula, quorum, ut B. Gregorius in libro Dialog. unum præcipuum & maximum fecit miraculorum.* Eſt *Frigidianus*, cujus natalis eſt XVIII Martii, ſed vita huc in Actis remiſſa. Miraculum, de quo hîc agitur infra dabit GREVEN. Tum ſolus STROZZIAN. *Item tranſitus ſancti Odonis abbatis.* Adde *Cluniacenſis.*

DeFrigid. Odonis.

LUGDUNEN. & CAUDIACEN. Conveniunt in, *natale ſancti Theofredi martyris.*

Theofredi.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit ab octava ſancti Martini. De Romano, poſt *contradicerent*, ſic habet: *Ob quam cauſam ipſe cum quodam puerulo nuper ablactato, nomine Baralo, juſſus eſt eculeo extendi, & fuſtibus acriter cædi ac ungulis exarari, linguam abſcindi, noviſſimè laqueo ſtrangulari, & ſic celebri martyrio coronatus eſt; ſed puer Baralus tandem decollatus eſt.* In ſecunda, ſatis pura eſt. Tum de Florino, ut ANTVERPMAX. de dedicatione, ut ALBERGEN. De Mombolo & Odone, ut CAMBERIEN.

Oct. Mart. De Roman. Florini. Dedicat. Mombol. &c.

BELIN. Incipit: *Romæ, dedicatio baſilicarum Apoſtolorum Petri & Pauli.* Sequitur textus ſatis purus: Deinde adjungit: *Eodem die, ſancti Fridiani epiſcopi & confeſſoris. Item tranſitus beati Odonis abbatis.*

Dedicat. Frigidian. Odonis.

GREVEN. *Octavæ ſancti Martini. Oriculi martyris & ſociorum ejus ſub perſecutione Wandalica. Ipſo die, vel ſecundùm alios, die ſequenti, Romæ, ſancti Gelaſii Papæ & confeſſoris, qui ſedit in epiſcopatu annis quatuor. Hic amator pauperum, clerum ampliavit; tractatus & hymnos compoſuit; Sacramentorum præfationes & orationes, quæ ſunt in uſu, cauto & limato ſermone edidit; ſepultus in eccleſia ſancti Petri XII Kal. Decembris. Romæ, dedicatio baſilicarum ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. In Tuſcia, civitate Lucana, ſancti Phrigidiani epiſcopi & confeſſoris, miræ virtutis viri. Qui, ut dicit Gregorius 3 Dialog. Auſerith fluvium, juxta muros civitatis influentem, ſæpeque inundatione damna inferentem, oratione facta alveum proprium deſerere & alio influere fecit. Apud Conſtantiam, inferioris Normanniæ civitatem, ſancti Rumpharii epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Momboli abbatis. Eodem die, natale ſanctæ Audæ. In Hiſpaniis civitate Corduba, paſſio ſanctæ Teclæ virginis. Romæ, ſanctæ Euſebiæ virginis. Electæ virginis.*

Oct. Mart. Oriculi. De Geloſ. Dedicat. Baſilicar. De Frigid. Rumfarii. Momboli. Audæ. Teclæ. Euſebiæ. Electæ.

MOLAN. De dedicatione baſilicarum ex BELIN. Item de Odone. Tum: *Apud Conſtantias inferioris Normanniæ, beati Rumpharii, præfatæ urbis epiſcopi & confeſſoris.* De Oricolo, ex HERINIEN. *Antiſiodoro, dedicatio baſilicæ ſancti Germani epiſcopi, cum ſuperioribus cryptis. Eodem die, ſancti Fridiani epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Florini confeſſoris, Confluentis monaſterii. Et depoſitio ſanctæ Euſebiæ virginis. Eodem die, natalis ſanctæ Audæ.* Et minoribus typis, *Pariſiis in conventu Apoſtolorum Petri & Pauli. Item ſancti Momboli abbatis.* Editiones aliæ importune verbum *vellet* in textum invehunt. Auctaria vero de dedicatione baſilicarum, de Odone, & Fridiano eadem ſunt. *Apud Confluentiam, ſancti Florini confeſſoris.* Rurſus de Rumphario & Oricolo, ut ſupra. *Pariſiis, natalis ſanctæ Audæ. Item in Gallis, ſancti Momboli abbatis.* Tum dedicatio baſilicæ S. Germani. Demum typis minoribus adjungitur: *Inſula Lyrino, ſancti Anſelmi abbatis.*

Dedicat. Odonis. Rumfarii. Oricoli. DeGerman. Frigidian. Florini. Euſebiæ. Audæ. Anſelmi abb. Lirin.

XIII. *Kal.*

XIII *Kal.* *Die* 19.

ROmæ via Appia, natalis ſancti Maximi presbiteri & martyris, qui perſecutione Maximiani paſſus, poſitus eſt ad ſanctum Sixtum. *Maximi.* Eodem die, ſancti Criſpini epiſcopi, qui civitate Aſtiagenſi, capite amputato martyrii gloriam adeptus eſt. *Criſpini.* Apud Viennam, ſanctorum martyrum Severi, Exuperii & Feliciani, quorum corpora poſt multa annorum curricula, ipſis revelantibus inventa & à pontifice urbis, clero & populo honorificè ſublata, ac condigno honore condita ſunt. *Severini & ſocior.* Item ſancti Fauſti diaconi, hic grandævus & plenus dierum confeſſor perdurans, perfecto martyrio, capitis obtruncatione conſummatus eſt. *Fauſti.*

Puri ſunt *Herinien. Antverp-maj. Munerati prima editio, Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Antverp-maj. pro *Maximi presbyteri*, male legit *Maximi epiſcopi.* Codices omnes, ſolo Pratenſi excepto, diſerte exprimunt *perſecutione Maximiani*; in Adone tamen & in citato Pratenſi habetur *Maximini.* Munerati editio altera in eo deficit, quod duas primas annuntiationes commiſceat, ſic legens; *poſitus eſt ad civitate Aſtiagenſi, capite* &c. omiſſis intermediis. Reliqui *Sixtum* cum codicibus prope omnibus. Solus Molanus habet, *qui in civitate* &c. Item *Severiani*, pro *Severini*: Antverp-maj. *& Superii*, pro *Exuperii.* Greven. & Molan. mutant *clero & populo*, in *clero populoque.* In *grandævus*, ſervanda fuit diphthongus.

OBSERVATIO. De *Maximo* in Variantibus jam notavimus codicem Pratenſem cum Adone ſignare tyrannum *Maximinum*, haud dubie ejus nominis primum, ſed codices noſtros poſuiſſe *Maximianum*, forte quod *Maximinum* alterum perperam legi ſupponerent, qui Romæ imperium non obtinuit. Utri melius elegerint, hactenus incertum eſt, quandoquidem lateat quis fuerit hodiernus *Maximus*, ut candide fatetur Baronius, eò demum inclinans, ut *commentarienſem* credat eſſe *à ſancto Stephano baptizatum, & perſecutione Decii è ponte præcipitatum in Tiberim*; utpote cui quadret ſepultura ad S. Sixtum II in cœmeterio Calliſti. *Maximi.* De geſtis paſſionis ejus ibi à Baronio citatis alibi diſſerendum; hîc ſolum obſervo, Baronii Notationem jam dictam cum textu Martyrologii Romani haud convenire, cum in hoc diſerte exprimatur *perſecutio Valeriani.* Hæc ſatis in re plane dubia. Romani parvi annuntiatio, à nullo alio prius poſita eſt: *Romæ, Maximi presbyteri & martyris.* Quæ præter hæc in laterculo noſtro Uſuardus addidit, ex Adone verbotenus deſcripſit.

Criſpinum Aſtiagenſem apud ſolum Uſuardum invenio; citat Baronius hymnum Breviarii Toletani, in quo ejus geſta contineantur. *Criſpini.* Petrus in Catalogo lib. 10 cap. 84 pauculis rem abſolvit, auctorem appellans Adonem in Martyrologio: ſed quale hoc Martyrologium fuerit, prorſus non intelligo, niſi Adoni Mabiloniano ſimile ſit, ex variis collectaneis conflatum. Si verum fontem Uſuardinum quæras, fateor me ignorare, ſed malim ad meſſem in Hiſpania collectam recurrere, quam ad neſcio quem Adonem tam enormiter interpolatum.

Vere Adonem ſe deſcripſiſſe aſſerere poterat Petrus, quod tamen reticet, ejuſdem libri cap. 82 in martyribus Lugdunenſibus, quorum nulla, quod ſciam, præterquam apud Adonem memoria ſupereſt, vel in ipſo SS. Lugdunenſium indiculo à Raynaudo neglecta. *Severini & ſocior.* Sic habet laudatus Viennenſis in Chronico ad annum CLXIII: *Severinus, Exuperius & Felicianus, parvo tempore ante, apud Viennam martyrio coronati.* Quæ in Martyrologio narrantur, ad inventionem & tranſlationem prædictorum martyrum proprie pertinent, quarum recentior erat memoria, dum baſilicæ S. Romani curam geſſiſſe dicitur Ado ipſe, priuſquam ad Viennenſes inſulas promoveretur. Noſtra omnia ex ipſo tranſlata ſunt. Utrum ſatis probari queant, quæ præter Adoniana ab aliis memorantur, alterius loci eſt diſtinctius explorare. Vide interim Tillemontium tomo 2 pag. 321. Sic ſolam hanc noſtram annuntiationem metrice reddidit Wandelbertus:

Tredecimam Felicianus cum Severiano,
Cumque Exuperio fidei certamine ſancit.

Quarta annuntiatio apud Romanum parvum ſic ſonat : *Et Fauſti diaconi & Euſebii collegæ ejus, martyrum viſitatorum.* Profluit ex Rufini lib. 7 cap. 10, unde conſtat totum Adonis elogium deſumptum, atque ex hoc textum noſtrum contractum eſſe, in quo de ſolo Fauſto agitur, qui forte presbyter ſubinde factus, idem ipſe dici poſſet, qui *grandævus* cum Petro Alexandrino martyrium ſubiit, eo nomine recurſurus XXVI Novembris ; ſed iis ſociis ibi conjunctus, ut veroſimilius diverſus eſſe videatur. *Euſebium* nulla alia Martyrologia Latina celebrant, etiam in moderno Romano prætermiſſum. Conjicit autem Tillemontius eumdem eſſe, qui poſtea Laodicenam in Syria eccleſiam epiſcopus rexit, ſicuti indicat tomo 4 à pag. 304. Porro à Romano parvo ambo collegæ *Viſitatores* nuncupantur, quoniam *invitis omnibus ad confeſſores, qui in carcere tenebantur .... indeſinenter neceſſaria*, deportarent, ut in Adone fuſius ex laudato Rufino deſcribitur. Sed his diutius non immoror. Habemus Uſuardum, cujus textum genuinum præcipue quærimus.

Fauſti.

AUCTARIA.

Odonis. PRATEN. Merito excluſus eſt, cum in fine addat : *Turonis, ſancti Oddonis abbatis* : ubi manus diverſitatem non obſervavit Caſtellanus, ſed qui nuperrime in mei gratiam, codicem denuo inſpicere dignatus eſt eruditiſſimus noſter Chamillart differentiam aliquam apparere teſtatus eſt. Habet adjectam *dedicationem* &c.

TORNACEN. In prima & ſecunda purus, in tertia expunxit elogium, quarta omnino caret.

Eliſabeth. Ad marginem autem manu nonnihil recentiori additur : *In Alemannia, caſtro Marburg, beatæ Eliſabeth.* Inferius dabuntur elogia.

ROSWEYD. Purus in textu, ſubjungit : *In Eraclia, ſanctarum* XL *viduarum.* Eadem fere Hieronymianorum annuntiatio eſt.

Viduar 40.

PULSANEN. In prima purus, à tribus aliis elogia omnia plane reſecuit.

Simplicii. Eliſabeth. ANTVERP. & MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Puri in textu, addunt : *Item Simplicii epiſcopi. Eodem die, depoſitio beatæ Eliſabeth.*

MUNERAT. De ſecunda ejus editione truncata, dictum eſt in Variantibus.

Eliſabeth. Simplicii. ANTVERP-MAX. & LEYDEN-BELG. Incipiunt : *Apud Maguntinenſe territorium, natale beatæ Elyſabeth, filiæ regis Hungarorum.* Sequitur totus textus, & in fine : *Auguſtuduni, depoſitio ſancti Simplicii epiſcopi.* Eadem ſunt in cod. LOVANIEN. ſed is in Fauſto mutilus eſt.

De Eliſab. Simplicii. ULTRAJECT. & LEYDEN-LAT. Priorum phraſim ſic primo loco amplificant : *Quæ cum eſſet Turingiæ nupta Lantgravio, pietatis & humilitatis operibus inſudavit, quantum licuit ſub marito. Sed lege ſoluta conjugii, rejectis ex toto regalibus & ſecularibus ornamentis, renes fune præcingens, & pedibus nudis incedens, Domino militavit ſub perfectæ tytulo paupertatis. Conſtruxit xenodochium ubi viam tranſcendens Apoſtolicam, pedes lavabat pauperum, manibuſque propriis ſaniem eliquans & abſtergens abhominabilium infirmorum. Quæ viſum à nativitate cæco reſtituens & innumeris fulgens miraculis, beatam vitam beatiori fine concludens, modo beatiſſima regnat in cælis.* Sequitur totus textus Uſuardinus, cui ad finem ſubjungitur Simplicius Auguſtodunenſis, ut ſupra.

De Eliſab. De Pontian Simplicii. ALBERG. & DANIC. Idem habent de Eliſabeth, ſed commemorationi illi immediate ſubjiciunt totam annuntiationem craſtinam de Pontiano Papa. In eo autem differunt hi duo codices, quod poſterior careat Simplicio.

Textus contractus. CENTULEN. *Romæ via Appia, ſancti Maximi preſbyteri & martyris. Apud Viennam, ſanctorum martyrum Severini, Exuperii & Feliciani. Eodem die, ſancti Fauſti martyris. Item ſancti Criſpini martyris, qui in civitate Aſtiagenſi amputato capite martyrium ſumpſit.* In margine recentiori manu aliqua adduntur de Eliſabeth, quæ non ſatis diſtingui poſſunt.

BRUXELLEN. Incipit : *Apud Magdeburgum* [pro *Marpurgum,*] *depoſitio ſanctæ Eliſabeth, filiæ regis Hungariæ, ac conjugis Lantgravii Thuringiæ. Quæ innumeris fulgens miraculis, beatam vitam beatiori fine concludens, modo beatiſſima regnat in cælis.* Sequitur textus hinc inde tranſpoſitus & interpolatus. In fine : *Auguſtuduno, depoſitio ſancti Simplicii epiſcopi.* *De Eliſab.* *Simplicii.*

HAGENOYEN. In prima & ſecunda ſatis purus, ſubdit : *Item Auguſtuduno* &c. Nihil hîc habet de Lugdunenſibus. In Fauſto ſatis purus eſt. Tum : *In territorio Treverenſi, in opido Confluenciæ, natale beati Florini confeſſoris. In Haſſia, in opido quod Marpurg dicitur, depoſitio ſanctæ Eliſabeth viduæ, filiæ regis Ungariæ & uxoris Ludovici Lantgravii Thoringiæ, cujus vita tota miraculis & operibus miſericordiæ plena erat ab infancia ſua uſque ad mortem ſuam. Ejus oſſa in tranſlatione ſua, in oleo natancia inventa ſunt. De quo plurimi infirmi inuncti & curati ſunt.* *Simplicii.* *Florini.* *De Eliſab.*

AQUICINCT. In fine : *Item ſancti Simplicii epiſcopi. Romæ, ſancti Gelaſii Papæ. Hic revocavit Miſenum epiſcopum, quem Felix anteceſſor ipſius damnaverat, & communioni eccleſiæ ſuæ reſtituit. Hic libros adverſus Eutychen & Neſtorium compoſuit.* De eo die præcedenti in Auctariis actum eſt : in Romano ponitur XXI Novembris, quo die vide obſervationem noſtri P. Motherii. *Simplicii.* *Gelaſii.*

VICTORIN. Habet *Fauſtinii* pro *Fauſti.* In fine : *Romæ, Gelaſii Papæ.* *Gelaſii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Eliſabeth viduæ, filiæ Regis Hungariæ. Simplicii epiſcopi & confeſſoris. Odonis abbatis Cluniacenſis, magnæ ſanctitatis viri.* *Eliſabeth.* *Simplicii.* *Odonis.*

REG. SUEC. num. 130. *Romæ, Gelaſii Papæ.* *Gelaſii.*

CODEX D. DU CHEVAL. ſignatus B. *Auguſtoduni, depoſitio ſancti Simplicii epiſcopi.* *Simplicii.*

VATICAN. ſub num. 5949. Deficit in annuntiatione 2 & 4 de Criſpino & Fauſto.

ALTEMPS. *Petragoricas, ſancti Leoncii epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die, B. Jacobi eremitæ.* *Leoncii.* *Jacobi.*

FLORENTIN. *In oppido Germaniæ, nomine Barbuth* [*Marpurg*, duo alia verba legi non poſſunt] *S. Elizabeth, Andreæ Hungarorum regis filiæ.... Romæ, ſancti Gelaſii Papæ.... Item ſancti Simplicii epiſcopi.* Habetur ſupra diſtinctius. *Eliſabeth.* *Gelaſii.* *Simplicii.*

BURDEGALEN. *Sancti Simplicii epiſcopi.*

EDITIO LUBECO-COL. In prima agit de Eliſabeth *De Eliſab.*

ſabeth, fere ut ULTRAJECT. ſupra. Tum: *Romæ, natale ſancti Gelaſii Papæ & confeſſoris. Hic, ut narrat beatus Gregorius, Canonem Miſſæ compoſuit, libros etiam quinque contra Neſtorium & Eutycen hæreticos, & contra Arrium duos. Fecit inſuper hymnos ad modum ſancti Ambroſii epiſcopi. Compoſuit etiam præfationem Miſſæ, Vere dignum & juſtum eſt, quotidiano uſu cantari, & ſedit in epiſcopatu annos quatuor.* De Pontiano habet textum diei ſequentis. In textu præter morem pura eſt. Demum de Simplicio, ut ſupra. *De Gelas.*

BELIN. Incipit à Pontiano, ut jam diximus. In tribus primis ſatis purus eſt. Tum pergit: *Eodem die in oppido Alemanniæ nomine Marchburg, depoſitio ſanctæ Eliſabeth, Andreæ regis Ungarorum filiæ. Item ſancti Simplicii epiſcopi & confeſſoris.* Quartam annuntiationem ſic abbreviat: *Eodem die, ſancti Fauſti diaconi.* *De Pontian.* *Eliſabeth.* *Simplicii.* *Fauſti.*

GREVEN. *In Cæſarea Cappadociæ, natalis ſanctorum Maximi, Mutiani, Nicophori, Januarii, Zefori & aliorum* XL. Diverſa miſcet ex Hieronymianis. *Item ſecundùm aliquos hîc, paſſio ſancti Pontiani Papæ, quem Uſuardus habet die ſequenti. Auguſtoduni, beati Simplicii epiſcopi & confeſſoris. Item ſancti Odonis abbatis primi Cluniacenſis, miræ ſanctitatis viri, incomparabiliſque in monaſtica diſciplina fervoris: adeo ut ejus fervore & induſtria monachorum illius temporis tepor verſus fuerit in ardorem. Quievit tandem anno Domini* DCCCC XXXVIII, *miraculis in vita pariter & morte clarus. In Eracleâ,* XL *viduarum & martyrum. In Marburgh civitate Haſſiæ, natalis ſanctæ Elizabeth viduæ ſanctiſſimæ, filiæ regis Hungariæ. Quæ ab infantia religioſiſſimam in Deum mentem gerens, nupta Lantgravio Turingiæ, pietatis & humilitatis actibus, quantum licuit ſub marito ſtudens. Ubi ad viduitatis ſtatum pervenit, rejectis ex toto ſeculariibus ornamentis & pompis, funereas præcingens, nudis pedibus, vili habitu inceſſit, viduamque Apoſtolicam ſe exhibens, filias educavit, hoſpicio recepit, ſanctorum pedes lavit, tribulationem patientibus ſubminiſtravit, omneque prorſus opus bonum ſubſecuta, miraculis glorioſiſſima quievit anno Domini milleſimo duceneſimo trigeſimo.* *Pontiani.* *Simplicii.* *De Odone.* *Viduar 40.* *De Eliſab.*

MOLAN. De Pontiano, ut alii ex textu diei ſequentis. Tum: *Eodem die in oppido Alemanniæ nomine Marburg, depoſitio ſanctæ Eliſabeth, Andreæ regis Hungarorum filiæ. Hæc conſtruxit Xenodochium, ubi vidua pedes lavabat pauperum, manibus propriis abſtergens ſaniem abominabilem infirmorum.* De Simplicio, ut ſupra. De Gelaſio, ut AQUICINCT., niſi quod addat, *fecit inſuper hymnos* &c. Sequitur demum litteris minoribus: *In territorio Arvernenſi, ſancti Patrocli confeſſoris egregii, de quo Gregorius Turonenſis dicit 5. Hiſt. Franc. cap.* 10. *Fuit in Biturico termino, reclauſus nomine Patroclus, preſbyterii honore præditus, miræ ſanctitatis ac religionis, de cujus vita libellum ſcripſimus.* Editiones poſteriores Pontianum in textu ponunt primo loco, dein Eliſabetham, ſed litteris Italicis. In fine: *In territorio Arvernenſi, ſancti Patrocli, confeſſoris egregii. Item ſancti Gelaſii Papæ, qui ſedit in pontificatu annos quatuor. Die decima nona, ſancti martyris Barlaam.* Vide Martyrologium Romanum, & Caſtellani notationem hoc die. *De Pontian.* *De Eliſab.* *Simplicii.* *De Gelas.* *De Patroclo.* *Barlaam.*

XII *Kal.* *Die* 20.

ROmæ, natalis beati Pontiani Papæ, qui Maximino adverſum eccleſiarum ſacerdotes perſecutionem commovente, cum Ypolito presbitero Sardiniam deportatus, ibique fuſtibus mactatus martyrium conſummavit. Corpus ejus à beato Fabiano Papa relatum, atque in cimiterio Calixti ſepultum eſt. Cabilone, ſancti Silveſtri epiſcopi & confeſſoris. Hic quadrageſimo ſecundo anno ſacerdotii ſui, plenus dierum atque virtutum migravit ad Dominum. Apud Siciliam civitate Meſſana, ſanctorum Ampeli & Gaii. Ipſo die civitate Taurinis, Octavii, Solutoris & Adventoris. *Pontiani.* *Silveſtri.* *Ampeli & Caii.* *Octavii &c.*

Ita habent *Praten. Herinien. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat.* & *Greven.*

VARIA LECTIO. *Potentiani*, pro *Pontiani*, error eſt in Munerato. Sic ſcriptorum ignorantia in Antverp. Max-Lubec. & Greven. pro *Maximino*, irrepſit *Maximiano*, ut aliàs factum obſervavimus, licet toto fere ſeculo disjungantur. Ex pleriſque codicibus *Ypolito* ſervamus, ut alibi. Herinien. male tranſpoſuit, *fuſtibus martyrium mactatus.* Levius errat Greven. in *Papa Fabiano*; ſed aliter loquitur Munerat. *Corpus autem ejus, à beato Fabiano revelatum, atque cimiterio Calixti Papæ ſepultum.* Quod de *Ypolito* dixi, idem puta de *cimiterio Calixti.* Diverſam ſcribendi rationem ſervant codices in *Meſana, Gagii, Gai, Octavi.* Nos de more in textu reliquimus *Gaii.*

OBSERVATIO. Martyrologii Romani reformatores Belinum potius quam Uſuardum ſecuti ſunt in ſignanda *Pontiani* Papæ feſtivitate die proxime præcedenti, ſeu XIX Novembris: Molanus, quod mirere, in ipſa prima editione, utroque die Sanctum à textu Uſuardino excluſit. In ſerie noſtra certiſſime notatur hoc die, ſic præeunte Romano parvo: *Romæ, Pontiani Papæ & martyris.* Adonis elogium, ut obſervat Roſweydus, ex *Pontiani.*

ex Pontifical. acceptum eſt; at necdum video, qua ſatis ratione cum Catalogis noſtris, ante tomum I Aprilis editis, conciliari queat. Inſuper multa offendo à Baronio, Henſchenio, Pagio, Papebrochio aliiſque circa Pontiani ætatem, exilium &c. diſputata, quæ operoſiori examine retractanda ſunt, à Tillemontio tomo 3 pag. 276 & 692, necdum liquidò explicata, ſi modo ulla chronologica methodo componi poſſint. Sunt & aliqua circa martyrium ambigua; at ipſum quis temere in dubium revocaverit, tot antiquis tabulis confirmatum? Ceterum quæ in textu noſtro exhibentur, ex Adone deſcripſit Uſuardus. Eſt in codicibus Hieronymianis XIII Auguſti, *Pontiani epiſcopi*: eſt eodem die in Bucherii Kalendario: *Et Pontiani in Calliſti.* Atque hæc de tranſlatione intelligenda exiſtimat Florentinius; quo fundamento, poſt videbitur. Rabanus Pontiani natalem revocat ad XXX Octobris. Securus dixerim, multa in hujuſmodi dierum electione arbitraria intercurrere, quod in auctore Romani parvi ſæpiſſime demonſtravimus; forte antiquiora monumenta & ipſi & Wandelberto præluxerint, cum metricus Martyrologus hoc ipſo die ita Pontianum laudet:

Pontiane tibi duodenam Roma, dicato
Obſequio, ſacrat antiſtes martyrque beate.

Silveſtri. *Silveſter* Cabilonenſis pure Adonianus eſt: principium mutavit Uſuardus; nam ubi Ado legit: *Apud Cabilonem, beatiſſimi Silveſtri*, Noſter, *Cabilone, ſancti* &c. Breve encomium ex Gregorii Turonenſis, de Gloria confeſſorum capite 85 deſumptum eſt; nec de vita aut geſtis ejus plura, quod ſciam, ſuperſunt: monumenta Cabilonenſia tum Mss. tum typis vulgata, Silveſtri & aliorum revelationem ac tranſlationem proſequuntur, de quibus alibi.

Ampeli & Caii. Sequens annuntiatio ſic ponitur in Romano parvo: *Meſſanæ, Ampeli & Caii.* Hieronymiana ſcribunt diverſimode, ſed eadem omnium ſententia, eadem Adonis, ex quo commemoratio noſtra. De genere aut tempore paſſionis nihil magnopere reperit Florentinius, neque apud nos exſtant, quæ eorum geſta multum illuſtrare queant.

Octavii & ſociorum. Martyres Taurinenſes varia ſerie à variis referuntur, in Hieronymianis autem eo plane ordine quo in textu noſtro: *Taurinis civitate, Octavi, Solutoris, Adventoris*, in quibus ita annumerantur ſocii alii, acſi ad eamdem claſſem pertinerent, quos tamen Florentinius merito ſecernendos exiſtimat. Sunt hi celeberrimi Auguſtæ Taurinorum Societatis JESU, ex vetuſtiori aliqua eccleſia tranſlati, quos potiſſimum patroni, ad templum ibi Societatis JESU, ex vetuſtiori aliqua eccleſia tranſlati, quos potiſſimum mordaci diſſertatione impetere voluit miniſtellus ille Anglo-Sabaudus, de quo ad diem XXII Septembris, ubi de legione Thebæa, diximus. Ex ſacra ea legione eſſe cenſentur tres noſtri, ab Ennodio & Maximo Taurinenſi pridem laudatiſſimi, quorum Acta manuſcripta ab eccleſia Taurinenſi accepiſſe ſe teſtatur Baronius. Plura ad nos Acta manuſcripta ab eccleſia Taurinenſi accepiſſe ſe teſtatur Baronius. Plura ad nos Taurino olim ſubmiſſa ſunt & ad Acta & ad tranſlationem ſpectantia, quæ proprio loco accurate deducentur.

AUCTARIA.

TORNACEN. Truncat elogium Pontiani, ad *conſummavit*. Caret Silveſtro; cetera bene.

ANTVERP-MAJ. Habet textum integrum, ſed penultimo loco ante Taurinenſes, inſerit: *Eodem die, ſancti Eadmundi regis & mart.* *Edmundi.*

ROSWEYD. Textui ſubjungit: *Eodem die, natale ſancti Eadmundi regis Anglorum & martyris precioſi.* Vide Surium. *Ejuſdem.*

PULSANEN. In prima deeſt totum elogium: in ſecunda & tertia purus; deeſt quarta.

MOLAN. Dixi carere annuntiatione prima.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & CODEX D. DU CHEVAL. ſignatus B. Poſt textum addunt: *In Anglia, natale ſancti Ethmundi regis & martyris, cujus caput diu occultatum, nutu divino ſe voce propria revelavit.* Idem habet codex LOVAN. ſed elogium Pontiani reſcindit. *De eodem.*

ALBERG. & DANIC. Annuntiationem de Pontiano retulerunt die præcedenti. Hîc de Edmundo agunt ut codices proxime citati, ſed primo loco. In tribus aliis ſatis puri ſunt.

CENTULEN. *Romæ, ſancti Potentiani Papæ & martyris. Apud Meſanam civitatem Siciliæ, ſanctorum Ampleii & Gaii martyrum. In Anglia, paſſio ſancti Eadmundi regis & martyris. In territorio Silvanectenſi, ſanctæ Maxentiæ virginis & martyris. Cabillonis ſancti Silveſtri epiſcopi & confeſſoris. Ambianis, inventio & tranſlatio ſanctorum Vuarleſii & Luxoris confeſſorum.* *Edmundi. Maxentiæ. Tranſlat. Warles. &c.*

BRUXELLEN. In prima non omnino purus eſt. Sequitur ex Hieronymianis: *Et natale ſanctorum martyrum Maximi, Muciani, & Neofori. In Eraclea civitate Traciæ, natale ſanctorum martyrum Baſſi, Dionyſii, Orionis & Baſilii.* Tum cum textu: *Apud Ceciliam civitatè Meſſanæ, natale ſanctorum martyrum Ampelei & Gaii.* De Edmundo, ut ANTVERP-MAX. &c. In Silveſtro ſatis purus eſt. Demum: *Ipſo die, depoſitio Fulcherii, qui fuit Jeroſolimitanæ eccleſiæ patriarchæ.* *Maximi & c. Baſſi &c. Edmundi. Fulcherii.*

HAGENOYEN. *Romæ, natale beati Ponciani Papæ & martyris, qui ſedecimus erat à beato Petro Apoſtolo. Hic quia Idolis noluit immolare & fidem abnegare, ſub perſecutione Maximini, qui ſaviebat in Eccleſia Dei, cum Ypolito presbytero in Sardiniam deportatus eſt in exilium* &c. In Silveſtro ſatis purus eſt. Tum: *In Anglia, natale ſancti Edmundi regis & martyris, qui in primæva ſua ætate ſe junxit Domino, & cui adhuc puero apparuit Dominus in ſocietate dicens ei, Ego ſum Jeſus Naza-* *De Pontian. De Edmund*

Nazarenus Qui capitis abſciſione punitus eſt, quod poſtea diu occultatum &c. In tertia ſatis purus, neſcio quid ſubjungat. *Apud Allexandriam, Helie Ymperatricis, uxoris Olaxentii.* Dein: *Item tranſlatio ſancti Corbiniani epiſcopi Friſingenſis.* In ultima ſatis purus eſt.

Helie Tranſlat. Corbinian.

AQUICINCT. Textui ſuperaddit. *In Britannia, apud Orientales Anglos, beatiſſimi atque Chriſtianiſſimi regis martyriſque Eadmundi, qui ob inſuperabilem catholicæ fidei veritatem à paganis crudeliter occiſus, cæleſtia regna ſortitus eſt.*

De Edmund.

AMBIANEN. *In pago Ambianenſi, inventio & tranſlatio corporum ſanctorum confeſſorum Warleſii & Luxoris.* Ita prima manu ſcriptum erat, ſicut habet ſupra CE TULEN. Sed aliquis ſecundum nomen mutavit in *Luxoëni.*

Tranſlat. Warleſ. &c.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Potentiani* [patet error] *Papæ & martyris. Etmundi regis & martyris, in Anglia. Octavii martyris cum ſocius. Sylveſtri Cabillonenſis epiſcopi. Bernardi Nordenſis epiſcopi.* Notat deſciptor in margine: *Forte Berwaldi epiſcopi Hildebemenſis.* Vide de hoc infra.

Edmundi. Bernardi pro Berwaldi.

REG. SUEC. ſig num. 428. *In territorio Bellovacenſi, natale ſanctæ Maxentiæ virginis & martyris. In Britannia, paſſio beati Eadmundi, Orientalium Anglorum regis, qui ſub pyratariis, diris jaculorum ictibus paſſus, demum martyrii bravium adeptus, coronam perpetuitatis nactus eſt.*

Maxentiæ. De Edmund.

In VATICAN. Sub num 5949. Deeſt annuntiatio Silveſtri. Adjicitur: *Eodem die, S. Theogenis martyris. Et ſancti Dori epiſcopi Beneventani.*

Theogenis. Dori.

FLORENTIN. Penultimo loco inſerunt: *In Anglia, ſancti Edmundi regis & martyris.*

Edmundi.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *In Anglia, natale ſancti Ethmundi regis & martyris, cujus caput* &c. ut ſupra. Pontianum heri poſuit. Sequitur de Silveſtro, Siculis & Taurinenſibus, ſatis pure. In fine: *In Hildeſchem, natale ſancti Berwardi epiſcopi & confeſſoris.* Vide longam vitam apud Surium edit. MDCXVIII. *Eodem die, ſancta Regenfledis virginis.*

De Edmund. Berwardi. Regenfledis

BELIN. Multâ corrupte impreſſa ſunt, ut *Babyloniæ* pro *Cabilone.* Die præcedenti Pontianum collocavit. Secunda editio in fine adjicit: *In Anglia, ſancti Eadmundi regis & martyris.*

Edmundi.

GREVEN. Ex Hieronymianis: *In Eraclea, natalis ſanctorum Baſſi, Dioniſii, Orionis. In Antiochia, Baſili, Dioniſii. In Anglia, ſancti Edmundi regis & martyris; qui a paganis poſt varios cruciatus, capite amputato, martyrii gloriam adeptus eſt: cujus caput in ſylvam projectum atque à lupo ſollicite cuſtoditum, cum repertum fuiſſet, & una cum corpore ſepultum, poſt annorum curricula, corpori penitus reunitum inventum eſt. Apud Conſtantinopolim, ſancti Antipæ presbyteri & martyris. Apud Edeſſam civitatem, paſſio ſanctorum Samonis & Guriæ; qui cum Chriſtum annuntiantes ubique diſcurrerent, ac Chriſtianos confortarent, tenti, primò ſuſpenſi, deinde inedia macerati, ad ultimum variis tormentis Chriſti virtute ſuperatis, decollatione martyrium impleverunt. Orienis epiſcopi. Berwaldi epiſcopi Hildensheymenſis & confeſſoris, qui tempore Ottonis III præfatam eccleſiam verbo paſcens & exemplo, miraculis clarus quievit. Apud Conſtantinopolim, beati Stephani presbyteri & confeſſoris, qui tempore Leonis imperatoris vitam continentiſſimam ducens, precibuſque aſſiduis inſiſtens, multis clarus miraculis, beato in Domino fine quievit. Aurelianis, ſanctorum Wacleſii & Luxoris. Regenfledis virginis. Maxentiæ virginis. Agapitæ virginis.*

Antipæ. Samonis &c. Orienis. Berwaldi. Stephani. Warleſii & Luxoris Regenfledis. Maxentiæ. Agapitæ.

MOLAN. *Eodem die, ſancti Eadmundi regis & martyris. Beati Raphaëlis archangeli feſtivitas. Ambianis, inventio & tranſlatio glorioſorum corporum ſanctorum confeſſorum Vuarleſii & Luxoris.* Typis minoribus: *Eodem die, juſſu impii & ſceleſti imperatoris Conſtantini iconomachi, martyrio coronatus eſt Stephanus incluſus apud ſanctum Auxentium, cujus pedem rudente ligantes, duxerunt uſque ad ea quæ ſunt Pelagia prætorio, ubi & diſcerpentes eum, projecerunt honorabiles ejus reliquias in biothanatorum locum, eo quod multos monuerit & adduxerit ad monaſticam vitam, atque contemnere regias dignitates atque pecunias perſuaſerit. Reverendus quippe vir omnibus erat, pro eo quod fere* LX *annos egerit in clauſtris, & virtutibus multis effulſerit.* De Samone & Guria, ut GREVEN Editiones aliæ, de Edmundo & Raphaele, ut prima. Tum: *Mediolani, Benigni epiſcopi & confeſſoris. Civitate Hildeshemenſi, ſancti Bertualdi epiſcopi, qui tempore Othonis* III *præfatam* &c. ut GREVEN. *Die vigeſima, ſancti patris Procli archiepiſcopi Conſtantinopolis; & ſancti Gregorii Decapolitæ; & præfeſtum introitus in templum ſanctiſſimæ Deiparæ.* De Warleſio & Luxore, ut ſupra. Demum typis minoribus: *Cæſareæ Paleſtinæ, natalis S. Agapii, qui in die natali Maximini tyranni, cum homicida in ſtadium raptus, cum homicidam domini ſui interfectorem, ad ſimilitudinem Barabbæ liberari vidiſſet, ipſe urſo datur devorandus, deinde adhuc ſuperſtes in mare demergitur.* Vide Romanum.

Eadmundi. Raphaëlis. Tranſlat. Warleſ. &c. Stephani incluſi. Samonis & Guriæ. Benigni. Bertualdi. Procli. Gregorii. Agapis.

XI *Kal.* *Die* 21.

NAtalis beatiſſimi Rufi, de quo Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribit. In Italia, monaſterio Bobio, depoſitio ſancti Columbani abbatis; qui multorum cenobiorum fundator, & innumerabilium pater extitit monachorum, multiſque virtutibus clarus, quievit in ſenectute bona. Item in Hiſtria, paſſio ſancti Mauri martyris.

Rufi. Columban. Mauri.

Puri hodie ſunt *Herinien. Tornacen. Antverp. Max-Lubec.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultraject. Leyden.* & *Albergen.*

VARIA LECTIO. Lego *beatiſſimi* cum pleriſque codicibus; & ita Uſuardum ex Adone deſcripſiſſe non dubito. Servo hîc *cenobiorum*, quòd ita omnes habeant excepto ſolo Molano. Antverp. & Max-Lubec. poſt *fundator*, omittunt particulam *&*, cum

cum omnibus ferme, quos mediæ notæ dicimus. Iidem legunt *Ystria*, vel *Hystria*, ut aliqui *Ytalia*, reliqui omnes *Histria*. Herinien. & Tornacen. puriſſimi quidem ſunt, ſed Columbanum ponunt ultimo loco.

De Pratenſi & ſociis. Notandum, quod à puris, imo ab omnibus ferme codicibus recedat hoc die & duobus ſequentibus Pratenſis, cum ſolitis ſociis Antverp-maj. & Roſweydino. Prætenſi autographi inſpector Caſtellanus obſervavit, in hodierno textu eraſa eſſe omnia poſt annuntiationem Rufi, inſcriptamque Mariam Neocorenſem, ex I Novembris huc perperam intruſam, & reliqua, quæ ex ipſius ſæpe citata epiſtola XXXI Maii MDCCIX hîc tranſumo: *Apud Neocorenſem civitatem, ſanctæ Mariæ virginis, quæ paſſa eſt ſub Adriano & Antonino principibus. In provincia Hiſtria, ſancti Mauri martyris. Civitate Hoſtia, ſanctorum martyrum Demetrii & Honorii. Auguſtuduni, ſancti Pragmatii epiſcopi.* Turbatiſſima ibi omnia eſſe oportet, cum teſtetur idem Caſtellanus, ad XXII de ſola Cæcilia agi; porro XXIII, expunctum rurſus textum totum poſt *præcipitatus martyrio*, inſcriptumque, *coronatur. Eodem die, ſanctæ Felicitatis* &c. Tum de Columbano &c. ſed annuntiatione plane mutila, ſi recte habetur in apographo noſtro; ut poſt dicemus. Ad XXIV, obſervatur diverſa manus; unde ferme poſſet conjici, eamdem omnino eſſe, quæ XIX, XXI, XXII & XXIII hujus menſis, in textus omnes graſſatur. Quantum vero hæc omnia authentiam & ſinceritatem Pratenſis codicis commendent, harum rerum periti ultro perſpiciunt. Crediderim ego, ſcriptorem codicis, ſubinde in aliquo Hieronymiano, aut in Rabano reperiſſe Columbanum XXIII Novembris, atque ex ipſis aut aliis plura perperam commiſcuiſſe. Me quidem judice, ab Adone prorſus non receſſit Uſuardus; Adonem vero, hoc die Columbanum ipſiſſimis textus noſtri verbis ſignaſſe, indubitatum eſt; quidquid forte refragari poſſit, neſcio quis Ado Pratenſis, quem toties fartum & auctiorem demonſtravimus: neque enim inter exempla noſtra, tum Mss, tum excuſa invenio, excepto ſolo Lobienſi, procul dubio Pratenſis germine, quod alio, quam hoc die Columbanum conſignet; unde recentiores aliqui critici facile refelluntur. Noſtra lectio Uſuardina ex tot codicibus confirmata plane & integre ſubſiſtit, rejectis tribus illis, toties extra ſeriem vagantibus. Subſiſtit, inquam, in vero obitûs die, à Jona recte notato, contra quam ſentiat Florentinius, cum aliis hîc corrigendus.

Rufi. OBSERVATIO. Primæ noſtræ duæ commemorationes ſecundum omnes ſyllabas ex Adone deſcriptæ ſunt. Unica eſt in Romano parvo, his verbis concepta: *Rufi, quem Apoſtolus ad Romanos ſcribens ſalutat*; iſque ab illius Martyrologii auctore primum ſignatus eſt, cum tot aliis viris Apoſtolicis, quorum nomina aut in Actibus aut in Apoſtolorum epiſtolis reperit. Poterat Uſuardus abſque ſcrupulo verba ipſa Apoſtoli ad Rom. 16 ℣ 13 ex Adone transferre: *Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus & meam.* Hæc Rufi ſumma & vera laus; nam quod de epiſcopatu Thebarum commini-ſcitur ſæpe rejecta Dorothei Synopſis, niſi aliunde probetur, admittendum non eſt. Rufus alius à Polycarpo laudatus, colitur XVIII Decembris: an alteruter cum Alexandri fratre, filio Simonis Cyrenenſis, crucis bajuli, confundendus ſit, alibi diſquiretur. Quid pſeudochronica Hiſpanica fabulentur, vide apud Tillemontium tomo I pag. 447. Ea omnia ſtudioſe olim annotaverat Roſweydus, ſi vixiſſet, egregie confutaturus, ut plures alias eorum impoſturas retexerat.

Columbani. *Columbani* annuntiationem pure & integre Adonianam eſſe, jam diximus. Ad Uſuardum autem vere etiam hoc ipſo die pertinere, ex Variantibus abunde liquet. Vita ejus per Jonam ſcripta, exſtat in Surio, recenſita & illuſtrata à Mabilione ſec. 2 Benedictino à pag. 5, ubi & metricam Frodoardi, & libellum miraculorum, aliaque ad celeberrimum abbatem ſpectantia, reperiemus, novis curis ſuo tempore cum pluribus manuſcriptis noſtris conferenda & elucidanda. Wandelbertus verum etiam hunc Columbani obitûs diem, haud dubie ex ipſo vitæ auctore deprehendit, dum tribus verſibus ſic eum hodie celebrat:

Undenam abba Columbanus ſibi ſervat, ab ipſo
Oceano: multis vitæ qui dogmata ſanctæ
Relligione pia ſparſit, ſermone, manuque.

Mauri. De *Mauro* Iſtrienſi quod dicam, non habeo: quid, quo tempore paſſus, unde ab Uſuardo acceptus, candide fateor me ignorare, niſi ex Petri Catalogo lib. 10 cap 93 cenſeamus unum & eumdem eſſe cum Mauro martyre Romano, de quo apud Rabanum longa hoc die martyrii hiſtoria producitur. Idem haud dubie exiſtimavit Baronius, dum Mauri Iſtrienſis nomen ex Romano expunxit. Ulterius non divino: tam certum eſt ab Uſuardo, ſeu bene ſeu male conſignatum fuiſſe, quam certum eſt, in probatioribus omnibus codicibus repræſentari; & die ſequenti iterum repeti.

AUCTARIA.

PRATEN. Hujus mutationes & augmenta in Variantibus retulimus Hîc ſolum noto, antigraphum noſtrum Pragmatium Auguſtodunenſem, non hoc, ſed ſequenti die referre, quod mirum eſſet amanuenſis & Sirmondi aciem effugiſſe. Ego hoc & duobus ſequentibus diebus Caſtellani noviſſimo teſtimonio innitendum non putavi. Rem melius exploravit laudatus ſupra Chamillart.

ANTVERP-MAJ. & ROSWEYD. Pratenſis textum, hinc inde ſatis male depictum, exhibent. De Pragmatio agunt die ſequenti proprio loco; unde conſequens videtur, ſic etiam in Pratenſi haberi, licet oppoſitum teſtetur Caſtellanus, forte quod aſteriſco aliquo, à Caſtellano non obſervato, Pragmatius ad locum remittatur.

PULSANEN. Satis purus eſſet, niſi totum Columbani elogium plane reſcinderet.

MUNERAT. In fine textus adjicit: *Ipſo die, Præſentatio beatæ Mariæ virginis.* — *Præſentat.*

GREVEN. Incipit: *Præſentatio beatiſſimæ Dei genitricis, ſemper Virginis Mariæ, quando fuit in templo præſentata.* Cetera, ſuo loco. — *Ejuſdem.*

LOVANIEN. In principio: *Præſentatio beatiſſimæ Virginis, Dei genitricis Mariæ.* Reliqua pura ſunt, quemadmodum eſt in DANICO, qui prædictam annuntiationem inferius poſitam habet, ſed per aſteriſcum ad locum primum eadem manu, qua reliqua ſcripta ſunt, remiſſam. — *Rurſus.*

CENTULEN. *Natale beati Ruſi, de quo Paulus ad Romanos ſcribit: Salutate Rufum electum. In Italia, Bobio monaſterio, ſancti Columbani abbatis, admirandæ vitæ & doctrinæ viri.* — *Textus mutilus.*

BRUXELLEN. Incipit: *Sanctæ Mariæ ſemper Virginis & Dei genitricis in templum Præſentatio.* De Columbano, textui inſerit: *Qui ex Scocia veniens, & Gallo relicto in Almannia, Bobium cenobium in Italia conſtruxit, multorumque aliorum monaſteriorum fundator, ac innumerabilium* &c. In Rufo Adonem deſcribit, addito tamen titulo *epiſcopi.* In Mauro, ſatis purus eſt. Tum ex Hieronymianis: *In Antiochia, natale ſanctorum Baſilei, Auxilii, Matroni, Demetrii, Quinciani, Siſinnii & Euthici martyrum.* Huc rejicit annuntiationem heſternam de Thebæis Taurinenſibus. Deinde: *Civitate Hoſtia, paſſio ſanctorum martyrum Demetrii & Honorii. Apud Neocæſarienſem civitatem, natale ſanctæ Mariæ virginis, quæ paſſa eſt ſub Adriano & Anthonino principibus.* Mutatur hîc nomen civitatis, de quo alibi egimus: Scribendum eſt; *Apud Neocorenſem* &c. — *Præſentat. De Columb.* — *Baſilei & ſociorum.* — *Octavii &c. Demetrii & Honorii. Mariæ.*

HAGENOYEN. In prima, ſatis purus, pergit: *Item Præſentatio beatæ Virginis in templum, in tertio anno nativitatis ſuæ. Item tranſlatio ſancti Burkardi epiſcopi Herbipolenſis.* Vide Auctaria XIV Octobris. *Apud Viennam, natale ſanctorum martyrum Severini* &c. Ex XIX Novembris. *In Italia, in monaſterio Bobyo, depoſitio Columbani abbatis, qui de Scocia erat ortus, & prædicationis gratia de terra ſua exiit, cum pluribus diſcipulis valde honeſtis, ſcilicet S. Gallo & Kyliano, Bonifacio & pluribus aliis* [&] *multis ædificatis monaſteriis, & virtutibus perpetratis in Alimania, & Italia, & pluribus ſibi copulatis fratribus in Domino, tandem in Italia quievit in pace.* Sequitur hiſtoria de præſentatione dextri brachii S. Joannis Baptiſtæ, & de ſpina coronæ Domini miraculoſa, quæ huc proprie non pertinent. In ultima purus eſt. — *Præſentat. Tranſlat. Burchardi.* — *Severin. &c.* — *De Columb.*

AQUICINCT. Interſerit: *Civitate Oſtia, ſanctorum martyrum Demetrii & Honorii.* Paulo ante interſerit etiam: *Apud Neocerenſem civitatem, ſanctæ Mariæ virginis, quæ paſſa eſt.* &c. Satis patet, ſcribendum eſſe, ut ſupra dixi, *Apud Neocorenſem* &c. Nec minus manifeſtum eſt, codicem hunc, ut ſæpe aliàs, à prætenſi autographi & ſociorum codicum veſtigiis non recedere. Utrum autem Columbanus poſitus, an præteritus ſit, in tranſumpto non exprimitur. — *Demetr. & c.* — *Mariæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Columbani abbatis, qui innumerabilium pater extitit monachorum. Ruſi, diſcipuli beati Pauli. Præſentatio gloriosæ Virginis in templo.* — *Præſentat.*

In VATICAN. num. 5649. Remiſſus eſt Columbanus ad XXIII. Adjicitur autem: *Civitate Aſti, ſanctorum Honorii, Stephani & Eutycii. Et ſanctorum Samoræ, Abili & Guriæ.* Vide hæc melius in Hieronymianis. — *Honorii &c.* — *Samoræ &c.*

ALTEMPS. *In provincia Hiſtriæ, ſancti Mauri martyris. Civitate Oſtia, ſanctorum martyrum Demetrii & Honorii.* — *Demetr. &c.*

FLORENTIN. *Ravennæ, ſancti Joannis archiepiſcopi & confeſſoris.* An is qui colitur XII Jan.? — *Joannis.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Præſentatio gloriosæ Virginis Mariæ Hieroſolymis, ſicut poſt ablactationem, cum eſſet trium annorum, à parentibus in templo eſt præſentata, & ipſa per quindecim gradus, per quos aſcendebatur in templum, per ſeipſam aſcendebat, acſi perfectæ fuiſſet ætatis.* De Rufo ex Adone, cum titulo *ſacerdotis.* In Columbano pura eſt. Pro *Mauri* ſcribit cum GREVEN. *Maurini.* Demum: *Eodem die, præſentatio dexteri brachii ſancti Joannis Baptiſtæ.* — *De Præſent.* — *De brachio S. Jo. Bapt.*

BELIN. Primo loco: *Hieroſolymis, Præſentatio beatæ Dei genitricis Virginis Mariæ in templo.* — *Præſentat.*

GREVEN. *Nota, feſtum Præſentationis beatæ Mariæ, quando ipſa, cum trium eſſet annorum, à parentibus in templum fuit præſentata, graduſque quindecim, quibus aſcendebatur, per ſeipſam, acſi perfectæ jam fuiſſet ætatis, aſcendit; cœptum fuit celebrari circa annum Domini* MCCCLX. *Eodem die apud Antiochiam, Baſilei, Auxilii, Matroni. Item, ſanctorum Demetrii, Quincani, Siſinnii, Saturnini, Eutici, Baſillæ, Zepheri.* Vide Hieronymiana. *Præſentatio dextri brachii ſancti Joannis Baptiſtæ. Tranſlatio ſancti Ambroſii Mediolanenſis epiſcopi & doctoris ſanctæ Eccleſiæ. Item, Columbani monachi & confeſſoris, diſcipuli alterius Columbani, qui tanta innocentia extitit, ut aves & beſtiæ ſibi ad nutum obedierint. Civitate Neocæſarienſi* [lege *Neocorenſi*] *ſanctæ Mariæ virginis & martyris. Mabiliæ matronæ ſanctæ.* — *De Præſent.* — *Baſilei & aliorum.* — *Tranſlat. Ambroſii.* — *Columbani alterius.* — *Mariæ.* — *Mabiliæ.*

MOLAN. De Præſentatione, ex BELIN. addens, *quam Pius & Paulus Pontifices Romani cum indulgentiis inſtituerunt. Lauduno Clavato, tranſitus ſancti Autbodi.* Dein typis minoribus: *Ipſo die apud civitatem Remenſem, vir miræ ſanctitatis Albertus, epiſcopus Leodienſis, frater Henrici magni, Lotharingiæ ac Brabantiæ ducis, ob cuſtodiam eccleſiaſticæ libertatis, de mandato Heinrici imperatoris interemptus occubuit.* Editiones poſteriores à priori in hoc ſolùm differunt, quod feſtum *Præſentationis beatæ Dei genitricis Virginis* &c. litteris Italicis primo textûs loco repoſuerint. — *Præſentat.* — *Tranſlat. Autbodi.* — *Alberti Leodien.*

X *Kal.* *Die* 22.

Cæciliæ. ROmæ, natalis ſanctæ Ceciliæ virginis, quæ ſponſum ſuum Valerianum & fratrem ejus Tiburtium ad credendum Chriſto ac martyrium perdocuit,& ipſa deinde martyrizata eſt, ignem quidem ſuperans, ſed ferro occiſa. Paſſa eſt autem Marci Aurelii & Commodi imperatorum temporibus. Item Romæ, ſancti Mauri martyris, qui ſub Celerino præfecto agonizavit. Auguſtuduni, ſancti Pragmatii epiſcopi.

Mauri.

Pragmatii.

Undecumque puri ſunt *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.* Plures alii ad puritatem proxime accedunt.

VARIA LECTIO. Nullus codex ſcripſit *Cæciliæ*, in textu eos ſecutus ſum, qui diphthongo *æ* utuntur, ut ſunt Praten. Herinien. Roſweyd. & Molan. Solus Tornacen. legit *fratrem ſuum*, pro *fratrem ejus*. Idem poſuit, *ad credendum in Chriſto*; Greven. & Molan., *ad credendum Chriſtum*. Solus Greven. in fine textus appoſuit, *& confeſſoris*. Cetera minutiæ ſunt, ut *Tyburtium*, *martirium*, *Marcii Aurelii*, *Sceleriano*, pro *Celerino*, *Auguſtiduni*, *Pragmacii* &c.

Cæciliæ. OBSERVATIO. *Cæciliæ* venerandum in univerſa, tum Græca tum Latina Eccleſia nomen, in omnibus eccleſiaſticis ſacriſque tabulis & monumentis celebratiſſimum eſt, memoriâ ejus in Sacramentariis Gelaſiano, Gregoriano, Gothico; in Kalendariis Allatii & Frontonis, in Litaniis, in ipſo Miſſæ Canone peculiari cultu conſecratâ. Audiamus hîc Martyrologia noſtra. Hieronymiana imprimis ſic legunt: *Romæ, ſanctæ Cæciliæ virginis*, ubi & ſocii illi adjunguntur, quos XIV Aprilis ex iiſdem codicibus retulimus. Romanum parvum totidem fere verbis: *Romæ, Cæciliæ virginis & martyris.* In Beda breve elogium attexitur, à Rabano deſcriptum, ab Adone pluribus auctum, à Noſtro ad primam prope formam reductum, adjectâ Adonianâ temporis notâ, de *Marci Aurelii & Commodi imperatorum temporibus*; eâ ipsâ nimirum, quæ plane repudianda eſt, ſi illuſtriſſimæ Sanctæ Acta ſubſtent, ſicut ex Metaphraſte à Lipomano & Surio edita, ab Antonio Boſio ſtudioſiſſime illuſtrata ſunt, paſſimque recepta eſſe novimus, majorum noſtrorum ſuffragiis ſummopere laudata XIV Aprilis, XXV Maii, & ad hanc diem in Ephemeridibus Græco-Moſcis. Repudianda, inquam, eſt Adoniana nota, utpote cum in laudatis Actis, Cæciliæ & ſociorum martyrium cum Urbano Papa, atque adeo cum imperatore Alexandro, diſertiſſime conjungatur. Pro his cum Baronio, Florentinio, aliiſque certant laudati ſcriptores, certat totius orbis Catholici pervulgata opinio. Græci aliam viam ingreſſi, ad Diocletiani tempora Cæciliam removere malunt, ſed hos non moramur. Præcipua, quæ à recentioribus objicitur eaque capitalis difficultas, in eo conſiſtit potiſſimum, quod, ut alibi etiam inſinuavi, Alexandri temporibus tam acerba immaniſque perſecutio, qualis in iſtis Actis deſcribitur; tam atrocia paſſim tormenta, Chriſtianis illata, quadrare prorſus non videantur. Sequenda Martyrologia, inquies; nequaquam: nam eo pacto Urbani Papæ Acta plane convelluntur. Aliunde ſibi non conſtat Viennenſis Martyrologus, hîc Cæciliæ ætatem cum Urbaniana connectens tempore Marci Aurelii & Commodi, ubi XXV Maii, Urbani *doctrinâ*, *ſub perſecutione Alexandri*, *multos*, ait, *martyrio coronatos.* Hæc & id genus alia Tillemontium, ſupradictis diebus citatum, impulere, ut duce Fortunato Pictavienſi ex Sicilia Cæciliam accerſeret: quippe cum antiquus poëta ille canat: CÆCILIAM SICULA PROFERT, SELEUCIA THECLAM. Paradoxa multis æque ac mihi videbitur hujuſmodi ſententia: verum quid agas? Communiorem aliam premunt perplexa multa, quæ ad exactæ critices regulas componere promptum non eſt, multo minus hujus loci. Jam ad citatos ſuperius dies XIV Aprilis & XXV Maii, me præcoci judicio nihil definire velle, ſanctè profeſſus ſum, & hîc rurſus profiteor. Ceterum paucis opinamenta varia referre placuit, quæ ſociis vel ſucceſſoribus noſtris, menſem Novembrem Actorum illuſtraturis, non parum negotii faceſſent. Non tantum moleſtiæ creabunt inventiones corporis, de quibus vide Baronium ad annum DCCCXXI. Ad vulgata Acta alludit Wandelbertus non ineleganti metrico encomio:

Cecilia illuſtrat denam mox ſancta nitore,
Perpetuo claris ſemper vulganda trophæis,
Virgo hinc cognato, ſanctoque hinc fulta marito.

Heri

Heri *Maurum* in Iſtria, hodie Romæ celebrat Noſter, eo pacto ab ipſo geminatum. De Iſtrienſi, ſi forte ab hodierno alius eſſe poſſit, nihil uſpiam reperiri, die præcedenti diximus; ſi idem cum Romano, videri poteſt citatum pridie longum Rabani encomium. Breviora ſunt, quæ habet Petrus, loco ibi citato, verum ita rem pandunt, uti clare pateat Maurum, Afrum genere, Romæ paſſum, & *angelo duce ad littus Parentinæ civitatis provinciæ Hiſtriæ*, navi, ex meditato Celerini incendio ſervatâ, deductum fuiſſe, quæ omnia ex variis noſtris Mss. ſoluta & ligata oratione de hoc Sancto compoſitis, uberius ſuo tempore poterunt elucidari. Si talia Acta vidiſſet Uſuardus, Maurum unum in duos non diſtraxiſſet. Credendum eſt, ducem alium ſecutum fuiſſe, à quo in errorem inductus ſit. *Mauri.*

Uſuardinus item eſt *Pragmatius* Auguſtodunenſis, ſed ex Hieronymianis procul dubio acceptus, licet antiquarii Gallici additionem exiſtimet Florentinius, in hiſce juſto quandoque ſcrupuloſior. Geſta ejus nulla invenio, nec aliud quidquam, præter id quod notavit Baronius, quem vide ad annum ccccxc, à num. 24, ubi binas ejus ſubſcriptiones & Apollinaris Sidonii epiſtolam ad ipſum datam unicè deprehendes. Neſcio cur Caſtellanus, xx Novembris vitâ functum, hoc die ſepultum aſſerat. *Pragmatii.*

AUCTARIA.

Longini. ROSWEYD. In textu purus, addit in fine: *Longini martyris, qui latus Domini aperuit.* Vide quæ de ipſo poſt Uſuardum diximus xv Martii. Item hic Hieronymiana & Florentinii notationem.

PULSANEN. Prima recte procedit uſque ad *martyrizata eſt.* In ſecunda puro deeſt tertia.

ANTVERP. MAX-LUBEC. BELIN. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN & LOVANIEN. Adoniano ſtylo loqui videntur, ita primam annuntiationem mutantes, *ad credendum Chriſto perdocuit, ac dein ad martyrium incitavit. Quam Almachius, poſt martyrium eorum teneri, atque illuſtri paſſione fecit conſummari. Paſſa eſt* &c. Ultimi quatuor codices in fine de Pragmatio cum GREVEN. adjiciunt, *& confeſſoris.*

ALBERG. DANIC. & CODEX Urſini à Roſemberg. In toto textu ſimiles ſunt codicibus proxime relatis, ſed in fine ſuperaddunt: *Civitate Altino, natale ſancti Theonesti Philippenſis epiſcopi, qui ſub perſecutione Arrianorum, ad prafatam civitatem veniens, una cum duubus diſcipulis ſuis Trababam & Trabatham ibi agonem martyrii, capitis obtruncatione, glorioſiſſime complevit.* In Romano ponitur xxx Octobris, vide ibi Auctaria Uſuardina. *Theoneſti.*

CENTULEN. *Romæ, paſſio ſanctæ Ciciliæ virginis, quæ ſponſum ſuum Valerianum & fratrem ejus Tiburtium ad fidem edocuit, & ad martyrii gloriam incitavit. Cæſarea Cappadociæ, ſancti Longini martyris.* Vide ROSWEYD. *Longini.*

BRUXELLEN. Incipit: *Romæ, natale ſanctæ Ceciliæ virginis, quæ Valerianum ſponſum ſuum, & Tyburtium fratrem ejus convertens, dum igne ladi non poſſet, gladio jugulatur.* Tum: *Et natale ſancti Creſcentiani martyris, qui ſuſpenſus in eculeum & fuſtibus cæſus, atque ungulis raſus, deinde flammis circum latera ejus appoſitis, diu uſtulatus, emiſit ſpiritum.* Vide inferius XXIV. *Creſcentian.*

De Theoneſto habet, ut ALBERG. &c. In fine, *& confeſſoris.* De Mauro, nihil. *Theoneſti.*

HAGENOYEN. De Cæcilia addit: *Hæc angelum cuſtodem ſuæ virginitatis habuit, quem ad videndum ſponſo ſuo Valeriano permiſit, ſi purificari vellet, quod & fecit; cum quo illa coronam roſatum & liliorum ab angelo de cælo accepit. Urbanum epiſcopum in vultu angelico demonſtravit. Ipſa omnia quæ habere potuit, pauperibus erogavit, & alios hoc facere docuit. Demum cum ſacrificare nollet, ſub perſecutione Marci Aurelii, Commodique imperatorum temporibus, in calido poſita eſt balneo per noctem & diem, & non eſt læſa, inde decollari juſſa eſt ab Almachio præfecto.* In Mauro, purus eſt. De Theoneſto, præter dicta ſuperius, inſerit; *qui ab Arrianis de ſua ſede ejectus eſt, & vagabundus per Alimaniam & Burgundiam atque Italiam cum diſcipulis ſuis prædicavit, & multos ad fidem reduxit. Tandem cum duobus tantum diſcipulis, aliis pro fide paſſis, ad præfatam urbem veniens* &c. In ultima, ſatis purus eſt. *De Cæcil.* *De Theoneſt.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Ceciliæ virginis & martyris. Pragmatii epiſcopi. Goberti confeſſoris.* Aliis *Gothberti.* Colitur die ſequenti. *Goberti.*

REG. SUEC. ſign. num. 428. *Eodem die, ſanctæ Medriſmæ virginis.* Eſt in Rabano *Mederaſmæ.* Vide ubi colatur, apud Caſtellanum. *Medriſmæ.*

VATICAN. num. 5949. Agit de ſola Cæcilia.

FLORENTIN. *Item ſanctorum martyrum Theoneſti epiſcopi Philippenſis, Thrabææ, & Trabatæ, nec non Albani & Urſi diſcipulorum dicti epiſcopi.* *Theoneſti & ſocior.*

DIVIONEN. S. Benigni. *Tranſlatio corporis B. Benigni martyris.* Colitur 1 Novembris. *Tranſlat. Benigni.*

EDITIO LUBECO-COL. In Cæcilia non multum differt à codicibus mediæ notæ ſupra citatis. *Item Romæ, ſancti Mauri monachi, martyris, qui temporibus Numeriani imperatoris, poſt varia tormenta exhibita, ſub Celerino præfecto, capitalem ſubiit ſententiam.* De Pragmatio addit, *& confeſſoris.* De Theoneſto, ut ALBERG. &c. ſupra. *De Mauro.* *Theoneſt &c.*

GREVEN. *In Cappadocia, ſanctorum Longini, Leontii & Fauſti. Alexandriæ, Felicis, Demetrii, & Honorati.* Vide Hieronymiana. *Philippis, ſancti Theoneſti epiſcopi & martyris; qui ſub Arrianorum perſecutione, ad Altinam civitatem cum diſcipulis ſuis Tabraham & Tabratan veniens, ibidem martyrii ſui curſum capitis obtruncatione complevit. Romarici abbatis & confeſſoris. Item ordinatio epiſcopatûs ſancti Willibrordi.* *Longin. &c. Felicis &c. Theoneſt &c. Romarici. Ordinat. Willibrord.*

MOLAN. In prima editione caret augmentis. Poſteriores textum Uſuardinum corrumpunt. Primo quidem litteris Italicis inter *deinde* & *martyrizata eſt*, inſeruntur hæc verba, *poſt eorum martyrium, ab Almachio.* Annuntiationis autem finis ſic vertitur, ut pro *& Commodi*, ſubſtituatur nomen *Alexandri*, ut ſenſus ſit, paſſam eſſe Cæciliam temporibus *Marci Aurelii Alexandri.* Jam ſupra non ſemel monuimus, in poſterioribus hiſce editionibus puritatem Uſuardinam non tam ſcrupuloſe ab editore, amicorum judiciis nimium tribuente, ſervatam fuiſſe.

IX *Kal.* *Die* 23.

Clementis. NAtalis ſancti Clementis epiſcopi, qui quartus à beato Petro Apoſtolo, Romanæ Eccleſiæ pontificatum tenuit, & ſub perſecutione Trajani in mare præcipitatus, martyrio coronatur. *Felicitatis.* Eodem die, ſanctæ Felicitatis, matris ſeptem filiorum martyrum, quæ jubente Antonino decollata eſt pro Chriſto. In pago Hasbanio, *Trudonis.* ſancti Trudonis presbiteri & confeſſoris. Pariſius, depoſitio beati Se- *Severini.* verini monachi & ſolitarii. In civitate Emerita, ſanctæ Lucretiæ virginis. *Lucretiæ.*

Integra puritas eſt in ſolis *Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Excluſi rurſus ſunt tergemini Praten. Antverp-maj. & Roſweyd. qui inter Felicitatem & Trudonem de Columbano agunt, ut dicemus in Auctariis, quo etiam rejiciendus fuit Herinien. ob proprium Remenſe &c. Inter citatos pro textu diverſitas eſt, quod duo primi cum antiquis Mss. legant *coronatur*, tres impreſſi, *coronatus eſt.* Secutus ſum priores, ut Adoni conformiores. Soli Antverp. & Max-Lubec. pro *quartus à beato Petro*, ſubſtituerunt *tercius.* In Greven. male ponitur *Felicitatis martyris* loco *Felicitatis matris.* *Basbanio*, *Pariſit* errores ſunt in Munerat.; *Antonio* in præfato Greven. Omnes codices pro textu allegati habent; *Item civitate Emerita*, excepto Molano, cui antiquiores nobiſcum ſubſcribunt; *In civitate Emerita*; res non eſt digna litigio.

Clementis. OBSERVATIO. Quæ de heſterna Cæciliæ celebritate diximus, hîc de Apoſtolico *Clemente Papa* repeti omnia poſſent; nempe tam vetuſtam in eccleſiaſticis officiis ejus feſtivitatem eſſe, quam antiqua ſunt monumenta ipſa, quibus ulla alia ſancti alicujus memoria exprimitur. Excipio Bucherii Kalendarium, in quo non videtur referri Clemens Papa v Idus ſeu IX Novembris, his verbis: *Clementis, Semproniani, Claudi, Nicoſtrati in Comitatum*; uti nec in eodem Kalendario reperitur heſterna Cæcilia. Veroſimilius eſt, in Kalendario Carthaginenſi ſignari immediate ante *Criſgonum*, pro quo audeo legere Chryſogonum; *S. Clementis*, exesâ utrobique diei notâ. At in reliquis omnibus laudatis die præcedenti Kalendariis, Sacramentariis, Martyrologiis, aliiſque libris ſacris certatim recolitur Clementis Papæ ſolennitas. De Hieronymianis apographis, dubium non eſt, quidquid Clemens aliquis etiam XXI hujus ibi conſignetur, de qua controverſia videndus utroque die Florentinius. Beda, ejuſque deſcriptor Rabanus, idem elogium ex vulgatis Actis contractum referunt. In ſerie noſtra Romanum parvum breviſſime: *Sancti Clementis epiſcopi.* Ado in Martyrologio pauca habet, plura in Feſtivitatibus Apoſtolorum; Noſter non niſi ſumma capita hinc inde decerpſit, ſic elogium formans, ut vel critici ipſi nihil magnopere queant opponere, niſi qua parte martyrium ejus aliqui oppugnant. Notiſſima ſunt Clementis Acta, de quibus videndus Baronius & notatio Roſweydi pag. 221; varia ſunt à variis edita, ſed ad tuendam omnimodam eorum ſinceritatem, brevia occurrunt, ſcopuli & ſyrtes in mari magno, quod poſteris noſtris enatandum relinquo. Plurima enim in ejus geſtis, ætate, exilio, ſcriptis ſeu veris ſeu ſuppoſititiis enodanda ſuperſunt, quæ etiam poſt ſtratam à multis eruditiſſimis viris viam, operoſiſſima diſquiſitione indigeant, nec ſcio, an Mss. noſtra varia rem ſatis complanatura ſint. Vide quæ præ ceteris diligenter conatus eſt Tillemontius, omnia quæ ad indubitatam Clementis laudem faciunt, ſtudioſe ſcrutatus tomo 2 à pag. 149 & à pag. 549. Sic cecinit Wandelbertus:

Nonam Papa tenet Clemens certamine, & altis
Virtutum titulis, mortem qui paſſus in undis,
Reperit extructum divino munere templum.

Sequitur fortiſſima mater *pluſquam martyr*, quæ *ſeptem pignoribus ad regnum præmiſſis*, *Felicitatis.* *toties ante ſe mortua eſt* &c. ut de ipſa egregie prædicat Magnus Gregorius. In citatis ſupra tabulis eccleſiaſticis ferme omnibus, Clementi Papæ eodem die ſubnectitur. Ipſam memorant Hieronymiana: *Et ſanctæ Felicitatis.* Beda: *Eodem die, ſanctæ Felicitatis, matris ſeptem filiorum martyrum, quæ jubente Antonino decollata eſt pro Chriſto.* Sic ferme Rabanus. Accedunt Wandelbertus, Romanum parvum, Ado & Uſuardus. Longior eſt Viennenſis hiſtoria; ſatis habuit Noſter breviorem Bedæ phraſim deſcribere. De matris & filiorum genuinis Actis, inter Sincera à Ruinartio editis, abunde egimus x Julii.

lii. Locus hîc etiam tribuendus Wandelberti diſticho, cui tertium verſiculum, ad ſequentem Sanctum ſpectantem, conjungimus:

Tum quoque ſeptena genitrix cum prole, beato
Præcellens radiat Felicitas alma triumpho.
Hîcque ſuos Trudon mundi contemptor adornat.

Eſt is à quo oppidum Hasbaniæ Trudonopolitanum, diœceſis & ditionis Leodienſis cognominatur, olim Sarchinium, pluribus Sanctis celebre. *Trudonem* invenio in Floro à noſtris edito, ubi *presbyteri* titulus omittitur, & ita in Rabano. De cetero diverſa utriuſque phraſis, diverſa & Noſtri, ut facile pateat, alterum alteri viſum non fuiſſe. Nec magis conſonat additio, codicibus Hieronymianis Corbeienſibus facta. Adoni à Moſandro adſcribitur, male, opinor, cum nec in ampliſſimo Pratenſi apographo conſignatus ſit; recte proin à Roſweydo in appendicem rejectus. Vita à Theodorico abbate, elegantiori oratione ex Donati autographo expolita, exſtat apud Surium. Omnia accuratius expendit & diſcuſſit Mabilio ſec. 2 Benedictino à pag. 1069, quæ cum variis manuſcriptis noſtris ſuo loco conferri & illuſtrari poterunt. *Trudonis*

Severinus, de quo hîc agitur, ſoli Uſuardo tribuendus eſt, æque ac *Lucretia* Emeritenſis, ex Hiſpania, ni fallor, relata. Tu vide de ipſa Notationem Baronii. Prior in Martyrologio Romano, haud dubie ex Belino, ponitur XXVII Novembris, quo depoſitionem notat Caſtellanus, hoc vero die obitum. Quæ geſta de ipſo ſuperſint, necdum mihi innotuit. *Severini.* *Lucretiæ.*

AUCTARIA.

PRATEN. ANTVERP-MAJ. & ROSWEYD. Jam diximus in Variantibus Columbanum ab his tribus tertio loco referri. In Pratenſi poſt Clementem eraſa fuerant omnia; ut autem Columbanus in id ſpatium induceretur, brevianda fuit annuntiatio à nobis poſita XXI. Sic ſaltem habent codices: *In Italia, beati Columbani abbâtis, multorum fundatoris cœnobiorum.* Aliter in Pratenſi legerunt Caſtellanus & Chamillart; quod certe non capio, niſi a tempore Sirmondi nova interpolatio acceſſerit. *Columbani.*

HERINIEN. Totum textum puriſſimum habet, ſed ſecundo loco proprium Remenſe inſerit: *In territorio Remenſi, depoſitio ſancti Gotberti confeſſoris.* Aliàs *Godeberti.* *Gotberti.*

TORNACEN. Deficit in ſolo Trudone.

PULSANEN. Purus in prima, omittit ſecundam & tertiam: in quarta purus. Deeſt ultima.

ANTVERP-MAX. LOVAN. & LEYDEN-BELG. Penultimo loco inſerunt: *Civitate Methis, ſancti Clementis, patrui Clementis Papæ, primi Mezhenſium epiſcopi.* In toto textu ſatis puri ſunt. *Clem. Met.*

ULTRAJECT. LEYDEN-LAT. ALBERG. & DANIC. Idem habent augmentum de Clemente Metenſi, ſed præterea annuntiationi primæ hæc ſuperaddunt: *Hic poſt beatum Petrum ſecundus, ex ejuſdem præcepto ſuſcepit pontificatum Eccleſiæ gubernandum. Licet autem Linus & Cletus ante eum ſcribantur, non tamen ſecundùm Haymonem & alios, qui de ſede Apoſtolica ſcrutati ſunt, ſedem tenuerunt Romanam ut Pontifices, ſed tamquam ſummi Pontificis adjutores.* *DeClement.*

CENTULEN. *Natale ſancti Clementis Papæ & martyris, de quo Apoſtolus ait, cum Clemente & ceteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ. Romæ, ſanctæ Felicitatis matris ſeptem filiorum, quæ cum ipſis filiis ſuis, ſub Antonino paſſa eſt. In pago Haſbanienſi, depoſitio ſancti Trudonis abbatis & confeſſoris, viri genere & ſanctitate præclari.*

BRUXELLEN. Sic primam format: *Romæ, natale ſancti Clementis Papæ & martyris, qui ſub Trajani imperatoris perſecutione, anchorâ ad collum ejus ligatâ, in mare præcipitatus, martyrio coronatur. Cujus corpus mari ad quatuor milia recedenti, in archa ſaxea, in templo marmoreo repertum, & ad urbem Romam delatum eſt, ubi ejus nominis memoriam uſque hodie exſtructa cuſtodit eccleſia.* Sequitur de Clemente Metenſi, ferme ut ſupra. Tum reliqua textûs, ſic tamen ut penultimo loco interſeratur: *Apud civitatem Bituricas, ſancti Faceri preſbyteri.* Puto eſſe *Faretri*, vel *Pharetrii*, Gall. *Phalier.* *Clem. Met.* *Faretri.*

HAGENOYEN. De Clemente multa congerit, præter ea quæ in Actis continentur, ſed non vacat omnia ex hoc codice deſcribere. Pergit: *Eodem die, ſanctæ Felicitatis martyris natale, matris ſeptem fratrum, quæ filios ſuos mori conſpiciens, & pro ipſis ſumme dolens corpore, ſed ſpiritu tota gaviſa eſt, quia illos ad cælos tranſmiſit. Quæ jubente Antonino imperatore ad ultimum decollata eſt. Hanc Gregorius pluſquam matrem vocat in omeliis. In pago Haſbanico, id eſt Haſpegonne, depoſitio S. Trudonis, preſbyteri & confeſſoris, ammirandæ ſanctitatis viri.* De Severino pure, Lucretiam remittit ad diem ſequentem. *De Felicitate.* *De Trudone.*

AQUICINCT. De Clemente, addit: *Hic ſeptem regiones diviſit notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſollicite & curioſe perquirerent. Hic ex præcepto B. Petri ſuſcepit Eccleſiæ pontificatum. Linus & Cletus ante eum ſcribuntur, quia ab ipſo principe Apoſtolorum ad miniſterium ſacerdotale, epiſcopi ſunt ordinati.* Vide appendicem Adonis in editione Roſweydi. *De Clemente.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Clementis Papæ & martyris. Felicitatis martyris & viduæ. Severini monachi. Lucretiæ virginis.*

CODEX D. LE MARE ſign. A. *Depoſitio ſancti Porciani confeſſoris.* Colitur die ſequenti. *Porciani.*

In VATICAN. num. 5949. Deſunt tres Sancti ultimi textûs Uſuardini. Adjicitur: *In Italia, monaſterio Bobio, ſancti Columbani abbatis.* *Columbani.*

CODEX CASTRI KAR. *S. Laurentii martyris.*

BIZUNTICEN. Male legit; *In pago Auſtuvio*, vel *Auſtunio*, *S. Trudonis.*

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *In pago Laudunenſi, ſancti Godeberti preſbyteri & confeſſoris.* *Godeberti.*

EDITIO LUBECO-COL. DeClemente ea ferme omnia habet, quæ jam relata ſunt, & præterea adjungit: *Hic ſtatuit, ut baptizatus, prout citius*

tius poteſt, confirmetur, quod non eſſet aliter perfectus Chriſtianus. Hic perſecutione Traiani imperatoris, à judice Aufridiano in mare præcipitatus eſt, & orantibus Chriſtianis & flentibus, mare in ſinum ſuum fere per tria miliaria retroceſſit, & ingreſſi per ſiccum populi repererunt templum marmoreum angelicis manibus præparatum, & in eodem corpus B. Clementis ſepultum, ancorâ juxta eum poſitâ. Jacuit autem ibidem per annos ſeptuaginta ſex. Tempore vero Nicolai Papæ I tranſlatum eſt corpus ſancti Clementis Romam & collocatum in eccleſia, quæ nunc dicitur ſancti Clementis. In reliquis fere ſimilis eſt codicibus mediæ notæ, inſerens etiam loco penultimo Clementem Metenſem.

De Clement.

Clem. Met.

BELIN. Severinum tranſtulit ad XXVII. Multa de cetero male contorta ſunt.

GREVEN. *Methis, depoſitio ſancti Clementis, primi ejuſdem urbis epiſcopi, patrui ſancti Clementis Papæ, à beato Petro cum aliis duobus, ſcilicet Cæleſti & Felici illuc directi. In Cameraco, Sarii preſbyteri & confeſſoris. In territorio Remenſi, ſancti Goberti confeſſoris. Bituricas, ſancti Fateri preſbyteri. Fauſtinæ reginæ, quæ in confeſſione beatæ Katherinæ credens, poſtmodum pro fide Chriſti, poſt mamillarum extractionem decollata eſt. Theodoræ, uxoris beati Siſinnii martyris.*

Clem. Met.

Sarii.
Goberti.
Faretri.
Fauſtinæ.
Theodoræ.

MOLAN. Clementis elogium litteris Italicis textui immiſcet. *Hic ſeptem regiones diviſit notariis fidelibus, qui geſta martyrum ſolicite perquirerent. Hic ex præcepto beati Petri eccleſiæ ſuſcepit pontificatum. Linus & Cletus ideo ante ipſum ſcribuntur, quia ab ipſo principe Apoſtolorum, ad miniſterium ſacerdotale epiſcopi ſunt ordinati. Qui jubente Traiano, miſſus eſt in exilium trans Pontum mare, in eremo, ubi multis ad fidem vocatis per miracula & doctrinam ejus, præcipitatus eſt in mare, ligatâ ad collum ejus anchorâ; ſed receſſit mare, orantibus diſcipulis, per tria milia, & invenerunt corpus in arca ſaxea in marmoreo templo, & anchora juxta, talisque martyrio Petri diſcipulus coronatur.* De Trudone, poſt *Haſbanio*, addit, *in Sarchinio, depoſitio*, & poſt *confeſſoris, admirandæ ſanctitatis viri.* In fine: *Cameraci in eccleſia Dei genitricis B. Mariæ, beati Sarii preſbyteri & confeſſoris. Civitate Metis, ſancti Clementis patrui* &c. *In territorio Laudunenſi, ſancti Goberti confeſſoris.* Poſteriores editiones de Clemente in textu ſolum habent, *ligatâ ad collum ejus anchorâ*, ante *martyrio*. Poſt de ſolis Notariis. &c. De Trudone, ut in prima. Item de Sario & Clemente Metenſi. Gobertum collocat, *in territorio Remenſi*. Tum ex Horologio adjicit: *Die vigeſima tertia, ſancti patris Gregorii Agrigentini. Et Amphilochii epiſcopi Iconii.* Utriuſque Acta per Metaphraſten exſtant apud Surium. Tu de iis vide judicium Papebrochii in Ephem. Græco-Moſcis ante tom. I Maii pag. LI.

Sarii.
Item Met.
Goberti.
Gregorii.
Amphilochii

VIII *Kal.* *Die* 24.

Chryſogoni

ROmæ, natalis beati Chriſogoni martyris, qui poſt longa vincula & carceres, pro conſtantiſſima Chriſti confeſſione toleratos, jubente Diocletiano, capite cæſus & in mare projectus, martyrium conſummavit. Item Romæ, ſancti Creſcentiani martyris, qui in paſſione beati Marcelli Papæ legitur. Caſtro Blavia, ſancti Romani presbiteri & confeſſoris, cujus ſanctitatis præconium miraculorum gloria declarat. Civitate Corduba, ſanctarum virginum Floræ & Mariæ, quæ poſt diuturnos carceres, pro Chriſto gladio interemptæ ſunt. Apud Peruſiam Tuſciæ civitatem, ſancti Feliciſſimi.

Creſcentiani. Romani.

Floræ & Mariæ. Feliciſſimi.

Multorum codicum hoc die conſenſus eſt; nempe *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Lovanien. Albergen.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. Solus Molanus recte ſcripſit *Chryſogoni*, inter codices, alii *Criſogoni*, alii *Griſogoni*, *Eſogoni*, *Griſogonii* &c. Praten. & Herinien. proxime ad puritatem, ut eſt in textu. Antverp-maj. pro *conſtantiſſima*, legit *conſtanti*. Munerat. & pauci alii habent *Creſcenciani*. In Antverp-maj. error eſt *preconii*, uti *Florete* & *Peruſitam*, pro quo nonnulli *Peruſium*. Reliqui *caſtro Blavia*, ut ſignant antiquiores codices omnes: Max-Lubec. habet *Blama*; Greven. *Blavie*, Molan. *Blavio*. Munerat. poſt *diuturnos carceres*, omiſit *pro Chriſto*. Codices aliqui pro *diuturnos*, habent *diutinos*. In ſolo Molano eſt *Thuſciæ*.

Chryſogoni.

OBSERVATIO. Hoc rurſus die Sanctum producimus, qui cum Anaſtaſia, cujus Actis immixtus eſt, omnibus antiquis Faſtis tam Græcis quam Latinis reperitur inſcriptus. In utriuſque honorem baſilicæ Romæ exſtructæ, eorumque etiam nomina à primis Eccleſiæ ſeculis Canoni Miſſæ inſerta fuerunt. Quærit Florentinius, Romæ an Aquileiæ tribuendum ſit inclyti Sancti martyrium, cum utraque poſitio in diverſis apographis Hieronymianis inveniatur? Quæſtionis nodus diſſolvi videtur, ſi Chryſogono, utpote nobili Romano, confeſſionis initium in patria, conſummationem Aquileiæ vel circa Aquileiam aſſignes. Si hæc ſolutio non placeat, aptiorem ſuggere, quæ Martyrologorum

rologorum & Actorum discrepantias componat. Vide alia apud laudatum Florentinium satis accurate notata. Pro Romana positione stant Beda, Rabanus, & tota series nostra duce Romano parvo, in quo & Zoïlus apponitur: *Romæ, Chrysogoni martyris, & Zoïli.* Ado longam ex Actis historiam concinnans, non hoc die Zoïlum, sed tricesimo post Chrysogoni passionem, ad Dominum pertexisse testatur, adeoque aut ipso die, aut pridie quam coronaretur Anastasia, XXV Decembris. Usuardus de solo Chrysogono loquens, brevi oratione certamina ejus & glorioſum agonem prosecutus est. Dum ad III Aprilis de Agapes & sororum Actis disputaremus, contra Henschenii sententiam, ea cum Baronio aliisque prætulimus, quæ Anastasianis immixta non erant, quoniam hæc gravioribus difficultatibus impedita sunt, ut vide apud Ruinartium inter Selecta à pag. 419, & apud Tillemontium tomo 5 à pag. 323. Cum autem Chrysogoni nostri certamen ex præfatis S. Anastasiæ Actis acceptum sit, danda erit suo tempore opera, ut siquid ibi etiam non sinceri seminis inspersum deprehendatur, post accuratum examen expurgetur. Sic solum Chrysogonum laudat Wandelbertus:

Chrysogonus meritis octavam & funere sancit.

Ad VIII Augusti ex vetustissimo Bucherii Kalendario hunc textum retulimus: *Ballistaria, Cyriaci, Largi, Crescentiani, Memmiæ, Julianæ & Smaragdi.* Antea vero ad XVI Martii hodiernum *Crescentianum*, à Romano parvo & Adone eo die positum, ab Usuardo illic præteritum, indicavimus. Jam omissionis apparet causa, nempe quod Sanctum huc Noster transtulisset. Refertur & hoc die à Beda cum elogio, ex quo summopere miror, nihil Usuardum desumpsisse. Quid de Marcelli Actis, unde & hic & plures alii Sancti educti sunt, censendum sit, XVI Januarii & citatis supra diebus, abunde diximus. *Crescent.*

In nullo antiquiori Martyrologo *Romanum* invenit Usuardus, sed ex Gregorii Turonensis libro de Glor. Confess. cap. 46 acceptum, primus ipse hoc die collocavit. *Scripta vitæ*, à Gregorio memorata, verosimiliter deperdita sunt. A Magno Martino *sepulturæ locatum*, & *sepulchrum ejus*, *contiguum Blavienſi castello, super littus amnis Garonnæ* esse, *in quo sæpius naufragio perituros virtutis suæ salvat occursu*, ex laudato antistite discimus. Est penes nos vita aliqua Romani manuscripta, plurimis Sancti miraculis referta, ex qua videtur extractum officium, quod in usu est ecclesiæ parochiali d'Etrahaam prope Baiocas. De ea modo judicium ferre non vacat, satis hîc sit, vere Usuardinum ostendisse Romanum, æquè ac sunt sequentes Cordubenses virgines cum Felicissimo. *Floræ* & *Mariæ* victorias ac trophæa egregie descripsit dignissimus martyrum Cordubensium encomiastes, & ipse in eadem Arabica persecutione glorioſus martyr, Eulogius libro 2 Memorialis toto cap. 8. Inde, vel potius ex recentissima Hispanorum memoria habuit Usuardus, quo ipsas merito in Martyrologium suum insereret. Quæ de præclarissimis virginibus, *intincto in Spiritus sancti pyxide calamo*, alibi memoravit Eulogius, diligenter hîc à Baronio assignata sunt. Porro *Felicissimus* Perusinus ex Hieronymianis accessit, solo nomine & martyrii gloriâ insignitus. *Romani.* *Floræ & Mariæ.* *Felicissimi.*

AUCTARIA.

IN Pratensi, sive ad marginem, sive in fine textus, recentiori manu adjecta, adeoque in apographo nostro subvirgulata sunt hæc: *Aprutio, sancti Flaviani episcopi & confessoris.* Unde hic Flavianus adjectus sit, non divino; Castellanus die sequenti notat Flavianum Vercellensem *Flaviani.*

Tornacen. In prima purus, omittit secundam de Crescentiano: totum Romani elogium rescindit: denique Cordubenses etiam virgines Floram & Mariam prætermittit.

Roswyd. Purus in textu, adjicit: *Item Carpasii, qui post equuleum, fustes & ungues, flammis injectus, emisit spiritum.* Carpasium lego in Crescentiani elogio apud Bedam, qui Vicarii munere fungens, diram in Martyrem carnificinam exercuit. Non mirarer, si hic pro Sancto huc irrepsisset: certe verba omnia ex præfato Crescentiani elogio accepta videntur. *Carpasii.*

Pulsanen. In prima mutilus, in Cordubensibus purus, omisit reliqua omnia.

Centulen. *Romæ, sancti Chrysogoni martyris, qui sub Diocletiano per biennium in carcere maceratus, tandem gladio feriente ad palmam pervenit.* *Item Romæ, sancti Crescentiani martyris, sub judice Carpasio. Castro Blavia, sancti Romani sacerdotis & monachi, quem defunctum Martinus episcopus Turonensis gavisus est sepelisse. Cordubæ, sanctarum virginum.* &c. pure. Deest Felicissimus. *Textus mutilus.*

Bruxellen. In prima nonnihil mutilatus, in secunda purus est. Sequitur: *In Galliis civitate Regensi, sancti Maximi episcopi & confessoris; qui à primæva ætate, virtutum omnium gracia præditus, primo Lyrinensis cœnobii pater, deinde Regensis ecclesiæ episcopus, signis & prodigiis inclitus extitit, sicque inter alia gesta magnifica, tres mortuos ipse vivens suscitasse perhibetur.* In hoc codice Sanctos sæpe transponi, non semel diximus. Vide de Maximo XXVII Novembris. In Cordubensibus virginibus & Felicissimo satis purus est, sed Romanum distulit ad diem sequent. *Maximi.*

Hagenoyen. Incipit: *Civitate Methis, depositio sancti Clementis episcopi, patrui sancti Clementis Papæ, quem idem Clemens illuc misit, episcopum primum civitatis illius.* Vide Auctaria diei præcedentis. Tum: *In Aquilegia, passio sancti Crisogoni martyris. Hic nobilis erat valde corpore, sed multo nobilior fide. Hic beatam virginem Dei* *Clem. Met.* *De Chrysog.*

Aneſtaſiam erudivit in fide; & ipſo conſtituto in vinculis, & illa multùm ſuis epiſtolis confortavit. Hic Romæ erat multo tempore vincula & carceres perpeſſus, & in Aquilegiam à Diocletiano ductus eſt vinctus, & ibi cum ſacrificare nollet, eſt decollatus & in mare projectus. In Creſcentiano, Cordubenſibus, & Romano ſatis purus eſt, ſed in fine loco Feliciſſimi, ſubſtituit annuntiationem

Lucretiæ. heſternam de Lucretia Emeritenſi, quam vocat *Lucrenam*, ſæpe multa male torquere ſolitus.

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. In

Eleutherii. fine: *Item apud Reatinam civitatem, ſancti Eleutherii martyris.* An is forte eſt, qui cum *Anthia* matre ſua colitur XVIII Aprilis?

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Griſogoni martyris. Creſcentiani martyris. Floræ & Mauræ virginum & martyrum. Porphyrii militis & mar-*

Porphyrii. *tyris, cum ſociis à beata Katerina converſis.*

In VATICAN. ſub num. 5949. Deſunt iterum tres annuntiationes ultimæ. Adjicitur autem:

Flaviani. *Flaviani epiſcopi & confeſſoris Conſtantinopolitani.* Vide Romanum XVIII Februarii.

STROZZIAN. *In civitate Regii, ſancti Proſperi*

Proſperi. *epiſcopi & confeſſoris.* An hinc accepit BELINUS? Vide Romanum & Acta XXV Junii & GREVEN. infra. Neſcio quem Proſperum, ſolo *confeſſoris* titulo, die ſequenti referat Caſtellanus, niſi fortaſſe ex Hieronymianis acceperit.

BIZUNTICEN. *Inventio corporis beati Benigni preſbyteri & martyris.* Vide 1 Novembris.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Colonia Agrip-*

Tranſlat. Gereon. &c. *pina, tranſlatio beati Gereonis & ſociorum ejus Thebæorum, qui à Domino Frederico primo Colonienſium archiepiſcopo, & Rodulpho ſancti Panthaleonis abbate facta eſt anno ab Incarnatione Domini* MCXXI. *Item Colonia, in eccleſia prædicti martyris ſancti Gereonis, commemoratio beati Gregorii & ſociorum ejus Maurorum.* Sequitur totus textus ſolito purior, cui tertio loco interjicit: *Alexandriæ, beati Porphyrii martyris, cum quibuſdam* *Porphyrii.* *aliis militibus, quos beata virgo Caterina convertit ad Chriſtum.*

BELIN. Tertio loco interponit: *Item civitate Regii, ſancti Proſperi epiſc. & conf* Vide STROZZ.

GREVEN. *Alexandriæ, ſancti Porphirii & ſo-* *Porphyrii.* *ciorum ejus militum & martyrum, qui in paſſione beatæ Katherinæ credidiſſe leguntur. Ignatii mar-* *Ignatii.* *tyris. Apud Coloniam Agrippinam, inventio &* *Invent.* *elevatio ſancti Gereonis martyris. Cum enim anno* *Gereon. &c.* *Domini* MCXXI *Norberthus Præmonſtratenſis pro Sanctorum reliquiis Coloniam veniſſet, & in præfati martyris baſilica in oratione pernoctaret, mane in medio baſilicæ fodi præcepit, inventumque eſt corpus ſancti Martyris integrum, & à Frederico primo archiepiſcopo Colonienſi & Rodolpho abbate ſancti Panthaleonis atque à fidelium populo, honore condigno elevatum. Item apud eandem urbem, in eadem baſilica, commemoratio beati Gregorii ducis ac ſociorum ejus Maurorum martyrum. In ter-* *Marini.* *ritorio Morienna, ſancti Marini martyris. Tranſ-* *Tranſlat.* *latio Sancti Proſperi Reginenſis epiſcopi, doctoris* *Proſperi.* *præcipui. Eodem die, ſancti Eleutherii.* *Eleutherii.*

MOLAN. In fine ex BELIN. *In civitate Regii,* *Proſperi.* *ſancti Proſperi epiſcopi & confeſſoris.* Dein minoribus typis de inventione & elevatione Gereo- *Gereon. &c.* nis, GREVENUM deſcribit, addens: *In territorio Avernenſi, ſancti Portiani abbatis & confeſſoris, de quo B. Gregorius Turonenſis ſcripſit librum quintum de vita Patrum.* Editiones aliæ litteris Italicis tertio loco novam annuntiationem inſe-

runt: *Mediolani, Prothaſii epiſcopi & confeſſoris.* *Porciani.* In fine: *In territorio Arvernenſi, ſancti Portiani* *Prothaſii.* *abbatis & confeſſoris. Die vigeſima quarta, ſancti* *Mercurii.* *martyris Mercurii.* Vide ejus Acta apud Surium.

VII *Kal.* *Die* 25.

Petri. NAtalis beati Petri epiſcopi Alexandriæ, qui cum eſſet omnibus adornatus virtutibus, in Scripturis quoque divinis nulli priorum inferior, & ſacerdos & hoſtia Dei, ſubito rapitur, atque ex Maximini præcepto capite obtruncatur. Cum quo ſimul & alii plures ex Ægypto epiſcopi trucidantur, fere cum clericis & lai-

Eraſmi. cis, ſexcenti ſexaginta. Item Antiochiæ, ſancti Eraſmi martyris.

Plurimi codices textum totum habent & integrum, ſed purum & nulla omnino parte auctum, ſoli hi quatuor *Paten. Herinien. Roſweyd.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. De *Egypto, Heraſmi* & hujuſmodi nugis non loquor. Male in apographo noſtro Patenſi pro *clericis*, ſcriptum eſt *cleris*. Una eſt notabilis variatio, in qua ab omnibus aliis differt Molan. Adonem procul dubio ſecutus, in quo legitur *fere cum clericis & laicis ſexcentis ſexaginta.* Recte utique & ſenſu non malo, at Uſuardus aliter hæc verba conſtruxit. Numerus ille, ſatis aliunde incertus, auctus eſt ab aliis qui totam Petri ſociorum multitudinem ad ſexcentos ſexaginta ſex pejus extenderunt. Communiſſima variatio, ob quam tot codices à puris excluſi ſunt, oritur ex appoſitione ſanctæ Catharinæ, qua cum careant citati quatuor codices, hinc veroſimillimo argumento eorum ſupra alios antiquitas dignoſci poteſt; quemadmodum in præfatione notare non negleximus.

Petri OBSERVATIO. *Petrus* Alexandrinus epiſcopus, martyr clariſſimus, imo velut antonomaſticè *Martyr*, & vulgo *finis*, ſeu *ſigillum Martyrum*, apud Euſebium ceteroſque antiquos ſcriptores ob morum integritatem ac doctrinam, non minus quam ob perpetuos

tuos labores, atque innumerabilium, atrociſſimæ perſecutionis tempore, ærumnarum tolerantiam laudatiſſimus eſt; tribus potiſſimum diebus in tabulis eccleſiaſticis Latinis & Græcis celebratus, nempe XXIV, XXV & XXVI Novembris. In apographis Hieronymianis conſtanter ſignatum reperio die XXVI: *In Alexandria, Petri*; ad quæ videri poteſt notatio Florentinii. Ceteri Martyrologi Beda, Rabanus, Wandelbertus & tota ſeries noſtra, veriorem, ni fallar, viam ingreſſi, hunc diem XXV Petri cultui unanimiter dedicant; idque apud Latinos perſeveraſſe certum puto, donec accreſcens in Occidente Catharinæ gloria, ita Petrum obumbravit, ut in ſequentem diem receſſerit. Ceterum priorum duorum codicum, vel potius ſolius Bedæ, nitidiſſimum eſt elogium, Rufini lib. 9 cap. 6 verbis ferme conceptum, atque à Noſtro ex Beda deſcriptum, addita ſola ultima clauſula, cujus auctorem credimus Romanum parvum; in quo nimirum indeterminatus apud Rufinum Petri ſociorum numerus, ad ſexcentos ſexaginta, neſcio quo fundamento, extenditur. Romani parvi verba ſunt: *Sancti Petri Alexandrini epiſcopi, cum aliis* DCLX. Verius cum Rufino lib. 8 cap. 14 dixiſſet, *innumerabiles* cum epiſcopis *nobiliſſima pertuliſſe martyria*. Diffuſior Adonis narratio principium habet ex laudati Rufini libro 7 capite ultimo, cetera compilavit ipſe ex Actis illis, de quorum veritate uſque adeo controvertitur, ut vix ullus eruditorum hodie virorum, poſt Hermantium, Valeſium, Pagium, Papebrochium alioſque, ea tamquam ſincera admittere audeat, ſeu ut à Metaphraſte edita & Latine verſa, ſeu ut à Combefiſio inter Lectos triumphos à pag. 189 utroque ſermone vulgata ſunt. Paucula nos de ſummi antiſtitis laudibus ſtrictim digeſſimus in noſtra de Alexandrinis Patriarchis chronologia pag. 34 à num. 180. At nemo, quod ſciam, Petri geſta, & quæ cum eis connexa ſunt, collegit, diſpoſuit, diſcuſſit accuratius quam Tillemontius tomo 5 à pag. 436, & in notis à pag. 755, quæ omnia in Actis ad incudem erunt revocanda. Hoc Wandelberti encomium eſt:

Septenam Petrus antiſtes martyrque venuſtat;
Urbis Alexandri populus quo præduce fultus
Errorum curvos ſpernit cæcoſque meatus.

Alter in textu noſtro nominatus martyr *Eraſmus*, omnibus aliis Martyrologis, fere dixerim ſcriptoribus plane omnibus, incognitus videtur, niſi idem prorſus ſit cum Eraſmo illo, in Campania Italiæ celeberrimo, quem ex Uſuardo aliiſque retulimus III Junii, ut ex erudito Henſchenii commentario tomo I à pag. 211 facile datur intelligi. Quid Uſuardum impulerit, ut talem hoc die commemorationem conciperet, nec hariolando aſſequor; interim ab eo poſitam fuiſſe, dubitare non ſinit codicum prope omnium ſaltem probatiſſimorum conſenſus. *Eraſmi.*

AUCTARIA.

Catharinæ. PRATEN. In hoc codice, teſte Caſtellano, longe recentiori manu adjicitur: *Apud Alexandriam, ſanctæ Catharinæ virginis & martyris.* Pleni ſunt hujus Sanctæ laudibus recentiores omnes codices hîc citandi. De quibus, ut ſemel dicam, vide Ephemerides Græco-Moſcas ante tomum I. Maii, pag. LI, & Reſponſiones Papebrochii ad art. XI à num. 77. &c.

Ejuſdem. HERINIEN. In inferiori codicis ora, manu à textu diverſiſſima & recenti, per aſteriſcum ad finem textus remittitur: *Ipſo die, beatæ Katherinæ virginis & martyris, quæ in civitate Alexandrina paſſa eſt ſub Maxentio imperatore.*

Ejuſdem. ANTVERP-MAJ. Medio textui puro inſerit: *Apud eamdem urbem, paſſio ſanctæ Katharinæ virginis & martyris.*

Mercurii. Catharinæ. PULSANEN. Hunc habet textum: *Natalis beati Mercurii martyris. Eodem die, paſſio ſanctæ Ecaterinæ virginis, quæ jubente Maxentio imperatore, Alexandriæ martyrio coronata eſt. Sed poſtea ab angelis ad montem Synai eſt delata, ubi frequenter fiunt præclara miracula per eam.* Petrus ad diem ſequentem rejectus eſt; de Eraſmo, nihil.

Ejuſdem. ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Textui puro in fine addunt: *Ipſo die, paſſio ſanctæ Catherinæ virginis & martyris, quæ paſſa eſt ſub Maxentio imperatore.* Idem fere habent, ſed in principio, LOVAN. & LEYDEN-BELG. Item ANTVERP-MAX. ſed hic caret Eraſmo.

De eadem. MUNERAT. Hoc dat principium: *Apud Alexandriam, natalis beatæ Katherinæ virginis & martyris; quæ cum ſacrificare Idolis nollet, juſſu Maxentii imperatoris, biſſenis diebus negato cibo & potu, in obſcuro carceris ergaſtulo truſa, & ibidem per columbam angelico pane ſuſtentata, multis etiam aliis tormentorum generibus, auxiliante Domino, poſtmodum ſuperatis, conſtantiſſime in fide Chriſti perſeverans, noviſſime decollata eſt. Mox ſiquidem ſancti angeli acceſſerunt, corpuſque beatæ virginis per altum in aëra viſibiliter deportantes, mirabiliter in monte Sinay collocaverunt. Qui mons à decollationis loco viginti diebus itineris & eo amplius remotus eſt.* Textus purus eſt.

Item. BELIN. Sic loquitur: *In monte Sinay, ſanctiſſimæ Chaterinæ virginis & martyris, filiæ Coſti regis in civitate Alexandria, quæ a Maxentio imperatore, ob fidei Chriſtianæ confeſſionem in carcerem clauſa, & poſtmodum ſcorpionibus diutiſſime cæſa, tandem capitis obtruncatione martyrium complevit. De corpore ejus lac pro ſanguine emanavit. Poſt mortem autem ejus venerunt angeli & tulerunt corpus ejus & portaverunt illud in montem Sinay, & in eodem loco honorifice ſepelierunt. De ſepulchro*

vero ejus emanat oleum, quod languidorum corpora ſanat. Sequitur de Eraſmo, pure. Tum: *Eodem die apud Emiliam, ſanctæ Jocundæ virginis.* Petrus ad diem ſequentem remotus eſt. *Jocundæ.*

GREVEN. *Alexandriæ, paſſio ſanctæ Katerinæ, gloriosæ martyris & virginis Chriſti, cujus oſſa ſtillare oleum divinitus inveniuntur. Quæ decollata, ab angelis deportatur, & in montis ſynai vertice ſepelitur.* Sequitur textus purus. *Catharinæ.*

ULTRAJECT. & LEYDEN-LAT. Incipiunt: *Alexandriæ, beatæ Katharinæ virginis; quæ poſt multos agones, & cruciatus, quos pro Chriſti amore & conſtantiſſima fidei defenſione pertulit, juſſu Maxentii, capitali ſententia punita eſt. Cujus ſacratiſſimum corpus, poſt capitis abſciſionem, obſequio angelorum deportatum eſt in monte Synay* [&] *honorifice collocatum, ubi etiam multis refulgens miraculis, ſalutare deſudat oleum, in ſalviſicum & efficax remedium languidorum.* Poſt hæc textus purus. ALBERG. & DANIC. idem habent de S. Catharina, ſed Petrus retrocedit. Itaque ſecundo loco: *In Numidia, natale ſancti Marculi martyris, præcipicio extincti.* In Romano eſt *Marcelli*, XXVI. Tu vide notulam Caſtellani hîc, & præterea pag. 723: item Tillemontium tomo 6. pag. 712. In fine habent hi duo codices de Eraſmo, pure. *Item.* *Marculi.*

CENTULEN. *Alexandriæ, paſſio ſancti Petri, ipſius civitatis epiſcopi, inter præcipuos egregii, qui perſecutione Deciana* [patentiſſimus error] *gladio peremptus, occubuit; cum quo ſimul alii plures epiſcopi trucidati ſunt, ſed & clerici & laici ſexcenti ſexaginta. Eodem die Alexandriæ, Katherinæ virginis, ſub Maxentio Diocletiani filio.* Satis patet, quid velit dicere. *Catharinæ.*

BRUXELLEN. Primo loco de Catharina, ferme ut ULTRAJECT. &c. In Petro modice auctus, de Marculo etiam habet, ut citati codices; & in Eraſmo, purus eſt. Tum: *Eodem die, ſancti Benedicti preſbyteri & martyris.* Non eſt, unde dignoſcatur, niſi vera ſint, quæ infra habet EDITIO LUBECO-COL. Sequitur de Romano Blavienſi, ex die præcedenti. Tum in inferiori paginæ ora per aſteriſcum huc remittitur, eâdem ferme manu ſcriptum: *Ipſo die apud civitatem Remenſem, vir miræ ſanctitatis Albertus epiſcopus Leodienſis, frater Heynrici magni Lotharingiæ ac Brabanciæ ducis, propter cuſtodiam eccleſiaſticæ libertatis de mandato Heynrici imperatoris interemptus, occubuit.* *Benedicti.* *Alberti Leodienſis.*

Legia quem legit, electum Roma promovit,
Remis ſacravit, ſacratum martirizavit.

Jam de ipſo egimus in Auctariis XXI Novemb.

HAGENOYEN. In textu utcumque purus, ſubjicit longius Catharinæ elogium, in quo præter ſuperius allata, nihil magnopere novi producit, excepta converſione quinquaginta philoſophorum, Porphyrii &c. quæ vulgo notiſſima ſunt, nec ad nauſeam hîc repetenda. Denique: *In Numidia, natale ſancti Marculi martyris* &c. *Marculi.*

AQUICINCT. Notat deſcriptor, agi in fine de Catharina, duobus verbis.

VICTORIN. *Eodem die, ſanctæ Catarinæ virginis, quæ ſub Maxentio cæſare capite truncata eſt.* *Catharinæ.*

CODEX Urſini à Roſemberg. *In Numidia, natale beati Martilli martyris, præcipitio extincti.* Diximus ſupra, ſcribi in Romano, *Marcelli.* Codices alii habent, *Marculi.* Vide quæ diximus ad codicem ULTRAJECT. &c. *Marculi.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Katherinæ virginis & martyris. Petri epiſcopi & martyris, cum ſociis* DCLX. *Eraſmi martyris.*

REG. SUEC. ſub. num. 130. *Et natale beati Mercurii martyris.* Vide Romanum. *Mercurii.*

VATICAN. num. 5949. Hunc habet textum: *Beneventi, natale beati Mercurii martyris, qui tempore Decii, poſt plurima ſupplicia, forti animo tolerata, capite cæſus martyrium conſummavit.* *Mercurii Benevent.*

FLORENTIN. *Apud Italiam in civitate Regii, tranſlatio corporis ſancti Proſperi, ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris, de eccleſia, quæ eſt extra muros, revelatione devinitus facta; de quo Thomas, qui tunc erat ejuſdem urbis epiſcopus, ſcribens, ait: Quod de Hiſpaniæ partibus fuit oriundus, doctor eximius, fide Catholicus, aſpectu angelicus, ſermone præclarus, opere ſanctus, corpore caſtus, ingenio ſubtilis, conſilio providus, & caritate diffuſus, & per Leonem Papam I in dicta eccleſia extitit epiſcopus ordinatus.* Dixi alibi, vitam ejus illuſtratam eſſe die natali, XXV Junii. Pergunt: *Item ſancti Mercurii martyris, cujus geſta habentur.* Tum ſolus STROZZIAN. *Apud Æmiliam, ſanctæ Jocundæ virginis.* *De Proſpero Regienſi.* *Mercurii.* *Jocundæ.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit à Catharina, ut ULTRAJECT. &c. ſupra. Petrus ad diem ſequentem tranſlatus, Eraſmus prætermiſſus eſt. Pergit: *In Numidia, natale ſancti Benedicti (qui dictus eſt & Marculus) martyris, præcipicio extincti. Eodem die, ſanctorum Luciani, Marciani & Claudiani martyrum.* Vide Hieronymiana. *Benedicti.* *Luciani &c.*

GREVEN. *In Aphrica, Luciani, Claudiani, Marciani, Cipriani, Quiriaci. In Numidia, ſancti Benedicti martyris, qui & Marculus, præcipitio extincti. Methis, ſancti Livarii martyris. Eodem die, natalis ſanctorum Juliani, Cunctori, Quiriaci.* Vide EDIT. LUBECO-COL. *De iiſd. &c.* *Benedicti.* *Livarii.* *Juliani &c.*

MOLAN. Incipit litteris Italicis, de Catharina referens totam BELINI annuntiationem. Sequitur commemoratio Petri Alexandrini pura cum textu, ſed ei litteris rurſus Italicis longa hiſtoria ſubjungitur, ex Adone deſumpta, qua potiſſimum decribitur Petri ad Achillam & Alexandrum de Ario admonitio &c quam hîc non vacat inſerere, vel quod ſatis nota ſit, vel quod in fonte legi poſſit. In fine ex eodem BELINO ſubdit. *Eodem die apud Æmiliam, ſanctæ Jucundæ virginis.* Editiones poſteriores idem habent initium & eodem modo ſcriptum, ſubjungunt etiam idem augmentum, ſed tota Petri Alexand. annuntiatio in diem ſequentem dilata eſt. *De Catharina* *Jucundæ.*

VI *Kal.* *Die* 26.

Lini P P. NAtalis beati Lini Papæ, qui poſt Petrum primus, Romanam Eccleſiam tenuit annis duodecim, & martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano. Apud Alexandriam, ſanctorum martyrum Fauſti presbiteri, Dii & Ammonii, qui cum beato Petro ejuſdem

Fauſti & ſociorum.

dem urbis episcopo, jubente Maximino trucidati sunt. Augustuduni, sancti Amatoris episcopi. *Amatoris.*

Ex *Praten. Tornacen. Antverp-maj. Munerati prima editione, Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Nihil magnopere observandum suggerunt codices nostri, præterquam quod Antverp-maj., Greveni editio altera, quam sequimur, & Molan. post *Petrum* omiserint vocem *primus*, quæ ex Adone, & codicibus nostris Usuardinis fere omnibus interponenda est. Cetera sphalmata scriptoria sunt, ut *Augustiduni* in Tornacen. in Antverp-max. *Viatico* pro *Vaticano* & *Maximo*, pro *Maxminio*. Si prior Munerati editio, secundæ plane conformis est, non caret umquam defectibus typographicis. Infra dicemus in quo posterior excedat.

OBSERVATIO. Ad XXIII Septembris sub finem Observationis indicavimus, Linum Papam à Floro nostro & à Rabano referri, atque etiam in nonnullis codicibus Usuardinis auctioribus, ex quibus in Romanum modernum pro eo die derivatum existimamus. Hinc intellige, qualem ibi Usuardum, in Notatione allegare potuerit Baronius; nempe Belinum, in quo accepta ex hodierno die annuntiatio Usuardina, in mensem Septembrem retracta est. Utrum vero recte divinaverit Grevenus, dum in Auctariis XXIII Septembris *passionem*, hîc autem *solenniorem celebritatem haberi* dicit, *quo die translatus perhibetur*, haud equidem ausim asserere in tanta vetustate, in tanta natalium dierum confusione, quidquid in eam partem inclinet Henschenius, cum pluribus chronologiæ Pontificiæ ordinatoribus. Aliis præterea diebus refertur Linus, ut VII Octobris &c. sed varietatis rationem plane ignoro. Certum est, Romanum parvum, à quo procul dubio, primum in sacris Tabulis hoc die positus est, eum signasse hoc modo: *Romæ, Lini Papæ.* Certum quoque, Adonem hoc die breve ei elogium ex Pontificalibus concinnasse, quod ferme integrum Noster in textum suum transtulit, ubi in serie Romanorum Pontificum, *post Petrum* PRIMUS, seu secundus ordine Christi Domini Vicarius disertissimè constituitur. Scio, non pauca idcirco ab eruditis post Baronium agitari; verum ab eminentissimi Annalistæ sententia recedendum non est: tu eum consule ad annum LXXX, atque in hodierna Notatione In dispescendis primorum Pontificum annis, à doctissimis Chronologis affatim desudatum est, & porro à nobis sudandum erit, dum Lini Acta colligentur & illustrabuntur. Vide tantisper conatum Tillemontii tomo 2 pag. 546. Pro hoc die Lini cultui vindicando, stat etiam Wandelbertus, hoc unico suo versiculo: *Lini P P.*

Sextam Line sacras roseo de sanguine Papa.

Dubitare visi sumus XIX Novembris, an *Faustus* ibi relatus, confundi non posset cum hodierno *Dii, Ammonii*, imo Petri Alexandrini, in passione socio, qui sub Dionysio diaconus, à successorum aliquo presbyter ordinatus fuerit, ac senio confectus, tandem coronam martyrii sit adeptus. Hæc, inquam, ibi dubitabundi proposuimus. Clarius est, Adonem ex Rufini lib. 8 cap. 14, tres nostros martyres accepisse, *nec merito, nec institutionibus, nec martyrio* Petro *dispares*. Est itaque tota hæc annuntiatio soli Adoni referenda, qui præmisso pridie episcopo, sequenti ministros subjungendos putavit; quamvis fortasse magno dierum, imo mensium, quid ni & annorum intervallo passi sint, qui citato Rufini loco *innumerabiles* dicuntur. Nostra omnia in textu expressa, secundum omnes apices ex præfato Viennensi descripta sunt. *Fausti & sociorum.*

Hieronymianis apographis omnibus apud Florentinium in fine adjectum legitur: *Augustiduno, depositio sancti Amatoris episcopi.* Ex eo fonte annuntiationem suam desumpsit Rabanus. An etiam Ado? Negat Mosander, qui asteriscum apposuit; negat Rosweydus, totam commemorationem in appendicem rejiciens: unde consequitur, ex Hieronymianis ab Usuardo primùm acceptam & hîc signatam fuisse. Quæro hujus Sancti vitam aut gesta, sed nihil usquam reperio; vide paucula, quæ de ipso notavit Baronius. *Amatoris.*

In Romano parvo hoc die notatur: *Et beati Alexandri episcopi & martyris, passi* XI *Kalendas Octobris; à Papa Damaso* VI *Kalendas Decembris translati, quando festivitatem ei dicavit.* Quæ verba etiam supra dedimus ad XXI Septembris, quo die Usuardus ipsum Alexandrum ex Adone accepit, atque elogio ex hodierna longiori historia ornavit. Recte, an secus, Noster Sanctum pro suo arbitrio transposuerit, non disputo, satis est mutationem illam hîc rursus verbo indicasse. *De Alex. Adonis.*

AUCTARIA.

Baſoli. HERINIEN. Textum puriſſimum habet, ſed ei ſecundo loco proprium Remenſe denuo intermiſcet: *Eodem die, tranſitus beati Baſoli confeſſoris, qui in territorio Remenſi vitam heremiticam utiliter eſt executus, tamque in vita, quam etiam poſt obitum, miraculorum jubare divinitus eſt illuſtratus.*

Valeriani. ROSWEYD. Purus etiam in textu, excedit in fine: *In Aquileia, Valeriani epiſcopi & confeſſoris.* Haud dubie ex Hieronymianis.

Petri Alex. PULSANEN. Hic ejus textus: *Natalis ſancti Petri Alexandrini epiſcopi, inter præcipuos egregii. Hic duodecim annos omnes in epiſcopatu illius urbis exegit, quorum tres ante perſecutionem, reliquos vero novem diverſis intemptationum generibus duxit. Romæ, natalis ſancti Lini Papæ.*

Leonardi. ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Textui puro addunt: *Vendopera monaſterio, ſancti Leonardi confeſſoris.* Hic in multis codicibus recurrit, vel ſolus, vel Fauſto conjunctus: tu vide de eo Caſtellanum XV Octobris.

De miracl. ardentium. MUNERAT. In prima editione purus, in ſecunda adjungit: *Eodem die, ſanctæ Genovefæ & ſancti Marcelli, de miraculo ardentium, facto in eccleſia beatæ Mariæ Pariſienſis.*

Leonardi & Fauſti. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN & LOVANIEN. Adjiciunt textui: *Vendopera monaſterio, natale ſanctorum Leonardi & Fauſti confeſſorum.* In hoc tamen ULTRAJECT. ab aliis differt, quod Alexandrinos primo loco ponat, Linum vero Papam, ultimo.

ALBERG. & DANIC. Pridie diximus, Petrum Alexandrinum in his codicibus huc rejectum. De Lino egerunt XXIII Septembris. Hic in Alexandrinis & Amatore puri ſunt. In augmento de Leonardo & Fauſto cum codicibus præcedentibus conveniunt.

Alexandri. CENTULEN. De Lino, addit tempus regiminis, nempe *annos* XII, *menſes* III, *dies* XII. In Alexandrinis purus eſt. Amatori ſubſtituitur: *Eodem die, ſancti Alexandri epiſcopi & martyris, glorioſi in miraculis.* Vide Obſervationem, in fine.

De Lino. BRUXELLEN. De Lino addit: *Hic conſtituit, ut mulier intret eccleſiam capite velato: dæmones ab obſeſſis expulit, & mortuos ſuſcitavit, & multa miracula fecit. Quem tandem Saturninus conſul, diverſis pœnis afflictum decollavit. Eodem die, beati Alexandri epiſcopi. Qui ſub Anthonio Imperatore martyrii palmam ſuſcepit. Apud Alexandriam, natale ſanctorum martyrum Agricolæ, Fauſti preſbyteri, Elii & Ammonii. Qui cum beato Petro, ejuſdem urbis epiſcopo, jubente Maximiano decollati ſunt. Apud Tholoſam, Vendopera monaſterio, natale ſanctorum Fauſti & Leonardi confeſſorum. Item ſanctæ Genovefæ virginis.* Forte indicat miraculum, de quo MUNERAT. ſupra.

Fauſti & Leonardi. Genovefæ.

De Lino. HAGENOYEN. *Romæ, natale beati Lyni Papæ & martyris. Hic, ut quidam dicunt, primus poſt beatum Petrum erat Romæ Papa, cui non tamen beatus Petrus tantam dedit auctoritatem, ſicut Clementi. Hic conſtituit ex præcepto ſancti Petri, ut mulier* &c. fere ut BRUXELLEN. In Alexandrinis fere purus, in ultima purior eſt. *In monaſterio Vendopera, depoſitio ſanctorum confeſſorum Leonardi & Fauſti. In civitate Conſtancia, depoſitio ſancti Cunradi epiſcopi & confeſſoris. Hic ab ineunte ætate ſua devotus erat Deo, & ſocius fidus ſancti Odalrici, Auguſtæ civitatis epiſcopi.* Vide GREVEN.

Leonardi & Fauſti. Conradi.

AQUICINCT. & BURDEGALEN. *Vendopera monaſterio, natalis ſancti Leonardi confeſſoris. Et ſancti Flaviani confeſſoris.*

DAVERON. BIGOTIAN ſign. P. 5. & CISTERCIEN. S. Benigni. De Leonardo, ut ſupra.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Lini Papæ & martyris. Baſoli confeſſoris & eremitæ. Fauſti preſbyteri, Dedii.* [Dii] *& Ammonii, paſſi* [paſſorum] *cum beato Petro epiſcopo. Amatoris epiſc.* *Baſoli.*

REG. SUEC. ſub. num. 428. *Eodem die, ſanctæ Genovefæ, & ſancti Marcelli de miraculo ardentium in eccleſia beatæ Mariæ Pariſiis. Vendopera monaſterio, ſancti Leonardi confeſſoris. In Pago Remenſi, natalis ſancti Baſoli confeſſoris.* *Mirac. ard. Leonardi. Baſoli.*

VATICAN. ſub. num. 5949. Omiſſo Lino & Amatore, ſic habet: *Natale ſancti Nicandri in S. Sophia.* Tum de Petro Alexandrino. Demum *Romæ, beati Alexandri epiſcopi & martyris, ſub Antonino* &c. cum elogio, quod haud dubie ex Adonis Martyrologio acceptum fuerit.

FLORENTIN. *Tranſitus ſancti Gaudentii monachi, abbatis & confeſſoris, de partibus Hiſpaniæ, multiſque* [qui multis] *virtutibus clarus quievit in Domino. Sepultus eſt in abbatia, ad ſui nominis honorem fabricata Faſulanæ diœceſis in Thuſciæ partibus.* Hactenus conveniunt; puto ſequentia eſſe in ſolo STROZZIAN. *Ipſo die apud civitatem Avionenſem, in partibus Novariæ, S. Gaudentii, ejuſdem civitatis epiſcopi. In Vendopera* &c. habet *Leonis*, pro *Leonardi. S. Alexandri epiſcopi & martyris* &c. *Item ſancti Belini martyris, epiſcopi Paduani.* Vide Martyrolog. Romanum. *Gaudent. ab.* *Gaudent. ep.* *Leonardi* *Alexandri.* *Belini.*

CAUDIACEN. *Flaviani confeſſoris.* *Flaviani.*

REMENS SS. Tim. & Apoll. *In pago Remenſi, depoſitio ſancti Baſoli preſbyteri & confeſſoris.* *Baſoli.*

EDITIO LUBECO COL. Incipit à Petro Alexandr. inſerta viſione de veſte ſciſſa. De Lino alibi actum eſt. Sequuntur duæ annuntiationes aliæ puræ. Tum: *Vendopera monaſterio, natale ſanctorum Leonardi & Fauſti confeſſorum. Romæ, commemoratio ſancti Lini Papæ & martyris. Treveris, ſancti Sabaudi epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, ſancti Conradi, epiſcopi Conſtantienſis eccleſiæ & confeſſoris. In pago Remenſi, natale ſancti Baſoli epiſcopi & confeſſoris, multis virtutibus clari. Ipſo die, ſancti Mercuri martyris.* *Petri* *Leonard. &c* *Sabaudi.* *Conradi.* *Baſoli* *Mercuri.*

BELIN. Petro tribuit primum locum, ſed textu non ſatis puro. Tum: *Eodem die, ſancti Bellini martyris, epiſcopi Paduani.* Deinde de Alexandrinis non ſatis pure Purior eſt in tertia. De Lino ferme repetit annuntiationem antea poſitam XXIII Septembris. *Bellini.*

GREVEN. *Feſtum illationis beatæ Mariæ Virginis in templum Iheroſolymis, ſeu purificationis S. Annæ, die ſcilicet* LXXX *à partu ipſius. Apud Cæſaream Cappadociæ, ſancti Mercurii militis & martyris. Qui, ut dicit Cathalog. Sanctorum, cum magnus eſſet apud Decium, ſacrificare contemnens, fuſtibus cæditur, igne ſuppoſito aſſatur, ſed ſanguinis copioſa effuſione ignis extinguitur. Deinde iterum ignem verberaque ſuperans, capitis obtruncatione agonem ſuum conſummavit. Roma, tranſlatio ſanctorum Alexandri epiſcopi & martyris & Herculani juvenis. Item ibidem natalis ſanctorum Sirici & Saturnini. Sabaudi epiſcopi & confeſſoris. Conradi epiſcopi Conſtantienſis & confeſſoris. Qui ex Germania, clara ſtirpe progenitus, à beato Udalrico Auguſtienſi ac clero præfatæ eccleſiæ in epiſcopum* *De B.M.V.* *Mercurii.* *Tranſlat. Alex. &c.* *Sirici &c.* *Sabaudi.* *Conradi.*

pum assumptus, fide religioneque tantus exstitit, ut etiam super aquas ambulasse legatur. In pago Remensi, sancti Basoli episcopi & confessoris. In Aquileia, sancti Valeriani episcopi & confessoris. Mercurialis episcopi Livienſis & confessoris. In territorio Trecassino, sancti Justi confessoris. Berentgeri presbyteri, de quo in gestis B. Ydæ viduæ. De Leonardo & Fausto, ut supra. *Item, sanctæ memoriæ Joannis Ruysbroec presbyteri & confessoris, viri, ut ejus scripta testantur, illuminatissimi & devotissimi. Salomyæ virginis & viduæ, uxoris fratris sanctæ Elisabeth. Translatio beatæ Ydæ viduæ.*

Basoli. *Valeriani.* *Mercurialis.* *Justi.* *Berentgeri.* *Leonard.&c* *Jo. Ruysbr.* *Salomyæ.* *Transl. Ydæ.*

Molan. De Petro Alexand. ut Belin. De Miraculo ardentium, ex Munerat. De Basolo, ex Herinien. *Eodem die, beati Alexandri episcopi & martyris, sub Antonino imperatore: qui inter alia facta miracula, mortuum suscitavit. In Nicomedia, beati Marculi sacerdotis & martyris, qui temporibus Constantis regis tyranni, persecutiones maximas pertulit: ad extremum ab alta rupe præcipitatus est.* Vide editionem secundam pag. 234, & quæ in Auctariis heri diximus. *Romæ, Syricii episcopi.* Vide Exercitationem Florentinii. *Item Conradi episcopi Constantienſis. Eodem die, sancti Bellini martyris episcopi Paduani.* Deinde typis minoribus : *Quem immaniter interemit anno* MCXLIX *vir nobilis, sed avarus, Thomas Capivacius, à Bellino juste convictus atque judicatus ad solvendas decimas agrorum, quos sub diœcesi Patavina latius possidebat. Hic, cum cœpisset post mortem miraculis supra modum nitere, ab Eugenio* IV, *biennium post mortem in catalogo martyrum honorifice asscriptus est.* OEdipus hoc non explicet, nisi Eugenius III, pro Eugenio IV substituatur. Editiones aliæ primo loco agunt de Petro Alexandrino, multa Italico charactere de tunica scissa ex Adone adjicientes. De Lino non agitur. Reliqua textus pura sunt. Tum de Basolo, ex priori. De Conrado, Sebaudo [potius *Sebaldo*] Siricio, ut supra. *Die vigesima sexta, sancti patris Alipii Cionitæ.* Denique de Leonardo ut supra : de Bellino, & Miraculo ardentium, sicut in ed. prima.

Siricii. *Conradi.* *Bellini.* *Alipii.* *Leonardi.*

V *Kal.*

Die 27.

APud Bononiensem civitatem, natalis sanctorum martyrum Agricolæ & Vitalis, quorum posterior prioris servus fuit antea, nunc consors & collega martyrii. Denique cum cogeretur isdem à persequentibus, ut Christum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Jesum Christum, omnia tormentorum genera exercuerunt in eum. Novissimè beatum Agricolam interemerunt, cruci affigentes. In Galliis civitate Regensi, sancti Maximi confessoris, qui à primæva ætate virtutum omnium gratia præditus, primùm Lirinensis cœnobii pater, deinde Regensis ecclesiæ episcopus, signis & prodigiis inclitus extitit.

Agricolæ & Vitalis. *Maximi.*

Textus sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Rosweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.* Accedunt *Antverp-max. Lovanien.* & *Leyden-Belg.*

VARIA LECTIO. Greven. & Molan. incipiunt ; *Apud Bononiensem urbem.* Munerat. pejus habet *Viomensem* ; qui & post *denique*, male inserit *inde*. Notabilis est phrasis illa Usuardina, *Denique cum cogeretur*, ubi nihil præcedit, cujus ea particula conclusionem significet. Ceterum ita legisse Usuardum, evidenter probant codices omnes. Solus Antverp-maj. habet *antea fuit*, pro *fuit antea*. Sic legunt omnes *isdem*, Greven. & Molan. videntur voluisse emendare, per *idem*. Rosweyd. nimium sapit, dum post *exercuerunt in eum*, apponit *& occiderunt*. In solo Molano legitur *Regiensis* : scriptoris imperitia in Rosweyd. male formavit *Remensis*. Non melius scribit *Cirinensis*, pro *Lirinensis*, ac turpius Antverp-maj. *Sirutensis*. Ceterum omnes alii simpliciter *Lirinensis*. Rursus hic cum Greveno constructionem torquent, *signis inclytus & prodigiis extitit*. Rosweyd. & Max-Lubec. *inclitus fuit*.

OBSERVATIO. Sanctissimus Mediolanensis præsul & Ecclesiæ Doctor Ambrosius inter plures sanctorum Martyrum pretiosas exuvias, quas studiose quæsivit ipse, effodit & exaltavit, hos nostros Bononiæ patronos celeberrimos, è medio Judaicorum cadaverum, martyrii sui signis glorioſos eruit, & *cum magna fidelium lætitia* efferens, condigno veneratienis loco exposuit, unde in diversas orbis Catholici partes distributæ reliquiæ, Sanctorum gloriam mire propagarunt ; Porro eumdem illum inventorem suum, encomiasten nacti sunt *Agricola* & *Vitalis*, ut habes apud Ruinartium inter Selecta à pag. 514, cujus prævia admonitio historiæ elucidandæ peridonea est. Symbolam contulit Tillemontius tomo 5 à pag. 314 : quæ omnia Actis eorum illustrandis opportune subservient. Nec prætermittentur, quæ de Agricolæ & Vitalis gloria commemorat Turonensis Gregorius cap. 44, ubi ambos, non recte ad Ambrosii mentem, crucifixos

Agricolæ & Vitalis.

cifixos asserit. Hîc nobis præcipue incumbit Martyrologia excutere, in quibus ambo signati sunt, non IV Novembris, quemadmodum ex Belino, ni fallor, eos annotavit Baronius, sed hoc ipso die, Hieronymianis viam præmonstrantibus: *In Italia, civitate Bononia, Agricolæ & Vitalis*; ad quæ recte observat Florentinius, Gallicum scribam in Corbeiensi apographo, etiam ut ab Acherio editum est, Bononiam Italiæ imperite in Galliam transtulisse, ubi & alia notatu digna laudatus commentator diligenter animadvertit. Apud Bedam, Florum & Rabanum insignes ceteroquin martyres, noti non sunt; at in Romano parvo, habita potius martyrii quam dignitatis ratione, servus, recepto hodie in officiis nostris ecclesiasticis more, domino præponitur: *Bononiæ, Vitalis & Agricolæ martyrum.* Idem servat Ado, inventioni magis, quam passioni describendæ intentus, ac cum Gregorio Turon. narrans, ambos *crucifixos martyrium compleviſſe.* Melius Noster ex ipsis ferme Ambrosii verbis elogium suum contexuit, mutata nominum serie, quæ eadem est in Wandelberti versiculo, quo ita Sanctos prædicat:

Martyrio quintam Agricola & Vitalis honorant.

Maximi. *Maximus* Regiensis pure Adonianus est, iis verbis ab ipso laudatus, quæ pro majori parte Usuardus verbatim ex eo mutuatus est; relictâ clausulâ ultimâ, quæ in codicibus nonnullis infra restituitur. *Errore autem factum fuerat*, inquit Baronius, *ut Regium Lepidi, quod est in Gallia Cisalpina, poneretur loco Regii in Gallia Narbonensi.* Plura ibi curiose notat vir Eminentissimus, quæ proprio loco accuratius erunt expendenda, idque potissimum, utrum idem Maximus Regiensis dici possit, cui apud Teruanenses quadruplex assignatur solennitas; an longe verosimilius *alius ejus nominis, qui Viniæ obierit*, cum plurimis argumentis, ut ita statuat, premi se fateatur Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii pag. 270. Ceterum habuit Maximus Regiensis laudatorem egregium, non semel alibi memoratum, Dynamium patricium, cujus stylo castigando videtur Surius supersedere potuisse. Alii sunt, qui de Maximi gestis, virtutibus & miraculis scripserunt, inter quos laudatus supra Greg. Turonensis de Glor. Confess. cap. 83. Ex omnibus vitæ seriem adornavit Tillemontius tomo 16 à pag. 392.

AUCTARIA.

Martialis Vitalis &c. TORNACEN. Deficit in elogio Maximi Regiensis, in reliquis purissimus.

PULSANEN. Hunc textum profert: *Natale sanctorum martyrum Martialis, Vitalis & Agricolæ. Qui apud Bononiam Italiæ urbem, post varia tormenta, ultimo crucifixi martyrium compleverunt.*

De Maximo. ULTRAJECT. & LEYDEN-BELG. De Maximo ex Adone subnectunt dictam superius clausulam: *Hic inter alia gesta magnifica, tres mortuos vivens suscitavit, unum vero tactu loculi, quo ad tumulum vehebatur.*

ALBERG. & DANIC. De Agricola & Vitale egerunt IV Novembris. Hîc in Maximo purus est prior, alter Adonis verba adjicit, proxime citata. Ambo conveniunt in his: *Apud Nychomediam, natale sanctorum Marcelli, Petri & Serenæ. Mediolani, natale sanctorum Johannis, Severi & Eusemiæ.* De his vide Hieronymiana.

Marcelli &c. Joannis &c.

Textus mutatus. CENTULEN. *In Italia, civitate Bononia, sanctorum Vitalis & Agricolæ, qui post alia tormenta crucifixi, martyrium compleverunt. Quorum corpora, cum inter Judæos essent sepulta, ipsis revelantibus beatus Ambrosius levavit & digne recondidit. In territorio Bononiensi* [puto hîc intelligi Bononiam Picardiæ] *depositio sancti Maximi Regensis ecclesiæ episcopi, vitæ sanctitate & miraculorum gloria illustrissimi.*

BRUXELLEN. In Agricolæ & Vitalis elogio, non multum differt à præcedenti, sed cum PULSANEN. supra, ipsis præponit nomen *Marcialis.* Pergit: *Apud Nycomediam, natale sanctorum martyrum Marcelli* &c. Tum in Mediolanensibus, etiam ut supra. *Augustoduno, natale sancti Amatoris episcopi & martyris.* Vide quæ diximus pridie. Sequitur: *Item depositio sanctæ Odæ, filiæ, ut fertur, regis Scotorum. Quæ apud Rodum in Texandria Brabanciæ vivens peregrina, loci fundatrix, deguit; & nunc corporaliter patrona quiescit.* Vide Martyrologium Romanum. Maximus hîc prætermissus est, positus XXIV Novembr.

Marcell &c. *Amatoris. Odæ.*

HAGENOYEN. Turpiter labitur in principio: *Apud Honomensem civitatem* &c. De reliquo textus, puro proximus est, etiam in Maximo, cui sola Adonis clausula adjungitur. Tum: *Apud Persidem, passio beati Jacobi militis, cognomento Incisi. Hic ex civitate Elape ortus fuit de nobilibus parentibus & Christianis, & ipse Christianus erat, & uxorem Christianam habuit. Hic regi Persarum valde familiaris fuerat, & ob ejus amorem conversus est ad idolatriam; quem mater & uxor ejus cum scandalo revocaverunt, dicentes se amodo nolle secum commorari; unde pœnituit & se Christianum confessus est, & idcirco cultellis membratim incisus. Primo præciderunt digitos, secundo pedicas, deinde pedes, postea brachia; demum suras crurum usque ad femur utriusque cruris, & non remansit in eo* [nisi] *solus truncus: novissime unus carnificum iratus abstulit caput ejus, & Christi martyrem illum fecerunt.* *De Jacobo Inciſo.*

CODEX Ursini à Rosemberg. De Nicomediensibus & Mediolanensibus, ut ALBERG. &c.

DAVERON. *In pago Bituricensi, sancti Esichii confessoris.* Castellanus legit *Eusitii.* *Esichii.* al. *Eusitii.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Agricolæ & Vitalis martyrum. Maximi Regiensis episcopi. Siffridi episcopi & confessoris.* Vide Castellanum, à quo in indice vocatur *Sigisfridus. Papinii & Mansuets episcoporum & martyrum. Rufi martyris cum sociis suis.* Duæ hæ posteriores annuntiationes spectant ad diem sequentem. *Siffridi. Papinii &c. Rufi &c.*

ALTEMPS. *In territorio Bathoniensi, sancti Congari confessoris.* Castellanus scribit *Cungari*, inter *Aemeros*, seu certo cultûs die carentes. *Congari.*

FLO-

FLORENTIN. *In Hiſpaniis, ſanctorum martyrum Secundi & Primitivi.* Tum ſolus STROZZIAN. *In Antiochia, ſancti Baſilei epiſcopi, & ſancti Saturnini. Pariſius, depoſitio ſancti Severini monachi & ſolitarii.* De Severino vide Caſtellanum hoc die, & Uſuardum XXIII Novembr. De Baſileo &c. vide Martyrologium Romanum.

Secundi &c. *Baſilei &c.* *Severini.*

EDITIO LUBECO-COL. In prima, poſt hæc verba *exercuerunt in eum*, inſerit, *ita ut non eſſet in corpore ejus ſine vulnere locus; ipſe autem ad Dominum oravit, in qua oratione migravit ad Chriſtum.* Quæ ferme Ambroſii verba ſunt, ex quibus patet, Vitalem crùci affixum non fuiſſe. Poſt *affligentes*, addit notam temporis: *Diocleciani & Maximiani imperatorum temporibus.* In Maximo Adoniana eſt: *In Gallis, civitate Regenſi, ſancti Maximi confeſſoris, & epiſcopi, qui à primæva ætate, omnium virtutum gratia præditus, primum Lirinenſis cœnobii, deinde Regenſis eccleſiæ epiſcopus, ſignis & prodigiis inclytus extitit; nam inter alia geſta magnifica tres mortuos juvenes, uno tactu loculi, reſuſcitavit.* Sequitur de Nicomedienſibus & Mediolanenſibus, ut jam ſupra non ſemel. Tum: *Apud Perſidem, natale ſancti Jacobi militis & martyris, interſciſſi mirabiliter. Apud Maguntiam, depoſitio ſanctæ Bilhildis viduæ, quæ extitit abbatiſſa multarum devotarum matronarum. Eodem die, beatorum Acharii, Noviomagi, & Optati epiſcoporum & confeſſorum. In pago Bituricenſi, ſancti Eſichii confeſſoris. Ipſo die, beatorum Secundi & Primitivi confeſſorum.* Vide alteras MOLANI editiones, ubi *Facundi* &c.

De Agricol. & Vitale. *De Maximo.* *Marcelli &c.* *Joannis &c.* *Jac. Interc.* *Bilhildis.* *Achorii & Optati.* *Eſichii.* *Secundi & Primitivi.*

BELIN. Prima annuntiatio poſita eſt IV Novembris. Hìc de Maximo bene. Tum: *Vendopera monaſterio, ſancti Leonardi confeſſoris.* Vide Auctaria die præcedenti *In Antiochia, ſancti Baſilei epiſcopi & ſancti Saturnini. Pariſius, depoſitio ſancti Severini, monachi & ſolitarii. Item ſancti Jacobi Interciſi, martyris conſpicui.*

Leonardi. *Baſilei &c.* *Severini.* *Jacobi.*

GREVEN. *In Perſide, ſancti Jacobi martyris, cognomento Interciſi. Qui cum eſſet regi Perſarum notiſſimus, & inter optimates primus, pro fide Chriſti crudeli & diuturno cruciatu membratim mutilatus, ad ultimum gladio percuſſus, martyrium conſummavit. In Nicomedia, natalis ſanctorum Marcelli, Petri, Sereni, Nemorii. Apud Galatiam, Facundi & Primitivi martyrum. Item ſecundum Catalogum hic, Barlaam & Joſaphat. Mediolani, ſanctorum martyrum Joannis, Severi & Eufemiæ. Virgilii epiſcopi Salisburgenſis & confeſſoris. Syfridi epiſcopi Veredacenſis. Acharii & Optati epiſcoporum Noviomenſium & confeſſorum. In pago Bituricenſi, ſancti Eſechii confeſſoris. In Francia, Mennæ virginis. Apud Maguntiam, ſanctæ Bilhildis viduæ, abbatiſſæ multarum &c. Monaſterii Wile, ſanctæ Electæ virginis.*

Jacobi. *Marcelli &c.* *Facunda &c.* *Barlaam &c.* *Joannis &c.* *Virgilii.* *Syfridi.* *Acharii &c.* *Eſechii.* *Mennæ.* *Bilhildis.* *Electæ.*

MOLAN. *Vendopera monaſterio, ſancti Leonardi confeſſoris. In Antiochia, ſancti Baſilei epiſcopi, & ſancti Saturnini. Pariſius, depoſitio* &c. Item de Jacobo Interciſo, verbatim ex BELIN. Lein typis minoribus: *Apud Galatiam, Facundi & Primitivi. Item ſecundum Catalogum hic, Barlaam & Joſaphat, quorum actus mirandos Joannes Damaſcenus ſcripſit. Syfridi epiſcopi Veredacenſis.* De Eſichio, ut ſupra; *Apud Maguntiam, S. Bilhildis viduæ, abbatiſſæ multarum devotarum matronarum. Quæ fundavit monaſterium veteris Cellæ in Maguntia, ſacrarum virginum; quod hodie albarum habet nomen dominarum. Eodem die apud Græcos, ſancti Simeonis Metaphraſtæ, cujus vitam encomiaſtica oratione deſcripſit Pſellus.* Aliæ editiones de ſolo Maximo. Tum de Baſileo & Jacobo Interciſo, ut ſupra. Dein: *In Gallecia, juxta fluvium Ceiam, natalis ſanctorum Facundi & Primitivi martyrum, quibus poſt multa ſupplicia ſuperata, duæ coronæ ab angelis delatæ ſunt. Quod Atticus prætor accipiens, capita, inquit, amputentur, ne ſit locus coronis.* De Oda, ut BRUXELLEN. *Moguntiæ, natalis ſanctæ Bilhildis viduæ ſanctimonialis. Quæ a clero & populo Moguntino ſepulta eſt in baſilica, quam ſuis ipſa ſumptibus exædificari curaverat. Ipſo die, ſancti Acharii epiſcopi Noviomenſis & confeſſoris. Ipſo die apud Græcos, ſancti Simeonis, qui Metaphraſtæ cognomen obtinuit.* Interſcriptores Græcos, qui vitas Sanctorum collegerunt, celeberrimus eſt, ſancti etiam nomen apud ipſos promeritus. Necdum prodiit Actorum metaphraſticè ab ipſo exornatorum Græca collectio. Surius ex Lipomano pleraſque Latinè redditas edidit, quæ criticorum ingenia pridem occuparunt. Multa de ejus ſtylo, fide, ætate, in Actis noſtris ſparſim dicta ſunt: alia ab Allatio de Simeonum ſcriptis. Si hodiernis hypercriticis nimium creditur, brevi tota ejus metaphraſis exauctorata, ad tineas & blattas amandabitur. Noſtra opinio eſt, Metaphraſtis ornamenta, hinc inde vitis Sanctorum, licet paulo liberalius inſerta, non magis in hiſtoria ſacra, quam profanorum hiſtoricorum in profana, fraudi eſſe aut vitio verti oportere.

Syfridi. *Acharii &c.* *Eſechii.* *Mennæ.* *Bilhildis.* *Electæ.* *Leonardi.* *Baſilei &c.* *Severini.* *Jacob.* *Facundi* *Lucian. &c* *Syfridi.* *Eſichii* *Leonidis.* *Sim. Metaph.* *Facundi &c.* *Odæ.* *De Bilhilde.* *De Metaph.*

IV *Kal.* *Die* 28.

APud Corinthum, natalis beati Soſtenes diſcipuli ſancti Pauli, cujus mentionem facit idem Apoſtolus ſcribens Corinthiis. Eodem die apud Africam, ſanctorum martyrum Papinii & Manſueti epiſcoporum, qui tempore Wandalicæ perſecutionis, pro fidei Catholicæ defenſione, candentibus ferri laminis toto corpore aduſti, glorioſum agonem conſummaverunt. Romæ, ſancti Rufi, quem cum omni domo ſua Diocletianus punitum Chriſto martyrem fecit.

Soſthenis. *Papinii & Manſueti* *Rufi.*

Conveniunt *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp. & Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven. Molan.* Adde *Antverp-max. Ultraject. Leyden. & Lovanien.*

VARIA LECTIO. Scribendum erat *Soſthenis* ex Romano parvo & Adone, niſi forte Roſweydus utrumque emendaverit. Certe codicum nullus ita habet, ne Molanus quidem, qui poſuit *Soſthenes*; unde ex omnibus fere aliis cenſendum, Uſuardum ſcripſiſſe ut eſt in textu. Sic rurſus in codicum nullo reperitur recte ſcriptum *Papiniani*, at hoc mirum non eſt, quandoquidem Romanum parvum æque ac Ado etiam poſuerint *Papinii*; nonnulli codices male *Papini*. Solus Belinus legit *ferreis laminis*. Antverp-maj. & Max-Lubec., Greven. & Molan. poſuerunt *Chriſti martyrem fecit*: nos tamen cum Praten. Herinien. & aliis ſervandum putavimus *Chriſto martyrem fecit*, tanto magis, quod in ea lectione Ado præceſſerit. Munerat. neutrum poſuit, ſed eam vocem plane omiſit. Belin. ſenſum tranſpoſuit: *Martyrem Diocletianus Chriſto fecit.* Reliqua errata ſunt, *Corrinthum*, *Chorinthiis*, *aput*, *Affricam*, *Aphricam*, *Vandalicæ*, *defenſionem*, pro *defenſione*, *Ruffi* &c.

Soſthenis. *OBSERVATIO.* Nec apud Hieronymianos nec in ſerie Bedæ *Soſthenem* ullum reperire eſt; contra vero in Romano parvo & Adone aut duo ſunt, aut idem bis repetitur, nempe XI Junii poſt Barnabam, & hoc die; videturque annuntiationum varietas diverſitatem aliquam haud obſcure deſignare. Romanum parvum, cujus auctorem Apoſtolicos viros collegiſſe ſæpe diximus, ſic habet XI Junii: *Et Soſthenis apud Corinthum, diſcipuli Pauli*; hîc vero aliis characteriſticis: *Soſthenis, diſcipuli Apoſtolorum.* Eamdem plane phraſim ſecutus Ado priori loco: *Eodem die apud Corinthum, S. Soſthenis, diſcipuli S. Pauli Apoſtoli*; poſteriori, ſeu hoc die: *Natalis S. Soſthenis Apoſtolorum diſcipuli.* Euſebius Valeſii libro I hiſtoriæ cap. 12 Soſthenem aliquem in numero LXXII diſcipulorum reponit; quamvis Rufinus cap. 14 alium ſenſum reddiderit. In hodierno Romano ſumitur Soſthenes pro principe Synagogæ, qui Actorum cap. 18 *ante Gallionem proconſulem acriter verberatus, præclaro initio, fidei ſuæ primordia conſecravit.* Supponitur nimirum, hunc Soſthenem ibi adhuedum Judæum, eumdem eſſe cum eo, quem Apoſtolus ipſe ſibi ſocium jungit, dum primam ad Corinthios epiſtolam ſic orditur: *Paulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater.* Attamen non male obſervat Caſtellanus, ſatis incompertum eſſe, ſaltem ex citatis Apoſtolorum Actibus, utrum & quando Soſthenes ille Synagogæ princeps ad Chriſti fidem adductus fuerit. Interim ſi Romani parvi & Adonis mentem recte aſſequor, puto ab ipſis Soſthenem Euſebii, Apoſtolorum diſcipulum, ſeu inter LXXII, unum, diſtingui à Soſthene fratre, qui à Paulo & cum Paulo in epiſtola ad Corinthios nominatur, ita ut hic XI Junii, ille hoc die ab ipſis celebretur. At Uſuardi noſtri alia plane ſententia, qui unicum Soſthenem, ut ſanctum agnoſcens, unicum hîc Apoſtoli diſcipulum, in laudata epiſtola memoratum, recolendum ſuſcepit. De veritate identitatis vel diſtinctionis, alibi diſputabitur; uti & de epiſcopatu Colophonis, quem ſolius Dorothei vadimonio non facile admittemus. Wandelbertus hodie Silam cecinit, de quo nos cum Uſuardo XIII Julii. Hic verſus eſt: *Silas Paule tuus quartam comes auget & ornat.*

Papinii & Manſueti. De Wandalica in Africa perſecutione non ſemel in ſuperioribus agendum fuit. Epiſcopi duo hoc die conſignati, potius in ipſa prima barbarorum deprædatione, quam in aperta & declarata perſecutione paſſi ſunt, ut vide apud Victorem Vitenſem, ſub ipſum hiſtoriæ ſuæ initium ita loquentem: *Quanti & quam numeroſi tunc ab eis cruciati ſunt ſacerdotes, explicare quis poterit? Tunc enim & noſtræ civitatis venerabilis Papinianus antiſtes, candentis ferri laminis toto aduſtus eſt corpore: ſimiliter & manſuetus Uricitanus, in porta incenſus eſt Fornaria.* Primus annuntiationem ex Victore formavit auctor Romani parvi: *In Africa, Papinii & Manſueti epiſcoporum.* Ut non verear aſſerere, hiſtoriam illam Africanam peculiarem fontem fuiſſe, ex quo præfatus auctor Sanctos acceperit. Ado martyrii genus, ut vides, ferme ex laudato Victore deſumens, plures alios epiſcopos, non tamquam vere martyres, aut horum martyrum ſocios, ſed ut confeſſores fidei, exiliis variis ſubinde damnatos, conjunxit, ut in Auctariis infra ſupplebimus, ſed in enumeratis nominibus præfatus Ado hinc inde errare videtur. Porro eorum aliqui propriis diebus referuntur, ut Valerianus XV Decembris &c. Uſuardus ſolitum ducem preſſè ſecutus eſt.

Rufi. *Rufus* à Romano parvo & Adone, in annuntiationum ordine, ſecundo loco refertur, à primo, his verbis: *Et ſancti Rufi martyris, cum omni domo ſua per Chryſogonum lucrati.* Hæc eadem non multo longiori oratione extendit Ado, poſtrema hæc, ab Uſuardo deſcripta, addens: *Quem cum omni domo ſua Diocletianus punitum Chriſto martyrem fecit:* unde patet, quod in Variantibus de hac phraſi diximus. Rufi & Chryſogoni Actorum eadem eſt ratio; vide quæ dicta ſunt XXIV Novembris.

AUC.

AUCTARIA.

TORNACEN. Puriſſimus eſſet, niſi deficeret in brevi Softhenis elogio.

Silæ. ROSWEYD. In toto textu ſatis purus, in fine adjicit: *Item Silæ Apoſtoli, qui erat diſcipulus ſancti Pauli Apoſtoli.* Diximus, ab Uſuardo poſitum eſſe XIII Julii.

PULSANEN. In Softhene mutilus, ſcribit: *Natalis ſancti Soſtenes, diſcipuli Apoſtolorum.* Secundo loco habet: *Eodem die, ſancti Rufi martyris, quem Dominus Jeſus Chriſtus cum omni domo ſua per beatum Chriſogonem* ... abſciſſa eſt linea. Sequitur de Africanis, in quorum elogio iterum deficit, prima annuntiationis parte etiam abſciſſa.

Gregorii 3. ALBERG. & DANIC. Puri etiam in textu, hanc ei commemorationem præfigunt: *Romæ, natale S. Gregorii tertii Papæ & confeſſoris. Hic ſynodum nongentorum trium epiſcoporum in urbe Roma congregavit, in qua veneraciones ſanctarum imaginum confirmans, earum violatores generali ſententia anathematiſavit.*

Textus mutatus. CENTULEN. *Natale ſancti Soſtenes, diſcipuli Apoſtolorum. Eodem die ſancti Rufi, quem Dominus Jeſus cum omni domo ſua per Chriſogonum confeſſorem ſuum lucratus eſt. Item eodem die* [apud] *Africam, ſanctorum Papini & Manſueti epiſcoporum & martyrum, cum quibus alii epiſcopi, id eſt, Quodvultdeus Carthaginenſis, Valerianus, Urbanus, Creſcens, Habensdeum, Etheus, Tiatius, Creſcentianus, Creſcontius, Felix, Hortolanus, & Florentianus pari confeſſione, curſum vitæ peregerunt.* Nomina aliqua luxata & confuſa ſunt, vide infra MOLAN. vel potius Adonem ipſum.

Silæ. BRUXELLEN. In prima, ſatis purus, ſubjungit: *Et ſancti Sylæ Apoſtoli, qui cum beato Paulo, gentibus Chriſti Evangelium prædicavit.* In Rufo, etiam ſatis bene. Tum: *In Syria, natale ſanctorum martyrum Triphini, Theodoli, Eucherii, Lulii & Euſebii.* Vide Hieronymiana. De Africanis, inſerit, *ſub Genſerico rege Arriano.*

Triphini & ſocior.

De Gregor 3 Demum: *Romæ, natale beati Gregorii tercii Papæ & confeſſoris. Qui in ſecreta Miſſæ adjunxit: Quorum ſolempnitas hodie in conſpectu majeſtatis tuæ Domine Deus noſter, in toto terrarum orbe celebratur. Sinodum quoque fere mille epiſcoporum in urbe Roma congregavit, in qua veneraciones ſacrarum ymaginum confirmans, eorum violatores* &c. ut ALBERGEN ſupra.

De Gregorio HAGENOYEN. In textu, à puritate ſolum deficit, quod Rufum ſecundo loco, Africanos tertio repoſuerit. Sequitur: *Romæ, natale beati Gregorii tercii Papæ & confeſſoris. Hic ſynodum in urbe Romana nongentorum & trium epiſcoporum congregavit, propter confutandam Leonis imperatoris hæreſim, qui imagines Chriſti & Sanctorum combuſſit, & alios hoc idem facere præcepit; quem Leonem ipſe anathematizavit, & quia ſe corrigere noluit, Romam, Italiam & Hiſpaniam ab ejus jure diſcedere fecit, & vectigalia ei interdixit. In quo concilio veneraciones ſacrarum imaginum confirmatæ ſunt, atque violatores earum, generali ſententia anathematizavit. Hic obſeſſus erat a Longobardis, & liberatus per Carolum Martellum, obiit in pace.* Aliqua hîc miſcentur, alibi accuratius explicanda.

VICTORIN. & REG. SUEC. ſub num. 130. Alium Gregorium celebrant, hoc modo: *Item Romæ, ſancti Gregorii quarti Papæ, qui rexit Eccleſiam annis decem.* Tempus quadrat. Greg. III. *Gregorii 4.*

MATRIC-CARRUS-ULTRAJ. Ex textu nihil. Sic habet: *Sileæ Apoſtoli. Gregorii Papæ tertii. Hic confirmavit in concilio pene mille epiſcoporum veneracionem ſacrarum imaginum.* *Sileæ. Gregorii 3.*

FLORENTIN. *Romæ, Gregorii Papæ tertii.* *Ejuſdem.*

EDITIO LUBECO-COL. De Gregorio, primo loco habet, ut ALBERGEN. ſupra. Tum de Softhene, ſatis pure. In Africanis ſubdit nomina aliorum epiſcoporum, ſed pleraque mutila, aut mutata, quæ melius infra dabimus. Tertiam ſic format: *Item Romæ, ſancti Rufi conſularis, quem cum omni domo, Dominus Jeſus Chriſtus per Chryſogonum martyrem lucratus eſt, perſecutione Diocletiani imperatoris, per ſe punitum. Apud Viennam, ſancti Philippi, ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris. In territorio Valencenenſi, cœnobio Criſpini, depoſitio ſancti Landolini confeſſoris, qui à beato Autberto Cameracenſi epiſcopo, de ſacro fonte levatus eſt.* Neſcio, cur hi Sancti hoc die referantur. *Gregorii 3. De Ruſo. Philippi. Landelini.*

GREVEN. *Sileæ Apoſtoli, quem Uſuardus habet tertio Idus Julii. In Syria, natalis ſanctorum Trophimi, Theodoli, Eucherii, Julii & Euſebii. Item in Aphrica, ſanctorum epiſcoporum, quorum nomina ſunt, Quodvultdeus Carthaginenſis, Valerianus, Urbanus, Creſcens, Habetdeum, Euſtachius, Creſcentianus, Creſconius, Felix, Ortolanus, Florentianus. Hi omnes, ut dicit Ado, propter veritatis confeſſionem ſub Wandalica perſecutione graviſſimo damnati exilio, in confeſſione pietatis, curſum vitæ ſuæ conſummaverunt. Romæ, beati Gregorii tertii Papæ & confeſſoris. Vienne, Philippi epiſcopi & confeſſoris. Theodoli confeſſoris. Liberiæ virginis & martyris. Odæ virginis, filiæ regis Scotiæ.* *Sileæ. Trophimi & ſocior. De epiſcopis Africanis. Gregorii. Philippi. Theodori. Liberiæ. Odæ.*

MOLAN. Aliis litteris etiam ex Adone textui inſerit: *Quo in tempore etiam alii ſancti epiſcopi, id eſt, Quodvultdeus Carthaginenſis, Valerianus, Urbanus, Creſcens, & qui vocatur Habetdeum, & Euſtachius, Creſconius & Creſcentianus, & Felix, & Hortulanus, & Florentianus, damnati exilio, curſum vitæ ſuæ conſummaverunt.* Vide Obſervationem. In fine adjicit: *Gregorii Papæ, qui rexit Eccleſiam annos decem: ſepultus eſt in eccleſia beati Petri Apoſtoli.* Dein typis minoribus: *Odæ virginis, filiæ regis Scotiæ, quæ apud Rhodum in Alexandria Brabantiæ corporaliter patrona requieſcit. Item, ſancti Acharii epiſcopi Noviomenſis & confeſſoris.* Editiones poſteriores idem habent de epiſcopis Africanis in textu, & in fine de Gregorio. Tum: *Die vigeſima octava, ſancti hoſio-martyris Stephani junioris;* & typis minoribus: *Incluſi apud ſanctum Auxentium. Cujus pedem rudente ligantes, duxerunt uſque ad, ea quæ ſunt Pelagia a prætorio. Ubi & diſcerpentes eum, projecerunt honorabiles ipſius reliquias in biothanatorum locum, eo quod multos monuerit & adduxerit ad monaſticam vitam, atque contemnere regias dignitates, atque pecunias perſuaſerit.* Hoc elogium ſupra, ex prima MOLANI editione, retulimus XX hujus menſis, quo die de Stephano etiam agit GREVEN. Sed melius poſteriores hæ editiones ipſum hoc die collocarunt. Vide totam celebris hujus Stephani hiſtoriam late deductam apud Surium. *De epiſcopis Africanis. Gregorii. Acharii. Stephani.*

III *Kal.* *Die* 29.

Vig. Andr. Saturnini & Siſinnii. VIgilia ſancti Andreæ Apoſtoli. Romæ via Salaria, natalis ſancti Saturnini martyris & Siſinnii diaconi, ſub Maximiano principe, quos in carcere diu maceratos juſſit præfectus Urbis in equuleo levari, & attrahi nervis, & fuſtibus ac ſcorpionibus cædi. Deinde juſſit eis flammas ad latera apponi, & depoſitos de equuleo capite truncari. *Saturnini Toloſani.* Eodem die apud Toloſam, beati Saturnini epiſcopi, qui in capitolio ejuſdem urbis, à paganis tentus, atque à ſumma capitolii arce per omnes gradus præcipitatus, capite colliſo, excuſſoque cerebro & omni corpore dilaniato, dignam Chriſto animam exhalavit.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Accedunt *Albergen.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. In altera Greveni editione, quam ſequimur, ante *via Salaria*, per incuriam omittitur *Romæ.* Aſt hoc parum eſt, modus annuntiandi in utraque editione, prope effecit, ut à puris excluderetur, cum Adonis potius, quam Uſuardi phraſim editiones illæ ſectentur, his verbis: *Natalis ſancti Saturnini martyris, Sennis & Siſinnii diaconorum.* De qua re fuſius infra in Obſervatione. Nec Molanus plane integer eſt; legit enim *Saturnini martyris, & ſancti Siſinnii.* Belinus præter alia male ordinata, male ſcripta & interpuncta, poſt, *juſſit eis flammas*, cum Antverp. & Max-Lubec. omittit, *ad latera.* Solus Molan. pro *capite truncari*, ſcribit, *capite detruncari.* Cetera ferme errata typographica ſunt, ut *Dyaconi, Siſinii, Maximo, eculeo, excuſoque, exalavit* &c.

Vig. Andr. OBSERVATIO. Romani parvi vetuſtatem inter alia ſatis clare demonſtrat paucitas Vigiliarum in eo codice ſignatarum; quo eodem argumento utitur alicubi Florentinius, ut de codicum ſuorum antiquitate ſtatuatur. Itaque nec in Hieronymianis, nec in præfato Romano parvo reperitur, notata in textu *Andreæ Apoſtoli vigilia.* Eſt autem in Beda, ſi vere Bedæ ſunt verba annuntiationi Saturnini ſubjuncta, quæ apud Rabanum deſiderantur: eſt & in Kalendariis Allatii & Frontonis, etiam ſecundo loco; ſed Ado primum ei tribuit, ex quo in Noſtrum tranſiit. Turbata eſt & auctior in codicibus Hieronymianis *Saturnini* celebris Romani martyris commemoratio, dum ita ſcribunt: *Saturnini & Siſinnii.* *Romæ, Araſonis, Saturnini, Criſanti & Dariæ, Mauri & aliorum* LXXII, vel ut habet Epternacenſe vetuſtiſſimum, *aliorum* LX; ſed hic codex clarius incipit: *Romæ, Saturnini* &c. Veroſimillimum eſt, quod accurate obſervat Florentinius; corrigendum nempe ac emendandum commemorationis principium ex fragmento vetuſtiſſimi Kalendarii Bucheriani, ubi ſic legitur, non XXX Decembris, ut vult Tillemontius, ſed III *Kal. Decembris, Saturnini in Thraſonis*; ſic videlicet, ut pro *Romæ, Araſonis*, reſtituatur, *Romæ ad Thraſonis.* Tu ibi de Thraſonis cœmeterio plura invenies. Ceterum apud Adonem ex ſancti Marcelli Papæ Actis habemus, martyrum noſtrorum corpora *collegiſſe Thraſonem cum Joanne presbytero, & ſepeliviſſe in prædio ſuo via Salaria.* Alia ibidem notat Florentinius de Chryſanto & Daria, quorum celebritati dicatos eſſe varios dies, vetera ipſa Martyrologia oſtendunt, quemadmodum patebit die I Decembris. Ut ad Saturninum redeamus, recolunt ipſum laudata Kalendaria Allatii & Frontonis, ſed ſolum & incomitatum; Beda cum ſuis, ſocios adjungit *Sennem* ac *Siſinnium*, quorum priorem ſcripſit Rabanus *Serium*; editor vero Caniſius, *ſenem* formandum putavit, ut ſit *Saturnini ſenis*: rectiſſime, opinor, & vere, quamquam ſecundùm Bedæ & Adonis elogia, *Sennes* proprium martyris nomen omnino importet, quem tamen in ſancti Marcelli Actis fruſtra quæſiveris. Ita quoque legerat Romanum parvum: *Romæ, Saturnini martyris, & Sennis & Siſinnii diaconorum.* Noſter, conſulto, haud dubie, fonte, ſolerter advertit, expungendum *Sennis* vocabulum, ſervatis dumtaxat Saturnino & Siſinnio, quorum geſta narrantur in laudatis ſancti Marcelli Actis, cum Papiæ, Mauri, Cyriaci, Largi, Smaragdi, aliorumque paſſionibus, alibi expenſis & porro diligentius expendendis. Saturnino, non Siſinnium, ſed Maurum jungit Wandelbertus, an autem illum innuat, qui cum Papia colitur XXIX Januarii, an alium, de quo fuſius agit Florentinius, mihi hactenus incompertum. Sic canit:

Tertiam Saturnine tibi Mauroque dicamus.

Exiſtimat

Exiſtimat Caſtellanus in adjecta Martyrologio ſuo univerſali notula, Saturninum noſtrum alterum, Toloſatium apoſtolum, Saturnino Romano in ſacris Tabulis ſubjunctum eſſe a codicum Hieronymianorum ſcriptoribus, quod in Actis ejus verum martyrii diem non repererint. Valeat conjectura, quantùm ad diem obitûs attinet; at enim, ſi Corbeienſem codicem excipias, ita alii Saturninum ſignant, ut vel Nannetenſem, vel Hiſpanum aliquem epiſcopum prædicare videantur. Hæc eſt Corbeienſis, etiam ut ab Acherio editus eſt, expreſſior commemoratio: *In Gallia, civitate Toloſa, natalis Saturnini epiſcopi & martyris.* Pluribus Sanctum exornavit Martyrologus Viennenſis, diverſa plane phraſi, ab ea quam Floro tribuant Majores noſtri, licet ſatis appareat, utrumque elogium ex iiſdem Actis profluxiſſe. Acta ipſa, ſane egregia, inter Sincera & ſelecta recenſuit Ruinartius à pag. 109, ad cujus eruditam admonitionem lectores remitto, ne hic repetam, quæ ibi diligenter obſervata ſunt, uti & apud Tillemontium tomo 3 a pag. 297. Conſuli etiam poſſunt prædicta Acta apud Surium hoc die, cum iis quæ in Saturnini laudem diſſeruit Greg. Turon. de Glor. Martyrum cap. 48. *Saturnini Toloſani.*

AUCTARIA.

THORNACEN. Caret elogio Saturnini epiſcopi Toloſani; in reliquis purißimus.

ROSWEYD. Hic iterum aliqua ex Hieronymianis admiſcet, in prima quidem purus, ſed ſecundam ſic enuntians: *Romæ, natale ſanctorum martyrum Criſanti, & Dariæ virginis, qui poſt multas, quas pro Chriſto lucrati fuerant, paſſiones, juſſi ſunt a Numeriano imperatore, via Salaria in arenario deponi, & viventes terra & lapidibus obrui.* Elogium eſt Uſuardi ex 1 Decembris. Sequitur ex prædictis codicibus: *Item beati Mauri & aliorum* LXXII. Tum de Saturnino Toloſano, ſatis recte. Deinde: *Natale ſancti Radbodonis, Trajectenſis epiſcopi.* Demum litteris majuſculis hîc in fine ponitur: *Vigilia ſancti Andreæ.* *Chryſanthi & Dariæ.* *Mauri &c.* *Radbodonis.*

PULSANEN. In Vigilia, recte. Pergit: *Eodem die apud Toloſam, ſancti Saturnini epiſcopi. Item eodem die, ſancti Saturnini martyris, & Senis, & Siſinnii diaconi, ſub Maximiano imperatore.* *Saturnini, Sennis &c.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Omnes adjiciunt: *Eodem die, ſancti Radbodi epiſcopi & confeſſoris.* *Radbodi.*

CENTULEN. *Vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli. Romæ, ſanctorum Saturnini & Sennis & Siſinnii diaconorum, ſub Maximiano imperatore. Apud Tholoſam, ſancti Saturnini epiſcopi & martyris, ſub Decio cæſare. Item Romæ, ſancti Chriſanti & Dariæ virginis, tempore Numeriani.* *Chryſanthi & Dariæ.*

BRUXELLEN. In Vigilia purus, ſubdit: *Romæ, natale ſanctorum martyrum Criſanti, Mauri & Dariæ virginis. Qui cum nullo genere tormentorum lædi poſſent, jubente Numeriano imperatore, tandem pro Chriſto decollati, terra & lapidibus obruti ſunt. Et Romæ via Salaria, natale ſancti Saturnini epiſcopi & martyris, & Sennis, & Siſinnii diaconorum. Qui à Maximiano imperatore dumpnati ſunt ad fodiendum arenam, ad faciendas thermas Dyocleſianas, & deinde ipſos in carcere diu maceratos .... Quorum corpora dum Joannes preſbyter collegiſſet, Traſon vir chriſtianiſſimus, via Salaria in ſuo prædio ſepelivit. His autem in medio certamine poſitis, duo milites, Sapias* [pro *Papias*] *& Maurus Chriſto crediderunt, qui mox comprehenſi ſunt, ut geſta Marcellini Papæ declarant.* In Saturnino Toloſatium epiſcopo modice interpolatus eſt hoc modo: *Apud Tholoſam, natale ſancti Saturnini epiſcopi. Qui temporibus Decii in capitolio ejuſdem urbis à paganis tentus, atque à ſumma capitolii arce, per omnes gradus præcipitatus, capite colliſo excuſſoque cerebro; & toto corpore dilaniato, dignam Chriſto animam exhaluvit.* *Chryſan &c.* *De Saturn. Senne &c.*

In fine ſubjungit: *Ipſo die, depoſitio Bernardi, qui fuit Latinorum primus Nazarenæ eccleſiæ epiſcopus.* *Bernardi.*

HAGENOYEN. In prima pars, ſecundo loco agit de Saturnino Toloſate, hæc ex Actis ſuo modo & ſtylo componens: *Apud Toloſam, natale ſancti Saturnini epiſcopi & martiris, qui ab Apoſtolorum diſcipulis epiſcopus eſt ordinatus, & illic eſt miſſus, & ipſo civitatem ingredientem* [vult dicere *ingrediente*] *dæmones à reſponſis in ydolis ceſſabant. Tunc unus ſacerdotum dixit, quod niſi Saturninum occiderent, à diis penitus nil obtinerent. Et Saturninum nolentem ſacrificare apprehendentes, ad pedes thauri ligaverunt, eumque ſtimulis agitantes, a ſumma arce per gradus capitolii præcipitaverunt, ſicque caſte confracto & cerebro excuſſo, & toto corpore debilitato martyrium conſummavit.* Tum: *Eodem die, Romæ via Salaria, natale ſanctorum martyrum Saturnini militis & Syſinnii dyaconi, quos præfectus, ſub Maximiano principe, diu in carcere & in vinculis maceratos, in eculeum levari juſſit, nervis attrahi, fuſtibus & ſcorpionibus cædi.* Demum: *Apud Mediolanum, natale ſanctorum martyrum Johannis, Severi & Euſemiæ.* Vide Hieronymiana die XXVII. *Joannis &c.*

AQUICINCT. Pro *Salaria*, ſcribi, *Appia.* In fine autem: *Romæ, ſancti Gregorii Papæ. Hic conſtituit in Canone à ſacerdote dicendum: Quorum ſolemnitas hodie in conſpectu tuæ majeſtatis celebratur.* Item: *Inter quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte.* *Greg. P P.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Saturnini martyris. Radbodi epiſcopi Trajectenſis, cujus corpus Daventriæ requieſcit in eccleſia ſancti Libuini.* *Radbodi.*

VATICAN. ſub num. 5949. *Eodem die, ſancti Mauri martyris.* Vide Florentinium.

EDITIO LUBECO-COL. In prima & ſecunda, ſatis pura, in ultima ſic interpolatur, poſt *epiſcopi: Qui tempore Decii imperatoris in capitolio ejuſdem urbis à paganis tentus, eo quod ad ejus præſentiam omnes ipſorum dii muti facti, nullum ſacrificantibus, ex more, poſſent dare reſponſum, thauro ad victimam præparato funibus religatus eſt, quo vehementius ſtimulato, à ſumma capitolii &c.* In fine ſubjungitur: *Daventriæ, natale ſancti Radbodi epiſcopi Trajectenſis inferioris & confeſſoris.* *De Saturn. Toloſano.* *Radbodi.*

GREVEN. *Mauri martyris. Secundum aliquos hîc, Criſanti & Dariæ, qui infra Kalendis habentur. Apud Ravennam, ſancti Siſinnii epiſcopi. Eodem die apud Daventriam, ſancti Radbodi epiſcopi Trajecti inferioris, confeſſoris. Qui circa annum Domini* XC [lege DCCCC] *illi prælatus eccleſiæ,* *Mauri. Criſanti & Sysinn ep. Radbodi.*

ciesia, decem & septem annis sacerdotium virtute conspicuus administrans, culmen abstinentiæ sic apprehendere studebat, ut etiam à familiarissimis vix animadverti posset. Ipso die secundum Cathalogum, Pasnutii abbatis. Item sanctorum Marci, Mariæ.

Popbnutii. Marci &c.

MOLAN. In fine: *Item, sancti Radbodi Trajectensis episcopi & confessoris in Daventria.* Tum typis minutioribus: *Item obitus venerabilis Idæ de Nivella, monialis cœnobii de Rameya, Ordinis Cisterciensis, in patria Namurcensi* Editiones aliæ litteris Italicis, post *capite truncari*, textui inserunt: *Scriptum est in gestis Marcelli Papæ.* In fine: *Item in Daventria, sancti Radbodi* &c. *Die vigesima nona, sanctorum martyrum Paramoni, & Philumeni. Et sancti Acacii, qui fuit in gradu.* De Ida, eadem hîc habentur quæ in priori, & eodem charactere.

Radbodi. Idæ.

Paramoni & Philumeni. Acacii.

Pridie Kal. *Die* 30.

Andreæ. IN civitate Patras, provinciæ Achaiæ, natalis sancti Andreæ Apostoli, qui etiam apud Scithiam prædicavit. Hic beatissimus, ab Egea proconsule comprehensus, primò in carcere est clausus, ac deinde gravissimè cæsus, ad ultimum vero in cruce appensus, biduo inibi supervixit. Apud Sanctonas, sancti Troiani episcopi, magnæ sanctitatis viri, qui sepultus terris, cælo se vivere multis virtutibus manifestat.

Troiani.

Puri sunt *Praten. Herinien. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.* Accederent undecim alii, nisi in fine adjicerent *passionem sanctæ Justinæ.*

VARIA LECTIO. In minutiis versatur. Scripsi *Scithiam* cum majori codicum numero, licet hîc vel ipse Grevenus recte habeat *Scythiam.* Sic *Egea* cum omnibus, excepto Pratensi, haud dubie emendato, & Molan. In Munerat. est *ibi*, pro *inibi*: & in Antverp-maj. *manifestabat*, pro *manifestat.*

Andreæ. OBSERVATIO. Andream à Græcis *Protocletum* seu primo vocatum appellari consueviſſe tradit Papebrochius in Ephem. Græco Moscis ante tomum 1 Maii pag. 111; nec quidquam impedit, quo minus eodem sensu à nobis dicatur *Proto-Apostolus*, seu primo Apostolus electus, & inter primos publico & celebriori cultu in universa Ecclesia donatus, ut pluribus demonstrari posset, nisi sufficerent Tabulæ omnes ecclesiasticæ antiquissimæ, Kalendaria, Sacramentaria, Martyrologia. Non reperiri Andreæ nomen in Bucherianо, mirum nemini videbitur, qui meminerit, Kalendarium istud ita urbis Romanæ proprium fuisse, ut solas duas annuntiationes extraneas, nempe Perpetuæ & Felicitatis, ac Cypriani contineat. At vetustam cultus extensionem ostendit Kalendarium Carthaginense, in quo diserte ponitur, ... *Kal. Decembr. sancti Andreæ Apostoli & martyris*; ubi vix tres alii Apostoli in toto illo Kalendario inveniuntur. Alia non percurro, ut Martyrologiis inhæream, inter quæ Hieronymiana nullum Apostolum tot repetitis festivitatibus celebrant; an ubique vere, controversum est; nec admitti posse censeo, quod nonnulla posuere x Februarii, dum pro altero *Andreæ* & *Aporio* sive *Apponio*, sub Herode in Bethleem Judæ martyribus, irrepsisse videtur *Andreas Apostolus* sicuti eo die observavit Henschenius, Florentinio post multas ambages illius demum opinioni ferme subscribente. Consulat curiosus lector Florentinii notas & exercitationes ad Indiculum Apostolorum à pag. 116. Est præterea in prædictis apographis v Februarii, *ordinatio episcopatus Andreæ Apostoli.* Rursus IX *Madii*, *Mediolano* commemoratio aliqua, *in basilica ad portam Romanam*; quo die nos cum Usuardo fusius egimus de Andreæ, Lucæ & Timothei translatione Constantinopolim. Sed translatio alia in Hieronymianis indicatur III Septembris. Adde *dedicationem basilicæ sancti Andreæ*, III Novembris: ac demum hoc die: *In Achia*, vel *in provintia Agagiæ*, *civitate Patras*, *natalis sancti Andreæ Apostoli.* Ex quibus assertam nuperrime S. Andreæ cultûs celebritatem abunde evinci perspicies. Romani parvi annuntiatio simplicissima est: *Andreæ Apostoli.* Item Bedæ, geminatis dumtaxat verbis: *Natale sancti Andreæ Apostoli.* Quæ paulo plenius habent Florus & Rabanus, cum Adonis elogio, inter Festivitates Apostolorum relato, conferri nequeunt. Sumpsit hic ex celeberrimis Actis, sub Achaiæ presbyterorum & diaconorum nomine ab omni ferme ævo Christiano circumferri solitis; ex Adone autem textum suum huc Noster transtulit. Circa præfata Acta nutasse Baronium *apocryphorum timore* advertit Florentinius citato loco; nec sane dubitare potuit perspicacissimus Annalium ecclesiasticorum parens, quin à Manichæis aliisque hæreticis vel farta, vel temerata, vel interpolata fuerint, saltem prout olim exstitere

&

& ab Euſebio aliiſque rejecta novimus. Utrum vero ex Florentinii ſententia ab *erroribus repurgata* vel *non eadem* ſint, quæ in paſſionalibus tum Mss. tum typis excuſis paſſim reperiuntur, operoſius alibi erit examinandum. Mihi certe non videtur rejicienda narratio tot Patrum ſuffragiis corroborata, ob falſariorum corruptelas aliquas & depravationes, à quorum impiis manibus nec ipſæ ſacræ Litteræ intactæ remanſerunt, quemadmodum in opere de eo argumento, non ita pridem edito, eruditiſſime probavit noſter Bartholomæus Germon, videndus omnino à pag. 221, toto cap. 2 ex Philaſtrio Brixienſi, ſeculi quarti ſcriptore, oſtendens, prima aliqua & genuina Andreæ Acta, turpiſſimis hæreticorum inquinamentis fœdata & conſpurcata fuiſſe. Paucula hîc ex viri doctiſſimi mihique amiciſſimi ſolide ſtatutis delibo: *Crediderim*, inquit, *epiſtolam ideo inſcriptam eſſe nomine presbyterorum & diaconorum Achaïæ, quia quæ in ea habentur, pleraque deſumpta ſunt ex vetuſtioribus S. Andreæ Actis, quæ reipſa primitus à diſcipulis ejuſdem Apoſtoli ſcripta, ab hæreticis poſtea miſere fœdata & corrupta; deinde ſtudio & cura alicujus Catholici ſcriptoris, circa finem ſeptimi ſeculi aut initium octavi expurgata ſunt ab erroribus & fabulis, quibus, perfidiâ hæreticorum, erant referta.* Firmat conjecturam ſuam argumentis pluribus, ac notanter egregio laudati Philaſtrii teſtimonio, quo datur intelligi, ſcripto diſcipulorum Andreæ Apoſtoli de ejus geſtis libro hæreticos ADDIDISSE, ET EX EO TULISSE, QUÆ VOLUERUNT. Tu vide ibi reliqua à Germonio præſtantiſſime deducta. Nihilominus diffiteri non poſſum, talia eſſe Tillemontii argumenta tomo I à pag. 589, ut vel reluctantibus formidinem injiciant de ipſius, etiam ut repurgatæ, presbyterorum Achaïæ relationis omnimoda ſinceritate. Habet ſcriptor præfatus ſatis nitidam vitæ Andreanæ ſeriem ex indubitatis documentis contextam, citato tomo à pag. 317. Videri quoque poſſunt obſervationes Motherii ad hunc diem & pag. 442. Porro ex prægrandi de Andreæ gloria Sauſſayi volumine, aliiſque monumentis, dubia omnia quæ circa tempus, locum, modum martyrii, aliaque plura occurrunt, ſuo tempore in Actis noſtris diſſolventur. Hîc poſtremo locum damus ſatis eleganti metrico Wandelberti encomio:

Andreas pridie præcellet Apoſtolus, amplis
Virtutum fulgens radiis tituliſque per orbem,
Qui indomitos verbo ſigniſque ſubegit Achæos.
Brumalem hæc claudunt populorum vota Novembrem.

Qui ſecundo loco refertur *Troianus* Sanctonenſis epiſcopus, ab Adone ex Turonenſi Gregorio de gloria Confeſſorum cap. 59 acceptus, atque in ſacros Faſtos primùm relatus eſt, ipſiſſimis ferme Gregorii verbis, quæ textum noſtrum etiam componunt. Siquid præterea memoratu dignum de Troiano reperiatur, à nobis ſuo loco illuſtratum dabitur. *Troiani.*

AUCTARIA.

TORNACEN. In Andrea purus, deficit in ſolo Troiani elogio.

ROSWEYD. Incipit miniatis majuſculis litteris, atque in ea prima annuntiatione ſatis purus eſt; ſecundam ſolum producit uſque ad, *ſanctitatis viri.*

PULSANEN. In prima habet uſque ad *prædicavit*; in ſecunda puriſſimus eſt.

ANTVERP. MAX-LUBEC. UGHELLIAN. BELIN. & ANTVERP-MAX. cum ſex aliis mediæ notæ codicibus, textui puro adjiciunt: *Eodem die, paſſio ſanctæ Juſtinæ virginis*, vel, *Eodem die, ſanctæ* &c. Omnes pro *Troiani*, ſcribunt *Trophiani*; at BELINI ſecunda editio, emendatius *Troiani.* *Juſtinæ.*

CENTULEN. *Apud Achaiam civitate Patras, paſſio ſancti Andreæ Apoſtoli, ſub Egea proconſule, qui etiam apud Scithiam prædicavit. Sanctones, ſancti Troiani epiſcopi, magnæ virtutis viri.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. De Andrea, cum textu pure incipiens, inſerit, *fratris beati Petri. Qui etiam apud Scithiam prædicavit, & poſt apud Achayam ab Egea proconſule captus, in carcere clauſus, graviſſime cæſus, ac tandem cruci appenſus eſt, in qua biduo ſupervixit. Cujus oſſa ſacra, viceſimo anno Conſtancii imperatoris, Conſtantinopolim tranſlata ſunt.* Vide IX Maii. In ſecunda purus eſt. Tum: *De Andrea.*

In Aquileya, depoſitio ſancti Valeriani epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die, paſſio ſanctæ Juſtinæ virginis. Valerianus in Auctariis recurrit XXVI, in Romano ponitur XXVII Novembris. *Valeriani. Juſtinæ.*

HAGENOYEN. De Andrea longiorem hiſtoriam modo ſuo coagmentavit, cujus pars prior ex Euangelio habetur. Quid de altera, imo & de prima ſentiendum ſit, ſtatuere lector poterit. En hiſtoriam: *In civitate Patras, paſſio ſancti Andreæ Apoſtoli. Hic erat filius Johannis, de vico Bethſayda, & frater Petri Apoſtoli. Hic etiam primus fuit diſcipulus Johannis Baptiſtæ, ad cujus vocem ipſe Johannem reliquit & Chriſto adhæſit, & primus & ſecundus Apoſtolus Jeſu Chriſti erat. Hic adduxit Petrum fratrem ſuum ad Jheſum & illum convertit. Ipſe cum aliis Apoſtolis, vivente Domino, prædicavit, baptizavit & miracula fecit; articulum Symbulo adjecit. Sythiam poſt paſſionem Domini in ſortem accepit ſuæ prædicationis. In Mirmidonya Matheum Apoſtolum oculis privatum illuminavit, & abire fecit. Et cum ibi puniretur, orando eos convertit, & eccleſias ædificavit, epiſcopos ſicut in Sythia ordinavit, mortuos quadraginta unum ſuſcitavit, ydola confregit & dæmones ejecit. Demum Patras civitatem ingreditur, & multos ibi convertit cum Maximilla, uxore Egeæ. Ubi ab Egea pro-* *De Andrea.*

proconsule capitur, carceri includitur, durissime verberatur, funibus ad crucem ligatur, ut diutius vivat, & amplius torqueatur. Ipse autem biduo in cruce vixit, & populum docuit, & in luce magna exspiravit: Egeas vero male moritur, & omnis populus ad Deum convertitur. Hæc satis longa est narratio. In secunda, purus est. Deinde addit:

Idæ V. M. *Ipso die, sanctæ Idæ virginis & martyris passio.* Idas virgines & viduas, seu Sanctas seu Venerabiles novimus; quæ sit hîc Ida martyr, ignoramus. Sequitur demum: *Apud Nicomediam,*

Marcelli & socior. *natale sanctorum martyrum Marcelli, Petri & Serenæ.* Vide Auctaria XXVII Novembris.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Andreæ Apostoli. Troiani episcopi & confessoris.*

In VATICAN. sub. num. 5949. Adjicitur:

Amatoris. *In Mediolano, sancti Amatoris episcopi.* An, *Ambrosii de perceptione baptismi*, ut habetur hoc die in Hieronymianis?

Justinæ. FLORENTIN. *Sanctæ Justinæ virginis.*

EDITIO LUBECO-COL. Post *Apostoli*, sequitur

De Andrea. *germanus* [pro *germani*] *Petri Apostoli. Hic primo fuit discipulus sancti Johannis Baptistæ, sed post necem sancti Johannis, à Christo Jesu vocatus est in Apostolum. Qui etiam post ascensionem Domini apud Scithiam euangelizavit Christum. Hic beatissimus ab Ægea proconsule comprehensus, primo in carcere..... Cujus sacratissimum corpus Maximilla potentissima matronarum, reverenter de patibulo depositum sepelivit.* In Troiano pura est. Tum: *Ipso die, passio sanctæ Justinæ virginis & martyris.*

GREVEN. *Romæ, natalis sanctorum Castuli, Maurili, Centuli & Theodoli. Eodem die, festivitas sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi.* Vide de his apographa Hieronymiana. *Tugdualis episcopi & confessoris.* Apud Castellanum est *Pabutugdualt*, formatum quasi à duplici nomine, quo Gallice appellatur *Pabut* & *Tugal. Ravennæ, beati Petri episcopi & confessoris.* Vide infra ad diem II Decembris. Dubium non est, quin hîc indicetur Petrus ille celeberrimus, cognomento *Chrysologus. Justinæ virginis & martyris.* *Castuli &c.* *Ambrosii.* *Tugdual.* *Petri.* *Justinæ.*

MOLAN. Cum BELIN. & reliquis superius: *Eodem die, passio sanctæ Justinæ virginis.* Vide de hac notatiunculam Castellani. In editionibus aliis solum additur: *Et baptismus sancti Ambrosii.* Unde hæc ultima annuntiatio accepta sit, intelligi debet ex MOLANI epistola ad lectorem § 11 & 12. Ceterum de Ambrosii baptismo in aliis codicibus Usuardinis nihil usquam inveni. Vide supra in VATICAN. quæ ex Hieronymianis diximus; nempe, *Ambrosii de perceptione baptismi.*

MENSIS

I. B. Tongelinx fecit

MENSIS DECEMBER

Habet Dies XXXI.

Kalendis. *Die* 1.

ROmæ, natalis ſanctorum martyrum Criſanti & Dariæ virginis, qui poſt multas, quas pro Chriſto lucrati fuerant paſſiones, juſſi ſunt à Numeriano imperatore via Salaria in arenario deponi, atque illic viventes terra ac lapidibus obrui. Item Romæ, ſanctorum martyrum Diodori presbiteri & Mariani diaconi, cum aliis pluribus; qui jubente præfato principe martyrii gloriam celebrarunt. Apud civitatem Moguntiam, natalis beati Albani martyris. Item civitate Noviomo, ſancti Eligii epiſcopi & confeſſoris, cujus vitam admirandam multiplex ſignorum numerus commendat. Ipſo die, ſanctæ Nathaliæ, uxoris ſancti Adriani martyris. Civitate Narnia, ſancti Proculi presbiteri.

Chryſanthi & Dariæ.

Diodori, Mariani &c.

Albani. Eligii. Nataliæ. Proculi.

Integri & puri ſunt *Praten. Herinien. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Cogor ſcribere *Criſanti* ex omnium codicum lectione, excepto Pratenſi, in quo eſt *Chriſanti*, & Molano, in quo ſolo rectius *Chryſanthi*. In Munerat. eſt *arenaria*. Greven. & Molan. duriuſcule legunt *ac illic* pro *atque*. Solus Greven. habet *Diodoli* & *celebraverunt*. In *Moguntiam*, variant; major numerus ſtat à textu. In Greven., *civitate Novio*, typographi errorem puto. Codices omnes pro textu citati & probatiores quique, conſtanter ſcribunt *Nathaliæ* ac *Proculi presbiteri*.

OBSERVATIO. In vetuſtis Martyrologis, non uno die recoli *Chryſanthum & Dariam*, diximus XXIX Novembris. In exemplaribus Hieronymianis neque XXV Octobris neque hoc die ſignati reperiuntur; at illa ſic habent XII Auguſti: *Romæ, natalis ſanctorum Chryſanthi & Dariæ, & qui cum eis paſſi ſunt, Claudius, Helaria, Jaſon, Maurus & milites* LXX. Ponuntur denuo bini noſtri XXIX Novembris, ubi in Obſervatione textum attulimus: verum neutro die aut *Diodorus* aut *Marianus*, inter eorum ſocios connumerantur. Ceterum XXIX Novembris eos adoptavit Sacramentarium Thomaſii, ipſis ferme Hieronymianorum verbis, cum *Saturnino*, *Mauro* &c. eademque ſe-

Chryſanthi & Dariæ.

cutus est vulgatus Florus. Quid Wandelbertus velit XIII Octobris, haud equidem satis intelligo. Allatii & Frontonis Kalendaria solos Chrysanthum & Dariam commemorant XXV Octobris, quem diem eorum festivitati solenni stabiliter consecravit Romanum modernum, non ex Rabano, quem Baronius non novit, sed, nisi fallor, ex Belino aliisque codicibus Usuardinis auctioribus. At certum est, male pro eo die adduci Usuardum ipsum, qui hîc à consuetis ducibus, nec ad latum unguem deflexit. *Diodori, Mariani &c.* Sic loquitur hoc die Romanum parvum : *Romæ, Chrysanthi & Dariæ martyrum, et Diodori & Mariniani, cum infinita multitudine martyrum.* Sequitur Ado, scribens etiam *Mariniani*, longioremque totius martyrii historiam eleganter contrahens, ex quo Noster primas duas laterculi sui annuntiationes formavit, quæ ab aliis non recte divulsæ sunt, quamquam fatear, non omnino constare, quo die omnes, vel eorum, qui in Chrysanthi Actis memorantur, aliqui passi fuerint. Quid, quod Acta ipsa, ut à Lipomano & Surio ex Metaphraste edita sunt, non magnam fidem mereantur, teste Baronio ad annum CCLXXXIV num. 7, ubi *corrupta* pronuntiat, *& in impostura suspicionem adducta eruditis ipsa exactius disquirentibus.* Disquisivit, non ita pridem, Tillemontius tomo 4 pag. 762, multaque reperit, quæ eminentissimi Annalistæ censuram confirment. Utrum vero reperturi simus *exemplaria breviora* & *fideliora*, *Latine conscripta*, de quibus ibidem meminit Baronius, necdum compertum habeo. Ceterum de vero martyrio & prisco in universa Ecclesia cultu, dubitare prorsus non sinunt, relata hîc monumenta certissima, præter ea, quæ habet Greg. Turon. de Gl. Mart. cap. 38. De sanctorum translationibus vide Mabilionem sec. 4 Benedict. p. 1 pag. 611; & Surium XVII Januarii.

Albani. De *Albano* Moguntino pluribus egimus in Auctariis XXI Junii, quo die à Rabano & Notkero consignatus est. Primus & solus Usuardus hunc diem delegisse videtur, forte quod tunc Moguntiæ festive eum recoli intellexisset; at in hoc major Rabano, ecclesiæ Moguntinæ antistiti habenda fides, qui hoc die, non natalem Albani, sed *dedicationem basilicæ* ejus expressissime notavit, unde non video, quid faciat notula Castellani, XXI Junii apposita, quasi 1 Decembris, passionis dies censeri debeat. Atque hæc hoc loco *Eligii.* sufficiant, cetera ad Albanum spectantia, operosè in Actis illustrata invenies. *Eligius* Noviomensis, ut inter Flandrorum, Brabantinorumque Apostolos merito computatur, ita singulari & perpetua veneratione totâ patriâ nostrâ celebrari consuevit. Is ab Adone in sacros Fastos certo relatus est, forte ex aliquo codice Hieronymiano auctiori, cui adjectitium censet Florentinius, utpote cum absit à vetustiori Epternacensi. Noster ipsum ex Adone transumpsit, phrasi nonnihil modificata. Quæ plenius recitat Florus, huc non pertinent. Notissima est inclytissimi Sancti vita ab Audoëno Rothomagensi composita, cujus an genuinum uspiam exstet apographum, necdum inter eruditos convenit. Surius exemplar suum non fideliter reddidit; integrior est, quam vulgavit Acherius Spicilegii tomo 5 : quid de nostra manuscripta, cum pluribus codicibus collata, censendum sit, accuratius suo loco discutietur. Solum Eligium, cum mensis principio, hodie cecinit Wandelbertus. Hoc distichum ad Sanctum spectat :

Eligius, Noviome, tibi sub luce Decembrem
Primâ designat condigno præsul honore.

Natalia, Adriani martyris conjux, à Romano parvo diserte ponitur VIII Septem- *Natalie.* bris : *Et Natalie.* Ado eodem die sub finem historiæ, asserit, ipsam *Bizantium enavigasse, & post paucos dies adventus sui dormitionem accepisse; sepultam* vero *Kalendis Decembris.* Satis patet, hinc ansam cepisse Usuardum, ut Nataliam hoc die collocaret. De reliquo videri possunt, quæ de mariti Actis diximus VIII Septembris. Majus negotium facessit *Proculi.* *Proculus Narniensis*, nulli alteri antiquo Martyrologo cognitus. Proculi multi sunt, nam in codicibus Hieronymianis recurrunt plusquam tredecim, sic tamen ut soli duo dies reperiantur, quibus Proculus aliquis *Interamnæ* tribuatur, nempe die XIV & XVIII Aprilis, ubi certum puto, eumdem bis consignari. An iterum recurrat 1 Maii, non æque clare perspicio; verum nisi vehementer fallor, de uno eodemque agitur, quemadmodum & apud Adonem XIV Februarii ex XIV Aprilis, quo postremo die nos cum Usuardo de Proculo egimus, nihil supra Henschenium conjectare ausi, uti nec modo audemus. Interim Proculos alios satis certos novimus, Bononiensem, Veronensem, Puteolanum, Augustodunensem &c. In Proculis Umbriæ hæret aqua. Quis sit Iteramnensis ille *episcopus & martyr*, in manuscripto S. Cyriaci confuse relatus *Interamne sive Narnis*; qua vero causa eumdem Baronius hoc die, à Gothis decollatum asserat; unde vero hodiernum *presbyterum Narniensem*, acceperit Usuardus; incertissima videntur omnia. Non mirum facit Noster, si erret, dum duces suos deserens, extra Galliæ aut Hispaniæ limites evagatur. At quiscumque hodiernus Proculus sit, non ut *martyr* aut *episcopus*, sed ut *presbyter* dumtaxat, ab Usuardo clarissime describitur. Rem prorsus implicarunt codices recentiores, ut ostendent Auctaria. At vero labyrinthum conferere videntur philopa-

philopatrides illi, Proculos æquè ac Sanctos alios mirum in modum multiplicantes; quibus ad veritatem, quantum fieri poterit reducendis, insignem dissertationem, supra à nobis VII Novembris laudatam, paravit noster Janningus, alibi edendam, ad quam satius est lectores remittere, quam incertis intricatisque observationibus, eos fatigare diutius. Videri interim possunt Acta nostra ad I Junii pag. 50 & 79.

AUCTARIA.

TORNACEN. Deficit in secunda annuntiatione; cetera pura sunt.

ANTVERP-MAJ. Caret secundo & tertio textus articulo.

ROSWEYD. Deest prima, secunda pura est. Tum: *Item Romæ, Candidæ virginis.* *Candidæ.* De Albano, nihil. Tres ultimæ satis puræ sunt. Adjicit: *Mediolani, translatio sancti Ambrosii episcopi & confessoris. Candidi episcopi, confessoris.* *Translat. Ambrosii. Candidi.*

PULSANEN. Caret duabus primis. In solo Albano purus est. Tum: *Eodem die, Eligii Noviomensis episcopi. Apud Bizancium, Nicomediæ, natalis S. Nathaliæ, uxoris S. Adriani martyris. Ipso die, sancti Candidi.* *Candidi.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. UGHELLIAN. ALTEMPS. & codices mediæ notæ ferme omnes, Proculo addunt titulum, non *presbyteri*, sed *martyris*. Hi autem quatuor in fine adjiciunt: *Ipso die, Mauri martyris.* Vide Florent. XXIX. Nov. *Mauri.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVAN. Præter dictum de Proculo, in fine habent: *Virduni, transitus sancti Aggerici*, vel *Agerici episcopi.* *Agerici.*

ALBERG. & DANIC. Eadem habent, sed primam posuere XXV Octobris. Deest etiam Albanus. In reliquis satis puri sunt.

CENTULEN. Incipit ab Albano, pure. Tum: *In Francia, civitate Noviomo, transitus beatissimi atque sanctissimi Eligii, antistitis precioso, cujus vitam atque gesta beatus Audoënus episcopus veraci stylo describit. Civitate Bizantio, dormitio sanctæ Nathaliæ, uxoris* &c. Desunt reliqua. *Textus mutilus.*

BRUXELLEN. Incipit ab Eligio, pure: Tum: *Romæ, sanctorum Candidæ, Lucii, & Marinæ, Amboni & Filati, Crisanti, Mauri & Dariæ.* *Candidæ & aliorum.* Plura hîc ex Hieronymianis commiscet. Sequitur de Diodoro & Mariano, satis pure. De Natalia, ut PULSANEN. Deinde: *Et commemoratio sanctorum martyrum Papini & Mansueti episcoporum, quorum natalicius dies fuit* IV *Kal. Decembris. Apud Maguntiam, sancti Albini martyris.* De Proculo & Agerico, ut codices mediæ notæ supra citati. *Papini & Manjueti. Agerici.*

HAGENOYEN. De Chrysantho & Daria longum elogium modo suo confecit, quod hîc non lubet describere. Secundo loco agit de Natalia, pure. Tum de Diodoro & Mariano, utcumque bene. Sequitur: *Civitate Noviona, depositio sancti Eligii episcopi & confessoris; qui ab ineunte ætate à parentibus aurifaber erat, & nihilominus propter divinum cultum, quem in corde suo gessit, fabricam suam rexit oratione* [magis] *quam operatione. Hic per miraculum à Deo ostensum, episcopus est effectus. Quantis tunc virtutibus claruit, non est facile enarrare, cum ipse omnibus omnia factus sit. Hic moriens, non solum orabat Dominum pro plebe sibi commissa, sed summe Dominum rogavit, ut dignum illi post se statueret pontificem, & obiit in pace. Cujus vitam admirandam signorum ante mortem & post mortem, multiplex numerus commendat.* *Eligii encomium.*

DAVERON. *Civitate Cenomannis, sancti Domnoli episcopi & confessoris.* Vide Castellanum. *Domnoli.*

AMBIANEN. *Eodem die, sancti Constantiani abbatis & confessoris, qui tres mortuos suscitavit.* *Constantian.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Albani martyris, apud Maguntiam. Candidæ virginis. Chrisanthi & Dariæ. Arvisani & Maximæ.* Vide GREVEN. *Agerici Virdunensis episcopi. Nataliæ, uxoris sancti Adriani martyris.* *Candidæ. Anisani. Agerici.*

VATICAN. num. 5949. Agit de solis Eligio & Proculo, prætermissis reliquis.

FLORENTIN. *Natale sancti Euasii episcopi & confessoris.* Vide Romanum die sequenti. *In civitate Karnia, sancti Proculi martyris. Item, sancti Mauri martyris. Romæ, Candidæ virginis & martyris. In territorio civitate Senarum, sancti Ansani martyris. Apud Ravennam, sancti Petri archiepiscopi & confessoris.* Vide die sequenti. *Euasii. Mauri. Candidæ. Ansani Petri Rav.*

LUXOVIEN. *Virduni, quæ est civitas Galliæ provinciæ, transitus beati Agerici confessoris Christi, qui decimus civitatis illius extitit episcopus, & adeo multis clarus virtutibus enituit, ut siquis infirmus de manu ejus eulogias susciperet, protinus sanitatem reciperet.* Est in Romano. *De Agerico.*

EDITIO LUBECO-COL. De Chrysantho & Daria subnectit, *sicque migraverunt ad Christum, & nunc per translationem ab urbe Romana, Monasterio Eyfflia requiescunt.* In secunda, satis pura est. Sequitur: *Item Romæ, sanctorum Fabini, Latini, Superati, Lucii, Candidæ, Marinæ, Ambonis & Philati confessorum.* Quidni *martyrum? Apud Bizancium civitatem, quæ dicitur Constantinopolis, natale sanctæ Nataliæ viduæ, uxoris* &c. In Eligio, pura est. De Proculo, ut supra. De Agerico, ut LUXOVIEN. *Treveris, recluso S. Simeonis confessoris.* *Chrys. &c. Fabini &c. De Agerico. De Simeone.*

BELIN. Prima posita est XXV Octobris: hîc secunda, utcumque. Tertia, recte. Quinta, ut supra. Sexta, satis pure. Hinc: *Eodem die, sancti Mauri martyris. Item civitate Novienſi, sancti Eligii episcopi & confessoris. Romæ, natale sanctorum martyrum Grisanti & Dariæ. Ipso die, sancti Euasii episcopi & confessoris.* In altera, additur: *Floriaco monasterio, susceptio reliquiarum sancti Martialis episcopi.* *Mauri. Chrys. &c. Euasii. De Martial.*

GREVEN. *Romæ, natalis sanctorum Fabini, Latini* &c. *In Aphrica, Victoris, Rogati & aliorum* XIX. *Ipso die, sanctorum martyrum Anisani & Maximæ virginis. Quorum Anisanus, nobilis Romanus, à Prothasio presbytero fidem Christi edoctus, & à sancta virgine Maxima, de sacro fonte levatus, cum eadem postmodum, persecutione Diocletiani & Maximiani, ob eamdem fidem occisus, martyrii palmam accepit. In Italia, in suburbio Cassali, natalis sancti Euasii episcopi & martyris. Virduni, sancti Agerici episcopi & confessoris. Qui decimus illi ecclesiæ præsidens, tantis emicuit virtutibus, ut quisquis infirmus de manu illius eulogias recepisset, protinus sanitatem optatam consequeretur. Candidi episcopi. Materniani archiepiscopi Remensis & confessoris. Translatio capitis sancti Martini episcopi. Treveris, recluso sancti Simeonis confessoris.* Agitur de celebri Simeone Syracusano, cujus Acta ab Henschenio illustrata sunt die I Junii. *Fabini &c. Victoris &c. Anisan. &c. Euasii. Agerici. Candidi. Materniani. De cap. Mar. De Symeon.*

De Eligio multa. MOLAN. De Eligio, post *confessoris*, Italicis textui inserit, *atque patroni hujus ecclesiæ.* Deinde post *commendat*, typis minoribus; *Hic multas Sanctorum fabricavit tumbas. Multum in Flandris laboravit: jugi instantia Andoverpis pugnavit, multosque erroneos Suevos convertit. Fana nonnulla Christi clypeo protectus, cum Apostolica authoritate destruxit, idola quoque diversi generis, ubicumque invenit, funditus subruit. Inter hæc autem frequenter ab ingrato & perfido populo lacessitus & pene usque ad contumeliam provocatus, nullatenus à cœpta doctrina arcebatur, sed magis ipse lenis, patiens, humilis, & mitis pro eis Dominum deprecabatur.* In fine autem: *Eodem die, translatio sancti Mauri martyris. Ipso die, sancti Euasii episcopi & confessoris. Floriaco monasterio* ut BELIN &c. *Virduni* &c. ut codices mediæ notæ. Tum: *Translatio Landoaldi, archiepiscopi & confessoris. Adventus sanctarum reliquiarum ab urbe Constantinopolitana*: & rursus typis minoribus; *ad sanctam ecclesiam Latiensem, de qua in eadem habentur diplomata Theodori patriarchæ, & Henrici imperatoris, data anno* MCCVIII. *In territorio Arvernensi, sancti Amabilis, Rigomagensis presbyteri & confessoris, de quo Greg. Turonensis.* Editiones aliæ, sic in textu Italicis de Eligio, primo loco posito: *Hic vir beatus, inter cetera bonorum operum insignia, multa Sanctorum auro argentoque & gemmis fabricavit sepulchra. Præterea pastoris cura solicitus, multum in Flandris laboravit.....* usque ad *funditus subruit.* Est præterea in textu Natalia & Proculus, omissis reliquis. In fine, de Euasio, ut in priori. Tum: *Mediolani, sancti Castriciani episcopi & confessoris. Castro Ambasio, sancti Florentini presbyteri & confessoris, miræ virtutis viri. Apud Senas, sancti Ansani martyris, tempore Diocletiani.* De Agerico, ut prior. *Die Prima, sancti prophetæ Naum.* De translatione Mauri, & de reliquiis Martialis, etiam ut in prima. Tum: *In villa Vuintershove, translatio Landoaldi confessoris & sociorum, quæ facta est à S. Florisberto, episcopo Leodiensi. Latiis, adventus reliquiarum sanctarum, ab urbe Constantinopolitana.* Vide de his reliquiis supra in priori editione.

Translat. Mauri. *Euasii.* *Agerici.* *Translat. Landoaldi.* *De reliquiis Laticnsib.* *Amabilis.* *Castriciani.* *Florentini.* *Ansani.* *Naum.*

IV *Non.* *Die* 2.

Veri & Securi. Bibianæ. NAtalis sanctorum Veri & Securi fratrum, qui apud Africam martyrio coronati sunt. Romæ, passio sanctæ Vivianæ martyris, quæ jubente Juliano imperatore sacrilego, tamdiu plumbatis cæsa est donec spiritum redderet.

Usuardum pure referunt *Praten. Herinsen. Tornacen. Antverp-maj. Rosweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Unum est, in quo Pratensis codex à ceterorum puritate deficit, quod in fine legat: *Domino spiritum reddidit.* Suspicor *Domino*, pro *donec*, male scriptum esse, nisi forte dicere voluerit, *donec Domino* &c. Rursus, pro *reddidit*, omnes alii habent *redderet*: Antverp maj. transposuit, *donec redderet spiritum.* De *Affricam*, *Aphricam*, *tandui*, & similibus, satis dictum est.

Veri & Securi. *OBSERVATIO.* Primi duo martyres *Verus* & *Securus*, in solitis Usuardi antesignanis noti non sunt, nec in Beda: in codicibus Hieronymianis Mauritanorum seu Maurorum acies unum ferme & viginti pugiles complectitur, quorum bini nostri, in fronte collocati, præcipui fuisse videntur. Rabanus ex præfatis codicibus primum quaternarium descripsit: *In Mauritania, Veri, Securi, Januarii, Victorini.* Beda Plantinianus, Belinus & Maurolycus *Veri*, mutarunt in *Severi*; hic vero, & Beda ille, quatuor etiam socios notant, unde eos accepit Baronius, expuncta *persecutione Wandalica*, quam nescio cui Adoni adscripsit Petri Catalogus lib. 1 cap. 21, adoptavitque Maurolycus. Sociorum delectus plane arbitrarius est; Noster solos duos priores retulit, eosque præcisè quos habet Wandelbertus:

Vero & Securo quartis litat Africa Nonis.

Hinc ferme inducebar, ut plane crederem, Martyrologum metricum Usuardo nonnumquam præluxisse, at nonnihil absterruit, quod in textu asseratur, *fratres* fuisse; unde facile, colligitur, notitiam aliam Nostrum invenisse, qualis fere est illa, quam ex Catalogo citavimus, in quo etiam Verus & Securus *germani* appellantur. Frustra lucem quærimus Actorum defectu.

Bibianæ. *Bibianam*, aliis *Vibianam*, nostris *Vivianam*, in Hieronymianis non repertam, ex corruptis Rabani nominibus conatur eruere Florentinius, eodem referens Kalendarium suum Hieronymianum, in quo *Viviana* hoc die consignetur. In antiquis Kalendariis aut Sacramentariis Romanis nulla ejus memoria, nec apud Martyrologum alium extra seriem nostram. Qui agmen ducit, Romani parvi auctor, duas annuntiationes formavit hoc modo: *Romæ, Vivianæ martyris. Fausti martyris & Dafrosæ filiæ*, quæ in Adone ita confunduntur, ut sensum plane alium reddant: *Natale Vivianæ martyris, beatorum martyrum Fausti & Dafrosæ filiæ.* Hìc Faustus, Dafrosæ conjux & Bibianæ pater dicitur; ibi vero

vero Fauſtus Dafroſæ pater, atque adeo Bibianæ avus: utrumque falſo; nam qualiacumque ſint Pigmenii & Bibianæ Acta, à Majoribus noſtris rejecta, in illis quidem Fauſtus aliquis præſes eſt, à Dafroſa converſus ad fidem, ſed hujus maritus & Bibianæ ac Demetriæ pater conſtanter *Flavianus* nominatur. De præfatis Actis locuti ſumus IV Januarii & XXIV Martii. Ado tyrannum non ſatis clare deſignat, dum vocat *imperatorem ſacrilegum*; Uſuardus diſtinctius *Julianum* expreſſit; interim poſt multas diſceptationes, necdum certo conſtat ſub quo perſecutore paſſa ſit Bibiana aliique in citatis Actis commemorati. Tillemontius mavult tempora Diocletiani, Baronius aliique circumſtantias ſe deprehendere exiſtimant, quæ in Juliani tempora, ut Acta affirmant, aptius quadrent. Tu vide Baronii Notationes & Acta noſtra citatis diebus. Præſtat, nihil poſitive definire, donec otium fuerit ad omnia penitius introſpicienda, veritatemque maturius explorandam in Actis hoc die, ad quem totam hanc controverſiam remiſit Henſchenius XXI Junii, noſque ibi verbo indicavimus, dum de Demetria ſermo eſſet.

AUCTARIA.

PULSANEN. Bibianæ annuntiationem puram refert, ſed primo loco poſitam. Secundo loco ſolum habet: *Ipſo die, ſanctorum martyrum Veri & Securi.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN & *De Bibiana.* LOVANIEN. De Bibiana adjiciunt: *Cujus corpus juſſione imperatoris, biduo in foro jacuit. Tandem raptum nocte à Johanne presbytero ſepultum eſt in domo, ubi mater & ſoror ejus Demetria jam ſepultæ erant.* Vide Adonem.

ALBERG. Incipit; *Romæ, natale ſanctæ Vivianæ virginis & martyris, beatorum martyrum Fauſti & Dafroſæ filiæ.* Hoc eſt Adonis initium. Sequuntur verba textus & additamenti Adoniani ſupra relati. Prima annuntiatio de Vero & Securo, ſecundo loco poſita eſt.

DANIC. Sic variat, ut ad Romanum parvum magis accedat quam ad Adonem, conſtructionem eo pacto vitians. Poſt *virginis & martyris*, ita proſequitur: *Item beatorum martyrum Fauſti & Dafroſæ filiæ.* Quibus male ſubnectit: *Quæ jubente* &c. cum tunc omnia ad Dafroſam potius quam ad Bibianam referantur. De cetero ſimilis eſt citato codici ALBERG.

CENTULEN. *Cœnobio Centula, magna & præclara ſublimiſque feſtivitas, decollatione ſanctorum in eodem cœnobio diverſis temporibus congregatorum, quorum dies, quia ſingillatim non poterant celebrari, ſtatuit Papa Adrianus, ut in die hac eorum ſolemnitas duceretur. Romæ, ſanctæ Vivianæ virginis & martyris. Ipſo die, ſanctorum Veri & Securi, qui apud Africam martyrio coronati ſunt.* *De Martt. Centulen.*

BRUXELLEN. *Octava ſanctæ Katherinæ virginis & martyris. Romæ, ſanctorum Primicii, Ponciani, Viviani & aliorum trium. In Mauritania, natale ſanctorum Severi & Securi fratrum, ac Victorini & Fortunati, qui apud Africam martyrio coronati ſunt.* In Bibiana ſimilis eſt ALBERG. *Oct. Cather. Primicii &c. Severi &c. De Bibiana.*

HAGENOYEN. *Apud Affricam, natale ſancti Veri & Securi fratrum, qui ſub Hunerico Arriano rege martyrio coronati ſunt.* In Bibiana non multum differt ab ANTVERP-MAX. &c. Tum ſubdit: *Item Romæ, natale beatorum martyrum Chriſti, Fauſti & Dafroſiæ filiæ ejus.* Sic paulatim Sancti accreſcunt & imperite multiplicantur. Deinde: *Civitate Narina.* [pro *Narnia*] *depoſitio Proculi presbyteri.* Ex die præcedenti. Rurſus: *Eodem die, depoſitio ſancti Euaſii epiſcopi & confeſſoris.* At hic in Romano ponitur hoc die. Demum: *Ipſo die, natale beati Mauri martyris.* *De Vero &c. De Bibiana. Fauſti &c. Proculi. Euaſii. Mauri.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Eligii epiſcopi & confeſſoris.* Vide die præcedenti. Sequitur: *Longini martyris, qui latus Domini tempore paſſionis transfodit.* Vide Uſuardum XV Martii, & alibi Auctaria. Inter antiquos ſolus Florus de eo meminit. In fine: *Vivianæ virginis & martyris.* *Eligii. Longini.*

In VATICAN. ſub num. 5949. Deeſt annuntiatio prima de Vero & Securo. Adjicitur autem: *Item Romæ, ſanctorum Primentii & Pontiani.* *Primentii & Pontiani.*

STROZZIAN. *Item Romæ, ſancti Pontiani mart.* *Pontiani.*

EDITIO LUBECO-COL. Sic incipit; *Romæ, natale ſanctæ Vivianæ virginis & martyris, beatorum Fauſti & Dafroſæ filiæ. Quæ Viviana, jubente* &c. ut codices mediæ notæ ſupra. In fine nonnihil mutila eſt, ſic ut non recte incipiat annuntiationem de Vero & Securo. *De Bibiana.*

BELIN. Pro *Veri*, ſcribit *Severi*; & ubi omnes alii codices *Vivianæ*, ſolus ipſe *Bibianæ*. In fine autem adjicit: *Item Romæ, ſancti Pontiani mart.*

GREVEN. *In Mauritania, ſanctorum Securini, Victorini, Fortunati, Agnetis, Secundæ.* Videnda ſunt apographa Hieronymiana. *Longini martyris. Pigmenii, Fauſtæ & aliorum.* Rectius, opinor, legeret *Fauſti*, ut alludatur ad Sanctos omnes in Actis Bibianæ memoratos Tum: *Romæ, ſanctorum Primitivi, Potentiani. Ravennæ, ſancti Petri archiepiſcopi & confeſſoris, qui à Sixto Papa III, per apparitionem & juſſionem ſanctorum Petri Apoſtoli, & Apollinaris martyris, Ravennæ antiſtes ordinatus, eximia eruditione & ſermonis venuſtate Chriſologi, id eſt ſermonis, vel ſermocinatoris aurei, cognomentum promeruit. Calix etiam ejus & patena, contactu à morſu rabidi canis ſanant. Ethermani epiſcopi. Valeriæ virginis.* *Securini & aliorum. Longini. Pigmen. &c. Primit &c. Petri Chryſologi. Ethermann. Valeriæ.*

MOLAN. *Item Romæ, ſancti Pontiani martyris. Conſecratio ſanctæ Gertrudis virginis.* Sequitur typis minoribus: *Ravennæ, ſancti Petri archiepiſcopi & confeſſoris, qui Chryſologi cognomentum promeruit. Eodem die in India, Cantana civitate Chinenſium, obitus Franciſci Zavierii, qui euangelizantium in India anteſignanus, multis virtutibus, populorum converſione, ac variis miraculis in vita & poſt mortem clariſſimus, incorruptum ſpiritum Domino reddidit. Scriptum eſt in epiſtolis Indicis. Item obitus domini Joannis Ruisbroeck, primi Prioris Regularium Viridis vallis, doctrina & ſanctitate clari. Cujus vita habetur.* Editiones aliæ de Pontiano ſcribunt, ſicut prima. Tum: *Foro Cornelii, beati Petri Chryſologi, Ravennatis epiſcopi, moribus, doctrina, & miraculis clari. Nivellæ, conſecratio ſanctæ Gertrudis virginis.* Demum typis minoribus, agunt de ſancto Franciſco Xaverio, & D. Joanne Ruisbrochio, ſervatis terminis ex editione prima jam relatis. *Pontiani. Conſecrat. Gertrudis. Petri Chryſ. Franciſci Xaverii. Joannis Ruiſbroeck.*

III *Non.* *Die* 3.

Claudii & ſociorum. ROmæ, natalis ſanctorum martyrum Claudii tribuni & uxoris ejus Hilariæ, ac filiorum Jaſonis & Mauri, cum ſeptuaginta militibus, ex quibus Claudium juſſit Numerianus imperator, cum ingenti ſaxo alligatum, in medio mari præcipitem dari, milites vero & filios ipſius Claudii, capitali ſententia puniri. Tingi *Caſſiani.* metropoli, paſſio ſancti Caſſiani, qui exceptoris diu gerens officium, tandem cælitus inſpiratus, execrabile duxit Chriſtianorum neci deſervire cruentus, unde renuntians eidem officio, ſub Chriſtiana confeſſione, triumphum meruit obtinere martyrii.

Puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Accedunt *Antverp-max. Ultraject. Leyden. Albergen.* & *Danic.*

VARIA LECTIO. Codices mediæ notæ omnes legunt: *Romæ viâ Salaria.* Sic etiam cum Antverp. & Max-Lubec. alteram annuntiationem ex Adone inchoant: *Tingi metropoli Mauritaniæ Tingitanæ.* Munerat. ſcripſit *Turgi*, ſecunda Belini editio *Trugi*, Greven. *Tyngi.* Belin. male poſuit particulam *&* poſt *Claudii*, ſic legens: *Claudi & tribuni & uxoris Hylariæ* &c. Legimus cum Praten. Herinien. Munerat. Greven. & Molan. *Chriſtianorum neci deſervire cruentus*, licet durior ſit conſtructio. Id ut vitarent Antverp. Max-Lubec. Belin. & codices mediæ notæ, omiſerunt τὸ *cruentus*, imo in Antverp-maj. emollita eſt phraſis per, *necibus deſervire cruentis.* In Greven. & Molan. ante *Chriſtiana confeſſione*, deeſt *ſub.* Iidem duo etiam à reliquis diſſentiunt in priori annuntiatione, dum pro *cum ingenti ſaxo alligatum*, ut ex Adone deſcripſit Uſuardus, ipſi emendatius quodammodo ponere voluerunt, *cum ingenti ſaxo ligato.* Molan. autem omittens particulam *&* inter *vero* & *filios*, ſenſum invertit, *milites vero filios* &c. Imperfecta etiam eſt Munerati conſtructio in fine, dum omittens *eidem officio*, *ſub Chriſtiana*, ſolum habet: *unde renuntians*, *confeſſione triumphum* &c. *Hylariæ*, *renuncians*, *optinere* & id genus alia negligimus.

Claudii & ſociorum. OBSERVATIO. Quæ 1 Decembris, occaſione Chryſanthi & Dariæ, à nobis obſervata fuerunt, ad hoſce martyres *Claudium*, *Hilariam*, *Jaſonem*, *Maurum* & anonymos milites pertinent, qui, ut ibi oſtendimus, in Hieronymianis omnes, XII Auguſti ponuntur, eorum nonnullis, XXIX Novembris in iiſdem apographis repetitis. Quatuor noſtri cum militibus illis LXX, ſic primum hoc die à Romano parvo conſignati ſunt: *Romæ*, *Claudii tribuni*, *& Hilariæ uxoris ejus*, *& Jaſonis & Mauri*, *&* LXX *militum ſub Numeriano.* Diffuſius eſt Adonis elogium, ex quo noſtrum contraxit Uſuardus. Hiſce diutius non inhæreo, nam præter dicta de Chryſantho & Daria, nihil obſervandum ſupereſt.

Caſſiani. *Caſſianus* Tingitanus in omnibus Hieronymianis diſerte ponitur, quidquid nonnihil luxatum & depravatum ſit nomen, tum Sancti, tum loci in quo paſſus eſt. Diſtinctiſſime legit exemplar Lucenſe ſeu ſancti Wandregiſili: *Et in Tingi*, *Caſſiani.* Hinc procul dubio accepit Rabanus, ſed de ſuo perperam adjecit titulum *presbyteri.* In Romano parvo, Beda aut Floro hic Caſſianus notus non eſt. Fontem alium quam Hieronymiana habuiſſe videtur Martyrologus Viennenſis, at quis is fuerit, mihi non liquet; certum puto, eum Acta non vidiſſe, cum paulo jejunius de illo ſic pronuntiet: *Tingi*, *metropoli Mauritaniæ Tingitanæ*, *natalis ſancti Caſſiani martyris glorioſi.* Plura in notitiam Uſuardi, imo Acta ipſa perveniſſe neceſſe eſt, ex quibus præclarum encomium compoſuit, de quo ſupra in Variantibus. Brevia ſunt, ſed inſignia & genuina, diemque paſſionis clare exprimunt laudata Acta, quæ inter Sincera & ſelecta edidit, ac prævia admonitione notiſque illuſtravit Ruinartius à pag. 314. Ad XXX Octobris cum Uſuardo cenſuimus, Caſſianum noſtrum, occaſione iniquæ ſententiæ, in Marcellum dictatæ, cælitus inſpiratum, tuncque ad fidem Chriſti primum converſum, tametſi dubitet Tillemontius tomo 4 pag. 577. Notiſſimus eſt Prudentii de Caſſiano verſiculus: *Ingeret Tingis ſua Caſſianum.* Wandelbertus ad Verum & Securum heſternos Africanos martyres alludens, ſic illis hodie Caſſianum ſubjungit:

*Caſſianoque eadem * libat ſub martyre ternis.*

* Africa.

ATC-

AUCTARIA.

TORNACEN. In prima annuntiatione plane purus, in ſecunda reſecat totum Caſſiani elogium

ANTVERP-MAJ. In textu non ſatis caſtigatus, addit ad calcem: *Item depoſitio ſancti Birini confeſſoris.* Patet augmentum Anglicum, in ſequenti codice magis amplificatum

Birini.

ROSWEYD. *Pentana civitate, Occidentalium Saxonum metropoli, ſancti Birini epiſcopi, qui primus ibi prædicavit Chriſti Euangelium.* In toto textu Uſuardino purus eſt.

De eodem.

PULSANEN. Ambas annuntiationes tranſponit, & ab utraque elogia reſcindit.

LOVANIEN. Deficit in elogio Claudii.

Textus mutatus.

CENTULEN. *Tyngi, metropoli Mauritaniæ Tingitanæ, natalis ſancti Caſſiani, qui exactoris ſpernens officium, pro confeſſione Chriſti ſubiit martyrium. Romæ, ſanctorum martyrum Claudii tribuni, & uxoris ejus Hilariæ, & filiorum Jaſonis & Mauri & militum ſeptuaginta, qui omnes ad prædicationem beati Chriſanti crediderunt Chriſto, & ſub Numeriano paſſi ſunt.*

Agnetis.

BRUXELLEN. Incipit: *Agnetis ſecundæ.* Vide Hieronymiana die præcedenti, ubi *Agnetem* & *Secundam* ſeu *Secundum*, aliis immixtos invenies. Sequitur de Caſſiano, utcumque pure. Tum:

Merobi &c.

In Nycomedia, ſanctorum Merobi, Claudii & Felicis. In Claudio & ſociis, ſatis purus eſt. Dein:

Magnæ &c. Elevat. Agricolæ.

In Africa, ſanctorum Magnæ, Johannis, Stephani, Victoris & Martini. Apud Bononiam, elevatio ſancti Agricolæ martyris. Totus laterculus Hieronymianis Sanctis intertextus eſt. Tum vero:

Advent. Bertulf &c.

In Blandinio, adventus corporum, ſanctorum Bertulphi & Guduali. Cujus ſancti Guduali ſcrinium cum in Gandavo poſt proceſſionem referretur, imago crucis, inclinato vultu eum venerata immobilis manſit, neque ſe reflexit. Item Birini epiſcopi.

Birini.

HAGENOYEN. In prima ſatis purus, ſubdit:

Lucii.

Item in Curia Curienſi, natalis ſancti Lucii confeſſoris, ejuſdem Apoſtoli, qui propter Chriſtum ſua regna reliquit. Vide Romanum. *Item Argentinæ, monaſterio ſancti Stephani, ſanctæ Achelæ virginis, ejuſdem monaſterii abbatiſſæ.* Non ſatis diſtinguo, an legat *Athelæ*; Caſtellanus *Atalam* vocat. Sequitur:

Athelæ.

Soli.

In Eyſtetenſi dyoceſi, ſancti Solæ confeſſoris. Vide Caſtellanum, ubi *Solas* dicitur. In Caſſiano purus eſt codex. In fine demum adnectit:

Birini.

In Anglia, ſancti Birini epiſcopi & confeſſoris.

VICTORIN. & REG. SUEC. num. 130. *Item natalis ſanctæ Criſpinæ virginis & pretioſæ martyris, ſub Diocletiano imperatore.* In Hieronymianis hodie aliqua Criſpina eſt, ſed vide ipſa, v Decembris, & eodem die Uſuardum.

Criſpinæ

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Claudii tribuni, cum ſociis* LXX, *militis.* Melius legeret *militibus.* Neſcio cur uxor & filii omittantur. Sequitur: *Eloquii abbatis.* Vide Caſtellanum.

Eloquii.

VATICAN. ſub num. 5949. Adjicit: *Natale ſanctorum Grafici, Septimi & Quinceli, in S. Sophia.*

Grafici &c.

LUXOVIEN. *Depoſitio ſancti Firmini Virdunenſis epiſcopi.* Eſt ſeptimus ordine apud Sammarthanos. Caſtellanus eum inter *Aemeros*, ſeu certo die carentes, repoſuit pag. 783.

Firmini.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Reverſio beati Johannis Apoſtoli ab exilio Pathmos, poſt necem Domiciani imperatoris.* In martyribus Romanis nonnihil interpolata eſt, pura in Caſſiano. Addit:

Reverſ. Jo. Euangeliſt.

Eodem die, ſancti Birgini epiſcopi & confeſſoris. Vide ſupra ANTVERP-MAJ. & ROSWEYD.

Birini.

Demum: *Ipſo die, ſancti Oſmundi epiſcopi & confeſſoris.* Vide Romanum die ſequenti.

Oſmundi.

GREVEN *Reverſio de exilio beati Joannis Euangeliſtæ, poſt necem Domiciani. In Friſia, Radfridi & Waldefridi martyrum. In Aphrica, natalis ſanctorum Criſpini, Magnæ, Joannis, Stephani, Victoris, Martini. In Bononia, ſanctorum Agricolæ & Caſſiani. In Anglia, Birini epiſcopi Dorcacenſis.* Vide infra editiones MOLANI poſteriores. *Petri archiepiſcopi. In Britannia, ſancti Lucii regis & confeſſoris, qui tempore Eleutherii Papæ, ut Beda dicit libro primo, fidem Chriſti recepit. Item in Anglia, ſancti Oſmundi epiſcopi & confeſſoris, vita & miraculorum gloria illuſtris. Firmini epiſcopi. Solæ preſbyteri & abbatis. Galgani confeſſoris. Eloquii abbatis. In Argentina, ſanctæ Attalæ virginis. Item, beatæ Emeritæ, ſororis ſancti Lucii regis.*

De Joh. Euan. Radfridi &c. Criſpini &c. Agricol. &c. Birini. Lucii. Oſmundi. Firmini. Solæ. Galgani. Eloquii. Attalæ. Emeritæ.

MOLAN. Litteris Italicis textui poſt *ſententia puniti*, ex Adone inſerit: *Erat autem in loco ubi decollati ſunt, cuniculus antiquus; hunc emundantes nocte Chriſtiani, ſimul in unum omnia corpora ſepelierunt via Salaria. Corpora autem Jaſonis & Mauri collegit ſancta Hilaria, relicta martyr, ubi dum aſſiduis orationibus vacaret, migravit ad Dominum.* In fine: *In monaſterio Blandinienſi, Gandavi caſtri, adventus corporum ſanctorum Guduali & Bertulphi.* De Radfrido & Waldefrido, de Lucio rege, de Oſmundo & Sola, minoribus typis diſcribit verba GREVENI. Editiones poſteriores idem & eodem modo habent in textu. In fine autem: *Mediolani, Mirocletis archiepiſcopi & confeſſoris.* Vide Romanum. *In Anglia, ſancti Birini epiſcopi Dorceſtrenſis. In territorio Eiſtenſi, Solæ preſbyteri & abbatis. Die tertia, ſancti prophetæ Sophoniæ. Vualchiodori, natalis ſancti Eloquii preſbyteri & confeſſoris. Civitate Argentina, ſanctæ Attalæ virginis.* De Adventu corporum Gudwali & Bertulfi, ut ſupra. Denique typis minoribus: *In Friſia, Radfridi & Vualdefridi, a Normannis juxta Groningam martyrizatorum.* Vide Caſtellani Martyrol. univerſale.

De Claud. Advent. Guduali Radfrid &c Lucii. Oſmundi. Solæ. Mirocletis. Birini. Sophoniæ. Eloquii. Attalæ. De Radfrid.

Pridie Non. *Die 4.*

APud Pontum; beati Meletii epiſcopi & confeſſoris, qui cum eſſet eruditionum prærogativâ magnificus, virtus tamen animi & vitæ ſinceritas longe in eo magnificentior extitit. Item Alexandriæ, ſancti Clementis presbiteri, qui in divinarum eruditionum ſcholis quam maximè floruit.

Meletii.

Clementis Alexandr.

Omnino puri ſunt *Tornacen. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.*

De codicib. non puris.

VARIA LECTIO. Greven. ſcribit *Melecii*, pejus Molan. *Melitii*. Dum in Tornacenſi legitur *eruditione prærogativa*, puto indicari, *eruditionis prærogativâ*; ceterum omnes codices legunt, ut eſt in textu. Greven. & Molan. legunt *ſynceritas*. Tornacen. *ſcolis*: plerique alii codices, imo fere omnes purum textum & integrum referunt, ſed Pratenſis cum ſuis in fine adjicit: *In pago Bituricenſi, ſancti Syrani abbatis*, vel ut Caſtellanus deſcripſit, *ſancti Sigiranni*. Primo modo eumdem habent Antverp-maj. Roſweyd. & Aquicinct. Eſt præterea in Pratenſi ad marginem, *Germanico* (pro *Floriaco*) *monaſterio, tranſlatio ſanctiſſimi confeſſoris Chriſti Benedicti abbatis*: Caſtellanus brevius: *Floriaci, tranſlat. S. Benedicti.* Codex vero Herinienſis, toto textu puriſſimus, in fine ſubjungit *Barbaram*, quam & multi alii aut adjecerunt, aut præfixerunt, ut in Auctariis fuſius oſtendemus. Notabis hîc, præfatam Barbaram à Romano parvo, Adone & Uſuardo, non hoc die, ſed XVI Decembris conſignatam eſſe.

OBSERVATIO. Eos hoc die Sanctos in laterculo noſtro celebrat Uſuardus, quos apud nullum antiquiorem Martyrologum potuit reperire. Romanum parvum unicam hanc annuntiationem poſuerat: *Romæ Symphronii & Olympii, Exſuperii & Theodoli, die* VII *Kalendas Auguſti paſſorum, à beato Xyſto via Latina* II *Nonas Decembris tranſlatorum, quando eorum feſtus dies celebrior agitur.* Longior ab Adone hiſtoria texitur ex Actis ſancti Stephani Papæ, verum & apud ipſum unica ea eſt commemoratio. At vero cum illam XXVI Julii retuliſſet Uſuardus, plane opus habuit aliò recurrere, ut huic diei Sanctos proprios aſſignaret. Hieronymiana apographa non conſuluit, Beda & Florus vacant, Rabanus ferme hæret in Barbara. Itaque ſolitos duces hîc imitatus, in Rufino vel Euſebio binos Sanctos reperit, quos pro ſuo arbitrio recolendos proponeret hoc die, quo proinde totus textus vere & proprie Uſuardinus eſt. *Meletium* Ponti epiſcopum ſuggeſſit Euſebius lib. 7 cap. 29, ubi Sanctus iſte à multiplici ſcientiarum omnium ornatu mirifice extollitur, unde brevis ſui elogii totam materiam Uſuardus accepit, ipſa Rufini verba deſcribens, ut textum noſtrum cum citato loco conferenti manifeſte patebit. Quid addi poteſt tantæ ſuavitati in moribus, tantæ dulcedini, *ut mellaticus à ſodalibus vocaretur?* quid doctrinæ, cum *in omni eruditione perfectus* aſſeratur? Vide hæc omnia à Tillemontio Gallice deducta tomo 7 pag. 41, qui tomo immediate prægreſſo pag. 641, eumdem Meletium vindicat ab Arianiſmi labe, per calumniam ei à Philoſtorgio inuſta. Cetera operoſius colligemus, dum ejus Acta erunt illuſtranda.

Meletii.

Clementis Alexandr.

Quam magnæ & veræ ſunt congeſtæ ab Euſebio in Meletium laudes, tam præclaras, imo fortaſſe majores meretur clariſſimus, & celeberrimus ſcriptor *Clemens* cognomento *Alexandrinus*, à docendi potius munere, quam ab origine aut nativitate, cum de ejus patria inter eruditos hactenus diſceptetur; nec magis notum ſit, quo loco extremum diem obierit. Porro de vaſtiſſima doctrina, libriſque à Clemente de vario argumento compoſitis, non ſemel loquitur Euſebius hiſtoriæ ſuæ lib. 6, nec in eo multis modis prædicando parciores ſunt antiqui Eccleſiæ Patres ſcriptoreſque alii, ex quibus vitæ ſeriem aliquam adornavit Tillemontius tomo 3 à pag. 181. Recentiores multi in eamdem rem operam contulerunt, ſuo tempore à nobis conſulendi, præſertim Bibliographi, ſeu qui de Scriptoribus eccleſiaſticis ex profeſſo egerunt, quorum hîc nomina referre operæ pretium non eſt. Jam diximus, à nullo Martyrologo Uſuardo antiquiore aut æquali, Clementis nomen conſignatum fuiſſe, ut plane ſoli Noſtro æque ac Meletius, acceptus referri debeat. Non ſatis perſpicio, quo ſcrupulo duci potuerint Romani Martyrologii reformatores, ut tam illuſtrem virum ex ſacris Tabulis expunctum vellent. Vide Henſchenium tomo 6 Maii pag. 777 litt. F. Eſt qui putet eò Baronium abſterritum fuiſſe, quod Clementis opera inter apocrypha à Gelaſio relata ſint. Hæc ſatis pro inſtituto noſtro. Quid velit Wandelberti verſiculus, *Tum pridie cum Victorio præcellet Heracleus*, prorſus non intelligo, at certe hinc magis confirmor in opinione, quod Uſuardus Wandelbertum ſecutus non ſit, qui hoc die aliunde Sanctos ſibi conquirendos putaverit.

AUCTARIA.

PRATEN. De ejus augmentis egimus upra in Variantibus.

HERINIEN. Puriſſimus in textu, huc partem annuntiationis retrahit ex XVI Decembris. *In Tuſcia, paſſio ſanctæ Barbaræ virginis, ſub Maximiano imperatore, quæ poſt dira tormenta, ad extremum gladio data, martyrium conſummavit.* Plura dabunt codices alii infra citandi.

Barbaræ.

ANTVERP-MAJ. Diximus ſupra hunc codicem hîc denuo cum Pratenſi convenire. Sic habet: *In pago Bituricenſi, ſancti Sirani abbatis. Et tranſlatio ſancti Benedicti abbatis.*

Sirani. Tranſlat. Benedicti.

ROSWEYD. Textui cum Pratenſi etiam adjicit: *In pago Bituricenſi, ſancti Syrani abbatis.* Sequitur tota Barbaræ annuntiatio deſcripta ex XVI Decemb. quam hîc toties non lubet deſcribere,

Syrani. Barbaræ.

bere, cum in aliis quoque codicibus repetatur.

PULSANEN. Alium plane textum Usuardino substituit: *Romæ, natale sanctorum martyrum Simpronii & Olimpii, temporibus Valeriani & Galieni.* Vide supra in Observatione. *Item sanctæ Barbaræ virginis. In Africa, natale sanctorum Armogasti, Archimini, & Satyri.* Vide de his tribus Martyribus Usuardum XXIX Martii.

Simpr. &c. *Barbaræ.* *Armog. &c.*

MUNERAT. Pro *Meletii*, male scribit *Electi.* Textui autem superaddit: *Ipso die, sancti Benedicti abbatis. Parisii susceptæ sunt in ecclesia beatæ Mariæ, reliquiæ, scilicet pars capillorum beatæ Mariæ, tres dentes beati Johannis Baptistæ, brachium sancti Andreæ Apostoli, lapides quibus lapidatus est beatus Stephanus; caput etiam preciosissimorum* [pretiosissimum] *beati Dionisii martyris. Hæ autem reliquiæ in ecclesia beati Stephani protomartyris inventæ sunt. Ipso die, sanctæ Barbaræ virginis & martyris.* De hac codices alii fusius.

Benedicti. *De reliquiis eccl. Paris.* *Barbaræ.*

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN & LOVANIEN. Omnes hi codices & duo sequentes primo loco referunt totam annuntiationem de sancta Barbara, prout in ipso Usuardo habetur XVI Decembris, quo jam supra lectores remisimus. In textu puri sunt.

Barbaræ.

ALBERG. & DANIC. Præter Barbaram in principio positam, adjiciunt ipsi in fine: *Colonia, natale sancti Annonis,* [alter simplicius *Colonia, sancti Annonis*] *episcopi & confessoris.*

Annonis.

CENTULEN. *Romæ, sanctorum martyrum Simpronii & Olimpii, Exuperiæ & Theodoli, temporibus Valeriani & Galieni.* Paucis mutatis, idem habet hic codex XXVI Julii. Pergit: *Nicomediæ, passio sanctæ Barbaræ virginis, quam proprius genitor Dioscorus gladio decollavit. In Africa, sanctorum Armogasti, Archimini & Saturi, qui cum essent lucidissima membra ecclesiæ, pro confessione veritatis, multa & varia tormenta perpessi sunt.* Vide quæ diximus ad PULSANEN. *Cœnobio Floriaco, depositio sanctissimi corporis beati Patris nostri Benedicti.* Deest hic totus textus Usuardinus.

Simpr. &c. *Barbaræ.* *Armog. &c.* *Benedicti.*

BRUXELLEN. Incipit à Barbara, ferme etiam ex textu, XVI Decembris dando. In Armogasto & sociis, vix differt à præcedenti. Tum ex truncatis Hieronymianis: *In Laodicia metropoli, Felicis & Merobii.* Sequitur textus satis purus. Deinde: *In pago Bituricensi, sancti Syrani abbatis. Apud Coloniam Agrippinam, depositio sancti Aimonis* [Annonis] *episcopi & confessoris. Romæ, sanctorum martyrum Sempronii & Olimpii, temporibus Valeriani & Galieni imperatorum. Eodem die, translatio sancti Benedicti abbatis.*

Barbaræ. *Armog. &c.* *Felicis &c.* *Syrani.* *Annonis.* *Simpr. &c.* *Transl. Benedicti.*

HAGENOYEN. Primo loco agit de Meletio, & in fine de Clemente Alexandrino, utrobique satis pure; sed duabus hisce annuntiationibus interjicit longam historiam de martyrio sanctæ Barbaræ, quam in Actis apud Surium quisque facile & multo nitidiorem reperiet.

De Barbara.

AQUICINCT. Incipit: *Passio sanctæ Barbaræ virginis & martyris.* Sequitur textus. In fine autem cum Pratensi adjungitur: *In pago Bituricensi, sancti Syrani abbatis. Apud Floriacum cœnobium, iterum tumulatio sancti Benedicti abbatis.*

Barbaræ. *Syrani.* *De Benedict*

CODEX Urfini à Rosemberg. *In Italia, civitate Parma, beati Bernardi de gente Ubertorum, de Florencia, dictæ civitatis Parmæ glorioſi episcopi, cujus gesta habentur. Coloniæ, sancti Annonis archiepiscopi & confessoris.*

Bernardi. *Annonis.*

DAVERONEN. *Floriaco monasterio, sancti patris monachorum Benedicti, confessoris eximii.*

Benedicti.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Barbaræ virginis & martyris. Meletii episcopi & confessoris. Clementis presbyteri & confessoris.*

Barbaræ.

CAMBERIEN. *Apud Pontum, beati Electi episcopi.* Ita superius MUNER. sed male pro *Meletii.*

REG. SUEC. num. 130. & num 428. *Eodem die* [puto haberi] *tumulatio sancti Benedicti abbatis.* Tum solus codex sub num. 428: *Parisiis, susceptio sacrarum reliquiarum.*

Benedicti.

VATICAN. num 5949. Deest textus. Habet de Barbara, ni fallor ex XVI Decembris. Item de Simpronio, Olympio &c. ex XXVI Julii.

Barbaræ. *Simpr. &c.*

ALTEMPS. *In Pago Biturico, sancti Syrani abbatis.* Vide alios codices supra.

FLORENTIN. *S. Barbaræ..... Item sanctæ Juliæ virginis & martyris, quæ cum Barbara prædicta passa est. Romæ, sanctorum martyrum Symphronii, Olympii, Exuperiæ & Theodoli, qui temporibus Valeriani & Gallieni imperatorum passi sunt. In Africa, sanctorum martyrum Armogasti, Archimini & Satyri, qui cum essent lucidissima membra Christi, pro confessione fidei, multa & gravia perpessi supplicia atque opprobria ab Arianis, cursum gloriosi certaminis impleverunt. Item sancti Bernardi abbatis monasterii sancti Salvii prope Florentiam, civis Florentini, qui postea fuit abbas sanctæ Mariæ Vallis umbrosæ, deinde ordinatus episcopus urbis Parmæ.*

Barbaræ. *Juliæ.* *Simphr. &c.* *Armog. &c.* *Bernardi.*

EDITIO LUBECO-COL. *Apud Coloniam Agrippinam in Gallus, quæ est urbs metropolis Germaniæ, transitus beatæ ac dignæ memoriæ Annonis, ejusdem civitatis archiepiscopi & confessoris, qui plurium extitit fundator ecclesiarum. Hic cum quodam tempore sacra mysteria perageret, cæcus quidam à ministro altaris aquam superfusam digitis venerandi antistitis, sibi donari petiit, qua acceptâ totam faciem suam cum devotione magna abluens, lucem hujus mundi tunc primum sibi illuxisse, magnis plausibus exultavit. Et beati Annonis sepulcrum divina præstante gratia crebris miraculis illustratur.* Sequitur de Barbara, paulo auctiori phrasi. deinde textus satis purus.

Annonis cum elogio.

BELIN. *Nicomediæ, sanctæ Barbaræ virginis & martyris. Eodem die, sanctorum Symphoriani & Olypii.* [secunda habet *Olympii.*] Et hæc præterea adjicit: *Apud Floriacum monasterium, translatio sancti Benedicti abbatis.*

Barbaræ. *Symph. &c.* *Transl. Ben.*

GREVEN. *Nota, hic festivior solennitas sanctæ Barbaræ agitur, quam Usuardus habet infra XVII Kalendas Januarii. In Laodicia metropoli, Felicis, Merobii. Eodem die, Eraclii, Christiani, Prudentis. Commemoratio sanctorum Armogastis, Archimini & Saturi, qui supra habentur IV Kal. Aprilis. Romæ, translatio sanctorum Simphronii, Olimpii, Exuperiæ uxoris ejus & Theodoli filii eorum. Quorum corpora, ut dicit Ado, à beato Stephano Papa, VII Kal. Augusti sepulta, postmodum vero à sancto Sixto Pontifice translata, celebrem diem fecerunt pridie Nonas Decembris. Apud Coloniam Agrippinam, depositio sancti Annonis episcopi & confessoris, qui multarum ecclesiarum extitit fundator. Ad cujus sanctitatem commendandam, cum tempore quodam sacra mysteria perageret, cæcus quidam aqua sancti Pontificis digitis superinfusa, faciem sibi abluens, oculorum lumen recepit. Virduni, sancti Possessoris episcopi. Apud Floriacum, adventus corporis sancti Benedicti abbatis.*

Barbaræ. *Felicis &c.* *Eraclii &c.* *De Arm. &c* *Transl.* *Symph. &c.* *De Annone.* *Possessoris.* *Adventus S. Benedicti.*

MOLAN. Ex BELIN. describit quæ supra dedimus de Barbara, de Symphronio & Olympio, atque item de translatione sancti Benedicti. Tum: *Colonia, depositio sancti Annonis, ejusdem urbis episcopi,* additque minoribus typis, *qui multarum* &c. ex GREVEN. Editiones po-

Barbaræ. *Symphr &c.* *De Bened.* *De Annone.*

Bernardi. ſteriores inter Meletium & Clementem, ut partem textus inſerunt annuntiationem Barbaræ ex XVI Decembris, ut ſupra. In fine: *Eodem die, Symphronii & Olympii martyrum Romæ, temporibus Valeriani & Gallieni. Item, ſancti Bernardi epiſcopi Parmenſis. In pago Bituricenſi, ſancti Sigiranni abbatis. In Anglia, ſancti Oſmundi epiſcopi & confeſſoris, vitâ & miraculorum gloriâ illuſtris. Coloniæ, depoſitio ſancti Annonis, ejuſdem urbis epiſcopi. Die quarta, ſancti patris Joannis Damaſceni. Apud Floriacum monaſterium, tranſlatio ſancti Benedicti abbatis.* Vide alios ſupra. *Sigiranni. Oſmundi. Joannis Damaſceni.*

Nonis. *Die* 5.

Criſpinæ. IN Africa apud Coloniam Thebeſtinam, natalis ſanctæ Criſpinæ martyris, quæ temporibus Diocletiani & Maximiani cum ſacrificare noluiſſet, juſſu Anolini proconſulis decollata eſt. Eodem die in Italia, ſancti Dalmacii martyris. Civitate Treveris, ſancti Nicecii epiſcopi, totius ſanctitatis viri. Item civitate Thagora, ſanctorum Julii & Potamiæ.

Dalmatii. Nicetii. Julii & Potamiæ.

Major pars codicum pura eſt, ut *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Errores præcipue ſcriptorios habet vel typographicos. Antverp-maj. ſic orditur: *In Affrica, aput Thebaſtianam*, omiſſo ſubſtantivo *Coloniam*: Munerat. legit *Thesbatinam*, Greven. & alii *Tebeſtinam*. Coactus ſum ſcribere *Dalmacii* & *Nicecii*. Solus Antverp-maj. habet; *In civitate Treveris*. Probatiores codices ponunt *Thagora*, alii *Tagora*, male Munerat. *Ragora*; Belin. peſſime *Ragona*. Antverp. & Max-Lubec. legunt, *ſancti Julii* &c. Reliquas minutias non enumero.

Criſpin OBSERVATIO. *Criſpinæ* & *Criſpini* nomina non ſemel in Hieronymianis recurrunt III Decembris, ut in Auctariis patuit, & hoc die; at inter codices omnes minime obſcurus & involutus eſt Epternacenſis vetuſtior, hîc ita legens: *Civitate Tegora, natalis Juli, Potamiæ, Criſpinæ & aliorum* VII. Scrupulus opponitur, in eo quod *Tegoræ*, aliàs *Theguræ*, vel *Thagaræ* Criſpinam collocet; ſed is facillime eximitur, ſi Criſpinam noſtram fateamur *Thaguritanam* ſeu *Thagorenſem* fuiſſe, paſſam autem *Thebeſte*, ubi Martyrologi noſtri eam rectiſſime cum Actis genuinis conſignant. Atque his ſatis conformia ſunt verba Kalendarii Carthaginenſis: *Nonas Dec. ſanctorum martyrum Bili* (haud dubie pro *Juli*, vel *Julii*) *Felicis, Potamiæ, Criſpinæ & comitum.* A codicibus Hieronymianis nimium exigunt, qui hæc nimis religioſe elucidare conantur: ſatis ſit, nomen Martyris noſtræ ex ipſis tuto & vere educi poſſe. De Julio & Potamia agemus ultimo loco; illuſtriſſima *Criſpina* locum primum ſola occupat, quod procul dubio ſeorſim ab aliis coronata, Acta etiam diverſa habeat. Itaque præteritis Florentinii aliorumque animadverſionibus, & confuſione alia, à Rabano in Hieronymianum textum inducta, Martyrologorum noſtrorum filum ſequemur. Romanum parvum breviſſime: *Criſpinæ martyris.* Ado, non parcus elogiorum conditor, veroſimillime Acta non vidit, verumtamen ſufficientem alicunde notitiam nactus eſt, ut imperatores & proconſulem apte deſignaret, iiſdem plane verbis, quæ ex ipſo Noſter in laterculum ſuum tranſtulit. *Clariſſimam feminam, divitem & delicatam, ſed fortem* pluribus locis egregie laudat Auguſtinus. Acta vero, quæ tamdiu in tenebris delituerant, primus produxit Mabilio tomo 3 Analectorum pag. 423, cujus nota ad Kalendarium Carthaginenſe, ibidem legi meretur pag. 417. Eadem Ruinartius collata cum altero Ms. inter Selecta vulgavit à pag. 493, præmiſſa admonitione, adjectiſque notulis ſuo tempore profuturis. Nec inutilis erit vita Gallica Tillemontii tomo 5 à pag. 317. Solam Criſpinam cum Dalmatio hodie metro unico honorat Wandelbertus:

Dalmatius martyr Nonas Criſpinaque ſervant.

Porro *Dalmatius*, hîc à Wandelberto laudatus, ſic à Romano parvo primùm celebratur:

Dalmatii. *Et Dalmatii martyris.* A Rabano item: *Natale Dalmatii martyris.* Eadem eſt Adonis ſententia: *Eodem die, natale ſancti Dalmatii martyris.* Supra ductores aliquid auſus eſt Uſuardus, dum addidit, *In Italia.* At certe perperam ipſe, Ado & Beda Plantinianus citantur à Baronio pro annuntiatione in Romano poſita: *Papiæ, ſancti Dalmatii epiſcopi & martyris, qui in perſecutione Maximiani paſſus eſt*, cum nullus eorum aut Papiam uſquam, aut epiſcopi titulum, aut perſecutionem denotent. Legenda annotatio Ferrarii ad hunc diem, de qua alibi pluribus diſputabitur, ubi & Acta ipſa poëtice ab Hieronymo Vida Albenſi epiſcopo exornata expendentur, in quibus multa reprehendit Tillemontius

tomo

tomo 5 à pag. 637. Planiora & certiora ſunt, quæ de *Nicetio* Treverenſi ſcripſit Gregorius Turonenſis in Vitis Patrum toto cap. 17, atque item de Glor. Confeſſorum cap. 94, ex quo eum primus ſignavit, elogiique materiam accepit Viennenſis Martyrologus, ex hoc Uſuardus, reſecto dumtaxat ſepulturæ loco, quem ex Pulſanenſi codice infra reſtituemus. Plura vide in Notatione Baronii. *Julius* & *Potamia* à ſolo Uſuardo poſiti ſunt, avulſi à ſociis aliis Hieronymianis, de quibus ſupra dictum eſt. Sunt hi Criſpinæ, ſi non martyrii ſocii, at ſaltem populares & veroſimillime eodem tempore martyrii laurea donati. Baronius Bedam Plantinianum, opinor, ſecutus, ſcripſit: *Thaguræ in Africa, ſanctorum martyrum Julii, Potamiæ, Criſpini, Felicis, Grati & aliorum ſeptem*; ex quibus claſſes duas diſtinxerat Rabanus. Fateor anſam confuſioni datam ab ipſis Hieronymianis codicibus, at neſcio an Caſtellani notula hæc omnia ſatis exacte componat. In eo ipſi aſſentior, quod aſſerat, Uſuardum ſolos Julium & Potamiam prudentius ſelegiſſe, relictis aliis, non ſatis clare apud Hieronymiana expreſſis. Ceterum textûs noſtri puritas & ſinceritas ſatis comprobata eſt. *Nicetii.* *Julii & Potamiæ.*

AUCTARIA.

Fulgentii & alior. 26. R OSWEYD. Textui ſuperaddit: *In Africa, Fulgentii martyris & aliorum* XXVI. In Hieronymianis reperitur *Fulgentius*, ſed unde tam multi in hoc codice ſocii acceſſerint, quærendum eſt.

PULSANEN. In prima, caret elogio. In ſecunda purus non eſt. In tertia de Nicetio ex Adone ſuperaddit verba, de quibus in Obſervatione: *Qui in baſilica beati Maximini epiſcopi ſepultus quieſcit.* Deficit in quarta.

ANTVERP-MAX. LOVANIEN. & LEYDEN-BELG. Textui puro adjiciunt: *Apud provinciam Capadociæ, civitate Mutalaſſi, natale beati Sabæ abbatis & confeſſoris.* *Sabæ.*

ULTRAJECT. & LEYDEN-LAT. Augmentum extendunt hoc modo: *Apud provinciam Capadociæ, natale beati Sabæ abbatis & confeſſoris, qui in juventute ſeculum derelinquens, primo in congregatione, poſtea in eremo, deinde in regimine monachorum claram virtutibus vitam duxit.* Idem habet DANIC. ſed primo loco; caretque in textu annuntiatione Nicetii. *De Saba.*

ALBERGEN. In textu etiam purus, ei præfigit: *Natale ſancti Sabæ abbatis & confeſſoris.* *Sabæ.*

CENTULEN. *In Affrica apud Coloniam Thebeſtinam, ſancta Criſpinæ virginis, ſub Anolino proconſule. Eodem die, ſancti Dalmatii martyris. Treveris, ſancti Nicetii epiſcopi, totius ſanctitatis viri.* Deeſt annuntiatio ultima. *Textus mutilus.*

BRUXELLEN. In prima ſatis purus, ſubjicit: *Item in Affrica, natale ſanctorum Humili, Felicis Julii, Potamiæ, Criſpini, Trophini & aliorum octo. In civitate Thegora, natale ſanctorum Julii & Potamiæ.* Vide codices Hieronymianos. In Dalmatio purus eſt. De Saba, habet ut ULTRAJ. &c. ſupra. Pro *Nicetii*, ſcribit *Niceſii*, ſed in ea annuntiatione purus eſt. Denique: *Et alibi ſanctorum Fulgentii & Amancii.* Hi ex Hieronymianis etiam accepti ſunt. *Humili &c.* *Fulgentii & Amantii.*

HAGENOYEN. Incipit à Saba, fere ut citatus ULTRAJECT. ſuperius. Deinde de Criſpina & Dalmatio, ſatis pure. Deeſt hîc Nicetius Trevirenſis. In ultima, pro *Julii*, ſcribit *Nyli*. Sequitur: *In civitate Coloniæ Agrippinæ, depoſitio beati Annonis epiſcopi & confeſſoris, ejuſdem civitatis. Hic vir beatus poſuit in Salne monachos & expulit inde Canonicos. Et quatuor alia ſollempnia conſtituit monaſteria; duo extra Coloniam, in quibus poſuit nigros monachos, ſcilicet Syberg & Garſchaff: alia duo intra civitatem conſtruxit, ſcilicet ſanctæ Mariæ ad Gradus, & ſancti Georgii, in quibus poſuit Canonicos. Hic vir beatus ſcabinos civitatis Colonienſis, pro falſa ſententia exoclavit,* [haud dubie vult dicere *excommunicavit*;] *& obiit in pace, ſepulturam eligens in Syberg & ibi requieſcit.* Vide die præcedenti Auctaria & Surium. *Sabæ.* *Annonis cum elogio.*

VICTORIN. Adjecit in fine: *In Judea, natalis ſancti Sabæ abbatis & confeſſoris.* *Sabæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Nicetii Trevirenſis epiſcopi. Annonis epiſcopi Colonienſis.* *Annonis.*

REG. SUEC. num 130. *Et ſanctæ Barbaræ virginis & martyris.* Vide die præcedenti. *Barbaræ.*

CODEX D. LE MARE ſignatus littera A. Hoc peculiare refert: *Civitate Æduæ, tranſlatio ſancti Bachonis epiſcopi & confeſſoris.* *Tranſlat. Bachonis.*

In VATICAN. num. 5949. Deeſt annuntiatio ultima. Adjicitur: *Natale ſancti Sabæ abbatis.* *Sabæ.*

FLORENTIN. *Sancti Sabbæ abbatis.* *Sabbæ.*

EDITIO LUBECO-COL. Pura eſt in prima, deinde inſerit: *Item natale ſancti Sabæ abbatis & confeſſoris.* Sequuntur tres aliæ annuntiationes ſatis puræ. Tum: *Eodem die, ſancti Triphonis pueri & martyris, qui ab infantia multis miraculis claruit, & poſt varia tormenta, ſub Decio imperatore, Aquilino præfecto agente, gladio capite privatus eſt.* Vide GREVEN. infra, etiam de annuntiatione ſequenti. *Ipſo die, ſancti Diolinicii martyris.* *Sabæ.* *Triphonis.* *Diolinicii.*

BELIN. In fine: *Item in civitate Mutalaſii, quæ eſt ex provincia Capadociæ, ſancti Sabbæ abbatis & confeſſoris.* *Sabbæ.*

GREVEN. Incipit de more Auctaria ſua ex Hieronymianis: *In Aphrica, ſanctorum Humilis, Felicis, Criſpini, Trophini, Euarpionis & aliorum octo. Item Fulgentii & Amantii martyrum, & aliorum viginti ſex. In Cæſarea, ſanctorum Domnini martyris & aliorum duodecim. Item ſanctorum Pauli & Julii. Item ſecundum aliquos hîc, Saturnini epiſcopi Tholoſani, quem Uſuardus & Ado habent* III *Kalendas Decembris. Item Triphonis pueri & martyris ſecundum aliquos hîc, ſecundum Vincentium vero libro duodecimo,* III *Nonas Maii. Diolinicii martyris. Civitate Ebreduno, ſancti Gallicani epiſcopi & confeſſoris. Humilis confeſſoris. Eodem die, beati Sabbæ abbatis. Qui ex provincia Cappadocia ortus, tempore Theodoſii, magnis pollens virtutibus, miraculorumque gloria illuſtris, quievit anno Domini quingenteſimo vigeſimo quarto.* *Humilii &c.* *Fulgent. &c.* *Domnin &c.* *Pauli &c.* *Saturnini.* *Triphonis.* *Diolinicii.* *Gallicani.* *Humilis.* *Sabbæ.*

MOLAN. Litteris Italicis textui inſerit vocem unicam, quæ Dalmatii poſitionem clarius exprimit, *Pedonæ*, de quo videndus Ferrarius, in Obſervatione à nobis citatus. In fine ex BELINO: *Item civitate Mutalaſii, provinciæ Cappadociæ, ſancti Sabbæ abbatis & confeſſoris.* In editionibus poſterioribus nihil præterea additur. *Sabbæ.*

VIII *Idus.* *Die* 6.

Nicolai. NAtalis beati Nicolai epiſcopi Mirorum Liciæ, de quo inter plura miraculorum inſignia, illud memorabile fertur, quod imperatorem Conſtantinum ab interitu quorumdam, longe conſtitutus, ad miſericordiam & monitis per viſum deflexit & minis. *Dionyſiæ & aliorum* In Africa, ſanctarum Dioniſiæ, Dativæ, Leontiæ & religioſi viri nomine Tertii & Emiliani & Bonifacii cum aliis tribus, qui omnes pro confeſſione fidei Catholicæ, graviſſimis & innumeris ſuppliciis excruciati, confeſſorum Chriſti numero ſociari meruerunt.

Ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Inter codices pro textu citatos nonnulli excludi poterant, qui in principio phraſim mutarunt. Sic Antverp-maj. incipit: *Natale beati Nicolai epiſcopi, de quo* &c. Paulo liberalius Roſweyd. litteris majuſculis rubris: *Natale beati Nicolai epiſcopi & confeſſoris, miraculorum gloria lucidi, de quo inter cetera illud* &c. Belini prima editio poſuerat: *In Apulia, apud Barum, natale ſancti Nicolai epiſcopi & confeſſoris* &c. ſed ſecunda paulo melius: *Apud Miriam, metropolim Liciæ.* In ſolo Herinienſi eſt *archiepiſcopi.* Reliqui in textu, *Mirorum*, pro quo alii *Mirrorum*; alii *Mirreorum*; ſolus Molan. *Myreorum Lyciæ.* In Praten. pro *memorabile*, male habetur in apographo noſtro *mirabile.* Nihil ſignificat Molani emendatio, dum pro *ab interitu quorumdam*, legit ipſe *ab interitu quodam.* Sic idem cum Greven. invertit ſequentia, *ad miſericordiam per viſum & monitis flexit & minis.* Ceteri probant Uſuardum legiſſe, ut eſt in textu, adeoque & Roſweyd. male ſcripſiſſe *monitis & minis per viſum.* Errat etiam Belinus dum Africanis præfigit titulum *ſanctarum virginum*: nec valet *Datianæ*, pro *Dativæ.* Superfluam elegantiam affectat Herinien. per *& Dativæ & Leontiæ.* Scripſi *Emiliani*, pro quo melius haberetur *Emelii*, non *Juliani*, ut Max-Lubec. In Munerat. poſt *confeſſorum*, deeſt *Chriſti.* Max-Lubec. & Belin. ultima verba inflectunt, *ſociati ſunt*, neque melius Antverp., *aſſociati ſunt. Nicholai, Tercii, Bonefacii* & ſimilia negligi poſſunt.

Nicolai. *OBSERVATIO.* Stupenda eſt ſancti *Nicolai* per univerſam Eccleſiam, tum orientalem, tum occidentalem, devotiſſimi cultûs dilatatio, erectis paſſim templis, aris, ſtatuis, aliiſque ſingulariſſimæ venerationis monumentis, quorum ea potiſſimum cauſa non temere aſſignari poſſe videtur, quod Deus ingentia ſanctiſſimi illuſtriſſimique viri merita, incredibili propemodum variorum ſignorum ac miraculorum multitudine, toto orbe catholico palam facere voluerit, eaque ratione, ſi ita loqui fas eſt, antiquorum de ipſo ſcriptorum ſilentium quodammodo compenſare. Quo loco apud Græcos ſit *thaumaturgus Nicolaus*, docent, ut cetera taceam, Ephemerides Græco-Moſcæ ante tomum I Maii pag. LV & LVIII. Vita ejus prius à Methodio patriarcha Conſtantinopolitano Græce, ex hoc à Joanne Diacono Latine, ſeculo primum IX compoſita, atque adeo totis ferme quinque ſeculis Sancto ipſo poſterior, ſufficiens non videtur, ut veris Nicolai cultoribus antiquiorum Actorum deſiderium adimere valeat. Exſtat ea apud Mombritium tomo 2 à pag. 162, ſed auctoris præfatione truncata, criticos offendit. Aliam adornavit Metaphraſtes à Surio vulgatam omnibuſque notiſſimam, de qua aliiſque permultis, tum hiſtoriis, tum encomiis ad Nicolaum ſpectantibus, quæ Græce & Latine apud nos ſunt, fuſius in Actis ſuo tempore diſſeretur. Hîc nobis præcipue notandum, apud plures antiquos Martyrologos, ut ſunt Hieronymiana, Beda, Florus, in Sacramentariis aut Kalendariis Romanis, nullam Sancti noſtri memoriam reperiri. Crediderim tunc primùm Romæ celebrari cœpiſſe, dum breve ſuum Martyrologium concinnavit auctor Romani parvi, de eo ſic primus loquens: *Nicolai epiſcopi Myrorum Lyciæ.* Hiſce nihil ſuperaddidit Ado, præter ſolum præfixum Sancti titulum, ut facile conjicias, nullam ipſi adhucdum vitam innotuiſſe. An quod ejus tempore nulla in Occidente exſtiterit? Nequaquam, opinor; cum in Rabano, cujus Martyrologium antiquius eſt, longa habeatur narratio, de celeberrimo miraculo Nepotiani, Urſi & Eupoleonis magiſtrorum militum, per Nicolai adhuc viventis apparitionem Conſtantino factam, è carcere ereptorum, quod in textu noſtro ſuccinctius inſinuavit Uſuardus; unde videtur poſſe confici, præfatam miraculi hiſtoriam & Methodio & Joanne

Joanne Diacono vetuſtiorem eſſe. Et certe in præfatione apud nos Ms. teſtatur Joannes Diaconus, ſe Methodium contraxiſſe, de cetero remittens ad *Græcorum phalerata commenta*, quæ utique prius exſtitiſſe oportet, & veroſimiliter etiam per Occidentem vulgata, licet ea Viennenſis non viderit. Interim valde jejuna eſt Nicolai vita a Tillemontio Gallicè compilata tomo 6 à pag. 688, cujus nota prima pag. 823 Metaphraſten acriter impugnat, ſtatuitque de Sancti geſtis, nihil certi ſupereſſe. Novi, qui hujuſmodi argumentis preſſi, Nicolaum ſeculo uno aut altero juniorem eſſe velint, aſt ii, meo quidem judicio, dum ſcyllam fugiunt, difficultatum charybdim minime evitant. Noſtrum erit alibi diſpicere, an adeo contemnenda ſint, quæ laudati ſcriptores ex antiquioribus, procul dubio, monumentis collegerunt, ſaltem an ita triturari nequeant, ut ſincerum ſemen à paleis ſecernatur. Parcior hiſce aliquot diebus Wandelbertus, unico etiam verſiculo Nicolaum cecinit:

Octavas Idus Nicolaus epiſcopus ornat.

Martyres Africani etiam à Romano parvo primum poſiti, ſic ab eo enumerantur: *Dionyſiæ & aliorum.* *In Africa, Dionyſiæ, Dativæ, Leontis & Æmiliani medici & aliorum.* Non videtur Ado fontem conſuluiſſe, dum & ipſe ſcripſit *Leontis*, pro *Leontiæ*, aliaque non recte commiſcuit, quæ multo diſtinctius atque ſplendidius explicari poterant & debebant, ut puta, ſi *Majoricus adoleſcens* generoſiſſimæ matri *Dioniſiæ* conjunctus fuiſſet, aliaque paulo accuratius ex Victoris Vitenſis, de perſecutione Africana libro 5 deducta, ſic ut poſt matrem & filium, reliqui veris nominibus ex ordine commemorarentur. Videat curioſus lector Victorem ipſum à principio citati libri 5, ubi ſæpius ingeminat, *humano ſermone explicari non poſſe, quantis* pœnis Catholicos *afflixerit* cruenta *illa beſtia* Hunericus, *crudeliſſimis tortoribus per univerſas Africanæ terræ provincias uno tempore deſtinatis*, adeo ut *impoſſibile homini* aſſerat, *quantitatem martyrum vel etiam confeſſorum ſupputare.* Uſuardus noſter Adonianum elogium decurtans, *Leontiæ* nomen bene reſtituit; potuiſſet etiam *Emelii* ſcribere pro *Æmiliani.* In eo præterea Adoni præferendus videtur, quod tres anonymos reliquerit. Hæc ſatis pro textu noſtro; reliqua ad egregias Africanorum illorum confeſſiones pertinentia, alibi ex laudato Victore diligentius illuſtranda ſunt.

AUCTARIA.

Nic. archiep. TORNACEN. In toto textu puriſſimus eſt, verum neſcio, quid hîc ad rem faciat hæc additio: *Item natale ſancti Nicholai archiepiſcopi.*

De Afris. PULSANEN. Sic textum mutat: *Natalis beatiſſimi Nycolai epiſcopi Mirorum Liciæ. Apud Africam, ſanctorum Dioniſiæ, Davitæ, Leontis, Emiliani, Decimi & religioſi viri nomine Tertii, Bonifacii, Servii, Victoris & Loris adoleſcentis.* Vide Adonem, vel potius Victorem ipſum in Obſervatione citatum, atque item hodiernam Caſtellani notulam.

De Nicolao. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERG. & DANIC. Satis puri in toto textu, de Nicolao adjiciunt: *Dormivit autem in ſenectute bona, & appoſitus eſt ad patres ſuos anno Domini trecenteſimo quinquageſimo octavo.*

LOVANIEN. In augmento cum prioribus convenit, ſed mutilat Afrorum elogium.

Textus mutatus. CENTULEN. *Natale beati Nicholai, Mirreorum Liciæ archiepiſcopi, viri fonte caritatis & totius pietatis repleti. Apud Africam, ſanctarum Dyoniſiæ, Dativæ, Leontis & Emiliani medici, & religioſi viri nomine Tertii, & Bonifacii & Servii & Victricis & Majorici adoleſcentis, qui omnes ſub Wandalica perſecutione coronati ſunt*

Martini abbatis. BRUXELLEN. Primam ſatis puram refert, ſed caret ſecundâ, ad ſequentem diem rejectâ. Subdit vero: *Apud Sanctonas, beati Martini abbatis, diſcipuli ſancti Martini, Turonicæ urbis epiſcopi. Qui in monaſterio, quod ipſe ædificavit; in pace quieſcit; ad cujus tumulum creberrime divinitus fiunt miracula.* Hanc annuntiationem, ad ſequentem diem melius diſtuliſſet. In fine adjicitur: *Romæ, ſancti Eutaciani.* Pro *Eutychiani.*

HAGENOYEN. Plura de Nicolao refert, quam Acta ipſa commemorent. Secundam annuntiationem integram ferme habet, ſed pro ſuo libitu tranſpoſitam.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Nicolai epiſcopi & confeſſoris. Dionyſiæ, Dativæ, Leontiæ, & aliorum plurimorum martyrum.*

De Nicolao. EDITIO LUBECO-COL. De Nicolao adjungit: *Et quam egregius hic ſanctus inter præcipuos præſules, quam clarus in miraculis, quam proficuus in doctrinis, quam ſplendidus in exemplis, & [ad] enarrandum lingua humana vix ſufficit. Dormivit autem in ſenectute bona & appoſitus eſt ad patres ſuos anno Domini trecenteſimo quinquageſimo octavo.* In ſecunda annuntiatione, poſt *& Bonifacii cum aliis tribus*, adnectitur corruptis nominibus, *videlicet Zerini, Victoris & Meroici adoleſcentis martyrum.* *De Afris.* *Qui omnes pro confeſſione fidei Catholicæ ſub Hunnerico rege Arrianorum, graviſſimis & innumeris ſupplicüs excruciati, confeſſorum Chriſti numero ſociati ſunt.* In fine: *Eodem die, ſanctæ Ozellæ* [pro *Aſellæ*] *virginis.* *Aſellæ.* Vide Surium.

De Afris. GREVEN. *Nomina trium martyrum, apud Aphricam cum ſupra nominatis paſſorum, ſunt Servius, Victrix & Majoricus adoleſcens, qui exemplo aliorum, matris ſuæ Dioniſiæ exhortationibus roboratus, ſub Hunerico rege, in certamine confeſſionis reddidit ſpiritum. Item in Aphrica, ſanctorum Zeloti, Fortunati, Hermogenis, Rogati, Theguli & Agatæ virginis.* *Zeloti & ſociorum.* De his videnda ſunt apographa Hieronymiana. Pergit: *Romæ, beati Nicolai Papæ & confeſſoris, de quo Martinus in Chronica ſua teſtatur, quod fuerit poſt magnum Gregorium vir ſanctiſſimus.* *Nicola. PP.* *Ozellæ virginis.* Jam dixi ſcribendum *Aſellæ.* Vide Martyrolog. Rom & Caſtellani notulam.

Aſellæ. MOLAN. In prima editione litteris minoribus ſolum adjicit: *Aſellæ virginis, in utero matris, ut teſtatur Hieronymus, benedictæ.* De ea nihil in editionibus poſterioribus, in quibus legitur: *Marcianis, natale ſanctæ Gertrudis.* Addit, qui manuſcriptas notas hinc inde appoſuit noſter Joannes Gravius, *viduæ & primæ abbatiſſæ Hamaticenſis ad Scarpam fluvium, non procul à Duaco.* Notat præterea idem Gravius ad marginem: *Obiit Hamatici anno* DCLV, *tranſlata poſtea Marcenas.* Caſtellanus in Martyrologio univerſali paulo aliter nomen format, non *Gertrudis* ſcribens, ſed *Geretrudis.*

Gertrudis Hamaticen.

VII *Idus.* *Die* 7.

Agathon. APud Alexandriam, natalis beati Agathonis martyris, ſub Decio imperatore, qui cum eſſet militaris & prohiberet quoſdam volentes illudere mortuis cadaveribus Martyrum, clamor repente totius vulgi adverſus eum extollitur. Oblatus autem judici, cum in confeſſione perſiſteret, capite pro pietate damnatus eſt. Civitate *Martini.* Sanctonas, ſancti Martini abbatis, ad cujus tumulum creberrimè di- *Faræ.* vinitus fiunt miracula. In pago Meldicenſi, ſanctæ Faræ virginis.

Sic habent *Praten. Herinien. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Praten. & Munerat. legunt *Agatonis*, melius ceteri, ut eſt in textu. Non male poſuit Antverp-maj. *capitis pro pietate* &c. ſed reliqui omnes *capite.* Videtur Molan. alteram Belini editionem ſecutus in duarum ultimarum annuntiationum tranſpoſitione, Faram præponendo Martino. Idem ſcribit *Pharæ* cum Antverp-maj. at ſatis patet, nullam in hoc nomine cum Græco ſermone affinitatem intervenire. Greven. & Molan. legunt *creberrima divinitus fiunt* &c; recte ad mentem Adonis, ſed nos aliorum codicum Uſuardinorum ſcribendi rationem præferimus.

Agathonis. OBSERVATIO. Baronius Juliano & Euno, de quibus cum Romano parvo, Adone & Uſuardo egimus XXVII Februarii, militem, eorum occaſione paſſum, & in editione Euſebiana Chriſtophorſoni *Beſam* appellatum, tamquam martyrii ſocium eodem die ſubjunxit; hoc vero die *Agathonem* Adonianis vel Uſuardinis verbis ſignans, ſic obſervat: *Simile certamen hic* (Agatho) *ſubiiſſe videtur, ac ille, de quo ex Dionyſio Alexandrino Euſebius in tranſlatione Rufini lib.* 6 *cap.* 30 (nobis 31,) *qui & in editione Chriſtophorſoni* BESA *appellatur lib.* 6 *cap.* 34, *de quo ſuperius agitur* III *Kal. Martii. Porro diverſum nomen & dies natalis, alium ab illo eſſe perſuadet.* Ita vir Eminentiſſimus, quem deceptum adverto, diverſitate phraſium, quibus Euſebium interpretes tranſtulere. Fontem ipſum aſſignemus, & ad oculum patebit, militem illum, qui apud Rufinum lib. 6 cap. 31 anonymus eſt, quocumque demum nomine donetur, in perſonas duas nequaquam diſtrahi poſſe. Auctor Romani parvi ſcaturiginem ſuam de more conſulens, præfatum militem, propria, opinor, auctoritate, ſumptaque fortaſſe ex præclaro opere appellatione, ob pietatem in mortuos *Agathonem* vocans, ſic legit: *Alexandriæ, Agathonis martyris & militis ſub Decio.* Ado autem, Rufini locum deſcribens & modice amplificans, Uſuardus vero nonnihil contrahens, tam clare *Beſam* Euſebii, tum apud Chriſtophorſonum cap. 34, tum apud Valeſium cap. 41 deſignant, ut Rufinum cum hodierno textu conferenti, nullum prorſus dubitationis locum relinquant. En ipſa Rufini verba: *Sed vir quidam militaris cum aſſiſteret, & quoſdam, volentes etiam mortuis illudere cadaveribus, prohiberet, clamor repente adverſus eum totius vulgi extollitur: offertur judici fortiſſimus miles jam Domini, & nuſquam ſe inferior factus, in confeſſione perſiſtens, capitis proprietate* (lege *pro pietate*) *damnatur.* Non potuit textus noſter manifeſtius fontem ſuum commonſtrare, quod die ſequenti in Macario clare denuo pateſcet. Neque vero à diverſis diebus natalibus quidquam evincitur, cum toties oſtenderim, auctorem Romani parvi dies pleroſque, pro mero ſuo libitu, Sanctorum, quos in Rufino reperit, cultui conſecraſſe. Adde, quod ea dierum diverſitas à ſolo Baronio inducta ſit, qui apud nullum antiquum Martyrologium, *Beſæ* nomen XXVIII Februarii uſquam invenerit, primus ipſe eum notans, ubi eodem jure Macarium diei ſequentis, & tot alios, eodem Rufini capite memoratos, conjungere potuiſſet. Nobis itaque perſpicuum videtur, *Beſam* & *Agathonem* unum & eumdem martyrem eſſe, qui apud Rufinum deſcribitur.

De variorum *Martinorum* confuſione egimus ad diem XXIV Octobris, citantes Caſtel-*Martini.* lanum, & illo & hoc die Sanctos iſtos ſynonymos accurate diſtinguentem. Qui *Martinum* Sanctonenſem, qui hîc colitur, primus in Faſtos ſacros retulit Martyrologus Vien-

Viennenſis, ſic eum depinxit, ut clare oſtendat, ſe Gregorii Turonenſis caput 57 de Gloria Confeſſorum præ oculis habuiſſe; nec ſcio monumenta alia ſupereſſe, ex quibus de ejus geſtis plenius edoceamur. Utramque Adonis annuntiationem Noſter in textu relato contraxit. *Burgundofora* in noſtris Auctariis Uſuardinis recurrit III Aprilis, eo die, ut credimus, relata per errorem, in vita ejus inventum, cum de cetero certum ſit, vere & bene ab Uſuardo hoc die primùm ſignatam ſub nomine *Faræ*, aliis *Burgundofaræ*, de cujus nominis etymologia videndus Mabilio ſeculo 2 Benedictino pag. 438, ubi ex Actis ſanctorum Columbani, Euſtaſii & Attalæ ea producit, quæ ad Burgundofaram, vel ad virtutes & res mirabiles, in Eboriacenſi monaſterio ejus tempore factas, pertinent. In Romano, Angliæ adſcribitur, III Aprilis; hoc die pago Meldenſi. Vide notationem Motherii. Plura alia in collectaneis noſtris manuſcriptis reperio, unde cetera olim illuſtrari poterunt. Solus Wandelbertus hoc die apographa Hieronymiana ſecutus eſt, dum prætermiſſis, aut forte non cognitis Sanctis noſtris, ſic cecinit: *Septenas retinet Polycarpus cum Theodoro.* *Faræ.*

AUCTARIA.

Ordinat. Ambroſii. PRATEN. In apographo noſtro ponitur in fine: *Ipſo die, ordinatio ſancti Ambroſii Mediolanenſis epiſcopi*; at cum ea verba ſubvirgulata ſint, ſuppono ad marginem adjecta eſſe, licet Caſtellanus id non obſervaverit, qui tamen die ſequenti oculatè auctarium diſtinxit.

TORNACEN. In prima purus, ſecundam producit uſque ad *abbatis*. Deſunt reliqua.

ROSWEYD. In textu ſatis purus, addit: *Octava ſancti Andreæ Apoſtoli.* *Oct. Andreæ.*

PULSANEN. In prima purus eſt, uſque ad *imperatore*. Tum: *Martini abbatis, diſcipuli beati Martini Turonenſis epiſcopi.* Deeſt tertia. Additur: *Apud Spoletum, paſſio ſancti Sabini epiſcopi, Exuperantii & Marcelli diaconorum.* Alii codices agunt de ſolo Sabino, cujus elogium videri poteſt apud Rabanum. *Sabini & ſociorum.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Incipiunt: *In monaſterio Liberiaco, natale ſancti Gerebaldi epiſcopi.* Sequitur textus. Tum in fine omnes adjungunt: *Ordinatio beati Ambroſii epiſcopi. Et Octava ſancti Andreæ.* *Gerebaldi. Ord. Ambr. Oct Andreæ.*

ANTVERP-MAX. LOVAN. & LEYDEN-BELG. Textui puro in fine adjiciunt: *In monaſterio Liberiaco, natale ſancti Gerebaldi epiſcopi. Eodem die, ordinatio ſancti Ambroſii epiſcopi. Et Octava ſancti Andreæ.* *Gerebaldi. Ord. Ambr. Oct. Andr.*

LEYDEN-LATIN. Cum prioribus convenit, ſed ordinationem ſancti Ambroſii fuſius deſcribit hoc modo: *Eodem die, ordinatio beati Ambroſii epiſcopi & confeſſoris. Qui Mediolanum veniens, dum ſeditionem populi de ordinando ſibi epiſcopo ſuſcitatam, ſopire ſuo alloquio niteretur, ad vocem infantis, qui eum nominavit epiſcopum, cuncti repente in ipſum concordia incredibili conſenſerunt. Oblatum autem honorem fugiens, aliquamdiu latuit, ſed tandem divinam circa ſe voluntatem intelligens, conſenſit.* Cum hoc codice plane convenit ULTRAJECT. ſed ordinationem Ambroſii ponit primo loco. Et ſic quoque habent ALBERG. & DANIC., qui carent auctario ultimo de Octava ſancti Andreæ. *Gerebaldi. De Ordinat. Ambroſii. Oct. Andreæ.*

CENTULEN. *Apud Alexandriam, beati Agathonis martyris, ſub Decio imperatore. Apud Sanctonas, beati Martini abbatis, qui fuit diſcipulus ſancti Martini Turonenſis. Apud Spoletum, ſancti Salvii* [vult dicere *Sabini* vel *Savini*] *epiſcopi & martyris. Et Octava ſancti Andreæ Apoſtoli.* *Sabini. Oct. Andreæ.*

BRUXELLEN. Incipit: *Octava ſancti Andreæ Apoſtoli.* Sequitur de Agathone, ſatis pure. Tum de Dionyſia aliiſque martyribus Africanis ex die præcedenti. Deinde: *In Spolitana urbe, ſancti Sabini epiſcopi & martyris. Et natale beati Palmacii martyris incliti. In pago Meldenſi, ſanctæ Faræ virginis. In civitate Avennis, natalis ſanctæ Agricolæ. In monaſterio Liberiaco, natale ſancti Gerebaldi epiſcopi. Mediolani, ordinatio ſancti Ambroſii epiſcopi & confeſſoris.* *Oct. Andreæ. Dionyſ. &c.* *Sabini. Palmacii. Agricolæ. Gerebaldi. Ord. Ambr*

HAGENOYEN. Incipit de *Octava Andreæ*, ut præcedens. In Agathone ſatis purus etiam eſt. Tum: *Mediolani, ordinatio beati Ambroſii epiſcopi, qui illic, non quaſi epiſcopus venerat, ſed quaſi judex, qui oblatum ſibi honorem fugiens, latère voluit & fugere, ſed non valuit. Et tunc cum divinam erga ſe voluntatem intellexit, conſenſit. Cujus electio à Valentino* [Valentiniano] *imperatore confirmata eſt.* In Martino & Fara, ſatis purus eſt. Demum in fine adjicit ut ſupra: *In monaſterio Lyberiaco, natale ſancti Gerebaldi* &c. *Oct. Andr. De ordinat. Ambroſii. Gerebaldi.*

VICTORIN. Adjicit in fine: *Apud Spoletum, ſancti Sabini epiſcopi.* Alii *Savini* &c. *Sabini.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Pharæ virginis, quæ mirabiliter pro caſtitate certavit. Octava Andreæ. Gerebaudi*, vel *Gerebandi epiſcopi.* Aliàs *Gerebaldi* vel *Gereboldi.* *Oct. Andr. Gerebaldi.*

BIGOTIAN. ſign. P 5. Primo loco: *In monaſterio Liberiaco, natale ſancti Gerebaldi epiſcopi.* *Gerebaldi.*

REG. SUEC. ſignat. num. 130. *Mediolani, ſancti Ambroſii epiſcopi. Apud Spoletum, ſancti Sabini epiſcopi.* *Ambroſii. Sabini.*

In VATICAN. num. 5949. Omiſſa eſt Fara; ſed adjectum: *Mediolani, natale ſancti Ambroſii epiſcopi & confeſſoris. Apud Spoletum, ſancti Savini epiſcopi & martyris.* *De iiſdem. Savini.*

FIORENTIN. *Apud Spoletum, ſancti Savini epiſcopi & martyris. Item ſanctorum martyrum Venuſtiani cum uxore & filiis, ut in geſtis ſancti prædicti legitur. In monaſterio Liberiaco, ſancti Gerebaldi epiſcopi. Sanctonas..... Item apud prædictam civitatem, ſancti Eutropii martyris.* *Venuſt. &c. Gerebaldi. Eutropii.*

EDITIO LUBECO-COL. *Octava ſancti Andreæ Apoſtoli.* De *ordinatione ſancti Ambroſii*, ut LEYDEN-LAT. ſupra. In Agathone ſatis pura eſt. Tum: *Civitate Xanctonas, ſancti Martini abbatis, diſcipuli ſancti Martini, Turonenſis civitatis epiſcopi. Ad cujus tumulum creberrima divinitus fiunt miracula. Qui in monaſterio, quod ipſe fundavit, in pace quievit. In Spolitana urbe, depoſitio ſancti Sabini epiſcopi & confeſſoris.* De Gerebaldo, habet ut ſupra: de Fara, pure. *Oct. Andr. Ord. Ambr. De Martino Sabini. Gerebaldi.*

BELIN. *Mediolani, ordinatio ſancti Ambroſii epiſcopi & confeſſoris, cujus ſanctitate tota Mediolanenſium civitas decoratur.* Caret Martino; cetera ſatis *De Ordinat. Ambroſii.*

satis pura sunt. In secunda editione, de Ambrosio legit, *cujus sanctitate universalis ecclesia decoratur*. Hîc autem in fine apponitur Martinus.

Invent. S. Crucis. Oct. Andr. Polyc. &c. Ord. Ambr.

GREVEN. *Inventio sanctæ Crucis secunda. Octavæ sancti Andreæ. Antiochiæ, sanctorum Policarpi & Theodosi. Apud Mediolanum, ordinatio episcopatus beati Ambrosii. Qui cum seditionem populi de eligendo sibi episcopo ortam, sedare vellet, vox infantis insonuit, dicens Ambrosium episcopum. Mox omnium unanimi consensu rapitur multumque renitens, in episcopum consecratur. Apud Spoletum,* *Sabini. Marcelli. Gerebaldi.* *beati Sabini episcopi & confessoris. Marcelli episcopi. In monasterio Liberiaco, sancti Gereboldi episcopi Baiocensis & confessoris. Qui castitatis zelo stuprum recusans, velut alter Joseph, carceri, ut fame periret inclusus, angelorum consortio fruitur; deinde molari lapidi alligatus, in mare projicitur, sed divina gubernante providentia, sanus Normaniæ partibus applicuit. In cujus adventu arbores ibi floruerunt, cæci illuminati sunt, claudi gradiendi officium consecuti, ipse etiam cælesti oraculo Baiocensis episcopus factus, vita & miraculis clarus,* *Dodovaldi.* *quievit in pace. Ipso die, Dodovaldi presbyteri. In* *Boëtii.* *Hibernia, Boëtii confessoris.*

Gerebaldi. MOLAN. *Apud Baiocas, in monasterio Liberiaco, depositio beati Gerebaldi, præfatæ urbis episcopi & confessoris. Mediolani, ordinatio Ambrosii epi-* *Ord. Amb.* *scopi & confessoris, cujus sanctitate universalis Ecclesia decoratur.* Adjicit typis minoribus: *Qui cum ultima jacêret ægritudine, dicebat; Mori non timeo, quia bonum Dominum habemus.* Editiones alteræ litteris Italicis textui præfigunt, *Mediolani* &c. usque ad *decoratur* ex secunda BELINI editione. In fine de Liberiaco, ut editio prior. Demum, quod apud alios non legitur: *Eo-* *Giraldi.* *dem die, sancti Giraldi, episcopi Veliterni & confess.*

VI *Idus.* *Die* 8.

Eutychian. ROmæ, natalis beati Euticiani Papæ, qui rexit Ecclesiam anno uno, & sub Aureliano, martyrio coronatus est, sepultus in cimeterio Calisti, qui & ipse per diversa loca trecentos quadraginta duos martyres manu sua sepelivit. Ipso die apud Alexan-

Macarii. driam, sancti Macharii martyris, qui tempore Decii, à judice, cum multis verbis ad negandum suaderetur, & eo majori constantia fidem suam profiteretur, vivus ad ultimum jubetur exuri.

Sumitur ex solis *Praten. Herinien. Antverp.* & *Max-Lubec.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Recte à Molano scriptum *Eutychiani*: à Pratensi non omnino male *Euthiciani*; à reliquis, passim *Euticiani*, ut est in textu. Praten. legit *tercentos*, melius alii: nonnulli numeralibus litteris usi sunt. *Macharii* & hîc & alibi receptus codicum scribendi modus est. In codice Herinienſi, post *majori constantia*, irrepsit *ad*, male & contra constructionem.

Macarii. *OBSERVATIO.* Vetustissima, quæ quidem in Fastis ecclesiasticis supersit, *Eutychiani* Pontificis memoria habetur in Kalendario Bucheriano, sub titulo *Depositionis Episcoporum*, his verbis: VI *Idus Decemb. Eutichiani in Callisti.* In Hieronymianis plerisque hoc die legitur: *Romæ, Euticiani*; vel ut est in antiquissimo Epternacensi: *Romæ, depositio Eticiani* [Euticiani] *episcopi*; quem & die præcedenti posuerat: *Et Romæ, Euticiani episcopi.* Ex his autem dubius redditur verus sive obitûs, sive martyrii dies, ab aliis signatus XXV & XXVII Julii; an ob aliquam translationem, incompertum est. Dubium item redditur martyrium, cum tam clare exprimatur *depositio.* Sed de his alibi disputandum erit. Interea Romani parvi auctor diserte signavit: *Romæ, Eutychiani Papæ & martyris, qui* CCCXLII *martyres sua manu sepelivit.* Hæc ut ab Adone ex Pontificalibus ampliata sunt, ita à Nostro ad verbum descripta, servato numero trecentorum quadraginta duorum, qui in Catalogis ante tomum I Aprilis editis pag. XXVIII ad trecentos sexaginta duos extenditur, facili mendo ex litterarum transpositione; vel forte, quod diversum catalogum consuluerit Romani parvi compilator. Alium errorem adoptavit Viennensis, dum Eutychiani pontificatum octennem, ad unicum annum contraxit; atque item alterum in nomine *Aureliani imperatoris*, qui recte cum Eutychiani principiis, non cum exitu connectitur. At enim mendum prius, secundum trusit, cum suppositа pontificatûs brevitate, etiam ab Eusebio asserta, ferme sub Aureliano extremum diem claudere potuerit Eutychianus. Nos de longiori duratione, Baronii, Henschenii, aliorumque eruditorum opinionem præferendam existimamus. An autem in Romano moderno tyranni nomen recte in *Numerianum* mutaverit Baronius, disquisitionis est paulo scrupulosioris. Nulla, quod sciam, Eutychiani Acta supersunt: poterit suo tempore historica sylloge ex documentis hinc inde collectis concinnari, qualem inchoavit Tillemontius tomo 4 pag. 365. En metricum Wandelberti encomium:

Eutychiane, nites senis felice, Papa, cruore.

Quem-

Quemadmodum primam ſuam annuntiationem ex Adone deſcripſit Noſter, ſic & alteram ad verbum tranſtulit, exceptis tribus voculis, *qui gente Libycus*. Eſt hîc *Macarius*, aliis *Macar*, de quo pridie loqui cœpimus, ab auctore Romani parvi ex citato ibi cap. 31, lib. 6 hiſtoriæ Rufini acceptus, ubi *militi*, vel *militari*, diei præcedentis immediate ſubjungitur, hoc modo: *Alius quidam vir nominis ſui Macharius, gente Libicus, cum multis verbis à judice ad negandum ſuaderetur, & eo majore conſtantia fidem ſuam profiteretur, vivus ad ultimum jubetur exuri.* Sequuntur ibi *Epymachus* & *Alexander*, de quibus aliiſque martyribus, citato Rufini capite comprehenſis, agitur XII Decembris, ut manifeſtiſſime perſpicias, dierum ſeu feſtivitatum hujuſmodi delectum à ſolo Romani parvi auctoris arbitratu pependiſſe. *Macarii.*

AUCTARIA.

Concept. B. V. M. PRATEN. Ad marginem, vel ſaltem alia manu, adjectum habet: *Conceptio beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ.* De hac plura inferius ex aliis codicibus. Vide notulam Caſtellani, & Motherium p. 445.

TORNACEN. In prima purus, totum Macarii elogium reſcindit, à *qui tempore* &c.

Concept. B. V. M. ANTVERP-MAJ. Poſt textum in fine adjicit: *Conceptio ſanctæ Mariæ Virginis.*

Eucharii. ROSWEYD. In fine: *Treveris, Eucharii epiſcopi & confeſſoris, qui unus ex* LXXII *diſcipulis, à Petro Apoſtolo in opus euangelizandi Galliæ directus eſt. Eodem die, Zenonis & Syri confeſſorum.* De

Zenonis & Syri. Syro vide XII Septembris; Zenonem hoc die Eutychiano ſubjunxit Wandelbertus. *Has quoque Zenon habet conjuncto martyr honore.*

PULSANEN. In prima purus eſt uſque ad *Calixti.* Tum: *Ipſo die apud Alexandriam, beati Macharii ſubdiaconi.* [melius legeret *ſub Decio.*] Deſunt reliqua omnia. In margine recentiſſima

Concept. B. V. M. manu adjicitur: *Conceptio beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ*, ut ſupra in primo codice.

Ejuſdem. MUNERAT. Incipit: *Conceptio Virginis glorioſæ.*

Ejuſdem. GREVEN. Incipit: *Conceptio beatiſſimæ Mariæ, perpetuæ Virginis & matris Domini glorioſæ.* Et præterea in fine textui adſcribit: *Eodem die, de-*

Leonardi. *poſitio ſancti Leonardi epiſcopi & confeſſoris.* Epiſcopum non novi, nec ſatis ſcio, quis ſit preſbyter infra nominandus, niſi cum Leonardo alio confundatur.

MOLAN. Litteris Italicis textui præfigit ex

De Concept. BELIN. *Conceptio ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

ANTVERP-MAX. LOVAN. & LEYDEN-BELG.

De eadem. Habent principium MUNERATI: *Conceptio Virginis glorioſæ.* Sequitur textus, cui ſub finem ad-

De Euchar. jungunt: *Treveris, ſancti Eucharii, primi ejuſdem loci epiſcopi & confeſſoris, qui extitit unus de ſeptuaginta duobus diſcipulis Domini.*

ULTRAJECT. Alio principio: *Conceptio beatæ*

Concept. *Virginis Mariæ.* De Eutychiano autem poſt *ſe-*

De Eutych. *pelivit*, textui inſerit: *Hic conſtituit, ut fruges, fabæ, & uva tantum ſuper altare benedicerentur, & qui martyrem ſepeliret, ſine dalmatica aut collobio purpurato non ſepeliret.*

LEYDEN-LAT. Initium & finem habet, ut ANTVERP-MAX. &c. In Eutychiano convenit cum ULTRAJECT. Convenit etiam ALBERG. Sed hic de Conceptione ſcribit: *Feſtum Conceptionis glorioſæ Virginis Mariæ*, quæ in DANIC. recentiori manu adſcripta ſunt. In reliquis citati codices concordant.

CENTULEN. *Exordium humanæ redemptionis, & initium noſtræ illuminationis, præconatur hujus pia ſolemnitas noctis ac diei, quando propitiante Deo*

De Concept. B. M. V. *concepta eſt mater & Virgo Maria, paritura filium Dei. Romæ, ſancti Eutychiani Papæ & martyris, qui per diverſa loca trecentos quadraginta duos*

De Euchar. *martyres ſepelivit. Treveris, ſancti Eucharii epiſcopi & confeſſoris, quem beatus Petrus Romæ ordinavit, & in Gallias cum Materno & Valerio miſit. Alexandriæ, beati Macharii martyris ſub Decio.*

BRUXELLEN. *Conceptio beatæ Mariæ ſemper Virginis, & matris Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Sequitur textus purus. Tum: *Romæ, ſanctorum Zenonis, Euſebii & Succeſſi epiſcoporum, & Urani preſbyteri.* Non huc pertinet Zeno, Vide Hieronymiana. *Treveris, beati Eucharii, primi ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris, qui extitit* &c. ut ANTVERP-MAX. *Et ſancti Romarici confeſſoris. Eodem die, in territorio Dunenſi, depoſitio ſancti Leonardi, eximii confeſſoris.* *De Concept.* *Zenonis &c.* *Eucharii.* *Romarici.* *Leonardi.*

HAGENOYEN. De feſto Conceptionis aliqua narrat, quæ deſcribere operæ pretium non duco. Eutychianum diſtulit in diem ſequentem. Itaque ſecundo loco habet: *In civitate Treveris, depoſitio ſancti Eukarii, primi ejuſdem civitatis epiſcopi. Hic extitit unus de* LXXII *Chriſti diſcipulis. Hic ibidem prædicans, mortuos duos ſuſcitavit; & cum quodam tempore crucem contra paralyticum faceret, mortuus ibi ſub terra latens ſurrexit, propter quod miraculum, totam civitatem ab ydolatria convertit & baptizavit. Miracula plura fecit; eccleſias ædificavit, & viginti tribus annis ibi epiſcopus ſedit, & in pace obiit.* In Macario, ſatis purus eſt. Tum: *Item beati Leonardi epiſcopi & confeſſoris. In Auynionis civitate juxta Rodanum, ſanctæ Cæſariæ virginis & martyris.* Non magis hanc Cæſariam novi, quam Leonardum epiſcopum. Indicatur haud dubie *Caſaria*, de qua vide Caſtellanum. Varia de ipſa apud nos collecta ſunt, danda in Actis ad diem IX Decemb. *In monaſterio Habetenſi, ſancti Romarici abbatis.* *Plura de Eucharo.* *Leonardi.* *Cæſariæ.* *Romarici.*

AQUICINCT. De Eutychiano, textui inſerit fere ut ſupra: *Hic conſtituit, ut qui martyrem ſepeliret, ſine dalmatica & colobio purpurato nullatenus ſepeliret, & ut fruges, fabæ & uva ſuper altare tantum benedicerentur.* *De Eutych.*

CODEX Urſini à Roſemberg. *In civitate Verona, ſancti Zenonis epiſcopi & confeſſoris.* Vide XII Aprilis, & Caſtellanum hoc die in notula. *Treveris, ſancti Eucharii, primi eccleſiæ loci epiſcopi & confeſſoris, qui fuit unus de* LXXII *diſcipulis.* *Zenonis.* *Eucharii.*

AMBIANEN. *In territorio Dunenſi, ſancti Leonardi, eximii confeſſoris.* *Leonardi.*

MATRIC-CARTUS ULTRAJECT. Sic orditur: *Sanctificatio beatæ Mariæ.* Additur autem hæc notatio; *Verum anno* MCCCCLXX *talis a Capitulo noſtro generali emanavit ordinatio: Ob uniformitatem laudabilem, in Ordine noſtro obſervandam, & præcipue in celebratione divinorum, ordinamus quod feſtum Virginis Mariæ, quod modo Eccleſia ſolemniter celebrat* VI *Idus Decembris, amodo ſub nomine Conceptionis, per totum Ordinem univerſaliter celebretur, quemadmodum aliàs per Eccleſiam fuit determinatum, non obſtante ſtatuto, quod de ſanctificatione facit mentionem.* Sequitur demum: *Romarici abbatis. Eutychiani Papæ. Macarii martyris.* *Sanctificat. B. M. V.* *Romarici.*

Translat. Sebast. &c. ALTEMPS. *Item translatio sancti Sebastiani martyris & Gregorii doctoris Anglorum.* Vide Auctaria die sequenti.

Zenon. ep. Zenon. M. FLORENTIN. *Veronæ, natale sancti Zenonis episcopi & confessoris, totius sanctitatis viri. Item passio sancti Zenonis episcopi & martyris, qui apud Nicomediam civitatem passus & sepultus est, sub Juliano sacrilego imperatore.* Tum solus STROZZIAN. *Crescentiani Romæ in cœmeterio Priscillæ, sancti Crescentiani martyris, ut lege in gestis sancti Marcelli Papæ.* Vide supra XXIV Novembris.

Multa de Romarico. MONTIS SANCTI. *Recolitur celebre festum sancti Romarici, ducis eximii & confessoris emeriti, qui pompaticas parvi pendens divitiarum phaleras, cum foret generis quantitate nobilissimus, omnipotenti Deo se sanctoque Petro innuit habendum, mancipiis omnibus ac prediis, suum cum certis privilegiis ditans monasterium, quod antiquitus Habendum castrum; nunc mons sancti Romarici nuncupatur. Roma etiam ditione & auctoritate Regum decrevit atque censuit esse subactum.* In his claritas desideratur.

Translat. Baldomeri. CAUDIACEN. *In territorio Lugdunensi, loco qui Sapiniacus vocatur, translatio sancti Baldomeri viri Dei & confessoris.*

Leonardi. DIVIONEN. *In territorio Divionensi, depositio sancti Leonardi, eximii confessoris.*

Ejusdem REMENS. SS. Tim. & Apoll. *In territorio Dunensi, depositio sancti Leonardi confessoris.*

De Concept. De Eutych. EDITIO LUBECO-COL. *Conceptio gloriosæ Virginis Dei genitricis Mariæ, sicut concepta est in utero beatæ Annæ matris suæ.* De Eutychiano habet sicut ULTRAJECT. supra. In Macario, pura est. Dein: *Treveris, sancti Eucharii, primi ejusdem loci episcopi & confessoris. Qui extitit unus de* LXXII *discipulis Domini, & postea a beato Petro Apostolo, una cum discipulis suis Valerio & Materno, qui in decursu temporis in eodem episcopatu successerunt, directus* [est] *ad prædicandum. Qui populum ab idolorum cultura revocavit, & ad fidem Christi convertit. In territorio Dunensi, depositio sancti Leonardi episcopi & confessoris.*

Plura de Eucharo.

Leonardi BELIN. Incipit: *Conceptio immaculata sacratissimæ Virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini nostri Jesu Christi.* Sequitur textus satis purus, sed in fine: *Eodem die apud Veronam, sancti Zenonis episcopi & confessoris.* Vide supra. *Item sancti Martini abbatis.* Ex die præcedenti. In altera editione expunctum *to immaculata.* Omissus est Martinus; sed adjicitur: *Eodem die, sancti Leonardi presbyteri.*

De Concept. Zenonis. Martini.

Leonardi.

GREVEN. In fine: *Ipso die secundum Catalogum & alios, beati Zenonis episcopi Veronensis & martyris, cujus meminit B. Gregorius tertio Dialog. 5, Usuardus habet eum pridie Idus Aprilis. Treveris, sancti Eucharii, primi ejusdem urbis episcopi & confessoris. Hic unus fuit de* LXXII *Domini discipulis, atque à beato Petro cum duobus aliis Valerio & Materno Treverim missus, populum ab idolorum cultura revocavit, plenusque operibus bonis in Domino quievit. Genebandi episcopi Laudunensis & confessoris, de quo in gestis beati Remigii. Romæ, natale beati Eusebii episcopi. Syri Papiensis episcopi primi & confessoris hic natale. Hunc Usuardus habet secundo Idus Septembris, die scilicet, quo memoria ejus & Yventii discipuli successoriisque sui insimul recolitur. Eodem die, sancti Romarici abbatis & confessoris. Qui cum magnus esset in palatio Theodeberti regis Austrasiorum, omnibus renuntians, in Luxoviensi cœnobio, sub sancto Amato monachus primum, deinde abbas factus, tempore quodam apud Vosagum, vas siceræ, quod pridie evacuatum fuerat, & sine duciculo relictum, oratione facta signoque crucis edito plenum reddidit, ubi ad miraculi stuporem & hoc accessit, quod ex ipso vase aperto nihil omnino calitus dati liquoris in terram defluxit. Item Euticiani monachi & confessoris, qui ut libro I Tripartitæ historiæ dicitur, in Bithania Olimpum habitans, ad curandas passiones, & miracula rerum & operum divina repletus gratia, Constantino Augusto propter virtutem vitæ charus admodum erat.*

Genebandi. Eusebii Syri. Romarici cum elogio. Eutychiani monachi.

MOLAN. In fine: *Eodem die apud Veronam, sancti Zenonis episcopi & confessoris. Item sancti Martini abbatis. Eodem die, sancti Leonardi, presbyteri, confessoris in territorio Dunensi. Treveris, natalis sanctæ Anastasiæ.* Typis minoribus: *Eodem die, sancti Romarici, abbatis Luxoviensis & confessoris. Item Eutychiani monachi* &c. ex GREVEN. Editiones aliæ: *Treveris, depositio sancti Eucharii episcopi & confessoris. Et sanctæ Anastasiæ. Eodem die, sancti Romarici confessoris. In territorio Dunensi, sancti Leonardi presbyteri.* De Zenone, ut in prima. *Die Octava, sancti patris Patapii.* Vide elogium in Martyrologio Romano.

Zenonis. Martini. Leonardi. Anastasiæ. Eutych. Eucharii. Patapii.

V *Idus.* *Die* 9.

Leocadiæ. NAtalis sanctæ Leochadiæ virginis, quæ à præfecto Hispaniarum Daciano, apud Toletum dura carceris custodia macerata, cum gravissimos beatæ Eulaliæ & reliquorum martyrum audisset cruciatus, genibus in oratione positis, impollutum Christo spiritum

Cypriani. reddidit. Ipso die, sancti Cypriani abbatis Petragorici, magnificæ sanctitatis & clarissimi in miraculis viri.

Puri sunt *Praten. Herinien. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Antverp-maj. & Molan. recte scribunt *Leocadiæ*, sed in textu servata est reliquorum codicum lectio. De *Daciano* alibi dictum est, hic rursus aliqui *Datiano*, Tornacen. *Deciano* &c. At quid vult Munerat. per *præfecto Hyspaniano?* Suspicor voces duas *Hispaniarum Daciano* typographi imperitia male in unam coaluisse, quemadmodum altera Greveni editio pro *Eulaliæ* pessime formavit *Lualiæ.* In Munerato est *dire* pro *dira.* Molan. legit *spiritum Christo reddidit*, quod Adonianum est; sed Usuardi

di lectio ex codicibus aliis probatur. Nonnulli codices habent *Cipriani*, ut Greven. sed Praten. Herimen. &c. melius ut est in textu. Errat Antverp-maj. dum pro *Petragorici*, ponit *Petragoricæ*.

OBSERVATIO. Quæ hîc primo loco refertur illustris Toletana virgo *Leocadia*, nec in Hieronymianis codicibus, nec in serie Bedæ, nec apud Wandelbertum nota, ab auctore Romani parvi primùm & simplicissime consignata est: *Leocadiæ virginis*, nulla loci, temporis aut martyrii facta mentione, unde verosimillime conjicias, nulla sanctæ Acta vidisse Martyrologii hujus compilatorem. Aliqua nihilominus olim exstitisse necesse est, ex quibus Martyrologus Viennensis eam mortis circumstantiam decerpserit, quæ ex ipso in textum nostrum translata est. Quæri posset, cur Leocadia hoc die celebretur, si verum est, eam tunc *Christo spiritum reddidisse, cum gravissimos beatæ Eulaliæ, & reliquorum martyrum audisset cruciatus*; Eulalia vero Emeritensis, quæ hîc haud dubiè innuitur, passa sit x Decembris? Jam satis nota est recepta nobis & unice vera solutio; videlicet, arbitrarium plane fuisse Adonis antesignano, hujusmodi celebritates certis diebus affigere: ipsum autem præfatus Ado, & post Adonem Usuardus bona fide secuti sunt. Pervulgata Leocadiæ memoria ex Conciliis Toletanis, in ejus ecclesia habitis, repetitur, atque item à ternis basilicis in sola Toletana urbe ejus nomini consecratis, de quibus vide Notationem Baronii, ubi etiam agitur de corporis translatione, quam Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii in dubium revocat. Nos alibi eam controversiam discutiemus, nonnulla Leocadiæ Acta manuscripta vulgaturi, quæ hactenus typis edita non existimo. De eorum sinceritate hîc non disputo, imo ultro fateor, passionem longiorem, quæ apud nos exstat, panegyrim potius videri, quam exactam rerum gestarum narrationem. Nihil reperit Surius præter Adonianum elogium, cui Marinei verba adjunxit, de Sancta *ab altis Toletanæ urbis mœnibus præcipitata*, quæ verum martyrium indicant, ubi *Leocadia* à Concilio Toletano IV, apud Labbeum tomo 5 col. 1702, nonnisi *beatissima & sancta confessor* appellatur. Videri possunt paucula, quæ de Sancta nostra habet Tillemontius tomo 5 pag. 57; & siquis curiosius indagare voluerit, quo fundamento Ordini Carmelitarum adscripta fuerit Leocadia, adeat Responsiones Papebrochii ad art. XVI, à num. 77. Sufficiat modo exhibita textus nostri origo & ad Usuardum transfusio. *Leocadiæ.*

Cyprianus abbas Petragoricus à solo Adone positus est, qui hîc alium suum fontem, nempe Gregorii Turonensis librum de Glor. Confessorum; ut sæpe alibi solet, consuluit, elogium decerpens ex cap. 100, quod Noster integrum adoptavit. De Sancti gestis nihil præterea traditum novimus, neque Petrus in Catalogo lib. I cap. 51, neque Trithemius de viris illustribus Ordinis sancti Benedicti, à Baronio citati, plura aliunde suggerere potuerunt. Sitne porro Cyprianus hic Ordini Benedictino accensendus, alibi examinabitur. Wandelbertus hoc die totus est in translatione sancti Sebastiani: versus dabimus inter Auctaria. *Cypriani.*

AUCTARIA.

PRATEN. Inter puros relictus est, licet hoc die solummodo textum referat usque ad *custodiâ macerata*, exciso pro reliqua parte folio, ut testatur Sirmondus, qui reliqua textûs supplevit ex codice altero, quod vocamus B.

TORNACEN. In textu purus, superaddit: *Jotro monasterio, sanctæ Baldæ virginis.* *Baldæ.*

ROSWEYD. In fine subdit: *Translatio sancti Sebastiani martyris.* Hæc est, quam dixi à Wandelberto versibus decantari hoc modo: *Translat. Sebastiani.*

Sebastianum quinis celebramus, ab Urbe
Translatum, proprio quo Gallica rura patrono
Exultant, ingens templum cui surgit in ora;
Antiquoque nitent æquantia culmina fastu.

Succesſi &c. Sequitur in prædicto codice: *In Africa, Succesſi episcopi & martyris & aliorum viginti quatuor. Antiochiæ, Jherontii martyris & aliorum novem.* Hæc ex Hieronymianis emendanda sunt. *Gerontii &c.*

PULSANEN. Primam sic refert: *Natalis sanctæ Leuchadiæ virginis.* In altera paulo propius ad puritatem accedit.

ANTVERP. MAX-LUBEC UGHELLIAN. ANTVERP-MAX. cum sex codicibus mediæ notæ, & BIGOTIAN. signatus P. 5. Omnes conveniunt in hac additione: *In Africa, sanctorum Petri, Succesſi, Basſini, Porphirii & Urbani.* Aliqui ex his scribunt *Basini*, & omittunt &. *Petri & sociorum.*

CENTULEN. *In Hispaniis, sanctæ Leocadiæ virginis, quæ apud Tholetum durissima carceris maceratione laniata, impollutum Christo spiritum reddidit. Petragoricas, sancti Cypriani abbatis, magnificæ sanctitatis viri, confessoris.* *Textus contractus.*

BRUXELLEN. Incipit: *Romæ, Melchiadis Papæ & martyris; qui constituit, ut nulla ratione Dominica die jejunium ageretur, quia eo die pagani quasi sacrum jejunium celebrabant.* Supra ad x Januarii & die sequenti sæpius recurrit. Pergit: *Cellensi monasterio, natale sanctæ Leochadiæ virginis. Quæ à præfecto* &c. pure. Adverte hic indicari cœnobium, quod vulgo sancti Gisleni dicitur, quo corpus ex Hispania allatum memorant; an post Toletum relatum, disceptatur. Sequitur: *In Africa, sanctorum martyrum Petri, Succesſi, Basſini, Porphirii, Urbani, Victoris & Bonifacii. In Antiochia, sanctorum martyrum Gerontii, Polenciæ, Silvanæ, Valentini, Felicis & Euticiani.* Hi omnes ex Hieronymianis accepti sunt: vide ibi. In ultima annuntiatione satis purus est. *Melchiadis.* *De Leocad.* *Petri & sociorum.* *Gerontii &c.*

HAGENOYEN. Huc transtulit Eutychianum Papam *Eutychiani.*

Papam, de quo die præcedenti satis dictum est.

Syri. Tum: *In civitate Papia, natale sancti Syri, ejusdem civitatis episcopi, magnæ sanctitatis viri.* Et die præcedenti, & hîc sæpius recurrit; jam dixi de eo actum XII Septembris. Sequitur Leocadia, non omnino pure relata. Dein: *In Affrica,*

Petri & sociorum. *sanctorum martyrum Petri, Successi, Passini, Porfirii & Urbani.* In Cypriano, etiam aliquid immutatum est. Sequitur: *In pago Vimacensi,*

Walerici. *natale sancti Walerici presbyteri & confessoris.* Vide XII Decembris. *Item in Jherusalem, nativitas*

Joachim. *sancti Jaachim, patris sanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ. In territorio Lemonacensi* [lege *Lemovicensi*] *sanctæ Valeriæ virginis.*

Valeriæ. Est in Romano, sed vide notulam Castellani.

AQUICINCT. Cum multis aliis codicibus scribit *Datiano*, pro *Daciano*. In fine: *Apud Ticinum, depositio sancti Syri episcopi & confessoris.*

Syri. Vide dicta ad HAGENOYEN.

VICTORIN. & REG. SUEC. signatus num. 130. *Eodem die, sancti Syri episcopi.*

Ejusdem.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. Caret toto hodierno textu, hanc solam annuntiationem

Eucharii. referens: *Eucharii Treverensis episcopi.* Vide de hoc Auctaria diei præcedentis.

REG. SUEC. sub num. 428. *Eodem die, excep-*

De Seb. &c. *tio corporum beatorum Sebastiani & Papæ Gregorii.*

CODEX D. DU CHEVAL. signatus B. *In Africa,*

Petri & sociorum. *sanctorum Petri, Bassini, Porphyrii & Urbani.* Conveniret cum codicibus mediæ notæ &c. nisi deesset nomen *Successi.*

In VATICAN. signato num. 5949. Adjicitur

Zenonis. textui: *Et sancti Zenonis confessoris.* Vide dicta ad diem præcedentem.

FLORENTIN. In fine: *Apud Ticinum sive Papiam, sancti Syri episcopi & confessoris.*

Syri.

EDITIO LUBECO-COL. In Leocadia interserit nomina tyrannorum *Diocletiani & Maxi-*

Petri &c. *miani.* Secundo loco: *In Africa, sanctorum Petri, Successi, Basini, Porphirii & Urbani martyrum.* Sequitur de Cypriano, satis pure. Tum: *Eodem die, memoria beati Joachim patriarchæ, patris*

Joachim. *Anastasiæ* *gloriosæ virginis Mariæ. Treveris, sanctæ Anastasiæ virginis.*

Adveni. *Patrocli* *In Susato, adventus sancti Patrocli martyris.* Vide GREVENUM.

BELIN. In prima editione, textui adjicit: *In*

Petri &c. *Affrica, sanctorum Petri, Successi, Bassiani. Eo-*

Siri. *dem die, beati Siri Papiensis episcopi.* Altera superaddit: *Lemovicas, sanctæ Valeriæ virg. & mart.*

Valeriæ.

GREVEN. *Joachim patriarchæ, patris gloriosæ*

Joachim. *Dei genitricis Mariæ, hîc solennis servatur memoria. Translatio sancti Bartholomei Apostoli à Be-*

Translat. Bartholom. *nevento Romam. In Africa, sanctorum Successi epi-*

Succes. &c. *scopi, Petri, Basini, Porphirii, Urbani, Victoris, Bonifacii & aliorum decem & octo. Antiochiæ,*

Geront. &c. *sanctorum Gerontii, Polentiæ, Sylvanæ, Valentinæ,*

Proculi Veronensis. *Felicis & Euticiani. Veronæ, sancti Proculi, ejusdem civitatis episcopi quarti, & confessoris. Qui tempore Maximini imperatoris, martyrii flagrans desiderio, sponte se gentilibus offerens, ab eis tamquam delirus senex, colaphis & fustibus cæsus, extra civitatem pulsus, tandem signis & virtutibus inclytus quievit in pace.* Vide quæ de variis Proculis diximus in Observatione, 1 Decembris. Sequitur: *In Susato, oppido diœcesis Colonien-*

Advent. Patrocli. *sis, adventus sancti Patrocli martyris, à Trecassina civitate, per sanctæ memoriæ Brunonem Colonien-*

Casariæ. *sem archiepiscopum illuc translati. Cæsariæ virginis &*

Anastasiæ. *martyris.* Vide dicta die præcedenti. *Treveris, sanctæ Anastasiæ virginis.*

Petri &c. MOLAN. *In Aphrica, sanctorum Petri, Successi,*

Syri. *Bassiani. Eodem die, beati Syri Papiensis episcopi.* Utramque descripsit ex BELIN. Pergit: *Jotro*

Baldæ. Valeriæ. *monasterio, sanctæ Baldæ abbatissæ.* Vide Castellanum. *Lemovicas, sanctæ Valeriæ virginis & martyris.* Et typis minoribus: *De qua scribit Martialis epistola 2 ad Tolosanos cap.* 8. Editiones posteriores eadem prorsus habent de tribus martyribus Africanis, de Syro & Balda; de Valeria nihil, sed translata hîc est ad diem sequentem.

IV *Idus.* *Die* 10.

Carpophori & Abund. APud civitatem Hispolitanam, sanctorum martyrum Carpofori presbiteri & Abundii diaconi, qui persecutione Diocletiani primò fustibus crudelissimè cæsi, deinde in carcerem negato cibo & potu retrusi, rursum equuleo torti, & post hæc diu carcere macerati, novissimè gladio percussi sunt. In Hispania civitate

Eulaliæ. Emerita, passio sanctæ Eulaliæ virginis, quæ cum esset annorum tredecim, pro confessione Christi, jussu Daciani præsidis, plurima tormenta perpessa est, novissimè in equuleo suspensa & exungulata, faculis ardentibus ex utroque latere appositis, hausto igne spiritum reddidit. Eodem die apud præfatam urbem, sanctæ Juliæ martyris, quæ

Juliæ. fuit convirginalis sanctæ Eulaliæ & comes individua ad passionem properanti.

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Præcipua & notabilior versatur in nomine loci, ubi Carpophorus & Abundius passi fuerint, quemque Romanum parvum clare nominavit *Spoletum*, nisi forte correctricem manum adhibuerit Rosweydus. In Adone certo scriptum est *apud Hispolitanam civitatem.* Variant codices Usuardini, inter quos Praten. & Belin.

Belin. diſerte legunt *Spoletanam*; Antverp. & Max-Lubec. *Spolitanam*; Roſweyd. & Molan. *Hiſpalitanam*; reliqui paſſim *Hiſpolitanam* cum Adone, à quo Uſuardum receſſiſſe, nihil eſt quod ſatis perſuadeat. At ubi demum quæretur civitas illa *Hiſpolitana?* Hic nodus eſt; cui ſolvendo non apte in Beda Plantiniano ingeritur *Hiſpalis* Bæticæ, ad quam hos martyres pertinere fruſtra, ni fallor, contendunt, qui ex quantumvis levi nominis ſimilitudine Sanctos quoſlibet in Hiſpaniam undequaque ſolent tranſvehere. Si Carpophorus aliquis Hiſpalenſis epiſcopus fuit, is à noſtro diſtinctiſſimus eſt. Scrupuloſior hîc Baronius à nominando loco abſtinuit; non dubitarem ego *Spoletum* eligere, vel ſaltem ejus territorium, quo fere recidit notula Caſtellani, ut locus ſit *Saſſovivo*, apud Fulginium, inter Spoletum & *Spello*, Latine *Hiſpellum*, unde ad formandam *civitatem Hiſpolitanam* facillimus eſt progreſſus. De *Spello* vel *Hiſpello* aliter Latine reddito, egimus XVIII Maii in S. Felice, de quo vide in Actis tomo 4 Maii pag. 167. Siquis meliora invenerit, ultro amplectemur. Plura dabit Janningus in citata non ſemel diſſertatione, ſuo loco publicanda. Alia difficultas in Eulaliæ ætate, quam codices aliqui duodennem dumtaxat faciunt; nos ex probatiſſimis & ex Adone putamus, Uſuardum ſcripſiſſe *annorum tredecim*. Munerat. male legit *jugulata*, pro *exungulata*. Servavimus *Carpofori* &c. ex ſolita codicum orthographia. *Abundi*, *Abundancii*, *Datiano* &c. ſcriptoria ferme ſphalmata ſunt.

Carpophori & Abundii

OBSERVATIO. Prima noſtra annuntiatio hîc rurſus à Romano parvo procedit, ſecundo loco poſt Eulaliam his verbis ſignata: *Spoleti, Carpophori presbyteri & Abundii diaconi.* Rabanus abſque poſitione ſcripſit: *Eodem die, ſancti Habundi & Carpofoli martyrum.* Ado ſic locum formavit, ut multis tricis anſam præbuerit, de cetero elogium texens, cujus potiorem partem extraxit Uſuardus, pro ut in textu noſtro producitur. Apud alios Martyrologos, nulla de his Sanctis memoria. Adoni præluxerunt Acta, qualia à Mombritio edita ſunt, Baronii, imo cujuſlibet non plane imperiti, judicio *admodum depravata*, adeo, ut non videam, mendis omnibus facile expurgari potuiſſe. An id præſtiterit Joannes Baptiſta Bracheſcus, Ordinis Prædicatorum in vita à Baronio citata, explorare non licet, cum vitam illam hactenus non viderim. De his, horumque ſociis Umbriæ Sanctis alibi cum Bollando locuti ſumus, non ſemel lectores remiſimus ad Janningi Tractatum de Dodecade Sanctorum Umbriæ, cui opportunus locus dari poterit IX Julii, cum de Brictio ex duodecim uno, agendum erit. Pluribus hîc immorari operæ pretium non arbitror; citavimus alibi Tillemontium tomo 5 pag. 132. De loco actum eſt in Variantibus: collectanea noſtra Mss. de Sanctorum paſſione & tranſlatione, ſuo tempore illuſtrabuntur.

Eulaliæ.

Inter Hiſpanas Virgines pro fide Chriſti martyrio coronatas merito celebratiſſima cenſetur *Eulalia*, non jam *Barcinonenſis*, de qua egimus XII Februarii, ſed quæ *Emeritæ* paſſa eſt; die præcedenti, ut mihi quidem videtur, in Leocadiæ elogio appellata. Nota eſt alterutra (nam duas eſſe tantiſper ſupponimus) in Kalendario Carthaginenſi: IV *Idus Decembris*, *ſanctæ Eulaliæ.* Apud codices Hieronymianos tribus conſequenter diebus, hoc nempe, XI, & XII Decembris recurrit *Eulaliæ* nomen, primo & ultimo *Almeriæ* vel *Almeri*, medio autem *Romæ.* Plures ſynonymas eſſe potuiſſe, non negaverim; at niſi vehementer fallor, *Almeria* pro *Emerita* illuc irrepſit, nonnullis codicibus Eremitam diſerte exprimentibus. De qua re, uti & de repetitione, pluribus diſſerit Florentinius. Nullam Eulaliam celebravit Beda XII Februarii, unde ad hunc diem retulit Barcinonenſem: *Natale ſanctæ Eulaliæ virginis in Barcilona* &c. in quo eum ſecutus eſt Rabanus, ſic tamen ut hic Emeritenſem referat XII Decembris. Romanum parvum etiam diſtinguit, dum XII Februarii Barcinonem expreſſit, hic vero: *Eulaliæ virginis martyris*, ut certo diverſas ſupponere videatur. Sic item Ado, diverſa utrique tribuens elogia, tametſi nonnulla confuderit, dum Barcinonenſem ex paſſione ſanctæ Leocadiæ ſe accepiſſe teſtatur. Quodcumque textus noſter utroque die refert, Adonianum eſt. At necdum ſublata eſt confuſio, de qua XII Februarii in Actis plura memoravit Henſchenius, hoc die in eodem opere denuo examinanda & illuſtranda. Unica Eulalia, an geminæ fuerint, potiſſimum controvertitur. Qui Eulaliam Barcinone natam, Emeritæ paſſam volunt, vel qui Emeritæ natam & paſſam, Barcinonem ſubinde transferunt; dum Actorum difficultates evitant, in alias labuntur. Certe ex citatis à Ruinartio Sacramentariorum aut Miſſalium documentis, binas fuiſſe ſuadetur. Quidquid unius Acta fortaſſe alteri attributa fuerint. Fateamur cum laudato ſcriptore, *ex neutra parte certa occurrere argumenta, quæ rem penitus conficere valeant*; quo demum etiam deflectit nota Tillemontii tomo 5 pag. 713. Interim Emeritenſis hodiernæ laudes egregie cecinit Prudentius, citato ſæpius libro περὶ στεφάνων hymno 3, quem vide notis illuſtratum apud laudatum Ruinartium à pag. 497. Alios encomiaſtas enumerat Baronii Notatio, quibus recenſendis ſuperſedeo. Ex illis omnibus aliam vitæ ſeriem, neglectis Actis, quæ apud nos multa ſunt, deduxit præ-

fatus Tillemontius tomo 5 à pag. 320. Pro Eulaliarum distinctione clarissime pugnant bina Wandelberti districha, quorum alterum Barcinonensi adscripsimus XII Februarii; hîc vero alterum subnectimus:

Eulaliam sancto quartis veneramur amore
Hispanam; Emeritam cujus cruor ossaque servant.

Juliæ. Sed quid de *Julia* Eulaliæ *convirginali?* Equidem nihil reperio, cui tuto innitar. Prudentio ignotam fuisse, satis ostendit ejus de ipsa silentium. Nec Juliæ usquam meminerunt Acta apud Mombritium, nec alia, quæ penes nos sunt manuscripta. Qui à codicis Epternacensis hodierno textu eam repetunt, facile advertunt, nomen *Juliæ* ibi pro *Eulaliæ* suppositum esse. Restat ergo ut sola Adonis auctoritate subsistat, qui in aliis Eulaliæ Actis eam invenerit, quod nos alibi accuratius inquiremus.

AUCTARIA.

TORNACEN. Caret prima, in secunda purus est, in tertia mutilus, sistens in solis verbis: *Juliæ virginis.*

ROSWEYD. In textu satis purus, habet in fine: *Melchiadis.* *Romæ, Melchiadis Papæ & martyris.*

PULSANEN. Primo loco habet de Eulalia, usque ad *virginis.* Secunda de Julia, partim excisa, partim mutila est. Carpophori & Abundii elogium plane expunctum est.

ANTVERP-MAX. Cum sex aliis mediæ notæ *De Melch.* codicibus, textui satis puro, in principio præfigit: *Romæ via Appia, sancti Melchiadis Papæ, qui cum annis quatuor Romanam rexisset Ecclesiam, martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti.* Vide AQUICINCT.

CENTULEN. *Apud Emeritam Hispaniæ civitatem, sanctæ Eulaliæ virginis, quæ sub Daciano multa perpessa tormenta, novissime eculeo appensa, & igne ad latera posito ustulata, in confessione Christi emisit spiritum. Ipso die & ibidem, sanctæ Juliæ pedisequæ ejus. Item apud eamdem provinciam, sanctorum Carpofori presbyteri & Habundii diaconi, qui post multa sibi illata tormenta, gladio puniti sunt.* Hic solus codex Usuardinus est in quo hoc die duo illi martyres Hispaniæ adscribantur; XII Decembris accedet BRUXELLEN. *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. Incipit ab Eulalia, textui adjiciens: *De Eulalia.* *Et cernentibus Christianis, in specie columbæ niveæ cælum petiit. Cujus sacrum corpus per triduum jussu præsidis pependit in ligno, sed nix desuper puellæ corpus aspexit, & nivali candore coopertum divina gratia dealbatum est.* In Julia, non plane purus est. In fine: *Pauli.* *Et natale sancti Pauli, cujus passio habetur.* Distinctiori notitia opus est.

HAGENOYEN. In prima & secunda nonnihil interpolatus est. Sequitur: *Eodem die Romæ, natale sancti Melchiadis Papæ & martyris; qui tribus annis, mensibus sex, & diebus octo Romanam rexit Ecclesiam. Hic tricesimus primus erat post Petrum, & constituit, ut die Dominica, & quinta feria nulla ratione Christiani jejunarent, quia pagani illos dies quasi sacrum jejunium* [sacro jejunio] *observabant. Et hic sub Maximiano martyrio coronatur. Viennæ,* *De Melch.* *sancti Syndulfi episcopi & confessoris.* Hic à Mosandro Adoni tribuitur, sed Rosweydus in appendicem rejecit. *Sindulfi.* *In Curia Curiensi, sanctæ Eymericæ virginis & martyris. Item sancti Lucii regis, ob Christi fidem exusti.* Ultimo loco refertur Julia, utcumque purè. *Eymericæ. Lucii.*

AQUICINCT. In fine adjicit totam annuntiationem Melchiadis; quæ etiam apud Mosandrum Adoni adscribitur, à Rosweydo rejecta. Sic habet: *De Melch.* *Romæ, depositio Melchiadis Papæ. Hic constituit, ut die Dominica* [adde, *& quinta feria*] *nullus fidelis jejunaret, quia ipsos dies pagani, quasi sacro jejunio celebrant. Et constituit, ut ex consecratu episcopi, oblationes propter hæreticos, per ecclesias dirigerentur. In pago Lemovicensi, sanctæ Valeriæ virginis & martyris.* Vide Castellanum. *Valeriæ.*

VICTORIN. & REG. SUEC. sub num. 130. In fine: *Romæ, sancti Melchiadis Papæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Eulaliæ virginis & martyris. Leuchadiæ virginis.* Male ex *Leocadiæ.* die præcedenti ad hunc translata est. Sequitur: *Sanctæ Juliæ virginis & martyris, quæ fuit socia Eulaliæ virginis. Carpofori presbyteri & Habundantii* [Abundii] *diaconi, martyrum.*

REG. SUEC. sign. num. 428. *Lemovicis, sanctæ Valeriæ virginis & martyris.* *Valeriæ.*

In VATICAN. num. 5949. Deest Julia.

ALTEMPS. *Eodem die, sancti Antigoni & sanctæ Eufrasiæ.* Clarior notitia de hisce Sanctis desideratur. Addit codex: *Lemovicas, sanctæ Valeriæ virginis & martyris.* *Valeriæ.*

FLORENTIN. *Romæ, sancti Melchiadis Papæ.....* *Melchiadis.* *Item sancti Savini episcopi & confessoris.* Puto placentinum indicari, sed hic colitur die sequenti. *Savini.* Vide ibi Auctaria nostra & Martyrolog. Rom.

EDITIO LUBECO-COL. Primo loco de Melchiade, in quo eadem ferme describit, quæ habet AQUICINCT. supra. In prima nostra annuntiatione satis pura est. De Eulalia, sic legit: *In Hispania, civitate Emerita, passio sanctæ Eulaliæ* *De Eulalia.* *virginis & martyris. Quæ cum temporibus Diocletiani imperatoris, duodecim esset annorum & nobilissimis orta natalibus, Daciano præside sedente pro tribunali, sponte se coram eo obtulit, & de crudelitate, quam in Sanctos Dei exercuerat, dire increpavit, quapropter ab eodem plurima tormenta perpessa est; novissime autem in eculeo suspensa & exungulata, faculis ardentibus ex utroque latere appositis, donec paulatim combusturum consumeretur. Sed ea orante, flamma in tortores eversa est; & perseverans in oratione, in columbæ specie spiritum emisit, videntibus populis & dicentibus; Gloria tibi Domine.* In Julia, satis pura est. Demum: *Vienna, sancti Sindulphi episcopi & confessoris.* *Sindulfi.*

BELIN. Textui satis puro adjicit ut supra: *Romæ, sancti Melchiadis Papæ & martyris.*

GREVEN. *Romæ via Appia, beati Melchiadis* *De Melch.* *Papæ. Qui cum ante beatum Silvestrum rexisset Ecclesiam annis quatuor, martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti. Ipse constituit, ut die Dominica & feria quinta jejunium minime observetur, quod hos dies pagani prophanis jejuniis ducebant. Ipso die, passio beati Pauli episcopi, cujus* *Pauli.* *passio habetur. Item, sanctorum Victoris, Adriani,* *Victoris &c.* *Cecilia. Item Silvini, Valentini. Pauli Papæ &* *Silvini &c.* *Pauli Pp.* *mar-*

martyris, qui ſecundum Catalogum habetur VI *Kal. Februarii. Vienna, beati Sindulphi epiſcopi & confeſſoris. Pontianæ virginis. In civitate Armennis, natalis ſanctæ Agricolæ.*

Sindulfi. *Pontianæ.* *Agricolæ.*

MOLAN. In prima editione unicum habet augmentum; quod deſcripſit ex BELIN. *Romæ, ſancti Melchiadis Papæ & martyris* In poſterioribus editionibus de Melchiade poſt *Papæ*, duo ſequentia verba parentheſi includit, ut martyrium in dubium revocet. Vide Romanum & Notationem Baronii. Catellianus ex veteri Kalendario Bucheriano recte contendit, Melchiadis natalem ad x Januarii referendum; quo die vide Auctaria. Porro præfatæ editiones poſteriores ſuperaddunt: *Vienna, ſancti Sindulphi epiſcopi & confeſſoris. Lemovicas, ſanctæ Valeriæ virginis & martyris. Apud Leontinos in Sicilia, ſanctorum militum viginti martyrum, quorum unus Mercurius dicebatur, ſub Tertyllo præſide, Licinio imperante, qui à ſanctis Alphio, Philadelphio, & Cyrino converſi fuerant. Die decima, ſanctorum martyrum, Menæ, Hermogenis & Eugraphi.* Vide Sur.

Melchiadis. *Sindulfi.* *Valeriæ.* *Mercur. &c.* *Menæ & ſociorum.*

III *Idus.* *Die* 11.

ROmæ, natalis beati Damaſi Papæ, & paſſio ſancti Traſonis martyris, qui cum eſſet chriſtianiſſimus, jubente Maximino tentus eſt, ac cum aliis duobus Pontiano & Prætextato, martyrio coronatus. Civitate Ambianis, ſanctorum martyrum Victorici & Fuſciani. In horum naribus & auribus juſſit judex tarincas immitti, & clavis candentibus capita transfigi, deinde oculos evelli, ac poſtremum per eorum corpora jaculari, ſicque unà cum ſancto Gentiano hoſpite ſuo capitibus amputatis migraverunt ad Dominum. In Hiſpaniis ſancti Euticii, cujus geſta habentur.

Damaſi. *Thraſonis & ſocior.* *Victorici & ſocior.* *Eutychii.*

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Greven. & Molan. omittunt in principio *natalis. Traſonis* ſcribunt fere codices omnes. *Maximino* legit Ado, & ita probatiſſimi codices, contra alios multos, in quibus mutatum eſt nomen in *Maximiano.* Herinien. poſuit *coronatus eſt.* Greven. & Molan. pro *chriſtianiſſimus*, ſimpliciter habent *chriſtianus.* In Ambianenſibus ex ſenſu Uſuardi ordinandis occurrit difficultas, ob quam Pratenſis cum ſuis à puris ferme excludi merebatur, utpote qui contra Actorum fidem, in principio legit: *Gentiani & Fuſciani*; in fine autem, *cum ſancto Victorico hoſpite ſuo.* Dices, Uſuardum ſic ſcribere & ſic errare potuiſſe; non exiſtimo: cum Acta ipſa præ oculis habuerit. Melius Herinien. Gentianum hoſpitem facit, ſed non recte in initio tres ſimul componit, *Victorici, Gentiani & Fuſciani.* Optime fortaſſe legunt Antverp. & Max-Lubec. *Fuſciani & Victorici*, attamen Munerat. Greven. & Molan. præferendos video, dum cum Adone exordiuntur à *Victorici & Fuſciani*, quos ita diſpoſitos inveniens Uſuardus, ſic, procul dubio, ſervaverit, cetera ex Actis adjungens, nihil ſolicitus, quem è duobus præponeret. *Naribus vel auribus* habent Praten. Herinien. & pauci alii; at ſenſus exigit, ut cum Greven. Molan. & majori numero legatur, *naribus & auribus.* Non diſplicet Molani conjectura, quâ putat *tarincas* vel *taringas* (quam vocem antiquam Gallicam eſſe, teſtantur Acta S. Quintini apud Cangium) accipi pro *ringen*, quæ vox Belgice annulum ſignificat: ſi *ſudes* mavis, ut eſt apud Florum, per me licet. Servo *Euticii* cum pleriſque codicibus.

OBSERVATIO. Damaſi Papæ vetuſtam in Martyrologiis venerationem probat repetita ejus (ut aliqui ſentiunt) apud Hieronymianos codices, tum pridie, tum hoc die celebritas: *Romæ, Damaſi epiſcopi*, vel *Depoſitio Damaſi epiſcopi*; quæ verba die x leguntur: at non ſatis obvium eſt ſtatuere, utrum, dum codex Epternacenſis, ſub hodiernæ Tabulæ initium habet, *Depoſitio Damaſi, Eulaliæ, Traſonis* &c. ibi Damaſus Papa inteligatur, qui in aliis codicibus hoc die notus non eſt. Ceterum Beda diſerte hìc legit: *Natale ſancti Damaſi Papæ*, quibus paucula ſuperaddidit Rabanus. Romanum parvum ſimpliciter: *Romæ, Damaſi Papæ.* Nihil adjicit Viennenſis præter ſolum tempus ſedis, quod ad *annos* XVIII, *menſes* III, *dies* II extendit, de quo alibi quærendum erit, uti & de multis aliis, circa Damaſi vitam & geſta controverti ſolitis. Videatur Baronii Notatio, ubi ad ſuos Annales remittit, in quibus præſtantiſſimi Pontificis fidem & mores adverſus obtrectantium Luciferianorum calumnias egregie vindicavit. Cetera ſuggerent Hieronymus & Patres ſcriptoreſque alii, ex quibus Tillemontius vitæ curſum contexuit tomo 8 à pag. 386 per quindecim articulos. Wandelberti verſus infra ſubjiciam. Damaſo ſubnectit Romanum parvum: *Et martyrum Pontiani,*

Damaſi.

Prætex-

Thraſonis & ſocior.

Prætextati & Thraſonis, qui martyribus, de facultatibus miniſtravit. In eamdem ſententiam & eodem ordine loquitur Ado, ex quo Noſter totam elogii ſui materiam deſumpſit, mutata tamen nominum ſerie, quam dicerem, ipſum ex Hieronymianorum ſenſu attemperare voluiſſe, in quibus *Thraſonis* nomen primo loco ponitur, niſi omiſiſſet *Capitulinum*, qui inter *Pontiani* & *Prætextati* refertur. Hoc miror, ita annuntiationem hanc cum prima cohærere, acſi Martyres illi ad eadem Damaſi tempora pertinerent. Legi poteſt Florentinii notatio. De horum Sanctorum Actis eadem habenda eſt ratio, quæ de aliis Martyrum geſtis, ex ſancti Marcelli Papæ vita acceptis, non ſemel ſuperius indicata eſt.

Victorici & ſociorum.

In Ambianenſibus variant iterum apographa Hieronymiana, inter quæ exactius legit Corbeienſe, dum ait: *Ambianis civitate, natalis Victorici, Fuſciani, & Gentiani martyrum*, quos modo non multum diſſimili etiam exhibet Rabanus. Florus ex eorum Actis nonnulla producens, ſcribit: *Paſſio ſanctorum Gentiani, Victorici & Fuſciani.* De his nihil in Romano parvo; nec veroſimile eſt Adoni innotuiſſe iſtorum Martyrum Acta, dum ſolos nominat *Victoricum & Fuſcianum*, cum hoc elogio: *Qui glorioſiſſimam fidei ſuæ confeſſionem ſanguine paſſionis decoraverunt:* quæ patet martyribus quibuſlibet applicari poſſe. Aſt Uſuardum prædata Acta vidiſſe, manifeſtum eſt. An prout nunc alicubi exſtant, non auſim aſſerere; nam ſi vera eſt Tillemontii conjectura, vix ea XII ſeculum ſuperant. Fatendum itaque, alia & diverſa & multo antiquiora fuiſſe, ſi vere à Floro ſcripta ſunt, quæ in noſtra Bedæ editione ei tribuuntur, ubi pro *tarincas* ſubſtituitur *ſudes*, ac in fine adſtruitur multis Sanctis commune miraculum de proprio capite manibus deportato &c. De Uſuardo dubium non eſt, quin paſſionis modum ex ipſis Actis, ut à Boſqueto, De eccleſiis Gallicanis parte 2 à pag. 157 edita ſunt, plane deſcripſerit. Eorum compendium Gallicè tradit Tillemontius tomo 4 pag. 454 & 455, ubi & corporum tranſlationem deſcribit, quæ exſtat apud Mabilionem ſec. 4 Benedictino parte 2 pag. 487, ubi videnda prævia admonitio: cui addi poteſt noſtri Motherii notula. De quibus omnibus in majori opere à nobis copioſius agendum erit. Wandelbertus ſolos Victoricum & Fuſcianum ab Adone poſitos, ſic poſt Damaſum ſuis verſibus honorat:

Roma litat Damaſi ternis ſolennia Papæ.
Occurrunt, parilemque ſimul Victoricus, atque
Fuſcianus habent feſti votique nitorem:
Ambiana virent quorum nunc rura cruore.

Eutychii.

Eutychius ex Hieronymianis ab Adone acceptus eſt, totidem omnino verbis à Noſtro tranſumptus. Quæ geſta olim habita fuerint, ut Hieronymiani codices teſtantur, doceri cupimus. Ea nec ad Adonem, nec ad Uſuardum perveniſſe, demonſtrat eorum de geſtis ſilentium. Notabis obiter *Danielem prophetam*, à Romano parvo & Adone XXI Julii ſignatum, iiſdem verbis ab utroque, neſcio ob quam cauſam, hoc die repeti, unde in Auctaria noſtra transfuſus eſt.

AUCTARIA.

TORNACEN. De Ambianenſibus ſic habet: *Civitate Ambianis, ſanctorum martyrum Gentiani & Fulciani.* Deſunt reliqua. In ceteris purus eſt.

ANTVERP-MAJ. In Ambianenſibus ſimilis eſt PRATEN. purus in reliquis, ſed caret ultima.

ROSWEYD. Poſt *Damaſi*, ſic annuntiationem diſtinguit: *Item paſſio Traſonis, qui cum eſſet..... coronatus eſt, & aliorum ſine numero, quorum nomina Deus ſcit.* Vide Hieronymiana. De Ambianenſibus, ut PRATEN. Purus eſt in ultima.

Danielis.

PULSANEN. Sic habet: *Danihelis prophetæ. Romæ, ſancti Damaſi Papæ, qui rexit eccleſiam annos* 10, *menſes* 3 *& dies* 3. *Eodem die, ſanctorum martyrum Pontiani, Prætextati & Traſonis.* Nihil de Ambianenſibus. In ultima ferme purus eſt.

Danielis. De Damaſo.

ANTVERP MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Ex Adone textum incipiunt: *Danielis prophetæ.* Tum: *Romæ via Ardeatina, natale ſancti Damaſi Papæ & confeſſoris. Hic rogatu B. Jheronimi inſtituit dici in fine pſalmorum, Gloria patri cum verſu ſequenti.* Sequitur: *Ipſo die, paſſio ſancti Traſonis* &c. pure per totum textum: Eadem habet LOVANIEN. ſed elogium Ambianenſium reſcindit.

ALBERG. Brevius orditur: *Romæ via Ardeatina, natale ſancti Damaſi Papæ & confeſſoris.* Tum: *Eodem die, ſancti Danielis prophetæ.* Sequitur textus, ut ſupra. In modo convenit DANIC. Verum de Daniele habet, ut ANTVERP-MAX.

Danielis.

CENTULEN. *Danielis prophetæ. Romæ, depoſitio Damaſi Papæ & confeſſoris. Ipſo die, ſanctorum Pontiani, Prætextati atque Traſonis diaconi, martyrum. In Gallis civitate Ambianis, ſanctorum Fuſciani, Victorici, & Gentiani martyrum, qui glorioſam fidei ſuæ confeſſionem, ſanguine paſſionis decoraverunt.* De Eutychio, nihil.

Oct Barbar. Danielis De Damaſo.

BRUXELLEN. *Octava ſanctæ Barbaræ. Danielis prophetæ. Romæ via Ardeatina, ſancti Damaſi Papæ & confeſſoris; qui exhortatione beati Jeronimi, inſtituit dici in fine pſalmorum, Gloria patri* &c. *Ipſo die, paſſio ſancti Traſonis* &c ſatis pure ut etiam in Ambianenſibus. *In Hiſpania, ſancti Euthicii.* Additur diverſo atramento, *cujus geſta habentur.* Demum: *Item tranſitus venerabilis Idæ de Nyvella, monialis cœnobii de Rameya, Ordinis Ciſtercienſis.*

Idæ.

HAGENOYEN. Incipit ab Ambianenſibus, non male. Non tam purus eſt in Thraſone & ſociis, atque

atque in Eutychio. Sequitur: *Romæ, via Ardeatina, natale beati Damasi Papæ & confessoris; qui rexit Ecclesiam annis decem & octo, mensibus tribus. Hic elegans ingenium in componendis versibus habuit, multaque brevia opuscula eroyco metro edidit. Hic constituit ut psalmi die noctuque in ecclesia cantarentur, & ut chorus in duas partes divideretur, & alternatim canerent. Hic multa corpora sanctorum reperit, quorum tumbas versibus decoravit. Gloria patri cantari constituit. Macedonium hæreticum in concilio Constantinopolitano centum & quinquaginta Patrum damnavit, & in pace obiit, & ad sanctum Petrum sepelitur. In Jherusalem, sanctæ Elisabeth, matris sancti Johannis Baptistæ. Item apud Judeam, sancti Naum prophetæ.* Hîc hodie ponitur pro hujus codicis voluntate. Vide Martyrologium Romanum 1 Decemb.

De Damaso. *Elisabeth. Naum.*

AQUICINCT. Post *Damasi Papæ*, subdit: *Hic constituit, ut psalmi die noctuque canerentur* &c. ut vide infra in additionibus MOLANI. Et post *τὸ judex*, additur nomen *Rictiovarus.*

AMBIANEN. De suis sic scribit: *In Galliis, civitate Ambianis, natalis sanctorum martyrum Fusciani, Victorici, & Gentiani.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Damasi Papæ & confessoris. Fustiani* [pro *Fusciani*] *& sociorum ejus martyrum. Glodulphi episcopi:* aliis *Clodulfi.* Vide Martyrologium Cattellani. *Trasonis martyris & sociorum ejus.*

Clodulfi.

VATICAN. sub num. 5949. Post *Damasi*, sic secundam annuntiationem ex Adone extendit: *Et sanctorum martyrum Pontiani, Prætextati atque Thrasonis, qui potens & locuples de facultatibus suis multa Christianis ministravit per B. Sisinnium & Cyriacum diaconos. Non post multum, ipse tentus à Maximiano, palmam martyrii cum duobus aliis percipere meruit.*

Thrason. &c.

ALTEMPS. *Eodem die, sanctæ Mariæ virginis & martyris.* Sumitur, haud dubie, ex Hieronymianis. Vide Florentinium.

Mariæ.

JUREN. *Civitate Ambianis, sanctorum martyrum Gentiani, Fusciani & Victorici.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Romæ via Ardeatina, natale sancti Damasi Papæ & confessoris. Qui rexit Ecclesiam annos decem, menses duos, dies decem. Hic constituit ut psalmi die noctuque ab episcopis, & presbyteris ac religiosis, in ecclesiis ac monasteriis cantarentur, & ut chori in duas partes divisi psalmos alternatim canerentur. Huic sanctissimo viro B. Hieronymus multa ecclesiastica religionis scripta misit, inter quæ & duos versus scripsit, scilicet, Gloria patri, &, sicut erat &c. Hic etiam multa corpora sanctorum invenit. Item, sancti Danielis prophetæ.* Textus reliquus satis purus est, nisi quod in fine scribat. *Euticii confessoris.*

De Damaso. *Danielis.*

BELIN. Puritati proximus est, incipiens: *Romæ, sancti Damasi Papæ & confessoris. Eodem die, passio* &c. Nomina Ambianensium format, *Ambiani & Victorici*, & infra, *cum sancto Agentiano hospite.* Item, *jussit Rictiovarus præses.* Alios hujus editionis nævos prætereo: in secunda editione habet *Eutici episcopi.*

GREVEN. *Octavæ sanctæ Barbaræ virginis & martyris. Nota, sanctus Damasus rexit Ecclesiam annis decem & octo, constituitque ut psalmi die noctuque ab ecclesiasticis personis, choris alternatim concinentibus, frequententur. Beatus etiam Hieronymus multa ad eum catholica scripta misit, in quibus & duos illos versus, Gloria patri; sicut erat &c. in psalmorum fine decantandos. Ipse tandem defunctus, via Ardeatina sepultus est. Danielis propheta. Item Joseph patriarchæ filii Jacob. Apud Mirream, sancti Nicolai episcopi & confessoris, avunculi alterius, magni scilicet Nicolai. Ipso die, beati Sabini episcopi Placentini, miræ sanctitatis viri. Qui fide plenus, ut refert Gregorius 3 Dialog. Pado fluvio inundatione agros ecclesiæ occupanti commonitorium scribens, chartam ipsam in aquam mitti jussit, statimque se aqua compescuit, nec ulterius exire præsumpsit. Methis, translatio sancti Glodulphi episcopi & confessoris. Item, sanctæ memoriæ David monachi Cistercienſis Ordinis, in monasterio Hemenroede quiescentis.*

Octavæ Barbaræ. *De Damaso.* *Danielis.* *Joseph.* *Nicolai.* *Sabini.* *Translat. Clodulfi.* *David.*

MOLAN. Aliis litteris textui immiscet post *Damasi Papæ, qui rexit Ecclesiam annos decem & octo, menses tres, dies duos. Hic constituit, ut psalmi die noctuque canerentur per omnes ecclesias. Hic multa corpora sanctorum requisivit & invenit, quorum memoriam etiam versibus declaravit.* In fine typis minoribus de Sabino descripsit verba GREVEN. *Ipso die, beati Sabini episcopi Placentini, miræ* &c addens etiam miraculum de coërcitis Padi aquis &c. In editionibus aliis idem habet in textu aliis litteris de Damaso, & præterea de Thrasone post *Christianus*, inserit ex Adone; *potens & locuples, de facultatibus suis, sanctis martyribus, in carceribus & metallis damnatis, victum ministrabat per Sisinnium & Cyriacum. Non multo post & ipse jubente* &c. In fine: *Die undecima, sancti patris Danielis Stylitæ.* Vide vitam apud Surium.

De Damas. *De Sabino.* *De Thrasone*

Pridie Idus.

Die 12.

APud Narbonam, natalis sancti Pauli confessoris, quem beatus Paulus Apostolus ordinatum, eidem urbi destinavit antistitem: quique cum eodem Apostolo ad Hispanias prædicandi gratia pergens, ibidem relictus est, ubi prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis coronatus quievit. In Alexandria, sanctorum martyrum Epimachii & Alexandri, qui cum essent multo tempore in vinculis, & diversis suppliciis confecti perdurassent in fide, ignibus ad postremum consumi jubentur. Item Alexandriæ, sanctarum mulierum Ammonariæ & Mercuriæ cum aliis duabus, quæ inauditis tormentorum generibus toleratis & superatis, finem omnium, ferro cædente suscipiunt. Item sanctorum martyrum Hermogenis,

Pauli. *Epimac. & Alexandri* *Ammonar.* *Mercur. &c* *Hermogen.*

Donati & c Walerici. Donati & aliorum viginti duorum. In pago Vinnacenſi, ſancti Walerici presbiteri & confeſſoris.

Puris accenſentur *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Quibus accedunt *Antverp-max. Ultraject.* & *Leyden.*

VARIA LECTIO. Molan. vix locum hodie inter puros meretur ; in ipſo principio ſcribit; *Pauli epiſcopi & confeſſoris*, à quo titulo ceteri omnes abſtinent. Munerat. poſt *Apoſtolus*, omiſit vocem *ordinatum*. Rurſus Molan. pro *quique cum eodem*, legit, *cumque eodem* ; Belin. *cumque cum eodem* ; Munerat. *qui cum eodem*. Belin. ſenſum corrumpit in *in officio inſignitus expleto* contra quam legere debebat, *officio non ſegniter impleto*. Errat Praten. dum ponit *claris miraculis* pro *clarus miraculis*. Idem habet *Epymachii* ; Greven. *Epymachi*. Mallem cum Belin. & Molan. *Epimachi* : ſed Herinien. Roſweyd. Munerat. imo Romanum parvum & Ado cogunt ſcribere cum textu *Epimachii*. In Belino *et*, ante *perduraſſent* redundat. Major in eodem confuſio, dum mulieres Alexandrinas ultimo loco ponit: maxima vero & hujus & Molani à reliquis diſcrepantia, qui poſt *Mercuriæ* auſi ſunt ex Adone inſerere, & *Dionyſiæ & iterum Ammonariæ*, ob quam variationem fere è puris excluſi ſunt. Roſweyd. ante *ferro cædente*, poſuit *capita*. In Greven. *cadente*, eſt ſphalma typographi. Pauci habent *percipiunt* ; ſecunda Belini editio *perceperunt* ; ſervandum quod eſt in textu. *Viginti duum* eſt phraſis ſolius Pratenſis. Pagus *Wimacenſis*, qui Caſtellano eſt *Vinemacenſis*, fere ab omnibus diverſimode flectitur. Ado Moſandri ſcripſerat 1 Aprilis *Winnoienſi* ; Ado Roſweydi *Wimnoënſi* ; hîc vero *Vimnacenſi*, *Vinmacenſi*, *Vivacenſi*, *Vininacenſi*, *Vianenſi*, *Vimmocenſi*, *Numuacenſi* &c. Prætuli tantiſper ex Munerat. Greven. & Molan. *Vinnacenſi*. Magna etiam in ſcribendo proprio nomine diverſitas ; ſed à ceteris differt Roſweyd. dum legit *Walerici abbatis* ; turpiuſque labitur Belin. ſubſtituens *Valentii epiſcopi*. In Munerat. mendum eſt *Malerici*. Nota hîc, annuntiationem Hermogenis &c. in Roſweyd. duabus Alexandrinis interjici ; notabilius vero, tres codices mediæ notæ Hermogeni & Donato præfigere poſitionem, *Apud Emeritam*, de quo vide Obſervationem.

Pauli. *OBSERVATIO.* De *Paulo Narbonenſi* non perfunctorie agere cœpimus in Obſervatione XXII Martii, quo die ex codd. Hieronym. imo ex omnium ferme antiquiorum Martyrologorum ſententia collocandus eſt, neque hactenus queo perſpicere, cur Uſuardus à ſolitis ductoribus recedens, huc Paulum diſtulerit. At enim, licet ſignatas ab Adone Kalendas deſerat, ejus opinionem, quæ IX ſeculo obtinebat, de primis in Gallia Euangelii prædicatoribus ad Apoſtolorum tempora reducendis, omnino amplexus eſt, cum totum ſuum elogium ex Feſtivit. Apoſtol. deſumpſerit, id prudenter omittens, quo Viennenſis Paulum Narbonenſem indicat, *eumdem ipſum fuiſſe Sergium Paulum proconſulem*. Breve, ſed elegans eſt Prudentii de Paulo noſtro encomium, *Surget & Paulo ſpecioſa Narbo*. Cetera pridem ſolide enucleavit Henſchenius ex Boſqueto aliiſque, citata die XXII Martii, ut hîc nihil obſervandum magnopere ſuperſit. Qui rerum compendiis delectatur, adeat Tillemontium tomo 4 in Dionyſio Pariſienſi, præſertim articulo 12 à pag. 469.

Epimac. & Alexandr. *Ammonar. & ſociarum.* Romani parvi hodiernus indiculus ſolos Martyres Alexandrinos exhibet, ex citato toties Rufini lib. 6 cap. 31, ſeu ex celebri Dionyſii Alexandrini ad Fabium Antiochenum epiſtola plane acceptos, unde VII Decembris Agathonem, VIII Macarium cum eodem Romano parvo nuperrime dedimus. Hæc ſunt hoc die ejus verba : *Alexandriæ, Epimachii & Alexandri. Et ſanctarum quatuor mulierum Ammonariæ, Mercuriæ, Dionyſiæ, & Ammonariæ.* Ex prædicto fonte paulo liberalius hauſit Viennenſis, omnium certamina deſcribendo, ex hoc autem utrumque ſuum elogium Noſter de more extraxit, poſtremas duas mulieres anonymas relinquens. Patet hîc rurſus, quod præfatis diebus VII & VIII Decembris, atque alibi toties inculcavimus, fruſtra omnino rationem quæri, cur hoc potius, quam alio die hi Martyres ab auctore Romani parvi ſignati ſint, cum Sanctos pleroſque omnes ex Rufino deſumptos, pro mero ſuo libitu in varios, quos forte Sanctis aliis vacuos habebat, dies diſtribuerit. Scio Epimachium à Græcis referri XXXI Octobris, ut ibi in Auctariis annotavi, at cur à ſociis, vel ſaltem à ſocio avulſus, cur tali die ab ipſis potiſſimum colatur, plane incertum eſt, niſi tranſlatio, aut hujuſmodi aliquid occaſionem dederit.

Hermogen. & ſociorum. Dixi in Variantibus, *Hermogenem* & *Donatum* à codicibus inferioris notæ adſcribi *Emeritæ*, quod ex Hieronymianis, vel potius ex Rabaniano aliquo codice acceptum facile exiſtimaverim. At præferendus eſt codex Epternacenſis, in quo expreſſe legitur : *Et alio loco, Hermogenis, Donatæ & aliorum* XXII, cui plane conſonat Blumianus, nec differt Corbeienſis, in quibus omnibus *Donatæ* invenitur, pro *Donati*, ſed abſque poſitione. Galeſinius

finius *Alexandriam* adſtruens, audiendus non eſt. Potius crediderim Hiſpanos fuiſſe, tametſi à loci expreſſione abſtinuerit Ado, & hunc deſcribens Uſuardus. An recte Theſaurus concionatorum apud Baronium eos *in paludem demerſos, agonem perfeciſſe* tradat, proprio loco examinabitur. Ambos hos martyres cum ſociis ſuis viginti duobus, ſic non ineleganter laudavit Wandelbertus:

Hermogenes, Donatus bis denîque coruſcant
Tum pridie, & bini conjuncto ſanguine Sancti.

Walericus vel *Walaricus* Leuconaenſis abbas, pro hoc die planiſſime Uſuardinus eſt, ab Adone certo poſitus 1 Aprilis, quidquid hîc rurſus codicem ſuum Adonianum obtrudat Mabilio, cui nullum ſimilem inter noſtros reperimus, præter unicum Lobienſem. De proprio obitûs die certo decernat, qui Henſchenii argumenta expenderit ad citatam diem 1 Aprilis, quò lectores remittimus: ſatis hîc nobis ſit, ex optimæ notæ codicibus Uſuardinis, verum ejus & genuinum textum aſſeruiſſe. *Walerici.*

AUCTARIA.

TORNACEN Deeſt prima. In Alexandrinis ſola nomina Uſuardina refert, expunctis elogiis. In duabus annuntiationibus ultimis purus eſt.

PULSANEN. Incipit ab *Hermogene* &c pure. Tum ſic pergit: *Apud Alexandriam, beatorum martyrum Epimachii & Alexandri. Apud Septimaniam, urbe Narbona, depoſitio ſancti Pauli epiſcopi & confeſſoris.* Deſunt reliqua.

LOVANIEN. Purus eſſet, ſicut ANTVERP-MAX. niſi deficeret in elogiis Alexandrinorum.

ALBERG & DANIC. Carent annuntiatione ultima, quam ambo, ſed varia uterque phraſi, & à noſtra diverſa retulerunt 1 Aprilis. In reliquis ſimiles ſunt ANTVERP-MAX. &c.

CENTULEN. De Paulo egit XXII Martii; hoc die ſic incipit: *Natale ſanctorum martyrum Hermogenis, Donati & aliorum viginti duorum. Alexandriæ, beatorum martyrum Epimachi & Alexandri, qui ignis paſſione tranſierunt. Et ibidem, ſanctarum mulierum Ammonariæ virginis, Dyoniſiæ, Mercurii; item Ammonariæ, quæ diverſis tormentorum generibus fidem Domini ſervaverunt.* Hîc repetit: *Narbonæ, ſancti Pauli epiſcopi & confeſſoris. In pago Vimacenſi, ſancti Walerici abbatis, qui juxta Somonam fluvium heremiticam vitam ducens, etiam miraculis claruit.* Non de natali, ſed de tranſlatione agit 1 Aprilis. *Textus mutatus.*

BRUXELLEN. Incipit: *Per anticipationem ſancti Autberti Cameracenſis epiſcopi.* Sequitur de Paulo, ſatis pure. Deinde: *In Alexandria, natale ſanctorum martyrum Sammoni & Emeriti.* Vide Hieronymiana die præcedenti. In omnibus Alexandrinis, parum à puritate recedit. Sequitur: *Apud Hiſpaniam, natale ſanctorum martyrum Carpoſori presbyteri* &c. ferme ut Uſuardus ſupra ad x Decembris. Vide quæ ibi dicta ſunt. Pergit: *Apud Emeritam civitatem, natale ſanctorum martyrum Hermogenis, Donati & aliorum viginti duorum. In pago Viminacenſi, ſancti Walerici abbatis & confeſſoris. Eodem die, tranſlatio beati Nychaſii* [epiſcopi] *& martyris.* An forte tranſlatio aliquarum reliquiarum Bruxellas facta fuerit, cum alii codices de ea ſileant? Vide diem natalem XIV Decembris. *Autberti. Sammon&c Carpoph&c Tranſlat. Nicaſii.*

HAGENOYEN. In prima, ſecunda & tertia ſolito purior, ſic quartam format: Apud *Hemeritam civitatem Hyſpaniæ, natale martyrum beatorum Hermogenis & Donati, cum aliis viginti duobus, ſub Daciano præſide.* Plus dicit, ni fallor, quam alibi repererit. De Walerico egit modo & phraſi ſua, 1 Aprilis. *DeHerm&c*

DAVERONEN. *In pago Vimiacenſi, ſancti Walarici confeſſoris.* Alia in loco variat. *De Waleric.*

AMBIANEN. *In pago Vimacenſi, natalis ſancti Walerici, qui ſuper Somonam fluvium heremiticam vitam ducens, etiam miraculis claruit.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Pauli Narbonenſis epiſcopi. Hermogenis, Donati, & aliorum viginti. Epimachi & Alexandri. Item ſanctarum mulierum Ammonariæ & aliarum trium.*

VATICAN. ſub num. 5949. Nihil habet de Paulo Narbonenſi aut de Walerico.

BURDEGALEN. *In pago Vimacenſi, ſancti Walerici epiſcopi.* Melius in textu.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *In pago Vinmacenſi, natale ſancti Walerici preſbyteri* &c.

EDITIO LUBECO-COL. In prima ſatis pura eſt, uti & in ſecunda. In tertia nonnihil immutata: *Item Alexandriæ, ſanctarum mulierum quatuor Ammonariæ, Mercuriæ, & iterum Ammonariæ, & Dionyſiæ martyrum* &c. *Apud Emeritam urbem, ſanctorum Hermogenis* &c. *In pago Vimacenſi, ſancti Walterici presbyteri, abbatis & confeſſ.*

GREVEN. *Nota, hunc Walericum Ado habet Kalendis Aprilis. Vide ibi. Apud Alexandriam, ſanctorum Sammoni & Emeriti.* Vide quæ diximus ad codicem BRUXELLEN. *Ipſo die apud civitatem Auraricenorum, paſſio ſanctorum Euſtratii, Eugenii, Oreſtis, cum aliis multis. Qui tempore Diocletiani & Maximiani, pro fide Chriſti conſtanter exquiſita ſupplicia ſuperantes, ad ultimum Euſtratius igni conſumptus, reliqui vero decollati, martyrii gloriam adepti ſunt.* Vide hæc paulo accuratius in Romano, & ad hoc notulam Caſtellani, die ſequenti; ipſorum Acta refert Surius à Metaphraſte compoſita. *In Hibernia, Finniani abbatis & confeſſoris. Altheidis imperatricis, ſecunaum alios XVII Kal. Januarii.* *Sammon&c Emeriti. Euſtratii & ſociorum. Finniani. Altheidis.*

MOLAN. De mulieribus Alexandrinis, poſt *& iterum Ammonariæ, quæ,* aliis litteris textui inſerit, *dum nimia conſtantia uterentur apud judicem, & ille erubeſceret vinci à feminis.* Et iterum poſt *ſuſcepiunt; ſcribit beatus Dionyſius in libro de Martyribus.* Vide Adonem. Editiones aliæ in fine ſuperaddunt: *In Galliis juxta Tornacum, in monaſterio Ciſonienſi, tranſlatio ſancti Everardi, ducis Foro-julienſis.* Diſtinctius loquitur Auctarium, XVI Dec referendum, quo die videndum etiam Caſtellani Martyrologium univerſale. *Tranſlat. Everardi.*

Idibus. *Die* 13

Luciæ. APud Siracuſam Siciliæ civitatem, natalis ſanctæ Luciæ virginis & martyris, ſub perſecutione Diocletiani, quam cum lenones corrumpere, jubente Paſchaſio conſulari, vellent, nullatenus eam movere potuerunt, nec funibus additis, aut boum paribus plurimis. Picem, reſinam, fervens oleum nil læſa ſuſcepit, ſed *Autberti.* tandem gladio in viſcera merſo percuſſa eſt. Ipſo die, ſancti Autberti Cameracenſis epiſcopi.

Puri ſunt *Praten. Herimen. Tornacen. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Scripſi *Siracuſam*, ut habent optimi codices Praten. Herinien. Tornacen. &c. non *Syracuſas*, ut volunt Greven. & Molan. *Siraculam* in Munerato error eſt: Antverp maj. & mediæ notæ codices legunt *Siracuſanam*. Idem Antverp-maj. omittit titulum *ſanctæ*. Solus Tornacen. pro *boum paribus plurimis*, habet *paribus pluribus*. In Munerato deeſt τὸ *lenones*, & pro *Autberti*, ponitur *Auberti*. Praten. ſcribit *Camberacenſis*, eique conformis videtur Antverp maj. at ceteri omnes ſervant receptiorem ſcribendi modum, qui eſt in textu.

Luciæ. OBSERVATIO. *De ſancta Lucia virgine Siracuſana, martyre celeberrima, omnia plane ſunt, tam apud Surium, quam in omnibus Latinorum Hagiologiis, & Græcorum etiam Menologiis. Meminit Sacramentarium Gregorii & vetus Fronti Kalendarium, in quo plures eccleſias ſanctæ Luciæ Romæ dicatas idem Fronto memorat, & alterius Romanæ viduæ, ab hac diverſæ titulum ferre putat.* Hæc Florentinii obſervatio eſt, in qua Frontoni adſcribitur, quod Nota ejus ad Kalendarium non exprimit, cum ſic potius dicatas ſanctæ Luciæ eccleſias nominare videatur, acſi huic noſtræ Siculæ conſecratæ fuerint; quod ego extra controverſiam puto; quemadmodum & ejuſdem nomen ſacro Miſſæ Canoni infertum exiſtimo, quidquid recentiores critici hæc in dubium revocare velle videantur. Advertant illi, obſecro, *Luciam nobiliſſimam matronam*, quæ XVI Septembris colitur, cum *Geminiano* conjungi, illuſtriſſimam vero Virginem Siracuſanam, in laudato Gregorii Sacramentario, in Frontonis & Allatii Kalendariis, imo in ceteris libris Eccleſiaſticis, diverſo plane modo & diverſo cultu recoli, mediam inter *Agatham*, *Agnetem* & *Cæciliam*, quas virgines fuiſſe, & ut tales ab univerſa Eccleſia Catholica honorari, prorſus indubitatum eſt. Hæc ſane antiquiſſimam Luciæ Siracuſanæ feſtivitatem in ipſa urbe Roma abunde demonſtrant; nec minus clara ſunt pro ejus celebritate Martyrologiorum teſtimonia. In Hieronymianis lego; *Siracuſa civitate Siciliæ, natalis ſanctæ Luciæ virginis. Lucæ* in Epternacenſi, mendum eſt, nec vero in iiſdem apographis *Lucia* ſequenti die repetita, eadem cum noſtra dici poteſt, dum Martyribus Antiochenis bene vel male ſociatur. Antiqua eſſe & gravia inclytæ Virginis Acta, nec ii deffitentur, qui nonnullos eorum errores coarguunt. Vidit ea Adelmus, vidit Beda, qui brevius ſuum elogium ex ipſis concinnavit, à Rabano verbatim deſcriptum. Qui ſeriem noſtram ductat auctor Romani parvi, paucis legit: *Syracuſis, Luciæ virginis & martyris.* Longa eſt Adonis hiſtoria; at Noſter breviora ſectari ſolitus, aptiorem elogio ſuo materiam in Beda inveniens, inde elogium formare maluit, relicta parte ultima, de *communione Dominici corporis*, quam in Auctariis codices aliqui reſtituent. Exſtat apud nos vita metro compoſita, haud dubie Sigeberti opus, de quo vide annotationem Molani. Exſtant plura alia monumenta, tum ad Acta ipſa, tum ad controverſas tranſlationes ſpectantia, & nonnulla in Luciæ honorem recentius elaborata, quæ omnia proprio loco & tempori reſervamus, non prætermiſſuri ſingularem Antverpienſium erga memorabilem Virginem, ejuſque reliquias, elapſo proxime ſeculo per Illuſtriſſimum Capello, à Fabio Chigio, poſtea Papa Alexandro VII, acceptas, venerationem. Hîc jam accedant Wandelberti verſus, quibus Judocum innexuit poëta Martyrologus, conformior textui noſtro futurus, ſi Autbertum adjunxiſſet. Ita canit:

Idus Syracuſa tibi, Lucîa, dicavit,
Paſchaſium Chriſti pro nomine paſſa tyrannum,
Spiritus immobilem quam fecit ſanctus iniquis
Eſſe viris. Judoch pariter coleriſque ſacerdos
Egregie, Oceani cedunt cui ſæpe procellæ.

Porro

Porro Cameracenſem *Autbertum*, ſolus & primus in Faſtos ſacros retulit Uſuardus. *Probatiſſimum Chriſti ſacerdotem* fuiſſe, *ſub quo & per quem Hannonia mirabiliter in Chriſtiana religione cæperit florere & vigere*, merito teſtatur Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, ubi *dolendum* ait, *tanti pontificis vitam, magna ex parte neſciri.* Ipſam qualemcumque edidit Surius; ſed quæ penes nos manuſcripta eſt, paulo diffuſior videtur. Hîc locus non eſt rem illam ſcrupuloſius examinandi. Multo minus quærere lubet, quid ſibi velit Hiſpanica relatio, qua ſupponitur Cameracenſis noſter Autbertus, fuiſſe prius *archiepiſcopus Bracarenſis* in Luſitania; nempe ut gentibus illis ſatis proprium eſt, alienos Sanctos ſibi vendicare. Refutat hæc quidem Tamayus in Martyrologio Hiſpanico, verum an multo ſaniora ſubſtituat, equidem non intelligo. *Autberti.*

AUCTARIA.

Odiliæ. ROSWEYD. Textui ſatis puro in fine ſubdit: *Eodem die, ſanctæ Odiliæ virginis.*

PULSANEN. De Lucia, poſt *martyris*, ſic habet: *Quæ paſſa eſt Diocletiani & Maximiani perſecutione, ſub Paſcaſio conſule. Paſſa eſt autem Ydus Decembris, & in loco, in quo percuſſa eſt, baſilica poſtea fabricata.* De Autberto Cameracenſi, nihil.

De Lucia Urſini. BELIN. Poſt *percuſſa eſt*, ſupplet Bedæ elogium: *Nec tamen mortua, donec venientibus ſacerdotibus communionem Dominici corporis & ſanguinis accepit.* Tum: *Item ſancti Urſini martyris.* Pro *Autberti*, eſt *Anthiberti*, in ſecunda editione paulo melius corrigitur *Auberti.*

ANTVERP. & MAX. LUBEC. etiam UGHELLIAN. ni fallor, atque item ANTVERP. MAX. cum ſolitis ſuis omnibus ſociis, in Luciæ elogio idem fere reponunt, quod dedimus ex BELIN. & cum eodem omnes ſcribunt *Si acuſanam.* Sex ultimi, in fine addunt, *& confeſſoris.*

CENTULEN. *Apud Siracuſam Siciliæ civitatem, paſſio ſanctæ Luciæ virginis, ſub conſulari Paſchaſio. Cameraco, ſancti Autberti epiſcopi & confeſſoris. In pago Pontivo, ſancti Judoci ſacerdotis & confeſſoris, qui de culmine regni ſibi hereditarii ad Chriſti paupertatem ſe redegit, & vitæ laudabilis curſum ſanctiſſime conſummavit.* *Judoci.*

BRUXELLEN. Anticipavit feſtum ſancti Autberti. In Lucia, ſatis ſimilis eſt codicibus ſupra citatis. Addit ſequentia. *In Hibernia, ſancti Finniani abbatis & confeſſoris. Ravenna, ſanctorum Urſiani & Leuchadii confeſſorum. Et ſanctæ Odiliæ, quæ apud Orpe juxta Geldoniam villam Brabantiæ quieſcit.* Confundit Odiliam, cum Adilia Orpienſi; hæc colitur XXX Junii. Demum: *Eodem die, depoſitio ſancti Athanaſii abbatis & confeſſoris.* Quem inter plures Athanaſios indicare velit, ex ſolo *abbatis* titulo non ſatis divino. *Finniani. Urſiani. &c. Odiliæ. Athanaſii.*

HAGENOYEN. De Lucia inſerit: *Hæc prius matrem propriam a fluxu ſanguinis liberavit, & ſua omnia quæ habuit, pauperibus erogavit; propter quod a ſponſo ſuo pagano, coram Paſcaſio eſt accuſata quod Chriſtiana eſſet, & poſt longam concertationem de fide, juſſa eſt duci ad lupanar, quam cum lenones* &c. fere ut codices ſupra. *Ipſo die, in monaſterio Hoenberg, Argentinenſis dyoceſis, depoſitio ſanctæ Odiliæ virginis. Hæc Odilia fuit filia magni principis, & cæca nata, propter quod patri erat exoſa, & interficere voluit eam, ſed mater & frater ejus ſervaverunt eam, quæ poſtea in baptiſmo fuit illuminata; & poſt mortem patris, ducentarum Virginum mater eſt effecta, omnem hereditatem patris Deo obligans, duo monaſteria conſtruens. Hæa, ut dicitur, animam patris ſui de inferno* [alii *de purgatorio*] *liberavit; & alia plura miracula fecit & obiit. Ipſo die, depoſitio ſancti Jodoci, filii regis Angliæ & heremitæ, qui poſtquam ſeculum in juventute reliquit, in magna abſtinentia & patientia vixit multis annis. Hic quia regnum terrenum pro cæleſti contempſit, in magno labore reliquiis ſanctorum illa ditans, rex in cælis factus eſt, & petentes ſe ex promiſſione Dei exaudivit. Ipſo die, depoſitio ſancti Autberti epiſcopi Cameracenſis in doctrina & vita glorioſi.* *De Lucia.* *De Odilia.* *De Judoco.*

AQUICINCT. Secundo loco poſt *percuſſa eſt*, interſerit: *Ipſo die, glorioſa exceptio B. Martini a Burgundia, quam non ſolum miracula decoram reddiderunt, ſed liberalitas magnorum procerum, comitatusque promiſcui ſexus illuſtrem fecerunt.* Hæc eadem referunt codd. DAVERON. ALTEMPS. & CAUDIACEN. Prior noſter in fine adjicit: *Et ſancti Judoci confeſſoris.* *Except. Martini.* *Judoci.*

VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130, *Eodem die, ſancti Euſtachii cum ſociis ſuis.* Volunt dicere *Euſtratii*, de quo videndus Surius & Romanum. *In Hiſpania, civitate Emerita, paſſio ſanctæ Eulaliæ virginis.* Vide ſuperius in propria feſtivitate, x Decembris. *Euſtrat. &c.* *Eulaliæ.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Luciæ virginis & martyris. Judoci confeſſoris. Autberti Cameracenſis epiſcopi.* *Judoci.*

VATICAN. ſub num. 5949. Deeſt Autbertus, ſed adjicitur: *Apud Sebaſtiam, paſſio ſancti Euſtratii martyris & ſociorum ejus Auxentii, Nardarii, Eugenii atque Oreſtis, imperantibus Diocletiano & Maximiano, judice Agricola.* *Euſtratii & ſociorum.*

FLORENTIN. Adjiciunt: *Apud Ravennas, ſancti Urſicini martyris.* Colitur XIX Junii.

BURDEGALEN. *Reverſio ſancti Martini, glorioſiſſimi Turonum antiſtitis.*

EDITIO LUBECO COL. In Lucia, fere ſimilis eſt codicibus mediæ notæ. De Autberto addit, *& confeſſoris.* Sequitur: *In pago Pontino, ſancti Jodoci preſbyteri & confeſſoris, filii regis Britannia. Qui Deo ſervire deſiderans, regnum fratri ſuo ſeniori, nomine Michael demiſit, venitque ad heremum Pontinum cum diſcipulo ſuo Volmaro, reſeditque juxta flumen Altee, in quo loco Dominus ſibi apparuit in forma peregrini quatuor vicibus, petens eleemoſynam ab eo, qui tantum habens unum panem pro ſe & diſcipulo ſuo, eumdem diviſit in quatuor partes & dedit petenti, pro quibus, divino diſponente conſilio, miraculoſe meruit quatuor naviculas vino & panibus onuſtas recipere, tandemque Chriſto duce, & angelorum obſequio ad cæleſtia migravit. Caſtro Landunenſi, natale ſanctæ Odiliæ virginis & abbatiſſæ centum triginta monialium, filiæ ducis Hogenburch Adalrici. Hæc tantæ fuit ſanctitatis coram Deo, quod patrem ſuum in purgatorio ſibi a Deo ordinatum, in latre montis, ubi ipſius ſituatum eſt monaſterium, exiſtentem, ſuis lachrymoſis orationibus ab eodem liberavit. Quæ* *De Judoco.* *De Odilia.*

etiam poſt reviviſcens ad tempus breve, dixit, ſe in contubernio ſanctæ Luciæ fuiſſe & vidiſſe gaudia, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit. Plura hîc narrantur, quam in ullo alio codice reperiam.

GREVEN. *Ravennæ, ſanctorum Urciani* [puto indicari *Vrſicinum*, pro quo alii *Urſinum* ſcripſerunt] *& Leuchadii confeſſorum. Mediolani, inventio ſanctorum Nazarii, Prothaſii, Gervaſii & Celſi pueri. Eodem die, depoſitio beati Judoci, preſbyteri & confeſſoris. Qui cum eſſet regis Britonum filius, & mortuo patre ad ſuſcipienda regni gubernacula urgeretur, fugam iniit, venienſque ad pagum Pontinum, ſolitariam ibi vitam ducere cœpit. Ubi vita & ſignis inclytus, quadam vice duci Haymoni, ſiti periclitanti fontem ſuis orationibus de terra eduxit, tandemque plenus ſanctitatis quievit circa annum Domini* DC LIII. *In Alſatia caſtro Landunenſi, natalis ſanctæ Odiliæ virginis abbatiſſæ. Quæ claro quidem Francorum ſanguine, ſed cæca nata, cum ob hoc à patre occidi juſſa fuiſſet, à matre ſervata, & à ſancto Erhardo Ratiſponenſi epiſcopo divinitus admonito baptizata, viſum recepit. Poſt hæc in gratiam à patre ſuſcepta, monaſterium, quod pater fundaverat, regendum accepit. Ubi multis Virginibus adunatis, in magna ſanctitate vivens, miraculis etiam coruſcans, quievit in pace.*

Urciani &c.

Invent. Nazarii &c.

De Judoco.

Odiliæ.

MOLAN. Addit aliis litteris cum BELIN. poſt *percuſſa eſt; nec tamen mortua, donec venientibus* &c. Tum: *Item Urſini martyris.* De Autberto in fine; *& confeſſoris; cujus vita illuſtris glorioſis virtutum claruit indiciis, tempore Dagoberti regis Francorum. Eodem die, ſancti Judoci confeſſoris. Eodem die in territorio Argentinenſi, ſanctæ Othiliæ virginis. Ravennæ, ſancti Leuchadii.* Demum typis minoribus: *Feria quarta poſt Luciæ, jejunium triduanum hiemale. Sive decimi menſis, de quo octo habentur homiliæ Leonis Papæ* I. *In Orpe, pago juxta Geldoniam, ſanctæ Adiliæ virginis abbatiſſæ.* Dixi ſupra Adiliam coli XXX Junii, vide Acta eo die. Editiones poſteriores idem habent de Lucia in textu, idem ferme de Autberto, excepta temporis nota. Deinde: *In pago Pontino, ſancti Judoci confeſſoris, filii regis Britonum, peregrini. In territorio Argentinenſi* &c. ut in priori. *Die decima tertia, ſanctorum martyrum Euſtratii, Auxentii, Eugenii, Mardarii & Oreſti.* Tum typis minoribus: *Niceæ, ſancti Baſſi, qui duobus clavis tranſfixus interiit.* Denique de jejunio decimi menſis, ut ſupra.

Ursini. De Autbert.

Judoci. Othiliæ. Leuchadii.

Adiliæ.

De Judoco.

Eustratii & sociorum. Bassi.

XIX *Kal.* *Die* 14.

Spiridionis

APud Cyprum, natalis beati Spiridionis epiſcopi, qui unus fuit ex illis confeſſoribus, quos Maximianus dextris oculis effoſſis, & ſiniſtro poplite ſucciſo, per metalla damnaverat, quique cum propheticam duceret vitam, etiam ſignorum gloria inclitus fuit.

Heronis & ſociorum.

Alexandriæ, ſanctorum martyrum Heronis, Arſenii, Iſidori & Dioſcori pueri, quos judex ſub perſecutione Deciana variis tormentis dilanians, cum pari modo conſtantia fidei videret armatos, tradi ignibus jubet. Dioſcorus vero multipliciter flagellatus, divino nutu ad conſolationem fidelium eſt dimiſſus.

Druſi & ſociorum.

In Antiochia, natalis ſanctorum martyrum Druſi, Zoſimi, & Theodori.

Nicaſii & Eutropiæ.

Item Remis, paſſio ſancti Nicaſii epiſcopi & Eutropiæ virginis ſororis ejuſdem.

Ex *Praten. Herinien. Antverp-maj Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Ciprum* ſcribunt hîc Herinien. & Antverp maj. melius ceteri omnes. In Munerat. eſt. *Spiridonis*, ineptius in Belino *Spilidionis*, quod in altera editione correctum eſt. Sed ignoſcendum antiquioribus, quas typographorum incuria vitiavit. Sic in Belino legitur *pollice* pro *poplite*, quod etiam habet Greven. Sic aliqui *Datiana* pro *Deciana*; ſic *Artenii, Yſidori, Hyſidori, Durſii, Nichaſii* &c. *Per metalla damnaverat*, phraſis eſt Rufini, ſervata ab Adone, & ex hoc à Noſtro deſcripta; Antverp-maj. maluit ponere *dampnavit*. Belin. legit, *cum pari conſtantia videret*; melius in textu. Antverp. legit *Remis, ſanctorum*: Max-Lubec. *Remis, paſſio ſanctorum*: Molan. autem ante *Eutropiæ*, inſerit titulum *ſanctæ*.

Spiridionis.

OBSERVATIO. Rufinus hiſtoriæ libro 10 cap. 4, narrata Paphnutii Ægyptii glorioſa confeſſione, utpote qui ex illis fuerat, *qui dextris oculis effoſſis & ſiniſtro poplite ſucciſo, per metalla damnati fuerant*; caput immediate ſubſequens ſic orditur: *Ex eorum numero, & ſi quid adhuc eminentius, fuiſſe dicitur etiam Spiridion, Ciprius epiſcopus, vir unus ex ordine prophetarum* &c. Hinc à Romani parvi auctore extractum nomen, cui hoc die locum in Faſtis noſtris tribueret: *In Cypro, Spiridionis epiſcopi*: ibidem reperit Ado, quo paulo uberius *admirandæ beatitudinis virum* exornaret; ex hoc vero Uſuardus totam annuntiationem ſuam deſcripſit. Plura de Spiridione in citato capite legi poſſunt, plura apud Socratem, Sozomenum & alios, ex quibus vitam ſuam Gallicam contexuit Tillemontius

montius tomo 7 à pag. 242; non auſus fidere vitæ Metaphraſticæ apud Surium editæ: licet hic fortaſſe metricam habuerit, quam à Triphyllio, Spiridionis diſcipulo compoſitam volunt. Vide quæ de vitis Græcis, apud nos exſtantibus, notavit Papebrochius XII Decembris ad Kalendarium Græco-Moſcum pag. LV, & notas Tillemontii citato tomo 7 à pag. 693. Verſum Wandelberti, qui Spiridionem Nicaſio poſtpoſuit, infra producemus.

Fœcunda Martyrum ſeges, laudata toties Dionyſii Alexandrini epiſtola, apud Rufinum libro 6 cap. 31, ſequentes quatuor pugiles Alexandrinos auctori Romani parvi ſuggeſſit, is ad hunc diem pro ſua auctoritate retulit ſecundo loco: *Alexandriæ, Heronis, Arſenii, & Iſidori & Dioſcori.* Longius Adonis elogium ex Rufino iterum acceptum eſt, noſtrum ex Adoniano ſatis nitide contractum. Non potuit Sanctis illis melior encomiaſtes obtingere, quam ſit Euſebii hiſtoria. Non ita actum cum tribus Antiochenis, quorum ſola nomina ſupereſſe videntur, in Hieronymianis primum ſignata; ſed eo modo, ut dubium relinquant utrum *Druſus* vel *Druſina*, vel, ut vult Caſtellanus, *Droſides*, duos an tres ſocios habuerit: *In Antiochia, Druſi & ſociorum ejus numero* III, *Zoſimi & Theodori & ſanctæ Luciæ virginis.* Alii aliter efferunt, & aliter numerant, neque res ſatis componitur, niſi cum Romano legatur: *In Antiochia, natale Druſi & ſociorum ejus Zoſimi & Theodori.* Et ſic etiam alicubi, haud dubie, reperit Romanum parvum, dum eos primo loco ſignavit his verbis: *Antiochiæ, Druſi, Zoſimi & Theodori.* Nec plura invenit Martyrologus Viennenſis, ex quo totus textus noſter hactenus tranſlatus eſt.

Heronis & ſociorum.

Druſi & ſociorum.

Nicaſius, licet in Hieronymianis reperiatur, ut hîc tamen cum ſorore *Eutropia* conjungitur, plane Uſuardinus eſt, in Adonis appendice perperam Lugduno adſcriptus. Flori noſtri paulo amplior phraſis ſocios cives in eadem barbarorum graſſatione mactatos annumerat: Rabanus compendioſior pro *Eutropia*, ſcripſit, *Sacrepi* vel potius nomen hoc aliò ſpectans ex Hieronymianis deſcripſit & Nicaſio perperam adjunxit. Gemina de Nicaſii ſociorumque martyrio Acta edidit Surius, altera antiquiora & breviora, longiora altera à Flodoardo quadringentis poſt martyrium annis compoſita, de quorum fide & ſinceritate hîc ſtatuendum non eſt. Patet Nicaſii cultus totâ Galliâ præſertim in provincia Rhemenſi, & inde toto etiam Belgio celeberrimus. Metricum Wandelberti elogium ſic Nicaſium cum Spiridione honorat:

Nicaſii & Eutropiæ.

Nonum cum decimo Jani de more Kalendas
Qui vocat, antiſtes Nicaſius auget honore;
Spiridionque die præſul celebratur eodem.

AUCTARIA.

TORNACEN. Caret annuntiatione prima, mutilus eſt in ſecunda, purus in ſolis duabus ultimis.

ROSWEYD. Poſt Antiochenos, textui inſerit: *Lugduni, ſancti Viatoris epiſcopi.* De eodem agunt Florus & Rabanus. Tum: *Viennæ, Lupicini epiſcopi & confeſſoris.* Vide Rabanum & appendicem Adonis. De utroque ſancto, Viatore nempe & Lupicino, videri etiam poſſunt apographi Hieronymiana. De Nicaſio hæc adduntur: *epiſcopi & martyris cum ſociis ſuis.*

Viatoris. *Lupicini.*

PULSANEN. Omiſſo Spiridione, ſic incipit: *Apud Antiochiam, ſanctorum martyrum Druſimi, Zoſimi & Theodoli.* Alexandrinos privat elogio & Nicaſium ſorore.

ANTVERP. MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. Textui puro ſubjiciunt in fine: *Viennæ, natale ſancti Lupicini epiſcopi & confeſſoris.* Idem habet LOVAN. Sed Alexandrinorum elogium reſecat.

Lupicini.

ALBERG. & DANIC. Præter jam dictum de Lupicino augmentum, ſic de Nicaſio & ſorore addunt: *Qui ab Hunis gladio capite truncati, glorioſum martyrium compleverunt.*

De Nicaſio.

CENTULEN. *Apud Antiochiam, ſanctorum martyrum Druſi, Zozimi & Theodoli. Alexandriæ, beatorum martyrum Heronis, Arſenii, Yſidori atque Dioſcori. Apud Ciprum, ſancti Spiridionis epiſcopi, merito confeſſionis præclari. Remis Francorum metropoli, ſancti Nicaſii archiepiſcopi, qui decollatus eſt à Wandalis, cum ſorore virgine Eutropia, & cum multis de clero vel populo.*

BRUXELLEN. Incipit: *Remis, paſſio ſanctorum Nychaſii, & ſanctæ Eutropiæ virginis, ſuæ ſororis. Qui cum multitudine cleri & plebis ejuſdem urbis, ab Hunis trucidati ſunt.* Sequitur de Antiochenis, de Spiridione & Alexandrinis, ſatis pure. Tum: *Apud Viennam, depoſitio ſancti Lupicini epiſcopi & confeſſoris. Apud Lugdunum, depoſitio ſancti Viatoris epiſcopi & confeſſoris. Monaſterio Sytu, tranſitus ſancti Folquini, Morinorum epiſcopi & confeſſoris.* De hoc vide Caſtellanum.

De Nicaſio. *Lupicini.* *Viatoris.* *Folquini.*

HAGENOYEN. Primo loco ponit Alexandrinos; tum Spiridionem, dein Antiochenos; omnes ſatis pure; verum de Nicaſio, ſic habet: *Remis, paſſio ſancti Nicaſii epiſcopi & martyris, & Eutropiæ ſororis ejus. Qui divino nutu illic de Britannia majori venerat epiſcopus, ex regali ortus ſanguine, & ſuam eccleſiam laudabiliter per omnia regens in verbo Domini, mortem ſibi proximam eſſe prædixit, conſolans ſuos, ne ejus terrerentur exemplo, in ſermone eodem ab Hunis decollatus eſt. Ipſe vero caput ſuum arripuit, ſtans ante altare ſermonem ſuum finivit, & vertens ſe ad altare, ad orationem ſe poſuit & obiit. Eutropia vero ſoror ejus, decollatori fratris ſui* [oculos] *eripuit, quapropter miſerabili morte necata eſt.*

De Nicaſio & Eutropia.

AQUICINCT. In fine textûs, poſt *ſororis ejuſdem*, additur, *ſociorumque eorum à Wandalis interfectorum.*

Folquini. terfectorum. *Item tranſitus ſancti Folquini Morinorum epiſcopi & confeſſoris.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Nicaſii Rhemenſis archiepiſcopi & Eutropiæ ſororis ejus martyrum. Spiridionis epiſcopi & confeſſoris.*

In VATICAN. num. 5949. Nihil de Nicaſio.

Agnelli. Adjicitur: *Apud Neapolim, ſancti Agnelli confeſſ.*

Aviti. Atici. Lotharii. ALTEMPS. *Depoſitio Aviti ſacerdotis. Atici monachi. Lotharii abbatis.* Pro hoc die, & ſub his terminis omnes æque ignoti ſunt.

Fortunati. BURDEGALEN. *Fortunati Pictavienſis epiſcopi & confeſſoris.* Vide Caſtellanum, qui totam nominum ejus ſeriem diſtincte enumerat.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Remis metropoli, paſſio ſanctorum Nichaſii epiſcopi, & ſanctæ Eutropiæ virginis ſororis ejuſdem, miræ ſanctitatis. Qui epiſcopus cum ab Hunis, & Wandalis pro fide Chriſti inter domum eccleſiæ decollatus eſſet, abſciſum caput propriis tollens manibus ante altare poſuit. Eutropia vero cum ad illudendum ſe reſervari conſpiceret, injecta manu in hoſtes, gladio quoſdam vulneravit, ſicque illos contra ſe provocans, martyrizata eſt; cum quibus inhumeri ex eadem urbe paſſi ſunt.* Sequitur de Spiridione, Alexandrinis & Antiochenis, ſatis pure. In fine: *Vienna,* *Lupicini. Folquini.* *natale ſancti Lupicini, noni illius eccleſiæ epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, ſancti Folquini epiſcopi & confeſſoris.* Vide MOLAN. infra.

De Nicaſio.

GREVEN. *Nota, cum beato Nichaſio ejuſque ſorore, ſub Wandalis innumeri utriuſque ſexus in* *Tyrſi &c* *eadem urbe paſſi ſunt. Item, ſanctorum Tyrſi & trium ſociorum ejus. Platonis martyris. Vienna, S.* *Platonis.* *Lupicini epiſcopi & confeſſoris. Lugduni, ſancti Via-* *Lupicini.* *toris epiſcopi & confeſſoris. Folquini epiſcopi & con-* *Viatoris.* *feſſoris. Neapoli, ſancti Agnelli abbatis. In Anglia,* *Folquini.* *beati Hilbaldi abbatis. Item, beatæ Celendridis.* *Agnelli.* *Hilbaldi.* *Celendridis.*

MOLAN. Poſt *Nicaſii epiſcopi*, litteris Italicis textui inſerit: *Qui Miſſarum ſolennitatibus peractis à Wandalis intra eccleſiam Remenſem paſſus eſt martyrium, pro fide Chriſti decollatus intra domum eccleſiæ.* In fine: *Monaſterio Sithiu, tranſitus beati Folquini, Morinorum epiſcopi, cujus vitæ & ſanctitatis meritum commendat abyſſus vehemens aquarum, una nocte flante auſtro congelata ad ejus corporis tranſitum.* Dein typis minoribus: *Neapoli, ſancti Agnelli abbatis. Eodem die,* *Agnelli.* *Fortunati epiſcopi Pictavienſis. Qui poſtquam Tu-* *De Fortunat.* *ronos, juxta votum proprium pervenit, Pictavos pertranſiens illic habitavit, & multorum ibidem ſanctorum geſta partim proſa, partim metrica oratione conſcripſit.* Editiones aliæ, idem in textu referunt de Nicaſio, ſed errant dum Eutropiam etiam Italicis efformant. De Folquino, idem quod in prima. Tum: *Item beati Lucipini,* *Lupicini.* *Viennenſis eccleſiæ octavi epiſcopi.* Demum typis minoribus: *Aſcaloni, ſanctorum martyrum Aris,* *Aris &* *Promi & Eliæ. Quorum primus, ob fidei confeſſio-* *ſociorum.* *nem, in rogum conjectus fuit, reliquis duobus capita ſunt amputata.* Vide Euſebii librum de Martyribus Palæſtinæ cap. 10, apud Ruinartium inter Selecta à pag. 344. Denique: *Leodii ad ſan-* *Odiliæ.* *ctum Ægidium, obitus beatæ Odiliæ viduæ recluſæ.*

XVIII *Kal.* *Die* 15.

Valeriani. APud Africam, beati Valeriani epiſcopi & confeſſoris, qui cum eſſet annorum plus octoginta, extra civitatem ſingularis expelli juſſus eſt, & ita præceptum, ut nullus eum neque in domo neque in agro dimitteret habitare; ſicque in ſtrata publica multo tempore nudus ſub aëre jacens, in confeſſione Catholicæ veritatis & defenſione ſanctimonii, curſum beatæ vitæ complevit. In territorio *Maximini.* Aurelianenſium, ſancti Maximini confeſſoris.

Conveniunt codices plurimi, ut *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Antverp.* & *Max. Lubec. Munerat. Greven.* & *Molan.* Accedunt *Antverp-max.* & ſocii codices mediæ notæ.

VARIA LECTIO. Greven. & Molan. De Valeriano ſcribunt, *qui cum eſſet annorum pluſquam octoginta*, alii omnes cum Adone, & fonte ipſo unde hæc accepta ſunt, nempe Victore Vitenſi. Solus Belinus legit, *& ita præceptum eſt.* Sic ſolus Herinien. *di mitteret habitare*, corrigere quodammodo voluit per *ſineret habitare.* Greven. & Molan. à reliquis diſſentiunt, ſcribentes *ſed in ſtrata publica*; melius in textu. Rurſus uterque legit *nudo ſub aëre.* Fateor equidem ita haberi in Victoris Vitenſis editione Chiffletiana, at Noſter Viennenſem ſecutus eſt, in quo *nudus ſub aëre*, ſicque ex manuſcriptis in noviſſima editione reſtituit Ruinartius. Erravit Munerat. dum pro *multo tempore* mendoſe ſcripſit *multorum temporum.* Emendatius fortaſſe loqui voluit Tornacen. dum pro *defenſione ſanctimonii*, correxit *defenſione ſanctimoniæ.* Porro quid *ſanctimonium* quid *ſtrata*, ſignificent, docebit Molanus. Alium ſenſum efformarunt Antverp. Max. Lubec. Belin. & codices omnes mediæ notæ, dum ſic ponunt; *in confeſſione ac defenſione veritatis catholicæ.* Ultima annuntiatio phraſi Uſuardina exprimitur, non *Aurelianis*, nec *in civitate Aurelianenſi*, nec *in territorio Aurelianenſi*, ut habent Belin. Greven. & Molan. ſed *in territorio Aurelianenſium.* Quæritur an cum Pratenſi & conſuetis ſequacibus Antverp-maj. Roſweyd. & Aquicinct. legerit *Maximini abbatis*, an *Maximini confeſſoris?* Hunc modum ſequuntur reliqui quos præferimus; Belini ſecunda editio titulum utrumque conjunxit. Pauci ſcribunt *Maximi* cum prima Belini editione, ſed eos non moramur.

OBSER-

OBSERVATIO. Dum de Papiniano & Manſueto Africanis epiſcopis ageremus XXVIII Novembris, ibidem notavimus, plures apud Adonem populares epiſcopos eo die ſimul enumerari, qui in perſecutione Wandalica paſſi ſunt, atque inter eos *Valerianum*, quem eumdem eſſe credimus cum noſtro hoc hodierno, à Victore Vitenſi mirifice laudato, libro 1 de perſecutione Africana apud Chiffletium pag. 13. *Abenſis civitatis epiſcopus* ibi dicitur, in editione Ruinartii pag. 16 *Abbenzæ*, ſed ea variatio parum ad nos attinet. Huc magis facit prædicti Ruinartii correctio, qua Valeriani ætas octogenaria confirmatur, cum in Chiffletii editione ſolum indicaretur *annos natus plus ſeptuaginta.* Vide alia in Ruinartii Notis pag. 159. Hæc paucis de fonte dicta ſint, ex quo primus hauſit auctor Romani parvi, his verbis: *In Africa, Valeriani epiſcopi & confeſſoris, Wandalica perſecutione.* Evolve Martyrologia alia antiqua omnia, nullam hujus Sancti memoriam invenies: unde novum pondus accreſcit noſtræ, aliàs indicatæ, opinioni, nempe pleroſque Africanos Sanctos in perſecutione Wandalica paſſos, ab auctore Romani parvi in Faſtos eccleſiaſticos primum relatos fuiſſe; de qua re egimus in præfationis noſtræ cap. 2 ſub finem. Ado longiorum encomiorum concinnator, indigitatam perſecutionem diligentius ſcrutatus; ex laudati Victoris hiſtoria elogii ſui materiam reperit, paucula adjiciens de *defenſione ſanctimonii*, quæ apud præfatum ſcriptorem eo modo, ſaltem relato à nobis loco, non inveniuntur. Ceterum Uſuardus ſua omnia ex Adone mutuatus eſt. *Valeriani.*

In veruſtiſſimo codice Hieronymiano Epternacenſi ſeu Antverpienſi clare ſignatur ſecunda noſtra annuntiatio: *In civitate Aurelianenſi, Maximini presbyteri & confeſſoris.* In aliis apographis legitur *Maximi*, pro quo ex Belino, Maurolyco, aut aliis hujuſmodi, quibus etiam addi poſſent codices Uſuardini, fruſtra pugnat Florentinius. Non melius Sancti nomen inflexit Florus per *Maximiani*, nec tam peculiare elogium adducit, ut non cuivis Sancto confeſſori aptari poſſit: *Qui in ſumma religione degens, ejus meritis multa miracula Dominus operari dignatus eſt.* Neque magis propria ſunt Adoniana hæc: *Aurelianis, beati Maximini presbyteri, venerabilis ſanctitatis viri:* ubi obſervo, tum Hieronymiana, tum Florum, tum Adonem *urbem Aurelianenſem* deſignare velle, quæ *Maximini Miciacenſis* vera poſitio non eſt. Noſter itaque ſimplicius, ſed & paulo diſtinctius per *territorium Aurelianenſe* rem exprimens, ſtudioſe etiam ab omni elogio abſtinuiſſe videtur. Quo autem modo annuntiationem ſuam formaſſe putemus, dictum eſt ſupra in Variantibus. Apud Romanum parvum, Bedam & Rabanum notus non eſt Maximinus noſter, at multa de eo edidit Mabilio in appendice ſeculi 1 Benedictini à pag. 580, duplicem vitam referens, cum libro miraculorum, præmiſſis obſervationibus, additiſque notis, quæ ad Sancti Acta in majori noſtro opere illuſtranda, non modico erunt adjumento. Poëta Martyrologus ſolum Maximinum hoc diſticho laudavit: *Maximini.*

Octavum cum deno Maximine retentas,
Aureliana ferax, præbent cui rura Lyæum.

AUCTARIA.

Fauſtini & ſociorum. ROSWEYD. Textui ſatis puro adjicit: *In Africa, Fauſtini martyris, cum aliis* XXX. Eſt in Hieronymianis *Fauſtinus* vel *Fauſtus* cum ſociis aliquot, ſed unde ad triginta accreverint, neſcio.

PULSANEN. De prima, habet uſque ad *confeſſoris*, expuncto toto elogio; ſecundam vero ſic amplificat: *In territorio Aurelianenſium, depoſitio beati Maximi preſbyteri atque abbatis, venerabilis ſanctitatis viri.*

CENTULEN. *Apud Affricam, ſancti Vualeriani epiſcopi & confeſſoris. In territorio Aurelianenſi, ſancti Maximini abbatis. Hic fuit frater ſancti Vitoni Virdunenſis epiſcopi.*

De pueris Babylonicis. BRUXELLEN. Anticipat: *Apud Babiloniam, tempore Nabugodonoſor regis., paſſio ſanctorum trium puerorum Ananiæ, Azariæ & Miſaëlis. Quorum corpora ſub quodam ſpecu poſita ſunt. Apud Affricam, ſancti Aureliani* [pro *Valeriani*] *epiſcopi & confeſſoris. Quem ob conſtantiam orthodoxæ fidei Geiſericus rex Arrianorum præcepit; ut nullus in domo neque in agro ſuſciperet. Cumque eſſet annorum plus octoginta, in ſtrata* &c. ſatis pure.

De Valerian.

Aurelianis, depoſitio ſancti Maximi epiſcopi & confeſſoris. Item Valeriani, epiſcopi & confeſſoris. Et depoſitio beati Maximini abbatis, magnæ ſanctitatis viri. Notabilis hic locus eſt, ut oſtendatur quam facile librariorum imperitia Sanctos multiplicaverit, cum hîc ex duóbus in textu noſtro poſitis, quatuor exurgant.

HAGENOYEN. Incipit à longa hiſtoria de Jacob patriarcha, quæ aliunde notior & certior eſt, quam ut ex hoc codice hîc deſcribatur. In toto textu ſatis purus eſt, ſed inter Valerianum & Maximinum ex die præcedenti inſerit: *Vienna, natale ſancti Lupicini epiſcopi & confeſſoris.* *Jacob.* *Lupicini.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Valeriani epiſcopi & confeſſoris, qui cum eſſet* LXXX *annorum, expulſus, nudus ſub aëre in confeſſione veritatis vitam finivit.* Nihil de Maximino.

VATICAN. ſignatus num 5949. Adjicit: *Ravennæ, ſanctorum Nanlavis & Concordii.* Coluntur die ſequenti Martyres Ravennates ſed aliis nominibus; inter eos eſt *Navalis*, quem hîc per *Nanlavis* certo deſignari exiſtimo. Vide ibi Uſuardum, ejus Auctaria & Martyrol. Romanum. *Navalis & Concordii.*

BIZUNTICEN. *In territorio Aurelianenſium, ſancti Maximi confeſſoris.* Vide ſupra.

REMENS. SS. Tim. & Apoll. Cum priori & multis aliis convenit in nomine *Maximi*, ſed ſcribit, *preſbyteri & confeſſoris.*

EDITIO LUBECO-COL. De Valeriano pauca admiſcet: *Qui cum eſſet annorum pluſquam octoginta, tempore Wandalicæ perſecutionis, ex præcepto Geyſerici regis, extra civitatem ſingulariter expelli juſſus eſt, & ita præceptum* &c. ut ſupra ANTVERP. & plures alii. De Maximino, ſic habet: *In territorio Aurelianenſi, ſancti Maximini presbyteri & confeſſoris, venerabilis ſanctitate viri.* Et ita ferme legit AMBIANEN.

Octavæ Conception.

GREVEN. *Octavæ Conceptionis ſanctæ Dei genitricis Mariæ* Omiſi notare ſuperius in codicis DANICI ora ſuperiori, manu plane recenti adſcriptum haberi: *Octava Conceptionis glorioſiſſimæ virginis Mariæ. Feſtum minus duplex.* Pergit GREVEN. *In Aphrica, natalis ſanctorum Fauſtini, Candidi, Ceciliani, & aliorum viginti octo.* Hæc ſatis conveniunt cum codice ROSWEYD. de quo ſupra, ſed numerus ille Africanorum Martyrum XXXI, non videtur ex Hieronymianis colligi poſſe. *Volquini confeſſoris.* An hîc forte *Folquini* Morinenſis, de quo heri actum, nomen duplicatum non eſt? *Item ſanctæ memoriæ Joannis Cornerii monachi preſbyteri, Ordinis Carthuſienſis, cujus merita Dominus per miracula multa oſtendere dignatus eſt. Saturninæ virginis.*

Fauſtini & ſociorum.

Volquini.

Joannis Cornerii.

Saturninæ.

MOLAN. De Valeriano litteris Italicis poſt *octoginta* inſerit, *tempore Wandalicæ perſecutionis, cum ex præcepto Genſerichi regis Arriani ad tradendum divina myſteria vel libros, arctarentur cuncti Domini ſacerdotes; ita ut iidem impii Arriani de ipſis palliis altaris, camiſias ſibi & femoralia facerent, viriliter ne ſacramenta divina traderet, dimicans, extra* &c. In fine minoribus typis adjicit: *Depoſitio beati Sanctuli preſbyteri & confeſſoris. De quo in libris Dialog. Gregorius.* A Caſtellano ponitur in Martyrologio univerſali inter *Aëmeros*, ut ipſe appellat & ſcribit, pag. 890. De ejus cultu, nihil alibi reperi. In aliis editionibus prætermiſſus eſt, in quibus præter Valeriani elogium, in fine ſolum additur: *Die decima quinta, ſancti patris Pauli, qui fuit in occulto.*

De Valerian.

Sanctuli.

Pauli.

XVII *Kal.* *Die* 16.

Puerorum Babylonic.

Barbaræ.

TRium puerorum Ananiæ, Azariæ & Miſaëlis, quorum corpora apud Babiloniam ſub quodam ſpecu ſunt poſita. In Tuſcia, paſſio ſanctæ Barbaræ virginis, ſub Maximiano imperatore, hæc poſt diram carceris macerationem & nervorum cæſionem, ac lampadarum aduſtionem, mamillarumque præciſionem, atque aliorum tormentorum cruciationem, ad extremum gladio data, martyrium conſummavit. Ravennæ, ſanctorum Valentini, Naulis & Agricolæ.

Valentini & ſocior.

Puri codices ſunt *Praten. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Antverp. Max-Lubec. Belin & Greven. ſcribunt *Miſahelis*, ſervavi cum aliis communiorem modum; ſic etiam ſimpliciter *Babiloniam*, licet nonnulli habeant *Babyloniam*. Solus Praten. legit *duram carceris macerationem*. Alii omnes *diram*; Munerat. tranſpoſuit *diram macerationem carceris*, & omiſit *mammillarumque præciſionem*. Pro *gladio data*, male ſubſtituit Belin. *gladio donata*. In Munerato eſt *Valenciani, Naulis* &c. In primo ſolus errat, in *Naulis*, codices prope omnes, quos ſequi debuimus. Antverp. Max-Lubec. & Molan. melius habent *Navalis*, nec male ex Hieronymianis aliquibus Belin. *Novalis*. De *Thuſcia* dixi alibi: omnes legunt, ut eſt in textu, excepto ſolo Molano.

Puerorum Babylonic.

OBSERVATIO. Qui plures ex veteri Teſtamento Patres in ſerie heroum Chriſtianorum collocavit, auctor Romani parvi, idem etiam primus inſignes illos tres pueros Babylonicos hoc die, ex mera ſua diſpoſitione, Martyrologio inſeruit: *Martyrium ſanctorum Ananiæ, Azariæ, Miſaëlis*, aliàs Sidrach, Miſach, & Abdenago. In Adone nihil ſuperadditum eſt, præter hæc verba, *trium virorum, ſanctorum.* Uſuardinum igitur eſt, quidquid elogii vice hîc adjicitur, ut de aliis patriarchis & prophetis alibi notavimus. Hæc autem qualiacumque elogia accepit Uſuardus ex Iſidoro Hiſpalenſi, De vita & obitu Sanctorum utriuſque Teſtamenti. Cetera quæ de his Sanctis colligi ſubinde poſſunt, in Baronii Notatione diligenter indicata invenies. Undenam Wandelbertus Babylonios noſtros eduxerit, haud equidem ſatis certo auſim aſſerere, interim inſigni elogio eos decoravit in hunc modum:

Impia qui Aſſyrii tempſerunt juſſa tyranni,
Quorum nec crepitans valuit terrere fidelem
Conſtantemque animum fornacis flamma furentis,
Terni ſepteno & decimo pueri memorantur.

Prædicto Romani parvi auctori debetur etiam annuntiatio altera, ſic ibi formata:

Barbaræ. *In Tuſcia, Barbaræ virginis & martyris.* Ado totius paſſionis hiſtoriam paucis complexus eſt

eſt, paucioribus Uſuardus, hinc inde Adonis ſenſum potius quam verba ſecutus. Atque hi tres Martyrologi antiqui ſunt, in quibus præclariſſima virgo *Barbara* hoc die certo recolitur, à Rabano, cum diverſo elogio IV Decembris conſignata, omiſſis, quaſi de induſtria, tum martyrii loco, tum notis temporis, quas forte Martyrologus ille, ut erat vir eruditus, cum Barbaræ Actis haud ſatis combinare potuit. Et ſane tot graviſſimis difficultatibus implexa ſunt inclytiſſimæ alioquin virginis & martyris geſta, à quocumque demum vel à quibuſcumque auctoribus exornata ſint, ut ego quidem hactenus non videam, quomodo ſic expurgari poſſint, ut ad normam ſatis tolerabilem reducantur. Vidit nodos illos Baronius agnovitque, *depravatos videri codices nonnullos*, in quibus locus, tempus aliaque plane turbata ſunt. Vehementer optamus, tam fideles alios codices, ſeu Græcos ſeu Latinos, nobis aliquis producat, unde erui poſſit hiſtorica veriſimilitudo. En tricas aliquot. Martyrologi noſtri *Tuſciam* diſerte appellant & *Maximiani* tempora: Acta aliqua *Maximinum* volunt, eumque primum, qui Alexandro ſucceſſit, ut Origeni æqualis ſit, cujus diſcipula ſaltem per litteras fuerit, idque ſe opportune confirmare putant ex Chronico Orientali ab Echellenſi edito, de cujus auctoritate alibi à nobis dictum eſt. Alii ad *alterum Maximinum* recurrunt, Barbaram cum Catharina in Ægypto collocantes. Non minor contentio circa *Heliopolim* vel *Nicomediam*, ubi martyr paſſa ſit, cui *Antiochiam* addunt Bedæ Auctaria. Sed quis urbes illas in Tuſcia reperiat, aut quis Tuſciam in Oriente? Hæc & id genus alia criticos recentiores impulere, ut Acta quæcumque contemptim repudiarent. Papebrochio etiam diſplicuere, ut in Ephemeridibus Græco-Moſcis pag. XXVI & LIV, ac rurſus in Reſponſionibus ad art. XI à num. 106, ſatis indicat; at is facile emendari paſſus eſt, quæ cum hac Obſervatione noſtra non conveniunt; ea præſertim, quæ S. Barbaræ cultûs initia concernunt, cujus epocham ipſe ſtatuit in fine ſeculi IX, cum certum ſit, in ipſo quoque Occidente ante iſtud ſeculum recoli Sanctam debuiſſe, utpote in Romano parvo diſertiſſime ſignatam, cujus auctorem non ſine hiſtoricis monumentis cultum aliquem Sanctis decernere conſueviſſe, exploratum eſt. Non minus evidenter patet, aut Faſtos aut Acta aliqua circa annum DCCCXL in Rabani notitiam perveniſſe, ex quibus Martyrologio ſuo Barbaram adſcripſerit: nam ad interpolationem hîc confugere, quid aliud eſſet, quam certa quæque per dubias conjecturas convellere? Ex his vero conficitur, prius Barbaræ, quam Catharinæ cultum in Occidente receptum fuiſſe. Jam vero pura & genuina Adonis & Uſuardi exemplaria Barbaram referre, indubitatum reddunt citati à nobis ſupra, aliique codices; Papebrochium fefellit, quod ipſam IV Decembris requiſiverit. Hæc curſim pro inſtituto noſtro ſufficiunt; reliqua eò remittimus, ubi Acta de integro examinanda erunt. Æque ſpinoſæ ſunt de corpore & tranſlationibus quæſtiones, quas hîc intactas relinquimus.

Valentini & ſociorum

Valentinus cum ſociis Ravennatibus ſic diſtinctiſſime ponitur in Hieronymianis: *Ravennæ, Valentini, Navalis, Agricolæ, Concordi.* Vetus Epternacenſe legit *Novalis* & *Concordiæ*, hiſque Corbeienſis ſuperaddit *Juſtini.* Ex prædictis apographis ſua deſcripſit Rabanus, deſcripſit item Uſuardus, ſed omiſſo Concordio. Antiqua eorum Acta, ſiqua fuerint, nuſquam occurrunt; quæ à recentioribus prodita ſunt, ſuo tempore diſcutientur.

AUCTARIA.

HERINIEN. Dum hic codex ſcriptus eſt, invaluerat Barbaræ celebritas IV Decembris, quando ferme & ſanctus Blaſius ex XV Februarii ad III retractus eſt: quod plane factum exiſtimo circa ſeculum decimum. Hîc itaque Barbarâ caret præfatus codex, quam vide IV Decembris.

TORNACEN. In prima & ultima annuntiationes purus, totum ſecundæ elogium reſecuit.

ROSWEYD. Purus etiam in prima & ultima, ſecundam omiſit, poſitam ſupra IV Decembris.

Lazari. Marthæ. In fine adjicit: *Eodem die, Lazari, quem Dominus Jeſus reſuſcitavit à mortuis. Item Marthæ ſororis ejus.* Vide die ſequenti.

Rufi &c. Meletii. PULSANEN. In ſola prima purus eſt. Tum: *Eodem die, beatorum martyrum Rufi & Zoſimi. Apud Spoletum, ſancti Meletii epiſcopi & confeſſoris.* Hic à Caſtellano hoc die ponitur, de aliis vide Uſuardum XVIII Decembris.

ANTVERP-MAX. cum ſociis ſuis omnibus. Hi annuntiationem puram Uſuardinam retulerunt IV Decembris, hîc vero aliam ſecundo loco ſubſtituunt: *Romæ, natale ſanctorum Hyrenei, Antonii, Theodori, Saturnini, Victoris & aliorum decem & ſeptem. Qui cum beata Luceia virgine & Anceia* [Auceia] *rege Perſarum, quem ipſa ad fidem Chriſti convertit, ſub Elio præfecto glorioſum martyrium conſummarunt.* Vide quæ diximus XXV Junii & Acta eo die. In prima & ultima annuntiatione ſatis puri ſunt.

Irenæi & ſociorum.

CENTULEN. *Trium puerorum Ananiæ, Azariæ, & Miſaël* &c. pure. Deeſt reliquus textus, cujus loco ſunt: *Eodem die, ſanctorum martyrum Rufi & Zoſimi, de quorum felici agone ſanctus Policarpus in epiſtola ad Philippenſes ſcribit. Apud Pontum, ſancti Meletii epiſcopi & confeſſoris, qui cum eſſet eruditione magnificus, virtus tamen animi & vitæ ſinceritas longe in eo magnificentior extitit.* Huc ex IX Decembris perperam tranſlatus eſt.

Rufi &c. *Meletii Ponti ep.*

BRUXELLEN. Incipit: *Apud Affricam, natale*

Fauſtini &c. *ſanctorum Fauſtini, Candidi & Ceciliani.* Vide Hieronymiana die præcedenti. Sequitur: *Apud*
Valent. &c. *Ravennam, natale ſanctorum Valentini, Navalis, Agricolæ & Concordii martyrum.* Vide Obſervationem. De Irenæo & ſociis, eadem habet
Irenæi &c. cum codicibus mediæ notæ. *In Tuſcia, ſanctæ*
Barbaræ. *Barbaræ virginis & martyris.* Videtur ſupponere aliam hanc eſſe Barbaram ab ea, quam poſuit ſupra IV Decembris. Sequitur: *Apud Spoletum,*
Meletii. *depoſitio ſancti Malecii epiſcopi & confeſſoris.*

HAGENOYEN. Duas longas hiſtorias profert; alteram de pueris Babylonicis, quæ ex ſacris Litteris notior & certior eſt, quam hîc enarretur. De Luceia virgine & Auceia rege alteram, quam malim ex Actis ipſis XXV Junii accipias.

MATRIC-CARTUS ULTRAJECT. *Trium puerorum Babyloniæ. Valentini, Naulis* [aliàs *Navalis*] *& Agricolæ, apud Ravennam.*

VATICAN. num. 5949. Nihil hîc habet de pueris Babylonicis aut de Barbara.

FLORENTIN. *Spoleti, ſancti Meletii epiſcopi &*
Meletii. *confeſſoris. Item, ſanctorum martyrum Floriani &*
Florian. &c. *quadraginta ſociorum ejus.* An forte Eleutheropolitanos indicant, de quibus die ſequenti?

EDITIO LUBECO-COL. In textu ſimilis eſt ANTVERP-MAX. & reliquis mediæ notæ codicibus. Addit autem: *Apud Spoletum, ſancti Melecii*
Meletii. *Everardi.* *epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die, ſancti Everhardi militis & confeſſoris.* Vide auctarium MOLAN.

GREVEN. *Apud Ravennam cum præfatis paſſus*
Concordii. *Mammetis.* *eſt Concordius & alii quinque. Mammetis pueri & martyris, quem Uſuardus habet* XVI *Kalendas Septembris. Romæ, ſanctorum Herenei, Anthonii,* *Irenæi &c.*
Theodori, Saturnini, Victoris & aliorum decem *Simplic. &c.*
& ſeptem. Item Simplicii & ſociorum ejus. Apud *Meletii.*
Spoletum, ſancti Melecii epiſcopi & confeſſoris. *Adonis.*
Viennæ, ſancti Odonis epiſcopi & confeſſoris. In *Beani.*
Hibernia, Beani epiſcopi & confeſſoris. In territorio *Everardi.*
Tornacenſi, ſancti Everhardi militis & confeſſoris. *Adeleidis.*
Adelheydis imperatricis, ſecundum alios pridie *Idus Decembris.*

MOLAN. In fine: *Vienna, beati Adonis epiſcopi.* *Adonis.*
Male ſupra ſcripſit GREVEN. *Odonis.* Agitur de eo, quem jam toties in hoc opere citavimus, nempe de auctore Martyrologii illius, ex quo totus ferme Uſuardus contractus eſt. Sequitur: *Item*
Adelheydis imperatricis. Deinde typis minori- *Adeleidis.*
bus: *In territorio Tornacenſi, ſancti Everardi* *De Everard.*
militis & confeſſoris; qui, ut ſcribit Meyerus in Annalibus Flandriæ, comes Ciſonienſis, conjuge ac liberorum pulchra propagine, ad hæc opibus, clientelis & peritia rei militaris, vitæque ſanctitate illuſtris eſt habitus, initiumque dedit Ciſonienſi cœnobio juxta Inſulam. In Hibernia, Beani epiſcopi *Beani.*
primi Aberdonenſis & confeſſoris. Editiones poſteriores idem habent de Adone. Tum: *In Galliis,*
apud Tornacum, monaſterio Ciſonienſi, depoſitio
Evrardi, ducis Forojulienſis. Item depoſitio ſanctæ
Adelheidis imperatricis. In Hybernia, natalis Beani, *De Jo. Bapt.*
primi epiſcopi Aberdonenſis & confeſſoris. Am- *De Annunt.*
bianis, receptio faciei beati Joannis Baptiſtæ. In *B. M. V.*
Hiſpaniis, ex conſtitutione decimi concilii Toletani, feſtum annunciationis beatæ Mariæ. Non eſt operæ pretium quærere, quamdiu hic ritus duraverit.

XVI *Kal.* *Die* 17.

Tranſlat. *Ignatii.* TRanſlatio ſancti Ignatii epiſcopi & martyris, qui ab urbe Roma Antiochiam delatus, jacet extra portam Damniticam, in cimiterio eccleſiæ. Eodem die, beati Lazari, quem Do-
Lazari. minus Jeſus in Euangelio legitur reſuſcitaſſe à mortuis. Item beatæ
Marthæ. Marthæ, ſororis ejus, quorum venerabilem memoriam extructa eccleſia non longe à Bethania, ubi è vicino domus eorum fuit, conſervat. In Oriente apud Eleutheropolim civitatem, ſanctorum marty-
Martt. 50. rum quinquaginta, qui ſub Sarracenis paſſi ſunt.

Ita *Praten. Herinien. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Inter codices pro textu citatos, nullus recte legit extra portam *Daphniticam*. Secutus ſum Praten. & Herinien. In Greven. & Molan. habetur *Dampniticam*; in Antverp-maj. *Dampnitiam*; in Munerat. *Daviticam*: ſolus Roſweyd. ad puritatem proprius acceſſit per *Dafniticam*. In omnibus ferme eſt *cimiterio*: Praten. & Molan. rectius *cæmeterio*. In codicem Pratenſem pro *Marthæ*, male irrepſit *Mariæ*. Munerati, vel ejus typographi error eſt *evicinio* pro *è vicino*. Omnes recte legunt *quorum venerabilem memoriam*, neſcio cur Antverp-maj. præmiſerit particulam *in*. Rurſus in *Sarracenis* conveniunt omnes, præter præfatum codicem & Molanum.

Tranſlat. *Ignatii.* OBSERVATIO. Nihil ad hodiernum textum contulerunt apographa Hieronymiana: Bedam deſcribens Rabanus, illius elogium refert, quo potius natalis ſancti Ignatii, quam tranſlatio celebratur; quod mirum videri non debet, cum neuter 1 Februarii de eo memoriam fecerit. Clarior eſt pro hodierna feſtivitate Romani parvi textus: *Tranſlatio Ignatii epiſcopi & martyris Antiochiæ.* Viennenſis hoc loco ſolum ſubjungit: *Qui tertius poſt Petrum Apoſtolum Antiochenam rexit eccleſiam:* quæ verba à Noſtro 1 Februarii relata, hîc merito prætermiſſa ſunt, aliis ex Feſtivitatibus Apoſtolorum ſubſtitutis, quæ tranſlationi propriè & unicè conveniunt. Non eſt quod hiſce diutius immorer

rer, cum de variis ſancti Ignatii tranſlationibus fuſe egerit Henſchenius ad 1 Februarii à pag. 33. Ibi etiam invenies à quo tempore in Eccleſia Romana natalis S. Ignatii 1 diei Februarii affixus ſit, ut habes etiam in Ephem. Græco-Moſcis ad XXIX Januarii. Wandelbertus ſic illuſtriſſimum martyrem hoc die canit, ut ipſe etiam natalem celebrare videatur; *Rufum* & *Zoſimum*, quos cum Ignatio laudat Polycarpus, ſubjungens; verum hi ex Martyrologiis noſtris ad diem ſequentem referuntur. Audiamus metricum elogium:

Ignatius ſanctus deno ſextoque triumphat,
Antiochenæ urbis paſtor martyrque: ferarum
Quem dentes panem vivum fecere. Sequuntur
Quem fuſo ob Chriſtum Rufus Zoſimuſque cruore.

Annuntiationis noſtræ ſecundæ ſubſtructionem, ut ita dicam, ſic denuo ponit auctor Romani parvi: *Et Lazari, quem Chriſtus reſuſcitavit, & Marthæ ſororis ejus, in Bethania*; ubi velim obſerves, & fratrem & ſororem IN BETHANIA collocari. Hæc paulo aliter deduxit Ado, cujus ſunt verba omnia, ex quibus elogium noſtrum conſtruitur. Apud Bedam, Florum aut Rabanum de his Sanctis, ſaltem hoc die nequaquam agitur, unde colligas, male à Tillemontio aliiſque poſtremum citari. Hoc etiam adverto, non ſatis exprimere Martyrologos noſtros, quid de Lazaro hîc proprie commemorent, cum apud Græcos variæ de ipſo feſtivitates eſſe dicantur. Probabilius tamen apparet, ſaltem ex primo annuntiationis auctore Romano parvo, eos ultimum Lazari obitum, ejuſque *in Bethania*, cum Martha ſorore depoſitionem indicare velle; ſic ut ſepulturam in Cypro, ac multo magis migrationem in Provinciam, plane ignoraſſe videantur. Recte an ſecus hæc ab iis poſita ſint, hîc non diſputo; patet ſane Lazarum & Martham, octavo & nono ſeculo, ſub una hoc die celebritate cultos fuiſſe. De duabus ſororibus verbo egimus XXII Julii, occaſione Mariæ Magdalenæ, ſed ab aliis controverſiis conſultò hîc abſtinendum cenſuimus, omnia in Actis examinaturi proximo menſe Julio. Vide interim Notationem Baronii, Tillemontium tomo 2 à pag. 31, & Caſtellanum in primo Bimeſtri à pag. 342. *Lazari & Martha.*

Martyres Eleutheropolitani, pure Adoniani ſunt, nec aliud in ipſorum gratiam præſtitit Uſuardus, quam hîc etiam Viennenſis verba in ſuum laterculum transferre. Utrobique Martyrum numerus ad *quinquaginta* determinatus eſt; utrobique omnes anonymi ſunt. Martyrologos noſtros deſeruit Baronius, ſecutus, ni fallor, Acta paſſionis manuſcripta, quorum apud nos apographum exſtat, ex archivis ſancti Petri Romæ deſcriptum, ubi diffuſior totius martyrii deſcriptio *Florianum* & *Calanicum*, tamquam totius turmæ præcipuos, appellat, addens etiam reliquorum omnium nomina, quæ ſimul ad *ſexaginta* aſcendunt, unde formata eſt Romani moderni annuntiatio. Alia Acta vidiſſe oportet Petrum in Catalogo lib. 1 cap. 73, apud quem ſocii dumtaxat *quadraginta* Floriano & Calanico adjunguntur. Non recte à Baronio ſignatur annus Heraclii XXXVII, qui forte melius XXVII diceretur, quamvis nec in Miſcella, nec in Theophane, ſatis certa indicia reperiri poſſint, ex quibus aut de Martyrum horum numero, de tempore, aut loco paſſionis certi aliquid ſtatuatur. Reliqua ad ulteriorem inveſtigationem remitto. *Martt. 50.*

AUCTARIA.

TORNACEN. Omnia habet præter elogium, quod Marthæ & Lazaro ſupra in textu aptatum eſt.

ROSWEYD. De Ignatio ex Adone inſerit: *Qui tercius poſt Petrum Apoſtolum, Antiochenæ eccleſiæ præerat.* Aliam annuntiationem ſic incipit: *Hic celebratur natale beati Lazari & Marthæ.* Cetera ſatis pura ſunt.

PULSANEN. Incipit: *Tranſlatio & depoſitio corporis ſancti Ignatii martyris.* In Lazaro & Martha contractior eſt. De quarta, nihil.

De Ignatio. ANTVERP. & MAX-LUBEC. De Ignatio: *Qui tertius poſt Petrum Apoſtolum Antiochenam rexit eccleſiam. Hic Romæ dentibus beſtiarum paſſus, inde tranſlatus, jacet Antiochiæ.* In ceteris commemorationibus ſatis puri ſunt.

ANTVERP. MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Omnes carent annuntiatione prima, cujus loco ponunt ultimam de quinquaginta Martyrib. In Lazaro & Martha ſatis puri ſunt.

ALBERG. & DANIC. Cum prioribus conveniunt, ſed in fine adjungunt: *Andecemnæ, ſanctæ Beggæ viduæ, ſororis ſanctæ Gertrudis.* Vide infra MOLAN. & alios. *Beggæ.*

CENTULEN. *Apud Antiochiam, tranſlatio & depoſitio corporis beati Ignatii epiſcopi & martyris, qui paſſus eſt Romæ Kalendis Februarii.* In Lazaro ſatis purus eſt, ſed Martham cum toto elogio omittit. In ultima denuo ſatis purus eſt.

BRUXELLEN. Incipit à Lazaro & Martha, ſatis pure. Tum de Ignatio, ubi poſt *martyris*, addit: *Qui Kalendis Februarii Romæ paſſus, & à Roma Antiochiam delatus, extra portam Dampniticam, in cimiterio eccleſiæ hac die poſitus eſt. Apud Andemiam monaſterium, depoſitio ſanctæ Beggæ viduæ, filiæ Pippini ducis, & ſororis ſanctæ Gertrudis, ac relictæ Anſigiſi ducis. Quæ in ſtatu viduali ſe & ſua mancipans, monaſterium Andemienſe fundavit, ac Beghinas atque Beggardos, qui ab ipſa nomen trahunt, primo inſtituit.* Notior *De Ignatio.* *De Beggæ*

aliunde eſt & illarum & horum inſtitutio, quam ut ad Beggæ tempora aſcendatur.

HAGENOYEN. Incipit: *In civitate Marſilia, depoſitio ſancti Marſilii epiſcopi & confeſſoris, fratris ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & ſanctæ Marthæ.* Ex ipſa nominis corruptione intelligis, quam accurata eſſe debeant quæ fuſius hîc de Lazaro & Martha narrantur. Ego certe hujuſmodi hiſtoriis deſcribendis ſuperſedeo. Tolerabiliora ferme ſunt, quæ habet de Begga, in hunc modum: *Andecemie, depoſitio ſanctæ Beggæ, ſororis ſanctæ Gertrudis virginis. Hæc de Anthyſo* [pro *Anſigiſo*] *viro ſuo concepit Pypinum ſeniorem* [potius filia ejus fuit] *ducem Francorum, & poſt mortem viri ſui, in ſancta viduitate permanſit omnibus diebus vitæ ſuæ, & repleta bonis operibus migravit ad Dominum.* De Ignatii tranſlatione agit die ſequenti, uti & de quinquaginta Martyribus.

De eadem.

CODEX Urſini à Roſemberg. *Andetemnæ, ſanctæ Beggæ viduæ, ſororis ſanctæ Gertrudis.* Plura ſuperius de Begga diximus.

AMBIANEN. *Ambianis, receptio faciei ſancti Joannis Baptiſtæ.* Vide MOLAN. pridie.

De Jo. Bapt.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Marthæ hoſpitæ Chriſti & Lazari, fratris ejus. Sanctorum quinquaginta Martyrum.*

VATICAN. ſign. num. 5949 Deſunt tres primæ annuntiationes. Adjicitur autem: *In Africa, ſanctorum Victuri, Victoris & aliorum triginta trium.* Vide Hieronymiana.

Victuri & ſociorum.

LUXOVIEN. Sic habet: *In Salſa monaſterio, ſanctæ Adelheydæ auguſtæ.*

Adelheydæ.

SALINEN. Alia de Lazaro: *In Bethania, ſancti Lazari martyris, quem Dominus ſuſcitavit; cujus corpus Auguſtoduno requieſcit.*

De Lazaro.

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Natale beati Lazari epiſcopi & confeſſoris, fratris beatarum Mariæ Magdalenæ & Marthæ, quem Dominus, ut in Evangelio legitur, à mortuis reſuſcitaverat. Quorum venerabilem* &c. ſatis pure, ſed pro duobus tres conjunguntur. Sequitur de Martyribus quinquaginta, etiam bene. De Ignatio, poſt *eccleſiæ*, adjicit: *Ubi plurima ipſius meritis fiunt miracula, præſtante Domino. Andecemne, ſanctæ Beggæ viduæ, ſororis ſanctæ Gertrudis monialis.*

De Lazaro.

De Ignatio.

Beggæ.

BELIN. In prima ſimilis eſt ANTVERP. &c. Nihil habet de Martha. In quarta purus.

GREVEN. *Item in Aphrica, ſanctorum Victoris, Victoriani, Adjutoris, Honorati, Felicis, Vincentii, Quarti, Quinti & aliorum duodecim. Commemoratio digna & ſancta memoria Bernardi epiſcopi Dienſis, ex Priore domus Portarum Ordinis Carthuſienſis, confeſſoris. Cujus ſanctitati atteſtantur mortui, quos ſuſcitavit; leproſi, quos mundavit, aliaque miracula, quæ per eum Dominus operari dignatus eſt. Hic ob eximiam ſanctitatem ſuam, ſancto Bernardo Claravallenſi familiariſſimus extitit; unde & ad ejus inſtantiam, idem vir Dei opus illud divinum ſuper Cantica edidit. Sturmis abbatis primi Fuldenſis cœnobii & confeſſoris. Beggæ viduæ, ſororis ſanctæ Gertrudis.*

Victoris & ſociorum.

Bernardi Dienſis ep.

Sturmis.

Beggæ.

MOLAN. In fine: *Eodem die apud Septem eccleſias, tranſitus beatæ Beggæ viduæ.* Tum typis minoribus; *relictæ Anſigiſi ducis, ac ſororis ſanctæ Gertrudis. Quæ in ſtatu viduali ſe & ſua Deo mancipans, monaſterium Andemienſe fundavit ac Beginas, quæ ab ipſa nomen trahunt, primo inſtituit.* Hæc ex codice BRUXELLEN. accepta videntur. Deinde: *Bigardis monaſterio, Ordinis ſancti Benedicti juxta Bruxellam, ſanctæ Vvivinæ virginis, quæ ibidem prima præfuit.* Editiones aliæ de Ignatio aliis litteris textui inſerunt, *tertius poſt beatum Petrum, Antiochenam rexit eccleſiam. Hic Romæ dentibus beſtiarum paſſus.* In fine: *Andanii, apud Septem eccleſias, tranſitus beatæ Begghæ viduæ, ſororis ſanctæ Gertrudis. Ipſo die Bigardis, beatæ Vuivinæ virginis, quæ quanti apud Dominum ſit meriti, ſurdi, contracti, dæmoniaci, priſtinam ſoſpitatem adepti, fideliter proteſtantur.* Notabis, in his editionibus corruptum rurſus Uſuardi textum, expuncta Martha cum toto elogio. In quo longe præferenda puritas editionis primæ.

Ejuſdem.

Wivinæ.

XV *Kal.* *Die* 18.

Rufi & Zoſimi.

APud Macedoniam civitate Philippis, natalis beatorum martyrum Rufi & Zoſimi. Hi ex eo numero diſcipulorum fuerunt, per quos primitiva Eccleſia in Judeis & Græcis fundata eſt, de quorum etiam felici agone ſcribit ſanctus Policarpus in epiſtola ad Philippenſes. In Africa, paſſio ſancti Moyſetis martyris. Turonis, ſancti Gatiani epiſcopi & confeſſoris, qui ab urbe Roma eidem civitati primus directus epiſcopus, multis clarus miraculis quievit in pace.

Moyſetis.

Gatiani.

Codices hoc die puri ſunt *Praten. Herinien. Antverp-maj. Munerat. Greven.* & *Molan.* Adde *Antverp-max.* cum omnibus ſuis ſociis mediæ notæ.

VARIA LECTIO. Eſt in Praten. *Zozimi*, ſed ceteri codices melius cum textu. Idem recte ſcribit *Philippis*, ſed poſtea male *Philipenſes.* Antverp-maj. poſuit *civitatem Philippis.* Hic & Greven. ſæpius ſcribunt *hii* pro *hi.* Omnes habent, *hi ex eo numero* &c., ſed Munerat omiſit particulam *eo.* In Praten. *Judæis* integrè ſcriptum non eſt. *Moyſitis* legunt Praten. & Herinien. at dubium non eſt, quin Adonem ſecutus ſit Uſuardus. Potiſſima variatio eſt in nomine Turonenſis epiſcopi, quod in ſolo Molan. & in Antverp. recte efformatum eſt *Gatiani*; pro quo in Praten. & Herinien. *Catiani*; in Antverp-maj. *Canciani*, in Munerat. *Gaciani*, in aliis *Gratiani* &c. Greveno cautela non profuit,

profuit, dum ſcripſit *Caciani aliàs Gratiani.* Habet hîc præterea *primus directus*, omittens *epiſcopus.* Molan. paulo melius ſcribit *primùm directus*, ſed omittit etiam *epiſcopus.*

OBSERVATIO. *Rufus* & *Zoſimus*, die heſterno à Wandelberto cum Ignatio connexi, hoc proxime ſequenti in Romano parvo conſignantur hoc modo: *Rufi & Zoſimi, de primis diſcipulis Chriſti, per quos Eccleſia de Judæis & Græcis primitiva fundata eſt*; non expreſſo loco, in quo aut paſſi aut depoſiti ſint. Nihilominus plus hîc aſſerit Martyrologus, quam in Rufino ſuo l. 3 c. 35 repererit, ubi Rufus & Zoſimus egregiè quidem ex celebri Polycarpi ad Philippenſes epiſtola cum Ignatio laudantur, ut die præcedenti dictum eſt, at *de primis diſcipulis Chriſti* fuiſſe ibi non dicuntur, nec id in ſtrictiori ſignificatione accipi poſſe videtur, niſi Rufus hîc cum illo confundatur, de quo egimus XXI Novembris. Conſule Rufini verba, quæ in Adone inter Feſtivitates Apoſtolorum referuntur, vel fontem ipſum accede, ubi Polycarpus: *Deprecor*, inquit, *omnes vos obedientiæ operam dare, & meditari patientiam, quam vidiſtis in Ignatio, Rufo & Zoſimo beatis viris* &c. nullo addito verbo de eorum diſcipulatu aut Eccleſiæ primitivæ fundatione. Ceterum Romani parvi ſenſum ſecutus eſt Ado, adjiciens præterea in fine de ſuo: *Hi requieſcunt apud civitatem Macedonum Philippis.* Quæ mihi valde incerta videntur. Forte anſam præbuit Polycarpi epiſtola, quod ea Philippenſibus deſtinetur. A præfata poſitione exorſus eſt Uſuardus, reliquum Adonis elogium deſcribens. Atque hæc in ſerie noſtra ſignata ſunt, aliis ignota aut præterita. Sanctorum nomina non ignoravit Wandelbertus, cujus encomium metricum pridie dedimus. Notabis obiter, Bedam Plantinianum ad XXVI Decembris Adonis textum turpiter interpolaſſe: nam ubi is de ſolo Zoſimo Papa meminit, alter ſcripſit: *Eodem die, ſancti Ignatii, Rufi & Zoſimi Papæ, qui ſedit* &c. reliquam Adonis commemorationem tranſcribens. *Rufi & Zoſimi.*

De ſola prima annuntiatione meminit Romanum parvum. In Viennenſi ſecundum locum occupat idem qui in textu noſtro *Moyſes* vel *Moyſetes* martyr in Africa, de quo nihil alibi hactenus legere memini, præter dubiam Molani in poſterioribus editionibus annotationem. Eſt in Hieronymianis inter alios plurimos martyres Afros nomen *Monſitis*, quod neſcio an ad *Moyſetis* ſatis apte reduci poſſit. Utcumque fuerit, Moyſetem etiam novit & cecinit Wandelbertus hoc unico ſuo hujus diei verſiculo: *Moyſetis.*

Quindecimus demum Meyſetis ſanguine vernat.

Tertia commemoratio puriſſime iterum Adoniana eſt, ſi non ad verbum, ſaltem ad omnes ſenſûs apices ab Uſuardo tranſumpta. Nullam certam ætatem *Gatiano* Turonenſi aſſignavit Ado, nullam Uſuardus, hac ſola præcipua ejus laude contenti, quod eccleſiæ illius *primus epiſcopus* fuerit, *ab urbe Roma directus.* Tempora Fabiani Pontificis ſatis appoſite Martyrologio Romano inſeruit Baronius; idque ex Gregorio Turonenſi facile confirmari poteſt, ut oſtendit Tillemontius tomo 4 pag. 723. Eſt ea hodie eruditorum Gallorum receptior opinio, non ſemel in Actis noſtris aſſerta, nempe primos illos Galliarum Apoſtolos, Gatianum hunc Turonenſem, Trophimum Arelatenſem, Paulum Narbonenſem, Saturninum Toloſanum, Dionyſium Pariſienſem, Auſtremonium Claromontanum, Martialem Lemovicenſem alioſque ad eadem ferme tempora pertinere. Videri poſſunt Boſquetus, non ita pridem à nobis citatus, Fraiſſius aliique paſſim in eamdem ſententiam ex Gregorio Turonenſi, locis à Baronio citatis, conſpirantes. Dolendum eſt, nulla tam illuſtris Sancti Acta, quæ ego quidem viderim, ſupereſſe. Supplebunt quæ ex laudato Gregorio, tum ex hiſtoriæ Francorum initio & fine, quorum præcipua edidit Surius; tum ex Gloria Confeſſ. cap. 4 & 30, aut aliunde ſuo tempore colligi poterunt. Caſtellanus Gatiani obitum refert ad annum CCLXXXIX, quod tunc etiam operoſius examinabitur. Vide notulam Motherii ad hunc diem. *Gatiani.*

AUCTARIA.

Rogat. &c. TORNACEN. Primam annuntiationem producit uſque ad *fundata eſt.* In ſecunda purus eſt. Tum: *Graciani epiſcopi & confeſſoris*; non ultra.

Auceiæ &c. ROSWEYD. Textui ſatis puro ſuperaddit: *In Affrica, Rogatiani martyris & aliorum* XXXV. *Auceiæ regis & martyris, cum aliis* XVIII. *Honorat.&c.* *Honorati martyris, cum aliis* XXXI. Vide Hieronymiana, in quibus Aucelas non ſemel ponitur.

Anatholiæ & Victoriæ. PULSANEN. Deeſt prima: in ſecunda purus eſt. Tum: *Eodem die, natalis ſanctæ Anatholiæ virginis, quæ ſimul cum beata Victoria convirginali ſua eſt comprehenſa, ac ſub Decio principe martyrio coronata eſt.* Anatholiam ſignat Uſuardus XI Julii, Victoriam XXIII Decembris; vide Obſervationes utroque die. Sequitur ultima annuntiatio abbreviata: *Turonis, ſancti Gratiani epiſcopi.*

ANTVERP. & MAX. LUBEC. Prima & ſecunda puræ ſunt. Hæc eſt tertia: *Turonis, ſancti Gatiani epiſcopi.*

CENTULEN. *Romæ, ſanctæ Anatholiæ virginis, quæ ſimul cum beata Victoria, convirginali ſua comprehenſa, ac ſub Decio cæſare martyrizata eſt In Africa, ſancti Moyſetis martyris.* In Gatiano etiam *Earumdem.*

etiam satis purus est. De prima annuntiatione Rufi & Zosimi nihil habet.

Theotimi &c Martt. 50. BRUXELLEN. In prima satis purus, subdit: *Laodiciæ, natale sanctorum martyrum Theothimi & Basiliani.* Sequitur de quinquaginta martyribus Eleutheropolitanis ex die præcedenti.

Moysetis &c Tum: *In Africa, passio sanctorum Moysetis, Victoris, Victoriani, Adjutoris, Honorati, Felicis, Vincentii & aliorum viginti trium. Romæ, natale*

Antonin. &c Quinti &c. *sanctorum Anthonini, Herenei & Theodoli. Item natale sanctorum Quinti, Simplicii, Pauli, Privati & Januarii.* Ex Hieronymianis varie collecti sunt. Pro *Gatiani*, scribit *Taciani*. De cetero annuntiatio satis pura est. In fine: *Eodem die, natale*

Anatoliæ & Victoriæ. *sanctæ Anatholes virginis; quæ simul cum beata Victoria convirginali sua tempore Decii principis comprehensa & martyrio coronata est.* Vide quæ diximus ad PULSANEN.

HAGENOYEN. Incipit à translatione sancti Ignatii satis pure. Vide textum hesternum. Sequitur: *In Eystatensi territorio, sancti Winebaldi*

Winebaldi & Walpurg. Adelheydis. *& Walpurgæ. confess. glorios. In Salsa, sanctæ Adelheydis imperatricis.* Tum ponit annuntiationem primam satis pure, nisi quod scribat: *Rufi, Rufini, & Zosimi.* In Moysete & Gatiano, satis bene.

Martt 50. Flaviti. Tum: *In Oriente apud Eleutropolim* &c. ut pridie. Demum: *Eodem die, sancti Flavitis episcopi & confessoris depositio.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Rufi & Zosimi, qui in primitiva Ecclesia floruerunt. Moysetis martyris. Tatiani Turonensis episc* Vide Variantes.

Flaviti. BIGOTIAN. sign. D. 9. *Eodem die, sancti Flavii confessoris.* Haud dubie pro *Flaviti*.

Winebaldi. ALTEMPS. *Eodem die, sancti Winebaldi confessoris.* De sorore vide 1 Maii &c.

Anatoliæ &c FLORENTIN. Habent ut supra: *S. Anatoliæ virginis, quæ simul cum beata Victoria convirginali sua est comprehensa ac sub Decio principe martyrio coronata. Item sancti Catiani episcopi & martyris.* Puto *Gatianum* indicari, qui luxato nomine in martyrem transformatus sit.

REMENS SS. Tim. & Apoll. Aliter enuntiat: *Turonis, sancti Tatiani, primi ejusdem urbis episcopi.*

Pauli Simp. EDITIO LUBECO-COL. In textu satis pura, addit de Anatholia &c. ut jam non semel supra dedimus. Tum: *Eodem die, sancti Pauli Simplicis, confessoris, discipuli beati Antonii abbatis. In territorio Eystedensi, sancti Winibaldi abbatis & con-* *Winibaldi.* *fessoris, fratris sanctorum Willebaldi episcopi, &* *Translat.* *Walburgæ virginis. Castello Confluentiæ, translatio* *Florini.* *sancti Florini presbyteri & confessoris.*

BELIN. In prima & secunda satis purus, in tertia similis est ANTVERP. &c. Altera editio ad *episcopi*, addit, *primi civitatis ipsius. Eodem die,* *Flaviti.* *sancti Flaviti presbyteri & confessoris.*

GREVEN. Multa habet ex Hieronymianis. *Laodicia civitate, natalis sanctorum Thetaini &* *Thetaini &c* *Basiliani. Apud Aphricam, sanctorum Quinti, Simplicii, Pauli, Victoriæ, Privati, Ceciliani, Euasi.* *Quinti &c.* *Item sanctorum Digni, Bodegisili, Honorati, cum* *Digni &c.* *aliis triginta. In Aphrica, Rogatiani martyris, &* *aliorum triginta sex. Item sanctorum martyrum* *Auceiæ regis barbarorum & Luciæ virginis. Qui* *Auceiæ &* *Auceias, cum Luciam virginem Romanam captam* *sociorum.* *violare vellet, divino nutu compunctus, maxime venerari cœpit, ac postmodum cum ipsa Romam profectus, martyrii palmam adeptus est, cum aliis duodecim, qui tunc pro fide in carcere tenebantur. Hos Usuardus habet* VIII, *alii vero* VII *Kalend. Julii. Ipso die secundum Cathalogum, sancti Hildephonsi* *Hildefonsi.* *archiepiscopi Toletani. Qui relicto seculo monachi habitum assumens, eximiæ sanctitatis merito, archiepiscopi honorem adeptus est; tandemque sanctis operibus plenus, feliciter migravit, die quo festum gloriosæ virginis Mariæ (cui ipse devotissimus erat) in ecclesia sua agi constituit, hoc est die octavo ante* *Maurini.* *nativitatem Christi. Maurini episcopi. In Hiber-* *Flamiani.* *nia, Flamiani episcopi. In territorio Eystadensi,* *Winibaldi.* *sancti Winibaldi abbatis & confessoris, fratris sanctorum Wilibaldi episcopi & Walburgæ virginis.* *Pauli* *Eodem die, Pauli Simplicii confessoris, discipuli* *Simplicis.* *beati Anthonii abbatis, miræ patientiæ & obedientiæ* *Translat.* *viri. Castello Confluentiæ, translatio sancti Florini* *Florini.* *presbyteri & confessoris. Anatholiæ virginis &* *Anatholiæ* *martyris, quæ simul cum beata Victoria convirgina-* *& Victor.* *li sua est* &c. ut supra. Tum: *Maximillæ virginis.* *Maximillæ.*

XIV *Kal.* *Die* 19.

Nemesii. APud Ægyptum, beati Nemesii martyris, qui ab Emiliano judice geminatis suppliciis excruciatus, cum latronibus jussus est incendi, Salvatoris perferens similitudinem, qui una cum latronibus pertulit crucem. Civitate Nicea, sancti Darii martyris. Item

Darii. Gregorii. Autisiodoro, sancti Gregorii episcopi.

Conveniunt codices plurimi *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj Rosweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max.* cum sociis omnibus.

VARIA LECTIO. Solus Tornacen. à ceteris discrepat, dum pro *Salvatoris perferens similitudinem*, legit *Salvatoris ferens* &c. Belin. cum mediæ notæ codicibus habet, *qui cum latronibus*, omittens particulam *unà*. Antverp-maj. pro *Darii*, legit *Dari*, sed pessime nomen transmutavit Munerat. in *Clari*. Belin. iterum cum citatis codicibus in fine textûs, post *episcopi* superaddit *& confessoris*. De vario scribendi modo in *Egyptum, Egiptum, Antisiodoro, Anthisiodori, Nycea* &c. satis alibi dictum est.

Nemesii. OBSERVATIO. In varios hujus mensis dies, nempe in VII, VIII, XII & XIV hactenus distributos vidimus martyres Alexandrinos ex Rufini lib. 6 cap. 31, seu ex sæpe laudata Dionysii Alexandrini ad Fabium Antiochenum epistola acceptos. At

At ibi non ſiſtit, qui primus eos ita diſpertiit Romani parvi auctor. Ex eodem loco ſumptus eſt hodiernus *Nemeſius*; proximo die ſequentur *Ammon*, *Zenon* & alii, ac rurſus XXII agetur memoria *Iſchyrionis & aliorum quamplurimorum, inter quos ſenex Chæremon*; ſic ut ſolo hoc menſe annuntiationes ſeptem, ex citato Rufini capite deſumptæ, exhibeantur, quarum nulla apud alios extra ſeriem noſtram Martyrologos ſignata ſit. Sic igitur hoc die Nemeſium celebrat Romanum parvum: *Apud Ægyptum, Nemeſii martyris, qui per calumniam quaſi latro, judici delatus eſt.* Reliquam paſſionem ex prædicto Rufini loco deſcripſit Viennenſis, Noſter de more compendio utens, totam medullam nitide extraxit. Nemeſii noſtri martyrium recte expendit Motherius in verſione ſua Gallica Martyrologii Romani, alibi laudata pag. 447, ubi obſervat *Nemeſianum* quandoque appellari. Attamen Græcum nomen Νεμεσίων, aut cum Rufino vertendum videtur *Nemeſius*, aut cum Valeſio *Nemeſion*; non *Nemeſis*, ut Chriſtophorſonus; certe nequaquam *Nemeſianus*. Hæc in præclari martyris laudem & textûs noſtri elucidationem dicta ſufficiant.

De ſolo Nemeſio loquitur Romanum parvum; aſt in Adone ſequitur *Avitus Aurelianenſis*, quem cum Uſuardo poſuimus XVII Junii, ut hîc nihil de eo dicendum ſuperſit. Obiter ſolum obſervo, *Adjutum* in nonnullis codicibus Uſuardinis auctoribus, quales ſunt ii, quos in Auctariis FLORENTINOS nominamus, ex *Avito* formatum eſſe, atque inde ſub ea formula in Martyrologio Romano collocari; verum ſub diverſis nominibus eumdem Sanctum intelligi, recte, ni fallor, advertit Caſtellanus. Reliquus textus noſter ſolitos duces non agnoſcit. Sed unde *Darium* Nicænum martyrem ab Uſuardo acceptum dicemus? quem Hieronymiana non ſatis clare exprimunt, obſcurius etiam *Nicææ* conſignant; imo ſic *Darium*, vel *Dariam Chryſantho* conjungunt, ut hîc repeti videantur, qui ab Uſuardo I Decembris celebrati ſunt. Dices ex Wandelberto deſumi potuiſſe: non ita autumo; nam cur ſocius *Zoſimus* relinqueretur? Quin imo, vel ex hoc loco evinci poſſet, Wandelberti Martyrologium numquam Uſuardo viſum fuiſſe, quemadmodum in præfatione ſub finem primi capitis indicavimus. Crediderim ego, utrique Hieronymianum aliquod præluxiſſe, ſimile Lucenſi, in quo, excluſo Gregorio, martyres omnes, ibi enumerati, Nicææ adſcripti fuerint; unde ſolum ultimum Uſuardus, binos vero Wandelbertus mutuatus ſit, quos unico ſuo verſiculo ita laudaret:

De Avito Adonis.

Darii.

Quartum cum deno Zoſimus, Dariuſque coronant.

Gregorius Autiſſiodorenſis epiſcopus, ordine tertius decimus, Lucenſi codici inſertus, Corbeienſi adjectus eſt. In Floro noſtro illud ipſum elogium habet, quod ex Martyrologio S. Sabini in Levitania deſcribit Florentinius, cujus obſervationes aliæ videri poſſunt. Eſt etiam in Rabano iiſdem verbis, quæ aliis litteris poſuit Florentinius in commemoratione codicis Hieronymiani Lucenſis. Unde in Uſuardum influxerit, quærere ſuperſedeo; tot alios populares Sanctos Adoni ſuperaddidit, ut & hunc facile de ſuo adjicere potuerit. Scio in Adone Moſandri poni die ſequenti cum aſteriſco; apud Roſweydum in appendice, ſed hæc ſatis oſtendunt Adonianum non eſſe Gregorium. Vitam, aut Acta, præter indicatum elogium, nuſquam invenire licuit. Pauca habet collectio noſtra Ms. de geſtis pontificum Autiſſiodorenſium, ubi notatur depoſitio XIV Kal Junii, ſeu XIX Maii. Plura aliunde, ſicubi exſtant, nobis ſubminiſtrari vehementer deſideramus.

Gregorii.

AUCTARIA.

De Gregorio

Clementis.

Aviti.

Aviti.

Clementis.

PULSANEN. Jam aliquamdiu ab aliis devius, hîc incipit: *Antiſiodoro, beati Gregorii epiſcopi, qui ſedit annos* XII, *menſes* VII, *dies* III, *ſepultuſque eſt in eccleſia ſancti Germani epiſcopi.* A Nemeſio totum elogium reſcindit. Tum: *Alexandriæ, beati Clementis epiſcopi & martyris.* Talem ſanctum Clementem hactenus non novi; vide codicem ſequentem. Darius prætermiſſus eſt.

CENTULEN. *In Egypto, beati Nemeſii martyris, qui cum latronibus incenſus fuit. Aurelianis, ſancti Aviti abbatis, qui ſpiritu prophetiæ plenus fuit, & glorifico fine quievit.* Vide Obſervationem. Tum: *Alexandriæ, beati Clementis preſbyteri, qui in divinarum eruditionum ſcolis quam maxime floruit, cujus etiam auctoritas in divinarum hiſtoriarum narrationibus ſæpiſſime antefertur.* Uſuardus Clementem retulit IV Decemb.

BRUXELLEN. De Dario novam annuntiationem ex Hieronymianis fingit: *Apud Nyceam, civitatem Bithiniæ, natale ſanctorum martyrum Darii epiſcopi, Zozimi, Pauli & Cyriaci atque Secundi.* Secundo loco de Nemeſio, ſed non omnino pure. *Alexandriæ, beati Clementis preſbyteri & martyris. Qui in ſcolis divinarum eruditionum quam maxime efflorait.* In Gregorio fere ſimilis eſt codicibus mediæ notæ. Demum: *Aurelianis, beati Aviti abbatis. Qui ſpiritu prophetiæ illuſtris fuit.*

Darii ep. & ſocior.

Clementis.

Aviti.

HAGENOYEN. In Nemeſio ſatis purus, longam hiſtoriam ingerit, cujus initium hîc dabo: *Aquilegiæ, paſſio ſanctorum martyrum Felicis & Fortunati, qui eo tempore paſſi ſunt, quando Dyocletianus & Maximianus præceptum dederunt, ut nullus poſſet vendere vel emere, niſi prius ydolis immolaret, & quicumque Chriſtianum occultaret*

Felicis & Fortunati.

puniretur. Unde Apamius quidam præsentavit sanctos fratres Felicem & Fortunatum præsidi ad puniendum. At illi psallebant, Ecce quam bonum & quam jocundum &c. & dum immolare nollent, fustibus caduntur, & Jesum Christum invocabant. Et præses ait illis: Nescitis Augustos nasci, &c. quæ melius apud Adonem legi poterunt XI Junii. Vide quæ ibi in Observatione nostra, vel fusius in Actis dicta sunt. Nescio quid hunc scriptorem moverit, ut eos Sanctos huc transferret. Sequitur: *Civitate Niceya, natalis sancti Darii martyris. Ipso die in Antyssiodoro, depositio sancti Gregorii episcopi & confessoris.*

Aviti. AMBIANEN. *Aurelianis, sancti Aviti abbatis, qui spiritu prophetiæ illustris fuit, & honorifice in eadem urbe tumulatus est.* Jam diximus in Observatione coli XVII Junii.

MATRIC CARTUS-ULTRAJECT. Solum habet: *Nemesii martyris. Darii martyris.*

Pauli & Gregorii. CODEX D DU CHEVAL. sign. littera C. *Antissiodoro, sancti Pauli & Gregorii.*

Aviti. VATICAN. sub nota num. 5949. Nihil habet de Nemesio & Dario martyribus. Adjicit autem: *Aurelianis, sancti Aviti abbatis.*

Cypriani. ALTEMPS. *In pago Calbellonensi,* [Cabilonensi] *sancti Cypriani abbatis.*

Adjuti. FLORENTIN. *Aurelianis, sancti Adjuti abbatis, qui spiritu prophetiæ illustris fuit, & ibi sepultus est.* Haud dubie ex tali aliquo codice *Adjutus* ille in Martyrologium Roman. irrepsit.

Pauli & Gregorii. LUGDUNEN. *Antissiodoro civitate, sanctorum Pauli & Gregorii.*

Aviti. REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Aurelianis, depositio sancti Aviti abbatis.*

De Nemesio. EDITIO LUBECO-COL. *Apud Egyptum, beati Nemesii martyris, qui primo per calumniam quasi latro, judici Emiliano delatus est, quo crimine absolutus, posthæc, quod Christianus esset, defertur. In hoc vero nulla à judice moderatio reservatur, sed ab eodem Emiliano judice, geminatis supplicis excruciatus, cum latronibus jussus est suspendi, salvatoris perferens similitudinem, qui una cum latronibus periuli crucem.* Nimia hîc similitudo quæsita est. In Dario & Gregorio, satis pura est. *Aviti.* In fine: *Aurelianis, sancti Aviti abb. & confessoris.*

Zozimi &c. Anastas. &c. Ammonis. GREVEN. *In Nicea Bithiniæ, sanctorum Zozimi, Pauli, Secundi, Cyriaci. Item Anastasii, Sidonii.* Vide Hieronymiana. *Ammonis episcopi Aurelianensis & confessoris. Eodem die secundum Adonem, Aurelianis, sancti Aviti abbatis, qui desiderio vitæ solitariæ, cum sancto Karileffo de monasterio egressus, magnis virtutibus prophetiæque spiritu illustris quievit. Hunc Usuardus habet quinto decimo Kalendas Julii. Digni confessoris. Megaudii confessoris, patris sanctæ Altheidis virginis. Item beatæ memoriæ Petri presbyteri, Canonici regularis, Aroldensis præpositi. Item sanctæ memoriæ, Wilhelmi conversi domus Casularum, Ordinis Carthusiensis, confessoris, admirandæ virtutis viri. Qui tempore quodam, dum asino vectus in negotiis domus suæ aliquò iret, irruentibus in eum prædonibus, fide plenissimus, asino pedem evulsit, indeque minitans prædonibus, in stuporem & fugam eos convertit: deinde pedem reponens jumento, iter suum confecit.* *De Aviti. Digni. Megaudii. Petri. Wilhelmi Cartusien.*

De Nemesio. MOLAN. Litteris Italicis de Nemesio, post *qui*, textui inserit, *primo per calumniam, quasi latro, judici delatus est Æmiliano, quo crimine absoluto, postea quod Christianus esset, defertur; in hoc vero nulla miseratio reservatur, sed.....* In fine: *Eodem die repositum est corpus sancti Huberti in crypta.* In aliis editionibus additur in fine textus, etiam litteris Italicis, *& confess.* Nihil præterea. *Repositio Huberti.*

XIII *Kal.* *Die* 20.

Ammonis & socior. APud Alexandriam, beatissimorum martyrum Ammonis, Zenonis, Ptolomei, Ingenii & Theophili, qui tribunalibus adstantes, cum quidam Christianus in suppliciis positus trepidaret, & jam pene ad negandum declinaret, vultu, oculis ac nutibus conabantur illum erigere. Cumque hac de causa clamor totius vulgi in eos prosiliret, prorumpentes in medium, Christianos se esse testantur. Per quorum victoriam, illico Christus glorioſissime triumphavit, suisque constantiam animi dedit. In Thracia civitate Gelduba, sancti Julii martyris. *Julii. Liberati.* Item in Amphitrea, sancti Liberati.

Sumitur ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Munerat. Greven. & Molan.*

VARIA LECTIO. In Antverp-maj. male scribitur *Amonis*, male in Munerat. *Tholomei.* Omnes servant *Ingenii*, pejus Greven. *Nigenii*: an melius Molan. *Ingenui*? Sic ex Rufino, Romano parvo & Adone legendum est, & sic etiam vertit Valesius. Romani moderni reformatores Christophorsonum secuti videntur, qui *Ingenes* scripsit. Gravius errarunt Antverp-maj. & Munerat. postrema duo nomina *Ingenui*, nobis *Ingenii* & *Theophili* omittentes. Rursus Antverp-maj. pro *& jam*, posuit *etiam*, atque iterum Munerat. *eripere* pro *erigere*. Codices omnes conveniunt in, *illico Christus glorioſissime triumphavit*, & sic omnino ex Adone legendum est: Greven. posuit *victorioſissime triumphavit*, & eum secutus Molan. vitii aliquid superaddidit, per, *Christus illico victorioſissime triumphavit*. De *Thracia* alibi dixi, sequor modo, quos prius secutus sum. Antverp-maj. pro *Amphitrea* substituit *Amphitre*, nullo modo Usuardine, sed utrum magis à parte rei exstet locus prior quam posterior, fateor me ignorare.

OBSER-

OBSERVATIO. En modo claſſem illam alteram pugilum Alexandrinorum, de qua die præcedenti dicere cœpimus, ex eodem Rufini loco, lib. 6 cap. 31, ex eadem Dionyſii Alexandrini ad Fabium Antiochenum epiſtola promanantem, ſic ut martyriorum ordinem, in præfato Rufini capite deductum, ſecutus videatur auctor Romani parvi, qui fortiſſimos quinque athletas primus inter Martyrologos enumerat: *Alexandriæ, Ammonis, Zenonis, Ptolomæi, Ingenui, Theophili.* Ado ductorem ſequens, fontemque Rufinianum prope exhauriens, hiſtoriæ ordinem inde traduxit, Noſter vero, licet paulo contractius, rem totam ſatis eleganter complexus eſt. Nihil ultra habent Romanum parvum & Viennenſis, unde ad textus ſui ſupplementum, aliam ſcaturiginem conſuluit Uſuardus, ſed duas annuntiationes tricis involutas obtruſit. *Ammonis & ſociorum.*

Utramque ex Hieronymianis acceptam fuiſſe dubium non eſt, at implexam codicum illorum lectionem ipſe magis irretiviſſe videtur. Fontem exhibeamus. Codex Lucenſis ſic legit: *In Tracia civitate Gildo, Bajuli.* In duabus ultimis vocibus *Gildo* & *Bajuli* hæret aqua. Audi modo vetuſtiſſimum Epternacenſem: *In Thracia, natalis Julii.* Sic habet in latereulo hodierno: die ſequenti autem: *In Thracia civitate Gildoba, Juli*, quam eamdem annuntiationem hoc ipſo die ponunt Corbeienſis ſeu Corbeienſes & Blumianus. Ex his facile perſpicitur, talem aliquem Hieronymianum codicem Uſuardo obtigiſſe, ex quo *Geldubam* ſuam efformaverit. Fruſtra cum Geographis quæres, in qua Thraciæ parte ſita ſit *Gelduba* vel *Gildoba*, cum ibi reperibilem non exiſtimem, imo ſatis veroſimiliter ex truncatis Sanctorum nominibus coaluerit, non minus quam *Amphitrea*, cui ultimus Sanctus noſter *Liberatus* adſcribitur. Non ignoro *Gelaubam* aliquam antiquam, hodie *Geldub* vel *Gelb*, ad tractum Rheni, ditionis Colonienſis inveniri, ſed illic Julium martyrem cum Sauſſayo collocare, tam eſt abſonum, quam imperitum ſit Rhenum in Thraciam devehere, aut Thraciam ad Rhenum tranſplantare. Caſtellanus Geldubæ ſitum notat *in confiniis Bulgariæ & hodiernæ Romaniæ*, at Geographum antiquum deſidero, qui eam nobis aſſignet. *Julii.*

Porro *Liberatum* noſtrum *Romæ* tribuit Baronius, ſecundam annuntiationem in Romano ſic hodie referens: *Romæ, ſanctorum martyrum Liberati & Bajuli*, quæ ab Hieronymianis omnibus, etiam à codice S. Cyriaci & Rabano longiſſime recedunt; in his enim *Liberatus* cum *Thecla* conſtanter ponitur *in Oriente.* Ad præfatam Romani annuntiationem obſervat Caſtellanus, eam ex tribus conflatam eſſe; accepta nimirum poſitione *Romæ*, quæ ſoli Zephyrino Papæ in Hieronymianis tribuitur; avulſo deinde Liberati nomine ab Oriente, ac demum ex ultima ſyllaba prioris loci Gelduba, conjuncta cum *Juli* nomen *Bajuli* coagmentatum. Agnoſco equidem confuſionem, ſed quæ Baronii non ſit, verum codicis alicujus, ex quo nomina illa, ſic inter ſe connexa deſumpſerit. Nec diffitebitur Caſtellanus, in Hieronymianis aliquibus, & in Rabano quoque *Bajulum* clare exprimi, ſic ut totus error in ſola poſitione conſiſtat, quod nempe Liberatus & qualiſcumque Bajulus *Romæ* collocentur. At quis nobis Uſuardinam illam *Amphitream* aut in Oriente aut in toto Occidente inveniet? Putavit fortaſſe vir eminentiſſimus locum notiſſimum alicubi repertum, præ ignoto vel ficto eligendum. Florentinius alia loca ſubſtituere conatur, quæ ratio nata eſt, res de ſe valde implexas magis involvere. Dicam quod ſentio: multum fallor, ſi Uſuardus uſus non ſit codice aliquo Hieronymiano tam depravato, ut ex detritis, divulſis, ac male connexis verborum elementis *Amphitream* aliquam effinxerit, cui reperiendæ in vanum à nobis ſudetur. Neque enim cum Caſtellano ſyllabas diſtractas connectere lubet, ex quibus, ut ipſe *Bajulum*, ſic ego *Amphitream* coner educere: ſive enim vera, ſive falſa demum protulerit Noſter, certum eſt, talem nobis textum reliquiſſe, qualem ut ſincerum & genuinum hîc repræſentavimus. *Liberati.*

AUCTARIA.

TORNACEN. In prima elogium producit uſque ad *teſtantur*, expunctis ceteris omnibus. Duæ ultimæ annuntiationes puræ ſunt.

ROSWEYD. Secundo loco habet: *Romæ, Zepherini Papæ & martyris.* Nos de eo egimus cum Uſuardo XXVI Auguſti, ubi vide Obſervationem. Habe hodiernum Wandelberti verſiculum: *Terno cum decimo antiſtes Zepherine coruſcas.* Codex noſter purus eſt in Julio & Liberato, adjungens in fine litteris majuſculis, quod in aliis codicibus recurret: *Vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli.* *Zephyrini.* *Vig. Thomæ*

PULSANEN. In prima, phraſis aliquantulum mutata eſt & Adonianæ magis aptata. Deeſt ſecunda & tertia

ANTVERP. & MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Poſt *Liberati* immediate ſubjungunt, vel potius conjungunt, *& Gregorii epiſcopi.* Ex hujuſmodi codice ſua accepit Petrus Equilinus in Catalogo apud Florentinium, qui in hoc Gregorio, æque ac nos hæſitat. Eſt forte repetitio Gregorii Autiſſiodorenſis, de quo locuti ſumus die præcedenti. Sequitur in citatis codicibus: *Romæ, depoſitio ſancti Zepherini epiſcopi.* *Gregorii.* *Zephyriri.*

ANTVERP-MAX. & reliqui omnes codices mediæ notæ incipiunt: *Vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli.* In fine autem poſt *Liberati*, addunt ut ſupra, *& ſancti Gregorii epiſcopi.* *Vig. Thomæ.* *Gregorii.*

CENTULEN. Non habet niſi primam annuntiationem, hinc inde truncatam, nonnumquam interpolatam, quam non eſt opus hîc deſcribere.

BRUXELLEN. Incipit: *Romæ, ſancti Zepherini Papæ. Qui ut omnes Chriſtiani annorum duodecim, in feſto Paſchæ Euchariſtiam accipiant, & ut ordinationes presbyterorum ac levitarum, tempore ſtatuto ſolempniter fierent, conſtituit.* Sequuntur annuntiationes ad lubitum formatæ: *In Tracia civitate Geldnba, natale ſanctorum Julii vel Juliani, & Liberati. Item in Amphitrea, ſanctorum Gregorii epiſcopi & Liberati.* In Alexandrinis, omnino purus non eſt. Adjicit in fine: *In Oriente, ſanctæ Teclæ virginis.* Vide quæ de Thecla diximus XXIII Septembris. *Zephyrini.* *De Julio.* *De Liberat. & Gregorio.*

HAGENOYEN. Incipit etiam: *Romæ, natale ſancti Zepherini Papæ & martyris, in via Appia. Hic conſtituit, ut omnes Chriſtiani duodecim annorum, in præſentia clericorum & laicorum fidelium, Eukariſtiam in die Paſchæ deberent accipere. Item ſtatuit, ut omnia vaſa altaris vitrea vel ſtannea eſſe deberent, & ut ordines ſacerdotum & levitarum ſtatuto tempore fierent, & coram multis aſtantibus. Hic paſſus eſt ſub Severo principe.* In Alexandrinis fatis purus eſt. Tum: *In Tracia, civitate Geldula, natale ſancti Julii martyris. Item in Amphitrea civitate, natale beati Gregorii epiſcopi & Liberati.* *Zephyrini.* *Gregorii.*

VICTORIN. & REG. SUEC. ſignatus num. 130. In fine: *Romæ via Appia, ſancti Zeverini epiſcopi*: Pro *Zephyrini*. Tum: *In Oriente, ſanctæ Teclæ virginis & martyris.* *Zephyrini.* *Theclæ.*

DAVERONEN. *In pago Cabilonenſi, ſancti Cypriani abbatis.* *Cypriani.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Ammonis cum ſociis, martyris. Julii martyris.*

In VATICAN. num. 5949. Nihil de Liberato.

FLORENTIN. Habent, ut ANTVERP. &c. ſupra, *& ſancti Gregorii epiſcopi. Romæ, ſancti Zephirini epiſcopi.* Addunt autem: *In Hiſpania, ſancti Domitiani abbatis.* Puto indicari *Dominicum* abbatem, de quo vide Caſtellan. & MOLAN. infra. *Gregorii.* *Zephyrin. Domitiani. pro Dominic.*

BURDEGALEN. *In territorio Cynula, ſancti Oſpitii confeſſoris. Monaſterio Lirinenſi, ſancti Columbi abbatis.* Sub his nominibus neutrum novi. *Oſpitii. Columbi.*

EDITIO LUBECO-COL. Incipit: *Vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli. Apud Alexandriam, beatorum martyrum Ammonis* &c. ſatis pure, uti etiam in Julio. Ultimæ annuntiationi novam plane formam indidit, hoc modo: *In Amphitrea, ſanctorum Liberati & Gregorii epiſcoporum & confeſſ.* *Vig. Thomæ.* *Greg. &c.*

BELIN. In additione Gregorii epiſcopi, & in depoſitione Zepherini, convenit cum ANTVERP. &c. In fine autem præterea addit: *Item eodem die, vigilia Sancti Thomæ Apoſtoli.* *Gregorii.* *Zephyrin.* *Vig. Thomæ.*

GREVEN. *Vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli. Romæ, depoſitio beati Zeperini epiſcopi. In Oriente, ſancti Anaſtaſii epiſcopi & confeſſoris. In Amphitrea, ſancti Gregorii epiſcopi & confeſſoris.* Ita paulatim ex aliis accreverunt, qui in Hieronymianis vix indicati ſunt. Pergit: *In Hibernia, ſancti Fregi abbatis. Item, beatæ memoriæ Henrici Calkar presbyteri & confeſſoris, Ordinis Carthuſienſis, eximiæ ſanctitatis viri. In Oriente ſanctæ Teclæ virginis.* *Vig. Thomæ.* *Zephyrin.* *Anaſtaſii.* *Gregorii.* *Fregi.* *Henr. Calk.* *Teclæ.*

MOLAN. In fine ex BELIN. deſcripſit, *& ſancti Gregorii epiſcopi. Romæ, depoſitio ſancti Zephyrini epiſcopi Item eodem die, vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli*, cui litteris minoribus ſuperaddit, *quæ in obſervatione jejunii pleriſque locis celebratur Item, beati Philogonii, qui ex patrono cauſarum factus fuit epiſcopus, cujus memoriam inſigni homilia celebravit Joannes Conſtantinopolitanus cognomento Chryſoſtomus, quinque diebus ante natalem Chriſti.* Vide ipſam concionem apud Surium hoc die. Editiones poſteriores, nihil habent de Gregorio aut Zephyrino. Agunt de vigilia, ut in priori. Tum: *In Hiſpaniis, Silenſi monaſterio, ſancti Dominici abbatis. Qui vitæ ſanctitate, ac miraculorum frequentia clarus, migravit anno millesimo ſeptuageſimo quarto.* De Philogonio hæ editiones idem habent quod prior, & eodem modo. *Gregorii.* *Zephyrin.* *Vig. Thomæ.* *Philogonii.* *Dominici Sileuſis.*

Die 21.

XII *Kal.*

Thomæ. NAtalis beati Thomæ Apoſtoli, qui Parthis & Medis Euangelium prædicans, paſſus eſt in India, ac non multo poſt inde tranſlatus ad Edeſſam urbem. Eodem die in Tuſcia, ſanctorum Joannis & Feſti. *Joannis & Feſti.*

Sumitur textus ex *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Antverp.* & *Max-Lubec. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. *Partis* ſcribunt codices nonnulli, ſed præcipui habent *Parthis*, ut eſt in textu. *Evangelium* ponitur in ſolo Antverp. In Munerat. inter *inde* & *tranſlatus*, interponitur *idem*: ſed aliam phraſim conſtruxit Belin. hoc modo: *ac poſt inde non multum tranſlatus eſt ad urbem Edeſſam.* Altera editio, Greven. & Molan. legunt *Ediſſam*, pejus Tornacen. *Ediſſem*: textus ex reliquis acceptus eſt. De *Thuſcia* hîc amplius non loquor, nec de *Johannis*. Codicis Antverpienſis deſcriptor annuntiationem illâm ſecundam turpiter vitiavit, ſcribens: *Johannis & Pauli Feſti.* Nec Max-Lubec. nec alius codex de Paulo uſquam meminit.

OBSERVATIO. De tranſlatione corporis ſancti Thomæ Apoſtoli actum à nobis eſt cum tota ſerie noſtra III Julii, quo die in apographis Hieronymianis etiam poſita eſt, ſed ita ut hoc rurſus die repetatur. Sic habet codex Lucenſis: *In Meſopotamia, civitate Edeſſa, tranſlatio corporis ſancti Thomæ Apoſtoli, qui tranſlatus eſt ab India, cujus paſſio ibidem* *Thomæ.*

ibidem celebratur v *Nonas Julii.* Hæc directe pugnant cum iis, quæ in eodem codice leguntur citata die III Julii. In hiſce aliiſque hujuſmodi oppoſitionibus componendis laborat Florentinius, præcipue ad Indiculum Apoſtolorum à pag. 145. At enim in tranſlatione hîc referenda, non omnino conveniunt præfati codices Hieronymiani; nam in vetuſtiſſimo Epternacenſi ſignatur: *Paſſio Thomæ Apoſtoli in India:* Corbeienſis autem utramque feſtivitatem conjungit: *In Meſopotamia, natalis & tranſlatio ſancti Thomæ Apoſtoli* &c. Wandelbertus natalem, ſeu paſſionis diem (de quo certe non conſtat) nuſquam videtur agnoſcere, ſolam hoc die tranſlationem canens, ut ex verſibus infra adducendis patebit. Ceterum Beda diſerte hîc legit: *Natalis ſancti Thomæ Apoſtoli.* Florus in brevi elogio aſſerit, *tranſlatum eſſe corpus apud Edeſſam civitatem* v *Nonas Julii.* In eamdem ſententiam ait Rabanus, *lanceâ transfixum occubuiſſe in Calamia Indiæ civitate & ibi ſepultum cum honore* XII *Kalendas Januarias.* Series noſtra apertiſſima eſt, ſiquidem tranſlatione, ut jam diximus, III Julii conſignatâ, Romanum parvum hoc die ſimpliciter habet: *Thomæ Apoſtoli.* Sacramentaria à Menardo & Thomaſio edita magis cum Beda conveniunt. Ado autem in Martyrologio hæc ſolum memorat: *Apud Edeſſam Meſopotamiæ civitatem, natalis ſancti Thomæ Apoſtoli.* Cetera paucis refert inter Feſtivitates Apoſtolorum, unde elogium ſuum extraxit Uſuardus. Advertat lector, à ſolo Rabano civitatem *Calamiam* deſignari, in qua Thomas paſſus ſit, ſolos item Parthos & Medos tum ab ipſo tum à noſtris indicari, quibus Apoſtolus Euangelium prædicaverit. Alia notat Motherius in ſuis ad Romanum Gallicè verſum animadverſionibus. Ceterum de aliis regionibus, de loco martyrii, de reliquis ſancti Thomæ geſtis, de corporis adventu in Italiam, nonnullæ controverſiæ ſunt, quas hîc non vacat examinare. Fontes pleroſque commonſtravit Baronius, ex quibus non pauca, ad Apoſtoli labores ſpectantia, colligi poſſint; ſed uberior eſt Tillemontiana ſylloge tomo I à pag. 355, cum qua conferentur vitæ aliæ & Mss. & pridem ac recentius typis impreſſæ. Satis modo ſit veram textûs Uſuardini ſimplicitatem comprobaſſe. En Wandelberti de ſola tranſlatione verſiculos:

Tranſlati Thomæ celebrat duodenus honorem,
Aurea quo ſtructore Dei cognoſcere regnum
India promeruit, ſignis comitata tremendis.

Inter apographa Hieronymiana ſolum vetuſtiſſimum Epternacenſe hoc die poſt Thomam legit: *Et in Thuſcia, Joannis & Feſti:* atque in eodem codice, iidem, procul dubio, repetuntur XXIII Decembris, his verbis: *Et alibi Joannis & Feſti*, pro quibus alii habent: *Joannis & Felicis.* Porro Florentinius in hodierna notatione ſic obſervat: *Nullibi in Tuſcia veneratos comparere, aut invenire potuiſſe, fatetur Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. Fortaſſe iidem ſunt, de quibus infra* X *Kalendas Januarii.* Attamen ſive in Thuſcia noti ſint, ſive ignoti, certum eſt à Rabano ex aliquo Hieronymiano ſignatos fuiſſe; certum eſt à ſeriei noſtræ anteſignano ſic hodie annuntiari: *In Tuſcia, Ioannis & Feſti:* certum denique, in Adone, & ex hoc à Noſtro iiſdem prope verbis memorari. Quid autem de eorum vita aut geſtis ullibi ſuperſit, hactenus plane latet. In Adone ſecundo loco refertur *Memmius* Catalaunenſis epiſcopus, de quo ad v Auguſti pluribus egimus, tunc, ut candide fatear, ignorantes ipſum hoc die à Viennenſi celebrari. Textum ejus hodiernum habes infra in codicibus Florentinis. Hic ſolùm lectores rogatos velim, ut quæ citata die v Auguſti timidius de Adonis ſenſu dicta ſunt, ex hoc loco abunde confirmata meminerint: illud præſertim; quod nempe Memmius illic ad Adonem minime pertineat. Manet interim veriſimile, Uſuardum eo die Hieronymianam potius quem Adonianam phraſim adoptaſſe.

Joannis & Feſti.

De Memm. adv Auguſt.

AUCTARIA.

ROSWEYD. Thomæ annuntiationem, poſt *Edeſſam urbem*, ſic protraxit; *in loculo argenteo ibidem honore Apoſtolico conditus eſt.* In altera purus eſt.

PULSANEN. Eumdem textum ex Adone interpolavit, poſt *India*, ſic pergens, *& corpus ejus in civitate, quam Syri Edeſſam vocant, tranſlatum eſt, ibique digno honore conditur.* Purus etiam eſt in ſecunda annuntiatione.

De Thoma.

ANTVERP-MAX. cum omnibus ſociis addit in fine: *In Eraclea civitate, natale ſancti Paſſi.* Sic vocatur in Hieronymiano Lucenſi: Corbienſe ſcribit *Paſſini:* Epternacenſe, *Baſſi.*

Paſſi.

CENTULEN. *Natale beati Thomæ Apoſtoli, qui Parthis & Medis prædicans, paſſus eſt in India* v *Nonas Julii. Corpus ejus in civitatem, quam Siri Ediſſam vocant, tranſlatum eſt, ibique digno honore ſepultum. Cathalaunis, ſancti Memmii epiſcopi & confeſſoris, primi civitatis illius.* Vide codicem ſequentem. In ultima purus eſt.

De Thoma.

BRUXELLEN. In prima utcumque purus, ſic proſequitur: *Romæ, ſancti Innocentii Papæ. Qui decrevit, oſculum pacis ad Miſſam dari, ac oleo conſecrato pro infirmis uti, conſtituit.* Sequitur de Joanne & Feſto. Tum: *In Eraclea, natale ſancti Paſſi martyris. Cathallaunis, depoſitio ſancti Memmii epiſcopi primi, illi civitati ab urbe Roma directi. Qui inter alia innumera miracula mortuum ſuſcitavit, cujuſque nunc ſepulcrum miraculis creberrimis illuſtratur. Treveris, ſancti Zepherini epiſcopi.*

Innocentii.

Paſſi. De Memmi.

Zepher. Tre.

Phocæ & ſocior. epp. *epiſcopi & confeſſoris.* Vide infra: *Et alibi, ſanctorum Focæ, Florii & Honorati epiſcoporum & confeſſorum.* Nomina in codicibus Hieronymianis invenio, titulos non item.

De Thoma. HAGENOYEN. *In India, paſſio ſancti Thomæ, electi Dei Apoſtoli, qui tanti fervoris erat ad Dominum, adhuc in carne exiſtentem, quod cum eo mori voluit, & alios ſimiliter facere hortatus eſt, quando ad reſuſcitationem Lazari Dominus ire voluit* &c. quæ vide apud Surium. Tum nova confuſio: *In civitate Treveri, ſancti Severi epiſcopi & confeſſoris ejuſdem civitatis. Qui de civitate Treveri veniens in Aquitaniam, unde natus erat, jam ſenex per gratiam Dei, quam in ſe habuit, omnes, quos vidit, cognovit, ex nomine proprio illos ſalutavit, & quod majus erat, eos quos cognovit exterius, eoſdem cognovit interius, ita ut pluribus eorum, ſuas cogitationes bonas aut malas proderet, & plenus bonis operibus, ibidem obiit in pace. Eodem die apud Treſciam, natale ſanctorum martyrum Johannis & Feſti. In Eraclea civitate, ſancti Paſſi martyris.*

De Severo Trevereñ.

Paſſi.

Cypriani. AQUICINCT. In fine ſubdit: *In pago Cavillonenſi, ſancti Cypriani abbatis.* Notatus eſt heri & nudius tertius, ſed adhuc quæro quis ſit.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Thomæ Apoſtoli. Joannis & Feſti martyrum.*

De Memmio FLORENTIN. *Catalaunis, ſancti Memmii, epiſcopi primi, ab urbe Roma directi. Qui inter alia miracula fertur mortuum ſuſcitaſſe; cujus nunc ſepulcrum creberrimis miraculis illuſtratur.* Vide dicta ſuperius, ſub finem Obſervationis. Sequitur: *Romæ, Nicodemi, qui ſanctorum martyrum corpora, ſcilicet Clauaii, Nicoſtrati, Caſtorii & Simplicii, de fluvio extracta, domi ſuæ ſepelivit,*

Nicodemi.

ut in geſtis eorum legitur. Vide dictorum geſtorum compendium apud Adonem VIII Novembris, ubi & de Nicodemo agitur.

EDITIO LUBECO-COL. De Thoma addit, *ibique digno honore conditum eſt. In Tuſcia, natale ſanctorum Johannis & Feſti confeſſorum. In Eraclea civitate, natale ſancti Paſſi martyris. Treveris, ſancti Severini, ſecundi ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris.*

Paſſi. Severin. Treveren.

GREVEN. *In Eraclea, ſancti Paſſi martyris. Item ſanctorum Focæ, Honorati. Romæ, depoſitio ſancti Innocentii epiſcopi. Item ſecundum Adonem hîc, Cathalaunis, ſancti Memmii epiſcopi primi, illi civitati ab urbe Roma directi, qui inter alia mortuum ſuſcitavit, cujus etiam nunc ſepulcrum creberrimis miraculis illuſtratur. Hunc Uſuardus habet Nonis Auguſti. Treveris, beati Severini ſecundi, epiſcopi & confeſſoris, qui & Severus dictus eſt. Item ſecundum Cathalogum hîc, memoria beati Dioniſii epiſcopi, diſcipuli ſancti Thomæ Apoſtoli, & Pelagiæ filiæ regis, ſponſæ ſuæ, quos idem Apoſtolus convertit. Dionyſius autem poſtmodum epiſcopus ordinatus, plenus ſanctitate ad Dominum perrexit: Pelagia vero ſacro velamine conſecrata, poſt ejus obitum, cum nec nubere vellet, nec immolare, capite plexa martyrium complevit.*

Paſſi. Phocæ & Honorati. Innocentii. Severini. Dionyſii. Pelagiæ.

MOLAN. In fine: *Catalaunis, ſancti Memmii epiſcopi, primi illi civitati ab urbe Roma directi, qui inter alia innumera miracula mortuum ſuſcitavit. Eodem die, ſancti Severini epiſcopi Treverenſis.* In editionibus poſterioribus exſtat hoc ſolum augmentum: *Eodem die, ſancti Severini ſecundi, epiſcopi Treverenſis.* Vide GREVEN.

Memmii. Severini.

XI *Kal.* *Die* 22.

Martt. 30. ROmæ via Lavicana inter duas lauros, natalis triginta martyrum, qui omnes uno die perſecutione Diocletiani coronati ſunt. Alexandriæ, beati Iſchyrionis martyris. Is cum ad ſacrificandum blanditiis atque injuriis cogeretur, & contemneret; præacuta ſude tranſverberatus per viſcera, neci traditur. Civitate Oſtia, ſanctorum Demetrii, Honorati & Flori.

Iſchyrionis

Demetrii & ſociorũ.

Ita *Herinien. Tornacen. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Hîc uſus ſum majori libertate, quam uſquam toto hoc opere, reſtituendo proprium & verum nomen *Iſchyrionis*, quod in nullo codice reperitur. Puritati proximus erat Praten. per *Schyrionis*, Molan. per *Schirionis*. Herinien. Tornacen. Munerat. & Greven. ſcribunt *Chirionis*: Belin. *Chyrionis*, alii *Chiridionis* vel *Scirionis*. Putavi emendationem illam mihi licitam eſſe. Pro *præacuta ſude*, in Herinien. eſt, *poſt acuta*. Turpius errant Antverp. Max-Lubec. & Belin. dum duas illas voces *præacuta ſude*, plane omittunt. Hîc cetera conjungo. De *blandiciis*, *contempneret*, *Hoſtia* &c. vide alibi.

De Praten. & ſoc. codd. Poſtrema & gravior variatio codices nonnullos à puris diſjunxit: Pratenſem impri- mis, quem ex parte imitantur ſoliti ſocii Antverp maj. & Roſweyd. De Pratenſi teſtatus mihi eſt Clariſſimus Caſtellanus, ab VIII Decembris uſque ad XXIII, nihil in eo eraſum, nihil adjunctum eſſe; *rien d'effacé, ny d'ajouté*, atque adeo manifeſtum eſſe debet, annuntiationem tertiam hodiernam prima manu à codicis iſtius ſcriptore poſitam fuiſſe hoc modo: *Civitate Oſtia, ſancti Baſilei;* quæ verba Uſuardo adſcribi prorſus non poſſunt, niſi velimus eum dormitando ſcripſiſſe, turbaſſeque clariſſimos hoc die Hieronymianorum indiculos, in quibus primo loco diſerte legitur: *In Antiochia, ſancti Baſilei*: quo modo rectius legerunt duo illi alii codices, plerumque Pratenſis ſectarii. In præfatis Hieronymianis ſequitur articulus noſter primus, *Romæ, via Lavicana* &c. Tum vero:

vero : *Et Hoſtia, natalis ſanctorum Demetrii* &c. quam annuntiationem ex omnibus codicibus noſtris Uſuardo aſſerimus. Merito itaque è purorum codicum numero Pratenſis excluſus eſt. Viderint iſtius codicis patroni, an error tam palpabilis ipſius authentiam magnopere commendet. Excluſimus etiam duos alios, quod certò in ea ultima commemoratione Uſuardini non ſint.

Martii 30.

OBSERVATIO. Coronam martyrum triginta, ſub Diocletiano Romæ paſſorum, dedimus 1 Januarii, ſed loco determinato *via Appia* : en coronam ſeu manipulum alterum, forte trecentorum potius, quam triginta pugilum. Numerum dubium reddunt Hieronymiani codices Lucenſis & Blumianus, dum contra alios diſtinctius legunt : *Romæ via Lavicana, inter duos lauros, natalis ſanctorum* CCC *martyrum, qui omnes uno die coronati ſunt.* Si tempora Diocletiani addita eſſent, videretur tota noſtra annuntiatio inde accepta, magiſque id adeo ſuaderent codices Hieronymiani alii, in quibus ſoli triginta exprimuntur. Sed *dignior*, inquit Florentinius, *immani* Diocletiani *ſævitia numerus trecentorum eſſet.* Quærimus quid ſcripſerint Martyrologi? Rabanus ſolo martyrum numero a Lucenſi differt : nec multum diſſonat Romanum parvum : *Romæ,* XXX *martyrum, ſub Diocletiano, via Lavicana inter duas lauros ſepultorum.* Ado diſtinctius & exactius cum Lucenſi locutus eſt, iis plane verbis quibus conſtat totus textus noſter. Nihil præterea de his martyribus hactenus reperi. Wandelbertus ceteris Martyrologis ſubſcribit hoc ſuo verſiculo :

Undecimum celebrat triceno martyre Roma.

Iſchyrionis.

Sequitur annuntiatio ſeptima hujus menſis, ex uno Rufini capite accepta, ut pluribus dixi XIX Decembris. Complexus eſt articulus in Romano parvo : *Alexandriæ, Iſchyrionis martyris. Et aliorum quamplurimorum, inter quos ſenex Chæremon.* Binas illas commemorationes ex laudato toties Rufini loco amplificat Viennenſis, ſed de ſolo Iſchyrione agit Uſuardus, elogii ſui verba omnia ex Adone deſcribens, omiſſâ notabili circumſtantia, nimirum Iſchyrionem non ab aliquo judice damnatum ed ab hero, ut ita dicam, à *potente* aliquo viro, cujus *rem ſub mercede procuraret*, inſolito crudelitatis genere dire trucidatum. Alexandriæ à noſtris conſtanter ponitur, licet id nuſquam affirmet Euſebius, imo aliis non inveriſimile videatur, in alia aliqua Ægypti parte interemptum fuiſſe. De reliquis illis martyribus *quamplurimis fame, ſiti, frigore, languore, latronibus, beſtiiſque conſumptis*, plurima ſuppeditabunt inferius Auctaria Uſuardina variis modis concepta.

Demetrii & ſociorum.

In Variantibus ſupra oſtendimus, erraſſe codicem Pratenſem, dum *Baſileum* Antiochenum civitati *Oſtiæ* adſcripſit ; erraſſe item ſolitos ſocios, qui aliam annuntiationem Uſuardo ſubſtituerunt. Quæritur hîc, quem codicem Hieronymianum præ oculis habuerit, ex quo ſegmentum ultimum de tribus martyribus Oſtienſibus *Demetrio, Honorato* & *Floro* deſumpſerit ; etenim vetuſtiſſimus Epternacenſis, Lucenſis & Blumianus legunt : *Demetrii & Honorati, Felicis, Flori.* Ad ſimiles quæſtiones, ſæpe alibi propoſitas, nulla aptior occurrit reſponſio, quam ſi dicamus, Uſuardum pro ſuo beneplacito ex Hieronymianis Sanctorum delectum feciſſe. Utinam & horum trium, & XXX ſuperiorum Martyrum Acta aut paſſiones alicubi reperirentur !

AUCTARIA.

Baſilei.

PRATEN. Jam ejus auctarium ſupra dedimus in Variantibus : ubi etiam de ANTVERP-MAJ. qui præterea pro *inter duas lauros*, legit *inter duas arbores.*

Theodoſiæ.

ROSWEYD. In augmento convenit cum ANTVERP-MAJ. ſed præterea in fine adjicit : *Theodoſiæ virginis & martyris.*

Martyrum Ægyptior.

PULSANEN. In prima ſatis purus, ſic proſequitur ex Adone : *Ipſo die, quamplurimorum martyrum, qui in deſertis montibus apud Egyptum oberrantes, fame, ſiti, frigore, latronibus, beſtiiſque conſumpti ſunt.*

De Martt. Ægyptiis.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERG & DANIC. Tertio loco ex Adone interſerunt : *Apud Egyptum, natale ſancti Therimonis* [alii *Cherimonis*, melius *Chæremonis*] *epiſcopi urbis Nycopolis, & aliorum plurimorum, qui in deſertis & montibus apud Egyptum aberrantes, fame, ſiti, frigore, languore, latronibus, beſtiiſque conſumpti, gloria martyrii coronati ſunt.* In quarta annuntiatione omnes conveniunt cum codicibus pro textu citatis.

Chæremonis & aliorum

LOVANIEN. In augmento cum aliis convenit, ſed totum Iſchyrionis elogium expunxit.

CENTULEN. *Romæ via Lavicana inter duos lauros, ſanctorum* XXX *martyrum, qui ſub Diocletiano paſſi ſunt, Alexandriæ, beati Scirionis martyris. In Egypto, innumerabilium martyrum, qui in montibus & vallibus, in ſilvis & diverſis laborantes incommodis, fame, ſiti, languoribus, frigoribus, latronibus, beſtiiſque conſumpti ſunt. Eodem die, Theodoſiæ virginis & martyris, & ſancti Didimi, eruditiſſimi viri.* Vide Hieronymiana & Florentinii obſervationes.

Theodoſiæ & Didymis.

BRUXELLEN. In prima purus, ſic pergit : *In civitate Spoletana, paſſio ſancti Georgii martyris. In portu Romano, natale ſancti Ariſtonis. Et Romæ via Portuenſi, depoſitio ſancti Felicis epiſcopi.*

Georgii. Ariſtonis. Felicis.

In

In Ischyrione satis purus est. Tum: *Apud Egiptum, natale sancti Cheremonis, Nycopolis episcopi, & aliorum quamplurimorum martyrum, qui in desertis & montibus apud Egiptum oberrantes, fame, siti, frigore, languore, latronibus, bestiisque consumpti, gloria martyrii coronati sunt. Et Ceremon episcopus, dum ad Arabum montem cum grandæva conjuge discessisset, nulli ultra comparuit.* Vide hæc nitidius in Adone, vel in ipso Rufino. Sequitur de Ostiensibus pure. Deinde: *Et alibi, passio sanctæ Theodosiæ virginis & martyris, & sancti Didimi monachi. Antiochia civitate, sancti Basilii.*

Cheremonis & aliorum.

Theodosiæ. Didymi. Basilei.

Hagenoyen. In textu, solito purior, addit de Ægyptiis martyribus: *Apud Egyptum, natale sancti Cherimonis episcopi & martyris, qui Nycopolis civitatis præsul erat, & aliorum quamplurimorum* &c. Subjicitur sequens historia: *Ipso die, apud Antysiodorum, passio sancti Justi pueri, qui fuit justus nomine & re. Hic Justus filius fuit Justini viri Christiani, qui à filio suo multipliciter fuit argutus, quare fratrem ejus Justianum de captivitate non redimeret. Qui cum proficisceretur ad redimendum fratrem, Justus ejus filius secum proficisci voluit; sed pater prohibuit propter dolorem matris ejus, quia unicus erat. At illa ait, vadat tecum filius noster; & sic perrexerunt. Venientibus igitur paganis, pater ejus abscondit se, puer autem Justus obviam dedit illis. Qui dixerunt: Quo venerunt viri Christiani jam tecum euntes? At Justus ait: scio eos, sed vobis eos non pandam; & statim præciderunt caput ejus, & accipiens Justus caput suum inter manus suas & sedens oravit. Cumque pater dubitaret, quid secum ageret; Justus ait: Corpus meum Beluaci sepelite, & caput meum ad Feliciam matrem meam ferte. Quod illa videns, Deo gratias egit, & tanta claritas super domum Justini fulsit, quod sanctus Amator episcopus quæreret, quid ibi esset, & audita ejus passione, illud in suo sepulchro sepelivit.* Hic justus est, ni fallor, qui colitur XVIII Octobris.

De Martt. Ægyptiis.

De Justo Longa historia.

Aquicinct. Post *neci traditur*, interjicit: *In civitate Antiochia, sancti Basilei.*

Basilei.

Matric-Cartus-Ultraject. *Theodosiæ virginis. Frontonis episcopi & confessoris. Romæ, triginta martyrum. Cerionis martyris.* An non fortasse *Cheremonis? Item aliorum trium martyrum.*

Theodosiæ. Frontonis.

In Vatican. num. 5949. Deest Demetrius cum sociis. Adjicitur: *Eodem die, plurimorum martyrum* &c. ex Adone.

Martt. Æg.

Altemps. Habet ut Aquicinct. *In civitate Antiochia, sancti Basilei.*

Florentin. *Item aliorum quamplurimorum* &c. etiam ex Adone. *Item, sanctæ Theodosiæ virginis & martyris. In civitate Ostia, sancti Flaviani martyris, sub Juliano apostata imperatore.* Positus est in Martyrologio Romano.

De Ægypt. Theodosiæ. Flaviani.

Remens. SS. Tim. & Apoll. *In suburbio Remensi, natale sancti Jovini confessoris.*

Jovini.

Editio Lubeco-Col. *Apud Spoletum civitatem Tusciæ, passio sancti Gregorii presbyteri & martyris, temporibus Diocletiani & Maximiani imperatorum. Qui primo, sub Flacco comite nodosis fustibus cæsus, ac deinde post craticulam & carcerem, chordis ferreis in genibus percussus, sed & ardentibus lampadibus per latera incensus, & cum jam à Tyrcano præside capitali sententia damnatus esset, audivit vocem de cælo dicentem sibi: Ecce Gregori, jam coronatus es, & in numero sanctorum meorum ascriptus: ingredere ergo ad me, benedicte Domini, quia mea habitatio præparata est tibi. Adhuc angelo loquente, ab Aquilino spatario capite truncatus est; cujus corpus requiescit nunc Coloniæ Agrippinæ, in ecclesia majori per translationem, à Domino Brunone Colonienſium achiepiscopo factam.* Vide etiam Auctaria diei sequentis. In Usuardo ponitur XXIV. Sequuntur prima & secunda, satis puræ: deinde multa de Chæremone & Ægyptiis, ut supra. Demum de Ostiensibus, recte.

De Gregorio Spoletino Coloniam translato.

Greven. *In portu Romano, natalis sancti Aristonii. Et depositio sancti Felicis episcopi. Et depositio beati Gregorii Spoletani presbyteri & martyris, apud Coloniam Agrippinam in majori ecclesia quiescentis. Usuardus tamen & Ado habent eum IX Kalendas Januarii. Ipso die, passio sanctorum Theodosiæ & Dimidii seu Didimi. Item secundum Adonem, plurimorum martyrum, qui in desertis & montibus apud Egyptum oberrantes* &c. Vide Adonem ipsum. Sequitur: *Ethernasii confessoris. Theodosiæ virginis. Item, sanctæ memoriæ Juttæ inclusæ.*

Aristonii. Felicis. Gregorii.

Theodosiæ & Didymi. Martt. Æg. Ethernasii.

Theodosiæ. Juttæ.

Molan. In prima, ac in aliis editionibus aliud augmentum non habet, præter sæpe citatum Adonis articulum de martyribus quamplurimis Ægyptiis &c. de quibus vide supra.

X *Kal.* *Die* 23.

Martt. 20. APud Nicomediam, sanctorum martyrum viginti, quos Diocletiana persecutio gravissimis cruciatos tormentis, martyres Christo fecit, & beatos sanctorum numero in cælis conjunxit.

Victoriæ. Romæ, natalis sanctæ Victoriæ virginis, sub persecutione Decii imperatoris, quæ cum esset desponsata à quodam pagano, & nec nubere vellet, nec sacrificare, post multa facta miracula, inter quæ plurimas virgines aggregaverat, percussa est gladio in corde à carnifice, rogatu sui sponsi.

Servuli. Item Romæ, sancti Servuli, de quo beatus Gregorius scribit, quia à primæva ætate usque ad finem vitæ paraliticus jacebat; ad cujus tumbam miracula creberrimè fiunt.

Dedicat. basilic. &c. Parisius, dedicatio Basilicæ in honore sanctæ Crucis & sancti Vincentii martyris, & depositio

Childeber. Domni Childeberti regis.

Puros censeo solos quatuor *Praten. Herinien. Antverp-maj.* & *Greven.*

VARIA

VARIA LECTIO. Omnes legunt, *beatos Sanctorum numero*, ut eſt etiam in Adone: forte nitidius habet Antverp-maj. *beato Sanctorum numero*, ſed non Uſuardinè. Greven. & aliqui alii ponunt, *martyres Chriſti fecit*: præferenda eſt lectio noſtra Adonianæ conformis. Antverp-maj. *Victoriæ* nomen tranſmutavit in *Victorinæ*: & pro *virgines aggregaverat*, ſcripſit *virgines aggregatas*. Non recte habet Greven. *qui à primæva*, pro *quia à primæva*, paulo melius correxit Molan. *quod à primæva*. Relîqui in textu articulos duos ultimos, quia eos in præcipuis codicibus reperio, tametſi ad Sanctos non ſpectent, quâ causâ ſuſpicor à nonnullis codicum deſcriptoribus prætermiſſos fuiſſe; ab aliis poſtmodum reſtitutos, ut ex Auctariis facile colliges.

OBSERVATIO. Codex Hieronymianus Lucenſis apud Florentinium ſic hodie indiculum ſuum incipit: *In civitate Nicomedia, natalis ſanctorum* CCXLV *martyrum ſimul, quorum nomina Dominus ſcit.* Communis opinio eſt, inſinuari hîc immaniſſimam perſecutionem à Diocletiano Nicomediæ barbaro furore inchoatam, de qua non ſemel alibi locuti ſumus, præſertim XXVII Aprilis. Quâ nimirum, teſte Euſebio, *ingens martyrum multitudo*, occaſione incenſi palatii, omni tormentorum genere conſumpta eſt. At non video quis hîc numerus determinari potuerit; unde fortaſſe accidit, ut in eo plane varient Hieronymiana apographa. Etenim in Blumiano ſolorum XXX martyrum memoria agitur: in vetuſtiſſimo autem habetur: *In Antiochia, natalis martyrum* XXXV; ubi Rabanus, ſervato hoc numero, *In Nicomedia* reſtituit. Vide de his Florentinium, & cum eo, ſi lubet, mirare, *tam in Martyrologio Romano, quam Uſuardo, Adone, & aliis recentioribus, Nicomedienſes ignotis nominibus martyres ad viginti tantum extendi.* Tolletur fortaſſe admirationis cauſa, ſi memineris martyres illos omnes, ſub una celebritate cum Anthimo recoli, citata ſuperius die XXVII Aprilis. Fruſtra quæres, cur hîc viginti repetantur. Id videor ſatis certo poſſe conjicere, numerum illum hodiernum, ab auctore Romani parvi pro mero libitu contractum fuiſſe. Ado de more elogium compoſuit, à Noſtro ad verbum deſcriptum; ſed hoc iſtiuſmodi eſt, ut non magis ad efferam illam Diocletiani rabiem, quam ad aliam quamlibet ejuſdem tyranni carnificinam alludere videatur. Adjuncti in Romano *Migdonius & Mardonius*, ab Euſebio nominatim expreſſi non ſunt. De cetero hîc fontem pandimus ex quo XX noſtri martyres promanarunt. Nec lubet cum aliquibus divinare, pro XX *martyrum*, ſcriptum forte olim fuiſſe, XX *millium*. Sic alicubi proſtitiſſe oſtendit appoſitum in poſterioribus Molani editionibus: & ſic certe XXVIII Decembris referunt Ephemerides Græco-Moſcæ ante tomum I Maii pag. LVII. Nobis à codicum noſtrorum Uſuardinorum ſimplicitate, ſeu hæc vera, ſeu erronea ſit, recedere integrum non eſt. *Martt. 20.*

Ad XVIII Decembris non ſemel in Auctariis ſignata eſt *Anatolia*, cum *ſua convirgini Victoria*. De illa & *Audace* egimus ex Uſuardi mente, ad IX Julii; iſtam huc retulere Martyrologi, tum in ſerie Bedæ, tum in noſtra. Hieronymiana apographa X Julii legunt: *In Savinis, Anatholiæ, Victoriæ*; ubi rurſus videri poſſunt apud Florentinium, quæ præfata IX Julii indicavimus. Breve & nitidum eſt Bedæ, & ex eo Rabani elogium; noſtrum tam huic ſimile, ut pro majori parte ex priori deſcriptum non dubitem. Longior eſt Adonis hiſtoria, quam hinc inde arrodit Tillemontius tomo 3 à pag. 703 in notis, cum tamen in ipſo opere a pag. 329 non adeo ab ipſa abhorrere videatur. Nos ad IX Julii in Actis mentem noſtram declarabimus. Interim vetuſtam eſſe paſſionem, negare nemo auſit, cum ex ea Adelmus carmen ſuum compoſuerit, quod cum Adonis elogio apud Surium vulgatum eſt. In ipſa urbe Roma paſſam non eſſe Victoriam, ſatis innuit Viennenſis. De ſepulturæ loco conſule Holſtenii Animadverſa ad Martyrologium Romanum à pag. 108, ubi Dextrinas nugas aliorumque errores accurate refellit. Audi modo Wandelbertum, ſic uno ſuo verſiculo Victoriam canentem: *Victoriæ.*

Victoriâ Chriſti decimus de virgine fulget.

Servulus in ſola ſerie noſtra notus eſt, ſic à Romano parvo primùm ſignatus: *Romæ, Servuli. Servuli, ægritudine diſſoluti, in eccleſia beati Clementis ſepulti; ubi Dominus per illum mira operari dignatur.* Brevis encomii fontem, nempe magnum Gregorium, conſulens Viennenſis, longiorem inde narrationem ſuam deſumpſit, ſatis accuratam, cujus epitomen exhibet textus noſter. Videnda hîc egregia Baronii annotatio, quæ in Melchiore Cano hodiernos hypercriticos fortiter retundit; illos nimirum, qui S. Gregorii Dialogorum libros, quos *jam mille*, & multo amplius, *annis, tam Occidentalis quam Orientalis Eccleſia ſumma fide, digna veneratione, immenſiſque eſt laudibus proſecuta, audent in controverſiam revocare ac fide minuere.* In aliis id auſi fuerunt homines illi, at qui Servuli hiſtoriam in dubium revocet, hactenus inveni neminem. De Dedicatione Baſilicæ ad S. *Ded. baſil.*

Germani à Pratis, nihil habeo quod hîc ſuperaddam; ab Uſuardo poſitam, probant
Childeberti citati pro textu codices. *Childeberti* regis depoſitio, potius ad necrologium, quam ad Martyrologium ſpectabat.

AUCTARIA.

TORNACEN. Bene in textu procedit, uſque ad, *rogatu ſui ſponſi*. Cetera omnia prætermiſſa ſunt.

ROSWEYD. Pergit uſque ad, *creberrime fiunt*: & omiſſis reliquis ſubſtituit: *Item Romæ, Eleuterii & aliorum* DCCCXXXIII. Vide quomodo hæc ex Hieronymianis componere conetur Florentinius. *Eleutherii & ſoc.* 833.

PULSANEN. Incipit: *Apud Spoletum, natalis ſancti Gregorii presbyteri & martyris, temporibus Diocletiani & Maximiani imperatorum, ſub judice Flacco.* Eſt hodie in Rabano cum longiori elogio; Uſuardus eum ſignat die ſequenti. Vide Auctaria heri & hodie. Sequitur in codice, de Victoria uſque ad, *imperatoris*: de Servulo, uſque ad, *Papa ſcribit*. Deſunt reliqua omnia. *Gregor.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. BELIN. & MOLAN. Deficiunt in articulis duobus ultimis, quos haud dubie Uſuardo adſcribendos non putaverunt.

MUNERAT. Minorem defectum habet, cum ultimam de Childeberto ſignaverit.

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. ALBERG. & DANIC. In tribus primis annuntiationibus, cum præcedentibus & cum textu ſatis conveniunt, excluſis etiam dedicatione & Childeberto, ſed eorum loco adjiciunt: *Eodem die, ſancti Dagoberti regis Francorum.* Puto ſermonem eſſe de eo, qui hodie in Martyrologio univerſali à Caſtellano refertur. *Dagoberti.*

LOVANIEN. In augmento, proximè ſuperioribus ſimilis eſt, ſed expunxit totum Victoris elogium. Hæc cauſa eſt, ut ſupra diximus, cur ab aliis mediæ notæ codicibus ſæpe excludatur

CENTULEN. *Romæ, Victoriæ virginis, ſub Decio imperatore. Apud Nichomediam, ſanctorum* XX *martyrum. Item Romæ, beati Servuli, de quo beatus Gregorius ſcribit; rebus pauper, meritis dives. Item ipſo die, ſancti Euariſti Papæ & martyris.* Colitur XXVI Octobris. Eſt alius hoc die Euariſtus in Hieronymianis *Euariſti.*

BRUXELLEN. Incipit: *Romæ, ſancti Euariſti Papæ & martyris. Cujus celebrior natalis dies colitur* VII *Kalendas Novembris.* In Victoria, non omnino purus eſt, ſic ſcribens: *Et Romæ, natale ſanctæ Victoriæ virginis & martyris. Quæ dum eſſet deſponſata cuidam pagano, & nec nubere nec ſacrificare vellet, poſt multa miracula, ad inſtantiam ſui ſponſi, ſub perſecutione Decii imperatoris, à carnifice in corde gladio percuſſa eſt. Taliarchus vero percuſſor ejus, leproſus factus, intra tres dies conſumptus à vermibus, expiravit.* Tum: *Et natale ſancti Johannis presbyteri, poſiti ad ſanctum Hermen.* In Nicomedienſibus, nonnihil mutilatus eſt, & pro XX, ponit XXV. Deinde: *Item Romæ, natale ſanctorum Eugenii, Eleutherii, Urbani, Cornelii, Traiani, Victoris, Caſtulæ, & aliorum octoginta & triginta.* Voluit dicere *octingentorum & triginta.* In Servulo, modice interpolatus, in fine cum ſuperioribus: *Eodem die, ſancti Dagoberti regis Francorum.* *Euariſti.* *Joannis.* *Eugenii & ſociorum.* *Dagoberti.*

HAGENOYEN. In prima habet de Victoria, non omnino pure. Paulo melius in Nicomedienſibus. De Servulo, poſt *jacebat*, interſerit, *in magna cordis & corporis paciencia; & ſimiliter rebus pauper erat. Ad cujus obitum voces auditæ ſunt cæleſtes. Ad cujus etiam tumbam miracula creberrime fiunt.* Nihil præterea adjectum invenio. *De Servulo.*

AQUICINCT. In commemoratione de Victoria aliquid turbat; dum poſt *percuſſa eſt gladio*, adjungit: *inde à carnifice rogatu ſui ſponſi ſepelitur.*

In DAVERONEN & CAUDIACEN. Adjecti ſunt articuli duo de dedicatione Baſilicæ in S. Germani à Pratis, & de depoſitione Childeberti, ſicut habetur in textu.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Victoriæ virginis. Sanctorum viginti martyrum. Servuli paralytici, de quo ſcribit beatus Gregorius in homilia.*

REG. SUEC. num. 428. Similis eſt MUNERAT. agit de ſola depoſitione Childeberti.

VATICAN. ſignatus num. 5949. Adjicit: *Apud Spoletum, natale ſancti Gregorii martyris.* Cum elogio, inquit Papebrochius, ſed iſtud non deſcribit; forte quia idem eſt cum Uſuardino diei ſequentis.

ALTEMPS. *In Nicomedia, natale* XXXV *martyrum.* Vide quæ diximus in Obſervatione. *Item Romæ,* DCCCXXXV. *Et depoſitio D. Childeberti regis.* Litt. D non pro *divi*, ſed pro *Domni* ponitur. *Martt.* 835

FLORENTIN. *Item, ſancti Ruſi Zoſimi, qui fuit de antiquis Chriſti diſcipulis.* Sic duo nomina connectuntur, nulla addita interpunctione, acſi ejuſdem perſonæ eſſent. Vide Uſuardum ſupra ad diem XVIII Decembris.

EDITIO LUBECO-COL. In annuntiatione Victoriæ nonnihil interpolata, hoc ſingulare in fine adnectit: *Cujus caput nunc Coloniæ Agrippinæ in eccleſia Carthuſienſium, per tranſlationem requieſcit.* In Servulo & Nicomedienſibus, ſatis pura eſt. Poſtremum addit: *Eodem die, ſancti Dagoberti regis Francorum.* Dixi, videndam Caſtellani notulam in Martyrologio univerſali. *De capite Victoriæ.*

GREVEN. *Romæ, natalis ſanctorum Eugenii, Eleutheri, Urbani, Cornelii, Traiani, Victoris, Caſtulæ, & aliorum octingentorum triginta.* Jam dixi ſupra, videndam de his Sanctis Florentinii ad Hieronymiana obſervationem. *Item Sixti, Apollonii. Dagoberti, regis Francorum & confeſſoris. Item Gregorii pueri. Ipſo die, natalis ſancti Joannis presbyteri. Mazothæ virginis* *Eugenii & ſociorum.* *Sixti &c.* *Dagoberti.* *Gregorii.* *Joannis.* *Mazothæ.*

MOLAN. Suſpectas habens poſtremas duas textus noſtri Uſuardini annuntiationes; eas litteris Italicis in fine interacceſſiones computavit. Habet præterea: *Eodem die, tranſlatio beati Lamberti ab eccleſia ſanctæ Mariæ in cryptam, & ejuſdem cryptæ dedicatio in honore omnium Sanctorum.* Editiones poſteriores in fine legunt: *Die vigeſima tertia, ſanctorum decem martyrum in Creta.* Vide eorum nomina & Acta apud Surium. Sequitur de tranſlatione beati Lamberti &c. ut in editione prima. Tum: *Pariſiis, dedicatio baſilicæ.* &c. & de Childeberto, ut ſupra. Deinde: *Eodem die, Dagoberti regis Francorum.* Demum minoribus typis: *Civitate Brixinenſi, depoſitio beati Hermanni confeſſoris, ejuſdem civitatis epiſcopi, præclari in miraculis.* Vide Caſtellanum hoc die in Martyrologio univerſali, ubi *Hartemannus* vocatur. *De tranſl. Lamberti.* 10 *Martt. in Creta.* *Dagoberti.* *Hermanni.*

IX *Kal.*

IX *Kal.*

Die 24.

VIgilia natalis Domini. Apud Antiochiam Siriæ, natalis ſanctarum virginum quadraginta, quæ ſub Deciana perſecutione, per diverſa tormenta martyrium conſummaverunt. Apud Spoletum civitatem Tuſciæ, ſancti Gregorii martyris & presbyteri, temporibus Diocletiani & Maximiani imperatorum, qui primo fuſtibus nodoſis cæſus, ac deinde poſt craticulam & carcerem cardis ferreis in genibus percuſſus, ſed & ardentibus lampadibus per latera incenſus, tandem decollatus eſt. Civitate Tripoli, ſancti Luciani. *Vig.nat.D.* *Virgg.40.* *Gregorii.* *Luciani.*

Puri ſunt codices fere omnes, *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.* Accedit *Antverp-max.* cum omnibus ſuis ſociis. Plenus etiam eſt *Centulen.* qui ſi in decurſu ſic procederet, quemadmodum à IX Kalend. Januarii inchoatus eſt, merito inter puriſſimos codices Uſuardinos numeraretur.

VARIA LECTIO. Belin. à puris excludi merebatur, cum ſic incipiat: *Vigilia nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Plures codices hîc ſcribunt *Syriæ*, ſed cum ſibi non conſtent, nos cum antiquioribus, hîc ut alibi ſervamus *Siriæ.* In Max-Lubec. & Munerat. male impreſſum *Daciana*: non melius in Belin. *Datiana.* Rurſus Munerat. pro *Spoletum*, legit *Poletum.* Antverp-maj. Roſweyd. Belin. Greven. & Molan. videntur textum velle emendare, per *presbyteri & martyris*; at ſatis certum eſt, Uſuardum ab Adoniana phraſi non receſſiſſe; quæ proinde ex probatioribus codicibus à nobis ſervata eſt. Conſtructionem plane vitiavit Belin. legens, *cardis ferreis ignitis, incenſus, ſed & ardentibus lampadibus per latera percùſſus.* Quid per *cardos* intelligatur, docet Molani annotatio. Munerat. pro *Luciani*, ſcribit *Lucini.* Sphalmata codicum mediæ notæ non tam ſcrupuloſè expendi; in eo Adonem potius, quam Uſuardum ſequuntur, quod pro *natalis*, legant *nativitatis.*

OBSERVATIO. Quo antiquiora ſunt Martyrologia, eo rarior in ipſis cujuſcumque Vigiliæ commemoratio. De Kalendariis aut Sacramentariis hîc non loquor. Nullam in Hieronymianis reperire eſt. Apud Bedam paucæ occurrunt vigiliæ, &, quod mireris, in Rabano pauciores, utpote qui nullas notarit præter *vigiliam Epiphaniæ* & *vigiliam ſancti Joannis Baptiſtæ.* Qui autem Bedam ubique deſcribit, præfatus Rabanus, ibi vigiliam collocat, v. g. *Epiphaniæ*, ubi in Beda minime invenitur: hoc vero die vigiliam non ſignat, cum tamen Beda diſertè habeat: *Vigilia natalis Domini.* Eadem verba leguntur in Romano parvo, eadem in Noſtro; nec diſcrepat Viennenſis, niſi quod pro *natalis*, ſcribat *nativitatis*; in quo ipſum codices aliqui Uſuardini imitati ſunt. Wandelbertus metrice idem explicat, Vigiliam cum ſequentibus Virginibus ita conjungens: *Vig.nat.D.*

Nono venturæ cumulantes munera luci
Lumina, pervigileſque aras & templa paramus.
Virginibus quadraginta hic ſplendet quoque, cælo
Quæ dignam vitam voto & virtute dicarunt.

Porro *Virgines* illæ *quadraginta* notæ ſunt in apographis Hieronymianis, ex quibus ab Adone, ex hoc ab Uſuardo acceptas prorſus non dubito. Sic habet vetuſtiſſimus Epternacenſis: *Antiochiæ Syriæ, ſanctarum virginum numero* XL. Addit Lucenſis codex *Canonicarum*, eamque qualitatem ex conſimili aliquo codice in textum ſuum tranſtulit Rabanus. De Canonicabus hujuſmodi, verbo egimus in Obſervatione noſtra IX Aprilis; nec modo per Canonicas plus quidquam intelligi credimus, quam ſimpliciter *Virgines*, quas conſtat ab ipſo Chriſtianiſmi exordio caſtimoniæ ſuæ nitore Eccleſiam mirifice exornaſſe; ut propterea ad *Aſceteria* & *Gynæcea*, quod eſſet dicere ſanctimonialium monaſteria, recurrendum omnino non ſit. Nullo modo perſuadet Florentinius ex Euſebio, lib. 2 cap 17 Therapeutas & Therapeutrias Philonis deſcribente, nullo, inquam, modo perſuadet vir doctiſſimus, ante tempora Decii imperatoris ſanctimoniales virgines Chriſtianas, votis & clauſtro obſtrictas, in Eccleſia exſtitiſſe. Ne hîc longam diſceptationem ingrediar, verbo dicam; quamdiu quis manifeſte non evicerit Philonianos illos Therapeutas & Therapeutrias vere Chriſtianos fuiſſe, tamdiu aſceteria & *Virgg.* 40.

gynæcea ante Decii tempora, ut minimum incertiſſima manebunt. Conatus nuperus eruditiſſimi Monte-falconis ſatis everſus videtur in Ephemeridibus Trevoltianis anni MDCCXII à pag. 929. Hæc obiter dicta ſint, pluſa de his pridem ſolide diſputavit emeritus ſenex noſter Papebrochius, cujus Reſponſiones omnium manibus teruntur. Ad XL Virgines redeo, quæ abſque nota temporis ab Hieronymianis ſignatæ, ab Adone, neſcio an ſatis certò, *ſub Deciana perſecutione martyrium conſummaſſe* dicuntur. Omnia Adonis verba in textum noſtrum tranſlata ſunt; nec ſcio, Acta ulla earum Virginum ſupereſſe.

Gregorii. Dixi in Auctariis die præcedenti, *Gregorium* Spoletanum ibi à Rabano cum elogio celebrari, putatque Caſtellanus, ad eum diem potius pertinere. Nihilominus Romani parvi auctor, qui Virgines XL Antiochenas ignoravit, ita hoc die diſerte ſcribit: *Apud Spoletum, Gregorii presbyteri & martyris.* Inſignis hujus Martyris Acta, quibus ejus paſſio, ipſo fatente Tillemontio tomo 5 pag. 347, ſatis pulcre deſcribitur, in Suriana collectione edita ſunt. Talia, procul dubio, habuit Viennenſis, quorum compendium exhibet, tam circumſpectè à Noſtro abbreviatum, ut nullam criticis vellicandi anſam relinquat. In Auctariis diei XXII aſſeritur, Gregorii hujus corpus Coloniam Agrippinam tranſlatum fuiſſe. Repugnant populares Spoletani: ego, controverſiæ momentis nondum ſatis examinatis, litem indeciſam relinquo.

Luciani. *Lucianum* Tripolitanum non memorant ſoliti Uſuardi duces; memorant Hieronymiana apographa, ultimum ſemper Noſtri refugium. Expreſſiſſima eſt vetuſtiſſimi Epternacenſis annuntiatio, primo loco poſita: *In Tripoli, nataiis Luciani.* Conſonat codex Lucenſis, male pro *Tripoli*, ſcribens *Tropoli*: uterque vero ſequentes in eodem indiculo martyres *Metrobium*, *Paulum* &c. non Tripoli, ſed *Romæ* diſerte adſcribit. Fefellit Baronium Plantinianus Beda, aut id genus codex alius, diverſos martyres ſub una poſitione conjungens. De Luciano nihil hiſtorici, quod ſciam, ſupereſt. Interim ad omnimodam textûs noſtri puritatem nihil deeſſe cenſemus.

AUCTARIA.

PULSANEN. In duabus primis purus eſſet, niſi pro *Deciana perſecutione*, legeret *perſecutione Diocletiani.* Duas alias plane omiſit; quod in hoc codice novum non eſt.

BRUXELLEN. *Vigilia natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Apud Antiochiam Syriæ, natale ſanctarum Virginum quadraginta canonicarum, & aliorum*
Donati & Druſi. *duorum Donati & Druſi. Qui ſub Deciana* &c. De Gregorio inſerit, *ſub judice Flacco. Romæ,*
Metrobii & ſociorum. *natale ſanctorum martyrum Metrobii, Pauli, Zenonis, Temiſti & Luciani.* Sequitur annuntiatio ultima: *Apud Tripolim civitatem* &c.

HAGENOYEN. *Vigilia nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* In Virginibus Antiochenis & Gregorio Spoletano purus eſt. Sequitur: *Eodem*
Dagoberti cum elogio. *die, depoſitio ſancti Dagoberti regis Franciæ, qui vir per omnia bonus erat & Catholicus & defenſor pauperum; qui de bonis ſuis eccleſias ædificavit, & plures alias bonis ſuis ditans. Quem cum Deus mirabiliter probans & examinans, multa bella ſub eo concitavit, quæ tamen curialiter placavit, dans ei ſimiliter filiam ſurdam, cæcam & mutam, quam per beatum Florentium heremitam curavit, filiumque ejus mala morte mortuum, per beatum Arbogaſtum Argentinenſem epiſcopum ſuſcitavit.* Demum de Luciano, ſatis pure.

Textus contractus. MATRIC-CARTUS ULTRAJECT. *Vigilia. Apud Antiochiam, ſanctarum quadraginta Virginum, quæ diverſis tormentis paſſæ ſunt. Gregorii martyris. Sancti Luciani.*

Alnulphi pro Gregor. CASTRI-KAROLI. *Apud Spoletum civitatem Tuſciæ, ſancti Alnulphi martyris & presbyteri, temporibus Diocletiani & Maximiani imperatorum.* Puto manifeſtum eſſe, quod Gregorius noſter Spoletanus imperite hîc in *Alnulphum* tranſformatus ſit.

EDITIO LUBECO-COL. *Vigilia nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem.* Sequitur de Virginibus quadraginta pure. De Gregorio fuſe egit ſuperius XXII. De Luciano ſic habet: *Civitate Tripoli, ſancti Luciani confeſſoris.* Sequitur: *Treveris, in monaſterio, quod dicitur Horreum, depoſitio ſanctæ Irimninæ virginis,* *Irminæ cum elogio.*
quam pater ejus rex Franciæ Dagobertus, mortua matre, ſanctimonialem in illo loco fecit, & de horreo ſuo eccleſiam conſecrari fecit: monaſterium virginum conſtituit ac multis redditibus dotavit, ſuamque filiam, aliis ſacris virginibus in magiſtram præfecit, ubi & nunc in mauſoleo requieſcit. Vide de hac Irmina, annotationem Caſtellani: *Eodem* *Iſmineri.*
die, ſancti Iſmineri regis & confeſſoris.

GREVEN. *Abdiæ & Naum prophetarum. Romæ,* *Abdiæ &*
ſanctorum Metrobii, Pauli, Zenonis, Druſi, Saturni- *Naum.*
ni. Iſmineri regis & confeſſoris. In monaſterio Gladbach, ſancti Alberici heremitæ & confeſſoris Item *Metrobii &c*
Ilmeneri.
ſanctæ memoriæ Annonis primi, epiſcopi Colonienſis. *Alberici.*
Romæ, ſanctæ Tarſillæ virginis ſanctimonialis, amitæ ſancti Gregorii Papæ. Vide ſupra Nonis Januarii. *Annonis.*
Tarſillæ.
Treveris, in monaſterio, quod Horreum dicitur, depoſitio ſanctæ Irminæ virginis, filiæ Dagoberti regis. Quæ à patre prælata monaſterio virginum, quod ipſe de horreo ſuo conſtruxerat, multiſque redditibus dotaverat, plena ſanctis operibus quievit. Apollioniæ matronæ. *Irminæ.*
Apolloniæ.

MOLAN. Typis minoribus textui ſubjungit: *Theorithgid.*
In Anglia, ſanctæ Theorithgidæ virginis, diſcipulæ ſanctæ Edilbergæ, cujus cum magna laude meminit Venerabilis Beda in Chronico Anglorum. Romæ, *Tarſillæ.*
ſanctæ Tarſillæ virginis ſanctimonialis, amitæ ſancti Gregorii Papæ. Treveris, in monaſterio, quod Horreum dicunt, depoſitio ſanctæ Irminæ &c. Poſteriores editiones de Irmina ſic brevius: *Treveris,* *Irminæ.*
Horreo monaſterio, depoſitio ſanctæ Irminæ virginis, filiæ Dagoberti regis. Quem locum præfatus rex de horreo ſuo conſtruxerat, multiſq; redditibus dotaverat.

VIII. *Kal.*

VIII *Kal.* *Die* 25.

JESUS CHRISTUS FILIUS DEI IN BETHLEEM JUDÆ NASCITUR anno Cæsaris Augusti quadragesimo secundo, Olympiadis centesimæ nonagesimæ tertiæ. Eodem die, natalis sanctæ Anastasiæ sub Diocletiano imperatore, quæ pro confessione Domini diutinâ custodiâ macerata, dein cum ducentis viris & septingentis feminis ad insulas Palmarias delata, ipsa quidem igni, ceteri verò variis interfectionibus martyrium celebrarunt. Romæ in cimiterio Aproniani, passio beatæ Eugeniæ virginis, quæ tempore Galieni imperatoris, post virtutum insignia, post sacros virginum choros, pro Christo diu agonizans, novissimè gladio jugulata est. *Nativitat. D.N.J.C.* *Anastasiæ.* *Eugeniæ.*

Puros censeo *Herinien. Munerat. Greven.* & *Molan.* Accedit *Centulen.* sub initium codicis purissimus.

VARIA LECTIO. Binæ aut ternæ variationes sunt non magni momenti. Centulen. incipit *Filius Dei Jesus Christus* &c. & ad illa verba, *ipsa quidem igni, ceteri vero....* per oscitantiam scriptoris, *ceteri* male ponitur inter *quidem* & *igni*. In Molan. error est, dum in ultima annuntiatione post hæc verba *post sacros virginum choros*, interjicit, *sub Nicetio Urbis præfecto*. Gravior inter codices discrepantia est circa notas chronologicas, natali Domini appositas, nec satis certum est, quo modo Usuardus vere scripserit. Pratensis cum sociis Antverp-maj. & Rolweyd.; item Antverp. & Max-Lubec. cum aliquibus mediæ notæ codicibus, inter, *anno Cæsaris Augusti* XLII, & *Olympiadis* CXCIII, legunt, *hebdomada, juxta Danielis prophetiam*, LXVI. Ego postrema hæc verba ad textum pertinere non existimo, ductus auctoritate præcitatorum quinque codicum: movente præterea hac ratione, quod Usuardus Adonem contrahens, excludentque notam Urbis conditæ, quæ in Viennensi exprimitur, non videatur, aliam, apud antiquiores non repertam, de suo interposuisse. Sic equidem opinor, facile & ultro cessurus, siquis graviora momenta adduxerit. *De Praten. & alius cod.*

OBSERVATIO. De varia ratione celebrandæ solennissimæ festivitatis Natalis Domini, primis Ecclesiæ seculis, de ejusdem cum *Epiphania* seu *Theophania* confusione, deque id genus plurimis ad eam celebritatem spectantibus, fuse disputant Baronius, Florentinius aliique eruditissimi viri, ad quorum vel summa capita enumeranda, plures hîc paginæ non sufficerent. Ut nostra solum prosequamur; certo constat, ipso seculo IV & haud dubie multo citius, nativitatem Domini fixam fuisse ad XXV diem Decembris, ut evidenter probat Bucherii Kalendarium: VIII *Kal. Jan.*, *natus Christus in Bethleem Judæ*, cui Kalendaria alia & nota Sacramentaria consentiunt. Antiquissima Hieronymiana apographa idem habent paulo pluribus verbis: *In Bethleem, nativitas Salvatoris Domini nostri Jesu Christi secundum carnem.* Ad priorem phrasim magis accedit Beda: *Nativitas Domini nostri Jesu Christi*, quam Rabanus ad Hieronymianam denuo reduxit. Brevissime Romanum parvum: *Nativitas Domini secundum carnem.* Primus hæc ampliare voluit & chronologicis notis distinguere Martyrologus Viennensis, addendo annum Augusti, Olympiadum & Urbis conditæ; ac præterea firmissimam & verissimam pacem, censumque hominum ex senatus consilio describendum designans. Usuardum, Adoniana ad brevitatem suam contrahentem, putamus solas duas primas epochas accepisse, excluso anno Urbis conditæ, nullaque hebdomadum Danielis apposita mentione, ut habes supra in Variantibus. Aliæ temporum dimensiones ex calculo Septuaginta interpretum hodie adjectæ, in nullo codice repertæ sunt, in nullo Martyrologio, quod antiquius sit editione Belini, cujus textum in Auctariis suo loco dabimus. Wandelberti metricum elogium melius in fine collocabitur. *Nativitat. D.N.J.C.*

Antiquissimam, nominatissimam, celebratissimam *Anastasiæ*, tam in Oriente, quam in Occidente festivam venerationem clamant tum Kalendaria, Sacramentaria, Missalia, tum etiam Martyrologia, Menologia, aliique libri Ecclesiastici, passim & ubique notissimi; clamant exstructæ basilicæ, erectæ aræ, & quæcumque Sanctis fas est exhibere religiosi cultus monumenta: ut ferme de Chrysogono locuti sumus ad XXIV Novembris, ubi de Actis ea notavimus, quæ amborum passionibus applicanda sunt. *Anastasiæ.*

Tacta ibi controverſia de loco martyrii Chryſogoni, hîc operoſius moveri deberet, ſi de eo aliquid ſatis certi reperiretur, ad diſſipandas difficultates, quæ nec paucæ, nec facile ſolubiles objiciuntur. Non minus intricata ſunt, quæ de una vel pluribus Anaſtaſiabus, altera nempe vidua, cœlibe virgine altera, tertia demum incantatrice, vel potius pharmacolytria, perperam in unam confuſis, vel de una ſola in tres diverſas diſtracta, nimis fortaſſe ſcrupuloſe diſceptantur. Lego & expendo ſingula, at, ut dicam candide, nihil hactenus offertur, quo breviter, clare & nitide propoſitis argumentis, me plauſibiliter expediam, ſalva Romani Martyrologii auctoritate; ut proinde ſatius judicem hæc omnia loco proprio in Actis examinanda reſervari. Qui implexæ contentionis capita delibare tantiſper voluerit, adeat Tillemontium tomo 5 à pag. 713. Hîc ad rem noſtram ſolum obſervo, Anaſtaſiam hoc die in Hieronymianis Sirmii conſignari: *Et Sirmi, Anaſtaſiæ*: unde contra Florentinium, palam non fit, Sirmienſem *diverſam eſſe ab ea, quæ ſub Diocletiano gladio perempta, in omnibus fere Martyrologiis hac eadem die recolitur.* Liquet, Bedam, ex hoc Rabanum, & Adonem eadem Acta conſuluiſſe, imo poſtremum ex primo majorem elogii ſui partem deſcripſiſſe, Noſtrum vero ex Viennenſi totum articulum ſuum contraxiſſe, omiſſa in omnibus certa martyrii palæſtra, niſi in inſula Palmaria Anaſtaſiam & ſocios omnes coronatos velimus, vel cum Floro, Bedæ textui præmittamus, *In Sirmio.* At a reliquis plane diſſentit auctor Romani parvi, dum ſolus legit: *Romæ, Anaſtaſiæ.* Hæc pro textûs noſtri origine.

Eugeniæ. De *Eugenia* ejuſque Actis loquendum fuit XI Septembris, ubi occaſione Proti & Hyacinthi eorum fides & ſinceritas, præeunte Baronio, probata non eſt. Hîc in ſolis Martyrologiis hærebimus. Vetuſtiſſimum inclytæ in Eccleſia virginis, & ab Adelmo laudatæ, cultum demonſtrant Hieronymiana his verbis: *Et in cimiterio Aproniani, via Latina Romæ, paſſio ſanctæ Eugeniæ virginis*: vel brevius in Epternacenſi: *Romæ, ſanctæ Eugeniæ virginis.* Deeſt in Beda poſitio, ſic legente: *Et ſanctæ Eugeniæ virginis.* Ad quæ Rabanus longam ex notis Actis hiſtoriam adjunxit. In Romano parvo non aliud legitur præter, *Et Eugeniæ.* Adonis laudatio paſſionis locum reſtituit, reliqua non multis exornans; Noſter ex ipſa textum ſuum mutuatus eſt: per quæ manifeſte patet tota laterculi ad Uſuardum propagatio. Eſt apud Caſtellanum notula, quæ forte cuipiam non ſatis gravis videbitur. Reliquum eſt, ut tres noſtras annuntiationes ex Wandelberto metrice reddam:

Octavo ſervi dignatus ſumere formam
Errantemque hominem veniens revocare Creator,
Partu virgineo mortales induit artus.
Eugeniam quoque tum memoramus, Anaſtaſiamque,
Conſimili Chriſtum comitatas mente fideque.

AUCTARIA.

DE PRATEN. ANTVERP-MAJ. & ROSWEYD. dixi in Variantibus. Secundus codex in eo errat præterea, quod ſcribat *ducentis feminis.* Tertius vero aliud habet textûs initium, ſic incipiens: *Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem.*

De Nativit. TORNACEN. Poſt *quadrageſimo ſecundo*, ſic pergit: *Qui in divinitatis ſuæ potentia, & tempus nativitatis ſuæ prævidit, & matrem, per quam naſceretur, elegit; quæ de Spiritu ſancto concepit, & mater & virgo permanſit.* In duabus aliis commemorationibus, purus eſt.

PULSANEN. Sic habet: *In Bethlehem Judæ, nativitas Salvatoris noſtri Domini Jeſu Chriſti, ſecundum carnem*, XLII *anno Cæſaris Auguſti, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ, ab Urbe autem condita anno* DCCXL; *ſextam enim mundi ætatem ſuo piiſſimo conſecravit adventu. Eodem die, natalis ſanctæ Anaſtaſiæ.* Deſunt reliqua omnia.

ANTVERP. MAX-LUBEC. ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. & LEYDEN. In notis chronologicis conveniunt cum PRATEN. &c. Et præterea à puritate deficiunt, quod omittentes, *poſt ſacros virginum choros*, ſubſtituant, *ſub Nscecio Urbis præfecto.*

DANIC. Cum prioribus conveniret, niſi verba illa, *Jeſus Chriſtus filius Dei in Bethleem Judæ naſcitur*, in finem annuntiationis tranſpoſuiſſet.

LOVANIEN. Defectu laborat, totum ſanctæ Eugeniæ elogium prætermittens.

ALBERG. In principio, præcedentibus ſimilis, adjungit, *ab Urbe condita anno* DCCLII, pergitque ex Adone, *firmiſſima veriſſimaque pace toto orbe, ordinatione Dei, à Cæſare Auguſto compoſita, Quyrinus ex conſilio ſenatus in Judæam miſſus, cenſus hominum poſſeſſionumque deſcribebat: ſextamque mundi ætatem ſuo piiſſimo conſecravit adventu.*

BRUXELLEN. Incipit: *In Bethleem Judæ, nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti filii Dei, ſecundum carnem, anno Octaviani Cæſaris Auguſti* XLII. *Qui ſextam mundi ætatem* &c. *De Nativit.* De Eugenia poſt *ſacros virginum choros, quos Chriſto aggregaverat*, addit, *alligata ſaxo & præcipitata in Tyberim, mergi non potuit: inde thermis ignitis incluſa, illæſa reperta eſt: noviſſime autem ſub Nycecio Urbis præfecto, pro Chriſto diu agnonizans, in cuſtodia gladio jugulatur.* *De Eugenia.* In Anaſtaſia magnam partem elogii Adoniani deſcribit, in fine ſubdens: *Et hujus ſanctæ Anaſtaſiæ, cotidie fit memoria in Canone Miſſæ.* *De Anaſtaſ.*

HAGENOYEN. De Nativitate, aliqua ex Euangelio, more ſuo, corradit. Sequuntur duæ Eugeniæ, de quarum prima, ſic legit: *Romæ, paſſio ſanctæ Eugeniæ virginis, filiæ Philippi, præſidis Alexandriæ, quæ ſub ſpecie viri monaſterium viro-* *Eugeniæ duplicatæ.*

rum

rum ingreditur, & Deo fideliter ſervivit, & tandem abbas efficitur, & de fornicatione accuſatur coram patre proprio; & ſcidit veſtem, mulierem ſe oſtendens, patrem, matrem, fratres & plures alios ad fidem convertens. Tandem Romæ redit, & multas ad Deum virgines convertit; in domo propria decollatur. Tum: *Item Romæ in cymiterio Apronianı* &c. textum hodiernum refert. De Anaſtaſia ſtylo magis barbaro reddit, quæ in Adone elegantius ex Actis adornata ſunt.

AQUICINCTIN. Sic de natali Chriſti notat, qui codicem illum cum ſecunda MOLANI editione contulit: *Poſt memoriam natalis Chriſti, meminit olei, quod tota nocte fluxit Romæ trans Tyberim.*

MATRIC-CARTUS ULTRAJECT. *Nativitas Chriſti. Anaſtaſiæ virginis & martyris. Eugeniæ virginis & martyris, nobilis genere, quæ diu in habitu virili, pater monachorum exiſtens, Deo ſervivit.*

Textus contractus.

EDITIO LUBECO-COL. In prima, ſimilis eſt *De Anaſtaſ.* ALBERG. Tum ſic proſequitur: *Apud Illyricum, paſſio ſanctæ Anaſtaſiæ martyris, ſub Diocleciano imperatore. Quæ pro confeſſione Domini, diutina cuſtodia à viro ſuo Publio perpeſſa eſt ac macerata, beati tamen Chryſogoni epiſtolis & exhortationibus eſt conſolata, ac confortata. Mortuo marito poſt longam incarcerationem ſub Illyrico præfecto* &c. Vide hæc melius in Adone. In ultima annuntiatione idem inſerit quod habet MOLAN. citatus ſupra in Variantibus.

BELIN. Sic primus initium format: *Anno à creatione mundi, quando in principio Deus creavit cælum & terram, quinto milleſimo centeſimo nonageſimo nono, qui annorum numerus complebatur in proximo ſequente menſe Martii, ejuſdem menſis die vigeſimo, in illa enim die creatus eſt mundus. A diluvio vero, anno ſecundo milleſimo nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo, qui numerus complebatur decima ſeptima die ſequentis Aprilis. A nativitate Abraæ, anno ſecundo milleſimo quinto decimo. A Moyſe & egreſſu populi Iſraël de Egypto, anno milleſimo quingenteſimo decimo. Ab excidio Troiæ, anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono. Ab unctione David in regem, anno milleſimo trigeſimo ſecundo. Olimpiade centeſima nonageſima tertia. A prima autem Olimpiade, anno octingenteſimo. Ab urbe Roma condita, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo. Hebdomada ſexageſima tertia, juxta Danielis prophetiam, ſcilicet anno quadringenteſimo quadrageſimo vel circa. Anno imperii Octaviani quadrageſimo ſecundo. Sexta mundi ætate, januis clauſis, toto orbe in pace compoſito, Chriſtus Jeſus æternus Deus, æternique patris filius, mundum volens ſuo adventu piiſſimo conſecrare, de Spiritu ſancto conceptus, novemque poſt conceptionem decurſis menſibus, hîc dicitur alta voce, In Bethleem Judæ naſcitur ex Maria virgine factus homo; hic autem altius & in tono paſſionis: Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem.* Sequitur de Anaſtaſia, textu ex Adone nonnihil interpolato. In Eugenia inſerit ſicut MOLAN. vel potius hîc ex altero accepit, de præfecto Urbis, quem hic male *Nicenum* appellat. Secunda editio ſuperaddit: *Gordana caſtro, ſancti Romuli confeſſoris.* Et hoc tranſumpſit MOLAN.

Longa epocharum ſeries.

Romuli.

GREVEN. *Nota, Salvator noſter natus hebdomada juxta Danielis prophetiam ſaxageſima ſexta, ab Urbe autem condita anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, compreſſis cunctarum per orbem terræ gentium motibus, firmiſſima pace à Cæſare Auguſto compoſita, quando Quirinus ex conſilio ſenatus Judæam miſſus, cenſus hominum poſſeſſionumque deſcribebat: ſextam mundi ætatem ſuo piiſſimo conſecravit adventu. Item inter ſocios beatæ Anaſtaſiæ paſſus eſt quidam, ut Ado dicit, nomine Euticianus innocentiſſimæ naturæ, qui quotieſcumque fuiſſet auditus, quotieſcumque interrogatus, nihil aliud dicebat, quam, Chriſtum mihi nemo tollet, etiam qui caput abſtulerit. Eodem die caſtro Gordiano, ſancti Romuli confeſſoris. In Bethleem, beatæ Charitatis abbatiſſæ. Charitonis abbatis, & omnium fratrum ſuorum ſimul migrantium.*

De Nativit.

Euticiani.

Romuli.

Charitatis

Charitonis.

MOLAN. Litteris Italicis textui præmittit ex BELIN. longam epocharum ſeriem ſupra deſcriptam, ſed notat in margine: *Hæc calculatio eſt valde mendoſa, uſque ad calculum ab Urbe condita.* In fine ex eodem BELIN. *Gordano caſtro, ſancti Romuli confeſſoris.* Vide Martyrol. Caſtellani. In editionibus poſterioribus, nihil adjectum eſt.

Romuli.

VII *Kal.*

Die 26.

APud Hieroſolimam, natalis ſancti Stephani protomartyris, qui à Judæis non longe poſt paſſionem Chriſti lapidatus eſt, eodem ſcilicet anno Aſcenſionis ipſius. Hujus venerabile corpus tempore Honorii principis divinâ revelatione repertum eſt. Romæ via Appia, depoſitio ſancti Dioniſii Papæ, qui fidei documentis ſub Claudio imperatore clarus effulſit. Eodem die, ſancti Marini clariſſimi viri, qui martyrii triumphum ſub imperatore Martiano Romæ adeptus eſt.

Stephani.

Dionyſii.

Marini.

Sic habent *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.* Item *Antverp-max. Ultraject. Leyden.* & *Lovanien.* nec non *Centulen.*

VARIA LECTIO. Diverſos ſcribendi modos in *Hieroſolymam, protomartyris, via Appia, Dionyſii* &c. non enumero. Antverp-maj. pro *paſſionem Chriſti*, legit *paſſionem Domini.* In Greven. poſt *aſcenſionis*, deeſt *ipſius.* Non tam male ſcripſit Centulen. *clarus refulſit*; ſed pejus in Antverp. & Max-Lubec. *effulxit*, præter alia typographica menda, quæ in poſteriori reperiuntur. *Martiano*, vel *Marciano* eódem recidunt; non

ita

ita *Martiniano*, in Antverp. & Max-Lubec. Ultraject. & Leyden., multo minus *Maximiano* in Antverp-max. & Lovanien. Nec rem explicant ſuppoſita his aliorum imperatorum nomina, cum in Actis Mombritianis, *Martianus*, abſque dignitatis titulo referatur, paſſione tota tam incredibilem in modum exornata, ut difficillimum ſit veriſimilitudinem ex ipſa eruere.

Stephani. OBSERVATIO. Diffiteri non poſſumus, varias eſſe inter eruditos de ſanctiſſimi *Protomartyris* natali, inventione & tranſlatione opiniones, ut non obſcure oſtenſum eſt ad diem III Auguſti, quo in Martyrologiis, ejus inventio recolitur, tametſi ex Luciani relatione, eam factam conſtet XIX Decembris. Hinc aliqui non inveriſimiliter deducunt, hodiernam feſtivitatem tranſlationi primæ, ex antiquo ad novum ſepulcrum, aptari commodiſſime poſſe. At vero quantumcumque hæc probabilia eſſe clamites, inficiari nequis, veriſimilitudinem illam graviſſima auctoritate elidi, ex receptiſſima totius Eccleſiæ ſententia, quæ hunc diem à ſancti Auguſtini ætate, ut verum inclytiſſimi Stephani natalem ſeu martyrii aut ſepulturæ diem conſtantiſſime celebravit. Probat id Kalendarium Carthaginenſe, probant Kalendaria alia & Sacramentaria edita, probant Martyrologia noſtra, inter quæ vetuſtiſſima Hieronymiana, ita apud Florentinium diſertiſſime legunt: *In opido Jeroſolymitano, villa Caphargamala, paſſio ſancti Stephani, primi martyris, diaconi & apoſtoli, qui lapidatus eſt à Judæis.* Brevior eſt ſolius Epternacenſis annuntiatio, ſed cum tribus aliis ſatis conſonant, quæ habet Rabanus, Hieronymianos codices hîc magis quam Bedam ſecutus, in quo ſolum legitur: *Natale ſancti Stephani protomartyris.* Flori elogium nihil ad nos attinet. Seriei noſtræ ductor Romanum parvum, non potuit brevius rem exponere, ſic de ſolo Stephano hodie loquens: *Stephani protomartyris.* Eſt inter Apoſtolorum feſtivitates paulo longior de Stephani paſſione narratio, verum Uſuardus Adonis Martyrologium conſuluit, ex quo, ſi non verba, ſaltem elogii ſui ſenſum mutuatus eſt, de inventione aliqua adjiciens, quæ ad III Auguſti ſatis erant explicata. Nulli Sancto illuſtriora Acta obtingere potuerunt quam noſtro Protomartyri, utpote quæ à Spiritu ſancto dictata ſunt; nullius ferme reliquiæ per totam Eccleſiam ita diſperſæ, nullius certe tot prodigiis, tot certiſſimis miraculis ab Auguſtino aliiſque ſanctis Patribus celebratæ. His aliæ ſuperaddit Motherii notula. Verbo, tanta ſemper fuit in orbe Catholico Stephani gloria, ut nihil ei accedere poſſe videatur. Multa de his omnibus in Actis colligi poterunt, quæ in anteceſſum à Tillemontio ordinata ſunt, ſub tomi ſecundi initium. Sequatur hîc metrica Wandelberti laudatio:

Septima hinc Stephano levita & martyre primo
Excellet, natum regem paſſumque beata
Qui vita atque fide, pugna eſt & morte ſecutus.

Dionyſii. *Dionyſius Papa*, non hoc., ſed ſequenti die ab Adone ſignatus eſt, diverſiſſima phraſi ab ea, quam in textu hodierno Noſter expreſſit, quæque talis eſt, ut fere de quolibet Romano Pontifice affirmari queat. Cur ab anteſignano receſſerit, unde ſua habuerit Uſuardus, quærere ſuperſedeo. Dubius videtur obitus vel depoſitionis dies; nam in vetuſtiſſimo Kalendario Bucheriano ponitur: VI *Kal. Januarias, Dionyſi in Calliſti.* Contra vero in Hieronymianis hoc die refertur: *Romæ, depoſitio S. Dionyſii*; vel ut eſt in Epternacenſi: *Et depoſitio Dionyſii epiſcopi.* Pro die XXVI Decembris pugnat Tillemontius tomo 4 pag. 671, ubi & alia tangit ad Dionyſium ſpectantia. De hoc ſancto Pontifice pluribus egit Baronius in Annalibus; hîc vero in Notatione fontes aſſignat, unde ejus geſta derivari poſſint: in textu vero Martyrologii Romani ſtudioſe expunxiſſe videtur laudatus Baronius tempora *Claudii imperatoris*, quæ nihilominus ab Uſuardo non male ſignata erant, ſi Claudius, pro ſecundo vel *Gothico*, accipiatur. Dionyſii vitæ ſeriem ſatis nitidam concinnavit Tillemontius citato tomo 4 à pag. 341.

Marini. Qui tertium in laterculo locum occupat *Marinus*, martyr Romanus, ſolius Uſuardi eſt, nulli antiquorum Martyrologorum uſquam cognitus. Non divino, unde ejus notitia ad Noſtrum pervenerit; ſed video, impurum & lutoſum fontem eſſe oportuiſſe, ex quo Marinus *triumphum ſub imperatore Martiano Romæ adeptus* fuiſſe dicatur. Mutata non ſemel in Romano fuit tyranni appellatio, ut obſervat Caſtellanus; neque vero ex Actis apud Mombritium, ullum occurrit veſtigium, ex quo ad Carini potius aut Numeriani, quam ad alterius cujuſlibet ethnici imperatoris tempora Marini hiſtoria revocetur, quæ de cetero tot portentis contexta eſt, ut lectorem etiam maxime credulum, de geſtorum veritate, ut minimum dubitare compellat: Tillemontius non veretur tomo 4, pag. 568, ut purum putum commentum rejicere. Noſtrum erit ſuo loco diſpicere, an ſaltem rei ſubſtantia incredibilibus & male digeſtis prodigiis utcumque ſpoliata, ad hiſtoricam veriſimilitudinem reduci non poſſit.

AUCTA-

AUCTARIA.

DeStephano. TORNACEN. Hîc rurſus defectu laborat, omittens elogium Dionyſii.

PULSANEN. Sic habet de Stephano: *Qui non multo poſt aſcenſionem Domini, ab Apoſtolis, cum eſſet plenus fide & Spiritu ſancto, diaconus eſt ordinatus, atque eodem anno, quo & Chriſtus paſſus, à Judæis eſt lapidatus.* Caret tota annuntiatione Dionyſii; in Marino autem elogium expunxit, poſt *clariſſimi viri.*

MUNERAT. Stephani elogium interpolavit, poſt *aſcenſionis ipſius*, inſerens *menſe Auguſti*: & inter *revelatione* ac *repertum*, ponit *hodie*; ſubjungens deinde: *Quæ feſtivitates, ut Doctores aſſerunt, & tradunt hiſtoriæ, pro cauſa tranſlatæ ſunt.* Vide de his Obſervationem.

De Dionyſ. ALBERG. & DANIC. De Dionyſio, poſt *effulſit*, addunt: *Hic eccleſias & parochias preſbyteris diviſit, & dyoceſes conſtituit.* Quæ ex Adone accepta ſunt, ſicut & ſequens annuntiatio de Zoſimo Papa, quæ neſcio cur ab Uſuardo prætermiſſa ſit. Sic habent: *Item Romæ, ſancti Zoſimi Papæ, qui poſt beatum Petrum* XLIII, *conſtituit cereum benedici in ſabbato Paſchæ.* Vide Adonem ipſum, atque una ſtatue, an recte à Caſtellano in Martyrol. univerſali appoſita ſit hæc Zoſimo notula, *abſque traditione cultus.*

Zoſimi.

DeStephano. BRUXELLEN. *Apud Jeroſolimam, via Gaphargamala, natale beati Stephani prothomartyris; qui non multo poſt aſcenſionem Domini ab Apoſtolis diaconus eſt ordinatus, atque eodem anno, quo Chriſtus paſſus eſt, ipſe à Judæis lapidatus,* III *Nonas Auguſti, quando inventio ſua celebratur, quæ tamen inventio hac die facta eſt, qua paſſio ejus agitur. Cujus ſiquidem paſſionis celebritas ad hunc diem tranſlata eſt, tum quia dignior, tum quia decuit primum martyrem poſt Chriſtum, primo poſt ipſum poni.* Vide

De Dionyſ. Obſervationem. De Dionyſio, præter ea, quæ ex ALBERG. &c. retulimus, ſuperaddit; *mandans, ut ſinguli ſuis terminis eſſent contenti, & alienos non uſurparent.* In Zoſimo etiam convenit cum

Zoſimi. ALBERG. &c. niſi quod omittat, *poſt beatum Petrum* XLIII. In Marino purus eſt. Sequitur in

Juliani & Marciani. fine: *In Antiochia, ſanctorum Juliani & Marciani martyrum,*

HAGENOYEN. Hiſtoriam more ſuo de Stephano componit, quam longe melius ex Actibus Apoſtolorum deſcripſiſſet, addens aliqua de inventione &c. quæ ſatis conveniunt cum dictis in codice præcedenti. Pergit: *Romæ, natale beati*

De Dionyſ. *Dionyſii Papæ & martyris. Hic cymiteria & parochias in urbe Roma diviſit, & alibi obſervari præcepit, & unicuique jus proprium ſtatuit, mandans, ut ſinguli terminis ſuis contenti eſſent, & alienos terminos non uſurparent; & ſingulis parochiis ſingulos ſtatuit ſacerdotes, & paſſus eſt ſub Valeriano imperatore.* In ultima, ſatis purus eſt.

De Dionyſ. AQUICINCT. Poſt *effulſit*, ſubdit: *Hic eccleſias dedit preſbyteris, & parochias diœceſis dedit atque conſtituit.* In fine autem: *Item Romæ, Zozimi Papæ. Hic conſtituit, ut diaconi leva tegerent pallia.* Vide annotationem MOLANI in fine. Zoſimi.

Textus contractus. MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. Sic textum contrahit. *Stephani prothomartyris. Marini vel Mariani martyris clariſſimi. Dionyſii Papæ & confeſſoris.* Antiquum obtinet.

Urſini. Perpetui. CAMBERIEN. Huc retrahit Sanctos, qui ad hunc diem non pertinent. *Bituricas, ſancti Urſini epiſcopi. Ipſo die, beati Perpetui pontificis.* Vide XXIX & XXX Decembris.

Zoſimi. VATICAN. ſignatus num. 5949. Deſunt annuntiationes Dionyſii & Marini. Adjicitur: *Romæ, Zoſimi Papæ & confeſſoris, qui ſedit in epiſcopatu anno uno.*

Ebrulfi. Urſi. ALTEMPS. *In pago Oxonienſi, ſancti Ebrulfi epiſcopi. Bituricas civitate, ſancti Urſi epiſc. & conf.*

FLORENTIN. *Romæ, ſancti Zoſimi Papæ.....*

DeStephano. EDITIO LUBECO-COL. De Stephano, textui inſerit: *Cum eſſet plenus Spiritu ſancto, ab Apoſtolis diaconus eſt ordinatus, atque eodem anno, videlicet aſcenſionis ipſius, lapidatus eſt, cujus beatiſſimam paſſionem nobis declarat beatus Lucas in Actibus Apoſtolorum. Hujus venerabile* &c. Sequitur:

De Dionyſ. *Romæ via Apia, depoſitio ſancti Dionyſii Papæ & martyris, qui ſedit in epiſcopatu annos ſex. Hic eccleſias & parochias, & cimiteria conſtituit, & unicuique, ut proprium ſtatuit, mandans, ut ſinguli terminis ſuis contenti eſſent, & alienos non uſurparent, & diœceſes ſimiliter conſtituit. Qui fidei* &c. Et poſt *effulſit*; *ſepulcus eſt in cimiterio Calixti.* Tum:

Zoſimi. *Item Romæ, natale ſancti Zozimi Papæ & confeſſoris, qui ſedit uno anno. Hic poſt beatum Petrum quadrageſimus tertius, conſtituit cereum benedici in ſancto ſabbato.* In Maurino, ſatis pura eſt.

BELIN. Puritati proxima eſt utraque editio, ſolum de Dionyſio, poſt *effulſit*, adjiciunt: *Hic eccleſias & parochias presbyteris diviſit, & dioceſes conſtituit.* Ex Adone, ut ſupra.

Anaſtaſii. Juliani &c. Zoſimi. GREVEN. *Apud Conſtantinopolim, ſancti Anaſtaſii. In Antiochia, ſanctorum Juliani & Marciani. Romæ, Zozimi Papæ & confeſſoris, qui poſt beatum Petrum quadrageſimus tertius, ſedit anno uno, conſtituitque cereum benedici in ſabbato ſancto. Apud*

Abundantiæ *Spoletum, Habundanciæ, ſanctæ matronæ, quæ beatum Gregorium ſepelivit.*

Zoſimi. MOLAN. Sic habet: *Eodem die, Zoſimi Papæ. Hic poſt beatum Petrum quadrageſimus tertius, conſtituit cereum benedici in ſabbato ſancto.* Tum minoribus typis: *Romæ, ſancti Theodori Manſionarii*

Theodori. Spei abb. *ſancti Petri, de quo beatus Gregorius Dialog. libro 3. Item, ſancti Spei abbatis & confeſſoris, in Nurſia, de quo beatus Gregorius Dialogorum lib 4 cap. 10.* Notabis in principio poſt *Heroſolymam*, litteris curſivis interjici *Caphar Gamala* ex Hieronymianis. Idem habent editiones poſteriores, in quibus poſt Zoſimum, ſolum additur: *Die vigeſima*

Euthymii. *ſexta, ſancti martyris Euthymii, epiſcopi Sardeorum.*

VI *Kal.*

Die 27.

Joannis Euangel. APud Epheſum, natalis beati Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui poſt exilii relegationem, poſt Apocalypſis divinæ revelationem, poſt Euangelii deſcriptionem, uſque ad Trajani principis tempora perſeverans, totius Aſiæ fundavit rexitque eccleſias. Et

confectus ſenio, ſexageſimo octavo poſt paſſionem Domini anno, ætatis autem ſuæ nonageſimo nono mortuus eſt, ac juxta eamdem urbem ſepultus. Alexandriæ, ſancti Maximi epiſcopi: qui ſatis clarus & inſignis de titulo confeſſionis effectus eſt.

Maximi.

Sumitur textus ex *Praten. Herinien. Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. Belin. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Multa ſunt in impreſſis typographica ſphalmata, nec pauciora in codicibus menda ſcriptoria. De *Johannis, aput, eandem, Ewangeliſtæ, Aſye* &c. alibi dictum eſt, hîc quaſi propria *Apocalipſis*, & *apochalypſis*. Notabilior variatio eſt in Munerat. qui ſcribit *Euangelii revelationem*. Roſweyd. ſignatos annos peſſime contraxit poſt *eccleſias*, legens: *Et confectus ſenio, nonageſimo nono anno mortuus eſt*. Antverp-maj. poſuit, *nonageſimo & octavo migravit*. Herinien. & Munerat. interponunt *& nono*. Belin. pro *eccleſias*, utitur ſingulari, *eccleſiam*, & ſequentia ſic connectit, *poſt paſſionem Domini anno autem ætatis*. Idem etiam ſupra *Apocalypſis divinæ revelationem*, poſuit tertio loco, poſt *Euangelii deſcriptionem*. Omnes legunt *de titulo confeſſionis* excepto Munerat. in quo *è titulo* &c.

OBSERVATIO. Joannem, cognomento & antonomaſticè *Theologum*, inter Euangeliſtas *Aquilam*, variis diebus, non apud Græcos ſolum, ſed etiam apud Latinos cultum olim fuiſſe, ex ſolis Hieronymianis codicibus manifeſte patet; nam XXV Maii legunt: *In Epheſo, Joannis Apoſtoli*; ad quæ rectiſſime advertit Florentinius, *incertum eſſe, quo die ſanctus Joannes Euangeliſta Epheſi tranſlatus fuerit vel obdormierit*. Alia feſtivitas ponitur XXIV Junii: *In Epheſo, ſancti Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ*. In Epternacenſi eſt, *receptio Joannis*, in Lucenſi, *natalis Joannis* &c. Sed de qua ſolennitate hæc æque ac priora intelligenda ſint, nemo eſt, qui ſatis veroſimili conjectura aſſequatur. Nullibi clarius loquuntur Hieronymiani, quam hoc die, cujus textum totum ſubjicio: *Aſſumptio ſancti Joannis Euangeliſtæ apud Effeſum, & ordinatio ſancti Jacobi, fratris Domini, qui ab Apoſtolis primus ex Judæis Hieroſolymis eſt epiſcopus ordinatus, & medio Paſcha martyrio coronatus*. De Aſſumptione vel dormitione, vita vel morte Joannis, aliiſque ſatis ſpinoſis in hac materia controverſiis, hîc pluribus diſputare non vacat, videatur Exercitatio Florentinii à pag. 123, cui & præfatam Jacobi ordinationem explicandam ſubjungit à pag. 144, ubi multa ſatis accurate diſcuſſa inveniet curioſus lector, quæ brevitati noſtræ aptari prorſus nequeunt. De Joannis martyrio egimus cum Eccleſia Catholica VI Maii, hîc cum eadem, natalem Euangeliſtæ hoc XXVII Decembris recoli, certo exiſtimamus, credimuſque feſtivitatem illam in Kalendario Carthaginenſi ipſomet die plane deſignari, licet ibi habeatur, VI *Kal. Jan. ſancti Joannis Baptiſtæ, & Jacobi Apoſtoli, quem Herodes occidit*. Ratio ſatis probabilis eſt, quod cum in eo Kalendario Sanctorum nomina repeti non ſoleant, Baptiſta autem proprio loco VIII Kal. Julii diſerte ponatur, veroſimile non ſit, Prodromum cum Jacobo, ſed potius Euangeliſtam Joannem conjunctum fuiſſe, quemadmodum ex Hieronymianis jam oſtendimus. Pro hodierno natali militant reliqui Martyrologi omnes, in quibus Jacobus proprio etiam feſto aſſertus eſt. Clara ſunt Bedæ verba: *Natalis ſancti Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, dilecti Domini*. Nihil habet Flori elogium, quod magnopere obſervari mereatur. Rabanus totum ſuum textum ex Hieronymianis deſcribere maluit, quam ex Beda. Romanum parvum, more ſuo paucis: *Joannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, apud Epheſum*. Panegyrim aliquam compoſuit Viennenſis inter Feſtivitates Apoſtolorum, ex qua & ex Martyrologii indiculo, brevius ſuum encomium Noſter adornavit. Hæc inſtituti hujus noſtri propria ſunt: plura diligenter annotavit Baronius, ſeriem vero totius vitæ & geſtorum diſpoſuit Tillemontius tomo I a pag. 330, per duodecim articulos, notis novemdecim illuſtratam à pag. 600; cum quibus conferri poterunt, quæ à Surio edita ſunt, quæque apud nos exſtant de S. Joanne varia manuſcripta & etiam typis edita. Locum hîc ſuum habeat metrica Wandelberti oratio:

Joannis Euangel.

Dilectus Domini, Verbi inſpectorque divini,
Pectore de Chriſti fontem qui haurire perennem
Promeruit, ſextum ſancit luſtratque Joannes.

Die præcedenti monuimus, Dionyſium Papam hoc die ab Adone memorari, ejuſque locum in pridiano laterculo occupare Papam Zoſimum. De *Maximo* Patriarcha Alexandrino, ſeorſim nullibi meminit Viennenſis, nec apud ullum alium Martyrologum ſignatum reperi. Agitur quidem aliqualis ejus memoria apud Adonem in elogio Alexan-

Maximi.

Alexandrini Dionyſii XVII Novembris, ubi ex Rufino lib. 7 cap. 10, egregii ejus pro fide labores referuntur; atque hinc mihi ſuſpicio oboritur, ex eo loco eductum eſſe ab Uſuardo Maximum, qui ibi quidem tantum ut *presbyter* celebratur, ſed cum fontem ipſum facile accedere potuerit ipſe, ibidemque Rufini ſeu Euſebii verba legere, quibus aſſerit, *Maximum, quem presbyterum nominaverat, ipſi Dionyſio apud Alexandriam ſucceſſiſſe in epiſcopatu*, ſic etiam facile titulos combinare, elogium aptare, ac diem hunc pro arbitrio aſſignare potuit. Si præterea verum obitûs diem quæras; ex Chronologia noſtra Alexandrina ſatis conſtat, non XXVI Decembris, ſed IX Aprilis vivere deſiiſſe. Vide paucula, quæ ibi in ejus laudem collegimus pag. 32 num. 171. Non placet Caſtellani obſervatiuncula, qua Maximum ſeculo primum IX hoc die notari cœpiſſe ait, ob ſucceſſoris Theonæ pervigilium, quaſi neſcierit vir eruditiſſimus, Theonam ab Uſuardo ejuſque ducibus recoli XXIII Auguſti: cum de cetero certum obitûs diem putemus, non XXVIII Decembris (ut hîc ſupponit Caſtellanus) ſed veroſimilius III Januarii, ut alibi demonſtrare conati ſumus.

AUCTARIA.

TORNACEN. In prima purus, deficit hîc iterum in alterius elogio.

De Joanne PULSANEN. Incipit: *Natale ſancti Johannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, dilecti Domini.* Quæ ferme Bedæ verba ſunt. Pergit: *Hic poſt* &c. Sed contractè. De Maximo, nihil.

Zoili. ANTVERP-MAX. cum ſociis textui adjicit: *In partibus Aquilegiæ, ſancti Zoili* [aliqui *Zoëli*] *presbyteri & confeſſoris. Hic cum beatum Chryſogonum ſepeliſſet, eodem ſibi apparente, trigeſimo die paſſionis ſuæ perrexit ad Dominum.*

CENTULEN. In textu puriſſimus, ſubdit: *Aquilegiæ, ſancti Zoyli presbyteri & confeſſoris.*

De Joanne. BRUXELLEN. *Natale ſancti Johannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, dilecti Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui poſt exilii* &c. uſque ad *eccleſias.* Tum pergit, *& confectus ſenio, ipſe Chriſto junior annis duodecim, ætatis ſuæ anno nonageſimo nono, & poſt paſſionem Chriſti, anno ſeptuageſimo octavo, nullo dolore gravatus in Epheſo requievit, octavo Kalendas Julii, in nativitate beati Johannis Baptiſtæ, ſed ceſſit ei, quo inter natos mulierum major non ſurrexit, & tranſlatum eſt feſtum ejus ad hanc diem terciam nativitatis Chriſti, ut omnes comites ſuos haberet ſponſus, qui candidus eſt & rubicundus.* Non magna auctoritate hæc nituntur. Sequitur: *Eodem die,*

De Jacobo. *ordinatio epiſcopatus ſancti Jacobi fratris Domini. Qui ab Apoſtolis primus ex Judæis Jeroſolymis eſt epiſcopus ordinatus, & medio Paſcha martyrio coronatus.* In Maximo codex purus eſt. In fine autem adjungit: *In partibus Aquilegiæ, natale ſancti Zoili* &c. ut

Zoili. ANTVERP-MAX. ſupra.

De Joanne. HAGENOYEN. Magnum habet de Joanne elogium, cujus hîc partem ſubjicio: *Apud Epheſum, natale beati Johannis Apoſtoli & Ewangeliſtæ, qui filius fuit materteræ Jeſu Chriſti, & frater Jacobi majoris. Qui dum nubere vellet, à Domino de nuptiis vocatus eſt, & ideo à Domino ad omnia ſecreta ſua admiſſus eſt* &c. In Maximo etiam purus *Zoili.* eſt, & de Zoilo habet ut præcedens.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJ. *Joannis Euangeliſtæ. Maximi epiſcopi & confeſſoris.*

VATICAN. ſignatus num 5949. Hoc die codex iſte plane Adonianus eſt, nam Maximo prætermiſſo, Dionyſium Papam reſtituit.

REMENS. SS. Timoth. & Apoll. Zoilum, ſuperius presbyterum, in epiſcopum transformat hic codex: *In partibus Aquileiæ, ſancti Zoëli epi-* *Zoëli.* *ſcopi & confeſſoris.*

De Joanne. EDITIO LUBECO-COL. Poſt *eccleſias*, de Joanne ſic interierit: *Et confectus ſenio, ſciens ſuperveniſſe diem receſſûs ſui, convocatis diſcipulis ſuis, per multa ſignorum experimenta premens Chriſtum, deſcendens in defoſſum ſepultura ſuæ locum, facta oratione obiit, tam extraneus à dolore mortis, quam à corruptione carnis inventur alienus; poſt paſſionem Domini ſexageſimo octavo* &c. De Maximo *Zoili.* & Zoilo, eadem habet, quæ ſupra.

De Jacobo. GREVEN. *Eodem die, ordinatio epiſcopatus ſancti Jacobi fratris Domini. Zoili presbyteri & confeſſoris, qui cum ſanctum Criſogonum ſepeliſſet, eodem ſibi apparente, tricesimo die paſſionis ejus, ad* *Zoili.* *Aſpalianæ.* *Dominum perrexit. Aſpalianæ virginis. Claudiæ,* *laudatæ.* *matris ſanctæ Eugeniæ. Patronæ, ſanctæ matronæ.* *Patronæ.* *Fabiolæ, matronæ ſanctæ, à beato Hieronymo laudatæ.* *Fabiolæ.*

Zoëli. MOLAN. *In partibus Aquileiæ, ſancti Zoëli presbyteri & confeſſoris, qui in paſſione beati Chryſogoni legitur.* Tum minoribus typis ex GREVEN. hanc annuntiationem ſubjungit: *Fabiolæ, matronæ* *Fabiolæ.* *ſanctæ, à beato Hieronymo laudatæ.* De hac nihil in editionibus poſterioribus, ubi poſt Zoëlum adjicitur: *Eodem die, ſancti patris & confeſſoris Theodo-* *Theodori &* *ri ſcriptoris, & fratris ejus Theophanis poëtæ.* Vide *Theophanis.* egregia duorum fratrum Acta apud Surium.

V *Kal.* *Die* 28.

Innocent. BEthleem, natalis ſanctorum Innocentium, qui ab Herode rege interfecti ſunt. Ancira Galatiæ, ſanctorum Eutici presbi- *Eutychii &* teri & Domitiani diaconi. *Domitiani.*

Ita puriores codices *Praten. Herinien. Tornacen. Antverp-maj. Roſweyd. Antverp.* & *Max-Lubec. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Antverp. & Max-Lubec. incipiunt: *Apud Bethleem*, in quo à ceteris omnibus diſſentiunt, ſicut Molan. ſic incipiens, *Bethlehem Judæ.* Variant codices in *Innocentum* & *Innocentium*, poſtremum prætulimus. *Ancira Galatiæ*, communior

nior eſt codicum ſcribendi ratio ; alii habent, *Anchira*, *Ancyra*, *Antira*, *Galathiæ*, *Galaciæ* &c. Major concordia *Eutici*, in quo ferme omnes conveniunt, veroſimile eſt ſcribendum *Eutychii*, ut legit Romanum : ſolus Antverp-maj. habet *Euticii*. In optimis eſt *Domitiani*, in non paucis *Domiciani* : in Roſweyd. omittitur ultima vox *diaconi*.

Innocentiũ. OBSERVATIO. Hactenus nec quæſivit nec definivit Eccleſia, quo proprie die paſſi ſint *Innocentes* à bimatu & infra, impii Herodis juſſu crudeliſſime trucidati ; nec diei quartæ poſt feſtum Nativitatis electio quidquam conferre videtur, ad ſtabiliendum quo anno infanticidium contigerit, de quibus vide Florentinii notam hoc die, ejuſque de Magorum ad Chriſtum venientium hiſtoria, itineriſque tempore, Exercitationem à pag. 229. De pluribus, ad eorumdem Magorum adorationem, atque ad infantium cædem ſpectantibus, in Ephemeridibus Græco-Moſcis, ad XXIX Decembris, & noviſſime in Reſponſionibus diſputavit Papebrochius ; nos hîc ex profeſſo inſtitutionem feſti & Martyrologorum geneſim exploramus. Non facile probabitur, Innocentum noſtrorum memoriam Origenis ætate in Eccleſia celebratam fuiſſe, nec magis ex Auguſtino educi poſſe videtur, cultos eo tempore cum Octava, ut ritu eccleſiaſtico loquimur. At vero eorum ſolennitatem, etiam ante Auguſtini tempora feſtivam fuiſſe, nihil vetat aſſerere. Certum antiquiſſimi cultûs monumentum habes in laudato ſæpe alibi Carthaginenſi Kalendario, hoc die legente : V *Kal. Jan. ſanctorum Infantium, quos Herodes occidit.* Sequuntur Kalendaria alia, Sacramentaria, & quæcumque exſtant religioſæ venerationis antiqua monumenta. Inter apographa Hieronymiana Epternacenſe vetuſtiſſimum ſic habet : *Bethleem Juda, natalis Infantum* : alia paulo uberius : *Bethleem, natale ſanctorum infantium & lactantium, qui ſub Herode pro Chriſto paſſi ſunt.* Non video dubitandum eſſe, quin pro *lactantium*, legendum plane ſit *lactentium*, ut eſt in Hieronymiano Corbeienſi, quamvis priorem lectionem ſecutus ſit Rabanus ; ad quæ ſcrupuloſior videtur Florentinii obſervatio, dum matres infantibus ferme conjungi poſſe inſinuat. Beda clare & nitide : *Natalis ſanctorum martyrum Innocentium.* Flori elogium non magni momenti eſt. Romanum parvum ſolito ſtylo : *Bethleem, ſanctorum Innocentium.* Ado paucula ſubjunxit, quæ in Auctariis deſcripta inferius dabimus. Uſuardus vel ex perpetuo ductore Viennenſi Martyrologo, vel ex Hieronymianis ipſis ſeligere potuit, quæ phraſi ſuæ magis convenire exiſtimavit. Exſtat apud Surium de Infantibus oratio, quæ cum aliis ſanctorum Patrum encomiis, in majori opere poterit illuſtrari. Sic primos illos Chriſti Martyrum floſculos cecinit Wandelbertus :

Uberibus matrum rapuit quos dura cupido
Regnandique ſitis ; Chriſtum dum perdere natum
Herodes cupit, Infantes quinto veneramur.

Eutychii & Domitiani. *Eutychius* & *Domitianus* martyres ſunt ſolo ferme nomine & conditione, atque in ſolis Hieronymianis exemplaribus noti, unde ab Uſuardo certiſſime tranſlati ſunt. Corrigenda eſt Lucenſis codicis luxata commemoratio ex Epternacenſi & Corbeienſi, diſtincte ſcribentibus, ut eſt in textu noſtro : *Ancira Galatiæ, Eutici presbyteri, Domitiani diaconi* Dixi ſupra in Variantibus me legere *Eutychii*, ut nitidiori orthographiæ cum Baronio me conformem.

AUCTARIA.

DeInnocent. ULSANEN. Qui Uſuardinos textus plerumque abbreviare ſolitus eſt, hîc denuo ex Adone nonnulla deſcripſit, quæ ad Noſtrum prorſus non ſpectant. Sic poſt *Innocentium*, ſubtexuit : *Quos Herodes, cum Chriſti nativitatem Magorum indicio cognoviſſet, trigeſimo ſexto* [in Adone eſt *trigeſimo quinto*] *anno regni ſui interfici juſſit. Qui anno trigeſimo ſexto, morbo intercutiano, ſcatentibus toto corpore vermibus, miſerabiliter & digne moritur.* Vide fontem ipſum paulo puriorem. Ultima annuntiatio in hoc codice prætermittitur.

Victoris & ſocior. MUNERAT. Textui ſuperaddit : *In Affrica, natale ſanctorum Victoris, Caſtoris, & Rogaciani.* Accepti ſunt ex Hieronymianis, & hoc vel alio ordine, etiam ab aliis referuntur.

Caſtoris & ſocior. BELIN. Ordinem tantillum immutat, & cum eo conveniunt ANTVERP-MAX. aliique omnes mediæ notæ codices, ſic legentes : *In Affrica, natale ſanctorum Caſtoris, Victoris & Rogatiani.*

DeInnocent. CENTULEN. A puritate rurſus deficit : *Bethleem, natalis ſanctorum Innocentum, quos Herodes, cum Chriſti nativitatem Magorum indicio cognoviſſet, anno regni ſui trigeſimo quinto interfici juſſit, inter quos, duos proprios filios enecavit.* De Eutychio & Domitiano, nihil.

DeInnocent. BRUXELLEN. Sic habet : *In Bethleem Judæ, natale ſanctorum Innocentum. Quos Herodes rex cognita à Magis Chriſti nativitate, interfici juſſit ; quique poſtea morbo intercutis aquæ, ſcatentibus toto corpore vermibus, ut dignum erat, miſerabiliter mortuus eſt. In Affrica, natale ſanctorum Caſtoris, Victoris & Rogatiani.* In ſanctis ultimis Eutychio & Domitiano ſatis purus eſt.

Caſtoris & ſociorum.

DeInnocent. HAGENOYEN. Notiſſima eſt quæſtio de numero martyrum Innocentium, quem Græci, nullo fundamento, ad quatuordecim millia extendunt Audi, quid hujus codicis auctor comminiſcatur : *Apud Bethlehem Judæ, natale beatorum Innocentum martyrum, quorum numerus eſt centies*

DeInnocent.

centies mille & quadraginta quatuor millia. Ysti ab Herode impio rege Aschalonita, alienigena, occisi sunt, qui nulli umquam nocuerunt. Sed quia tunc temporis fuerunt, quando natus Christus Dominus à pluribus vaticinatus est, ut Christum in eis occideret, eos interfecit, & ideo vice Christi eos celebrat Ecclesia. Romæ, natale Zozimi Papæ. Hic fuit natione Græcus, & sedit annis duobus & mensibus octo. Hic constituit cereum benedici in sabbato sancto Paschæ, & ut servus ullo [opinor nullo] modo clericus efficeretur, & ut nullus clericus in publico potum venderet. Item constituit, ut dyaconus in ecclesia Ewangelium legat, & quod homines stare debeant in Ewangelio, & cum magna reverentia audire. Item in Missa Christianus aliquid Deo offerat. Et sepultus est in Vaticano. In secunda satis purus est. In fine addit de Castore & sociis, ut supra.

Multa de Zosimo PP.

Castoris &c.

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. Totus textus de more contrahitur: *Sanctorum Innocentium. Eutychii presbyteri & Domitiani diaconi.*

VATICAN. sign. num. 5949. deficit in tota annuntiatione secunda.

EDITIO LUBECO-COL. *Apud Bethleem Judæ, natale sanctorum Innocentum, quos Herodes Ascalonita, cum Christi nativitatem Magorum indicio cognovisset, omnes à bimatu & infra interfici jussit, sicut Euangelica pandit historia.* Pura est in Ancyranis. In fine autem subdit: *In Africa, natale sanctorum Castoris* &c.

De Innocent.

Castoris &c.

GREVEN. *In Africa, sanctorum Castorii, Victoris, Rogatiani. Item secundum Cathalogum hîc, Alphegi Cantuariensis episcopi & martyris. Qui juxta alios habetur supra, decimo septimo Kalendas Maii.* Vult dicere, XIII *Kalendas.* Pergit: *Translatio sancti Joannis Papæ & martyris, de Ravenna Romam. Eodem die, sanctorum Euthicii & Florentii monachorum & confessorum. Quorum Eutycius, ut inquit Gregorius 3 Dialogorum, in spiritali zelo atque in fervore virtutum se exercuerat, multorumque animas ad Deum perducere exhortando satagebat. Florentius simplicitati atque orationi deditam vitam ducebat. Ambo vero miraculorum gloria illustres, in Domino quieverunt.* Vide Gregorii narrationem apud Surium. Sequitur: *Theodoræ, matronæ Romanæ.*

Castoris &c. Alfegi.

Translat. Joan. P P. Eutychii & Florentii.

Theodoræ.

MOLAN. De Innocentibus, post *interfecti sunt*, ex Adone textui aliis litteris inserit; *trigesimo quinto anno regni sui; qui anno trigesimo sexto morbo intercutis aquæ & scatentibus toto corpore vermibus miserabiliter & digne moritur.* In fine: *In Aphrica, natale sanctorum Castoris* &c. De Eutychio & Florentio, GREVENI verba, quæ superius retulimus, descripsit. Editiones posteriores cum hac priori in omnibus plane conveniunt.

De Innocen.

Castoris &c.

IV *Kal.* *Die* 29.

HIerosolimis, Dauid regis. Apud Arelatem, natalis sancti Trophimi, cujus meminit Paulus scribens ad Timotheum, qui ab eodem Apostolo episcopus ordinatus, præfatæ urbi primus ob Christi Euangelium prædicandum directus est. Ex cujus fonte, ut Papa Zosimus scribit, tota Gallia fidei rivulos accepit. In pago Oximensi, sancti Ebrulfi confessoris.

David.

Trophimi.

Ebrulfi

Sola & unica ex omni parte pura est *Molani editio.*

VARIA LECTIO. Hæc duo dumtaxat in Molano displicent; quod pro *Trophimi*, scribat *Trophini*; & *Ebrulphi* pro *Ebrulfi*. Nunc ostendendæ capitales Variationes, ob quas tot codices è purorum numero fuerint excludendi. Prætensum Pratense autographum cum duobus consuetis sociis Antverp-maj. & Rosweyd. quibus sæpe, & hîc tertius Aquicinctinus accedit, à reliquis omnibus in eo discordat, quod textui in fine adjiciat: *Item Hierosolimis, sanctæ Melaniæ, Deo sacratæ*, de qua nulli prorsus alii codices hoc die meminere, excepto uno unico Greveni auctario. Codex Herinienſis purissimus esset, nisi secundo loco proprium Remense interjiceret: *Relatio pretiosissimi corporis, à civitate Remorum, beati Remigii.* Ceteri fere omnes agunt de Thoma Cantuariensi, ut ordine suo in Auctariis demonstrabimus. Notat Castellanus, in præfato Pratensi codice sub finem præterea adjici: *Et S. Th. Cantuar.* Sed manu Gothica, inquit, ubi Melania Carlovingiaco charactere adscribitur, quo totum codicem exaratum sæpe testatus est.

De codicib. non puris.

OBSERVATIO. Liceat hîc sub operis finem verbo repetere, quod non semel supra manifeste ostendimus, unum nempe è singularibus Romani parvi characteribus esse, quod præter ceteros Martyrologos, plures è veteri Testamento patriarchas & prophetas, Christianis sacris insertos, repræsentet. *Rex David* nec ab ullo Hieronymiano, nec à Beda aut ejus sequacibus Floro & Rabano, signatus reperitur, sed primùm ab auctore parvi illius Martyrologii, his verbis: *David regis.* Hæc Ado simpliciter transcripsit, Noster auxit sola præmissa positione, sed neglecto elogio, quod tamen aliis hujusmodi Sanctis sæpe applicare non prætermisit. Patuit id clarissime locis pluribus, ut vide VI Julii, VI Septembris, sæpius alibi, ac recentissime XVI Decembris. Utrum Wandelbertus Romanum parvum viderit, utrum ambo antiquiorem fontem consulue-

David.

rint, utut evolvere studiose conatus fuerim, fateor hactenus incertum esse. Interim utrum-

utrumque Sanctum hoc die à laudato auctore Romani parvi celebratum, ſic verſibus ſuis honoravit poëta Martyrologus :

Vates rexque pius, divinæ & ſtirpis origo
Inſignit quartum David ſermone fideque.
Urbſque Arelas, Trophimo gaudens paſtore, coruſcat.

Trophimi. Eſt igitur annuntiatio noſtra ſecunda à Romano parvo ſic primùm quoque poſita : *Et Trophimi epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorum.* Frequentius ſupra recurrerunt ſancti illi Apoſtoli, ſeu Apoſtolorum diſcipuli, ex novo Teſtamento educti, parvo huic Martyrologio, non minus quam patriarchæ & prophetæ, omnino proprii : nec dubium videtur, quin hîc vere deſignetur *Trophimus* ille, cujus nomen eſt Act. 20 ℣ 4, & rurſus 21 ℣ 29, quemque Apoſtolus 2 ad Tim. 4 ℣ 20, teſtatur ſe *infirmum reliquiſſe Mileti.* Cur iſti *epiſcopi* dignitatem adſcribat auctor noſter, non ſatis equidem perſpicio, niſi & ipſe in ea opinione fuerit, quam primus in Martyrologia apertius invexit Ado, dum inter Feſtivitates Apoſtolorum, hoc Trophimo encomium aptavit, quod ſubinde ab Uſuardo integre adoptatum, in recentiora omnia, atque adeo & in Romanum transfuſum eſt. Vides hîc denuo recurrere quæſtionem, quæ ſæpius alibi, & notanter XVIII Decembris verſanda nuper fuit, de primis Euangelii prædicatoribus, adeoque epiſcopis, à Sede Apoſtolica in Gallias directis, à qua ferme & hujus articuli pendet ſolutio; utrum nempe *Trophimus Arelatenſis*, cum Pauli Apoſtoli diſcipulo ſit confundendus. Scio Baronium in hodierna Notatione, manifeſtiſſimi erroris arguere Turonenſem Gregorium, quod *temporibus Decii imperatoris* Trophimum *in Gallias miſſum affirmet.* At enim tot habet eruditiſſimos patronos, tot ſolidis argumentis firmatur Gregorii narratio, ut eminentiſſimi Annaliſtæ ſententiæ non auſim ſubſcribere. Hîc locus non eſt, momenta rationum aut referendi aut expendendi ; videat curioſus lector ſcriptores, XVIII hujus citatos, ac de Trophimo ſeorſim diſputantem Tillemontium tomo 4 à pag. 703. Nihil hîc interim in hac Trophimi controverſia à nobis pro alterutra parte determinatum, donec res tota accuratius in Actis examinari poſſit.

Si falſa eſt Trophimi, Pauli diſcipuli, & Arelatenſis epiſcopi identitas, fateri cogimur, errorem iſtum ab Adone potiſſimum profluxiſſe ; ſed & hoc ipſo die error nomen vus, vel ſaltem inutilis repetitio offertur, dum *Creſcentem* ejuſdem item Pauli diſcipu- *De Creſcente Adonis.* lum, hoc die memorat, quem nativis coloribus XXVII Junii depinxerat. Melius Uſuardus Creſcentem prætermiſit, eique è penu proprio *Ebrulfum* abbatem Vitenſem ſub- *Ebrulfi.* ſtituit, Adoni Pratenſi, toties ſupra refutato, à Mabilione perperam adſcriptum. Vide hunc, ſec. 1 Benedict. à pag. 354 Acta Ebrulfi integritati reſtituentem, quæ apud Surium in compendium redacta fuerant. De Sancti tranſlatione agit laudatus Mabilio ſec. 5 Bened. à pag. 226. *Melaniam* codicibus Uſuardinis adjectitiam eſſe, ſuperius abunde probavimus : eſtque ex dictis omnibus patentiſſima toties noſtri laterculi germana ſimplicitas.

AUCTARIA.

DE codicibus PRATEN. & HERINIEN. dictum eſt in Variantibus. In poſtremo ad infimam codicis oram recentiori manu adſcribitur Thomas Cantuarienſis, ut habet GREVEN. infra.

TORNACEN. Secundo loco inſerit : *In Anglia, civitate Cantuaria, paſſio beati Thomæ martyris, ejuſdem civitatis archiepiſcopi, qui pro juſticiæ defenſione, à miniſtris regis Angliæ crudeliter occiſus eſt.* Cetera pura ſunt. *Thomæ.*

ANTVERP-MAJ. Incipit : *Hieroſolymis, David magni regis.* Pro *Ebrulfi* ſcribit *Brulli.* In Melania, convenit cum PRATEN. &c. In fine *Civitate Cantuaria, ſancti Thomæ archiepiſcopi & martyris, qui ob defenſionem juſticiæ, in eccleſia ſedis ſuæ gladio percuſſus, migravit ad Chriſtum.* *Melaniæ. Thomæ.*

ROSWEYD. De Davide, *magni regis & prophetæ.* Habet de Malania, ut priores ſocii. Et in fine : *Romæ, Felicis.* Ex Hieronymianis. *Melaniæ. Felicis.*

PULSANEN. Sic ſcribit : *Depoſitio David.* Poſt *Trophimi epiſcopi*, Adoniane : *De quo ſcribit Apoſtolus ad Timotheum : Troſimum autem reliqui infirmam Mileti.* Deſunt reliqua, & in margine alia manu adſcribitur : *Apud Cantuariam, ſancti Thomæ epiſcopi & martyris.* Plura in codicibus aliis. *Thomæ.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. In fine : *In Britanniis, civitate Cantuaria, ſancti Thomæ epiſcopi & martyris, qui ob defenſionem juſticiæ, in baſilica ſedis ſuæ, gladio percuſſus migravit ad Chriſtum.* *De eodem.*

MUNERAT. In textu ſatis purus ſubdit : *Apud Cantuariam, paſſio ſancti Thomæ epiſcopi, infra ſepta eccleſiæ ſuæ à carnificibus, pro cauſa ipſius Eccleſiæ, crudeliter trucidati. Apud Biturícam Aquitaniæ primatam* [an *primatem?*] *depoſitio beatiſſimi Urſini confeſſoris, primi Biturícenſium archiepiſcopi, à beato Clemente ad prædicandam Chriſti fidem illuc tranſmiſſi. Hunc tradunt hyſtoriæ à Domino Nataneël appellatum, & in cœna illius, quando pro mundi redemptione ſtatim paſſurus erat, lectoris uſum officio.* *De eodem. Urſini.*

BELIN. Primo loco : *In Anglia, civitate Cantuarienſi, ſancti Thomæ archiepiſcopi & martyris, qui ob defenſionem juſtitiæ, in baſilica ſua gladio percuſſus, migravit ad Chriſtum.* Tum : *David regis & prophetæ.* Multa male impreſſa ſunt. *Thomæ.*

GREVEN. Mirum eſt potuiſſe ab hoc Thomam Cantuarienſem Uſuardo adſcribi, & quidem abſque ſolito ſigno L. Utitur eadem phraſi, qua ANTVERP. & ſoliti ſuperius ſocii, niſi quod interſerat, *feliciter*, ante *migravit ad Chriſtum.* *Ejuſdem.*

ANT-

ANTVERP-MAX. ULTRAJECT. LEYDEN. & LOVANIEN. Secundo loco de Thoma Cantuarienſi, iiſdem etiam verbis, quibus ANTV. &c. ſupra; ſed pro *ad Chriſtum*, legunt *ad Dominum*.

ALBERG. & DANIC. Idem habent, ſed primo loco; David autem, ſecundo.

CENTULEN. *Jeroſolimis, depoſitio David regis. Arelato, ſancti Trophymi epiſcopi & confeſſoris, quem beatus Paulus Apoſtolus ordinavit, & eidem civitati deſtinavit. In pago Oximenſe, ſancti Ebrulfi abbatis.* *Thomæ.* *Ipſo die, paſſio ſancti Thomæ Cantuarienſis archiepiſcopi.* Alii pluribus.

BRUXELLEN. *Jeroſolimis, depoſitio David regis & prophetæ.* De Trophimo, ſatis pure. De *Thomæ.* Thoma Cantuarienſi, ut ANTVERP. & alii ſupra. *Felicis &c.* Tum pergit: *Romæ, ordinatio ſanctorum Felicis & Bonifacii epiſcoporum. In pago Axonienſi, Ortico monaſterio, depoſitio ſancti Ebrulfi confeſſoris, cujus geſta habentur.* *Creſcent. &c.* *In Affrica, ſanctorum Creſcenti & Liboſi epiſcoporum.* *Urſini.* *Apud Bituricas, ſancti Urſini epiſcopi & confeſſoris.*

HAGENOYEN. Primo loco totius vitæ Davidicæ compendium exhibet, modo & ſtylo ſuo: ſed hæc ex ſacris Litteris melius depromentur. In Trophimo ſatis purus eſt. Sequitur longa hiſtoria de Thoma, quam non vacat deſcribere.

AQUICINCT. In fine habet de Melania, cum PRATEN. &c. ut dictum eſt in Variantibus. Inſuper adjungit: *Thomæ.* *Cantuariæ, paſſio ſancti Thomæ, ejuſdem civitatis archiepiſcopi & martyris.*

VICTORIN. & REG. SUEC. ſignatus num. 130. In fine: *Urſini.* *Eodem die Bituricas, ſancti Urſini epiſcopi & confeſſoris.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Thomæ epiſcopi & martyris. Ebrulphi confeſſoris. Trophimi epiſcopi. David regis Iſraël.* *Thomæ.*

DIVIONEN. S. Benigni. *Ipſo die, ſancti Alberti abbatis, cujus vita multis refulſit miraculis.* A Caſtellano dicitur abbas *Gembrunenſis.* *Alberti.*

In VATICAN. ſub num. 5949. Nihil de David & Ebrulfo. Adjicitur: *Ravennæ, ſancti Barbatiani preſbyteri & confeſſoris.* *Barbatiani.* In Romano ponitur XXXI Decembris.

FLORENTIN. *Item ſancti Florentii epiſcopi civitatis Haroiſæ*, vel *Auroiſæ, & confeſſoris.* *Florentii.* Puto indicari Florentium Arauſionenſem, de quo cum Uſuardo egimus XVII Octobris. Notat Caſtellanus, honorari Florentiolæ. Forte hîc recolitur elevatio, tranſlatio, aut quid ſimile. Pergunt codices: *Compoſtellæ, tranſlatio ſancti Jacobi Apoſtoli, ut patet ex ejus legenda.* *Tranſlat. Jacobi Ap.* *Romæ, ſancti Felicis epiſcopi.* *Felicis.* Tum ſolus STROZZIAN. *Item feſtum Raphaël archangeli.* *Raph. arch.*

BURDEGALEN. Feſtum peculiare habet: *Tranſlatio ſancti Renati epiſcopi.* *Tranſlat. Renati.* Vide Caſtellanum in indice ad *Renat* & *Renè*.

EDITIO LUBECO-COL. *Jeroſolymis, ſancti David regis prophetæ.* In Trophimo, ſatis pura eſt. Tum: *In Britaniis, civitate Cantuaria, natale ſancti Thomæ epiſcopi & martyris, ſub Henrico rege Anglorum, cui ob defenſionem juſtitiæ, in baſilica ſedis ſuæ, gladio ſacram coronam abſcindunt, cerebrum effuſum cum ſanguine crudeliter ſpargunt, & tali martyrio anima migravit ad Dominum.* *De Thoma.* De Ebrulfo, addit, *abbatis.* Demum: *Romæ, ſanctorum Bonifacii epiſcopi & Felicis confeſſorum.* *Bonifacii & Felicis.*

GREVEN. *In Aphrica, Liboſi epiſcopi. Ipſo die, ſecundum Adonem, Creſcentis, Apoſtoli Pauli diſcipuli, Viennenſis eccleſiæ dotioris primi.* *Liboſi. Creſcentis.* *Uſuardus eum habet quinto Kalendas Julii.* Sed & ipſo illo die Creſcentem ſignat Ado, ut in Obſervatione notavimus. *Romæ, Bonifacii epiſcopi & Felicis confeſſorum.* *Bonifac. &c.* *Helduardi epiſcopi & confeſſoris.* *Helduardi.* *Item David heremitæ, de quo in vitas Patrum legitur, quod ex latrone probatiſſimus monachus factus ſit.* *David eremitæ.* *Item commemoratio ſanctorum Jeſſe, patris David, & Nathan prophetæ.* *Jeſſe. Nathan.* *Eodem die, ſanctæ Melaniæ, matronæ Romanæ, Jheroſol. Deo ſacratæ.* *Melaniæ.*

MOLAN. In fine de Ebrulfo adjicit: *Cujus geſta habentur. In Anglia, civitate Cantuaria, ſancti Thomæ archiepiſcopi* &c. ex BELINO. Editiones *Thomæ.* poſteriores litteris Italicis ſecundo loco agunt de Thoma Cantuarienſi, etiam ex BELIN. In fine idem addunt de Ebrulfo. Deinde, *Item natalis beati Hildevuardi, Tullenſis epiſcopi.* Eſt pa- *Hilduardi.* tronus oppidi Teneramundani, de quo vide Caſtellanum. Denique minoribus typis: *Eodem die, ſancti patris Marcelli archimandritæ monaſterii Non dormientium.* *Marcelli.* Vulgo noti ſunt monachi illius monaſterii ſub nomine *Acœmetarum.*

III *Kal.*

Die 30.

APud Spoletum, natalis beati Sabini epiſcopi, Exuperantii & Marcelli diaconorum, & Venuſtiani cum uxore & filiis, ſub Maximiano imperatore. Ex quibus Marcellus & Exuperantius primò equuleo ſuſpenſi, dein fuſtibus graviter macerati, poſt ungulis abraſi, & laterum aduſtione aſſati, martyrium compleverunt. Venuſtianus autem non multò poſt, una cum uxore & filiis, gladio necatus. Sanctus vero Sabinus poſt manuum detruncationem & diutinam carceris religationem, ad mortem uſque cæſus eſt. Horum itaque martyrium, licet diverſo extiterit tempore, unâ tamen recolitur die. Alexandriæ, ſancti Manſueti martyris, cum aliis decem. *Sabini & aliorum.* *Manſuet & ſociorum.*

Ita *Praten. Herinien. Tornacen. Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Vix aliquid inter citatos pro textu codices notatu dignum occurrit. *Exſuperantii* ſcribit Romanum parvum, Ado *Exupérantii*; major pars Adonem ſequitur, & ſic in textu ſervatum. *Relegationem* legunt Munerat. & Greven; *religatio-*

ligationem habent ceteri, idque ad ſenſus exigentiam magis videtur accedere, quamvis neutrum ſatis claram conſtructionem reddat, quam in Molano minus etiam invenies per *carceris relevationem.*

Sabini, & aliorum. OBSERVATIO. In ſola ſerie noſtra noti ſunt Martyres, prima textûs commemoratione laudati. Romanum parvum ceterorum anteſignanus præivit hoc modo: *Apud Spoletum, Sabini epiſcopi, Exſuperantii & Marcelli, & Venuſtiani cum uxore & filiis, qui paſſi* VII *Idus Decembris, feſtivitatem ſepulturæ habent* III *Kalend. Januarii.* Hæc ita compendioſe relata, cum vulgatis Actis non omnino concordant. Vidit ipſa, procul dubio, Martyrologus Viennenſis, unde elogium paulo diſtinctius magiſque diffuſum extraxit, necdum tamen ita accuratum, ut omnia, quæ controverti poſſunt, ſatis clare explicet. Uſuardus longiorem Adonis orationem in elegantem epitomen redigens, nonnulla ſtudioſe vitavit, quæ in aliis pariunt difficultates, non male à Caſtellano in appoſita notula explanatas. Conſtat, non una, nec omnino conformia, præfatorum Martyrum Acta edita eſſe. Dubitari non poteſt, quin ipſa manuſcripta habuerit Baronius, cum in Annalibus ad annum CCCI num. 18 *ſinceriſſima* prædicet, *quæque ad verbum ſint merito recenſenda: utinam,* inquiens, *ſicut fidelia, ita in omnibus integra reperiſſemus, & eo quo ſunt cœpta candore, pariter abſoluta.* Pleniora, & forte ſinceriora vulgavit V. C. Stephanus Baluzius tomo 2 Miſcell. à pag. 47; alibi à nobis laudatus; in Notis pag. 465 indubitanter aſſerens, *ſinceriſſima & optima* eſſe, *& digna quæ veniant in manus hominum eruditorum.* Spoleto non recte à Martyrologis noſtris Sanctos hos omnes attribui, ex Actis ipſis manifeſtum eſt; neque ex iiſdem ſatis eruitur, cujus urbis antiſtes fuerit, qui ut ceterorum primipilus ponitur *Sabinus* ſeu *Savinus epiſcopus*, tametſi ultro fateamur, Spoleti martyrio coronatum eſſe. De Venuſtiano agens Papebrochius, die quo à Tudertinis colitur, XVIII Aprilis, nonnulla in vulgatis pridem Actis reperit, quæ diverſa à Baronio via exponenda putavit, ipſorum veritatem nequaquam impugnans. At recentior Tillemontius, nec Baluzianis Actis acquieſcit, tomo 5 pag. 603 & 604 plura accumulans, quibus eorum fidem labefactare conatur. Non diffitebor, occurrere aliqua, quæ criticum lectorem merito remorentur; ſed quis neſciat, Acta etiam aurea nævis hinc inde non carere, præſertim in nominibus propriis, quandoque contortis, aut, cum in antiquis membranis eraſa fuerint, male ſuppoſitis. Certe tot ſimplicis ſinceritatis radii, inter obſcuriores nubeculas in oculos incurrunt, ut laudata Acta, à Tillemontii cenſura, per nos vel ſucceſſores noſtros aliquando vindicatum iri, non diffidam, quidquid ab iis abhorruiſſe videatur Ruinartius, cujus inſtituti erat, ea ſola Acta proferre, quæ nec à Dodwello, nec à quovis hæretico, quantumvis pertinaci, in dubium revocari poſſent.

Manſueti & ſociorum Adoni perperam olim adſcripta erat ſequens annuntiatio: *Item in inſula Oya, ſanctorum Florentii, Sereni, Pauli, Stephani, Papiani & Cleti*, à Moſandro per aſteriſcum diſtincta, à Roſweydo in appendicem rejecta. Item ex VIII Aprilis fruſtra repetitus *Perpetuus Turonenſis.* Male connexos cum Florentio in Oya inſula ſocios, Alexandriam reducit & Manſueto conjungit Florentinius, in Epternacenſi reperiens novem, in Corbeienſi undecim, ubi in Lucenſi decem apponebantur, toti ſeriei perperam immixto Florentio. Qualem codicem Hieronymienſem ſecutus ſit Uſuardus, facile conjicis; Lucenſi ſimilem præ oculis habuiſſe, non dubito, ex eoque Manſuetum nominatim excerpſiſſe, ſociis aliis decem relictis anonymis. An Wandelbertus Manſuetum & Florentium conſodales crediderit, neſcio; ſaltem utrumque ſic hodierno ſuo unico verſiculo combinavit:

Manſuetus ternum, ſimul & Florentius ornant.

AUCTARIA.

Tranſlat. Jacobi. ANTVERP-MAJ. Incipit: *Tranſlatio ſancti Jacobi Apoſtoli.* In reliquo Uſuardino textu purus eſt.

Florentii. Perpetui. ROSWEYD. Non ſatis diſtincti ſunt hodiernus & craſtinus laterculus; ceterum hoc die textui ſatis puro ſuperaddidit: *Oia inſula, ſancti Florentis.* Ex Hieronymianis acceptus videtur. *Turonis, ſancti Perpetui epiſcopi & confeſſoris.* Hic clare in Hieronymianis exprimitur, à noſtris ſignatus VIII Aprilis. Rabanus priores codices ſequitur.

Perpetui. PULSANEN. Textum alium ſubſtituit: *Turonis, natalis ſancti Perpetui epiſcopi & confeſſoris.* Tum ex die ſequenti: *Apud Senones, beatorum martyrum Sabiniani epiſcopi & Potentiani. Qui à beatis Apoſtolis ad prædicandum directi, præfatam urbem martyrii ſui confeſſione illuſtrem fecerunt.* *Sabiniani & Potent.*

ANTVERP. MAX-LUBEC. & UGHELLIAN. Textui puro ſubdunt: *Roma, Felicis epiſcopi. Turonis, Sancti Perpetui epiſcopi.* *Felicis. Perpetui.*

ANTVERP-MAX. Cum omnibus mediæ notæ codicibus, in prima purus eſt, ſed ſecundam plane prætermittit. In fine autem additur: *Roma, ſancti Felicis epiſcopi.* Solus ALBERG. ſupra ceteros adjungit: *Turonis, Perpetui epiſcopi & confeſſoris. Qui plurium extitit fundator eccleſiarum.* *Felicis. Perpetui.*

CEN-

CENTULEN. *Apud Spoletum, ſancti Sabini epiſcopi, Exuperantii, Marcelli diaconorum, & Veneſtiani cum uxore & filiis, ſub Maximiano imperatore paſſorum. Turonis, ſancti Perpetui epiſcopi & confeſſoris.* *Perpetui.*

BRUXELLEN. Incipit: *Oia inſula, natale ſanctorum Florencii, Sereni, Pauli, Stephani, Papiani & Cleti. In Alexandria, natale ſanctorum Manſueti, Securi, Donati, Honorii, Polediti, & Appiani.* Vide Hieronymiana, & ibi Florentinium, martyres illos ad propriam claſſem reducentem. *Florentii & ſociorum. Manſueti & ſociorum.*

In prima annuntiatione de Spoletinis martyribus modice interpolatus eſt. In fine: *Turonis, ſancti Perpetui epiſcopi & confeſſoris. Qui plurium fundator extitit eccleſiarum.* *Perpetui.*

HAGENOYEN. In prima annuntiatione ſatis purus eſt, ſecundam ſic format: *Alexandriæ, paſſio ſancti Manſueti epiſcopi & martyris, cum aliis decem.* Sequitur ex die præcedenti: *In pago Oximenſi, natalis ſancti Ebrulfi confeſſoris. Ipſo die, natalis ſancti Leporii epiſcopi & martyris. Turonis, ſancti Perpetui epiſcopi & confeſſoris.* *Manſuet. ep. Ebrulfi Leporii. Perpetui.*

AQUICINCT. Pro *Marcelli*, ſcribit *Marcellini.* In fine addit: *Romæ, Felicis epiſcopi. Turonis, Perpetui epiſcopi & confeſſoris, qui extitit fundator eccleſiarum.* Alii ſupra addunt *plurium.* Additamenta eadem & eodem modo habent codices VICTORIN. & REG. SUEC. ſign. num. 130. *Felicis. Perpetui.*

DAVERONEN. *Turonis, ſancti Perpetui epiſcopi, qui beati Martini baſilicam miro opere fabricavit.* *Perpetui.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Perpetui epiſcopi. Sabini epiſcopi & martyris cum ſociis.* De his egit ſupra XV Januarii. *Manſueti, cum aliis decem mart.* *Ejuſdem.*

CODEX D. LE MARE ſignatus A. *Francovei, confeſſoris atque Pontificis eccleſiæ Senonenſis, tranſlatio, à baſilica ſanctæ Columbæ, in monaſterium ſancti Symphoriani. Oya inſula, depoſitio ſancti Florentii.* *DeFrancov. Florentii.*

CODEX D. DU CHEVAL. ſignatus C. *Turonis, ſancti Perpetui.....* ut AQUICINCT. &c. *Perpetui.*

VATICAN. ſub. num. 5949. Deeſt annuntiatio prima. Ad *Manſueti* autem adduntur ſequentes ſocii, qui etiam in Romano habentur, *Severi, Appani, Donati, Honorii.*

ALTEMPS. *Apud Ewesham, ſancti Egwini epiſcopi & confeſſoris.* Vide Martyrolog. Caſtellani. *Egwini.*

JURENSIS. Habet, ut plures alii codices referunt ſupra: *In Oya inſula, ſancti Florentii.*

REMENS. SS. Tim. & Apoll. *Sueſſionis, tranſlatio corporis ſancti Oneſimi epiſcopi & confeſſoris. Remis, tranſlatio ſanctorum martyrum Timothei & Apollinaris* [&] *ſociorum eorum*, recentiori manu. *De Oneſimi. De Tim. &c.*

EDITIO LUBECO-COL. Prima ſatis pura eſt. Tum: *Romæ, ſancti Felicis epiſcopi & confeſſoris.* Sequitur de Manſueto, pure. Deinde: *Dolenſi cœnobio, ſancti Alberti abbatis. Turonis, Perpetui epiſcopi & confeſſoris. Qui plurium* &c. *Eodem die, tranſlatio ſancti Jacobi Apoſtoli, fratris beati Johannis Euangeliſtæ.* *Felicis. Alberti. Perpetui. Tranſlat. Jacobi.*

BELIN. In fine: *Romæ, ſancti Felicis epiſcopi. Turonis, ſancti Perpetui epiſcopi & confeſſoris.* *Felicis. Perpetui.*

GREVEN. *In Apulia, ſancti Liberalis epiſcopi Cannenſis & martyris. Qui patre ſenatore progenitus, ſancto cuidam epiſcopo literis imbuendus commiſſus, ab eodem præfatæ eccleſiæ in epiſcopum ordinatus eſt.* Puto indicari *Rugerium* vel *Rogerium*, de quo vide Caſtellanum. Sic procedit elogium: *Cumque injunctum ſollerter exequeretur officium, etiam ad martyrii palmam (lectum æneum, craticulam igne ſuppoſito, ſarthaginem oleo ferventi & adipe plenam, furnumque nil læſus ſuperans) unà cum Cerbero præfecto, qui in ejus confeſſione credidit, & matre ſua Euanthia capitis obtruncatione pervenire meruit. In Oia inſula, ſanctorum Florentii, Sereni, Pauli, Stephani, Papiani, Cleti. Item Alexandriæ, ſanctorum Securi, Donati, Honorii, Poleclyti, Appiani, ſociorum ſancti Manſueti.* Jam dixi de hiſce videndas Florentinii obſervationes. *Turonis, ſancti Perpetui epiſcopi & confeſſoris. Quem Uſuardus habet* VI *Idus Aprilis. Secundum Cathalogum, Romæ, Felicis Papæ* III (*ſecundum alios* IV) *& confeſſoris. Item cœnobio Dolenſi, ſancti Alberti abbatis. Eodem die, tranſlatio ſancti Jacobi Majoris Apoſtoli.* *Liberalis cum elogio. Florentii & ſociorum. Securi & ſociorum. Perpetui. Felicis. Alberti. Tranſlat. Jacobi.*

MOLAN. *Romæ, ſancti Felicis epiſcopi. Turonis, ſancti Perpetui epiſcopi & confeſſoris. Qui plurium* &c. *Ipſo die, Florentii confeſſoris.* Poſteriores editiones ſic habent: *Mediolani, Eugenii archiepiſcopi. Die trigeſima, ſanctæ martyris Anyſiæ. Et Zotici presbyteri, orphanorum altoris.* De Felice, ut ſupra. Tum: *Compoſtellæ in Gallecia, adventus corporis ſancti Jacobi Apoſtoli, qui quod viva voce non potuit, cadavere truncо, Chriſtianam pietatem mentibus Hiſpanorum ingeſſit. Ipſo die, adventus corporis ſancti Vuinnoci in Bergas, anno ab Incarnatione Domini nongenteſimo, Indictione tertia.* Vide VI Novemb. *Felicis. Perpetui. Florentii. Eugenii. Anyſiæ. Zotici. Advent. Jacobi. Advent. Winoci.*

Pridie Kal. *Die* 31.

ROmæ, natalis ſancti Silveſtri Papæ, cujus actus clari habentur. Apud Senones, beatorum Sabiniani epiſcopi & Potentiani, qui à Pontifice Romano ad prædicandum directi, eamdem metropolim martyrii ſui confeſſione illuſtrem fecerunt. Et in eadem urbe, ſanctæ Columbæ virginis: quæ ſuperato igne, gladio cæſa eſt. Retiariæ, ſancti Hermetis exorciſtæ. *Silveſtri. Sabiniani & Potent. Columbæ. Hermetis.*

Plane puri ſunt, *Herinien. Tornacen. Antverp.* & *Max-Lubec. Munerat. prima Belini editio, Greven.* & *Molan.*

VARIA LECTIO. Dixi, citatos codices plane puros eſſe, quo ſatis indico, alios proxime puros, ad puritatem tamen omnimodam non accedere. Tales ſunt Praten. Antverp-mai. & Roſweyd. in eo excedentes, quod de Columba, poſt *cæſa eſt*, addant, *juſſu Aureliani principis*; quæ verba nec Adoniana, nec proinde Uſuardina, ex Bedæ *De Praten. & al. codd.*

Martyrologio in citatos codices, uti & in Aquicinctinum tradu&a exiſtimo: certe ex omnibus aliis probatioribus codicibus ſatis patet, ad textum hodiernum referenda non eſſe. Ceteræ codicum pro textu citatorum variationes perexiguæ ſunt, & fere ſcriptoria ſphalmata, ut *Sylveſtri*, *Saviniani*, *aput*, *eandem*, *Pontiani* in Molan. pro *Potentiani*, *Reciaria*, *Reuaria*, &c. Greven. & Molan. tranſponunt vocabula in, *ſancta virginis Columbæ.*

Silveſtri. OBSERVATIO. Prima & vetuſtiſſima glorioſi Pontificis Silveſtri memoria, clariſſime exprimitur in ſæpe à nobis laudato Bucherii Kalendario: *Pridie Kal. Jan. Sylveſtri in Priſcillæ.* Subſcribunt reliqua omnia, quæ ſuperſunt, monumenta ſacra eccleſiaſtica. Ut ad noſtra propius accedamus, memoratur in omnibus Hieronymianis apographis: *Depoſitio ſancti Silveſtri epiſcopi.* Eadem verba ſunt in Beda, eadem in Rabano, qui ſolum addidit, *& confeſſoris.* Quæ Floro tribuuntur, hîc obſervanda non ſunt. Seriei noſtræ du&or Romanum parvum, ſic habet: *Romæ, Silveſtri Papæ & confeſſoris.* Tale eſt Adonis elogium ex Pontifical. deſumptum, ut fatendum ſit, vel famoſa Acta, Gelaſii tempore nota, ipſum non vidiſſe, vel, præter morem, ſtudioſe ea evitaſſe, quæ cum hiſtorica veritate conciliari non poſſe adverterat. Noſter ex Adone nihil accepiſſe videtur, ſolum indicans, *claros* ejus *Actus haberi*, quos non omnimodè probaſſe, ex jejuniori ejus oratione facile colligitur. Habemus præclariſſimum Sanctum, primumque pacificatæ à Conſtantino Eccleſiæ Pontificem, magnis rebus geſtis & ſanctitate venerandum: utinam tam vera eſſet ejus hiſtoria, tot ſcriptis ultro citroque agitata, & non ita pridem poſt multos alios eruditos viros, à Papebrochio & Janningo pro non exigua parte, falſi convicta; quæ eſt hodie litteratorum ferme omnium receptiſſima opinio, nihil proficiente conatu Combefiſii, dum inter Lectos triumphos novi aliquid ſe produxiſſe exiſtimat. Verſor in re, hoc tempore pervulgata, de qua vide Apologiam præliminarem ante tomum 1 Junii à pag. 16, & Reſponſiones ad articulum 2 & 3. Obſervatu plane dignum eſt, quod inter omnes antiquos Martyrologos nullus hiſtoriam baptiſmi Conſtantini attigerit, præter ſolum Wandelbertum, cujus hoc eſt metricum de ſancto Silveſtro elogium:

Sylveſter pridie Romanam Papa per urbem
Lætantes populos votis ſibi ſubdit amicis,
Pontificum primus tranquillam cernere pacem
Qui meruit, dominoſque orbis purgare lavacro.

Sabinianus & *Potentianus* nec in Hieronymianis, nec in ſerie Bedæ, nec in Romano parvo nòti ſunt: ſignavit eos Ado, ſed utrumque modo ſimplici, cum interim Uſuardus primo titulum *Epiſcopi* adſcribat. Rurſus in eo differunt, quod Noſter ſcribat, *à Pontifice Romano directos, eamdem metropolim martyrii ſui confeſſione illuſtrem feciſſe*: Ado autem aſſerat, *ab Apoſtolis ad prædicandum directos, præfatam urbem* &c. At miſſionem illam Apoſtolicam forte ſuſpectam habuit Uſuardus; certe ex eorum Actis, ſive à Mombritio ſive à Surio editis, non magis probari videtur, duos illos Sanctos immediatos Apoſtolorum diſcipulos fuiſſe, quam fuerint primi iſti Galliarum epiſcopi, de quibus alibi abunde diximus. Agit de illis Tillemontius in Dionyſio Pariſienſi, tu vide ejus tomum 4. pag. 727. Multa penes nos inveniuntur documenta Mss. à variis ſubmiſſa, quæ ad proprium locum examinanda remittimus. A Wandelberto poſt Columbam celebrantur; metrica elogia inter ſe contexta, infra dabimus.

Sabiniani & Potentiani

Columbæ. Porro celeberrima virgo *Columba* apertiſſime memoratur in codicibus Hieronymianis omnibus apud Florentinium: *Senonas*, vel *Senonas civitate*, *paſſio ſanctæ Columbæ virginis.* Beda plenius: *Et paſſio ſanctæ Columbæ virginis, Senones, ſub Aureliano imperatore, quæ ſuperato igne cæſa eſt.* Bedam verbatim ſequitur Rabanus. Romanum parvum ſtrictius: *Et ſanctæ Columbæ virginis.* At elogium noſtrum plane Adonianum eſt, omiſſo tyranni nomine, quod ex Beda in aliquot Uſuardinos codices irrepſiſſe, ſupra in Variantibus notavimus. Late patet inclytæ virginis cultus, nec deſunt Acta varia, quæ apud nos etiam exſtant, tum Mss. tum typis edita, in quibus, ut mitiſſime dicam, ſinceritatis notæ deſiderantur: nec quiſquam ſatis digeret oblatum virgini ab Aureliano, Cæſaris filii ſui, quem ignorat hiſtoria, conjugium. An cetera omnia ſatis excuſari poſſint, ſuo loco examinabitur. *Hermetis.* *Hermes exorciſta* à Noſtri ducibus non notatus, pure Uſuardinus dici poteſt, ſed ex Hieronymianis eductus, de quo vide Florentinium & Caſtellani notatiunculam. De Actis aut geſtis ejus altum ſilentium. Hîc elogia ultima Wandelberti de Martyribus Senonenſibus ſubjicio, quibus & menſis December & totus annus ſacer concluditur:

Virgo Columba, ſimul palmam virtute perennem,
Percepitque ſuo Chriſtum comitata cruore:
Cumque Potentiano Sabinianus eodem

Occur-

Occurrit feſto, æqualis ara atque triumpho,
Urbem qui Senonum primi docuere patroni.
Hæc tandem claudunt extremum feſta Decembrem.

AUCTARIA.

PRATEN. De ejus & ſociorum codicum interpolatione, dictum eſt ſupra in Variantibus.

PULSANEN. De Silveſtro poſt *habentur*, ſic addit: *Hic poſt beatum Petrum trigeſimus quintus, rexit Eccleſiam annos tres, menſes decem, dies undecim. Cujus induſtria ſynodus præclariſſima in toto orbe terrarum, trecentorum decem & octo Patrum, apud Niceam urbem Bithiniæ eſt celebrata, ſub Conſulari Conſtantino Auguſto & Licinio, pridie Kal. Januarii. Eodem die, apud Senones, paſſio ſanctæ Columbæ virginis.* Nihil præterea. *De Silveſtro.*

ANTVERP-MAX. Cum ſex ſuis mediæ notæ ſociis, tres primas annuntiationes interpolat. In prima, poſt *Papæ*, inſerit: *Qui trigeſimus quintus poſt beatum Petrum Romanam rexit Eccleſiam, & plenus virtutibus obiit in pace, ſepultus in cimiterio Priſcillæ, via Salaria, cujus* &c. In ſecunda, poſt *Potentiani: Qui ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis à Pontifice* &c. Poſt *virginis*, in tertia: *Quæ ſub Aureliano imperatore.* *De eodem.*

CENTULEN. *Romæ, ſancti Silveſtri Papæ & confeſſoris, cujus vitæ ſanctitas, & geſtorum nobilitas, in Eccleſia Dei laude perpetua celebratur. Senones, ſanctorum Sabini, & Potentiani epiſcoporum, à beato Petro ibidem tranſmiſſorum. In eadem urbe, ſanctæ Columbæ virginis, ſub imperatore Aureliano. Retiariâ* &c. Pure. *De Silveſtr.*

BRUXELLEN. *Romæ, ſancti Silveſtri Papæ; qui plenus virtutibus obiit in pace, & ſepultus eſt in cimiterio Priſcillæ, via Salaria. Cujus Actus* &c. *Item Romæ, natale ſanctorum Zenonis & Donati.* Hic in Hieronymianis eſt: quid ſi alter pro urbe *Senonis* irrepſerit? In Sabiniano & Potentiano ſimilis eſt ANTVERP-MAX. &c. Sequitur de Columba & Hermete; ſed ultimum codicis folium laceratum eſt. *De eodem. Zenonis & Donati.*

HAGENOYEN. Tria longa elogia adducit, primum de Sabiniano & Potentiano; alterum de Columba; de Silveſtro tertium, quæ ex vulgatis Actis contexta ſunt, ad quæ malo Lectores remittere, quam hîc multis inconcinne diſpoſitis deſcribendis diutius immorari. Annuntiationem ultimam nova poſitione non recte auxit: *In Recia provincia, civitate Reciariæ, depoſitio ſancti Hermetis exorciſtæ.* Caſtellanus Retiariam in Servia collocat.

AQUICINCT. De Silveſtro, poſt *habentur*, adjicit: *Hic conſtituit chriſma ab epiſcopo fieri, & ut presbyter baptizaret, & ut laicus nulli clerico crimen audeat inferre, & dalmaticis in eccleſia uti.* In Columba fere convenit cum *Pratenſi* & duobus aliis ſupra citatis, addens, *ſub Aureliano principe.* *De Silveſtr.*

MATRIC-CARTUS-ULTRAJECT. *Silveſtri Papæ & confeſſoris. Odilonis abbatis.* Vide 1 & 11 Januarii. Pergit: *Columbæ virginis & martyris. Sabiniani & Potentiani martyrum.* *Odilonis.*

In VATICAN. ſignato num. 5949. Deeſt annuntiatio ultima, cui hîc ex Hieronymianis alia ſubſtituitur; nempe: *Item Romæ, ſanctarum Donatæ, Paulinæ & Serotinæ.* Vide ibi quomodo formanda ſint nomina. *Donatæ &c*

JUREN. Non capio, cur hoc die hîc addatur: *In Galliis, natale ſancti Elegii confeſſoris.* *Elegii.*

EDITIO LUBECO-COL. De Silveſtro multa adjicit, quæ non lubet deſcribere. In Sabiniano & Potentiano; item in Columba ſimilis eſt codicibus mediæ notæ. De Hermete, addit *& confeſſoris.*

BELINI editio altera in fine habet: *Eodem die, ſancti Odilonis abbatis.*

GREVEN. *Apud Carthaginem, ſanctorum Saturnini & Celeſtini. Item, ſanctorum Hilarii, Donati. Apud Ravennam, ſancti Barbatiani preſbyteri & confeſſoris. Qui de Antiochia Romam veniens, cum fama ſanctitatis ejus & ſignorum ubique volaret, Placidia Auguſta, una cum filio Valentiniano ipſum invitantes, monaſterium ſibi conſtruxerunt, ubi in ſanctis operibus curſum vitæ ſuæ explens, quievit in pace.* *Saturnin. & c Hilarii &c. Barbatiani cum elogio.*

MOLAN. *Et ſancti Barbatiani confeſſoris.* Editiones poſteriores ſcribunt: *Eodem die, ſancti Barbatiani* &c. Tum: *Die trigeſima prima, ſanctæ Melanæ* [pro *Melaniæ*] *Romanæ.* Omnes ferme codices ſolitam ſingulorum dierum clauſulam hîc ad verbum apponunt: *Et aliorum plurimorum Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum atque Virginum.* Reſpondetur DEO GRATIAS. Repeto ultimum Wandelberti verſiculum, Martyrologii totius concluſionem. *Melaniæ.*

Hæc tandem claudunt extremum feſta Decembrem.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

INDEX

INDEX

NOMINUM SANCTORUM OMNIUM

qui in ipſo Uſuardi textu continentur.

A

Aaron ſacerdos 1 *julii*
abacuc propheta 15 *januarii*
abacuc m 20 *januarii*
abdella m 21 *aprilis*
abdon m 30 *julii*
abilius epiſcopus 22 *Februarii*
abraham patriarcha 9 *Octobris*
abundius presb. m 8 *junii*
abundius m 26 *auguſti*
abundius diac. m 10 *decembris*
acepſimas epiſc. m 22 *aprilis*
achillas epiſc. 7 *novembris*
achilleus diac. m 23 *aprilis*
achilleus m 12 *maii*
aciſclus m 17 *novembris*
arcontius m 5 *ſeptembris*
acutus m 19 *ſeptembris*
adauctus m 30 *auguſti*
adrianus m 8 *ſeptembris*
adrianus m 1 *martii*
adventor m 20 *novembris*
adulfus m 27 *ſeptembris*
afra m 5 *auguſti*
afrodiſius epiſc. con. 22 *martii*
afrodiſius m 28 *aprilis*
agabus propheta 13 *februarii*
agape virgo 15 *februarii*
agape m 3 *aprilis*
agapitus m 24 *martii*
agapitus diaconus m 6 *auguſti*
agapitus m 18 *auguſti*
agapius epiſc m 29 *aprilis*
agapius m 28 *aprilis*
agapius filius euſtachii 2 *novembris*
agatha virgo m 5 *februarii*
agatho m 7 *decembris*
agathon m 14 *februarii*
agathonica m 13 *aprilis*
aggeus m 4 *januarii*
agnes virgo m 21 *januarii*
agnes ſecundo 28 *januarii*
agoadus m 24 *junii*
agricola m 27 *novembris*
agricola m 16 *decembris*
albanus epiſ. conf. 1 *martii*
albanus m 22 *junii*
albanus m 1 *decembris*
albina m 2 *junii*
aldegundis virgo 30 *januarii*
alexander m 9 *februarii*
alexander epiſc. 26 *februarii*
alexander m 10 *martii*
alexander epiſc. m 18 *martii*
alexander m 27 *martii*
alexander m 28 *martii*
alexander m & ſocii 34 24 *aprilis*
alexander papa m 3 *maii*
alexander m 29 *maii*
alexander m 6 *junii*
alexander filius ſ. felicit. m 10 *julii*
alexander m. 21 *julii*
alexander epiſc. conf. 28 *auguſti*
alexander de legione thebæorum m 26 *auguſti*
alexander m 9 *ſeptembris*
alexander epiſ. m 21 *ſeptembris*
alexander m 12 *decembris*
almachius m 1 *januarii*
alpinianus preſb. 30 *junii*
amandus epiſc. 6 *februarii*
amantius m 19 *februarii*
amantius m 6 & 10 *junii*
amantius epiſc. rutenen. 4 *novembris*
amarantus m 7 *novembris*
amarinus vir dei m 25 *januarii*
amator epiſc. 1 *maii*
amator epiſc. auguſtodunen. 26 *novembris*
amatus preſb. abbas 13 *ſeptembris*
ambroſius epiſc. conf. 4 *aprilis*
ambroſius conf. 16 *octobris*
ambroſius abbas agaunenſis 2 *novembris*
ammon m 9 *februarii*
ammon m 8 *ſeptembris*
ammon m 20 *decembris*
ammonaria m 12 *decembris*
ammonius infans m. 12 *februarii*
ammonius lector 26 *martii*
ammonius m 26 *novembris*
ammonius 18 *januarii*
ammonius m 14 *februarii*
amos propheta 31 *martii*
ampelus m 20 *novembris*
amphianus m 5 *aprilis*
anacletus papa m 26 *aprilis*
ananias m 21 *aprilis*
ananias babilonius 16 *Decembris*
ananias 25 *januarii*
anaſtaſia m 25 *decembris*
anaſtaſius papa 27 *aprilis*
anaſtaſius m 29 *junii*
anaſtaſius m 21 *auguſti*
anatholia virgo m 9 *julii*
anatholius epiſc. 3 *julii*
andeolus ſubdiaconus m 1 *maii*
andochius preſb. m 24 *ſeptembris*
andreæ apoſtoli tranſlatio 2, lucæ & timothei 9 *maii*
andreas apoſtolus 30 *novembris*
andreas m 15 *maii*
andronicus m 11 *octobris*
anetus m 31 *martii*
anianus diac. m 10 *novembris*
anianus epiſc. aurelian. 17 *novembris*
anna prophetiſſa 1 *ſeptembris*
annuntiatio dominica 25 *martii*
anthia mater eleutherii m 18 *aprilis*
anthimus epiſc. cum multis aliis m 27 *aprilis*
anthimus m preſb. 11 *maii*
antheros papa 3 *januarii*
antholianus m 6 *Februarii*
antimus m 27 *ſeptembris*

INDEX.

antinogenus m 24 julii
antiochus episc. 15 octobris
antonia virgo m 29 aprilis
antonia m 4 maii
antoninus presb. m 9 januarii
antoninus m 26 aprilis
antoninus m 2 septembris
antoninus puer m 3 septembris
antoninus conf. 30 septembris
antonius abb. 17 januarii
antonius m 14 februarii
antonius m 22 augusti
apelius m 12 februarii
aper episc. conf. 15 septembris
apodemus m 16 aprilis
apollinaris m 21 junii
apollinaris episc. m 23 julii
apollinaris m 23 augusti
apollinaris episc. 5 octobris
apollonia virg. m 9 februarii
apollonius m 8 martii
apollonius m 5 aprilis
apollonius & alii 5 mm 10 aprilis
apollonius senator m 18 augusti
apollonius m 5 junii
aprilis m 22 augusti
apronianus m 2 februarii
apuleius m 7 octobris
aquila m 23 januarii
aquila ex actis apostol. 8 julii
aquila m 1 augusti
aquilina m 24 julii
aquilinus m 4 januarii
aquilinus m 4 februarii
aquilinus m 16 maii
aquilinus m 17 maii
aquilinus m scillitan. 17 julii
arabia m 13 martii
arator presb. 21 aprilis
archadius m 12 januarii
archadius m 13 novembris
archillaus m 23 augusti
archinimus m 29 martii
archippus socius pauli 20 martii
aretas m 1 octobris
argeus m 2 januarii
aristarchus discipulus pauli 4 augusti
aristeus episc. 3 septembris
aristides sapientia clarissimus 31 augusti
ariston christi discipulus 22 februarii
ariston m 2 julii
aristonicus m 19 aprilis
armogastes m 29 martii
arnulfus episc. metensis 16 augusti
arrianus m 8 martii
arsenius monachus 19 julii
arsenius m 14 decembris
artemius m 6 junii
asarias babilonius 16 decembris
ascla m 23 januarii
asclepiades m 18 octobris
asterius m 3 martii
asterius m 23 augusti
asterius presb. 21 octobris
athanasius episc. 2 maii
attalus m 2 junii
atticus 6 novembris
audactus presb. m 24 octobris
audax m 9 julii
audifax m 20 januarii
audoënus conf. episc. 24 augusti

audomarus episc. conf. 9 septembris
aventinus episc. conf. 4 februarii
aventius m 7 junii
augulus episc. 7 februarii
augurius diac. m 21 januarii
augustinus m 7 maii
augustinus anglorum episc. 26 maii
augustinus episc. 28 augusti
augustus m 7 maii
avitus m 27 januarii
avitus episc. 5 februarii
avitus presbyter conf. 17 junii
aunarius episc. conf. 25 septembris
aurea virgo 4 octobris
aurelianus episc. arelat. 16 junii
aurelius 27 augusti
austreberta virgo 10 februarii
austregisilus epis. conf. 20 maii
autbertus episc. cameracensis 13 decembris

B

Babilas episc conf. 24 januarii
bacchus m 7 octobris
balbina virgo 31 martii
baldomeres vir dei 27 februarii
barala puer m 18 novembris
barbara virgo m 16 decembris
barnabas apostolus 11 junii
bartholomæus apostolus 24 Augusti
basilides m 10 junii
basilides m 12 junii
basileus m 2 martii
basilius episc. 1 januarii
basilius episc. 14 junii
basilla virg m 20 maii
basolus conf. 15 octobris
bassa m 6 martii
bassianus m 14 februarii
bassus m 14 februarii
bathildis regina 26 januarii
baudelius m 20 maii
baro conf. 1 octobris
beata virgo 29 junii
beatus conf. 9 maii
beatrix m 29 julii
benedicta m 4 januarii
benedicta virg. m 8 octobris
benedictus abbas 21 martii
benedictus translatus 11 julii
benedictus confessor 23 octobris
benignus 3 aprilis
benignus presb. m 1 novembris
beronicus m 19 octobris
bertinus abbas 5 septembris
bessia m scillitan. 17 julii
beturius m scillitan. 17 julii
bibiana virg. m 2 decembris
bicor m 22 aprilis
blandina m 2 junii
blasius episc. m 15 februarii
bonitacius episc. m 5 junii
bonifacius m 5 junii
bonifacius diac. m 17 augusti
Bonifacius m 6 decembris
bonitus episc. conf. 15 januarii
bonosa m 15 julii
bonosus m 21 augusti
bonus presb. m 1 augusti
briccius episc. turon 13 novembris
briclius episc. conf. 9 julii
brigida virgo 1 februarii

INDEX.

C

cæcilia m	22 novembris
cæcilianus m	16 aprilis
cæcilius conf.	15 maii
cæsarius episc. arelat.	27 augusti
cæsarius diac. m	1 novembris
cæsarius m	3 novembris
cainichus abbas	11 octobris
cajus palatinus m	4 martii
cajus m	4 octobris
cajus m	4 januarii
cajus m	10 martii
cajus m	19 aprilis
cajus papa	22 aprilis
cajus m	21 octobris
cajus m	20 novembris
calepodius presb. m	10 maii
calistus m	16 aprilis
calistus papa m	14 octobris
calinicus m	28 januarii
calocerus m	19 martii
calocerus m	19 maii
candida uxor artemii	6 junii
candida virgo	29 augusti
candidus m	2 februarii
candidus m	11 martii
candidus m thebæus.	22 septembris
candidus m	3 octobris
cantianilla m	31 maii
cantianus m	31 maii
cantius m	31 maii
carilefus presb.	1 julii
caprasius abbas	1 julii
caprasius m	20 octobris
carilippus m	28 aprilis
caristus m	16 aprilis
carpoforus m ex coronatis	8 novembris
carpoforus presb. m	10 decembris
carpus episc. m	13 aprilis
carpus discip. pauli m	12 octobris
cassianus m	16 aprilis
cassianus episc. conf.	5 augusti
cassianus m	13 augusti
cassianus m	3 decembris
cassius m	10 octobris
cassius m	20 julii
castolus m	26 martii
castor	27 aprilis
castor m	28 martii
castorius m	7 julii
castorius m	8 novembris
castus m	22 maii
castus	4 septembris
castus m	6 octobris
cathedra s. petri antioch.	22 februarii
catulinus diaconus m	15 julii
celedonius m	3 martii
celerina m	3 februarii
celerinus diac.	3 februarii
celsus puer m	9 januarii
celsus m	12 junii
censurius episc. conf.	10 junii
cerealis m	10 junii
cerealis m	14 septembris
charaunus m	28 maii
charitas virg. m	1 augusti
childebertus rex	23 decembris
chionia m	3 aprilis
chrisogonus m	24 novembris
chrisotelus m presb.	22 aprilis
christina virgo m	24 julii
christophorus m	25 julii
christophorus monachus m	20 augusti
chrysanthus cum daria m	1 decembris
circumcisio D.N.J.C.	1 januarii
cirinus m	25 martii
cirinus m	26 aprilis
cirinus m	12 junii
cithinus m scillitan.	17 julii
clarus presb. m	4 novembris
claudianus m	25 februarii
claudianus m	6 martii
claudius m cum uxore & filiis m m	18 februarii
claudius m	26 aprilis
claudius m	7 julii
claudius m	23 augusti
claudius m	8 novembris
claudius tribunus m	3 decembris
clemens episc.	23 novembris
clemens alexand. presb.	4 decembris
clementinus m	14 novembris
cleophas m	25 septembris
clerus diac. m	7 januarii
clodoaldus presb.	7 septembris
cointa m	8 februarii
columba presb.	9 junii
columba virg. m	31 decembris
columbanus abbas	21 novembris
commemoratio sancti Pauli	30 junii
conceptio joannis baptistæ	24 septembris
concordia m	13 augusti
conon martyr et filius eius	29 maii
constantia m	19 septembris
constantinus episc.	12 aprilis
concordius m	1 januarii
corduba m	21 maii
cornelius centurio episc.	2 februarii
cornelius papa m	14 septembris
corona m	14 maii
corsicus presb.	30 junii
cosmas m	27 septembris
cottidus diac.	6 septembris
craton m	15 februarii
crescens discipulus apost. pauli	27 junii
crescens filius symphoroſæ m	27 junii
crescens m	1 octobris
crescentia m	15 junii
crescentianus m	31 maii
crescentianus m	2 julii
crescentianus m	12 augusti
crescentianus m	14 septembris
crescentianus m	24 novembris
crescentio m	17 septembris
crispina m	5 decembris
crispinianus m	25 octobris
crispinus m	25 octobris
crispinus episc. m	19 novembris
crispolus m	30 maii
crispus presb.	18 augusti
crispus m	4 octobris
cristeta m	27 octobris
cucufas m	25 julii
cunibertus episc.	12 novembris
curcodemus diac.	4 maii
cuthbertus episc.	20 martii
cyprianus episc. m	14 septembris
cyprianus episc. m	26 septembris
cyprianus episc. m	12 octobris
cyprianus abbas petragoric.	9 decembris
cyriacus diac. m	16 martii
cyriacus m	20 junii

cyria-

INDEX.

cyriacus diac. m 8 Augusti
cyrilla filia Decii m 28 Octobris
cyrillus episc. 28 januarii
cyrillus m 20 martii
cyrillus episc. m 9 julii
cyrillus m 1 jaugusti
cyricus m 3 januarii
cyricus m 16 junii
cyrion presb. m 14 Februarii

D

Dafrosa m 4 januarii
dalmatius m 5 decembris
damasus papa 11 decembris
damianus m 27 septembris
daniel propheta 21 julii
darius m 19 decembris
daria virgo m 1 decembris
dasius m 21 octobris
dativa m 6 decembris
dativus m 12 februarii
dativus m 10 septembris
david rex psalmographus 29 decembris
decollatio vel potius inventio cap. J. B. 29 augusti
dedicatio basilicæ s. crucis parisiis. 23 decembris
demetria virgo 21 junii
demetrius m 8 octobris
demetrius episc. m 10 novembris
demetrius m 22 Decembris
democritus m 31 julii
desiderius episc. conf. 11 februarii
desiderius episc. lingonensis 23 maii
desiderius m 19 septembris
didymus m 28 aprilis
diocles m 24 maii
diodolus m 31 martii
diodorus presb. m 1 decembris
diogenes m 6 aprilis
diomedes 9 junii
dionysia m 15 maii
dionysia m 6 Decembris
dionysius m 8 februarii
dionysius m 14 februarii
dionysius m 16 martii
dionysius episc. corinthi 8 aprilis
dionysius m pater pancratii 12 maii
dionysius episc. conf. 25 maii
dionysius m 31 julii
dionysius 20 septembris
dionysius episc. m 3 octobris
dionysius episc. m 9 octobris
dionysius episc. alexandrinus 17 novembris
dionysius papa 26 decembris
dioscorus m 25 februarii
dioscorus lector m 18 maii
dioscorus puer m 14 decembris
dius 12 julii
dius m 26 novembris
domio episc cum militibus 5 martyribus 11 aprilis
domitilla virgo m 7 maii
domitius m 5 julii
domitianus abbas 1 julii
domitianus m 1 augusti
domitianus diac. m 28 decembris
domnina virg. cum sociis m m 14 aprilis
domninus m 30 martii
domninus 20 aprilis
domninus m 9 octobris
donatianus m 24 maii
donatianus episc. m 6 septembris
donata m scillitana 17 julii
donatilla virgo m 30 julii
donatus m 4 februarii
donatus m 17 februarii
donatus m 1 martii
donati & aliorum tredecim 7 aprilis
donatus m 21 maii
donatus episc. m 7 augusti
donatus presb. 19 augusti
donatus m 23 augusti
donatus m 5 septembris
donatus m 12 decembris
dormitio deiparæ 15 augusti
dorothea virgo m 6 februarii
dorotheus m 9 septembris
dorotheus m 28 martii
drocloveus abbas 10 martii
drusus m 14 Decembris
dula virgo m 25 martii

E

Ebrulfus conf. 29 decembris
edsitrudis virgo 23 junii
egdunus presb. & alii 7 m m 12 martii
egesippus 7 aprilis
elasippus m 17 januarii
eleasarus m 23 augusti
eleutherius episc. m 18 aprilis
eleutherius episc. 26 augusti
eleutherius m cum aliis innumeris 2 octobris
eleutherius diac. m 9 octobris
eligius episc. conf. 1 decembris
elodia virgo m 22 Octobris
emerentiana virgo m 23 januarii
emilianus m 8 februarii
emilianus m 29 aprilis
emilianus 18 julii
emilianus diac. m 17 septembris
emilianus presb. conf. 12 novembris
emilianus m 6 decembris
emilius m 22 maii
emilius m 28 maii
emilius m 6 octobris
Emitherius m 3 martii
emmeriammus episc. m 20 septembris
epafras episc. colos. m 19 julii
epagatus m 2 junii
eparchus monachus conf. 1 julii
ephrem diaconus 1 februarii
epictetus m 22 augusti
epimachus m. 10 maii
epimachus m 12 decembris
epiphania domini 6 januarii
epiphanius episc. 7 aprilis
epiphanius salaminæ episc. 12 maii
epipodius m 22 aprilis
epolonus m 24 januarii
eracleas m 29 septembris
eraclius episc. conf. 8 junii
eraclius m 17 maii
eraclius m 26 maii
erasmus episc. m 3 junii
erasmus m 25 novembris
esdras propheta 13 julii
esicius conf. 15 maii
eschius m 15 junii
etherius episc. 27 julii
euagrius 3 aprilis
euagrius m 1 octobris
eucherius episc. lugdunen 16 novembris
euentius m 3 maii
eufrasia virg. 11 februarii
eufrasia

eufrasia virg. 13 martii
eufrasius episcopus 14 januarii
eufrasius conf. 15 maii
eufrosina virgo 1 januarii
eufrosina v. m 7 maii
eufrosius 14 martii
eugendus abbas 1 januarii
eugenia virgo m 25 decembris
eugenianus m 8 januarii
eugenius m 24 januarii
eugenius m 20 martii
eugenius filius symphorosæ 27 junii
eugenius episc. carthagineusis martyr, cum sociis quingentis 13 julii
eugenius episc. toletan. 13 novembris
eugenius m 15 novembris
eugenius m 4 januarii
eulasius m 20 septembris
eulalia virg. m 12 februarii
eulalia virgo m 10 decembris
eulogius diac. m 21 januarii
eulogius confessor 3 julii
eulogius presb. m 20 septembris
eumenia m. 12 Augusti
eunus m 27 februarii
euodius 25 aprilis
euodius episc. m 6 maii
euodius m filius theodotæ 2 augusti
euotus m 16 aprilis
euphemia virgo m 16 septembris
euplus diacon. m 12 augusti
euprepia m 12 augusti
euprepius m 27 septembris
euprobus epis. m vel eutropius 30 aprilis
eusebius palatinus, cum novem m m 5 martii
eusebius m 28 aprilis
eusebius episc. conf. 21 junii
cusebius vercell. m 1 augusti
eusebius presb. conf. 14 augusti
eusebius m 25 augusti
eusebius m 22 octobris
eusebius monachus 5 novembris
eustasius abbas 29 martii
eustachius episc. con. 16 julii
enstachius presbyter. 12 octobris
eustachius al. placidus m 2 novembris
eustorgius presb. 11 aprilis
eustosius m 10 novembris
euthimius diacon. 5 maii
eutices m 15 aprilis
eutichianus m 2 julii
eutichianus m 13 novembris
eutichianus papa m 8 decembris
eutichii diaconi 21 maii
euticius m 5 octobris
euticius m 11 decembris
euticius presbyter m 28 decembris
euticus m 19 septembris
euticus m 29 septembris
eutropia soror nicasii 14 decembris
eutropius episc. 27 maii
eutropius m 15 julii
evurtius episc. aurelianensis 7 septembris
ewaldi duo m m 3 octobris
exaltatio s. crucis 14 septembris
exceptio georgii & aurelii m m 20 octobris
expeditus m 19 aprilis
exuperantius diacon. m 30 decembris
exuperia cum aliis 26 julii
exuperius m theb. 22 septembris
exuperius episc. con. 28 septembris
exuperius m 19 novembris
ezechiel propheta 10 aprilis.

F

Fabianus papa m 20 januarii
fabius m 31 julii
fandala presb. m 13 junii
fara virgo 7 decembris
faro episcopus 28 octobris
fausta virgo m 20 septembris
faustinus m 15 februarii
faustinus m 29 julii
faustinus m 7 augusti
faustus m 16 aprilis
faustus m 1 augusti
faustus m 8 septembris
faustus m 13 octobris
faustus diacon m 19 novembris
faustus presb. m 26 novembris
feben de qua apostolus scribit 3 septembris
felicianus m 2 februarii
felicianus m 9 junii
felicianus m 21 julii
felicianus m 29 octobris
felicianus m 19 novembris
felicissima virgo m 12 augusti
felicissimus m 26 maii
felicissimus m 2 julii
felicissimus diac. m 6 augusti
felicissimus m 26 octobris
felicissimus m 24 novembris
felicitas m 7 martii
felicitas m 23 novembris
felicula m 14 Februarii
felicula virg. m 13 junii
felix m 7 januarii
felix presbyter confessor 14 januarii
felix m 12 februarii
felix m 16 martii
felix m 16 aprilis
felix m 21 aprilis
felix presb. m 23 aprilis
felix episc. m 18 maii
felix m 24 maii
felix m 28 maii
felix papa m 30 maii
felix m 11 junii
felix presb. m 23 junii
felix m 2 julii
felix m 10 julii
felix filius s. felicit. m 10 julii
felix m scillitan. 17 julii
felix papa m 29 julii
felix mart 1 augusti
felix m 22 augusti
felix m 27 augusti
felix m 30 augusti
felix episc. m 10 septembris
felix m stem 10 septembris
felix m 19 septembris
felix m 24 septembris
felix episc. m 12 octobris
felix episc. m 24 octobris
felix presb. m 5 novembris
felix m 6 novembris
felix episc. m 15 novembris
ferreolus presb. m 16 junii
ferreolus m 18 septembris
ferrutio diaconus m 16 julii
festivitas omnium sanctorun 1 novembris
festus diac. m 19 septembris
festus

feſtus m	21 *decembris*	
fides virg. m	1 *auguſti*	
fides virgo m	6 *octobris*	
floromus m cum ſociis	4 *februarii*	
fintanus presbyt. conf.	17 *februarii*	
firmatus diaconus	5 *octobris*	
firminus epiſc. m	25 *ſeptembris*	
firminus epiſc. conf.	11 *octobris*	
firmus m	2 *februarii*	
flaviana virgo	5 *octobris*	
flavianus m	30 *januarii*	
flavius m	7 *maii*	
floria m	24 *novembris*	
florentia m	10 *novembris*	
florentinus m	27 *ſeptembris*	
florentius m	15 *julii*	
